Ex Libris
P. JOANNIS TRETTER
Coesar. Reg.
PROFESSORIS PUBL.

3104. III. a. 4. b

S. 10. 01.

N. 131.

ANNALES DUCATUS STYRIAE,

CUM ADJECTA

FINITIMARUM PROVINCIARUM

BAVARIAE, AUSTRIAE, CARINTHIAE, SALISBURGI, AQUILEJAE, &c.

HISTORIA,

IN QUANTUM EA

AD RES STYRIAE ILLUSTRANDAS CONDUCERE VIDETUR;

EX ANTIQUIS

HISTORIAE MONUMENTIS

COLLECTI,

STUDIO ET OPERA

AQUILINI JULII CAESAR,

CANONICI REGULARIS VORAVIENSIS,

STYRI GRAECENSIS.

TOMUS I.

DE STYRIA VETERI,

ET

CHRISTIANAE IN EA RELIGIONIS INITIIS,

REBUSQUE

PER XII. SAECULA A CHRISTO NATO GESTIS.

CUM

QUATUOR DISSERTATIONIBUS PRAELIMINARIBUS,

ET PARVO QUODAM DIPLOMATARIO OTTOCARORUM,

GENEALOGIAM

VETERUM STYRIAE FAMILIARUM

CONTINENTE.

K K
LYCEAL
BIBL K
Z.
LAIBAC

GRAECII,

TYPIS HAEREDUM WIDMANSTADII.

1768.



AUGUSTISSIMO
POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO ROMANORUM
IMPERATORI,
JOSEPHO II.
GERMANIAE ET HIEROSOLYMORUM
REGI,
CORREGENTI ET HAEREDI
REGNORUM HUNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE,
SCLAVONIAE, &c.
ARCHIDUCI AUSTRIAE,
DUCI
BURGUNDIAE, LOTHARINGIAE, STYRIAE, CARINTHIAE, ET CARNIOLIAE
MAGNO DUCI HETRURIAE,
MAGNO DUCI TRANSYLVANIAE,
MARCHIONI MORAVIAE,
DUCI
BRABANTIAE, LIMBURGI, LUCEMBURGI, GELDRIAE, WÜRTEMBERGAE
UTRIUSQUE SILESIAE, MEDIOLANI, MANTUAE, PARMAE, PLACENTIAE,
ET QUASTALLAE, CALABRIAE, BARRI, MONTIS-FERRATI, TESCHINAE,
PRINCIPI
SUEVIAE, ET CAROLOPOLIS,
COMITI
HABSBURGI, FLANDRIAE, TYROLIS, HANNOVIAE, KYBURGI,
GORITIAE, ET GRADISCAE,
MARCHIONI
S. R. I. BURGOVIAE, SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIAE,
MUSSIPONTI, ET NOMENEI,
COMITI
NAMURCI, PROVINCIÆ VALDEMONTIS, ALBIMONTIS, ZUTPHANIAE,
SAARWERDAE, SALMAE, ET FALKENSTEINII, DOMINO
MARCHIAE, SCLAVONIAE, ET MECHLINIAE,
&c. &c.
DOMINO, DOMINO
CLEMENTISSIMO.

TIBI NAMQUE
CUM ANNIS ABHINC XXVII.
QUIDAM HUJUS DUCATUS AUGUR INDIGENA
HOC CHRONICUM EX ISAIA DIVINARET ORACULUM:

IOSEPH
EXALTABITUR, ET ELEVABITUR, ET SUBLIMIS
ERIT VALDE. *Cap. 58. v. 13.* *Ann. nativ.)*
VERITATEM EVENTUS DEDIT.
OBTINUISTI
SOLIUM GLORIAE, AC ALTITUDINIS *Jer. c. 17. v. 12.*
NOVIT COELUM. *(An. succeſſ. Imp. ac Reg.)*
QUO IN TERRA CLARESCAT SIDERE LUCIDIORE?
JOSEPHUM EVEXIT,
QUO SIBI *CARIOREM* POST *CAROLUM*
NON INVENIT;
HINC TIBI, QUOD ISAAC FILIO OLIM
ACCLAMAT AUSPICIUM,
IN PINGUEDINE TERRAE, ET IN RORE COELI DESUPER
ERIT BENEDICTIO. *Gen. cap. 27. v. 9.*
PERGE IGITUR,
ET
PULCHRITUDINE TUA, INTENDE PROSPERE, PROCEDE,
ET REGNA *Psalm. 44. v. 5.*
IMPERIUM,
QUI AUSTRIAE GLORIA ES,
ET
STYRIAE DELICIUM;
QUAM,
CUM IPSA NASCENDI CONDITIO,
TUAM QUONDAM ESSE FECERIT;
ATTRAXISTI JAM DUDUM AD TE
VIRTUTE ET *EXEMPLO*,
QUAE,
QUIA ALITER SE SOLIO TUO
SUBSTERNERE NON POTEST,
EAM EGO PROVOLVO PEDIBUS TUIS;
MUNICEPS EJUS,
HOC LITTERARIO SUDORE MEO,
EORUM ADJUMENTO ET FAVORE,
SUB QUIBUS, USQUE DUM FORTUNATA SUBSISTIT
FASTOS, FATA, FACTAQUE EXHIBENDO,
SUSCIPE ILLAM
CLEMENTISSIMO ANNUTU,
MEQUE CUM HISCE
STYRIAE PRIMITIIS
AD THRONUM MAJESTATIS TUAE
SUBMISSISSIME PROSTRATUM

Fridbergae an. 1768. die 28. Febr.

AQUILINUM JULIUM CAESAR,
Can. Reg. Vorav. Civ. Fridberg.
p. t. Parochum.

PRÆFATIO.

Hiſtoriæ ſtudio vix ulla unquam ætate plus delatum, ac noſtra: luſtrantur nova, vetera, noſtratia, peregrina publicæ in dies luci mandantur Hiſtoriæ ſacræ, auguſtæ, civilis, militaris, litterariæ ſpecimina, & eruditis his mercibus præla plurima deſudant. Id hiſtoriæ ſtudium ſi intermiſiſſent veteres, Ptolomæo & Euripide teſtibus, nec Patriarchæ cum Prophetis, nec Reges, Judices, cum Sacerdotibus, nec diruta Jerichuntis, ac Jeroſolymæ rudera, denique nec ipſa lex Dei ſcripta, cum arca fœderis innotuiſſet nobis, utpote quorum omnium notitiam, Moyſis, Davidis, ac Salomonis commentariis adſcribimus. Quid de Aſſyriis & Medis? quid de Turri Babel ac Tyri decoribus conſtaret nobis? ni Drogi, Pompeji ac poſt eum Juſtini, teſtimoniis ac monumentis, eadem nobis ſuppeditarentur; Græci ſane heroes quantum Homero, tantum Alexander Ariſtoteli, Virgilio Æneas, Belliduces Græci Polybio debent, quod eorum memoria poſteritati fuerit conſecrata. *Hiſtoriæ utilitas.*

In tanta jam hiſtoriæ luce mirabar ſæpius, quid rei eſſet? quod, cum omnes pene adjacentes Provinciæ, ac regna finitima, luculentis, eruditis factorum ſuorum, geſtorumque gaudeant commentariis, Styria tamen noſtra ſola, hoc in genere ornamenti neglecta, vel certe nonniſi mancis quibusdam, atque jejunis opellis involuta jaceat, quæ tamen ſive terræ felicitatem, ſive plagæ pulchritudinem, ſive aeris ſalubritatem, ſive incolarum ad optima quæque ingenitas dotes, ſive denique factorum varietates, geſtorum momenta ſpectemus, cum vicinis in arenam facile deſcendere auſit, difficulter forte alicui ceſſura. *Cur Styriæ Chronicon nullum proſtet.*

Aſt facturus ne operæ pretium ſim, vel tanto labori jam dudum exoptato par videar, qui Styriæ noſtræ quæ argumentum eſt operis noſtri, res antiquas, tum confuſas admodum, tum variis in

locis inter pulveres cum tineis & blattis colluctantes in unum velut corpus redigere, publici juris facere, ſerioque moliri auderem opus illud, quod eruditus a Styria orbis, pluribus jam ſæculis cum ſtomacho deſideravit? utcumque ſit, ſeu res immenſi operis, ſeu vires meas excedens, juvabit tamen patriæ meæ ſuccurrere, juvabit tamen ei monumentum, quod ferme unicum deſideravit hactenus, erigere, ſicque eandem ab ignaviæ ac ignorantiæ, craſſiorisve Minervæ nota, qua apud litteratos alienigenas laborate vix non cœpit, pro virili parte vindicare.

Pro civili inquam *parte*, nam quod hactenus tentatum nihil hac in re fuerat, duæ cauſæ erant; prima, quod petentibus antiquitatis monumenta negarentur, altera quod res Styriæ præſertim veteris, cum reliquæ germaniæ, præcipue Bavariæ, Auſtriæ, Carinthiæ, nationibus arcte adeo connecterentur, ut de perfecta harum cognitione deſperandum prope videatur. Deerat nempe Dux, qui facem præberet, deerat externorum diligentia monumentorum, deerant bonarum Muſarum avidi, qui urgerent, qui juvarent, & quod pejus, erant plurimi, qui ſeu metu, ſeu invidia ducti, ſua communicare documenta formidarent; quibus, ſi addas præjudicia quorundam, fabellas affectatæ antiquitatis, veritati genuinæ præferentium, rem confectam habebis, cur Chronicon Styriæ prodierit nullum; alios nempe moles operis, ac negata documenta; difficultas & obſcuritas rerum Styriæ plures abſterruit;

Duæ cauſæ.

Juſta utraque cauſa: quis enim non videat, ardui rem eſſe; ac immenſi pene operis, obſcuriſſimorum primorum a Chriſto nato ſæculorum hiſtoriam ingredi, primorum temporum vetuſtatem, nullo veri falſique diſcrimine, ab antiquioribus ſæpe proditam in examen vocare, res de ſe illuſtres, nulla tamen temporum nota inſignes annis ſuis reddere, erroneas, ſed receptas dudum, atque in animis hominum inveteratas opiniones convellere, ſcriptorum lites dijudicare, easque amicabili, ut ita loquar, tranſactione componere, perturbatas temporum rationes juſtum in ordinem revocare?

An juſta.

Hæc quidem omnibus annalium ſcriptoribus communia ſunt, id tamen Styriæ ſcriptoribus peculiare, ac fors inſuperabile, quod nec nomen, nec limites, nec duces, nec populi, ad ſæculum pene duodecimum ſatis conſtare videantur. At enim, ſi tanti iſta ſunt, ſpes eſt in perpetuum abjicienda, ullam unquam de Styria hiſtoriam obtinendi, dumque ſingulares jam Bavariæ, Auſtriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, vicinarumque nobis minorum provinciarum, ſcriptores cum voluptate maxima, fructuque non contemnendo, eruditorum hodie:

dum

dum teruntur manibus, nemo non indigniſſime ferret, ſi hac luce ac ornamento Styriam, reliquis non minorem, deſtitutam, ac ſuis in tenebris conſepultam relinquerem.

Diutius hæc mihi perpendenti nova & moleſta obvenit deliberatio, a quo potiſſimum tempore annales hos Styriæ, inchoarem; at cum ea, quæ ante natam ſalutem referuntur, obſcuris, ac poeticis non raro fabulis magis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis tradantur, ea nec affirmare, nec refellere in animo erat, ordiar itaque loqui, de Styriæ ſtatu eo tempore, quo ſuavi Chriſti jugo ſenſim ſubeſſe cœpit. *Cur res Styriæ ante Chriſtum natum non referantur.*

Antequam de efformanda operis mei idea quidquam eloquar, pauca de iis, qui Styriæ rebus labores ſuos immolarunt, depromere viſum: primus ſane hos inter & ordine, & eruditione ſingulari, res patriæ noſtræ vulgavit Cl. Vir *P. Sigiſmundus Puſch*, e Soc. Jesu, Univerſ. Græc. Cancellarius, qui inter reliquas officii ſui curas, anno MDCCXV. Chronologiam ſacram ducatus Styriæ vulgavit; an. MDCCXX. editus, alterum tomulum *P. Octavius Bucelleni*, ejusdem celeberrimæ Soc. membrum, Græcii in ſuo Doctoratu diſtribuit. Alter item ejusdem Soc. Græcenſis Cancellarius *P. Petrus Schez*, geſta Ducum Styriæ ab Ottocaro VI. Duce Styriæ I. ad Carolum VI. uſque publicæ luci donavit; quodque dolent non pauci, illud eſt: ultimos duos eo in opere Cæſares, aliena, atque, ut conjiciunt ex ſtylo, P. Wagneri manu fuiſſe adjectos: præter hos Prevenhueberus Chronicon Styræ urbis prælo ſubjecit, ex quo plura de Patria noſtra, ſed attenta, ex quibus deſumpſit, authorum fide, videri poſſunt; Clariſſimus *Eraſmus Frælich*, Græcii natus, & nimium heu! mature orbi litterario ereptus, complura edidit opuſcula & eruditione & exacta ad amuſſim Criſi ſtabilita, quæ quamvis Styriam noſtram pro ſcopo non habeant, plurima tamen de ea attingunt: fatetur ipſe in præfatione Genealogiæ Soxnekiorum Comitum Celejæ & de Heunburg. ſe Celejanas res a Claudii Tiberii ætate undequaque conſcribere cœpiſſe, eamque opellam ſe Chronicon Cellejanum appellare conſtituiſſe; cui tamen operi, uti & vitæ, metam poſuiſſe mors videtur, cum hactenus de ea editum nil fuerit. *Scriptores de rebus Styriæ recentiores.*

MSS. Styriæ Chronica, quod attinet, poſſidet bibliotheca noſtra, ſcriptum quoddam 2. tomulis comprehenſum, cujus tertium de Cilejæ rebus pro ſingulari in res litterarias amore, mihi communicavit *Perilluſtris Dominus Jacobus Erneſtus de Cerroni*, S. R. I. Eques & Repræſentationis Cæſareæ Regiæ Græcii Aſſeſſor, at opus hoc totum, ſeu dein *Domini Schrott*, ſeu *Domini de Hochenvvarth* labore

& induſtria collectum, imperfectum omnino eſt, ac in pluribus a genuina veritate devians, plurimumque ex Megiſeri ac Bonfinii penu deſumptum. Præterea variis eruditis MSS. ut ex præfatione Perillustris Domini de Cerroni in prædictum MSS. Styriæ Chronicon lego, res patriæ noſtræ ſucciduis horis elaborarunt, Perilluſtres Domini, *Dominus Koller de Mohrenfels*, *Dominus de Jandegg*, *Dominus de Maiſtern*, & *Dominus de Hueber*, excelſi quondam Regiminis Græc. Cancellarius, plura etiam de Styriæ rebus in facundiſſimis *Excellentiſſimi Domini de Cerroni*, Cancellarii dudum aulici, ſermonibus comitialibus, plura contineri eodem fonte doceor, de quibus tamen omnibus nil hactenus mihi, præter ſpem, ſubmiſſum: noviſſime in Calendariis Græcenſibus ab anno 1760. hiſtoria quædam Styriæ, laboribus quorundam e Seraphico Capucinorum ordine collecta viſitur, quæ, ſi citatos modicos authores alios demas, plurima ſui parte ex MS. Styriæ Chron. deprompta videtur: illud minime ferendum, quod in Calendario anni 1763. Ottocarus V. Vorav. & Seizenſis Fundator, in Seizenſi Cartuſia, & quidem, ex MS. Codice Vorav. ſepultus legatur, in quo tamen nec jota invenio. Hos omnes indefeſſo labore æmulatus eſt Illuſtriſſimus DD. Erneſtus Henricus S. R. I. Comes de & in Wildenſtein, qui res patriæ noſtræ ordine pulcherrimo, ac calamo eruditiſſimo compilare pergit, operi ſuo, ex abditiſſimis ſcriniis elegantiſſime deducto, propemodum finem impoſiturus.

Veteres Styr. rerum Scriptores. Ex vetuſtioribus aliquantum authoribus, qui de rebus Styriæ quæpiam memorant, cenſentur *Wolfg. Lazius*, *de Rhov. Æneas Sylvius*, *Megiſerus*, in annal. Carinthiæ, *Valvaſorius* in Carnioliæ, *Hübnerus*, *Fuggerus*, *Haſelbachius Anonymus Leobienſis*, & Chronica quædam a P. Hier. Pez, tomis 2. ſcript. Auſtr. vulgata. Hæc fere omnia ſunt, quæ, ſi communes univerſæ Germaniæ Chronographos addas, ſcribenti Styriæ ſeriem, lucem quandam adferant. Complures horum pervolvi, & quæ patriæ meæ accommodari queant, deprompſi, ſperans fore, ut edito ſemel primo hoc tomo, domeſtica mihi documenta benevolis manibus communicarentur.

Tomi hujus primi ratio. Jam idea operis declaranda: Primus hic tomus enarrabit res Styriæ a nata ſalute, ad mortem Ottocari VI. ſeu annum MCXCII. cujus, ut ſterilem ſatis materiam aliis, etiam Patriæ noſtræ congruis rebus ſupplerem, Eccleſiaſtica ſimul 3. Diœceſium, quibus Styria quondam noſtra obnoxia erat, id eſt Aquilejenſis, Salisburgenſis, Laureac. & dein Patavienſis geſta enarrabo; res etenim Patriæ noſtræ veteris, cum rebus ſacris æque ac Principum conjunctas ſum expertus.

Diſſertationes 4. præliminares. Tomo porro primo Diſſertationes IV. præmittendas putavi.

Pri-

Prima: *Patriæ noſtræ veteris limites, diviſionem, nomina, incolas, urbes ejusque politicen.* *Diſſert. 1.*

Secunda: *Apoſtolos ac fidei propagatores.* *2.*

Tertia: *Metropolitas & Epiſcopos veteres.* *3.*

Quarta demum *Ottocarorum Marchionum Chronotaxim* quantum fieri poterit, accuratam pertractabit. *4. exponitur.*

Diplomatarium in fine operis accedet omnium qua editorum qua ineditorum diplomatum ab Ottocaris noſtris datorum, quibus ſubjungam notas criticas, atque genealogiam veterem, ac primam antiquorum Styriæ noſtræ familiarum; quod ipſum in reliquis, ſi Deus faverit, tomis continuabo, ubi plura jam de Collegiis, ac Monaſteriis Styriæ, nominatim de Voravienſi noſtro, diplomata nondum viſa, & hiſtoriam Styriæ elucidantia comparebunt, quibus, ſi reliquorum Collegiorum antiſtites, ac Illuſtriſſimarum familiarum Majores, documenta ſua nondum edita, Genealogiam præcipue concernentia ſubmittere dignati fuerint, memori quantum potero, mente grates debitas ſubmiſſe perſolvam, operique meo lætiſſimus inſeram. *Diplomatarium in fine. Cum notis criticis, & genealogia veterum Styriæ familiarum.*

Diviſio tomi hujus poſt Diſſertationes ſequens erit:

Liber primus habebit: *Res Styriæ ſub Præfectis Romanorum ab anno Chriſti 6. ad an. circ. 400.* *Materia libri 1.*

Liber ſecundus: *Res Styriæ ſub barbaris ab an. 400. ad 791. circiter.* *2.*

Liber tertius exhibebit: *Styriam barbaris ereptam, & Romano Imperio a Carolo M. aſſertam ab an. 791. ad 958. circiter.* *3.*

Liber quartus demum: *Styriam ſub propriis Marchionibus Ottocaris ab an. 958. ad 1192.* præſentabit. *4ti.*

Multa tamen hoc in opere deſiderabunt alii, ſingulorum nimirum Styriæ Præfectorum nomina, plenam Epiſcoporum ſeriem, Origines Eccleſiarum, jura, privilegia, largitiones ſummorum Præfectorum & Principum, Inclytarum Styriæ Familiarum exortus &c. ſed hi plus mihi exigere videntur, quam annales mei admittant, cum plura diligentiam, plura vero notitiam effugiant meam, ſtili ratio minus quærenda, non enim elocutioni, quæ Rhetorum eſt, ſed enarrationi ſinceræ, quæ hiſtoricorum, operam & ſtudium poſui, unde etiam plura authorum verbis retuli, in quibus cum barbara multa, obſo-

leta, obſcura, inconcinna verbis, ſententiisque offendet lector, conſuetudini, veritati, fidei id a me datum exiſtimet. Authores, quibus uſus ſum, ſe manifeſtabant citati, ſubin etiam Eruditi Lectoris arbitrio relinquere quæpiam magis viſum, quam certam in re incerta proferre ſententiam, maloque ſemper ignorantiam fateri, quam fabellis pugnare.

Hoc firmus propoſito, dum opus hoc, ejusque tomum primum erudito mundo exhibeo, non veniam ſolum erratorum, quæ monitus corrigam, ſed copiam etiam documentorum adhuc latentium, pro ſubſequo labore optima ſpe fretus expecto, idque unum laboris præmium a benevolo Lectore poſtulo, ut erratis indulgeat, & pro poſſe ſuccurrat, ut ſterilitati primorum ſæculorum non ſubiraſcatur, utque patientia ad tomum alterum utatur, quo longe clarior præſentabitur Styriæ noſtræ proſpectus.

DISSERTATIO I.

De Veteribus Styriæ Limitibus, Diviſione, Inquilinis, Urbibus, ac Statu politico.

§. I.

Patriam noſtram, non iisdem olim, quibus nunc eſt, concluſam finibus, inter omnes conſtat. Veteres eam Norico & Pannoniæ incluſerunt, Norico quidem præcipua, Pannoniæ vero minore ſui parte. Harum itaque provinciarum limites noſcat prius, qui veteri Styriæ eas ponere cupit. De Norico ſic loquitur Claudius Ptolomæus Coſmographiæ lib. 2. edition. Ulmenſ. de an. 1482. *Noricum terminos habet ab occaſu Enum Fluvium, a Septemtrione Danubii partem, quæ ab Eno uſque ad Cetium Montem, ab ortu ſolis ipſum montem Cetium, a meridie partem Pannoniæ, quæ ſub dicto monte ſita eſt, & hinc montem ſupra Iſtriam, qui Carvancas appellatur:* quibus equidem verbis liquidiſſimum eſt, partem modernæ & veteris Styriæ maximam in Norico fuiſſe ſitam; gemina enim flumina Eni & Danubii nota ſunt adhuc, extimum vero Cetii montis jugum illud eſſe arbitror, quod nunc uno ſupra Vienam lapide Danubius alluit, qui, licet ſubin in alios atque alios alveos dehiſcat, ad Savi tamen uſque littora continuatur; quod vel exinde etiam patet, quod laudatus Geographus Celejam intra veteris Norici urbes repoſuerit: An Cetius ultra Savum porrigatur, noſtra parum refert, quibus Styriam, Savi ripam non tranſcendere certum eſt. Styriæ tamen veteris limites neutiquam diſcernentur, niſi Norici & Pannoniæ fines antea accurate ſtatuantur; de his itaque prius dicendum, antequam obſcuros patriæ noſtræ veteris terminos attingamus. Et quidem quod occidentalem & ſeptentrionalem Norici partem concernit, ea ſatis in aprico eſſe videtur; Enus enim modernam Tyrolim irrigans Paſſavii ſe in Danubium exonerat, & mons Cetius ad Danubii fluenta unico ſupra

Styriæ limites.

Norici limites.

Vien-

Viennam lapide enatus, inde Cilejam uſque, ſi non ad ipſa Savi littora protenditur, cum huic fluvio adſitus ſit mons ejusdem nominis *Cetius* ſeu *Kalenberg* dictus, ut norunt Carnioli v. an. 1040. Major difficultas ſe inſerit in detegenda meridionali Norici parte; quæritur enim inter Eruditos, quænam ſit illa Pannoniæ Superioris pars a meridie Noricum contingens? Ptolomæus eam partem Pannoniæ Superioris intelligere videtur, quæ ad Savi & Saanæ (ſeu ut interpretatur Frælichius Savi minoris) confluxum infra Celejam plurima parte modernæ Carnioliæ ineſt, & quæ Labacum uſque, ſeu, ut volunt, Æmonam veterem prope rivum Savi ab ortu in occaſum protenditur. Ita quidem ſentit Ptolomæus Celejam Norico inſerens, quod tamen alii controvertunt. At quem dicemus montem illum ſupra Iſtriam, Carvancas appellatum? nemo eum hactenus detexit ſine dubio, quidam cum alpibus Carnicis confundunt, alii proximum ſolum volunt. Nos hæc extra terras noſtras ſita loca aliis diſcutienda relinquimus, id unum concludentes, difficilem eſſe determinationem veterum Styriæ limitum, cum nec de Norico quid certi conſtet.

§. II.

Pannoniæ ſuperioris limites. Ad deſignandos veteres Styriæ fines, Pannonia quoque, cujus etiam pars Styria fuit, conſideranda eſt; inde vero difficultas nova enaſcitur: quamvis enim provinciarum limites, pro vario regimine, varie fuerint mutati, quamvis Styria ipſa ſub primis Marchionibus & Ducibus ampliores longe ac nunc habuerit limites (priusquam nempe Dynaſtia Styrenſis & Comitatus Putinenſis, iſthinc avulſi Auſtriæ adſcriberentur) nova tamen emergit arduitas in detegendis Styriæ limitibus, cum etiam Pannoniæ fines non extra omnem Controverſiam fuiſſe inveniantur; etenim cum Pannoniam ſuperiorem (de inferiore enim nobis agendum non eſt) mons Cetius a veteri Norico ſejunxerit, partem hanc a veteri Norico ſejunctam per Cetium montem deſignare primo neceſſe foret. At cui hoc poſſibile videatur? uti enim abſcondita rerum vetuſtarum ſolet eſſe facies, ita quoque omnia præfati montis juga nos latent, idque unum legitime deducitur, partem occiduam, ad Noricum mediterraneum, ortivam autem nec magnam ejusdem portionem ad Pannoniam inter Cetium montem & fluvium Arabonem fuiſſe adſcriptam. Hiſce jam prælibatis Pannoniæ ſuperioris limites ex Ptolomæo citato ſubjungere libet; ita autem loquitur: *Pannonia ſuperior limites habet ab occaſu montem Cetium, & pro parte Carvancam a meridie parte Iſtriæ ac Illyridis juxta lineam parallelam, quæ a præfato ſine occidentaliore per Albanum montem exit uſque ad Rebios montes* (alii legunt *Bebios*) *& limites inferioris Pannoniæ, a Septentrione terminatur monte præfato Novici & parte Danubii; quæ eſt a Cetio monte, usque ad ſciſſionem Arabonis fluvii; ab ortu ſolis inferiore Pannonia per lineam, quæ præfatos limites habet.* Mons *Albanus*, qui & *Albius* modernam Liburniam a Croatia ſeparat, ut Eruditi paſſim ſentiunt, *Arabo* fluvius, ſeu *Raab* ex Styria in Hungariam dilapſus, & Jaurini Danubio mixtus videtur: P. Simon imagine antiquæ Hungariæ lib. 1. cap. 2. *Albanum montem* in Carniolia, *Bebios montes* ad Savum in Croatia, *Carvancam* montem Iſtriæ, Æmonæ vicinum

ſtatuit;

ſtatuit; Quidquid de his montibus dicatur, id ſolum liquet, Styriam de inferiore Pannonia nil participare, partem tamen illam Styriæ montibus minus aſperam, nunc *inferiorem Styriam*, dictam olim Pannoniæ ſuperiori fuiſſe incluſam, reliquam autem omnem Styriam Norici Mediterranei fuiſſe partem.

§. III.

Styriæ veteris limites.

Ex hiſce, obſcuros Styriæ veteris limites, in Norico mediterraneo & Pannonia ſuperiore fors ita ſtatuere licebit, vel potius conjicere, ut Cetii juga, a monte *Kallenberg* ſupra viennam, per *Comagenum*, fors hodie *Kaumburg*, inde per montem *Semering*, Styriæ modernæ, ac Auſtriæ terminum, per montem *Wexel* & ejus alpes, *Hartbergam* verſus, per *Weizium* usque vicinum Græcio montem *Geſaccum* ſeu *Schöckl*, & hinc trans Muram, ad *alpes Schvvanbergenſes*, per utrumque montem *Rädl*, ac Dravo fluvio ſuperato per montem *Pacher*, *Gonovcenſia*, *Seizenſia*, *Gyrienſia* juga, ad Saannæ & Savi confluentes ducendo, Styriam veterem fere omnem excepto Comitatu Styrenſi & Buttinenſi concludamus. V. §. VII. Difficillima nempe, ut dixi, veteris Styriæ determinatio, non ita modernæ, quamvis nec ea ſine diſceptatione habeatur; nunc ſane patriam noſtram ambiunt ab oriente *Hungaria*, ab occidente *ditio Salisburgenſis* & *Carinthia*, a meridie *Sclavonia* & *Carniolia*, denique a ſeptentrione *Auſtria*: Hæc quoad Auſtriam & Carnioliam difficultatem non habent, Carinthiam verſus in circulo Judenburgenſi modica pars ſilvæ controvertitur, ad Hungariam vero lis omnis hodiedum pendet: Commiſſariis fines Styriæ ad Hungariam determinaturis Dominis de Deyerlſperg, de Bendel, annos abhinc aliquot Hungarorum feritas repulſam dedit; decreta Commiſſio nova an. 1754. ex parte Hungariæ Dominus Adelfi, Fiſcus Coronæ Hungaricæ, atque ex parte Styriæ D. de Wöber Fiſcus Styriæ aderat, Commiſſarii delecti ex Hungaris Excellentiſſimus Dominus Comes de Caroli Mareſchallus militaris, Illuſtriſſimus Dominus Comes de Erdödy, Dominus Kelz, & Domini Petrus ac Joannes Nagy, ab Aula Cæſarea erant delecti & miſſi ex Styris Excellentiſſimus Dominus Comes de Gaisruck, & Perillustris Dominus de Cerroni: adjunxit his Provincia Styriæ Illuſtriſſimum Dominum Cajetanum Comitem de Sauer, ac Dominum Mäz de Spieglfeld; at nil effectum, adeo, ut Auguſtiſſima interimalem lineam ducere cogeretur a Ruſteroſzen ad Biſtrizam, indeque per continentem, ad fluvium Dravum; reliqua limitum controverſia cum Hungaria & ex parte Croatia ſuſpenſa, jam ſilet inter arma, dum tamen patria noſtra ab Hungaria eam adhuc partem a Sabaria per Laffniz fluvium, atque ex altera parte a S. Anna uſque ad Muram repetit. Ex quibus proinde id rite concluditur, Styriæ noſtræ multum deceſſiſſe, non alienato ſolum ac Auſtriæ adjecto Comitatu Styrenſi ac Büttenſi (quorum hic inferiori, ille ſuperiori ceſſit Auſtriæ) ſed etiam per ſtatutam interimalem an. 1755. lineam abſtractum fuiſſe magnum illum tractum, inter Caniſam Turcicam, Opinitziam, ſuperiorem ac inferiorem Lendovam ſitum.

Styriæ modernæ limites.

De iisdem controverſia.

§. IV.

Norici descriptio.

STyriæ vetus divisio den uo a Norico ac Pannonia dependet: Ingens Noricarum terrarum tractus, multorum olim populorum sedes, in-

Nomen.

genti rerum vicissitudine exercitus, nomen suum a Noreja urbe traxisse verisimilius videtur, quam a Norice vel Norico Herculis filio, utpote quem sola domesticorum Scriptorum, regnis plerumque suis fabulosas deorum origines affectantium, adstruit authoritas, externarum autem monumenta litterarum rejiciunt. Suos quondam, ut nihil excellen-

Norici Reges.

tiæ deesset, Reges habuit, quos nobis reliquit Cæsar Julius lib. 1. de bello Gallico scribens: *Duas fuisse Ariovisti uxores, unam Svevam natione, quam domo secum adduxerat, alteram Noricam, Regis Voccionis sororem.* Et lib. 1. de bello Civ. *Eo triduo legio VIII. ad eum* (Cæsarem nempe) *venit, cohortesque, quæ ex novis Galliæ delectibus XXII. equitesque a Rege Norico CCC. quorum adventu castra ad alteram oppidi partem ponit;* Consentit Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 109. de Tiberio Cæsare his verbis: *Ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.* Idem docet Suetonius in Tiberio cap. 16. & Strabo lib. 7. meminit *Critasiri* Regis Bojorum in Norico.

Norici divisio.

Noricum regnum, quamquam jam antea sub Tiberio, Romanis Aquilis adjunctum, sub Constantini tamen primum ævo in *Ripense* & *Mediterraneum* tributum esse videtur, ut §§. sequentibus dicemus: *No-*

Mediterranei partes.

ricum mediterraneum veteres dixere, quod a Danubio longius recedens, ad alpes vergebat; quo tractu interior Austria, pars Bavariæ cis Ænum, ditio Salisburgensis, portio quædam Tyrolis, pars Styriæ ma-

Noricum montanum

jor, Carinthia & Carniolia continebantur. Marcellinus illud *Montanum* dixit, quia ab alpibus cœptum ad alpes usque Carnicas in me-

Norici Ripensis partes

ridiem protendebatur. *Ripense* in citeriore Danubii ripa jacebat, Ænumque attingebat, eas sub se complexum partes, quæ ab Æno in Pannoniam juxta cursum Danubii sitæ erant. Aventinus lib. 1. anna-

Noricum Mediterraneum superius & inferius.

lium, *Mediterraneum* in *superius & inferius* dispescit, *superius* supra Ænum a Bojis & Tyrolensibus, *inferius* Styris & Carinthis seu Carnis habitari docet, de quo mox plura.

Norici tardior acceptio pro Bavaria Rhætia &c.

Quæ jam provinciæ Norici nomine venerint? audivimus, atque ex eo non obscure Velserus in vita S. Severini infert, abusos esse Norici nomine posterioribus sæculis authores Barbaros, dum quidquid Bojorum ditione contineretur, ipsum etiam Rhætiæ secundæ tractum, Æno & Lyco interjacentem, Norici nomine usurpabant: horum unus Paulus Diaconus, Warnefridi filius, Cassini monachus lib. 3. de gestis Longobard. cap. 31. Norici fines male his verbis describit: *Noricorum siquidem provincia, quam Bajoariorum populus inhabitat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suaviam, a meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.* Similia habent Otto Friling. & alter Otto Monachus S. Blasii pluresque alii ejus ævi authores, qui Bavariam & Noricum, Bavaros & Noricos, frequentissime, minus tamen ad mentem veterum confundunt: unde horum Recentiorum mala Norici usurpatione, inducta est teste Velsero lib. 4. rer. Boicar. f. 235. divisio Norici *in antiquum ad Æ-*

num

num & poſterius ad Lycum uſque pertingentis, quæ tamen omnia vetuſtis authoribus erant incognita; Tacitus certe hiſtor. lib. 1. provinciarum motus a morte Neronis memorans, Noricum aperte a Rhætia diſtinquit hiſce: *duæ Mauritaniæ, Rhætia; Noricum, Thracia, & quæ aliæ Procuratoribus cohibentur.* Unde ait cit. Velſerus lib. 2. f. 206. *qui hiſtorias cum cura legit, haud raro inveniet, alios Rhætiæ, alios Norico, Pannoniæ præfuiſſe;* rationem malæ hujus acceptionis idem nobis ſuppeditat lib. 3. f. 320. dicens: *De Norico non eo inficias, quod antea multis confirmavi, antiquitus ad Ænum pertigiſſe, neque ultra progreſſum - - - At, cum dein Boji Romanis vindeliciæ partem, quæ inter Ænum & Lycum, abſtuliſſent, & ex Norico, credo, illuc commigraſſent, factum, ut totus terrarum tractus, cum Bajoariæ, tum Norici nomen acceperit.* Ita Cl. rerum boicarum ſcriptor M. Velſerus.

§. V.

Noricum ſub Illyrico.

Noricum porro Mediterraneum & Ripenſe, olim ſub diœceſi Illyrici & Præfecto Prætorio Italiæ fuiſſe, exhibet Pagius in tabula diviſi Imperii ad an. 332. proin Illyricum ita excrevit, ut teſte Jornande de regn. ſucceſſione cap. 51. ſub ſe 18. numeraret provincias, quæ vel orientali vel occidentali Illyrico continebantur. Valerianus circa annum 263. Thraciam accenſuit, ut damnum repararet, quod abſtracta ſub Gallieno Dacia, dein iterum dejecta, Illyricum ſubiit. Author notitiæ Imperii 16. provincias Illyrico adſcribit, nimirum *Macedoniam minorem, Cretam ſeu Candiam minorem, Theſſaliam, Epirum veterem & novam,* ſeu *Albaniam cum parte Macedoniæ ſalutaris, mediterraneam Daciam, Daciam ripenſem, Mæſiam primam, Dardaniam & Prævalitanam* cum *parte ſalutaris Macedoniæ;* & ſic in Illyrico orientali, 10. provinciæ erant, 6. in occidentali, nimirum *Pannonia ſecunda, Savia, Dalmatia, Pannonia prima, Noricum mediterraneum,* & *Ripenſe.* Tanta tamen Illyrici potentia decrevit ita, ut Liburniam & Dalmatiam ſolam jam Illyrico attribuant Cluverius Vindel. cap. 1. & Joann. Lucius Dalmatiæ lib. 1. cap. 2. Id ex dictis ac unanimi veterum conſenſu conſtat, Noricum utrumque cum bina Pannonia olim *ſub Illyrici diœceſi* fuiſſe; nomen quidem diœceſis, uti & ſectio Norici in 2. partes, ſub Conſtantino M. primum obtinuit, diviſio tamen totius Imperii jam Apoſtolorum temporibus, teſte Pagio, ad an. Chr. 37. facta eſt. Illyricum porro ipſum Galliæ Cisalpinæ ſtante adhuc Romanorum Republica, ſubjectum fuiſſe, Velſerus lib. 2. rer. Boicar. f. 70. oſtendit, ex quo factum opinor, ut Germaniæ antiquæ, cujus fines, teſte Tacito lib. 1. de Germania, Veteres Rheno Danubio, Dacicis & Sarmaticis campis ac jugis, & ad occidentem oceano definivere, non accenſeretur Noricum & Pannonia; quamprimum autem Germania, populis nimium aucta, in interiorem, & exteriorem dividi cœpit, etiam Norici provinciæ, hasque inter etiam Styria, Norico ac Pannoniæ incluſa, exterioris Germaniæ nomine venit, quod veterum ævo non fuiſſe inſinuat Tacitus German. cap. 43. dicens: *Gothinos Gallica, oſos Pannonica lingua coorguit non eſſe germanos.*

Illyrici provinciæ.

Noricum & Pannonia quando Germaniæ annumerat.

§. VI.

Norici divisio quando facta.

Quam certa est Norici divisio, tam dubium tempus, quo eadem facta. De Norico opinor, quamdiu id suis paruit Regibus, ac Julii Cæsaris ævo unum fuisse, atque indivisum; nulla enim tum divisi, seu duplicis Norici memoria, immo Tiberii tempore divisum nondum fuisse docet Vellejus Paterculus lib. 2. cap. 2. *Ipse a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat &c.* quamvis itaque primo Christi sæculo circa annum 8. & 14. compositis Pannoniæ & Norici turbis Romano Imperio, tanquam provincia assertum sit Noricum, sæculo tamen Christi 4to primum in Ripense ac Mediterraneum divisum fuisse ex hisce rationibus opinor: *1mo:* quia, licet sextus Ruffus cap. 7. dicat: *Sub Julio & Octaviano Cæsaribus per alpes Julias iter factum est, omnibus victis Noricorum provinciæ accesserant &c.* & cap. 8. *Habet Illyricus* 10. & 7. *Provincias Noricorum duas, Pannoniarum duas &c.* Credo tamen, Sextum Ruffum sæculi 4ti authorem, per prolepsim locutum, ita, ut ea, quæ suis contigerant temporibus, anterioribus assignet, quod non raro in historicis experimur, ratio hujus & simul *2da* nostræ assertionis est, quod Christophorus Cellarius geographiæ antiquæ lib. 2. cap. 7. se antiquiorem de Norico diviso, seu duplici textum nullum, allegato mox Sexti Ruffi invenerit, unde ante sæculum 4tum eam factam non arbitratur: hinc vita S. Floriani apud Hieron. Pez tom. 1. script. Austr. col. 36. & 40. meminit quidem Norici Ripensis, sed author vitæ illius, homo erat sæculi 13. vel 12. nec obest Pagii authoritas, qui ad an. Christ. 37. & 332. teste de Marca docet quidem, Romanum Imperium a temporibus Apostolorum fuisse in diæceses, seu provincias distributum, nullibi tamen Noricum eodem tempore in 2. partes fuisse disectum memorat. Præterea tabula illa Romani Imperii apud Baron. & Pagium an. 332. allegata, ante Constantini M. tempora in usu non fuit, ut suo loco dicemus. Constantinus enim M. nomen diæcesis, & Præfectos 4. instituit, cum antehac duo tantum essent. *3tio:* Tempore vero Constantini M. jam obtinuisse Norici Ripensis, & Mediterranei denominationem, exhibet lapis antiquus Celejæ in Styria existens a Grutero pag. 283. num. 5. descriptus, cujus inscriptionem ad annum 314. dabo. Hinc bene Hieron. Pezius citato tom. 1. Dissert. 2. §. 3. ait, *apud antiquos primum Noricum communi, postea vero peculiari nomine Noricum Ripense fuisse appellatum omnem illum tractum, qui ab Æni Danubiique confluentibus, in dextera Danubii ripa situs, usque ad Cetii montis juga protenditur.* Cur autem *Ripense* seu *Ripuarium* dictum fuerit, insinuat Wolfg. Lazius lib. 2. de Gallo-Græcis ex libro annal. vetusto; *Quia subductis montibus, ripa Danubii undique vineis & arvis fœcundatur, & nunc orientalis dicitur.* v. §. 4.

Noricum Ripense vel Ripuarium cur dicatur

§. VII.

Pannoniæ divisio.

Superior & inferior.

Quoniam vero Patria nostra, quadam sui parte, Pannoniæ etiam superiori inhæsit, quæpiam de hac subjungenda sunt. Limites ejus superius expositi, divisio jam ejus spectanda: Pannonia jam sæculo

culo Chriſti primo, ut mox oſtendam, duplex erat, *ſuperior* nempe, *inferior*: utramque diſterminabat linea per fluvium Arabonem, in meridiem ad Savum uſque ducta; quod ſupra montem Cetium *Pannonia ſuperior*, quod infra, *inferior* dicebatur, Romani more ſuo hanc *ſecundam*, illam indigitavere *primam*, ita Ptolomæus nos docet, inquiens: *Saus fluvius per duas extendebatur Pannonias.* Sequenti dein tempore regio inter Savum & Dravum ſita, a reliqua Pannonia diſtincta, ab amne, *Saviæ*, vel ut Ruffus, *regionis Savenſis* nomen tulit: ejus metropolis *Sciſciana*, ubi theſaurus provinciæ ſervabatur teſte Sext. Aurelio victore in Cæſ. Conſtantino cap. 40. Tandem etiam Galerius Imperator ſæculo tertio ſeneſcente, juxta lacum Peiſonem, *ſecundum margines Iſtri*, ut Victor & Marcellinus ſcribunt, agrum reipublicæ ſatis commodum, cæſis ſilvis immanibus, & immiſſo in Danubium lacu Peiſone, ſeu Neiſidlenſi, 4tam addidit provinciam, in honorem Valeriæ uxoris ſuæ *Valeriam* dictam, de qua infra pluribus:

Seu 1. & 2da.

Savia, ſeu Regio Savenſis.

Valeria provincia.

Quemadmodum vero Noricum, ita & Pannoniæ, cum Romani juris fierent, Illyrico ſunt adſcriptæ, ut jam ex §. V. patebit. Unde minus hærendum videtur, Styriam totam ſub Illyrico quondam paruiſſe, præſertim cum Conſtantini M. ævo Pannonia ſe ad Illyricum etiam retulerit, & ſpatium omne terrarum, quod Danubius a fronte propemodum, ad confluentem uſque Savi amnis, immani velut arcu concludit, pars olim Illyrici magni, ſtilo Romano fuerit, ac ſub Illyrico Præſides Noricorum, & Pannoniarum cum Valeria meruerint:

Styria tota ſub Illyrico.

De tempore diviſæ Pannoniæ, quæſtio eſt vicina illi, quam ſupra de Norico agebam. Antiquiorem ſane ſuperioris, & inferioris Pannoniæ diviſionem, quam Norici, cenſeo; mox enim, ut Pannonia Auguſti tempore ſubacta, Romanis paruit, in duas illico partes, ſuperiorem, & inferiorem abiit. Ita namque occurrunt Pannoniæ ſuperioris, & inferioris nomina apud Ptolomæum & Strabonem Auguſto fere coævos, quorum ille lib. 11. cap. 15. *Pannoniæ ſuperioris*, & cap. 16. etiam *inferioris* meminit, ac etiam expoſt limites ſuperiori figit, ut §. II. oſtendimus. Dio Caſſius ſeu Coccejus author ſæculi tertii lib. 49. pag. 413. de ſe ipſo teſtatur: *Pannoniæ ſuperioris Præſes conſtitutus fui.* Et lib. 55. pag. 564. in hybernis deſignandis, decimam gemellam legionem *ſuperiori Pannoniæ* tribuit, decimam quartam *inferiori:* Ex quo quidem Dionis textu eam ante Antoninorum tempora factam fuiſſe diviſionem, concludere non poſſemus, niſi Ptolomæi, Velleji Paterculi, textus nos adjuvarent, & Tacitus principio libri de germania docens: *Omnis a Galliis, Rhætiisque, ac Pannoniis, Rheno, & Danubio fluminibus ſeparatur Germania. Orientalis*, & *Occidentalis* Pannoniæ nomina, uti & *primæ*, & *ſecundæ* tardiora exiſtimo, & quidem Honorii, & Arcadii regimine fors primum cognita, quamvis Ptolomæus naturalem Pannoniæ diviſionem memorans, duas fuiſſe dicat Pannonias, inde tamen pro primæ & ſecundæ Pannoniæ nomine nil inferendum: fors ex more Romanorum, provincias in primam & ſecundam dividentium, concludi non ingrue poſſet, eam diviſionem primo mox ſæculo extitiſſe, ab authoribus autem neglectam fuiſſe.

Pannonia quando diviſa.

Orientalis, & Occidentalis.

Prima & 2da Pannonia.

Pannonia Savia ſeu Regio Savienſis. Valeria.

Saviæ Pannoniæ, cum primus Sextus Ruffus ſæculi 4ti author ſub nomine *regionis Savienſis* meminerit, notio ad ea probabilius tempora referenda videtur. *Valeriæ* originem ſæculo 4to, ſeu potius tertii fine, contigiſſe ſupra diximus. Ex his jam omnibus colligimus incaſſum fere omnes laborare, qui inveniendis Styriæ veteris limitibus operam ponunt, cum ii nec de Norico, nec de Pannonia ſatis conſtent; divinare ſi quid in re incerta licet, id aſſumendum, quod jam §. III. ſtatuimus. Diviſionem antiquæ Patriæ noſtræ, Norico Mediterraneo, & Pannoniæ ſuperiori incluſæ, apud probatos authores invenies nullam, cum enim pars Pannoniæ ſuperioris, & Saviæ, ac Norici Mediterranei fuerit, nil unquam diviſionis ſpecialis de ea reperimus, niſi tardiori ævo, quo nimirum, ſuo jam nomine gaudens *Styria*, in *ſuperiorem* montibus horrentem, ac *inferiorem* in campos fertiliſſimos & montes decliviores excurrentem, diſtinctam legimus. *Marchiæ* nomen, an Styriæ ſolum inferiori, vetuſtiori ætate, tributum ſit, expendam Diſſertat. hujus primæ, §. 25.

De Styriæ vet. limitibus & diviſione.

Styria ſuperior & inferior.

Marchiæ nomen.

§. VIII.

Valeria non eſt eadem cum Styria.

Major jam agitanda eſt quæſtio de Patria noſtra, an nimirum eadem fuerit cum Valeria antiqua? non pauci enim exteri etiam ſcriptores, incerta hac antiquæ prærogativæ teſſera, Styriam mactare volunt, eo præcipue titulo, quod Valeria teſte Ruffo Sexto, & Jornande clauderetur Danubio, & Dravo, ſeu inter hos jaceat, quod tamen, ſi ſapio, parti Auſtriæ magis, ac Hungariæ, quam Styriæ noſtræ proprium eſſe videtur. Alii tamen eam Dravo & Savo cingi, ſicque Styriam noſtram defendunt eſſe; quidcunque dicatur, Valeriam non eandem cum Styria noſtra fuiſſe ſequentia perſuadent. *1mo* enim Ammianus Marcellinus author ſæculi quarti de Juliano Cæſare ita loquitur: *Rem igitur emendaturus urgentem, profectus cum inſtrumentis Imperator ambitioſus, ut dictum eſt, Valeriam venit, partem quondam Pannoniæ, ſed in honorem Valeriæ, Diocletiani quondam filiæ* (quæ dein Galerii uxor erat) *& inſtitutam, & ita cognominatam, ſub pellibusque exercitu diffuſo per Iſtri fluminis margines barbaros obſervabat.* Author itaque hic *Valeriam, ad margines Iſtri ſeu Danubii* collocat. Id ipſum Sextus Ruffus in libello ad Valentianum 2. ſcripto teſtatur his verbis: *Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium & Dravum pulſi ſunt.* Eandem Valeriam *ſecundum margines Iſtri* extenſam docet Victor Jornandes Geticus de regn. ſucceſſion. pag. 1083. tom. 11. Biblioth. maximæ SS. PP. Ex quibus proin bene infero, cum, non Styria noſtra, ſed potius pars Auſtriæ & Hungariæ (ut Aventinus lib. 2. annal. Boicor.) vel (ut Bonfinius rer. Hungar. decade 1. lib. 1. f. 15. & Valvaſ. to. 2. lib. 5. annal. Carnioli f. 82.) pars moderna Sclavoniæ, & Hungariæ, ſecundum margines Iſtri ſita ſit, eam potius Valeriam dicendam eſſe. *2do* Valeriam non inter Dravum, & Savum (ut quidam recentiores cum Lazio, Loidio in ſuo dictionario hiſtorico, Megiſero &c. volunt) ſed inter Danubium & Dravum ſitam, proin Styriæ noſtræ non competere hoc fere argumento oſtendo: Sextus Aurel. Victor de origine Valeriæ

riæ ſub Galerio Imp. ſic ſcribit: *Cum etenim agrum ſatis reipublicæ commodantem, cæſis immanibus ſilvis, atque emiſſo in Danubium lacu Pelſone* (Neuſidler-See) *apud Pannonios feciſſet, provinciam, uxoris nomine, Valeriam appellavit*, ex quo textu ſic arguo: Valeria provincia inter Dravum & Savum ſita facta eſt *emiſſo in Danubium Peiſone*, atqui ex provincia inter Dravum & Savum ſita, lacus Peiſo in Danubium emitti non potuit, proin Valeria inter Dravum & Savum ſita non fuit, ſed inter Danubium & Dravum:

Valvaſorius quidem cit. quamvis ipſe fateatur, Valeriam inter Danubium & Dravum ſitam, modernæ Sclavoniæ, & parti Hungariæ convenire, putat tamen, antiquam eam fuiſſe Styriam, Megiſerus in eandem abit ſententiam, adducit in rem ſuam Bonfinium lib. 1. Decade 1. docentem, Valeriam inter Dravum & Savum poſitam; aſt, præterquam quod pluris nobis coævorum authorum teſtimonia eſſe debeant, etiam Bonfinii authoritas fruſtra adducitur, cum ipſe ſibi hac in re conſtare non videatur aſſerens Decade 3. lib. 9. fol. 373. *Valeriam provinciam, Danubium, Dravumque interjacuiſſe*, & eo loco, ubi Valeriam inter Dravum & Savum collocat, mox ſubjungit, *quam nunc Sclavoniam dicimus.* Lazii authoritatem, Valeriæ tractus Rackerſpurgenſem, Petovienſem, & Cilicenſem, ſeu Cilijenſem inſerentis, minus moror, cum pro argumento ſuo adducat textus Marcellini & Ruffi, ſibi, ut oſtendimus, aperte contradicentes: magis miror eundem, quod, dum Valeriam inter Dravum & Savum ſtatuit, in rem ſuam adduxerit hunc Sexti textum: *Quados ſub Auguſto expulſos e locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium & Dravum*, quæ verba certo tractibus ſupradictis aptari non poſſunt.

Sed nec *Pannoniæ interamnenſis* nomine Valeriam, præ Savia intelligendam judico contra Valvaſorium & Lazium lib. 4. de Savia ſic loquentem: *Cui* (Valeriæ nimirum interamnenſi, ut ait Lazius) *adhærebat ſecus fluvium ſuum tertia ſuperioris ſectio, quam author notitiarum præfecturarumque Romanarum peculiari vocabulo ab interfluente nimirum fluvio Saviam vocat.* Nam Valvaſ. aliique recte notant, Pannoniam interamnenſem potius dicendam eſſe eam partem, quæ Savum inter & Dravum ſitum obtinet, cum tamen Valeriam inter Danubium & Dravum reponendam eſſe ex vetuſtis teſtimoniis oſtenderimus: De *Pannonia* vero *Ripuaria ſeu Ripenſi* unus adhuc textus exponendus, quem non nemo pro Valeria Styriæ accommodanda adfert ex notitia Imperii, in qua ſic ſtatuitur: *Mauritaniæ Cæſarienſis, Tripolitani, Pannoniæ ſecundæ, Valeriæ Ripenſis*, ex quibus verbis hoc argumentum formant quidam: cum *Valeria Ripenſis* memoretur, oportet & fuiſſe aliam *Mediterraneam*, ſe uſque ad Dravum & Savum extendentem, cur enim vox illa diſcriminans *Ripenſis?* ſi nulla præter hanc fuiſſet Valeria Mediterranea. Unde, quod de Pelſone lacu a Sexto Victore adſtruitur, accipiendum de limite Valeriæ verſus Germaniam magnam, quam ultra Danubium Barbari inhabitabant, Quadi nimirum Bajohemi Nariſci Marcomani &c. ab altero autem limite ad Meridiem recenſendo abſtinuit Victor, cum parum referret loca decernere, aliunde univerſim pacifice tum Romanis ad Italiam uſque aſſerta.

Pannonia interamnenſis non Valeria, ſed Savia.

Sed

Valeria non fuit duplex, Ripuaria & Mediterranea.

Sed nec hoc argumentum tanti eſſe cenſeo, ut a mea recedam ſententia, cum enim veterum nemo *Valeriæ Ripuariæ*, & *Mediterraneæ* meminerit, notitia illa Imperii, verbulo uno *ſeu* omiſſo mendum irrepſiſſe ſuſpicor, ita, ut legendum ſit *Pannoniæ ſecundæ Valeriæ, ſeu Ripenſis nimirum Pannoniæ*, ratio id ſuſpicandi deſumitur ex Lazio, qui, quamvis Styriam, Valeriam putet, non tamen hunc textum ſibi optime profuturum citavit, quod ſane non intermiſiſſet, ſed lib. 4. de Pannoniis f. 117. ſolum ait: *Cæterum Riparienſis interammenſisque* (Pannoniæ nimirum, de qua loquitur) *voces non ſolum ſcoto in Præfecturarum codice, verum aliis quoque hiſtariarum authoribus celebrantur.* Et ſupra: *Hujus Pannoniæ ſuperioris pars quoque erat Valeria, Ripuarienſis quoque Pannoia, codici Præfecturarum Rom. nuncupata.* En! ait Lazius aperte a codice Præfecturarum non Valeriam Ripuarienſem ſimpliciter, ſed *Valeriam* ſolum, *Pannoniam Ripuarienſem* fuiſſe dictam, ex quo vix evinces binas fuiſſe Valerias: Mediterranea etiam, ſi extitit Valeria, ea a Ripuarienſi diſtincta non fuit, ut ex ſitu patebit Valeriæ v. an. 232. Minus adhuc illud ferendum, quo quidam *Valeriæ* nomen toti Pannoniæ datum fuiſſe contendunt: contrarium aperte in breviario Sexti Ruffi his verbis legimus: *Habet Illyricus decem & ſeptem provincias, Noricorum duas, Pannoniarum 2., Valeriam &c.*

§. IX.

Nomina varia Styriæ.

Styriæ nomen.

Ordo propoſitus exigit, ut de nominibus variis Patriæ noſtræ agatur. *Styriæ* nomen recentius eſt, cum ab antiquo, ad ſæculum uſque decimum vel undecimum poſt Chriſtum natum, non alio, quam Norici ac Pannoniæ nomine Styriam veniſſe inveniamus; *Styriæ* nomen ſeu ab urbe Styra, vel a Flavio cognomine derivatum, ante ſæculi decimi, vel undecimi finem non obtigiſſe Diſſertatione IV. dicetur, ubi in Ottocaro I. oſtendam, vel ab urbe Styra, vel a flumine, & Marchionum Styrenſium, & totius provinciæ nomen prognatum fuiſſe; id, quod non ſola vocis etymologia, ſed inſigne etiam, urbi Styræ, Metropoli Græcio, ac toti provinciæ, & ducatui Styriæ, commune evincit, nivei coloris Pantherem in campo viridi flammas eructantem referens, gentilem nimirum horum Marchionum teſſeram, incertum, qua de cauſa primum ſuſceptam. Sæculo certe decimo in charta Pilgrini Patav. Epiſcopi, jam fit mentio *Marchionis de Styre*, ſeu dein urbem Styram extitiſſe contendas, ſeu id nominis toti provinciæ a flumine Styræ obveniſſe admittas:

Norici varia nomina.

Ac Styriæ vet.

Hæc de recentiori Styriæ appellatione; plura inferius, ubi de Tauriſcis & inſigni Styriæ agetur. Veteres Styriæ denominationes, ſi cupias, ad Norici & Pannoniæ Regna redeundum, ut Patriam in hiſce deliteſcentem regnis inveniamus. Et *Norici* quidem nomen ab urbe *Noreja* deſumendum probabilius jam §. IV. oſtendi. Varium nihilominus & multiplex nomen interventu ſæculorum Norici provincia induit, quot autem? quo tempore? quo modo? id Styriæ noſtræ tanquam parti Norici obvenerit? hic breviter eſt expendendum. Barbaras ad ſeptentrionem gentes, relictis priſtinis ſedibus, novas vel armis

vel

vel precibus quæſiviſſe, & novis, majoribusque indies agminibus ſeſe in terras etiam noſtras effudiſſe, inter Hiſtoricos conſtat: barbari hi varia de ſe nomina terris quoque iſtis, quibus inſederunt, tribuebant, ac nominatim parti illi Patriæ quondam noſtræ, ad, vel infra Anaſum fluvium ſitæ. Styra enim urbs, nunc Auſtriæ, quondam Styriæ ad fluvium cognominem a Styriæ Dynaſtis extructa, Dynaſtarum horum, & Principatus Styriæ incunabula æquo jure dici poſſe opinor. Hæc vero ad Anaſum, Styriæ veteris pars, ab Hunnis, ſeu Avaribus incolis, *Hunnia & Avaria* quondam dicta fuit; cum enim id veterum documenta de parte modernæ Auſtriæ, ad Fl. Anaſum ſita, planiſſimum faciant, me quoque de vicina ad Fl. Styram ſe in Anaſum demergentem parte, olim Styriæ noſtræ aſſerta, dubitare non ſinunt. Longe antea nimirum, quam Oſtrogothi ſæculo quinto circa an. 451. Marciani Cæſaris beneficio Pannoniam incolendam ſuſciperent, Hunnos & Avares, eam ſibi bellica fortitudine vendicaſſe, anno circiter 375. vel ſequenti (quo Valens Romano Imperio præfuit) Hunnosque has terras ſubiiſſe, ex Jornande, & Marcellino Comite haud operoſe conficitur, quod quidem alii ad an. 401. vel 425. rejiciunt, uti his annis & 380. dicetur.

Ejus pars ad Anaſum olim Hunnia, ſeu Avaria dicta.

Ampliſſima Pannoniæ regione, non contenti Hunni & Avares, etiam ultra Cetium, ſe deinceps latiſſime in Noricum diffuderunt, ut ſic Patriæ noſtræ tam Pannonia ſuperiori, quam Mediterraneo Norico concluſæ, utraque ſui parte damno eſſent. Inſidebant nempe Hunni, Avares omnem illam regionem, quæ infra Anaſum, ad Pannoniam uſque ſuperiorem, expandebatur, quæque tum pars Norici Mediterranei, & Styriæ noſtræ veteris, ammodo Auſtriæ inferioris nomine audit, atque exin non Auſtriæ ſolum inferiori, ſed etiam Styriæ noſtræ veteris parti, Hunniæ & Avariæ nomen ceſſit! argumenta hanc in rem ſuppedito ſequentia 1. ex brevibus Francorum annalibus ab an. DCCVIII. ad DCCC. productis apud Virum Cl. Andream Cheſnium tom. 2. ſcript. Hiſt. Franc. pag. 10. extantibus, ubi bellum Caroli M. cum Hunnis an. 791. ita refertur: *Hoc anno Dominus Rex Carolus magno exercitu perrexit in Hunnia, ibique habuit magnum conflictum cum Hunnis, & vaſtavit plaga magna uſque ad fluvium Rafa*, aliis *Rabam*, ſeu *Arabonem*. Idem habet fragmentum quoddam ejusdem Regis Caroli circa annum 855. ſcriptum apud cit. Cheſnium pag. 220. Meminit, & Aventinus annal. Boicor. lib. 4. cujusdam antiquiſſimi MS. in Monaſterio Mönichſmünſterenſi olim aſſervati, in quo eadem, quæ modo relata ſunt, haberentur. Ex his proin patet, magnam Styriæ noſtræ partem ab Anaſo uſque ad Arabonem fluvium *Hunniam, & Avariam* quondam dictam fuiſſe, cum *Arabo* hodie adhuc Patriam noſtram intercurrat, & ad annum 791. oſtendetur, bellum hoc Caroli M. in Auſtria & Styriæ parte (quas proin terras *Hunniam* monumentum allatum vocat) fuiſſe geſtum. *Secundum argumentum* deſumitur ex epiſtola Eugenii II. ad annum 824. referenda, quam Papa hic in cauſa Laureac. Archiepiſcopi Urolfi dedit ad Epiſcopos, varios Duces, & exercitus *plebis Hunniæ, quæ & Avaria*. Ubi denuo loca Auſtriæ infer. & Styriæ noſtræ veteris, ſub nomine Hunniæ & Avariæ memorantur. Epiſto-

lam integram refert Hundius Metrop. Salisb. tom. 1. pag. 846. Hanſiz. Metrop. Laureac. fol. 149.

§. X.

Pars Styriæ Oſtrogothia dicta.

Nec ſolum Hunniæ, ſed ætate media *Oſtrogothiæ* nomen, etiam pars Patriæ noſtræ tulit, ita nos docet Bern: Noricus cænobita Cremiſanenſis, in Chronico Auſtriæ ante 400. annos conſcripto apud P. Hieron. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 691. &c. *Dicebantur autem Oſtrogothæ*, ait Bern Noricus, *ſive a plaga mundi, quæ ſita eſt verſus orientem, ſive a nomine ſui Regis, eorumque provincia cæpit a Lauriaco & flumine Anaſi verſus orientem.* Et ad calcem ejusdem columnæ: *Igitur hæc provincia ab incolis Oſtrogothia, id eſt, Oſtergavv vocata, vel orientalis, quia verſus orientem ſita, nunc pulchro idiomate Auſtria appellatur, id eſt, Oeſterreich.* Quæ, quamvis modernæ ſolum Auſtriæ competant, nemo tamen negaverit, partem illam, quæ ad Styram & Anaſum ſita, Patriæ noſtræ adempta, tardiore ævo Auſtriæ eſt adjecta, Oſtrogothiæ nomine veniſſe; Oſtrogothi enim ſæculo V. ab an. circiter 450. ad 457. ſuperiorem Pannoniam conceſſu Martiani Imperatoris tenuere teſte Jornande Getico cap. 50. *Quæ in longa porrecta planitie, habet ab oriente Mæſiam ſuperiorem, a meridie Dalmatiam, ab occaſu Noricum a ſeptentrione Danubium, ornata Patria civitatibus plurimis, prima Sirmis, extrema Vindomina.* Denique cap. 55. *Pannoniæ propriæ Gothorum ſedes* dicuntur ab eodem authore; ex quibus proin rite concluditur, Pannoniam ab Oſtrogothis incultam fuiſſe, qui dein ex Pannonia, cis Cetium, ſeu in utrumque Noricum abierunt, quod ipſum inſinuat Caſſiodori Senatoris lib. 3. variar. epiſt. epiſtola 50. edit. Benedict. Garetianæ, qua habetur Noricos Theodorico Regi Gothorum paruiſſe, nam ea epiſtola decernit dictus Princeps, ut Alemanorum boves itineris longinquitate fracti, Noricorum bobus commutentur. Initium ejus epiſtolæ eſt. *Provincialibus Noricis Theodericus Rex. Grate ſuſcipienda eſt ordinatio, quæ dantem juvat.*

Alia tamen ab incolis nomina, præter *Hunniæ*, *Avariæ*, *Oſtrogothiæ*, *Pannoniæ ſuperioris*, *Saviæ*, ac *Norici* Styriam noſtram traxiſſe non lego; ſæculo quidem jam ſecundo Marcomanni, Vandali, Quadi, Sarmatæ, Pannonias etiam occupavere, mox tamen ab Aurelio Antonino ad Carnuntum victi, & expulſi nomen Pannoniæ nullum de ſe tribuerunt, ut adeo Pannoniæ nomen integrum ac immutatum ad ſæculum uſque IV. perſtiterit, quo Hunniæ, Avariæ &c. nomina invaluerunt. Deletis tandem Pannoniarum, ac Noricorum nominibus, Styriam ſub Bojorum Dominio conſtitutam, Boicæ quoque nomine veniſſe, non incongrue ſuſpicor, donec ſpeciale Styriæ nomen uſurpari cœpit.

§. XI.

Incolæ Styriæ veteris.

Plura jam de Styriæ vetuſtæ incolis magisque controverſa ſunt expendenda; non pauci enim occurrunt incolæ Patriæ noſtræ, Norico adhuc, & Pannoniæ incluſæ, de quibus veteres & recentiores authores inter ſe digladiantur: Primi horum *Norici*, quos Clemens Alexan-

xandrinus Stromat. lib. 1. *Noropes* vocat, æsque elaboraſſe, ferrum purgaſſe, ait: quare Horatius jam *enſis Norici* meminit, cum veteris Norici gloria, æs fuerit, atque ferrum Noricorum generali admodum nomine, quondam Styros vocitatos, ut nullus negaverit, ita eos ſolos eo veniſſe admittet nemo; olim quidem Norici pars fuere Tauriſcorum, tum valde contracti; at abolito Tauriſcorum nomine Noricorum invaluit, & longe celebrius ac amplius fuit, ita ut Regibus quoque ſuis gauderet. Plura in Noreja urbe & Tauriſcis dicentur. *Norici ſeu Noropes.*

Norici quondam ad Anaſum habitarunt, tum nempe, cum nomen id non generale nimis, nec pluribus proprium erat. Pars itaque illa ad Anaſum nunc das Land ob der Enns genannt, quondam Styriæ, nunc Auſtriæ portio vetuſtiſſimis temporibus Bojos incolas habuit. Antiquiſſima nempe Bojorum gens, quæ cum Volcis Tectoſagibus, & Helvetiis, Duce Sigoveſo, ante Chriſtum an. 600. ex eruditiſſimi Velſeri lib. 1. rer. Boicar. f. 5. calculo Rhenum transgreſſa, in ſaltus Hercynios conceſſit, inde quoque *in Pannoniam, ac Noricum*, eumque præcipue terræ tractum, qui ab Æno in ortum & ſeptentrionem vergit, commigravit, teſtante Julio Cæſare lib. 6. de bello Gallico, ubi volcarum Tectoſagum nomine, Bojos complecti voluiſſe viri docti paſſim contendunt, nixi authoritate Taciti in German. cap. 28. quo, quod Cæſar tacito nomine de Bojis prodidit, Tacitus aperte his verbis ſignificavit: *Igitur inter Hercyniam ſilvam, Rhenumque, & Mœnum amnes, Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens tenuere.* Horum poſtremos horridam illam & montibus undique cinctam regionem, quæ a Bojorum populo *Bojobemi* ſeu *Bojemi* nomen ſortita, hodie *Bohemia* dicitur, inſediſſe excitati Taciti capite fit manifeſtum: *Manet adhuc*, inquit ille, *Bojemi nomen, ſignificatque veterem loci memoriam, quamvis mutatis cultoribus;* Marcomannis nempe in Bojorum locum ſuffectis. Pars tamen Bojorum cum Gallis, continuo Romanorum in Italia & Gallia arma, ultra 400. annos exercuit, teſte Velſero cit. *Boji.*

Antequam tamen Boji ex his ſedibus a Marcomannis ejicerentur, illos etiam *in Noricum* trajecto Danubio abiiſſe, indeque ab Helvetiis veteribus ſociis, in Galliam adverſus Romanos evocatos tranſiiſſe teſtatur Julius Cæſar lib. 1. de bell. Gall. *perſuadent* (Helvetii) *Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis finitimis uti eodem uſi Conſilio, oppidis ſuis, vicisque exuſtis, una cum iis proficiſcantur, Bojosque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Noricamque* (alii legunt *Norejam*) *oppugnarant, receptos ad ſe ſocios ſibi adſciſcunt*, quæ verba Cæſaris non de Norico ſolum Ripenſi, ſed etiam Mediterraneo, proin Styriæ noſtræ parte accipienda eſſe ratio ipſa docet, ſitusque Norejæ, ac Tauriſcorum.

At magis Patriæ noſtræ proprii incolæ jam enumerandi ſunt. *Ambidravi, Ambeſontii, Amantini, Scordiſci, Sevaces, Alani, Ambidrani, Amblici*, & *Tauriſci*, quos omnes Ptolomæus in Norico reponit. Hi tamen ante adventum Bojorum has terras incoluerint? an poſtea aliunde advecti? incertum; ita enim Ptolomæus: *Tenent autem occidentaliora regionis a ſeptentrione incipientes, Sevaces, & Alani, qui & Ambeſontii dicuntur, magis autem occidentalia Norici, & Ambidrani, & Amblici:* ex qui- *Incolæ vari; Styriæ: Ambidravi, Ambeſontii, Amantini, Scordiſci, Sevaces, Alani, Ambidrani, Amblici, Tauriſci. Sevaces, Alani, Ambeſontii, Norici, Ambidrani, Amblici.*

bus verbis & inspecta simul Norici veteris charta geographica patebit, populos hos terram illam Norici Mediterranei, Styriæ quondam nostræ, & Austriæ, quosdam etiam, modernam adhuc Styriam nostram incoluisse: *Sevaces* nimirum, & *Alanæ*, vel *Alani* a Danubio inter Trunam & Anasum proxime diffusi erant, *Norici* vero *Ambidrani*, & *Amblici* inter Trunam & ænum habitabant. Author Carniol. antiq. *Savaces* accolas Savi, *Amblicos* accolas Liseræ, seu Lissæ in Carinthia putat. vide §. XV.

Sevaces, Alanæ vel Alani.

Norici, Ambidrani, Amblici.

Savaces, Amblici.

Ambidravi, Ambisontii.

Ambidravi, & *Ambisontii* ad fluvios Dravum & Sontium colentes, ab his nomen accepere, more veterum, se a montibus, fluviis ita vocitantium. *Scordiscos* Tauriscorum vicinos, ait Athenæus, eosque cum Galatis eosdem fuisse opinatur, lib. 4. Deipnosoph. Plinius lib. 3. cap. 25. & Strabo lib. 7. *Scordiscos* natione Gallos, *ad montem Claudium in Pannonia* collocat; duplices autem fuere iisdem testibus, majores nimirum & minores, *Majores* habitabant inter duos fluvios Noarem, & Bargum, qui ambo Danubio illabuntur. *Minores* trans Danubium penes *Triballos & Mæsios* habitabant ad fluv. Savum & Colapium seu Culpam. Nomen Scordiscorum Lazius lib. 5. de migrat. gentium, & lib. 12. de Republ. Rom. corruptum putat, & vocem Teutonicam a nemoribus, quæ incolebant, tanquam diceretur *Horczistæ*, seu die Harz äußerste. Ita quidem Lazius etymologiis multum tribuens, alii tamen & fors melius a *Scordo* monte, cujus Livius lib. 43. meminit, id nominis ortum putant. *Amantinos* inter Dravum & Savum, seu in *Pannania Savia* sitas, collocat Jornandes & Sextus Ruffus.

Scordiscos.

Amantini.

§. XII.

Tauriscos vero ante Bojos, terrarum nostrarum incolas fuisse, credo, omissis Marcellini, Lazii, aliorumque de horum ortu fabulis: *Tauriscos*, eas cumprimis, quamvis non solas, *Norici Mediterranei* partes, ad montes *Tauros* sitas incoluisse, cum Pannonia infra ostendam. Tauriscis, in partibus, Bojos successisse, sub an. 180. ante Christum natum, Velserus conjicit, M. Valerio messala, C. Livio Salinatore Cass. ex Italia profligatos, donec tandem Boji una cum Tauriscis ad internecionem deleti an. ante Christum nat. 8vo famosa *deserta Bojorum* suo sanguine & nomine inaugurarunt, ita Strabo. lib. 5. *Circa Padum Galli habitabant plurimi, quorum maximæ gentes, Boji, & Insubres, & Senones, cum Gæsatis, hos quidem postea deleverunt Romani, Bojos autem suis domiciliis ejecerunt, qui, cum deinde ad Istrum commigrassent, apud Tauriscos habitarunt, bellumque contra Dacos gesserunt, donec tota ipsorum gens, funditus fuit excisa, & agrum desertum, ac pecoribus pascuum vicinis reliquerunt.* Id ad ipsum bis repetit Strabo lib. 7.

Tauriscos

Tauriscis cum Bojis casi.

Cum Bojis vivunt.

Deserta Bojorum.

Hæc quidem Bojorum cum Tauriscis cohabitatio, utrique genti excidium peperit; quamvis enim antehac fideles essent Romanorum socii Boji, deinceps tamen Velsero teste lib. 2. rer. Boicar. f. 52. iis se adjunxere, qui Patriæ libertatis decus, vetustam bellicæ fortitudinis laudem, specioſa rebus novis nomina prætexentes, Romanorum Imperium ibant imminutum; ubi autem Vercingetorigis deditione Gallis

lis manifeſta iterum ſervitutis confeſſio a Romanis eſt expreſſa, Boji ſub Boamundo, & Ingramo provincia ſua ſeu pulſi, ſeu ſponte cedentes, in Rhætiam, inde *ad Tauriſcos in Norico accolas*, & cum Dacis dimicantes, anno circiter 8vo ante ſalutem natam abiere, infelici fato ibidem cum Tauriſcis deleti.

Non tamen integra tum gens Tauriſcorum deleta, ac exciſa eſt, teſte Plinio lib. 3. cap. 20. *Incolæ alpium multi populi, ſed illuſtres a Pola ad Tergeſti regionem, Secuſſes, Subocrini, juxtaque Carnos quondam Tauriſci appellati nunc Norici.* Patrata eſt autem ea Bojorum, & Tauriſcorum clades a Boberiſta, ſeu Beroiſta, Getarum, ſeu Dacorum Rege, atque ab hac clade, loco illi nomen adhæſit *deſerta Bojorum*: regio nimirum dein Bojis vacua, donec ſub ſæculi VIII. finem, Hunnis, & Sclavis a Carolo M. expulſis, huc denuo commigrarunt Boji, & Styriæ Metropolim ea in vicinia vel ædificaverunt, vel reſtaurarunt, ut inferius pl. dicemus. *Græcii urbis origo.*

Hæc nimirum de Tauriſcis utcunque inter Authores conveniunt, plura tamen obſcura de eorum nomine, finibus &c.

§. XIII.

Et primo quidem quæſtio non inanis oritur, an Tauriſci a Celtis ortum traxerint? Cluverius id quidem opinatur, nec ſine ratione adducit enim Strabonis locum, quo gentibus gallicis inter Thraces poſitis, præter Bojos, & Scordiſcos annumerat etiam Tauriſcos, & ſane non ſine cauſa Boji, gens gallica, per Romanos ſedibus ſuis expulſi, ad Tauriſcos abierint, niſi his vel origine, vel lingua ac moribus noti fuiſſent. Præterea Celtæ more Phænicum, montes ſuos quoque Tauros dixiſſe, creduntur, eorumque incolas Tauriſcas: Phœnices certe primos nomen Taurorum, & Tauriſcorum inveniſſe, & adhibuiſſe legimus, a quibus dein Celtæ, ab his Romani, Galli, ac Germani nomen hoc deſumpſere, & majores montes ſuos, Tauros, eorumque incolas Tauriſcos dixere. Strabo ipſe, nomen Tauriſcorum non ex Latinis, ſed Græcis deprompſit authoribus, ſed de his mox plura. *Tauriſci an a Celtis orti.*

An Tauriſcis ſucceſſerint Norici? inſinuare videtur Plinius §. pr. citatus: *Juxta Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici*, quod Plinii teſtimonium iis in locis valere opinor tantum, ubi dein Noricorum nomen invaluit, non autem in aliis Thraciæ, cæterarumque provinciarum partibus, in quibus Noricorum nomen nunquam obtinuit. Tauriſci enim in cit. Plinii textu, ut ſpecies ad genus ſumuntur, quod clare inſinuat Strabo lib. 4. dicens: *Noricorum ſunt etiam Tauriſci*; ut enim jam ſupra inſinuavi, Tauriſcorum nomen generale eſt, omnibusque montium majorum incolis commune. *Tauriſcis an? & ubi Norici ſucceſſerint?*

Quoniam autem hic tantum ſermo nobis eſt de Tauriſcis, qui Styriam quondam noſtram tenuere, & vicinas partes, non modicum me præſtiturum arbitrarer, ſi veteres horum terminos ex æquo recenſere poſſem, de quo tamen præſtando utcunque hæreo: Tauriſcorum enim nomen, tantæ antiquitatis, & ſimul in Patria noſtra tam brevis moræ videtur fuiſſe, ut nullus veterum geographorum de eorum limitibus *Tauriſcorum in Styria vet. limites.*

quidquam memoret; præterea nomen id tam generale fuit, ut terminos describere ejus, forsitan omnes formidaverint. Taurisços certe nostros Noricorum finibus inclusos docet Strabo hisce verbis: *Noricorum sunt etiam Taurisci.* Schönlebenig Taurisços hos solum arbitratur, qui meridiem versus, infra Japides, ad montem Carvancas, habitarunt, quæ portio hodiernæ Carnioliæ superiori parti Carinthiæ, Styriæ, ac ditioni Salisburgensi ad montes sitæ conveniret, sibi tamen in his contradicit Schönlebenig dum mox partem solum Styriæ, Taurisçorum fuisse, contendit, mox integram eisdem tribuit, viribus omnibus eo laborans, ut Styriæ & Taurisçorum nomen ac insigne ab animali Tauro deducat: Strabo lib. 7. Carnioliæ partem, Taurisçorum fuisse docet, *Nauportum*, quod plerique Labacum superius credunt, *Taurisçorum coloniam* appellans, nullibi tamen ait, modicam solum Styriæ partem fuisse Taurisçorum. Ex his itaque dubii manent, & terminari vix poterunt veteres Taurisçorum in Patria nostra limites, quoniam ii populi, extra nostram Patriam se extenderunt, etiam in Carnioliam, Carinthiam &c. immo Strabone teste ad Aquilejam usque, de quibus Plinius lib. 3. cap. 25. ita loquitur: *Mons Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci*, quem montem Latius *Rochitschensem* in Styria opinatur. *De Taurisçis* Strabo lib. 4. memorabile quid refert: *Auctor est Polybius* (inquit) *sua ætate circa Aquilejam maxime in Taurisçis, qui Norici dicuntur, solum auriferax inventum fuisse*; quibus Xilander, Strabonis e Græco in Latinum transpositor sequentia subjungit: *Ita ferax, ut exhausta duum pedum altitudine terra statim occurreret aurum fossile; fossam autem XV. pedes non excessisse, aurum partim statim purum, extitisse Fabæ aut Lupini quantitate, octava tantum parte decocta, aliud majori quidem diffusione indiguisse, sed ea admodum utili: cum autem Itali, barbaros per duos menses adjuvissent, statim auri pretium fuisse per totam Italiam Triente dimminutum, quod cum sentirent Taurisci, ejectis operarum sociis eos solos aurum coemisse.* Hac ex narratione varia colligimus: *1mo:* Strabonis ætate, præter Taurisços in Noricis habitantes, fuisse etiam Taurisços aliis in locis, frustra enim addidisset verba illa: *Taurisçis præcipue in Noricis*, seu *in Taurisçis, qui Norici dicuntur.* *2do:* Ejusdem ætate Taurisços adhuc perstitisse, & quidem suo sub nomine, quamvis enim dicat: *qui Norici dicuntur*, ea tamen vox adjecta videtur ad distinctionem ab aliis Taurisçis, extra Noricum constitutis. Vixit autem Polybius Scipionis senioris Præceptor, & Comes individuus, cum Panatio Philosopho, ante Plinium, & obiit an. urbis conditæ 631. & ante Christum natum anno 122.

Mons Claudius seu Rochitsch.

Auriferax ad Aquilejam.

Taurisci plur. Quo tempore Taurisci, gens gallica, *Pannoniam* subierint, apud veteres exaratum non invenimus. Plinius lib. 3. cap. 120. habet quidem, *Rhætos Tuscorum prolem, arbitrantur a Gallis pulsos duce Rhæto;* ex quibus conjicit Ruverius, Gallos, dum prima vice per alpes in Italiam penetrassent, Tuscos sedibus suis depulisse, qui Tusci patriæ suæ extorres, Duce Rhæto, ex alpibus etiam Taurisços ejecerunt, qui proin eo tempore *Pannoniam* subiisse, eamque præsertim circa Tauros montes inhabitasse creduntur, id, quod non solum Pannoniæ, sed Norici etiam altioribus montibus obtigisse opinor.

§. XIV.

§. XIV.

Quid jam de Tauriſcorum nomine ſentiendum? quod alii a Tauro animali, plures a Tauris montibus exortum putant. Nomen Tauriſcorum a Tauro animali deſumptum M. Velſerus lib. 2. rer. Boic. docet his verbis: *Tauriſcorum, quod inter pauca admirandum, nomen interiit, nominis interpretatio in alia lingua manſit, Styri ſunt, utut mutatis aliquantum finibus, quod plerisque omnibus populis accidit.* Megiſerus lib. 1. annal. Carinth. cap. 7. dubius hæret tradens, *montes quosdam Tauros, ab antiquis Tauriſcis ſeu Styris, nomen ſuum retinuiſſe*, licet vero fateatur, montes Tauros nomen ſuum a Tauriſcis obtinuiſſe, non tamen docet, unde Tauriſci nomen ſuum deſumpſerint, errat etiam in eo, quod Tauriſcos omnes cum Styris confundat, quamquam enim Styri quondam Tauriſci fuerint, non tamen viciſſim omnes Tauriſci Styri. Author ſpeculi Hon. Auſtr. lib. 2. cap. 3. nomen Tauriſcorum & Styrorum a Tauro deducit, adductus eo, quod in inſigni veteri Styrorum Taurum fuiſſe, tardiusque in Pantherem mutatum credat: In eandem ſententiam abit Schönlebenig apparatu Carniol. antiq. plures alios recentiores authores prætereo, qui monetæ a Lazio productæ, ſeu numiſmati veteri multum tribuunt, quod Tauriſcum cum apro pugnantem, ac poſt eum a tergo infixum cruci ligneæ tauri vel bovis caput exhibet, v. Lazium lib. 5. de migrat. gent. fol. 147. *Tauriſcorum nomen unde.*

Alii tamen, meliorisque notæ critici cum Cluverio, Tauriſcorum nomen a Tauris montibus deducunt, cum enim §. priore Tauriſcos a Celtis ortos, dixerimus, & apud Celtas montes Tauros appellatos, veriſimilior utcunque hæc apparet opinio: ubi enim Tauriſci, primis ſuis ſedibus expulſi terras noſtros ſubiere, easque montanas, montibus nomen hoc, ſua in Patria uſitatum tribuere, ſeque ex iis, ut olim ſua in Patria, Tauriſcos dixere, inde adhuc hodie perſeverant Krumler Taurn, Windiſch Taurn, Karn Taurn, Felber Taurn, Rauriſer Taurn, Kaſteiner Taurn, Rahſteter Taurn &c. conſentit opinioni huic Zeilerus in itinerario german. p. 1. pag. 18. Ratio autem noſtræ hujus ſententiæ ſequens eſt, ut jam oſtendimus, Tauriſci primi a Celtis ſunt oriundi, in Celtarum vero Syrorum, Chaldæorum, & Phenicum lingua *Tur*, ſeu Taur idem eſt ac mons, eorumque lingua montes omnes Tauri vocantur; quapropter veroſimile evadit, Tauriſcos a Celtis prognatos, ſuis e locis in Patriam noſtram depulſos, nomen id etiam montibus noſtris indidiſſe, ſeſeque ex illis tanquam incolas, Tauriſcos appellaſſe. Hodie adhuc certe celeberrimus orbis totius mons in Aſia ſitus, inde per antonomaſiam quaſi, Taurus appellatur, & non Styri ſoli, Carinthi, ac Salisburgenſes, ſed aliarum etiam provinciarum incolæ, montes ſuos magnitudine reliquos excedentes, Tauros appellare ſolent, nemo certe contendet montem Taurum Aſiæ, uti & illum Arabiæ petroſæ, item Sarmatiæ Europeæ, Tauriſcæ Cherſoneſi &c. a Tauro animali nominatum fuiſſe. Evaneſcit ex his conjectura illa de Tauro in inſigni Styriæ depicto; etenim licet caput ubi expreſſum, Tauro ſimile videatur, vel etiam, ut plura admittam, *In inſigni Styriæ non Tauro, ſed Panthera.*

Tauri

Tauri caput esse dicatur, nil tamen contra Styros evictum iri putaverim, tum, quod insigne recentius sit Taurisicis veteribus, cum, quod alia etiam insignia bovem, vel caput bovis exprimant, quin inde Styrorum, seu boum, aut Taurorum nomen sibi adsciscant. Ducatus quidam refert in insigni suo bubali caput, quin eos incolas Bubalos vocitandos quispiam adhuc contenderit. Sed de insigni Styriæ plura Dissertat. IV.

Tauruni qui

Ex his quoque inferri posset, Livium *per Taurunos* populos significasse Taurisicos; dum enim ille Gallorum per alpes transitum memorat, *saltus Taurini* nomine, alpes illas indigitat, quæ fors, eædem cum saltu Taurisicorum, seu montibus horum non inaniter dicerentur; novimus enim, quantas mutationes verba veterum subierint, sic Eratothenes *Taurisicos* vocat *Terisicos*, alii *Teurisicos*. Polybius lib. 3. Historiar. refert, ab Hannibale præter alios ad Padum Gallos etiam *Taurinos* tentatos ad concordiam & fœdus, cumque repugnarent, fortissimam eorum urbem, Triduana obsidione expugnatam. Hinc Ptolomæus lib. 2. cap. 16. urbem *Taurunum*, hodie *Belgradum*, seu *Albam Græcam* a Taurinis seu Taurisicis dictam opinatur.

Terisci, Teurisci, Taurini.

Taurunum hod. Belgrad.

Taurisicorum descriptionem suppeditat Polybius lib. 2. hist. *Horum vero tanta copia, ea proceritas, ac pulchritudo corporum, tantum in rebus bellicis robur, ut facilius sit, ex earum rebus gestis, quam ex cujusquam oratione inde colligere: in alpibus ex utroque latere, loca montosa habitant, ad eam partem, quæ versus Rhodanum & septentrionem spectant, Galli, qui transalpini appellantur, ad eam vero, qui campis imminent Taurisci, Adones, & alia pleraque barbarorum genera, a quibus Transalpini non genere, sed differentia loci differunt, ideo transalpini dicti, quod trans montes colant;* hæc Taurisicos, antequam terras nostras subierint, spectant. Habitum eorum exhibet marmoreum quoddam monumentum Celejæ, ad dextram portæ Labacensis existens, altitudinis 2. pedum, latitudinis unius & medii, caput nimirum pellibus, & cornibus bovinis in prælio armatum erat, corpus obvolvebant clamyde ferrea, & clypeum manu proferebant, cui Tauri caput insertum. Quæ monumenta, si etiam genuina asserantur, nil pro Tauro animali, ac desumpta inde Taurisicorum origine probant; novimus enim & alias gentes, galeis suis, clypeisque varia inseruisse animalia, quin ex his earum origo deducatur.

Taurisicor. descriptio.

Habitus eorum ex monum. Celejæ.

§. XV.

Diutius hisce immorandum duxi, ut veteris Patriæ nostræ status, aliqua saltem ratione spectabilis nobis exhiberetur. Quinam vero alii adhuc Styriæ populi ab Anaso usque Trunam fluvium, atque inde usque ad Cetium, seu Pannoniam superiorem incoluerint, præter jam recensitos, penitus incertum; si deserta Bojorum, cum Strabone, & Velsero ad has terras removerem, jam anno ante Christum natum 180. Boji ex Cispadanis partibus adventantes, hic substitissent, quia autem inferius deserta Bojorum in Pannonia, & Norico collocaturus sum, hinc omnino Boji his in terris etiam constituendi videntur.

Deserta Bojorum.

Hæc

Hæc interim de incolis veteris noſtræ Patriæ dicta ſunto, plura in fine hujus Diſſert. adhuc adducentur, ubi brevem Chronologiam Styriæ veteris, ſeu Pannoniæ & Norici adjungam, ex qua videre licebit, quinam populi, gentesque, bellorum fato, Patriæ noſtræ immiſſæ fuerint, quin eidem de ſe nomen Communicaverint.

De Ptolomæi authoritate dubium.

Unum hic adhuc mirari ſubit, quomodo Ptolomæus, cujus ſæpius mentio facta, homo in Ægypto ſcribens, hos populos ſibi notos habuerit, quos tamen antiquiores noſtri Scriptores domeſtici ignoravere fere omnes, exceptis Noricis ac Tauriſcis; præterea in quinta ejusdem Ptolomæi Europæ tabula, *Alanæ* & *Ambeſontii* non loco ſupra dicto, ſed ad Ænum magis occidentaliorem, *Norici* vero & *Ambliti* ad Danubium, & Anaſum ſeptentrioni objectum ponuntur. Unde novum nec imprudens de hiſce rebus dubitandi ſuppetit argumentum. Sed nempe in vetuſtis Patriæ noſtræ rebus præter dubia vix quidquam occurrit.

§. XVI.

Urbes Styriæ veter.

Ab inquilinis ad urbes Styriæ veteris deſcribendas, non ſine magna denuo difficultate devolvor: nam novus nodus Gordius eſt reſolvendus, quænam nempe fuerit Styriæ noſtræ veteris Metropolis, ſeu urbs præcipua? Etenim, ſi Styram Metropolim dicamus, ante eam ſæculo X. conditam quam affirmabimus? præterea quis ſibi perſuadebit, Metropolim provinciæ in angulo ejusdem conſtitutam? quanquam vero probabile videatur, Styram ſub vel ab ipſo Ottocaro I. ædificatam, ei ſedem ac regiam præbuiſſe, redibit tamen difficultas, quænam urbs ante Styram honore Metropolitico civili gaviſa fuerit. Petovium antiquiſſimam Styriæ urbem, ut nemo negavit, ita Metropolim, nemo, quod novi, aſſeruit. Judenburgum vetuſtiſſimam urbem traditio domeſtica ſtatuit, v. §. XXV. qua ſe privilegium Ethnici Imperatoris habere gloriatur, quod, quia videre nondum licuit, nec diſerte affirmare poſſem, an Metropolis dicenda foret, nec ne. Voitſpergam non fuiſſe §. XXV. dabit.

Metropolis quæ

Creſcit nimirum difficultas, Metropolis in Patria noſtra aſſignandæ vel ex eo, quod quamdiu Patria noſtra proprio Styriæ nomine caruit, binis Norici ac Pannoniæ provinciis contenta, propriam ſibi extra harum provinciarum Metropolim habuiſſe vix videatur; quamprimum vero Styriæ nomen, vel a Fl. vel ab urbe Styra uſuvenit, Styræ urbem quoque præcipuam fuiſſe arbitror, ac Metropolim, ut ex Diſſert. IV. patebit. Quid, quod nec de veteris Norici ac Pannoniæ Metropoli inter authores conſtet, quorum quidam Norici caput Norejam, Celejam alii, vel Tiburniam putant, & in Pannonia, alii Sabariam, Sirmiam, quidam Vindobonam.

Relicta in medio, aliisque diſcutienda delata hac difficultate, urbes Patriæ noſtræ veteris inveſtigare oportet potius, ſicque denuo in Noricum Mediterr. & Pannoniam ſuperiorem declinare. Inter urbes Norici, ex iis, quas refert Plinius, hæ recenſentur: *Virunum*, *Celeja*, *Teurnia*, *Aguntum*, *Viana*, *Æmonia*, *Claudia*, & *Flavium Solvenſe*, ita Pli-

Urbes veter. Styr. in Norico.

nius sub Vespasiano vivens, qui tamen *Laurecaum* inter eas referre omisit, nec Ptolomæo tempore M. Aurelii Antonini viventi cognitum; non miror Plinium, qui in descriptione Pannoniæ, etiam *Carnunti* oblitus est, licet eam urbem dein lib. 4. cap. 12. per occasionem solum referat. v. Diss. 2. §. 1.

§. XVII.

Celeja Metrop. olim Norici Medit.

Celeja, urbium Norici veteris celeberrima, a Claudio Ptolomæo, & Plinio, in Norico reponitur, ego Norici Mediterranei caput, & Metropolim fuisse judico contra Eugipium in vita S. Severini, suadet id non solum sensus plurimorum Authorum, sed etiam lapis intra Celejæ pomœria existens, quem cum sua epigraphe Gruterus pag. 283. num. 5. sic refert:

D. N. FL. CONSTANTINO.
CLEMENTISSIMO. ATQ. VICT. AVG.
MARTINIANVS. V. P. PRAESES.
PROVINC. NORICI. MEDITERR.
D. N. M. Q. EIVS.

Patet ex hoc lapide Martinianum (ut an. 314. videbimus) provinciæ Norici Mediterranei Præsidem, Celejæ resedisse, tanquam hujus provinciæ Capite: præterea ævo S. Maximiliani, sub Caro, & Numeriano Præses Norici Evilasius Celejæ morabatur, hinc honore Metropolitico sæculari Celejam præ Tiburnia gavisam primis saltem sæculis opinor. Sita est Celeja ad Pannoniæ fines, qua Saana flumen, ad Savum appropinquat. Claudius, qui quintus Romanum rexit imperium, nomen de suo addidit, *Claudiamque Celejam* dixit, vel, quodcondiderit, vel quod verius, ornaverit. Paulus Diaconus eam *Patriam Sclavorum* appellat. Velserus eam contra Plinii & Ptolomæi fidem, Pannoniæ inseruit, pleraque tamen marmora eam *municipium*, & marmor quoddam, si Panvinio fides, *Coloniam* appellat, inscriptiones vetustas adfert Velserus in monumentis agrorum peregrinis fol. 479. & lib. 6. rer. Augustanarum fol. 307. quas subjungo.

T. VARIO. T. FIL.
CLEMENTI. CL. CEL. id est *Claudiæ Celejæ.*
PROC. AVG. PROVINCIAE
RAETIAE. MAVRITANIAE.
CAESARIENSIS. LVSITANIAE.
CILICIAE.
PRAEF. AVXILIARIOR. TEMPORE.
EXPEDITIONIS. IN. TINGITAN. MISSORVM.
PRAEF. AL. BRITANNICAE. MLIAR. hoc est alæ miliariæ.
PRAEF. AL. II. PANNONIORVM.
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRAEF. COH. II. Hoc est Tribunitiæ legionis 30. Ulpiæ,

GA-

GALLORVM. MACEDON.
VALERIVS. VRBANVS.
LICINIVS. SECVNDINVS.
DECVRIONES.
ALAR. PROVINC.
MAVRETAN. CAESARIENSIS.

De T. Vario Clemente, quem inter Prætores Styriæ Chronologia noſtra dabit, in ipſo opere occurret mentio, id interim conjicitur, T. Varium Clementem, vel Præſidem Norici Mediterranei fuiſſe, vel ſaltem Celejæ natum. v. an. Chriſti 253.

Aliam ejusmodi inſcriptionem veterem Celejæ adſert Velſerus cit. fol. 433. quam aliter tamen ex Bernardo Norico in append. ad Chron. Laureac. & Patav. Pontificum enarrat P. Hier. Pez tom. 1. Scriptor. Auſtriac. col. 1297. noſtrum erit, utramque & variantem hic ſubnectere:

Ex Velſero. SECCIVS. SECVNDINVS. VET.
LEG. III. ITAL. PETEIVLA. SEVERIO.
CONI. EIVS. SIBI. ET. SECCIAE.
SECVNDINAE. FIL. ET. MARIIS.
MAXIMO. ET. SECVNDO. NEPOTIBVS.
SVIS VIVI. FECREVNT. ET.
IVL. APRICIO. FIL.
MIL. LEG. SS. BF. PRAEF.
Hoc eſt Miliariæ legionis ſupraſcriptæ Beneficiarius Præfecti.
STIPENDII. VI. Q. ANN. XXV.

Ex Pezio cit. SEDICIVS. SECVNDINVS. VET. LEG.
T. ALP. F. EIVLA. SEVERIA. CON.
EIVS. SIBI. ET. SECCIO. SECVNDINO.
FIL. ET. MARIIS. MAXIMO. ET.
SECVNDO. NEPOTIBVS. SVIS. VIVI.
FECERVNT. ANNO. XXV.

Narrat Bern. Noricus: *Circa ann. 1300. tempore Rudolphi Regis, & Domini Bernardi Ep. Patav. cum cives ejus Eccleſiam reformarent propter vetuſtatem ruinoſam, inventæ ſunt quædam imagines cum litteris ſculptis in lapidibus parte Eccleſiæ orientis, quæ videntur Fundatores, vel cauſam fundationis cum tempore intimare, licet non ipſarum intellectus litterarum legentibus pateat manifeſte.* Dein ſubjungit eam ſubſcriptionem ſimul addens: *ſicut ibi vidi.*

Inſcriptiones hæ diverſæ ſunt, & diverſis etiam locis exſtare dicuntur; utra harum præferenda ſit? ſi quæras, vix a prima amoveri me ſinerem, cum Velſero teſte in eadem prima alii legant. *LEG. II. ITAL.* eamque Celejæ extitiſſe dicant fere plures, quia tamen etiam Bern. Noricus eam ſe vidiſſe aſſeverat, ſecunda hæc diſtincta a priori, & junior eſſe videtur, in qua quoque plura omiſſa.

Neutra tamen harum inſcriptionum Velſeri evincit ſententiam, Celejam nimirum in Pannonia fuiſſe ſitam; quod quidem non omnimode *Celeja an urbs Pannoniæ.*

negaverim, si pro diversa temporum ratione Celeja modo Norico, Pannoniæ modo attribuatur; sæculo certe nono cira an. 840. si Priwinæ concessa est, jam inter Pannoniæ urbes numerata fuerit, ut pluribus ostendit Author Germ. sacræ tom. 2. fol. 129. Interim plura quondam Celejæ habita monumenta, an. 1728. Viennam Austriæ sunt abducta, ubi in Scala Biblioth. Cæsareæ hodie adhuc visuntur; lapides quosdam sepulchrales mihi communicavit Perillustris, ac jam laudatus Dom. Jacobus Ernestus S. R. I. Eques de Cerroni, quos omittere nefas ducerem.

Primus horum lapidum videtur in domo Illustrissimorum DD. Baronum de Mascon Celejæ, repræsentat is virum pedem 1. ac 11. cum medio digitos altum, & tot fere, si medium demas, digitos latum: ense instructum; inscriptio 1. & ¼. pedes alta, lata vero digitos 11. ita sonat:

D. M.
AVR. IVSTINO. MILITI.
LEG. II. ITAL. IN. EXPE.
DACC. ISCA. M. XXIII.
AVR. VER. IN. VSV. ET. T.
MESS. QVARTINA. PA
RENTES. FECERVNT.

Præter hunc alius ibidem exstat lapis similis, albo marmore excisus, 1. & ¾. pedes altus, totidemque latus.

Similem de albo marmore lapidem, tribus excisis, & ad pectus usque deductis figuris, 5. & ½. pedes altum, ac 3. latum, supra portam aulicam Celejæ, alium ante portam Labacensem similiter albo marmore constantem, tertiumque nigri marmoris opus exstare doceor intra portam civitatis; refert id draconem 2. ped, & 1. digitum altum, 2. pedes, ac 2. digitos latum cum hac inscriptione:

D. M.
SECVNDINVS.
SECVNDA. TE. ALIA.
VRSVLA. V. F. S.
TE. SECVNDO. FIL. AN. VII.

Ad portam Græcensem Celejæ visitur aliud quoque nigri marmoris monumentum hujus tenoris:

D. M.
D. CASTRICIO.
VERO.
ANTONIO. AVITO.
DEC. CL. CEL. AN. XXVI.
IVLIA. Q. FIL. VERA.
MATER. V. F. ET. SIBI.

Plura exstare similia monumenta Celejæ audio, quæ si benevole mihi communicata fuerint, inferere operi meo non negligam:

MS. Chronicon Styriæ in Biblioth. nostra exstans, cujus jam in Præfatione meminimus, plures refert Romanos veteres Celejæ sepultos, quos ejusdem Chronici fide hic subjungo, nimirum Celejæ in aula

regia

regia ſepultum docet *Varum Luciferum & Reſpectum Luciferum*, & in cæmeterio Parochialis Eccleſiæ *Pompejum Agilem*, & *Vitalem Agilem*, ſupra portam civitatis *Lucium Liberalem*. Item *Meſcillum Maſcillinum* Sacrificulum Martis.

§. XVIII.

Celejæ magnitudo.

Plura ſunt, quæ ejusdem Chron. MS. Styr. pars 3tia, ſeu Chron. Cilejenſe refert de Celeja: ait nempe Celejam, nunc Ducalis Comitatus Cilejenſis Metropolim, olim Romanorum fuiſſe Prætorium, unamque ex 22. celeberrimis ac potentiſſimis civitatibus, quæ author dicti MS. deſumpſit ex vita S. Maximiliani Archiep. Laureac. apud P. Hieron. Pez tom. 1. col. 23. quæ ſic habet num. 2. *Celeja vero una de numero civitatum præmiſſarum* (quas nimirum author vitæ erronee ſub Laureacenſi Epiſcopatu fuiſſe, ac per hunc vel ejusdem Suffraganeos gubernatas exiſtimat) *quondam opinatiſſima, divitiis referta, habitatore ſtipata, armis potens, generoſitate nobilium & illuſtrium Civium inclyta, turrium, atque marmoreorum palatiorum ædificiis inſignis, in rebus bellicis, ex frequenti exercitio inſtructiſſima, atque ita celebris & famoſa extitit, ut quaſi altera Troja merito dici poſſet. Quæ, quia nulla poteſtas eſſe moroſa poteſt, ex permiſſione Divina poſtmodum a Barbaris* (MS. citatum corrupte habet Darvario) *funditus everſa, in ingenti quantitate marmorum, aliorumque pretioſorum lapidum, qui ex dirutis palatiis uſque in hodiernum diem a quærentibus reperiuntur, ſuæ opulentiæ præteritæ adhuc indicia demonſtrat.* Ex his, quamvis quidem Celejam antiquiſſimam, & celeberrimam urbem fuiſſe non dubitem, ea tamen encomia vereor attribuere, quæ hac in deſcriptione continentur; author enim vitæ hujus poſt medium ſæc. 13. ſcribens plura alia refert de amplitudine, & opulentia, Diæceſis quondam Laureac. quæ tamen idoneis veterum teſtimoniis deſtituuntur, nævos præterea, & errata non modica variis in locis adfert.

Origo Celejæ.

MS. Chron. Celej. cit. originem urbis hujus, in nemine quidem veterum inventam, Cillæ Romano tribuit, qui cum Pompejo bella geſſiſſe legitur, unde factum etiam opinatur, quod Scipio, & Hannibal (ut ex Appiano Alexandro Sophiſta Rom. ſe legiſſe ait) hujus civitatis ſæpius meminerit, atque ad eam urbem prælium factum, eoque tempore in loco Sarenfeldt dicto, penes Celejam, *Caſtrum Saxonum* exſtitiſſe conjicit. Aſt violentior hæc mihi, & more veterum, fabuloſa & magna ſuis rebus initia fingentium, extorta origo videtur, nemo enim unquam de Cilla Romano, bene vero de Sylla vel Sulla Romano quidquam legit, quis autem ex Sylla vel Sulla Cilejam eruet? unde omiſſa hac Celejæ origine, cum Cl. P. Frælich (cujus utinam Chronicon Celejenſe proſtaret) præſcindendum arbitror, ſatque dixerim, pervetuſtam eam olim, ſplendidamque Norici civitatem municipii jure gaviſam fuiſſe.

Saxenfeldt.

S. Maximilian. Celejæ natus & paſſus.

Eadem ſentio de Celeja adductis (ut vult cit. MS. Celej.) ab Ænea poſt dirutam Carthaginem populis. Urbem vero hanc non tam collata a Romanis dignitas, quam S. Maximilianus Laureac. Epiſcopus, qua natalibus, qua glorioſa martyrii laurea decoravit, cujus corpus

Celejæ in loco, ubi paſſus, extra urbem ſepultum, inædificata tumulo Eccleſia, tempore dein S. Ruperti Salisburg. Epiſc. Laureacum, inde ab Henrico II. Bavar. Duce, Paſſavium (ubi adhuc hodie in Eccleſia Cathedrali requieſcit) eſt translatum, de qua re ſuo loco pluribus nominatim Differt. II. ubi varias deſuper opiniones adferam.

Celeja olim Epiſcopalis, Nunc Archidiac.

Ex inquilinorum traditione habetur, ubi reciſum S. Caput fuerat, fontem aquæ, morbis adhuc hodie ſalubrem proſiliiſſe. Urbs Epiſcopalis erat primis ſæculis, nunc Archidionalis, & a noviſſimis temporibus Goritienſi Archiepiſcopo ſubjecta, cum alias Aquilejenſi Patriarchæ paruiſſet.

A Brivina an. 840. inſtaurata.

Everſam urbem circa an. 840. Bruno quidam aliis Privina dictus, e Moravia expulſus, inſtauravit, dum a Ludovico Rege clientelare beneficium, agri non modici ad Savum, & Saanam amnes extenſi, obtinuiſſet, quod territorium, Comitatus titulo donatum fuit,

Fit Comitatus an. 1341.

circa an. 1341. a Ludov. Bavaro Aug. Monachii, Friderico Libero de Souneck in Comitiis primo Comite creato. Auctus eſt Comitatus hic magnis acceſſionibus per Friderici poſteros, ex quibus Frider. II. & ejus filium Ulricum, Sigiſmundus Imp. Friderici II. Com. Celej. gener, ad ſublimem Imperii principum gradum an. 1436. evexit. Ulrico tandem III. an. 1456. ſine hærede maſculo extincto, poſt varios conatus Frider. III. Imp. Celejam ſibi, nec ſine gravi periculo ſubjecit, quo ex tempore Ducatui Styriæ inſertus Celejanus ager, quintam Styriæ partem, improprie das Viertl Cilly, dictam conſtituit. Sed de his omnibus fuſius Deo dante in ipſo opere, & Diſſ. IV. cap. 5. §. 5.

Principatus Imperii an. 1436.

Inſeritur Styr.

Inter urbis hujus memorabilia illud non poſtremum, quod plurium Regum & Imperatorum præſentia fuerit condecorata, ita enim anno Chriſti circ. 1400. Sigiſmundus Rex a Nobilibus Hungaris captus, ac opera Friderici Com. Cilej. ac Hermani II. Filii liberatus, Celejam ad Fridericum & Hermanum Com. divertit, ibique cum Barbara Hermani II. filia ſponſalia contraxit, nuptiis tamen ob ætatem Barbaræ ad an. 1408. dilatis. De qua plura in ipſo opere dicentur. Alter coronatorum Imperii Romani Capitum erat Frider. IV. Imp. qui extincta prole maſcula Celejenſi, eam ſibi provinciam aſſerturus, quam plurima ibi an. 1457. ſubiit pericula, e quibus tamen ope S. Maximiliani feliciter evaſit, de quo Differt. II. & in opere ipſo pluribus. Tertius tandem Carolus Archidux Auſtriæ, Dux Styriæ, an. 1575. eandem urbem cum ſereniſſima uxore ſua inviſit. Cæterum mirari non oportet, ſi ſuo de ſplendore multum perdiderit urbs hæc celeberrima; etenim vetuſtas ipſa, crebriores bellorum turbines, fata alia, eam multum redidere anguſtiorem, uti enim ex MS. Chron. Cilej. mihi e Carthuſia Seizenſi antiquiſſima communicato lego, urbs ea an. 1448. die 4. Julii an. 1502. Dominica Miſericordia Domini, atque an. 1534. die 26. April. totaliter incendio deflagravit, cum ante ea tempora primum aliqualiter denuo reſurgeret, ac ab an. 1450. ad 1473. diem 6. Octobr. muris cingeretur.

Cilejæ memorabilia.

Sigiſm. Rex cum Barbara Celej. ibidem ſponſalia contrahit. anno 1400.

Frider. 4. Imp. Celejæ periculum ſubit 1457.

Carolus Archid. Celejæ an. 1575

Celeja ter exuſta

Muris cincta.

Monaſterium Convent. S. Franc. Celejæ.

Præter Parochialem Eccleſiam memorabile eſt Celejæ Cænobium Convent. Minorum Ord. S. Franc. in quo Celejenſium Comitum cineres conduntur, utpote qui id Cænobium primi fundarunt. Adducam

cam hic ea, quæ in arcu Presbyterii ejusdem monaſterialis Eccleſiæ leguntur.

Templum hoc anno Domini MCCXLI. ab Illuſtriſſimis Dominis Comitibus Cillienſibus; piiſſimæ memoriæ, hic quieſcentibus, una cum monaſterio pro RR. PP. Minoritis Conventualibus in honorem Beatiſſimæ in cœlos aſſumptæ Virginis Mariæ exſtructum, ac fundatum fuit. *Ibid. monument. ſepulch. Com. Cel.*

Ad parietem ſummæ aræ pendens tabula nomina horum Comitum, hoc in loco ſepultorum memorat hoc ordine:

Monumentum Illuſtriſſimorum DD. Comitum Cillienſium fundatorum hujus domus Marianæ, quorum corpora hic in pace ſepulta ſunt, nomina autem eorum vivunt in generationem, & generationem.

An. Domini 1360. *vitam cum morte commutavit Comes Frider.* 20. *Maji hic ſepultus.*

Anno Domini 1366. *e vita migravit Comes Udalricus* 27. *Jul. hic ſepultus.*

Anno Domini 1372. *extremum diem clauſit Comes Joannes* 18. *Maji hic ſepultus. Anno Domini* 1382. *fata ſolvit Comes Hermannus* 20. *Mart. hic ſepultus. Anno Domini* 1392. *valedixit orbi Comes Wilhelmus* 22. *Sept. hic ſepultus. Anno Domini* 1432. *vivere ceſſavit Comes Hermannus, ſepultus in Pletriach. Anno Domini* 1443. *expiravit Comes Georgius* 1. *Maji hic ſepultus. Anno Domini* 1444. *finem vivendi fecit Comes Hermannus* 30. *Jul. hic ſepultus. An.* 1452. *deceſſit ex hoc mundo Comes Hermannus* 5. *Octobr. hic ſepultus. An. Domini* 1453. *decimatus a morte Princeps & Comes Fridericus* 19. *Jul. hic ſepultus. An. Domini* 1456. *pie obiit Princeps & Comes Udalricus* 12. *Nov. hic ſepultus.*

Theſaurizarunt ſibi Theſaurum indficientem in Cœlo, vade Chriſtiane, & fac tu ſimiliter.

Valvaſorius tom. 4. Chron. Carniol. lib. 15. fol. 359. aliter horum Comitum Celejenſium obitum refert, ait enim ſibi Celeja transmiſſum fuiſſe MS. quoddam latinum certi cujusdam cœnobii ibidem, in quo anni diesque, quibus Comites Celejenſes mundo huic valedixerunt, atque eodem in cœnobio depoſiti fuerunt, una cum fundatione ejusdem monaſterii commemorantur; nemo non videt monaſterium hoc aliud non eſſe, ab illo Conventualium Minorum Celejæ exiſtente, in quo tanquam fundatione ſua ſepulti ſunt cineres Celejenſium: at catalogus hic Valvaſorii, ab illo ſuperius relato oppido diverſus eſt, hunc ultimum una cum MS. Chron. Celej. eidemque adjunctum, licet recentiore, & aliena manu ſcriptum obtinui favore Reverendiſſimi ac Ampliſſimi DD. Prælati Seizenſis, qui continua infirmitate preſſus per Vicarium ſuum A. R. P. Cajetanum Fuxreitter mihi transmittere dignatus eſt, cum aliis documentis ſepulturam Ottocari V. & VI. de quibus Diſſert. IV. cap. 6. pluribus loquemur, ubi de ſepultura Ottocari V. agemus. *Monumentum Comit. Celej. ex mente Valvaſor.*

Catalogus vero a Valvaſorio allatus ita habet:

Anno Domini MCCCLX. obiit Comes Fridericus feria V. ante aſſumpt. hic ſepultus.

MCCCLXVIV, obiit Comes Ulricus in die S. Annæ hic ſepultus.

MCCCLXXV. obiit Comes Joannes feria V. ante aſſumpt. hic ſepultus.

MCCCLXXXV.

MCCCLXXXV. obiit Comes Hermannus in die S. Bened. hic ſepultus.

MCCCLXXXXV. obiit Comes Wilhelmus feria IV. poſt Exalt. S. Crucis hic ſepultus.

MCCCCXXXII. obiit Com. Herman. in die S. Colmani hic ſepultus.

MCCCCXXXXIV. obiit Com. Georg. in die SS. Phil. & Jac. hic ſepult.

MCCCCXXXXIX. obiit Comes Hermannus, in die SS. Abden & Senen. hic ſepultus.

MCCCCLII. obiit Comes Hermannus hic ſepultus.

MCCCCLIIV. obiit Princeps Comes Fridericus in vigilia S. Margarithæ hic ſepultus.

MCCCCLVI. obiit Princ. & Com. Ulricus in die S. Martini hic ſepult.

Prima fundatio facta, in noſtris litteris reperitur ab Illuſtriſſimo Domino Comite Cillienſe Hermanno anno Domini 1369. *in die S. Oſwaldi, quo ad Miſſas legendas & ſolitam annonam nobis annuatim dandam.*

Secunda vero ab eodem Illuſtriſſimo Domino Comite Cillienſe Hermanno facta fuit; legando nobis vineas, agros, campos, pecuniæ certam quantitatem annuatim an. 1374. *in die S. Michaelis. Quas ambas poſtea Comes & Princeps Fridericus an.* 1449. *& die* 15. *Aug. perbenigne approbavit, & confirmavit.*

Quam tandem Carolus Imperator (lege Archidux) *an.* 1567. *die* 13. *Nov. iterum confirmavit ſigillo ſuo conſolidavit.*

Ex mente Megiſeri. Megiſerus denuo variat, Fridericum enim I. an. 1359. Ulricum an. 1368. Hermannum I. an. 1385. fol. 1031. ſed fol. 1044. an. 1368. obiiſſe docet. Wilhelmus an. 1392. Viennæ obiit, eodem teſte. Hermannus II. an. 1434. & in Pletriach ſepultus, Georgium Comitem Cilej. Megiſerus omittit, ejusque loco refert Ludovicum Filium Hermanni II. atque a Com. Friderico Ortenburgenſi adoptatum.

Ex mente Frælichii. Frælichium ſequor, qui in Genealogia Souneckiorum res Cillejenſes cum cura exegit; ait autem ille Specimine II. fol. 55. *Monumentum necrologicum, quod Celejæ in templo RR. PP. Minoritarum prope ſummam aram extat, ubi Comites Celejæ ſiti ſunt, an. demum* 1695. *confectum eſt, annosque obitus minus accurate interdum conſignatos habet.* Id quod pluribus etiam exemplis probat, nosque in opere ipſo, ubi de his Comitibus erit ſermo, adducemus. Interim ex eod. dies emortuales hoc ordine ſtatuo:

Anno 1359. die 9. Aug. obiit Frider. I. Celejæ ſepultus.

Anno 1368. die S. Annæ obiit Udalricus Frid. Filius Celejæ ſepult.

Anno 1372. die 29. April. obiit Joannes Hermanni I. Filius Celejæ ſepultus.

Anno 1385. die S. Bened. Viennæ obiit Hermannus I. Frider. Filius Celejæ ſepultus.

Anno 1392. die 19. Sept. Vindobonæ obiit Wilhelmus Ulrici Filius Celejæ ſepultus.

Anno 1417. circ. obiit Ludovicus Hermanni II. Filius.

Anno 1421. Hermannus illegitimus Hermanni II. & Epiſcopus Friſing. dein Tridentum poſtulatus Herniæ ſectione 13. Sept. Celejæ mortuus, Tridentum non adiit.

Anno 1426. Hermannus III. Hermanni II. Filius, obiit die SS. Abdon & Senen.

Anno

Anno 1434. Hermannus II. Hermanni I. Filius; an vero 13. Octob. obierit? incertum. Sepultus in Pletriach.

Anno 1443. circiter obiit Georgius Ulrici 3. Fil. 1. Maji, Celejæ ſepultus.

Anno 1454. Frider. II. Hermanni II. Filius, obiit die 9. Junii ſeu pridie S. Margarithæ. Celejæ ſepultus.

Anno 1456. Ulricus III. & ultimus famil. obiit 9. Nov. ita Frælichius; de quibus tamen ſuo tempore plura.

Celejani Comitatus magnitudo.

Comitatus Celejanus, magnis dein acceſſionibus ita amplificatus eſt, ut ad 10. milliaria germanica in longum, in latum vero ad 4. & ultra excurreret. MS. Chron. Celej. 102 urbes, oppida, arces, ſub ejusdem ditione fuiſſe memorat, de quo nos alibi acturi ſumus.

Celej. arx ſeu Celeja ſuperior.

Extra urbem edita eminet arx, quam ſuperiorem Celejam vulgus nominat. Turcas Celejam uſque progreſſos an. 1492. fortiter abegit Georgius ab Herberſtein, quod quidem MS. Chronic. Celej. tacet, utpote cum Ulrico ultimo hujus familiæ filum abrumpens. Illud tamen MS. quod mihi benevolentia celeberrimæ Cartuſiæ Seizenſis ſubmiſſum eſt, ſupplementi modo, quæpiam adjungit, interque hæc etiam Georgium Herberſteinium ſub Imp. Maximiliano an. 1516. ruſticis rebellibus devictis frænum impoſuiſſe.

Turcæ an. 1492 abiguntur.

Ruſticor. rebellio.

Non procul ab ea urbe exſtat locus quidam oppidi, nunc tenuis nomine notus Sachſenfeldt, a Saxonibus fors nomen adeptus, quos varias in terras Sclavoniæ etiam ac Hungariæ, commigraſſe novimus: exſtat hoc in loco teſte Valvaſ. Chron. Carn. tom. 2. lib. 5. fol. 264. ex Lazio ſequens inſcriptio:

Sachſenfeldt.

FL. CL. CEL.
O. II. VIRID.
M. F. ET. MATELET.
T. ROS. PAVLAE.
VV. D. F. VN.

Fulium Amianthum Rom. hic loci quieſcere lego ex MS. Chron. Styr. Eodem in loco Sachſenfeldt, Celej. Dominio olim ſubjecto, circa an. 1441. (dum Auſtriaci elevatione Celejenſium in S. R. I. Principes offenſi bellum, cum iisdem gererent, Celejenſibusque Albertus Archidux Auſtriæ a Friderico fratre alienatus uniretur) contigit, ut Eques *Hartmannus de Turri*, qui Friderico Auſtr. ad Carnioliæ defenſionem, atque Labaci obſidionem ſolvendam miſſus, cum ſuis eo properabat, Friderici Comitis Celejenſis omne aurum, argentum, omnemque pretioſam ſupellectilem penes crucem ad Sachſenfeldt interciperet, ſuisque divideret. Aliam vetuſtam inſcriptionem Lazius idem, teſte cit. Valvaſ. detexit in caſtro vetuſto Saanegkh penes Celejam hujus tenoris:

MAXIMVS. ANTONI. LIB. ET.
VERCILLA. V. F. SIBI. ET. NVNDINAE. FIL. AN. V. ET. VRSO.
ANN. XXX.

Saanegkh, caſtrum eſt in agro Celejano, ad fl. Sanam ſitum. Aliud in Carinthia *Saneck* dictum, de quibus plura in opere. Concordat huic inſcript. MS. Chron. Styr. inibi ſepultum *Maximum Antoninum* docens.

Mons Trajan. Mons Trajanus limes Styriæ, & Carnioliæ similes antiquitates teste Lazio exhibet, quarum prima

VLPIA. FIRMINA. ANN. TRIG.
M. VLPIVS. N. MNTA. FIRMINVS.
ET. CANNONIA. STATVTA. V. F.
FECERVNT. SIBI. ET. VLPIO.
FIRMIANO. AN. XIII.

Ex qua forsitan aliquis antiquissimam Illustrissimæ familiæ Firmianæ ideam conspicere posset. Altera sic habet:

I. O. M.
ANTONIVS.
IVLIANVS.
PROC. P. P. X.
VS. L. M.

Sachsenfeld. Tertia ibidem, vel prope *Sachsenfeldam* videri potest.

D. M. S.
IVLIAE. DIL. LIB. QVINTA.
IVLIVS. DIL. LIB.
AMANTI. PARENTES. V.

Quarta tandem sequens est:

O. † M.
HILARI. FILI.
QVI. ANNOS. VIXIT. III.
CLAVDIANVS. DT. DVFIC.

S. Petri arx penes Celejam. In arce S. Petri penes Celejam Lazius cit. etiam hanc invenit:

C. NONIAE. F. VRSI. SACERDOTIS.
CABESIS. MONTIS. ALBANI.
CVRIONIS C. NONIVS. IVSTINVS.
ALVMNO. DVLCISSIMO. VIX.
AN. II. M. XI. D. XII.

Reichenburg. Est præterea in Styria nostra locus quidam ad Savum, nomine Reichenburg oppidum, cum 2. castris, quorum unum supra Savum in monte, alterum infra montem penes oppidum existit, nomen suum sortita ambo castra, a Dominis de Reichenburg, qui fratres licet, exitiali tamen inter se odio flagrabant adeo, ut unus alterum globo peteret, simul & necaret, familiamque suam sic sepeliret: horum 2. fratrum capita in Ecclesia ejusdem Parochiæ ad fenestram quandam jacere perhibentur, atque ut fertur, si caput unum ab altero avellitur, vel immutatur, illico altero die invisibili manu conjuncta videntur: ita refert Valvas. Chron. Carn. tom. 1. lib. 4. fol. 575. quæ tamen fabulam redolere videntur.

§. XIX.

Norici urbes. Virunum an Jam reliquas Norici urbes à Plinio relatas considerare paulum oportebit. *Virunum* Plinius primam posuit, nos Celejam velut antiquam metropolim. *Virunum* itaque, cui nunc loco respondeat, non eadem est authorum sententia: auhor germ. sacræ tom. 1. fol. 520. oppidum

Wöl-

Völkenmarkt in Carinthia, ad amnem Dravum ſitum, & per nobiles *de Volkl*, a quibus & nomen accepit, conjicit? alii tamen *Draburgum* putant, quidam *Judenburgum*. vide Paragraph. XXV. *Teurnia*, aliis *Tiburnia*, *Tigurina* dicta, civitas, quam Eugipius metropolim Norici Mediterranei, tempore Sancti Severini fuiſſe ſcribit: Epiſcopalis ea non minus ac Celeja fuit, quam urbem dein Gothi S. Severino in Norico Ripenſi agente, ex Pannonia venientes obſederunt, certum id, quod in Norico Mediterraneo exſtiterit, transalpes, non longe ab Aquileja, *Liburnia* quibusdam dicitur, indeque pluribus ænigmatis locum dedit teſte auth. germ. ſacræ tom. 1. fol. 86. & tom. 2. fol. 91. qui eam, eandem cum *Tiburnia vetere* & Epiſcopalem docet. Chriſtophorus tamen Celarius ſcribit *Villacum* fuiſſe, alii *S. Viti oppidum* in Carinthia, id, quod Carinthi melius expendant. *Aguntum* Norici urbem teſtatur etiam Velſerus rer. Boicor. lib. 3. fol. 109. ad quam Garibaldus Sclavos ſeu Carantanos infeliciter aggreſſus, eosdem tamen Bajoariam ſubeuntes inopinato adortus prælio, atque omni præda exutos, feliciter proſtravit, poſt an. 610. Cellarius urbem hanc ad *Dravum* fuiſſe docet, alii Jnichen in Tyroli exiſtimant. Pagius ad an. 609. num. 5. ab Aquileja XC: M. P. a Julio Carnico LX. diſſitam opinatur. Cluverius apud Valvaſorium lib. 14. tom. 4. fol. 243. urbem Doblach in Carinthiæ & Tyrolis finibus exiſtimat. Idem tamen Valvaſ. Chron. Carniol tom. 3. fol. 144. lib. 10. ex Aventino tradit Aguntum, cujus mentionem apud Plinium, Ptolomæum, & Fortunatum Epiſc. Pictav. exſtare ait, 60. milliaribus Italicis a Villaco diſſitam fuiſſe, varias opiniones authorum refert, quorum alii *Lincium*, fors *Lentiam*, ſeu Brauneck in finibus Comit. Goritiæ & Tyrolis exiſtimant, alii *Styram*, quidam *Neoſtadium*, tandem nonnulli *ad Dravum*, & *Muram* ſitam contendunt. Id ſolum de Agunto certum dixero, Norici urbem fuiſſe.

Völkenmarkt, *vel Draburgum aut Judenburgum.* *Teurnia, Tiburnia, Tigurina an* *Liburniæ an* *Villacum S. Viti oppid.* *Aguntum.* *An ad Dravum vel* Jnichen. *Vel* Doblach. *Aut Lincium, Lentia*, Brauneck. *Styra Neoſtadium. Urbs ad Muram, & Dravum.*

Vianna, Plinio teſte, quinta Norici urbs, aliis *Juenna*, de qua præter nomen vix quidquam ſupereſt, Cloverius Jaunſtein in Carinthia fuiſſe opinatur, alii *Voitſpergam* v. §. XXV.

Vianna, vel Juenna, an Jaunſtein, *vel Voitſperga.*

Æmonia, vel *Ammonia* ad Savum quidam *Lubiacum*, ſeu *Labacum* modernum putant, tempore Maximini diruta eſt; Epiſcopalem fuiſſe plurimi credunt, Ptolomæus, & Cellarius eam Pannoniæ adjudicant, de hac extra noſtram Styriam ſita plura habet Valvaſ. Chron. Carniol. tom. 2. fol. 55. 232. 649. & 653. quæpiam ad annum 238. dicentur.

Æmmonia, Ammonia, Lubiacum, Labacum.

Claudiam, quam Plinius urbem ſeptimam Norici refert, cum *Celeja* eandem fuiſſe opinor, ut jam §. XVII. dixi, Plinius quidem *Claudiam* ſupra lacum Chimenſem ponit, an eadem ſit cum Ptolomæi *Claudivio* ad ripam Danubii ab eodem poſito? ignotum, Harduinus interpretatur Clagenfurth, incerta omnia. Reineſius claſſe tertia inſcript. 57. huc refert lapidem in *caſtro Styriæ* Leibnitz inventum hujus tenoris:

Claudia an Celeja. *Claudivium.* Clagenfurt.

DIVO. CO. POS. M. CLAVD.

Atque inde legit *Claudivium*, Cellarius lectioni huic nec aſſentit, nec contradicit, quam proin etiam in medio relinquo, & ultimam Norici urbem a Plinio annumeratam aſſumo nimirum:

Flavium Solvenſe longe diſtinctum a Fabiana; quamvis autem quidam Flavium Solvenſe ſejungentes, duas ex una urbes faciant, contrarium tamen inſcriptiones veteres apud Gruterum, & Reineſium evincunt, quæ *Solvam Flaviam*, *Flavium Solvenſe* unam exhibent urbem, ita enim habet lapis Romanus: C. SABINIO. COL. FL. SOLVA. *Et aliud Leibnizii in Styria ſaxum:* AVGVSTALIS. SOLVAE. FL.

Quidam probabilius territorium prope *Glanfurtum* deſignant. Plinius eam Norico, alii tamen cum Ptolomæo, Pannoniæ adſcribunt, Flaviæ pronomen a Flavio Veſpaſiano adjectum teſte Plinio lib. 3. cap. 24.

§. XX.

Atque hæ ſunt Norici urbes, quas Plinius adduxit, non tamen omnes, ut enim jam inſinuavi, aliarum oblitus eſt Plinius, & fere celeberrimarum, Norejæ nimirum, & Laureaci.

Noreja an Styr. ſuper. urbs. *Ad Pontem urbs*

Norejam itaque urbem veterem inter montes metalliferos ejus partis quam hodie *Styriam ſuperiorem* vocamus, probabiliter judicant multi, utpote millibus paſſuum XIV. a trajectu Anaſi, quam *ad Pontem* appellabant, ſitam. Iſthac veteri ævo, via regia *ad Laureacum* ducebat. Urbem hanc oppugnatam a Bojis, veterum monumenta declarant, incertum tamen, quo eventu, ut habentur pleraque in tam caliginoſa vetuſtate; Plinius eam urbem ſub Veſpaſianis interiiſſe ſcribit, ſed an Bojorum oppugnatione? conjiciendum potius, quam conſtituendum. *Noreja* certe Tauriſcorum fuit, auri lavacris, ferrique ſecturis nobilis, ad eam urbem cimbri Romanos ſub Cn. Papirio Carbone olim proſtravere, ut habet epitome, Livii lib. 63. Vellejus Paterculus lib. 2. pag. 106. Strabo lib. 5. pag. 148.

Norejæ nomen. *An a Nora.*

De nomine Norejæ, quæpiam jam dicta ſunt §. IV. ubi Noricum a Noreja nomen traxiſſe oſtendi, ſed redit quæſtio; unde Norejæ nomen? quis vero omnium nominum etymologias expendet? nec expendere libet eam quæſtionem, Noreja an eadem cum Nora fuerit, & an hæc fertilia indicaret paſcua ex Phœnicia voce *Nora?* varie quidem in variis urbs ea legitur *Noreja*, *Nora*, *Norica*, *Noricum*, *Noricia.* Antonini itinerarium ſitum ei in ſuperiori Styria adjudicat, Lazius *Goritiam* immutata prima littera G in *N* interpretatur, ſed libitu & more ſuo: Chriſtoph. Cellarius Geogr. antiq. lib. 2. cap. 7. incerto Norici loco collocat, Florus in epitome Livii lib 63. in Illyrico, Cæſar Julius bell. Gall. lib. 1. cap. 2. denuo in Norico, Strabo ſtadiis MCC. ſeu XXXVIII. fere milliaribus ab Aquileja, Auguſtanæ tabulæ inter Viſcellam, & Pontem, ac Matucapium, in Styriæ ac Carinthiæ confinio deſignant; eo tamen, quod vult Strabo, adverſo flumine ab Aquileja non navigatur, & ea pars Norici, ante Julii & Octaviani ætatem, nondum Romani juris erat. Ab Aquileja vero non procul in Septentrionem, uti & a Fl. Liſantio abfuiſſe Norejam credibile putat P. Cales, eo quod Romana per id tempus ditio ultra alpes Noricas ſe non extenderit.

Ex quibus diverſis ac diſcrepantibus, authorum ſententiis id tantum tuto concludere licebit, nondum ſatis definitum eſſe veteris Norejæ

rejæ ſitum. Inter alias a Plinio ommiſſas urbes Norici referendum eſt etiam *Laureacum*, celeberrima quondam Norici Ripenſis urbs, extra Patriam quidem noſtram ſita, magna tamen cum ea connexionem habens. Urbem hanc non pauci coloniam Marc. Aurelii Antonini, vel Aureliani, putaverunt, vitio inſcriptionis vetuſtæ, vel, ſi mavis, lectionis malæ ſeducti qua legerunt COL. AVR. LAVR. quæ ſententia ad ipſum Juſtum Lipſium pertigit, qui tandem errorem detexit, reperta ad 14. ab urbe lapidem prope Flaminiam, inſcriptione integra, & incorrupta, quam ſuo ſyntagmati intulit pag. 484. num 3. ubi legitur indubitate COL. AVG. LAVR. quam integram ex Petro Lambeccio comment. de Biblioth. Cæſar. Vindobon. lib. 2. cap. 8. pag, 638. adfert P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. Diſſert. 4. §. 8. ex qua proin inſcriptione clarum fit, Laureacum coloniam Auguſti fuiſſe, eo quidem tempore, quo ſubactis Pannonibus, & Noricis ad ſervitutem adductis an. urbis conditæ 761. poſt Chriſtum natum 8vo Auguſtus, teſte Ruffo, *limitem inter barbaros & Romanos per Vindelicum, per Pannoniam, & Mæſiam conſtituit;* eo enim tempore Auguſta in Vindelicis, Laureacum in Noricis, Carnuntum in Pannoniis, exortum creditur: Extabula ſane Peutinger: itinerario Antonini, ac citata inſcriptione probabile utcunque creditur, Laureacum jam ſub ipſis Regibus Noricis floruiſſe ſaltem, qua oppidum, ex amne Lauraco, vel Laurone, id alluente, vel interfluente ſic dictum, dein præſidio Romanorum opportuno delectum ſub Auguſto coloniæ Romanæ. Sic etiam oppidum Ubiorum dudum ſteterat apud Rhenum, donec dein colonia Aggripina deduceretur. Sic Carnuntum, Sciſcia, Æmona, aliaque Sexcenta loca. *Laureacum.*

Conjici ulterius non inaniter poteſt, emporium hic mercium Romanorum fuiſſe, ferri præſertim præſtantiſſimi, Græcis æque, ac Latinis Scriptoribus celebratiſſimi, hucque ex Noreja, ſecundo Anaſi flumine devecti. Certe Romani ſubjugato Norico Laureaci fabricam erexere ſcutariam, hancque urbem, velut ſpeculam quandam & Prætorii ſedem, barbaris objecere valido militum munitam præſidio; hic ſedes Præſidis, hic legio, hic claſſis Danubiana, ut habet codex notitiæ, imperii his verbis: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Pannoniæ primæ & Norici Ripenſis, Præfectus Legionis ſecundæ Laureaco. Præfectus claſſis Laureacenſis.* Lambeccius cum Cæſare Leopoldo huc iter agens, veſtigia caſtrorum navalium, ad ripam Danubii ſe obſervaſſe ait: plura habet author german. ſacræ tom. 1. fol. 45. De nomine Laureaci & amne cognomine Velſerus rer. Boic. lib. 3. fol. 90. ſic loquitur: *Qui Laureacum, aut Lauriacum, quemadmodum in Theodoſii codice perſcriptum reperimus, a Laureatis litteris deducunt, quid niſi ludibrium debent grammaticorum, nemo neget, neſciri modeſtius pleraque in hoc genere:* teſte Cellario in tabula Peutinger ejus loco legitur *Blaboriciaco* probabiliter ex Laureaco depravatum. v. Diſſert. 2. §. 7.

Urbs tamen hæc tanta, & tam ampla vaſtata ſæpius tandem circa annum 737. funditus eſt everſa, nec reliquit ſui veſtigium præter Pagum Lorch, ante mœnia oppidi Enns ad fl. ejusdem nominis, & Baſilicam S. Laurentii Martyris, quam quondam Archiepiſcopalem fuiſſe *Lorch.*

Ennß, Anisia. volunt, de quo sermo erit Dissert. III. oppidum quidem Ennß, *Anisiam*, *Anisium* majores nonnunquam appellavere *Lauriacum*, ut videre est in actis & diplomatis, ast incertum, an eo in loco steterit.

Plures quidem supereſſent Norici urbes veteres ex itinerario Antonini, tabula Peutinger: notitia imperii, sed quoniam extra Styriam noſtram sitæ sunt, tuto omittendas censui, ad urbes Pannoniæ superioris veteres citius progreſſurus.

§. XXI.

Urbes vet. Styr. in Pannon. super. Quoniam vero Styriæ pars, quamquam non admodum magna, Pannoniæ superiori inserta fuit, iisdem de causis aliquam urbium harum uti & Norici Mediter. a Plinio ommissarum notitiam subjungere volebam ad illustrandum statum Patriæ noſtræ. Primas certe meretur *Græcium.* Metropolis moderna Styriæ, *Græcium*, at, de ea modica antiquitatis monumenta suppetunt, quæ tamen inveni, proferam. An ea in Pannonia superiori vel Norico extiterit Mediterraneo? ab ea dependet quæ-*Deserta Bojor.* stione, ubinam famigerata illa *Bojorum deserta* sint reponenda? qua in re multi paucis se expediunt, & censent cum Chriſtoph. Cellario Geogr. antiq. lib. 2. cap. 8. pag. 553. ea Pannoniæ superiori esse attribuenda, authoritate Plinii lib. 3. cap. 24. dicentis: *Noricis junguntur lacus Peiso, deserta Bojorum: jam tamen colonia divi Claudii Sabaria* (fors nunc Sarwar) *& oppido Scarabantia* (nunc Scopring, aliis Oedenburgum) *Julia habitantur.* Quibus in verbis Cellarius per ly *junguntur* intelligit *vicina sunt.* Velserus tamen rer. Boicar. lib. 2. pag. 38. Norico eadem accenset, dicens: *Deserta Bojorum a Vindelicorum finibus ad Pannoniam, Norici longitudine fusa sunt*, permotus nimirum Strabonis de situ orbis lib. 7. verbis: *Cæterum Tiberius a lacu* (Brigantino, seu Constantiensi) *unius diei progressus iter, Istri fontes aspexit, ad eum locum Rhæti paulum adsunt amplius Helveti, & Vindelici, & deserta Bojorum regio usque ad Pannonias.* Unde eruere sibi visus est Velserus, deserta hæc per Noricum otum fuisse diffusa; ex quo tamen Strabonis textu id minime erui posse censeo: Quanquam vero contrarium minime ex integro rejectum velim, authoritate tamen Plinii deserta hæc in Pannonia superiori, vel, si mavis cum quibusdam in Norici & Pannoniæ finibus ad conciliandos Strabonis & Plinii textus v. pl. §. 26.) extitisse *Græcii situs.* arbitror, quo non obstante Græcium tamen noſtrum inter Pannoniæ adhuc urbes colloco, idque a Bojis sæculi noni initio in desertis Bojorum vel exstructum, vel reparatum censeo, inde fors appellatum *Græcium Bavaricum*, Bayriſch-Grätz, ad distinctionem *Vindo-Græcii*, Win-*Sæc. 3. jam insigne.* diſch-Grätz, ab ædificatoribus quoque suis sic dicti. Sæculo Christi tertio insigne fuisse Græcium, vel oppido, vel castro, vel saltem viciniam eam celebratam persuadet lapis vetustus ad Græcium, inventus teste Velsero cum hac inscriptione:

T. VARIO. CLEMENTI.
AB. EPISTVLIS. AVGVSTOR.
PROC. PROVINCIAR. BELGICAE.
ET. VTRIVSQVE. GERMAN. RHAETIAE MAVRET.

CAE-

CAESARIENS. LVSITANIAE. CILICIAE.
PRAF. EQVIT. ALAE. BRITANNICAE.
MILIAR. PRAEF. AVXILIAR. IN. MAVRET.
TINGITANAE. EX. HISPANIA. MISSORVM.
PRAEF. EQVIT. AL. II. PANNONIOR.
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRAEF. COH. II.
GALLORVM. MACEDONIAE.
CIVITAS. TREVERORVM.
PRAESIDI. OPTIMO.

Varium Titum clementem, quondam Styriæ noſtræ præfectum fuiſſe ſuo tempore dicam, cum vero lapis hic, Græcii inventus fuerit, non inaniter conjicio, vel caſtrum hic, vel ſtativa quædam fuiſſe, in quibus memoria Præfecti ſui poſteritati per hunc lapidem fuerit conſecrata.

Plurès antiquitatis Romanæ teſſeras pro Græcio noſtro ſuppeditat topographica urbis hujus deſcriptio an. 1700. Græcii edita, quas curioſo antiquitatum Lectori hic exſcribo:

I. In ſuburbio transmurano icon exhibens caput viri galea ac pectus lorica tectum, ſine inſcriptione.

II. In urbe prope cœnobium S. Pauli, &

III. In aula Cæſarea, icon exhibet virum & fœminam, quos inter proles parvula, manus duas jurantis in modum tres digitos utriusque manus elevans, hac ſub epigraphe:

CANDIDVS. Q. MORSI. POTENTIS. TITANI.
FR. SIBI, ET. SVRIAE. CONI. OPTIMAE. ANN.
XX. ET. OFE. - - - - O N T I.

IV. In aula vir & fœmina exprimuntur. Subſcriptio ſequens:

C. DVRONIVS. MARTIALIS. V. F. SIBI. ET. PRO
CVLFIAE. PROCLAECONI. ANN. XXX. ET. C. DVRANIO.
VRSI. NO. FANN. XX.

V. In aula eadem, quæ ex Velſero ſupra adducta eſt.

VI. Ibidem triangulum obtuſum & clauſum, in quo caput Angeli alati, a dextris & ſiniſtris trianguli in fine duæ aquilæ expanſis alis, inſcripto hæc eſt:

BELLATVLO. BIRACONIS. F. ANN. LXX. ET.
ATEONATAE. MALSONIS. F. CONIVGI. ANN. IX.
ET. FEVINAE. F. ANN. XXX. ET. CLAVDIAE. BANONAE.
ANN. VIII. H. F. C.

VII. In aula VELLECO. CACVRDAE. ET. DEVS. VSAE. ITVLIE. CON. ET. ANGVLATO. F. ANN. X.

VIII. In urbe. T. FL. RECEPTVS. T. F. SIBI. ET. BOTTIAE. BOTTIONIS. FIL. F. H. C.

IX. In urbe. INSEQVENS. SENILIS. ET. CENSORIA. TEVINA. V. F. SIBI. ET. INGENVAE. TERTI. F. INSEQVENTIS. MATRI. ET. MAXIMIANO MAXIMI. F. VITRICO.

X. Extra urbem in Straßgang:

D. M. MASVN
- - - - TI - - - - -
- - - - NI - - - - - *XI.*

XI. *Ibidem*: D. M. C. LICINII. TRIONIS. I. SABINAE. SEVERINAE. COLICIN. R.

XII. Ibid. POMPELLA. THEODORA. ANN. XXX. PA. F.

XIII. In aula Cæsarea Græcensi: VENERANDAE, VETVSTATI IMP. CAES. MAXIMILIANVS. AVO. CINERES. ET. OSSA. ROM. CVM. VITRO. INTEGRO. NVMISMATEQ. ANTIQVO. APVD. LEVBNICVM. EFFOSSA. HVC. REPONI. IVSSIT. ANNO. M. D. VI. KVS. MAI.

XIV. In area aulæ Græcensis prope puteum:

יתרת
ראנל כרנררי
רזירר נדנ יכשי
כנמ ירת אכאט
רגי ונכר אתרר
שרזרי שלכיר
כירתרנתכירושג
תמיורגר ארה
תששיתגעכתא

Recepti Græcii in urbe, v. num. VIII. *quarti Catteſielenſis* penes Græcium ſub monte Geſacco, ſeu Schöckl, quæ tamen omnia fide ſui authoris tantum, ſtabilita velim:

In Schöckl.

Græcium an Vacorium dictum.

Græcium olim Vacorium dictum, ut nonnulli ſentiunt, apud neminem hactenus legi.

An Sabaria.

Sabariam tamen infeliciter divinat Lazius, cum enim Sabariam in Hungaria tantum reperiendam probe adverterit, ut huic errori mederetur, alteram Styriæ Savariam in arena ædificavit. Aventinus Etymologiam ſectatus, Græcium idem ſonare putat, ac

An idem ac Gränitz.

Gränitz, ſeu limites, indeque noſtrum *Bojorum*, aliud *Vindorum* limitem fuiſſe contendit.

An Grád, ſeu Caſtrum.

Alii a Sclavico verbulo Grád, quod *Caſtrum* ſonat, oriri putant, ambo meliori quam Lazius conjectura; Cluverius Styriæ Metropoli antiquitatem affectans, Ptolomæi Muroelæ,

An vetus Muroela.

Græcium ſucceſſiſſe arbitratur, at Muroelam, Muræ quondam proximam, tum vocis ſimilitudo, tum gradus ab authore annexus utcunque perſuadent, Græcium non fuiſſe.

Clarior longe facta eſt Metropolis noſtra recentiori ævo, dum

Arx & mœnia Græcii.

arce inſigni, & mœnibus undique cingi cœpit; mœnia adjecit primus Fridericus IV. Imperator, latius tamen ea aſſurgere fecit Carolus Styriæ Archidux, ejusque Filius Ferdinandus. Portas quinque habet,

Portæ quinque.

a Mura fl. Saccis, D. Paulo, Ferro, & novitate ſua nomen ſortitas: fortiſſima arx omni apparatu bellico egregie inſtructa, urbem coronat ſimul & defendit a Provinciæ ſtatibus, ad quos a Dominis Rindſcheidt tranſierat teſte Meriano, commutatione Carolo Archiduci ceſſit: ſed vix fidem habeo, cum diplomata veterum Marchionum noſtrorum, aliud doceant. Præcipuum eorum eſt, Ottocari V. Fundatoris noſtri datum an. 1164. inter Runenſia num. 10. inter mea num. 33. (quod male Ottocaro VI. vix nato attribuit Frælichius diplom. S. Ducatus Styriæ

parte

parte 2. fol. 14.) in eo Ottocarus *Græcium* non ſolum *urbem* appellat, uti & diplom. Run. 10. civitatem) ſed etiam *Udalricum Præfectum de* Grätz nominat.

Novimus ex Diſſert. 4. cap. 4. in Ottocaro IV. & fratre ejus Adalberone II. Dominos *de Graz*, uti & *Styra*, Loſenſtain, Perneck, &c. ab Ottocaris noſtris linea collaterali derivatos fuiſſe; id ipſum in annotat. ad diplom. mea ſtabiliam; quis jam credat Udalricum de Greze, pluribus in diplomatis nominatum, & ab Ottocarorum ſanguine oriundum; alterius cujusdam Præfectum egiſſe, præterquam ſummi Principis? contigerit nimirum illud, quod hodiedum in Carolo Lotharingiæ Duce Auguſtiſſimi noſtri fratre, ut quemadmodum hic Belgium ſummæ Principis loco adminiſtrat, ita Udalricus de Grätz, non alterius, niſi Ottocari ſummi Styriæ Dynaſtæ vice, urbi Græcio præfuerit, ſicque Græcium urbs jam Principis terræ hoc tempore cenſenda ſit. Si jam Merianus documentis legitimis oſtenderit, Græcium a Dominis de Rindſcheidt ad ſtatus Styriæ, atque ab his ad Principem Carolum rediiſſe, id tardiore tempore contigiſſe oportuit, quo Græcium privato cuidam donatum a Principe terræ, ad hanc fors eo tempore rediit.

Carolus Archidux urbi etiam univerſitatem anno 1586. adjecit, quam ornarunt olim duo ſereniſſimi Archiduces, Maximilianus Erneſtus, & Leopoldus, quorum ille Theodoſium Magnum, hic D. Ambroſium an. 1600. in ſcena exhibere non ſunt dedignati; & Leopoldus Theſes Philoſophicas Rudolpho Cæſari dicatas glorioſiſſime propugnavit. *Univerſitas Græcenſ.*

Quonam vero tempore urbs primum audierit, ex veterum diplomatis videndum, quod inter mea in fine tomi hujus adducenda occurrit, eſt Ottocari V. Fund. Vorav. ultimo vitæ anno datum Runenſibus, & inter mea dipl. num. 33. quod expreſſis verbis in *urbe Graze* datum dicitur; ejusdem urbis Grätz meminit diploma Ottoc. VI. an. 1170. inter mea num. 75. ait *Greze civitate*, ex quibus proin patet, Græcium ſæc. 12. certo fuiſſe urbem. Pro tempore anteriore, quod concludam, argumenti nil habeo. Dubium tamen & oriri poſſet, an ſæc. etiam 12. urbs jam fuerit Græcium, eo, quod diplom. an. 1174. & 1186, vel præcedentis & in aliis Ottoc. VI. diplomatibus inveniatur ſubnotatum *in foro Graeze*, ſed evaneſcet, ut opinor, dubium illi, qui conſideraverit, priſcis temporibus non raro nomina *fori*, *urbis*, *civitatis* fuiſſe inter ſe confuſa, id, quod tum certe locum habebit, cum idem locus antecedente modico tempore urbis, mox fori, tandem iterum civitatis nomen tulit, ut de Græcio noſtro aperte vidimus. *Græcium ſæc. 12. urbs.*

Plura, quæ de moderno Græcio dicenda venirent, in obviis paſſim geographis inveniri poterunt. Ego minus nota hic ſubjiciam. Templum modernum parochiale olim Ven. Prædicatorum Ordo inhabitavit, nunc ſubeſt Parocho Græcenſi, & inferioris Styriæ per Voravienſem diſtrictum Archidiacono. Templum OO. SS. dicatum cum Parthenone S. Claræ eo in loco ſitum eſt, ubi an. 1568. Styriæ Proceres, hæreſi infecti ſcholas ſuis Rabulis fundaverunt, exactis enim his an. 1599. Maria Ferdinandi Mater in ædes has rite expiatas, ſanctimonia- *Varia de Græc. Parochia. Omnium SS. Eccleſia.*

les Monachio induxit, quibus dein ipsa accessit, Religiosissima vota ibi annuente Apost. nuntio emittens ante mortem, & in religiosis vestimentis sepulta.

Provincial. dom. Plurima topographis enarranda relinquo, unius aulæ domus provincialis meminisse debeo, an. 1563. in molem magnificam erectæ, atque promptuario armorum ad defensionem Patriæ optime instructæ. Consueta inibi comitia coguntur. Variæ tamen in ea domo visebantur picturæ ad antiquitatem Styriæ facientes, quas, uti mihi Perill. Dominus Jacobus Ernestus de Cerroni communicare dignatus est, hic subjungo:

Prima refert pugnam illam celebrem, Augustam inter & Thierhauptem, ad Lycum habitam cum hac inscriptione: *Hunni 500. fere annis Germaniam sæpe sæpius pervastarunt, tandem Otto M. cum suo agmine, in cujus fronte Styri pugnabant, hos omnes prope Augustam Vindelicorum aut trucidavit, aut Lyco immersit an. 955.* Abbas Ursperg. Aventinus, & Megiserus in suis Chronicis.

Secunda exhibet prælium Rudolphi I. cum Ottocaro Bohem. Rege his verbis: *Styri Rudolpho I. Rom. Imperatori contra Ottocarum Regem Bohemiæ an. 1278. opem ferunt, victoriam cum suis reportant.* Gerard. de Roo in hist. Austr. lib. 1. f. 28.

In tertia videtur Græcium castris circumdatum cum lemmate: *Ducatus Styriæ an. 1260. a Bela quarto Hungarorum Rege invaditur, Græciumque obsidetur, sed fortiter repellitur.* Cuspinianus in lib. de Austria v. an. 1260. tom. seq.

Quartæ tabulæ objectum, est Petovium cum prælio trans Dravum habito & sic descripto: *Ottocarus III. Marchio Styriæ circa an. 1110. Hungaros prope Petoviam terribiliter cædit:* Lazius de migrat. gentium fol. 224. annus erroneus est. v. an. 1042.

Quintam occupat Græcium, undique exercitu cinctum sub hujus tenoris inscriptione: *Solymanus Turcarum Imperator, frustra attentato Gynsio an. 1532. Styriam, Græciumque obsessurus invadit, at fortitudine arcis territus Turciam repetit.* Megis. Chron. Carinth. lib. 11. cap. 25.

Sexta præsentat prælium quoddam in campis Fernizensibus hisce: *Commendante Joanne Kazianer excurrunt Græcenses, retro quardiam Turcarum aggrediuntur, eamque cædunt supremique Bassæ caput Græcio important.* Megis. loc. cit.

Septima continet urbem, & arcem Raclitanam seu Rakerspurgensem, & prælium trans Dravi amnis partem ad tractum Runæ urbis, epigraphe sequens: *Ernestus Ferreus Dux Styriæ Carnioliæ & Vindomarchæ Turcas an. 1418. primitus in Styriam irruentes prope Rakaspurgum terribiliter profligat.* Zeiler topogr. Styr. f. 77.

Octava offert Viennam, & Leopolim ardentem, ex altera parte exercitum simulque obsidionem Turcicam, eorumque copias sub his verbis: *Abel de Holeneck copias auxiliares Styrorum Viennam ad defendendam eam an. 1529. contra obsidionem Solymani Turcarum Imperatoris ducit, locumque cum illis propeiulum Cæsaris defendit* Ortelius in Chron. Hung. D. cent. Megiser. Chron. Carinth. lib. 11. cap. 22.

Nona præſentat 8. currus, 6. equis tractos, undique copiis cinctos cum adjecto: *Fridericus Rom. Imperator ex obſidione liber, Imperatricem Eleonoram & Filiolum Maximilianum primum ſub armis Styrorum, Neoſtadium Auſtriæ mittit* Sigiſm. de Bürken ſpecul. Auſtr.

Decima exprimit aulam Cæſaream Viennenſem obſeſſam, ac in monte Viennenſi accurrentes in ſubſidium Styros, ac Carinthos, hiſce: *Styri Friderico IV. Rom. Imp. Viennæ in ſua aula obſeſſo ſuccurrunt an.* 1462. ſpecul. hon. Archid. Auſtr. lib. 5. fol. 696.

Undecima proponit aciem bellicam in pugnam paratam cum lemmate: *Carolus Archidux Auſtriæ, & Dux Styriæ in confinibus, præſentia ſua & copiis Styrorum Solymani Sigethum obſidentis incurſiones in has terras reprimit an.* 1565. Megiſ. lib. 12. cap. 1.

Duodecima tandem habet pugnam illam memorabilem ad S. Godhardum, dum Turcæ Arabonem transgreſſi, Chriſtianorum exercitum vi omni adoriuntur. Sequens ſubſcriptio adjecta eſt: *Turcæ* 1664. *Styriam invaſuri prope S. Godhardum acie vincuntur, pacificantesque repelluntur; author hujus veſtigia perluſtravit oſſa cadaverum adhuc jacentia vidit.*

Hæc inquam Styrorum geſta, exprimit adhuc Domus Provincialis Græcenſis, ut adeo non modica in Aug. Auſtriacam familiam Styrorum merita inde legere poſſit quivis: plura monumenta Græcii adhuc habentur, nominatim in aula Cæſarea in ſcala illa, quæ limacis more conſtructa eſt, ex qua repræſentationis Cæſareæ Cancelariam aditus patet.

Extra Græcium in variis cæmeteriis, Judenburgi, Vindogræcii, Fridaviæ, Celejæ, Votſpergæ, Rakerſpurgi &c. varia monumenta occurrunt veterum nominatim Styriæ familiarum. Sane in arce Juniore Kainach fidei-commiſſi Wagenſpergiani rudera quam plurima & pictu- *Kainach arx.*
ræ veteres videndæ proſtant, at eas omnes hic adferre operis hujus molem excederet.

§. XXII.

Petoviam, Petovio, Petabio, ſeu **Pettau**, urbs antiquitate ſua longe celeberrima, qua in urbe MS. Chron. Styr. cit. refert ſepultos fuiſſe Romanos veteres, *Ulpiam primianum* (*Cajum Coeſium* in Cœmeterio parochiali) *Cajum Sempronium, Suminum Juniorem, & Junianum Adjutorem tabularum, Valerium Cacurdam*, & *Publium Valeriam Marcianum*, ſed certiora ſcrutemur: Petovium itaque urbs illa vetus Pannoniæ fuit, ad quam 30. circiter ante Chriſtum natum annis, quadriennio tandem debellatam, Cæſar Auguſtus, teſte Appiano in Illyrico, colliſus, & genu, jactu lapidis eſt læſus, inde tamen ab hoc vulnere, & victoria, Pannonia cum Norico Romano Imperio ſubjecta eſt. P. Calles quidem tom. 1. annal. germ. Eccleſ. fol. 28. *Setaviam* legendam putat, cum Pannoniis, non Dalmatis, Petovium Norico proximum accenſendum videatur, bellumque illud Auguſti contra Dalmatas tantum geſtum fuerit. At, cum bella in Dalmatas geſta, plerumque etiam Pannonios velut eorum ſocios reſpexerint, uti & illud an. 743. urb. condit. & 10. circ. ante Chriſtum natum, plerique authores Petovionem legendum putant, non Setaviam. Quod urbem maxime ornat, eſt Epiſco- *Petovium.*

palis ejusdem quondam honos & monumenta veterum ibidem plurima; norunt enim urbem hanc a Dravo irrigatam 12. circiter milliaribus Græcio distantem veteres omnes, Antonini, & Peutingeri tabulæ, Plinius legioni tertiæ ibidem hyberna statuit, Ptolomæus inter urbes Pannoniæ refert, Episcopi quoque eam illustrem reddiderunt, de quibus Diss. 3. & per decursum operis agetur. Anno adhuc 1450. & sequentibus lego apud Valvasor. Chron. Carniol. tom. 2. lib. 8. fol. 653. Martinum Episcop. Labacens. Parochum, & simul Patriarchæ Aquilej. generalem Vicarium Petovii fuisse; Episcopum quidem, ut opinor, in partibus infidelium, cum Labacensis Episcopatus an. 1460. primo exsurrexerit, quod in rem meam notatum volo, illud est tardiore etiam tempore Petovii generalem Vicarium, abrogato etiam isthic Episcopatu exstitisse.

Monumenta jam antiquitatis Petovii existentia commemoranda sunt: Velserus in monum. agrorum peregrinis fol. 428. lapidem veterem Petovione inventum cum sequenti inscriptione edidit.

T. VARIO. CLEMENTI.
PROC. PROVINCIARVM.
BELGICAE. GERMANIAE. SVPERIORIS.
GERMANIAE. INFERIORIS. RAETIAE.
MAVRETANIAE. CAESARIENS. LVSITANIAE.
CILICIAE. PRAEF. EQ. AL. BRITANN.
MILIAR. PRAEF. AVXILIORVM.
IN. MAVRETANIAM. TINGITANAM.
EX. HISPAN. MISSORVM. PRAEF. EQ.
AL. II. PANNONIOR. TRIB. MIL. LEG. XXXV.
PRAEF. COH. II. GALLORVM. MACEDONIAE.
CIVES. ROMANI.
EX. ITALIA. ET. ALIIS. PROVINCIIS.
IN. RAETIA. CONSISTENTES.

Exstat Petovii, in platea Dominorum dicta, a dextris, ubi via ad PP. Prædicatores ducit, monumentum vetus, altitudinis 4. pedum, & 2. in latitudine. In superiore ejus parte videtur mensura tritici, a sinistris virgo venabula; & coronam manu gerens, similis genio victoriæ, a dextris vero vir nudus cum venabula subscriptio sequens.

I. O. M.
PRO. SALVTE.
ET. VICTORIA.
IVLI. CAES. LVCI.
SEPTIMI. SEVERI.
PERTINACIS. AVG.
DOMINI. INDVL.
GENTISSIMI.
IVNIANVS. LIB.
ADIVT. TABVL.
P. P. S.
EX. VOTO.

Ex monumento hoc adjuvatur relatio Chron. MS. Styr. ex quo, initio hujus §. Junianum adjutorem tabularum Petovii ſepultum eſſe dixi.

Plurima omnino exſtant ſimilia Petovii monumenta, quæ proin Petovium & Celejam, antiquiſſima & præcipua Romanorum præſidiorum loca fuiſſe ſatis commonſtrant: Etenim videtur & aliud marmor parvum & album, in pariete Eccleſiæ parochialis penes parvam portam dictam, ſimilem antiquam inſcriptionem referens, prout mihi ſubmittere dignatus eſt Perilluſtris Dominus de Cerrony:

I. O. M.
PRO. SALVTE. ET.
INCOLMITATE.
P. VAL. B. MARCIANI.
IVNIOR. VAL.
MARCIANVS. MIL.
DVPL. LEG. X. C. P. N.
ANTONINI. PII.

Hoc monumentum denuo confirmat, quod ex MS. Chron. Styr. dixi P. Valerium Marcianum Petovii ſepulturæ mandatum. In porta PP. Prædicat. Petovii monumentum videtur fragmentum arcis victoriæ, in cujus tamen ultima parte legi nil poteſt. Heydinæ extra Petoviam in muro cæmeterii marmoreum eſt monumentum, in cujus dextra parte vir, in ſiniſtra duo viri baculis inſtructi proſtant, inſcriptio jam vetuſtate exeſa eſt. *Heydinam extra Petovium.*

- - - RSE. COLLEGI.
IVVENTVTIS. EVLP. MRCE.
IVNITE. AEL. MARCELLI.
PRAEF. TE. MAXIMI. EVRS.
PATRES. GELL. MARCELLINVS.
TE. PAN. TERTIVS.
TE. AELVA. TE. ERIVS. OO.
COLL. SS. EX. VOTO. POSVERVNT.
- - - DIVO. MARCELLO. VALER.

Plura adhuc monumenta Petovii edoceor, præcipue in muro turris parochialis ibidem a ſiniſtris, ubi e cæmeterio via ad forum ducit; monumentum id altitudine orgyam ſuperat, & latitudine 4. pedes refert equitem cum vexillo Romano nec procul inde in prædicto muro cæmeterii ſimile quoddam ſpectatur, ex quibus proin antiquitas urbis hujus pateſcit. Alia quædam adducit P. Puſch, quæ ſuperſtitionem Petovii adhuc ſæculo III. viguiſſe comprobant: hujus tenoris eſt primum. *Petovii ſæc. 3. ſuperſtitio.*

SERAPI. AVG.
SACRVM. EPAPHRODITVS.
ALEXANDRI. AVG.
DISP. ET. TABVL.
V. S. L. M. id eſt
votum ſolvit lubens meritoque.

Alterum vero ISIDI
AVG. SIGNVM.
CVM BASI. VICTORIN.
EX- VOTO. POSVIT.

Invicto etiam Mithræ seu soli monumentum positum *Ragandone*, medio inter Petovium & Celejam itinere (quod Schönleben vicum *Ragandone, seu* Rogatetz, seu Rohitsch opinatur) testatur tabula lapidea, dein Petovio- *Rochitsch.* nem translata, quæ illud ab Aurelio Justiniano utriusque Pannoniæ Duce, incertum quo ævo, instauratum exhibet.

TEMPLVM. DEI. SOL.
INV. MIT.
AVREL. IVSTINIANVS.
V. P. DVX.
LABEFACTATVM. RESTITVIT.

Hæc itaque antiquitatem celeberrimæ urbis, satis ut opinor, convincunt, nec erit quispiam, qui urbi hanc prærogativam deneget. Inter fata, celeberrimæ hujus urbis, nec illud reticendum est, quod circa an. 378. a suo subiit Pseudo-episcopo Valente, qui a populo ejectus, ut injuriam ulciscereturr, Gothis tum Pannoniam vastantibus, Patriam turpiter tradidit, de quo uberior in opere fiet mentio. Quid deinceps Petovio contigerit, obscurum usque ad Ottonis II. Cæsaris tempora, qui Megisero teste Friderico Salisb. Archiep. an. 957. facto, Petovienſem Ecclesiam cum magna urbis parte dedit, sed cum an. 1380. Mathias Hungar. Rex illam occupasset, Frider. IV. Imp. eo defuncto, eam cum reliqua provincia sibi integre attraxit, Salisb. Ecclesiæ juribus sub Bernardo Præsule legitime exstinctis. V. plura ad 982. ubi eadem ex auth. germ. sacræ, aliter tamen aliquantum referentur. An. 1527. Erhardus de Polheim capitaneum in Pettau Cæsareum egit. Præter Paroch. Ecclesiam, sunt Petovii etiam Monasteria, Prædicator. & Minor. Conventual. ord. S. Franc. atque extra muros urbis PP. Capucinorum, cætera apud topographos occurrunt.

§. XXIII.

Supersunt quædam Styriæ nostræ veteris urbes, ac oppida, inter- que hæc *Muroela*, de qua jam prævie in descript. Græcii quid- *Muroela*, Muhr- piam dictum, Cellarius oppidum Muhregg fuisse putat, alii tamen, & regg. fors melius in agro Leibnizensi exstitisse opinatur quarto infra Græcium milliario, ut amplissimæ urbis rudera, cælata Saxa, innumera Cæsarum numismata eruta, teste Puschio, loquuntur; ab hoc non mul- *Muravia.* tum *Muravia* abludit, seu Muhrau, in superiori tamen Styria, proxime ad ditionem Salisburg. sita civitas, a Mura fluv. in duas partes *Ad Pontem.* dissecta, quam Cluverius veterem urbem, in Peutingeri tabula *ad Pontem*, dictam opinatur, inspicienti tamen tabulam dictam vix quidquam *Muræponium.* invenietur, quod *Muræponto*, potius, quam *Muraviæ* faveat. Muræ adhæsisse Muraviam, pronum est, nunc inibi præter Paroch. templum, arci splendidæ, vicino colli impositæ, in adverso fl. latere respondent rudera alterius arcis, Ottocari Boh. regis jussu prostratæ. Cum ita-

que

que de veteri urbe *ad Pontem* loquor: *Muræpontum*, nunc Prugg an der Muhr, breviter etiam attingo, urbem commodam ſex milliaribus Græcio diſſitam. Sunt autem in Peutingeri tabulæ urbes duæ *ad Pontem*, ac *ad Muram*, an igitur ad ſuperiorem urbem, an ad inferiorem Muræpontum modernum referendum ſit? litigant geographi: præter Paroch. templum bina adſunt Monaſteria Minorum Conventualium, & Capucinorum; commendata fuit civium in Principem fidelitas, in hoſtem fortitudo, dum pro Alberto Cæſare in ſtrenua urbis propugnatione contra Ottonem Bavariæ Ducem, & Conradum Archiep. Salisb. an. 1201. fideliſſimos ſe exhibuere. Prope civitatem Muræ illabitur fluvius Märtz, amœnam ſecans *vallem Martiam* dictam, & ad Auſtriæ terminos pene deductam. *Martia vallis.*

Occaſione Muræ, in ſuperiorem Styriam aliquantum declinavi, redeo ad inferiorem, dixi enim, conjecturam eſſe Muræam in agro Leibnizenſi ſitam. *Leibnizium* porro 4. milliaribus Græcio in Auſtrum abſcedens, inter munitiores quondam Styriæ Civitates numerabatur, utpote quod an. 1127. a Conrado I. Salzburg. Archid. primo ædificatum, dein an. 1481. acrem Hungarorum obſidionem a Maubitſchio Mathiæ Regis archiſtratego ſuſtinuit, aſt urbe, fame ad ſummam penuriam adducta, civis quidam nomine Chriſtophorus Hammer, ad obſidentes profugiens urbem prodidit, fœde dein vaſtatam, ex quo tempore & mœnibus caruit, & oppidum audire cœpit: plures tamen ſunt, qui rebellionis in pœnam eam muris ac urbis privilegiis privatam volunt, ſed ſuo loco plura. MS. Chron. Styriæ veteres Romanos *Marcum Cajum Secundinum* & *Polybium Solvenum* hic ſepultos ſtatuit, monetæ veteres, & Saxa vetuſtam fuiſſe urbem produnt. Epiſcopis Seccovienſibus paret, & habet arcem celſiori colli impoſitam *Seccovium* etiam dictam ſedem S. R. I. Principis ac Epiſcopi Seccov. diſſidium, quod anno 1163. inter Ottocarum V. March. Styriæ, & S. Eberhardum Arch. Salisb. interceſſit, hujus arcis, vel fors Petovii ſolum cauſa, in diſſert. IV. & in opere ipſo adferetur, non procul a Leibnizio in Sulmthal an. 1516. ruſticorum rebellio Wolfg. & Andr. de Windiſchgrätz, miſeræ morti ſubjecit. Leibnitz. Seccau arx. Sulmthal, ſeu Leibnitz.

Raclitanum, aliis *Hæclitanum*, hodie *Rackelſpurgum* inter urbes Styriæ nobiliores, vino præſertim præſtantiſſimo notiſſimum, refertur 8. circiter infra Græcium milliaribus, ad Muram poſitum. *Cajum Sempronium Summinum* veterem Romanorum inibi ſepultum docet MS. Chron. Styriæ. Cluverius antiquum *Hæclitanum*, medio inter Sallam, & Petovionem itinere ab Antonino ſtatutum in Rackelſpurgo ſuſpicatur, tam ſitu ac viarum ductu, quam aliqua vocabuli conſonantia nixus; putat enim *Ræclitanum* legendum eſſe, Rationarium tamen Styriæ an. 1267. confectum, & a Lambeccio Bibl. Vindobon. Cæſar. lib. 2. cap. 4. excuſum, non Rackelſpurg, ſed Ratgerſpurch (quod quaſi *Ratgeriburgum* interpretatur Schönlebenius) expreſſum habet. Nondum tamen mihi conjectura Schönlebenii probatur, donec oſtenderit, ſitum ac viarum ductum inter Sallam, & Petovionem, Raclitano non convenire. Quæ hæc urbs an. 1418. paſſa fuerit ex picturis Græcenſ. retuli in §. de Græcio. An. dein 1480. denuo cum Pettovio a Matthia Hung. Rege occupata eſt. *Raclitanum* *Rackelſpurg.*

Pri-

Prima tempora, si consideremus, patet urbem hanc anno 1182. Præfecturam solum, seu Præpositurum Ottocari VI. fuisse: ut v. Diplom. mea num. 59. ibidemque an. 1185. idem Ottocarus Seizensibus vetera firmavit, nova donavit. v. Diplom. mea. num. 64. Albero Plebanus ibidem an. 1188. invenitur in Dipl. meis num. 73. anno 1471. Præfecturæ Rackerspurgensi Imperatoris Frid. IV. nomine præfuit Sigism. de Polheim; Rackerspurgum superius, seu castrum ibidem, olim Wildoniis, dein Chunringiis ac Eggenbergiis paruisse in decursu operis, & in notis ad Diplomata dicetur.

Salla seu Fürstenfeld.

Sallam inter & Petovionem, situm Rackelspurgum dixi, at quæ tandem vetus illa Salla? Ptolomæus lib. 2. cap. 15. inter veteres Pannoniæ urbes eam recenset, cui proin utcunque convenit Cluverii opinio, qui Sallæ veteri hodiernum substituit *Fürstenfeldam* urbem ad concursum amnium Lassnitz, & Weistritz sitam, ac fines Hungariæ prope attingentem, quam Lazius somniat *aquarum* nomine in tabula Antonini expressam, quas tamen utpote Vindobonæ propinquas potius Badenas Austriacas esse auguror. Urbs a Commenda Melit. ord. nobilitatur.

§. XXIV.

Heorte an Hartberga.

Heorte urbis mentio fit apud Strabonem lib. 7. de Scordiscis his verbis: *Quidam etiam insulas habebant Scordisci, eo autem magnitudis aucti sunt, ut usque Illyricos & Paonicos* (seu *Pannonicos*) *& Thracios provecti sint terminos. Complures igitur jacentes in Istro insulas occupavere. Ipsi etiam urbes habuere Heortem & Capedanum*, ex hoc textu Merianus cum Lazio hanc urbem modernam Hartbergam evincere cupit non procul ab amne Lassnitz sitam, sed, ut opinor, incassum; uti enim Scordiscos nunquam Styriæ nostræ, sed Danubii, Savi, & Culpæ accolas, proin magis Illyricos esse credo, ita quoque Heortem urbem nunquam in Styria nostra fuisse judico, quod si Lazius ex Heorte Hartbergam elicere cupiat, addere debuisset vocabulum montis in latino, cujus tamen nullum in Strabone vestigium, Hartbergam ad montem ejusdem nominis sitam an. 1166. oppidum, seu forum fuisse habemus ex Diplom. Chunegundis Fundatricis nostræ. V. inter mea Diplom. num. 37.

An eo tempore civitas jam fuerit? vix e veterum documentis elicio, nisi quod fors olim *forum* & *civitas* non raro confunderetur. Ast jam ante hunc annum fuisse forum seu oppidum assequor ex Diplom. inter mea num. 7. in quo Leopold. fortis an. 1128. Runensibus prædium in Hartberch confert, ubi simul mentio fit stratæ Hungaricæ; sed de his plura in not. ad Diplom. 7. ubi etiam ostendemus plura quondam hujus nom. loca extitisse. Dynastiam tamen Hartberg a Carolo Archiduce an. 1573. ab initio cum pacto de retrovendendo, dein perennali jure sibi comparavit, atque ad posteros transmisit Jan. Bapt. Baro de Paar, cui familiæ hodiedum cum urbe ejus nominis subest.

Capedunum an Kapfenberga.

Ad nauseam etiam antiquitates corradit Lazius, dum *Capedunum vetus* moderno Styriæ oppido *Kapfenbergæ* applicat 7. milliaribus Græcio dissito, sed qua veritatis specie jam dictum est. Inclaruit cæterum hoc oppidum cum editiore arce ab arci pugna an. 1291. in ejus pomæ-

riis

riis habita, inter Fridericum Stubenbergium, & Hermannum de Landenberg, qui Alberti Archid. poſtea Imperatoris partes tuitus hoſtem diu ſtrenue dimicantem, & tandem a propriis militibus deſertum, ad ſui deditionem coegit, hodie adhuc in Dominio Stubenbergiorum eſt. *Leubenum vetus* Gerardus de Rhoo *Leobium noſtrum* opinatur, ſed *Leubenum* illud in oriente, id eſt Auſtria fuiſſe, ex Diplomate Tegernſeenſi apud P. Bern. Pez tom. 3. theſauri anecdot. noviſſ. fol. 507. oſtendam ad an. 1002. Interim tamen antiquitate ſua gaudet Leobium noſtrum, utpote nobilis comitatus, cui olim præerat Aribo, & Adula, parentes feliciſſimi Aribonis Archiep. Mog. & Fundatoris Parthenonis Göſſenſ. O. S. B. penes eand. urbem exiſtentis. *Leobium* locus eſt, vetuſtate inclytus, etenim jam an. 1161. Ottocarus V. permutationem prædiorum Seccovienſium approbavit in Leoben ſeu Leobii v. Dipl. mea num. 19. ferri fodinas ibidem celebratas inſinuat Dipl. an. 1170. Alex. III. P. quo confirmat Fundat. Vorav. (v. Dipl. mea num. 39.) in quo habetur: *ex dono uxoris prædicti marchionis* (Ottoc. nimirum V.) *manſum apud Luubene, ubi foditur ferrum*, & an. 1182. Ottoc. VI. Seizenſ. confirmat. 20. *maſſas ferri in Leuben & unam Saumam olei ibidem* v. Dipl. mea. num. 59. an. 1173. in Dipl. Ottoc. VI. inter mea n. 48. jam legimus *in foro*, hoc eſt, *oppido Leuben*, ut proin ſæc. 12. jam *forum*, fors urbs minor fuerit, Urbs hæc multum paſſa eſt in turbis illis an. 1291. quo ab Ottone Bav. Duce, & Conrado Archiep. Salisb. junctis viribus eſt occupata. Viget hic ferri commercium ex fodinis vicinis advecti: habent PP. Soc. Jeſu ibi collegium, & PP. Prædicatores monaſterium, extra urbem vero PP. Capucini. De Aribone Archiep. Mogunt. Leobii nato v. an. 1004. 1031. *Marianam*, ut evinceret modernum *Marburgum* urbem eſſe Lazius, denuo miram antiquitatum farraginem congregat apud Schönlebenium, *cohortem* nimirum *Marianæ* degentem, cujus tribunum *ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Provinciæ Valeriæ Ripenſis* notitia Imperii recenſet, *Marianam* e codice Romanar. Præfecturarum inter *Valeriæ municipia* conſcriptam, Jornandis *caſtrum Martenum*, Sarmatarum ſedem, &, quæ ipſe ſibi finxit, in Ammiano Marcellino, caſtra Marciana: hæc itaque omnia, licet oppido inter ſe diverſa, ob nominis conſonantiam in unum conflat Marburgum. Sed, ut hæc omnia non morer; laborat Lazii ſententia malo, ut ajunt ſuppoſito, dum Valeriam cum Styria noſtra eandem putat. P. Timon imagine antiquæ Hungariæ Mahrburgum noſtrum vetus *Novidunum* conjicit, repugnat opinioni huic Valvaſorius Chron. Carniol. tom. 3. lib. 11. fol. 230. 234, *Grosdorfium* in Carniolia, vetus Novidunum æſtimans; Schönlebenius non procul Gurkfelda ad Rainam, vel inter has duas urbes ſitum exiſtimat: mihi hac in Authorum differentia; id certum videtur, Mahrburgum urbem infer. Styriæ in læva Dravi fluminis ripa 9. milliaribus Græcio diſſitam antiquam Styriæ civitatem fuiſſe: enimvero jam an. 1180. Ottocarus VI. litem quandam Admont. in Marchburg. finivit (v. Diplom. mea num. 53.) Marchburgum etiam una ex Præpoſituris, ſeu Præfecturis Ottoc. VI. nominatur an. 1182. in Diplom. meo num. 59. ex qua, uti & ex præpoſitura in Rackerſpurch & Tyber, cutes omnes & pelles, quarum carnes ibidem conſumpſerit,

Leubenum an Leobium.

Ferri fodinæ ibidem.

Marburgum an Mariana.

Novidunum vetus.

Seizenſibus donat. *Conradus Plebanus de Marchburg* poſt *Plebanum de Græze, & ante Plebanum S. Rudberti ad Rabam* adducitur in Dipl. Ottoc. VI. an. 1189. v. Dipl. mea num. 75. an. 1224. Leopoldus Glorioſus Dux Auſtriæ & Styriæ immunitates quasdam lapideo ponti, quo Savum fl. Dux prope Eccleſiam S. Ægidii conſterni juſſerat, contulit. v. Diplom. Gyrienſia num. 3.

Mahrburgi Judæi olim. Eadem hac in urbe Judæos quondam habitaſſe, ex eo colligo, quod Sigiſm. de Roggendorf, illuſtri Styriæ proſapia oriundus, anno 1440. Prætor Judæorum Marchburgi Styrorum fuerit, ut ex MS. Bar. de Kainach oſtendit Excellentiſſ. Wurmbrand in Collat. genealog. hiſt. cap. 39. Præter hæc memoratum MS. Chron. Styriæ *Lucium concium ſecundum* inibi ſepulturam obtinuiſſe, aſſerit, *& Leopoldum Styriæ Marchionem*, eam Dynaſtiam *a Bernardo Comite Mahrburgenſi* cum integro ad Savi fluenta tractu, obtinuiſſe (quod Enenkelius jam ſub Ottoc. IV. ſcribit) volunt plurimi. An. 1532. eadem urbs Solymano Turcarum Imperatori patuit, qui tamen mox ea relicta Albam Græcam, ſuas rurſus copias reduxit. Recentiora dabunt topographi.

Plura de antiquis ejusdem rebus, nondum videre licuit, in opere fors alia occurrent. Interim ſubmiſſis mihi Marchburgo litteris edoceor, nil fere ob crebriora incendia de ejus antiquitatis reliquiis ſupereſſe. Omiſſa jam Noviduni veteris, pro Marchburga ſubſtitutione, verius proin cum pluribus aliis ex Schönlebenii mente *Noviduni veteris* pars, Raina urbecula Styriæ in boreali Savi fl. ſita littore appellari poſſet, quod tamen efficaciter non contendo, eam urbem ad Salisburg. quondam Eccleſiam ſpectaſſe, nunc autem Principis terræ eſſe Megiſerus an. Carinth. lib. 10. cap. 20. docet; funeſtam cladem ſubjiciens ab Achmete Turcarum Duce an. 1475. in ejus conſpectu Chriſtianis, numero longe inferioribus, & ſe diu ſtrenue tuentibus illatam, quo in prælio minus proſpero, *Georgio Pincerna de* Oſterwitz Duce, inter alios *Sigiſmundus de Polheim* Præfectus Cæſareus *Rackerſpurgenſis* in captivitatem abductus, ſuorum dein beneficio liberatus eſt.

Rain urbecula Styriæ.

Bedacum, an Obdach. *Bedaci* urbem veterem, a Ptolomeo in Noricis enumeratam, lib. 2. cap. 14. perſeverare adhuc *in Obdaco, ſeu* Obdach ſuperior. Styriæ oppido, ac arce ad monaſterium Admontenſe pertinente Lazius apud Merianum opinatur, cui vocabuli affinitas, familiaris hujus authoris Achilles, multum ſuffragatur quidem, ſed, cum Ptolomæi Bedacum ex ſitu & cæteris circumſtantiis fere idem videatur cum Peutingerianæ tabulæ & veteris inſcriptionis *Bidejo*, & alterius inſcriptionis *Badaco* quod & Cluverio certum, atque in his nonniſi 13. vel ad ſummum 19. millibus paſſuum ab Oeno fluvio ſeparetur, certe *Obdacum Bedaci* urbem fuiſſe nunquam exiſtimabo; Cellarius an Bedajo vel Bidacum ad fl. ex lacu Chimenſi progreſſum, colonia fuerit? incertum relinquit.

§. XXV.

Montana caſtra an Rotenmann. *Montana caſtra* ab Antonino memorata, *Rotenmanium* civitatem appellat Lazius, tolerabiliore tamen conjectura: civitas hæc ſuperioris Styriæ in *valle* dicta Paltenthal 14. miliaribus Græcio diſſita, ab

ab

ab Ottone Bavariæ Duce, & Conrado Salisb. Archymiſte an. 1291, expugnata etiam eſt, nobilitatur nunc ab eximio Can. Reg. S. Aug. collegio. Antiquam fuiſſe Præpoſituram, ſeu Præfecturam Rotenmannum probabilius Principis terræ ſuſpicor ex Diplom. Admont. inter mea num. 74. de an. 1188. in quo inter teſtes alios ſubſcriptus legitur *Dietricus Oeconomus Rotenmanne*, quem ſane cauponem non fuiſſe colligo ex eo, quod inter nobiles teſtes, mox ab Engilberto milite de Kapfenberg locum obtinuerit.

Interim de ea urbe plura antiquitatis teſtimonia nondum ſe mihi detexerunt, plura per decurſum operis forte innoteſcent.

Sabatinca vetus Lazio eſt *Schladminga* opidum ſuper. Styriæ fines Salisburg. ſecus onaſum attingens, quo in oppido Michael Grueber tumultuantium ruſticorum anteſignanus an. 1525. funeſtum edidit ſpectaculum; nam, ut refert Megiſerus lib. 10. cap. 19. præcipua Carinthiæ & Styriæ nobilitas prælio iſthic cum rebellibus, ſed infeliciter geſto, inopino ſub auroram adventu a rebellibus oppreſſa, aut laqueo, aut gladio majore ex parte periit, donec poſt enormem lanienam, ſuperveniens Nicolaus Comes a Salm abactis ruſticis Schladmingam incendit, murisque nudavit, & hac occaſione civitatis jure, quo olim fruebatur, abolito, Schladminga oppidis primum cœpit adnumerari. *Sabatinca, ſeu Schladminga.*

Vindogræcium inferioris Styriæ urbem ad Carinthiæ fines, a Vindis, ſeu Venedis populis, ædificatam fuiſſe magis, quam Lazii ſententia Vinundriam veterem, a Ptolomæo lib. 2. cap. 15. indicatam, dicere vellem, infirmum enim conjecturæ argumentum, ex unica ſyllabæ conſonantia integram civitatem fingere. *Publium quartum* ex Romanis ibi ſepultum ſcribit MS. Chron. Styr. Turcarum copias anno 1473. hucuſque penetraſſe Merianus affirmat. Quæri hic incidenter poſſet, quænam *Marchia illa Vindorum* vetus fuerit? Valvaſorius eam inter Culpam & Gurcam fluvios ſitam arbitratur, ſpeculum Hon. Auſtriaci pag. 119. eandem, cum Liburnia fuiſſe credit; tutiſſime tenendum erit, Marchiam Vindorum veterem, in Carniolia ſitam, atque domui Auſtriacæ obveniſſe circa an. 1374. ad hunc uſque annum etenim Albertus Comes Goritienſis Vindorum Marchiam hæreditario jure poſſedit, eique an. 1365. privilegia adhuc varia attribuit, quæ refert Valvaſ. lib. 11. tom. 3. fol. 384. & lib. 10. fol. 258. quapropter fol. 212. oblitus ſui videtur Valvaſorius, dum ſcripſit, Marchiam Vindicam, jam ſæc. 13. domui Auſtriacæ fuiſſe ſubjectam, cum tamen ex Archivo ſtatuum Provinciæ Carnioliæ conſtet, eam ab Alberto Comite Goritienſi an. 1374. in Auſtriacos hæreditario jure fuiſſe devolutam. *Vindogræcium, an Vinundria.* *Marchia Vindorum vetus.*

Limites Marchiæ Vindicæ a Cluverio deſignantur inter Iſtriam, Forojulium, Carnioliam, Sclavoniam, & Croatiam. Zeilerus partem Illyrici fuiſſe, atque a Septentrione Styriam, ab oriente Croatiam, ab occidente & meridie Carnioliam attingere ſtatuit, ad eamque computat ſciſciam, ac fortalitium Auſtr. Caroloſtadium.

Id unum bene notatum velim, *Marchiam Vindorum* probe diſtinquendam eſſe *a terra Vindorum*, quamquam enim Provincia inter Dravum, & mare Adriaticum ſita, Vindorum regio a plerisque putetur, *Terra Vindorum diſtincta a Marchia Vindorum.*

eo, quod Vindico incolæ idiomate utantur, Vindorum tamen regio, ſolum illæ dicendæ ſunt terræ, quæ inter Dravum & Savum orientem reſpiciunt, & hodie Sclavoniæ nomine venire ſolent. Inſignia ſane diverſa, terræ Vindicæ, & marcæ Vindorum rem hanc apertius teſtantur.

Marchia ſine adjecto quæ terra.

At quæ terra, nomine Marchiæ abſolute, & ſine adjecto ſumptæ venit? Frælichius Archontol. Carinth. p. 2. fol. 174. putat inferiorem Styriam pluribus in Diplomatis Marchiæ nomine uſurpatam: tum, quod id aliis etiam in Provinciis ita in more fuiſſe conſtet, tum, quod vetuſtiore ætate Styria, ſuperiore ſui parte Carintiæ fuerit implicata, vel ſub Bajoariæ nomine comprehenſa; & ſane eam ſententiam ſuſtinendam opinor eo etiam tempore, quo Styria ſuperior nunc dicta, a Carinthia ſejuncta fuit; ita me docent bina Diplomata Ottocari VI. quæ inter mea num. 69. & 70. videri poſſunt, primum num. 69. eſt Ottocari VI. de anno 1186. quo bona & poſſeſſiones Admontenſium in protectionem recipit, hoc in Diplom. loca nunc in ſuperiore Styria ſita, nunquam *in Marchia* (ut prædia inferioris Styriæ) ſed, vel *in* Ennsthal, vel *in Valle Palta*, vel *juxta Murám* deſcribuntur, reliqua vero in infer. Styria ſita, *in Marchia* ſine addito, ſita denominantur. Idem fit in Diplom. 70. Ottoc. VI. de eod. an. quo Admontenſibus indulta quædam confirmat, eisque 3. prædia largitur, quorum primum in Styria infer. ſitum, ait eſſe *in Marchia*, reliqua 2. ſuperioris Styriæ, non *in Marchia*, ſed *in* Ennsthal determinat, ut adeo anteriore tempore Marchiæ nomine, veniſſe ſolum infer. Styriam ſatis probabile videatur.

Immo tardiore tempore id etiam obſervatum eſt; producam enim ex noſtris Diplom. ſuo tempore varia ejus rei teſtimonia, quorum primum eſt de an. 1446. in quo *Joannes Küſter, Archidiaconus*, definit cauſam aliquam matrimonialem in Parochia Vorav. ſeque inibi *Archidiaconum Styriæ Marchiæ inferioris* ſcribit. Secundum eſt ſimile docum. de an. 1455. quo Leonardo Præp. Vorav. intimatur novi Papæ electio ab Erhardo Karmueſs decretor. doct. ac *Archidiac. Marchiæ Styriæ inferioris*: ſimile etiam habetur ab eod. in alia cauſa de an. 1458. ſæc. 16. initio an. 1506. exſtant litteræ Gewini Decani & Conventus Pöllenſ. ad D. Georgium Reiner, *totius Styriæ Archidiaconum*, hoc itaque tempore unus totius Styriæ erat Archidiaconus, in quo tamen factam ſæc. 17. mutationem invenio, anno namque 1649. *Jacobus Abbas Archidiaconus Styriæ infer. & Parochus Græcenſ.* in litteris, ad noſtrum Præpoſitum Mathiam datis, verbum illud *Marchiæ* omiſit, & ſe jam Styriæ inferioris Archidiaconum ſcripſit, quo tempore procul dubio alius etiam per ſuper. Styriam Archidiaconus fuerit. Plura de his per decurſum operis dicentur.

De ſepulturis Romanorum veterum ſæpius jam mentio facta eſt ex MS. Chron. Styr. juvabit ex eodem reliquas omnes adferre mino-

Arnfelſ, an Arupium vetus.

ribus in Styriæ locis factas. *Arnfelſii* in oppido ex Chron. hoc MS. *Venuſtinus Summus Pontifex* ſepultus legitur, an inſcriptio quædam indicet hanc ſepulturam Arnfelſii eſſe, ait quidem, ſed nullam adfert MS. Chron. illud, Megiſerus vero in Carinthia veterem inſcriptionem haberi tradit hujus tenoris.

I. O. M.
VENVSTINVS SVM.
SIGNVM. L. ARVP.
CVLTORIBVS. CVM. BASE.
D. D.

Ad an. *L. Arup.* legendum ſit *Arupium*, utcunque incertum, quod ſi vero hæc lectio detur, nondum tamen inde ſequetur, qualis nam locus, ſub veteri hoc nomine ſumendus ſit, dum Styri, Carinthi, Carnioli Arupium vetus ſinguli ſibi vendicare cupiunt, *Styri, Arnfelſium, Carinthi,* cum Lazio *Auerſpergium*, Carnioli, cum Valvaſorio, & Schönlebenio *locum penes* Modruſch cenſent. Strabo Arupium accenſet urbibus Japidiæ, Metulo, Monetio, & Avendoni, Cluverius illud ad Oram fluv. Tedanii poſitum ſuſpicatur, Lazius *Auerſpergium*, ſed diſtantia, quam Antoninus urbibus Carnioliæ attribuit, Arupio non convenit.

Gleichſtorfii extra Græcium *Lucium Cynpium* ſepultum docet MS. Chron. *Sachſenfeldæ* ad Cilejam *fulium Amianthum.* Gleichſtorf. Sachſenfeldt.

Græcii infra montem Geſaccum, ſeu Schöckl *Quartum Cattæſiclenſem*: montis hujus mentionem fieri a Trebellio Pollione in vita Gallieni Imp. lego his verbis: *Gallienus interea, vix excitatus publicis malis, Gothis vagantibus per Illyricum occurrit, & plurimos fortuito interemit. Quo comperto Scythæ facta Carragine per montem Geſſacem fugere ſunt conati, omnes inde Scythas Marcianus varia bellorum fortuna agitavit &c.* Vereor tamen cum Lazio, hunc montem Geſſacem, cum noſtro Geſacco, confundere, neque enim juvat cum Lazio, Illyrici loco, Dalmatiam ponere, fugamque Scytharum in Pannonias factam docere, hallucinatur namque Lazius prætendens, nullum aliud, quam per Styriam, ex Dalmatia in Pannonias, iter eligi potuiſſe, ex Ptolomæo ſiquidem conſtat, montem Scheckel veteri cetio includi, Pannoniam a Norico, non a Dalmatia dirimenti. Unde vix ab hoc monte Geſſace montem Schöckl derivandum opinor, ne populari auræ plus, quam genuinæ veritati deferre videar. *Geſaccus mons, ſeu* Schöckl.

Redeo ad urbes reliquas, *Vianæ veteris* jam §. XIX. memini, eamque a Cluverio Jaunſtain in Carinthia haberi dixi. Lazium tamen ſecutus Merianus, *Voitſpergam* & Styriæ totius Metropolim ante Græcium, urbemque vetuſtiſſimam putat 3. milliaribus Græcio diſſitam, quod, ut credam, adducar nunquam, nulla enim hujus documenta, immo ratio a nobis §. XVI. producta, id rejicere videtur, cum Styriæ noſtræ, quamdiu Norico & Pannoniæ includeretur, ſpecialem ab his Provinciis metropolim fuiſſe, credibile non videatur, donec documentis id probabilibus doceatur. Alii *Voitſpergam Caſtrum Vogaſtenſe* putant, ad quod an. Chriſti 630. Auſtraſii cum Vindis depugnantes victi ſunt, & fugati, ſed incertæ demum conjecturæ ſunt a Lazio comment. Reip. Rom. lib. 12. ſect. 6. cap. 4. & Eckart. rer. Franc. lib. 12. cap. 11. extortæ, ſicque Lazius authore Meriano Vianam eandem eſſe cum Voitſperga credidit, miror, quomodo idem Lazius eam in caſtrum Vogaſtenſe transmutare potuerit. *Cajum Apalambum* ex Rom. inibi ſepultum tradit MS. Chron. Styr. *Viana an Voitſperga.* *Vogaſtenſe caſtrum.*

Virunum an Judenburgum.

Virunum vetus, quod §. XIX. a quibusdam Volkenmarkt, ſeu *Draburgum* haberi dixeram, *Judenburgum* eſſe, Styriæ ſuper. Metropolim, Græcio 14. milliaribus diſſitum, conjicit Willibaldus Pürkheimer in German. explicatione, aſt non conſonant itinerum intervalla ab Antonino & tabula Peutingeriana aſſignata, longius enim abeſt Aquileja Judenburgum, quam abſit in Antonini itinerario Virunum. Hinc

Idunum vetus.

Schönleben *Idunum vetus*, a Ptolomæo in Norico ſtatutum, *Judenburgum* divinat, eo, quod & nominis affinitas, & reſpectus ad virunum, & Friſacum faveat, in eo conſiſtens, quod Idunum Boreæ magis ab eo authore admoveatur, & nonniſi unica, inter has duas, civitas collocetur, quæ tamen omnia admodum dubia. Illuſtrior tamen Judenburgi origo eſt, quam, ſi more vulgi a Judæis, vel conditoribus, vel incolis, derivetur, nec moveat inſigne Judæum repræſentans, recentior enim eſt ejus inventio, ac poſt vocabuli mutationem inſtituta: certo enim ſæculo 12. exſtitiſſe varia docent Diplomata, bina ex meis adduco. Vnum an. 1182. Ottocari VI. (v. in fine num. 59.) quo Seizenſibus varias conferens eleemoſynas, dimidiam etiam in Judenburg aſſignat; alterum ejusdem Ottocari VI. (v. num. 76.) datum Seccovienſibus, atque an. 1191. vel ſeq. *apud* Judenburg confectum. Tumulum in ea urbe nactus eſt *Cajus Octavius Nepos*, ac pe-

Weißkirchen.

nes eam urbem *Weiskirchii*, *Aurelius Candidus*. v. plura Diſſert. 4. cap. 5. §. 4.

Cæterum, ſi in antiquitate legitima, vel Judenburgo, vel cuicunque civitati injurius eſſem, de ea edoctus libenter meam mutabo ſententiam, & quæ hoc in opere erravi, in ſubſequo emendare conabor.

§. XXVI.

Supereſſent adhuc plures, Norici & Pannoniæ veteris urbes, in Ptolomæo, Plinio, Strabone. Itiner Antonini, codice Præf. Roma-

Veteres urbes.

norum commemoratæ, eæque celeberrimæ, uti *Cetium Arlape*, *Foviacum Bajodarum*, *Carnuntum*, *Sabaria*, *Vindomina Scifcia*, *Sirmium &c.* ſed, quoniam eæ extra patriam noſtram poſitæ ſunt, aliis eas explicandas

Pannonia urbs.

relinquo, quasdam, antequam ulterius progrediar, ſolum attingo. *Pannonia* earum prima eſt, cujus nominis urbem P. Timon imagine antiquæ Hungariæ parte 1. cap. 6. exſtitiſſe memorat, licet de ea altum ſileant Romani, utpote, quibus ſolemne tantum erat urbes evertere, ac extinquere. Urbis hujus Pannoniæ ait meminiſſe regem S. Stephanum in litteris ordinationis Cænobii S. Martini atque ex eadem cauſa mons ille,

Mons Pannoniæ

cui dictum inſiſtit monaſterium, *mons Pannoniæ* adhuchodie vocatur. Addit in urbis hujus confirmationem, lapidem infra Comaromium, ſupra pagum, ab Ephippo cognominatum (Nyerges Ujfalu) ex puteo antiquoan. 1705. extractum, cum Rackoziani Hungari, vetus monumentum reparrent, in quo inciſa hæc verba: *Civitas Pannonia*, eamque ait Timon hodie adhuc, Rhedariis adeo notam eſſe, ut eam digito demonſtrent, infra corrivationem aquarum a Tata defluentium, perque 2. alveos urbis ruinis alluentium ubi etiamnum duorum templorum parietinæ apparent; miror tamen, hæc adeo ignota fuiſſe Romanis geographis, minima etiam

loca

loca ſollicite adnotantibus: quid ſi inciſa illa verba, mutata unica littera fors legenda forent, *civitas Pannoniæ*, atque lapis is, ab aliqua Pannoniæ urbe ablatus, puteo immenſus fuiſſet? quod tamen contendere pluribus relinquo Hungaris pro ea certantibus, cujus præterea ſitus, diſtantia &c. ignota Romanis, & itinerario Antonini.

Carrodunum urbs vetus, inter Dravum & Muram ſita, Ptolomæo teſte, quæ fuerit, nemo divinavit præter Lazium, qui eam plane in Bavariam deduxit, ac pro Kraynburg habuit, quod ſi in confluxu duorum fl. ſitum habuiſſet, Croatiæ urbs fuiſſe videretur, vel Hungariæ. *Carrodunum vetus.*

Oblitus prope fuiſſem urbis, modo mihi viciniſſimæ, quam Lazius denuo antiquitate magna floruiſſe opinatur; *Fridberga* ea eſt, locus nunc vilis, & vico ſimilior, ab Hungariæ limite non procul diſſitus, conſuetis tamen quibusdam civitatum privilegiis ornatus. Urbeculam hanc Lazius ſe inveniſſe arbitratur in veteri urbe *Cardobianca*, quam refert codex Præfect. Roman. At argumentum Lazii ludicrum eſt, & infirmum; cum enim Fridberga ad amnem Pinck vel *Pincka* ſitum habeat, Cardinem quaſi *Bingæ*, ex voce *bianca* more ſuo effinxit inſulſus. *Cardobianca an Fridberga.*

Ommiſſa hac Lazii etymologia, quid de antiquitate urbeculæ hujus ſentiendum? jactatur enim, & affectatur ei, neſcio, quæ vetuſtas; fingitur quondam ad horam fere ampla fuiſſe, Judicem Græcenſ. primas præ Fridbergenſi non obtinuiſſe ajunt, in homagio Carol. VI. Rom. Imp. 1728. Græcii exhibito: plura alia figmenta prætereo, huncque tenuem locum, ante ſæc. 12. vel ſeq. extitiſſe omnino pernego. Ratio non una eſt: etenim urbeculæ hujus, quam ipſe ſæpiſſime adii, nulla omnino ſe pandit antiquitas, nec in lapidibus, nec in monumentis, præter portam quandam ita exeſam, ut currus fæno bene onuſtus, facile tranſire poſſet, quod tamen, aquarum vi e montibus vicinis prorumpente, factum arbitror magis, quam ut ad Ethnicorum Imperatorum tempora locum hunc ideo removeam. *Cardobianca an Fridberga.*

Nulla præterea exſtant de urbe hac, veterum Diplomata, qualia tamen de aliis Styriæ urbibus, Græcio, Leobio, Hartberga, Judenburgo, Mahrburgo &c. obſervavimus ſuperius; non eſt autem credibile, urbem tam vetuſtam, nulli omnino veterum, fuiſſe cognitam, nec aliquo in Diplomate notatam; petii ipſe a Judice civitatis, ut, cujus jactant loci ſui antiquitatem, Diplomatis mihi firmarent, at tuli reſponſum, ſe nulla, niſi a Ferdinando, Joſepho, Leopoldo &c. Augg. habere, unam ſolum traditionem vetuſtati ſuæ ſuffragari, cui tamen nil deferendum cenſeo, vel ex eo, quod antiquitati huic prætenſæ obſtet argumentum, quod ex privilegio Eccleſiæ in Dechantskirchen an. 1161. in parochialem erectæ deſumo; eo in privilegio (v. inter mea num. 20.) dicitur primo de Eccleſia in Dechantskirchen: quod ad ea tempora ſeu an. 1161. *Nullius parochiæ terminis adhuc modo quolibet attinuerit*; dein termini neo-erectæ hujus parochiæ deſignantur *a proximis alpibus inter fluenta Lavenze, & Tuchne iisque ad terminos Hungariæ*, ex his jam ſequens formo argumentum: Eccleſia S. Stephani in Dechantskirchen hora diſtans Fridberga conſtituta eſt parochialis anno 1161. & quidem ita, ut parochialis fuerit inter fluvios, ſeu uſque ad

fluvios

fluvios Laffnitz, & Tuchen seu Tauchen (quod fluentum Tuchæ ultra Fridbergam per horam ad Austriæ fines decurrit.) proin etiam urbeculam Fridbergam, si extitisset, intra suos limites continuisset. Quis vero jam credat? si hic loci urbs tam vetusta, tam insignis, ac ampla exstitisset? eam non fuisse in hoc Diplomate memoratam, vel eidem non in pomæriis suis exstructam fuisse Ecclesiam, ubi sacra fierent? sane cum Diploma cit. bene meminerit. *Ecclesiam* Dechantskirchen *in quadam sylva hactenus inculta, constructam* fuisse, an referre omisisset urbem tam vicinam tam notam tam vetustam.

Novi quidem, plurimarum civitatum veteres parochias extra easdem fuisse locatas, at nunquam extra pomœria, nulla ultra horam ab urbe sua distans: præterea in veter. Diplom. in fine adducendis varii Styriæ urbium occurrunt plebani veteres, uti *de Graze, de Mahrburgo, de Hartberga, de Judenburgo, S. Ruperti ad Rabam &c.* nullus tamen unquam plebanus Fridbergæ; quid quod documenta nostra domestica doceant an. 1443. ex privil. Frider. Archiep. Salisb. dato 12. Novembr. parochiam Dechantskirchen matrem fuisse Ecclesiæ parochialis in Fridberg, & ad S. Laurentium, proin seniorem utraque ut adeo censeam, an. 1161. vix urbeculam, minus parochiam Fridbergensem extitisse: hæc interim, plura ad Diploma num. 20. in fine hujus tomi.

Ut tamen sensum meum de ortu Fridbergæ aperiam, suspicabar olim, eam sæc. 14. vel 15. originem suam sumpsisse, probabilius ex pace quadam cum rebellibus, eo fors tempore ibi sancita, id, quod & nomen Fridbergæ, & insigne ejusdem, 2. manus complicatas, laurumque inter se tenentes exhibens, ostendere videtur: sed jam an. 1200. ædificatam ex mente Anonymi Leob. exhibebo eodem anno. Urbi adjecta olim erat arx præclara, domicilium Dominorum de Vridberg, quorum unum Hermannum an. jam 1070. Lazius adducit, de quibus plura in annot. ad Diplom. 32. meum dicam tom. 2. An. 1543. Andreas Dominus de Rindtscheid arcis hujus possessor erat, an. 1600. post varias lites inter Seyfridum de Rindtscheid, & Joannem Rupertum de Saurau, Dominum de Wöstenburg, arx Fridberg. cum Dominio emptione cessit dicto Domino de Saurau pretio 24000. Floren. Rhenan.; tandem anno 1635. Daniel Præp. Vorav. arcem Fridberg, cum Dominio emit, ab Illustrissimo Domino Joanne Christoph. Bar. de Mündorff, Tutore pupillorum, defuncti Andreæ Sigism. Baronis de Saurau; unde arx ea cum Dominio, hodiedum Vorav. Collegio subest, ex quo Collegio etiam parochia Fridberg. administratur.

Deserta Bojorum an in Norico, vel Pannonia.

Pro Coronide notitiæ urbium veteris Styriæ, fide §. XXI. data me libero, qua, ne inibi res Græcii cæptas, magno hiatu interpellarem, de desertis Bojorum hoc §. me fusius acturum spopondi. Variant enim, ut jam inibi observavi, Authores admodum, an in Norico, an in Pannonia fuerint deserta illa? & siquidem me mea non fallit opinio, variant ita, ob contrarios, ut videntur, Strabonis, & Plinii textus, quos ibidem attuli: cum Strabone, Velserus, & Lazius ea Norico tribuunt, econtra Cluverius, Schönleben, &c. Plinium secuti Pannoniæ; difficultas inde non modica, cum Strabo, & Plinius

coævi,

coævi, circiter fuerint, & uterque magnæ authoritatis, proin ratio non ſit, cur Plinium præ Strabone, vel hunc præ illo quis ſequatur.

Hac ſane in difficultate, Criſis vera docet, authores coævos, ſi fieri poteſt, combinandos eſſe, id, quod hac in re tuto aſſumendum tum quod concordiæ ſpes affulgeat, cum quod pro deſerto fruſtra inter ſe digladientur authores.

Poſſet itaque cum authore germaniæ Auſtriacæ lis hæc Strabonis, & Plinii hoc modo conciliari: ſi Bojorum deſerta Norici & Pannoniæ terminos complexa fuiſſe dicantur, ita tamen, ut neutram exhauſerint provinciam; ſic enim dicendo Plinii textus ſalvabitur docentis: *Noricis jungi deſerta*, neque a vero deviavit Strabo, dum aſſerit, deſerta hæc ad Pannoniam uſque pertigiſſe, etſi per aliquam hujus partem ulterius promoveantur: & ſane hujus mentis fuiſſe videtur Strabo, dum lib. 5. de ſitu orbis ſic loquitur: *Romani Bojos ſedibus ejecerunt, qui, quum ad Iſtrum commigraſſent, apud Tauriſcos habitarunt; bellum adverſus Dacos gerentes, donec tota gens funditus fuit exciſa, agrum vero, qui ad Illyricum pertinebat, deſertum ac pecoribus paſcuum vicinis reliquerunt:* quo ex textu clare videmus, Bojorum deſerta, ultra Norici fines, ad Illyricum nempe, cujus quondam pars Pannonia, fuiſſe protracta; unde, ſi non omnis Styria, certe magna ejusdem pars, cum ſua Metropoli Græcio, his in deſertis ſita fuiſſe videtur.

§. XXVII.

Antequam politicum Patriæ noſtræ ſtatum deſcribam, quæpiam de ejus fluviis ac fertilitate ſuperaddam, methodo eadem, qua cœpi, ut nimirum Norici Mediterranei, ac Pannoniæ ſuperioris flumina prius, dein Styriæ referantur, mox fertilitas ejusdem etiam proponatur. *Norici antiqui* flumina, erant ab ortu *Ænus*, a Septentrione *Danubius*, ab Auſtro & fors ex parte ſolum *Savus*, in Mediterraneo *Dravus*, in Rhætia ortus, ac *Murus* in Norico exurgens, *Anaſus* etiam, & *Juvavus*; *Pannoniæ fluvius* olim *Danubius*, a tergo, mediam ſecabat. *Dravus Savus*, ſeu Saus, & *Arabo* a Danubio exceptus, *a Dravo Murus* ex Norico defluens; *a Savo Colapis*, ſeu *Culpa* abſorbetur. *Drinus*, *Bacuntius*, *Valdaſus*, & *Urpanus*, ſeu Sarwitz. *Flumina Norici medit. & Pannoniæ ſuper.*

Ex his proin Styriam noſtram rigant, *Dravus*, *Murus*, *Savus*, & *Arabo*. Minora flumina Styriæ ſunt *Colapis*, *Saana*, *Murtia*, ſeu Märtz, Kainach, Feiſtritz, Laſſnitz, &c. *Fluvii Styriæ.*

Patria cæteroquin noſtra, ad utramque ripam, qua aut montibus attollitur, aut ſaltibus aſperatur, fertilitate inter paucas nobilis eſt provincia; nullius rei ad victum humanum indiga, multis ad ornatum & voluptatem abundans; frumenti primum copia, quantum cum ſibi ſatis, tum in exteros etiam plerumque redundat: vini quoque multum & pretioſum inferior Styria ſuppetit; nota enim ſunt exteris & adamata Luettenbergenſia, ac Rakerſpurgenſia vina. Arbores frugiferæ; omne genus campi herbidi, magna vis pecoris, nec non ſylvis ſua gratia, quidquid ferarum, avium, quidquid, aut guſtu placet; aut ſpecie, montes omni metallorum, ac ſemimetallorum genere fertiles, *Fertilitas Styr.*

ferro præsertim optimo ditissimi. Pretiosa *Cadmia* (Kobaldt) ad Schlamingam, *sal copiosum* ad Wildoniam, *Hydrargyrum* Landspergæ, *argentum* Zeyringæ, hodie adhuc inveniri testantur nostrarum rerum eruditi, *Tofo* ad Pinggafeldam, *porcellaná terrá* mons Wechsel, *silicibus* alpes variæ, *vitreis lapidibus* Steinbergenses montes eminere reperiuntur. Botanicam, si inquiramus, singulæ fere alpes Styriæ novum conditori suo pretium suppeditabunt, quævis fere planta in Patria nostra inveniri potest, quæ cæteroquin germaniæ inest. In magnis alpibus præsto est *spica* (der Speickh) & *Canpaticum* (Krumpholz) præter hæc *Duronicum album & rubrum* (weiß und rothe Gemswurzel) cujus postremæ species, ipsi etiam Helvetiæ raritas habetur, *Epontica* in montibus *Gesacco* Wechsel, *Branca ursina* in eodem Wechsel reperta est 3. abhinc annis ab Excell. & Perill. Dno. de Furlani Doctore medicinæ Neostadii, & inveniri etiam dicitur in alpibus, quæ semitam clitellariis præbent, seu Samersteig, ad Murum excrescit *Tamariscus* (wilde Cypres) & enecans *Napellus*: ex quibus calumnias cujusdam historiographi refutabis docentis, Styriam nil nisi avennam producere.

§. XXVIII.

Regimen ac status politicus veter. Styr.

Jam de regimine politico, veteris Patriæ nostræ loquendum. Ampliſſima est hæc materia, plurimisque obnoxia difficultatibus, si etiam ommissis ante Christum natum rebus, ad sæculum tantum 10. a nativitate Domini pervenire quis velit. Tentabo tamen pro posse, nec operis difficultate deterrebor, resque ab Incarn. Domini politicas ad sæculum usque 10. enarrabo, de posterioribus Dissert. IV. fusius locuturus. Quamdiu itaque Styria pars Norici & Pannoniæ fuit, harum etiam regimini politico obnoxia paruit; Noricum quidem, antequam Romanis subesset aquilis, proprios habuisse Reges, jam §. IV. ostendi. Idem Styriæ, sub Pannonia comprehensæ obtigisse reor, Pannoniorum enim Duces, seu Reges, Bathonem & Pinnetem, unum a Romanis captum, deditum alterum Synchroni nos docent historici. At de his multum mihi dicendum non superat, qui historiam Styriæ a Christo nato solum enarrare proposui: sæculo vero primo, ejusque initio, & Noricum, & Pannoniam Romanis subjectam fuisse, inter omnes constat, Augusto itaque Romanis dominante, Styria, cum Pannonia, & Norico Romanis subesse cœpit, tumque per Procuratores, seu Præsides omnia acta, & quamquam succeſſivis sæculis barbari varii Patriam nostram turbarent, Romani tamen juris perstitit Styria præcipua sui parte (partem enim Pannoniæ Marcomannis cessisse sæc. 3tio opere in ipso dicam) Hunni sæculo 4. Domini Pannoniæ & Norici esse attentarunt quidem, ast Romani cum Gothis eas ipsas terras eripuerunt denuo, sibique vendicarunt, donec Ostrogothis cederent concessu Martiani, modico licet tempore cum Hunni vastatores iis continuo inhiarent, quibus sæculo V. se etiam conjunxere Heruli, Thuringi, Alemanni, pessime has terras proculcantes. Longobardorum dein imperium subiit Styria nostra eo etiam tempore, quo hi in Italiam profecti

fecti ſunt, jus enim ſuum in Forojulienſibus Ducibus de Longobardorum prognatis ſanguine, retinuerunt ad Caroli M. tempora.

Ingens ex his oritur difficultas, in aſſignandis Styriæ Prætoribus, per Romanos conſtitutis, circa quos ſequentes ſtatuo regulas in decurſu operis & obſervandas & conſolidandas. *Regula Præton. Styr. Roman.*

Regula 1*ma*: Cum ex Tacito, aliisque coævis hiſtoricis ſæculo 1. & 2. fere medio, diſtinctos ſemper Norici, & Pannoniæ, ac Vindeliciæ Prætores, Præſides, Legatos inveniamus, etiam nullum, quem vindeliciæ Præfectum fuiſſe novimus, ideo Norici & Pannoniæ, proin Styriæ noſtræ Præſidem dicemus: malumus enim modeſtius Præſides noſtros ignorare, quam alienos emendicare. *Reg. 1. pro ſæc. 1. & 2.*

Regula 2*da*: Sæculo 2. fere medio elapſo & tertio, non raro contigit, ut, qui vindeliciæ, iidem ſimul & Norico præeſſent, proin ſaltem parti Patriæ noſtræ maximæ, quæ reg. prohabitur anno 243. *Reg. 2. pro ſæc. 2. & 3.*

Regula 3*tia*: A tempore diviſi inter 4. Monarchas, Conſtantium, Maximianum, Herculium, & Diocletianum, ac Galerium Maximianum, Imperii, ſeu ab an. circ. 292. non amplius iidem erant Præſides Vindeliciæ, & Norici. Vide ad an. 294. *Reg. 3. pro ſæc. 3. fine.*

Regula 4*ta*: Eodem hoc tempore, quo Pannonia ſuperior, & Noricum utrumque (proin Styria tota) Illyrico ſunt attributa, regebatur Styria primario per Præfectum Pannoniæ ſuperioris, teſte Pancinolo, Proconſularem, quamvis hic perſecutionis Chriſtianæ tempore varios alios ſub ſe Præſides, & capitalium rerum Judices haberet. V. an. 294. *Reg. 4. pro ſæc. 3. & 4.*

Regula 5*ta*: Sæculo 5. perturbatiſſimo, nulla certa Præfectorum Norici & Pannoniæ ſucceſſio, nec ſubordinatio fuit, & valde probabile mihi videtur, hiſce bellorum turbis paucos tantum fuiſſe his in terris Romanorum Præſides, qui ſimul rei militaris, ſimul Provinciæ curam geſſerunt. Vide init. ſæculi 5. *Reg. 5. pro ſæc. 5.*

Regula 6*ta*: A ſæculi 6. an. 526. Styria ſub Longobardis fuit, & Romanis erepta, & dum Longobardi circa an. 567. emigrarent e Styria hujus pars plurima, & fere omnis, ſub Ducibus Forojulienſibus fuit, donec circa ſæculi 8vi. finem ſeu an. 791. & ſubſequos ſub Caroli M. Imperium concederet. *Reg. 6. pro ſæc. 6. 7. & 8.*

Regula 7*ma*: A tempore Caroli M. Styria, extincto Longobardorum Imperio, Comitibus limitaneis paruit, Bavaris nimirum aliqua ratione ſubjecta, nunquam tamen Marchionibus Carantanis. V. Diſſ. IV. quæ etiam ſæculi 10. regimen ſub propriis Marchionibus exhibebit. *Reg. 7. pro ſæc 8. 9. 10.*

Regulas jam has præfigere ideo ſtatui, ut benevolus Lector videat, me non Aventini, Megiſeri, ac hujus exſcriptoris, authoris Chronici MS. Styriæ rationes, in Prætoribus Styriæ ſectari; nam author. Chron. MS. Styr. ex Megiſero, hic ex Aventino ſuos conflavit Præſides, ſufficiens ſibi argumentum uterque habere viſus, ſi quem Vindeliciæ legeret in Aventino eundem & Norico ſtatueret Præſidem. Megiſerus quidem antiquum catalogum, Ducum Provinciæ, Norici utriusque adducit, aſt interpolatum, & mancum, ut ipſe fatetur, & utinam non totum erroneum: de quo catalogo, cum, cujus antiquitatis ſit? ignorem, idem mihi, quod Velſero lib. 6. rer. Vindelic. fol. 289. ſentiendum videtur dicenti: *Sunt tamen & apud hunc, & apud quemdam,* *Obſervatio de catalogis Præt. Styr. Aventini Megiſeri, Chr. MS. Styr.*

qui vaniſſima item temeritate perpetuum Præſidum Rhætiæ catalogum edere profeſſus (Aventinum, & Oroſium deſignat) *alii adhuc inanioribus nixi ſuſpicionibus, de quibus, ſi ſingillatim ſuis quibusque locis dixero, meo me ſimul, & Lectorem otio video abuſurum.* Temeritatem, ait Velſerus, edere velle catalogum Rhætiæ Præſidum. Id ipſum de catalogo Præſidum Styriæ perpetuo, & non interpolato arbitror, cum Styriæ res, magis ac Rhætiæ, ſpiſſis tenebris ſint obvolutæ: *Quapropter*, & ipſe cum Velſero citato, *iterum & ſemel moneo, quos Aventinus, & alter ille* (Oroſium intelligit Velſerus, ego Megiſerum & authorem Chron. MS. Styr.) *prodidit, omnes a me viſos, omnes penſiculate examinatos, eos tantum receptos, quorum fides certis probatorum authorum teſtimoniis ſubſiſteret. Cæterum tempora nominibus Imperatorum, quibus Rhætia* (Styriam ego ſubſtituo) *paruit, & annorum numeros numeris diſtinguere ſatis habui:* hæc præmittenda duxi operi noſtro, ne eadem ſæpius repetere cogar.

§. XXIX.

Subjiciam tamen, modicam ideam meam de Prætoribus Styriæ, ſeu ſchema quodpiam, quo ſæculo cuivis ſui aſſignantur Prætores ſimulque, quantum fieri potuit, annus additur, quo dicta hic ipſo in opere deinceps probabuntur.

PRÆTORES ROMANI,
STYRIÆ
In
Norico, - - - - - - & - - - - - - Pannonia,
Comprehenſæ,

SÆCULO CHRISTI I.

Petronius Præſes an. 68.
Cornelius Fuſcus Procurat. an. 69.
Claudius Reſtitutus Præſes an. 89.
Sub dubio.
Bato Dux an. Chriſti 6. & 8.
Pinnetus Dux.
Junius Blæſus, Præfect. Legion. Pann. an. 14.
P. Attilius Hiſter. an. 64.
T. Ampius Flavianus Procurator Pann. an. 68.

SÆCULO II.

Soſius Senecio an. 108.
Polennius Sebennus Norici Præf. an. 193.
Ælius verus Dux & Præf. an. 136.
Ælius Baſſus Præf. an. 169.
Severus Præſes an 180.
Sabinus Pan. Præf. Conſul. an. 193.

SÆCULO III.

Valerianus Prætor an. 243.
T. Varius Clemens an. 253.
Dio Caſſius Præf. an. 229.
Æmilianus Dux Legion. an. 253.

Præf.

Præf. in Norico An. 259. Præf. in Pannonia.

Pars Styriæ Marcomannis ceſſit.

Fulvius Bojus Præfect. an. 258. Sed valde dubius.

Ejulaſius Prætor an. 284.

Ingenuus Dux Pann. an. 259.

Claudius Præſes Illyrici, & Dux Leg. Pann. dein Imp. an. 261.

Fl. Manutius Præf. an. 285.

Galerius Cæſar, Dux Illyr. & Pan. Super. Proconſ. 292. ad 305.

In *diviſione Imperii inter* 4. *Monarchas* Pannonia & Noricum, proin Styria data Galerio Maximiano.

Aquilinus Prætor. Norici Ripenſ. an. 292. & 294.

Amantius Præſ. Pan. ſup. 294. Et Proconſ. Præf. ab an. 305.

SÆCULO IV.

Martinanus Præſes Norici medit. an. 315.

Probus Præſes Pannon. inferioris an. 304.

An. 311. Styria ſub Licinio.

An. 314. ſub Conſtantino M.

An. 332. conſtitutis 4. Præfectis Prætorio Styria primario ſub Præf. Prætorio Italiæ, ſub quo

PRÆSIDES, & VICARII.

Norici mediterr. & Ripenſ. ignorantur, officiales tamen militum ab his Præſidibus, & Vicariis diſtincti.

Pannoniæ primæ Præfectus Proconſularis, ſub quo & *Pann. 2da Savia*, ſeu *Ripuaria* ſolum *Correctorem* habuit.

Præf. *in Norico.* Præf. *in Pannon.*

An. 337. Styria ſub Illyrico contenta Conſtanti ſubjecta.

An. 350. Styria cum toto Rom. Imp. ſub Conſtantio.

Vetranio Pan. Copiar. Dux an. 350.

Tyran. Anatolius Illyr. Præf. 358.

Africanus Corrector Pannon. 2dæ an. 358.

An. 361. Styria cum toto Rom. Imp. ſub Juliano.

Florentius Illyr. Præf.

An. 362. Styria ſub Joviano Imper.

Mamertinus Illyr. Præf. an. 362.

An. 364. Styria ſub Valentiniano I. Imper.

Meſſala Pann. Rector. an. 374.

Mamertinus idem Africæ, Italiæ, & Illyr. Præf. an. 364.

Marcellinus vel Marcellianus Pan. Valeriæ Dux an. 373.

Probus Anicius Præf. Prætor. Illyr. an. 369.

Æquitius Illyrici Comes an. 373.

An. 375. Styria ſub Valentiniano II. Imper.

An. 379. Styria Illyrico occidentali aſſerta, etiam ſub Valentiniano II. Imper.

An. 388. Styria a Theodoſio Valentin. II. Imp. reſtituitur.

An. 394. Styria ſub Theodoſio I. Imp.

An. 395. Styria ſub Honorio.

SÆCULO V.

An. 423. Styria ſub Theodoſio II. Imper.

Norici Præſides. *Pannon. Præſides.*

Generidus Præf. Rhætiæ Norici - - - - & Pannon. ſuper. 409.

An. 425. Styria cum occident. Imperio ſub Valentiniano III. Imp. an. etiam 437. licet reliquum Illyricum cederet Theodoſio.

Primatus Noric. region. Præf. an. 447. 450. Pannoniæ a Valentiniano III. relictæ Martiano orientis Imp. tanquam propugnacul. orient.

An. 453. *Styriæ pars in Pannonia* ſub Oſtrogothis *pars maxima Styriæ in Norico* ſub Rugis, Herulis Scyris, Gothis, Gothi tamen ſemper fuere Romanis tributarii.

An. 455. *Pannonia*, proin *pars Styriæ* recepta ſub Avito Imper. a Romanis, quoad ſolum tamen, & inanem juris ſupremi titulum.

An. 473. Oſtrogothi e *Pannonia*, *proin Styriæ parte* migrant, Præfectos tamen ſuos inibi relinquentes.

An. 489. Oſtrogothi omnem omnino *Pannoniam* deſerunt.

An. 493. *Noricum & Pannonia*, proin tota *Styria* ſubeſt Gothorum Regi Theodorico.

SÆCULO VI.

Norici Præſides. *Pannoniæ Præſides.*

Severinus Præf. teſte Velſero, & Aventino circa an. 505. ſed ex Caſſiodoro lego, eum Judicem delegatum *Pannoniæ* ſors utrumque ſimul munus geſſit.

Coloſſæus Præf. *Pann.* Sirmienſ. an. 505.

Fridiladus Præf. *Pannon.* Saviæ an. 505.

Oſus vel Oſuinus Præf. Saviæ vel Suaviæ an. 526.

An. 526. *Styria* cum *Pannonia & Norico* ſub Longobardis conceſſu Juſtiniani Auguſti.

Norici Rip. pars. Sub Francis.

Pannonia Savia Goth. Regi Athalarico relicta.

An. 567. Pars *Styriæ*, emigrantibus Longobardis *cum Pannon. fere omni & Norico Ripenſ.* fit Hunnorum *Cilejenſis tamen tractus*, & forte *pars Pannoniæ ſuper. cum Norico mediterr. proin Styria fere* tota ſub jurisdictione Giſulfi Ducis.

An. 592. Hunni, & Sclavi *Pannoniam ſuperiorem*, & *Noricum mediterraneum* occupant, & vaſtant, mox tamen recedentes: hinc *Styriæ præcipua pars* ſub Forojuliens: Ducibus remanſit.

SÆCULO VII.

Styria omnis ſub jurisdictione Ducum Forojulienſium, ſubjectorum Regibus Longobardis.

Duces

Duces Foroj. fuere ſequentes:

1. *Giſulfus* Dux Foroj. & Styriæ etiam, primus ab an. 568. ad 610. vel 615.
2. *Thaſo & Caco* filius ab an. 610. vel 615. ad 622. teſte Rub. an. 616.
3. *Graſulfus* ab an. 622. vel 616. ad 661.
4. *Ago Succ.* ab an. 661. & præeſt ad an. 663.
5. *Lupus Dux* ab an. 663. uſque ad an. 664.
6. *Warnefridus* Dux eod. an. 664. obiit occiſus.
7. *Wectaris* Dux VII. ab an. 664. ad an. 695. teſte Rubeis.
8. *Landaris* Dux ab an. 695. ad an. incert.
9. *Rodoaldus* an. incerto ſucceſſit circa 696.
10. *Ansfridus* de Reunia ſucceſſit an. circa 696.
11. *Ado vel Aldo* præfuit an. 1. menſ. 7. ante an. 702.
12. *Ferdulfus* pauco tempore præfuit, & poſt hunc
13. *Corvulus* teſte Paulo Diac. lib. 6. c. 25. tandem

} v. an. 705.

14. *Pemmo* Dux ſucceſſit an. 705. ad 734.

SÆCULO VIII.

Ad hoc ſæculum reducendi ſunt Duces Longobardici, Styriæ noſtræ imperitantes nimirum *Ansfridus* de *Reunia*, *Ado*, *Fertulfus*, *Corvulus*, & *Pemmo*.

Ab an. itaque 705. ad 734. Pemmo præfuit, at eo in vincula dato

15. *Ratechiſius* ſucc. qui an. 744. Rex Longob. factus, ſucceſſorem.
16. *Anſelmum* juſſit, qui an. 749. Monachus factus eſt, cui ſucc.
17. *Petrus*, huic incerto an. defuncto ſucceſſit an. circ. 774.
18. *Rotgaudus*, qui turbarum author an. 776. cæſus eſt, cui
19. *Marcarius* a Carolo M. ſuffectus eſt.

Anno 774. itaque Longobard. regno extincto, Styria ſubjecta eſt Carolo M. Ducibus tamen Forojulienſibus, uti Rotgaudo & Marcario paruit, veluti Caroli M. Imp. fiduciariis.

An. 776. Rotgaudo cæſo, Marcarius Francici generis, Styriæ præfuit tanquam Marchio, nam an. 788. Marchia Forojul. cœpta eſt.

An. 791. *Styriæ pars* ſub Hunnorum jugo ſuſpirans, a Carolo M. erepta eſt, proin tota Carolo M. paruit.

An. 796. an *Geroldus Bajoariæ Præfectus*, & *Pannonici limitis* Comes, etiam *Styriam* noſtram fiduciario jure rexerit? utcunque probabile videtur, licet enim *Norici & Pannoniæ* limites confuſi fuerint, tamen & Bajoariæ Præfectus proximior, Styriæ limiti contra Hungaros præcipuo, & Marchio Forojulienſ. remotus nimium, ac ampliſſimo cæteroquin territorio Forojuliano, & Tarviſino præditus erat. Perſpicimus ex hac ſerie id, quod Diſſert. 4. docebitur, Styriam nunquam ſub Marchion. vel Ducibus Carantanis fuiſſe, ſed ubi Longob. ac Forojul. Ducum regimen abrogatum eſt, Baojoariæ Præfectis & Ducibus parere quodammodo Styria cœpit.

An. 799. *Goteramus* Comes *limitis Pannonici*, proin etiam *Styriæ*, de quo Aluſinus ad Arnonem agit. V. an. 802.

SÆCULO IX.

An. 806. In divisione Regnorum a Carolo M. facta *Noricum*, & *Pannonia* Pippino cessit, ast illo

An. 810. defuncto probabilius *Styria*, non a Præfectis Bernardi Regis filii Pippini, sed a Comitibus per ipsum Carolum M. constitutis gubernata est.

An. 811. Geroldus II. *Pannoniæ* seu limiti *Avarico* præfectus, proin etiam *Styriæ nostræ* Marchio fuit.

An. 828. *Radbodus* successit Geroldo in Marchia, seu Comitatu *limitis Avarici*, *Danubiani* etiam dicti, ac *Pannoniæ superioris*, & *terræ super Dravum* sitæ, *Salacho* autem, cum Pannonia infer. obtinuit, in hac nova divisione, etiam *agrum Celejensem*: & quamvis *Carentania* & *Carniolia* Carolomanno concessa fuerit, *Styria* tamen & *Austria* sub Ludov. Rege Germaniæ permansit, ut an. 871. ostendetur.

An. 836. *Privvina*, aliis *Brunno* in *Styria infer. circa Celejam* tanquam Beneficiarius collocatur.

An. 848. Eadem illi in proprietatem datur, cui

An. 868. In paterna ditione *Hezilo filius* successit.

An. 872. Carolomannus in celebri illa divisione Imperii Forchamii celebrata, obtinet *Noricum & Pannoniam* proin etiam *Styriam*.

An. 880. Mortuo Carolomanno *Styriæ Dominium* cum Bajoaria, adeptus est Ludov. Rex Germaniæ, & frater Carolomanni, Arnulfo vero hujus filio sola relicta est hoc tempore *Carantania*.

An. 882. Mortuo Ludov. II. Germ. Rege successit in regno Bajoariæ, proin etiam *Austriæ* & *Styriæ*, Carolus Crassus Imperator, Arnulfus autem *Pannoniæ* interim Præfectus erat. V. an. 883.

An. 887. Arnulfus fit Rex Germ. Bajoariæ, ac Princeps *Styriæ*.

An. 896. *Brazlavo*, seu *Bratislaus* Nepos Priwinæ, & filius Hezilonis, Pannon. infer. ac *partis infer. Styriæ Dux* hoc an. *universæ Pannoniæ Præfectus est* ab Arnulfo Imp. reliquæ autem Styriæ, quæ modo Austria inf. appellatur, Arbonem præfuisse, vel Luitpoldum opinamur.

An. 898. *Arboni* ob turbas Moraviæ denuo ammoto successit *in dicta Styriæ parte* Luitpoldus illustris Marchio.

An. 900. Obiit Arnulfus Rex Germ. Bojoar. & Princeps *Styriæ* successit Ludovicus ejus filius.

SÆCULO X.

An. 907. In *illa Styriæ parte*, quæ nunc *Austria inferior* audit, post Luitpoldum hoc an. cæsum succ. *Arnulfus* filius, reliqua de *Styria ignorantur*, nec enim de *Brazlavone*, seu *Bratislao*, nec de ejus successore quidquam memoratur amplius.

An. 911. Ludovico Regi Germ. Arnolfi filio, & bene a Ludov. III. vel IV. Imp. Bosonis filio, distinquendo succ. Conradus Rex Germ.

An. 916. Arnolfo ad Hungaros fugitivo suffectus est partis saltem *Styriæ*, *Rudigerus de Pechlarn* Marchio orientalis.

An. 920. *Styria* conceditur *Arnolfo Bav. Duci*, jure supremo tamen Henrico regi relicto.

An.

An. 928. & 935. Hungari adhuc Auſtriam infer. proin, & *Styriæ* partem ſibi ſubjectam tenuere, & anno 916. defuncto Rudigero ſeniori ſucc. in Marchionato Auſtriæ, & *Styriæ*, Rudigerus junior Comes de Beehlom an. 920.

An. 936. Eberardus filius Arnolfi, ad tempus *Dux Bavariæ, Auſtriæ*, & *Styriæ* Princeps fuit.

An. 938. Bertholdus, depoſito Eberardo, Dux Bajoariæ, *Princeps Auſtriæ, ac Styriæ.*

An. 948. Bertholdo def. ſucc. Henricus I. Ottonis M. frater, Dux Bavariæ, *Auſtriæ*, & *Styriæ* Princeps.

An. 955. Circ. def. Henrico I. Ottonis M. fratre, cum Hungari crebrius inſiſterent terris noſtris, marcis puribus plures ſunt præfecti, atque hoc tempore *marcæ Styriacæ Ottocarum I.* Præfectum fuiſſe cenſeo. Chronotaxis ſubſequa ex Diſſert. 4. patebit.

§. XXX.

Vides in hoc ſchemate, amice Lector! fata & revolutiones Patriæ noſtræ, quoad regimen ac ſtatum politicum, quoniam autem in eo diverſa occurrunt nomina Præſidum Procuratorum, Prætorum &c. eorundem expoſitionem quandam, ut Romanis uſui erant, ſubjungam: *Præſidum Provincialium poteſtas*, teſte Velſero lib. 3. rer. Boicar. fol. 91. *cognitio & curatio rerum provincialium erat, nam his vocabulis, eruditi poteſtatem definiunt; Imperium, quod procuratione rei militaris continebatur, alteri cuipiam, Comitis primum, deinde Ducis titulo demandabatur.* Ex quibus colligitur, Præſides Provinciarum diſtinctos fuiſſe a Præfectis legionum ſeu rei militaris in Provincia. *Præſides Prov. Diſtincti a Præfectis Legionum in Provinc.*

Præſides (nomen enim hoc generale latiſſimo ſenſu omnes Rectores Provinciarum notabat) alii erant *Prætorii*, alii *Conſulares.* Equites eos fuiſſe, ait Strabo, Pagius tamen ad an. Chriſti 94. num. 2. oſtendit, eos non ſemper ex ordine equeſtri fuiſſe aſſumptos. Ambo hi ab Imperatoribus miſſi, jus gladii etiam in milites habuerunt, & habitu uſi militari in Provinciam ſunt profecti, Dione teſte. Præterea eorum regimen, non annuo tempore, ſed Imperatorum libitu eſt circumſcriptum, eo, quod teſte Suetonio, in Octaviano cap. 47. *Validas Provincias, annuis Magiſtratuum edictis Regi, nec facile, nec tutum eſſe*, cenſeret Octavianus. Præſides hi maxima poſt Imp. authoritate in Provinciis ſuis ſunt uſi, ita habemus lib. 1. digeſt. tit. 18. lege 4. 11. 12. iidem ex præſcripto legum codic. Theod. lib. 1. tit. 6. leg. 4. 5. in colonia, ſi una tantum, in præcipua earum, ſi plures erant, morabantur, ita tamen, ut pro rerum, temporumque ſtatu, reliqua ſuæ jurisdictionis loca peragrare non intermitterent. V. cod. Juſtinian. lib. 1. tit. 41. leg. 14. *Præſides Prætorii ac Conſular.*

Procuratorum nomen crebrius apud Tacitum occurrens, ſuſpicionem ingerit, id pro nomine Præſidis fuiſſe ab eodem uſurpatum, diſtinctos tamen a Præſidibus, ſaltem jus vitæ necisque habentibus, inſinuat Tacitus in vita Agricolæ dicens: *Legatos in ſanguinem Procuratores in bona ſæviiſſe.* Procuratoribus ergo cura Tributorum data, eo- *Procuratores qui*

rumque, quæ ad Fiscum pertinent; successivo tamen tempore, immo ævo etiam ipsius Taciti Procuratores iidem erant, qui Præsides: certe Pontium Pilatum novimus Procuratorem Judææ, Præsidis loco dictum, pluresque alios Procuratores, si equites vel Liberti erant, *Rationales* sunt dicti.

Rationales.

Judices.

Judices, quia jurisdictioni præerant, in variis marmoribus inveniuntur, iique probabilius fuerunt, qui *Præsides.*

Pro-Consulares.
Pro-Prætores.

Pro-Consulares, *Pro-Prætores*, Dio in Italia, extra Præfectos institutos ait, & apud Tacitum, P. Ostorius, unus idemque Britaniæ Pro-Prætor & Legatus, paucis interjectis versibus legitur. Omnes hi absentium vel mortuorum loco, ne Provincia Domino vacaret, regebant Provinciam.

Præfecti legion.
Procuratores rei militar.
Comites, Duces, Imperatores.

Præfecti legionum, seu *rei militaris Procuratores* quinam fuerint, jam supra diximus, hi deinceps *Comites*, *Duces*, & *Imperatores* sunt dicti; quibus etiam, licet raro admodum, ex voluntate solum Augustorum, Prætorum officium datum est.

Præfecti tamen sine addito, iidem fere, qui *Prætores*, vel *Præfecti*, *Præsides*, & *Legati* audiebant.

Rector, Correct.

Rectoris titulus & officium idem cum Prætoris vel Præfecti. Ast *Corrector* Prætori, seu Præfecto, præsertim Proconsulari suberat.

Marchiones, seu Comites limitan.

Recentior erat denominatio *Comitum limitaneorum*, seu *Marchionum*; nomen hoc, & dignitatem Blandus Volaterranus a Longobardis derivat, ast Muratorius aliique a Carolo M. & Francis Imperatoribus:

Marchia, & Masca quid.

Marchia enim, vel *Marca* juxta primævam institutionem, intelligebatur *regio limitanea*, contra vicinum hostem defendenda, & a *Marchæ* nomine & officio *Marchio* dicebatur Provinciæ, seu regionis talis Rector: decursu tamen temporum in quocunque meditullio marchæ sunt locatæ, nec amplius a marcha marchio, sed a marchione marcha est appellata; & quanquam, *Comes*, *Dux*, *Marchio* differrent, una tamen, eademque persona, triplici hoc nomine & dignitate insigniri poterat, *Comes* nimirum, quia urbi ejusque agro aut regioni præfectus erat, *Dux*, quia Provinciam moderabatur.

Comites Marchiones Duces.

Atque hoc, ad schema intelligendum adduci oportebat, in quo simul ostensum Styriam tanquam partem Norici & Pannoniæ quondam fuisse Illyrico attributam v. §. IV. id, quod in opere ipso ad an. 332. & 337. exponetur; & licet dein Illyricum ipsum in orientale ac occidentale tribueretur, Styria tamen an. 379. Illyrico occidentali asserta est, & Gratiano Imp. relicta, atque sic quoque ab an. 425. sub occidentali imperio remansit semper.

§. XXXI.

Styria an sub Boicis & Carantan. Princip.

Major nos quæstio exagitat, & difficultas, quid nimirum post barbaros, Hunnos præsertim ac Sclavos, a Carolo M. devictos, Patriæ nostræ contigerit? novimus enim circa an. 453. Styriæ partem in Pannonia sub Ostrogothis, reliquum Norici sub variis gemuisse barbaris, tandem vero cum integra Patria nostra an. 493. Gothis sub Theoderico, & an. 526. Longobardis cederet; his emigrantibus plurima

Styriæ

Styriæ pars excepta ea, quam Hunni incolebant, Forojulienſibus Ducibus regenda relicta eſt ab iisdem nec Carolus M. extincto etiam circa an. 774. Longobardico regno, Forojulienſibus Ducibus, id regimen abſtulit, donec hi rebellione cœpta Styriam cum Forojulio, amitteren:; impoſito etiam marcæ Forojulienſi Comite generis Francici. Præterea ex dicendis patebit, circa an. 791. Hunnis fuſis, fugatisque Styriam, ac omnem Auſtriam Caroli M. juri ſuiſſe aſſertam.

Ex his, inquam, quæſtio oritur, an Styria penes Marchiones Forojulienſes denuo a Carolo M. conſtitutos remanſerit? an vero Pannonici limitis Comitibus neo-erectis ſubjecta fuerit? præterea an dein Carantanis Principibus? an Bojis paruerit, ac obnoxia fuerit? ac quomodo?

Styria ſub Comitibus Pannon.

Qua in re primum cenſeo, Styriam tanquam limitem contra Hungaros præcipuum, datam eſſe, Pannonici limitis, ſeu avarici comitibus a Carolo M. erectis tum quod Styria proximior his, & quaſi neceſſaria ad refringendos Hunnorum motus fuerit, cum quod Marchio Forojulienſis diſtans a Styria valde, ampliſſimum cæteroquin diſtrictum nempe Forojulienſem, & Tarviſinum obtinuerit. Sic nempe Geroldus, Hildegardis, Caroli M. nuper conjugis frater, Bajoariæ Præfectus ſimul, & Comes Pannonici limitis factus eſt, cui varii ſucceſſere nominibus quidem ſuis ſat incogniti, & ſolum titulo Pannonic. Comit nobis noti.

Styria ſub Principibus Bojis.

Atque ab eo tempore Styriæ noſtræ, quod Auſtriæ, factum opinor, ut nimirum a Coroli M. ævo; Styria & Auſtria, ceu Germanici Imperii ac præcipue Bavarici regni limes, a Bajoariorum Regum Præfectis & Comitibus regeretur, ac contra Hungaros ab ortu imminentes defenderetur; cum enim vetuſtis illis temporibus, antiqui Bojorum Duces & Reguli, non impares regibus, totiusque vaſtiſſimi tunc Norici Domini fuerint, in omni Auſtriæ & Styiæ parte, late, plenaque cum poteſtate imperarunt; Hæcque cauſa eſt, quod tum nihil de Marchia, vel Marchionibus Styriæ audiretur. Tandem dejectis Ducibus Agilolfingicis, ubi Carolingici, ſeu Francici Reges tenerent Bajoariam, firmiter ſecum conſtituere, hunc vaſtiſſimum Bajoariæ ducatum, ita diſſolvere, nunquam ut deinceps tota amplitudine ſua coaleſcere, & Germaniæ quietem, uti prius, valeret interturbare; ſicque diviſis provinciis, interiora terræ, Comitibus, limites, Marchionibus cuſtodiendos commiſere, quos uti nutu ſuo impoſuerant, ita & pro libitu removebant. Arnolphus quidem Imperator tam improvide, quam incommode iterum agebat, ut Leutoldum quemdam, licet fortaſſe ſibi cognatum, vel agnatum, univerſæ iterum Bajoariæ cum elogio Ducis præficeret; inde enim Arnolpho malo hujus Leutoldi filio iter inſtravit vetus Bojarum regnum affectandi, ea maxime opportunitate, quod iis temporibus Carolingici Reges, in Ludovico infante, emorerentur; ſed ambitum Arnolphi mali Rex novus Germaniæ Chunradus, eouſque repreſſit, ut eum ad Hunnos veteres molitionum ſuarum ſocios, profugere coegerit. Redeuntem Henricus Rex, cui rurſum obſequi cunctatus eſt, regio ſaltem nomine abſtinere coegit, Ducem eſſe cum ampliſſima in Eccleſias Bajoariæ poteſtate connivendo permiſit, defuncto dein Arnolpho, Otto I. Imp. ejus filios, quod Bavariam tanquam avitam repoſcerent hæreditatem, penitus excluſit, &

ducatui illi Bertoldum Arnulfi fratrem, non jure sanguinis, sed mero beneficio suo ad nutum revocabili præfecit, ut fusius in opere declarabitur.

Nequaquam igitur dubito, Marcam Styriæ, una cum Carantano limite, olim Bajoariæ subjectam, immo ejusdem limitem fuisse.

Marchiones Styriæ sæc. 10. an subjecti Bavar.

Quæ jam difficultas magis urget, ea est an. sæc. 10. erectis jam specialibus Austriæ & Styriæ marchis, marchiones hi adhuc Bavariæ Ducibus obnoxii, & subjecti fuerint? & quidem quod marchiones Styriæ a temporibus Ottocarorum concernit, censeo omnino, marchiones nostros nulla in re fuisse Ducibus Bavariæ obnoxios, quam, quod ad Comitia Bavariæ comparere debuerint. Ratio hujus ex eo desumitur, quod obligatio major & onus gravius, nostris marchionibus impositum, ab authoribus adversæ sententiæ probari debeat: si etenim omnia Diplomata, fundationes, donationes, dotationes, concambia, aliaque instrumenta publica, nostrorum Ottocarorum inspiciantur, nuspiam mentionem licentiæ vel authoritatis cujuspiam, a Ducibus Bavariæ interpositæ inveniemus; Ministeriales suos iidem instituebant, confirmabant summo jure: iisque ad donationes, ac dotationes Monasteriorum, facultatem tribuebant, bella inter se gerebant, & cum aliis, quin Duces Bavariæ respicerentur, matrimonia liberrime contraxere, inter se dotes, contractus instituere, nullo habito ad Duces Boicos respectu, quæ omnia ex Diplom. in fine operis adducendis patebunt amplius, ut adeo soli Cæsari obnoxios, Marchiones nostros a sæc. 10. fine facile perspiciet quisque.

Gundlingius quidem celeberrimus in observat. de Henr. Aucupe §. 36. pag. 266. authoritatem Ducum Bavariæ in vicinos, proin etiam nostros Marchiones se pari modo, ut Metropolitani potestatem in omnes integri alicujus regni Episcopos ac Præsules extendisse opinatur, quod, quamvis non probet, tamen sententiæ meæ vix vel parum officiet, quanquam enim Marchiones nostri evocari a Duce potuerint, ubi vel belli tempestas immineret, vel deliberandum de salute, vel gentis, Regis, aut pacis tuendæ causa, exercitus conducendus foret, argumentum hoc nihilominus non supremi, & alti Dominus territorialis, sed supremæ solum Præfecturæ foret, uti enim Metropolitanus jussa summi Pontificis, ita pariter Dux Bavariæ jussa solum suprema Regis exequebatur.

Quapropter, si etiam ad curias Ducum Bavariæ convolabant Marchiones nostri, ad eos sane conveniebant, non, ut parerent Ducibus Bavariæ, velut Dominis terræ, sed ut Præfectis regiis: nec quidquam hanc in rem probant comitia Tulnæ an. 985. ab Henrico Bav. habita, in quibus, teste Aventino, sententiam summo jure dixisse fertur Henricus Boicus; etenim, ut eo anno dicetur, uti & Dissert. 4. in Ottocaro I. plures in ea narratione errores admisit Aventinus, & Henricus Boicus, non supremo jure, sed tanquam arbiter cum Henrico Duce Carinth. ab Ottone III. constitutus sententiam dixit, nec Marchionibus, sed solum Episcopis, Præsulibus, nobilibus, arces ac castella erigendi copiam fecit, nec quidquam de Marchionibus statuit. Sane bella a nostris subin Marchionibus cum Bavaris, contra Austriacos gesta. Supremam Ducibus Bavariæ authoritatem non attribuunt, con-

jun-

junctio enim illa armorum nullo alio jure, quam conſanguinitatis, atque utilitatis Provinciarum titulo fundabatur.

Dum autem in Diplom. Henr. Ducis Bavar. & March. Auſtriæ dato cænobio S. Petri Salisb. inter teſtes refertur *de fidelibus noſtris Ottocarus Styrenſis Marchio* (v. theſaur. anecdot. Bern. Pez tom. 6. pag. 382.) vox ea *fidelis*, reſpectu Ottocari V. denotat ſolum, eum vel fundi titulo, quæpiam in Bajoaria, vel in Auſtria præter Styriam poſſediſſe, non autem ob Styriam beneficiarium Henrici Bavari fuiſſe. Hoc ne gratis dictum credatur, adduco chartas Eberhardi Epiſcopi Bamberg. de an. 1151. & 1154. in quibus idem Ottocarus noſter ab Eberhardo *Fidelis noſter* appellatur, quin legitime quis inferat Ottocarum Eberhardo Ep. Bamberg. Styriæ cauſa ſubjectum fuiſſe; ſane in litteris Fundat. noſtræ Voravienſ. Ottocarus V. ipſe ait: *Quocunque noſtræ ditionis & regiminis progreditur judicium.* Quibus verbis ſe in ditione ſua ſuperiorem judicem non agnoviſſe clare teſtatur.

Verum, quid tandem dicemus ad litteras Ottocaro VI. datas? quibus a Frider. I. Imp. Styria in ducatum evehitur, & Ottocarus e Marchione Dux conſtituitur? In iis enim aperte dicit Frider. Imp. ſe Ottocarum & Styriam a jurisdictione Ducis Bavariæ eximere. Ex ſupra dictis facile colligitur Ottocarum Ducem (uti quondam Marchionem Auſtriæ) a Jurisdict. Ducis Bavariæ in convocatione ad curias exemptum, ita, ut ad eas comparere amplius non debuerit, ſed ipſemet ſua in Provincia eas celebrare potuerit; præterea eximi potuit a Jurisd. Bavari Ducis, quam tanquam ſupremus Præfectus regius exercuit.

Diſſolvi, ut opinor, nodum unum, mox & alter reſcindendus, quem ſcriptores Carinthiæ, ſuas res utcunque extollentes, ſuppeditant docentes, Styriam Marcamolim Carantani ducatus fuiſſe. Etenim ſi eam modernæ Styriæ partem (quæ ſub Leopoldo forti Marchione Styriæ, Carinthiæ abrepta, & Styriæ eſt aſſerta) demam, quam omnino, utpote partem olim Carinthiæ hujus Ducibus paruiſſe agnoſco, nunquam certe probari poterit, ſub Carantanæ marchæ Comitibus, ſeu Ducibus Styriam noſtram paruiſſe. Qui enim fata Patriæ noſtræ breviter ſolum hactenus adducta, vel obiter perpenderit, tempus nullum inveniet, quo Styria ſub Carinthia deliteſcens ab ejus Ducibus regeretur: Poſt barbarorum emigrationes ſæc. 6. fine ſub Forojulienſ. Ducibus computata eſt Styria uſque ad ſæc. 8. finem, quo Caroli M. armis recuperata, mox Bojoariæ Præfectis tanquam limitis Pannonici Comitibus, parere juſſa eſt, & paruit ita uſque ad ſæculi 10. medium, vel finem potius, quo Ottocarus I. ejusque deſcendentes proprio Marchionum jure & nomine præeſſe cœperunt, oſtendant igitur Authores Carantani, quo jure? quo tempore? quo modo Styria a Bojis ad Carantanos Principes ſit devoluta? ſcio quidem, annales Francorum an. 827. referre, *Bulgarorum armis vaſtitate Pannoniæ illata, marcam in 4. partes fuiſſe diviſam*, quarum uni parti ſeu Carantaniæ, Comes unus, Pannoniæ alter, Forojulio, tertius cum Iſtria, quartus tandem Carnioliæ cum Liburnia ſit præfectus; nil tamen annales hi dicunt, quod Styria, Carantaniæ potius, quam Pannoniæ fuerit ſubjecta? præterea,

Styria nunquam ſub Principibus Carantanis.

ut iidem annales referunt an. 861. Duces limitis Carantani, & Pannonici expulsi sunt, & Carolomanus *per suos marcam ordinavit*, teste Chron. Fuld. mox tamen Bajoarii hanc terram & Comitatum habuere, & an. 828. teste Chronico Salisb. *Radbodus suscepit defensionem termini nempe Danubiani, & Geroldus Pannoniam super Dravum* (quæ tum superior dicta est) *curavit.* Ex quibus Styriam, utique magis Pannonico seu Avarico limiti, quam Carantaniæ accensere licebit; Sane contrarium exhibet etiam Chron. August. Henrici Steronis ad an. 1152. (fors 1156.) ita scribentis: *Nam hucusque 4. Marchiones, Austriæ, Styriæ, Istriæ, Cambensis, qui dicebatur de Vohburg, evocati ad celebrationem Curiæ Ducis Bavariæ veniebant.* Nec dici etiam potest Styriam a Carinthia sæc. 11. sub Adalberone Com. de Muerzthall fuisse avulsam; fabulas enim has Megiseri ipso in opere refutare Constitui. Interim id non nego, plurimam Styriæ modernæ partem olim Carantaniæ fuisse, uti superiorem fere totam Styriam, & de infer. fors tractum etiam Petovien. & Cilejensem, ut conjicit P. Frælich geneal. Sounckiorum fol. 29. &c. plura Dissert. 4. cap. 5. §. 5. & in opere ipso expendentur.

§. XXXII.

Bella Styriæ veteris.

Pro conclusione Dissertationis hujus subjungo brevem etiam bellorum Patriæ nostræ ad Carolum M. usque Chronataxim.

Sæc. 1mo. *Sæculo itaque primo:* Noricum omne, antehac regibus suis parens, subjectum est Romanis sub Augusto, & Tiberio, atque in Provinciam Romanam redactum, Pannonia vero jam diu ante Christi Incarnationem Romanam professa est servitutem, etenim an. 171. antequam Christus nasceretur, superior ad Istrum Pannonia P. Licinii Crassi tunc Consulis & Legati armis ad Carnuntum prælio habito est devicta; Australis vero Pannonia cum Norico per Augustum quadriennio debellata, Provincia evasit Romana, dicente Dione lib. 4. *Pannonii Noricis causa servitutis fuerunt.*

Sæc. 2do. *Sæculo 2do:* Quietam sub Romanis Aquilis, Pannoniam & Noricum turbare cœperunt *Marcomanni, Vandali, Quadæ, Sarmatæ;* Sed collatis a M. Aurelio Antonino ad *Carnuntum* signis expulsi, ac obtentis per legionem Christianam fulminatricem, in hostes deciduis ignium procellis funditus sunt deleti.

Sæc. 3tio. *Sæc. 3tio: Marcomanni*, & *Quadi* (præter turbas ab ipso Maximino in Illyrico & Norico motas) *Germani, Gothi, Vandali* Pannoniam, & Noricum turbabant; Pannoniæ etiam pars Marcomannis cessit ob nuptias Gallieni cum Pipa Attali Marcomann. Regis filia, *Carpi* etiam victi, in Pannonia sunt locati.

Sæc. 4to. *Sæc. 4to: Vandali* ex Dacia transdanubiana, per Gothos fugati, Pannonias, annuente Constantino M. circa an. 335. subiere teste Jornande rer. Getic. Scriptore. *Gothos* etiam in Pannonia lego admissos, seu potius circa an. 380. Vandali per Gothos e Pannonia ejecti sunt. Anonymus de Convers. Carant. & Bajoar. docet Gothos & Romanos *ab Hunnis e Pannonia* ejectos. Ejusdem sæc. fine Pannoniam, & Noricum subierunt *Heruli, Turingi*, seu *Turcelingi*, quæ tamen cum

alii

alii ad ſæculum ſequens referant, ego quoque *ſæc.* 5. *Thuringos, Herulos, Rugos &c.* ſub Odoacre Rege huc veniſſe ſuſpicor, & *de Rugis* quidem inſinuat vita S. Severini, quod *omne late Noricum*, proin etiam mediterraneum ſubierint. Hoc etiam ſæculo *Romani* cum *Gothis*, *Hunnos* denuo e *Pannonia* ejecerunt, quoque fors tempore factum, ut præſidia & cuſtodiæ militares Romanorum in Pannonia locarentur ex cod. Theodoſ. vet. notit. Imperii. Rediiſſe Hunnos nonnulli volunt, pulſisque Romanis, ac Gothis Pannoniam ad Attilæ tempora tenuiſſe, ſed eo mortuo Hunni etiam rejecti ſunt, & *Pannonia* faſces Romanorum adoravit poſt Gothos.

Sæculo 6to: Longobardi ſub Alboino Rege, ab an. 526. *Pannoniam* tenuerunt, a quibus dein, certis pactis, Hunni ſunt admiſſi, qui Laureaco & toti illi tractui extremum attulere excidium. *Slavi* etiam, ſeu *Vindi, Veneti, Winidi &c.* has terras vaſtabant, ex Dalmatia, in Carniam, Pannoniam, Noricum utrumque effuſi, ac Montana præcipue loca poſſidentes. *Sæc. 6to.*

Sæc. 7mo: Styria ſub regimine Ducum Forojulienſium ab *Hunnis*, ac *Sclavis* multum afflicta fuit, donec *Sæc. 7mo.*

Sæc. 8vo: Ad finem vergente, Carolus M. *Hunnos* ad Anaſum devicit cum Vindis, & hos ultra Dravum, illos ultra Arabonem removit, ex quo tempore Anaſus fluvius factus eſt limes, & Noricum Provincia Bojorum. *Sæc. 8vo.*

Hoc tamen adhuc & ſubſequo ſæculo, Hunnos, & Sclavos Styriam & Auſtriam incoluiſſe docebunt nos varia Diplomata, in ipſo opere adducenda, quorum unum Bern. Pez in theſaur. anecdot. noviſſ. tom. 1. p. 3. col. 10. refert.

Sæc. 9no: Tandem *Hungari* e Scythia egreſſi, terras etiam noſtras ſubierunt, ut docent annal. Franc. Fuldenſ. an. 900. *Interim vero Avares - - - igitur ex improviſo, cum manu valida, maximo exercitu, ultra Anaſum fl. regnum Bojovvaricum hoſtiliter invaſerunt, ita ut per 50. milliaria in longum, & in transverſum igne & gladio cuncta cædendo & devaſtando, jam una die proſtraverint.* Chron. Admont. idem his verbis refert: *Hungari ex Scythia egreſſi Pannoniam ingreſſi &c.* non dubitandum itaque de Styriæ vaſtatione, cum *per* 50. *milliaria* ad fl. Anaſum vaſtando, Styriam etiam a triſti hac Cataſtrophe immunem vix reliquerint. *Sæc. 9no.*

Sæc. 10mo: An. circa 935. Hungari, licet jam antea repulſi, terras denuo has tentarunt, & magnam partem Auſtriæ ſibi ſubjecerunt, donec Leopoldus eos removeret. De quibus pl. ipſo in opere. *Sæc. 10mo.*

Enarravi hæc, ut Styriæ rebus, modo quo poſſem, optimo illuſtrandis: conſulerem primo mox operis mei aſpectu, barbaros hos, ut jam dixi, nunquam Styriæ populos, ſed invaſores, nec longo tempore inibi commoratos oſtendam ſuo loco, quod adhuc mirari ſubit, illud eſt, qui fieri ſine ſpeciali ſupremi Numinis providentia potuerit, ut Patria noſtra, quæ tot barbaris, efferis, diverſiſſimorum ingeniorum, ac morum ſtupidiſſimorum populis, hoſpitium ac ſedem præbuit pluribus ſæculis, ad eum tamen, quem hodie gerit, cultum & ſplendorem conſurgeret, divinam religionem tam ſtudioſe curaret: cujus, cum opportuna nunc mentio incidit, Diſſertatio ſequens & ſe-

cunda

cunda dabit virorum sanctitate ac Doctrina Evangelica famigeratorum res, quibus nimirum divinam veritatis lucem, ferosque ac indomitos incolarum mores, ad suave Christi jugum traductos Patria nostra lubens ac grata debet.

DISSERTATIO II.

De primis Christianæ Religionis in Styria Apostolis & Propagatoribus.

§. I.

An a Laureac. Eccles. fides in Styriam sit propagata.

Fidem Christianam in urbe Laureacensi (quam veterem nobilemque Romanorum in Norico Ripensi coloniam fuisse Diss. I. §. 20. ostendi) apud Noricos omnes sumpsisse exordium, atque inde latius in Pannonias etiam disseminatam fuisse, omnium qua Recentiorum, qua antiquorum, quotquot de Ecclesiæ Laureacensis origine scripserunt, consensio est. Producunt hi in antiquitatem Ecclesiæ suæ litteras Symmachi Papæ ab anno 498. ad 514. Petri sedem regentis, & Agapiti II. qui sæculo 10. Romanæ Ecclesiæ pontificatum gessit, quibus e litteris suam *Apostolicam*, id est, ab Apostolis fundatam Ecclesiam, & matrem omnium in Pannonia & Norico Ecclesiarum invicte probatam volunt; quas litteras suo loco in Chron. ipso adducam. Nihilominus ad Symmachi litteras hæsitare visus est Carolus a S. Paulo in notitia antiqua Episcopatuum Illyrici occidentalis pag. 75. ac in dubium vocaturus erat, *nisi apud melioris notæ scriptores*, ut ipse fatetur, eas reperisset; celebri præterea Laureaco urbi litem non modicam alii jam movent, an nimirum urbs ea sæculo 1. exstiterit, cum ejus nec Ptolomæus, nec Plinius meminerit: ast Carolus a S. Paulo præter authoritatem, quam veretur, melioris notæ, scriptorum, Agapiti II. Rom. Pontificis litteras, receptam de temporis Apostolici origine opinionem confirmantes, explicandas habet, & dissolvendas. Ptolomæi de Laureaco silentium non magis quam cæteri errores, in homine Ægyptio mirandum est; plus negotii facesseret Plinii silentium, nisi & hunc constaret, vasto in opere, compendia ubique secutum, præteriisse non pauca, illustris alioquin famæ, nominisque oppida; id, quod Carnunto etiam accidit, insigni Pannoniæ municipio, cujus nec loco suo, nec nisi occasione succini ex ulteriore Germania advecti meminit, ut Dissert. 1. §. 16. ostendi.

§. II.

Statuitur sententia negativa.

Jacto hoc Laureacensis urbis, & per me etiam Ecclesiæ antiquissimæ fundamento, non tamen mox credam, ab eadem fidem Christi, in Pannonias ac Noricum etiam mediterraneum, proin in Styriam nostram disseminatam fuisse; quin potius ex Aquilejensi multarum Ecclesiarum Matre, Laureacensem etiam in Norico, seu Austria hodierna Ecclesiam, exordia sumpsisse, cum plerisque hodie, inferius dicam, conje-

conjectura quidem potius quam antiquo ſatis documento fultus: Valere enim cenſeo illud Authoris German. Sacræ effatum æquitate plenum: *Ecquis adeo duras hiſtoriographo ſcribat leges, ut omnia, quæ de antiquis traduntur, indubitatis monumentis adſtrui velit? multarum rerum ſapiens conjectura eſt, & recte de vetuſtate, quæ nobis teſtes invidit, argumentis aliunde quæſitis ultio ſumitur.* Quamvis autem fidei in Styria diſſeminationem non Laureacenſi, ſed Aquilejenſi Eccleſiæ tribuam, impugnare tamen Apoſtolicam Laureacenſis Eccleſiæ originem intermittam, intacta relinquens celeberrimæ hujus Eccleſiæ jura, ne falcem in alienam meſſem detorqueam, pluresque incurram difficultates alienas, qui ſolvendis domeſticis vix parem me agnoſco. Binæ ſane Pontificum Romanorum Symmachi, & Agapiti hac in re litteræ ſufficiens acquieſcendi præbent argumentum, cum Symmachus Eccleſiam Laureacenſem *ab Apoſtolis fundatam*, Agapitus vero *etiam in exordio naſcentis Eccleſiæ, & immaniſſima Chriſtianorum perſecutione, a Doctoribus iſtius ſedis* (Romanæ nimirum) *Catholicæ fidei recepiſſe Rudimenta, & exinde a ſuccedentibus Prædicatoribus in ſuperioris atque inferioris Pannoniæ Provincias ejusdem fidei emanaſſe gratiam*, profiteatur; integram utriusque Pontificis epiſtolam refert Wolfgangus Lazius lib. 12. de Rep. Rom. cap. 5. Hundius Metropoli Salisb. tom. 1. pag. 289. Lambeccius lib. 2. Bibl. Cæſar. Windobon. cap. 8. Marcus Velſerus rer. Boicar. lib. 3. pag. 94. Author. Germ. Sacræ tom. 1. pag. 88.

Laureac. Eccl. antiquitas non impugnatur.

Ex quibus proin, Agapiti præſertim litteris, pateſcit, fidem Chriſti Laureaci tempore Apoſtolorum receptam, indeque in utramque Pannoniam fuiſſe diffuſam, quoniam autem Styriæ pars maxima in Norico mediterraneo continebatur, modica in Pannonia ſuperiore, inde vix recte concluderetur, ejus converſionem Laureacenſi eſſe Eccleſiæ adſtruendam; unde & Author German. Sacræ, licet jurium Laureacenſium acerrimus vindex, dubius ipſe exſtitit, ac Norici mediterran. proin Styriæ converſionem potius Aquilejenſi Eccleſiæ adſcribendam cenſuit, ut Diſſert. 3. oſtendam.

§. III.

Antequam igitur ſenſum meum de converſione Styriæ integre aperiam, ac comprobem, quidpiam contra moroſam criticorum quorundam narrationem ſæculis hiſce primum exortam, ac ſcriptorum ante ætatem noſtram placita evertentem ſtatuere debeo; putant hi critici, quos inter audaciſſimus fere Tillemontius non in terras ſolum noſtras, ſed in omnem pene Germaniam, ante ſæculi 3. medium, divinæ fidei lucem non penetraſſe; aſt, ſi indignum hi divina in nos pietate, atque ob diſertum Chriſti mandatum Evangelium ſuum per omnes gentes prædicare jubentis, incredibile arbitrantur, ignorare mihi videntur, quam ſapienter voluntatis ſuæ conſilia ex rerum, temporumque opportunitate Deus moderetur: Divus Proſper vel quisquis eſt alius librorum de vocatione gentium author, quos olim S. Ambroſio adſcriptos legimus, quæſtionem hanc lib. 2. cap. 1. ingreſſus: cur ſol juſtitiæ quibusdam gentibus non oriatur? *Magni* quidem, *& inenarrabilis*

In Styria fides Chriſti ſæc. 1. prædicata.

rabilis Sacramenti Mysterium id esse fatetur, addit tamen: *quamvis ad omnium hominum vocationem Evangelium dirigeretur, omnesque Dominus salvos fieri, & in agnitionem veritatis vellet venire, non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, ut aliter, quam occulto, justoque judicio statuerat consilii sui ordo decurreret: unde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia quod Deus fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse, quam voluit.* Et sane effectum hoc rerum comprobavit eventus, nam & *Apostoli*, ut idem notat, *volentes Evangelizare in Asia, vetiti sunt a spiritu & disponentes ire in Bythiniam, probibiti sunt a Jesu, non utique negata illis populis gratia, sed quantum apparuit retardata: nam postea ad ipsos etiam fides Christiana convaluit.*

Objecta solvunt. Ex his forsitan Tillemontius, & alii retardatam etiam in Germania ac terris nostris fidei gratiam inferre possent, nixi hisce argumentis: *1mo:* Quia teste Sulpitio Severo, serius trans alpes promota est Christi Religio. *2do:* Quia nec testes coævi, nec suppares, nec traditio legitima favet, ante 3. Christi sæculum fidem ejus in has terras veniisse. *3tio:* Ex paucitate antistitum, quorum vix bini, ternive a 4ti sæculi principio, nominatim in Laureacensi Ecclesia, in reliquis adhuc pauciores, in Aquilejensi tandem lacuna ad 200. fere annos inveniuntur.

Hæc sunt eorum argumenta, qui vetera omnia placita eversum eunt, quia tamen hæc fusius jam ab aliis refutata sunt, præcipue ab authore annal. Ecclesiast. Germ. tom. 1. Dissert. 3. de Rubeis in monument. Aquilej. Hansiz in monum. Laureac. ea solum, quæ pro Styria nostra facere videntur, breviter adducam. Etenim quæ Bucherius de Gallia, eadem proportione quadam Styriæ nostræ accommodari possunt. *Quid*, inquit ille, *tantopere minus ab aliis Romani Imperii Provinciis obtigisse volunt, ut ei prædicationem Apostolicam tot aliis non negatam, concedere Religio sit.* Noricum & Pannonia, *quæ Italiæ conterminæ, non semel in Petri aut Pauli, dum Romæ agerent, & inde tanquam ex specula altiore in singulas occidentis regiones despicerent, oculos incurrerint, non eorum, non unius ex eorum discipulis Zelum, ardoremque commoverint, quorum sonum in omnem terram exiisse, toties tamque magnifice canit e scripturis Ecclesia*, quæ proin ratio suadere posset, ut, quod ultimis Britannis, quod Scythis & Hamaxobiis, jam tum datum, id Noricis ac Pannoniis, Italiæ tam vicinis, nonnisi inclinante jam sæculo 3. concessum existimetur.

§. IV.

Probatur Styriæ conversionem ab Eccl. Aquilejen. provenisse. Præmissis hisce dicam, quod sentio, fidei nimirum propagationem ab Aquilejensi Ecclesia in Noricum mediterraneum sibi vicinissimum, indeque in Pannonias proin in omnem Styriam nostram defluxisse. Rationes do sequentes: *1mo:* Indubitatum videtur, Aquilejens. Ecclesiam a SS. Marco & Hermagora fundatam, erectam, in fide Christi consolidatam fuisse, huic vero Aquilejensi Ecclesiæ vicinissimum erat Noricum mediterraneum, & ex parte Pannonia, unde valde credibile, hac via fidem Christi Styriæ nostræ insertam fuisse. *2do:* Incertum vel saltem non ita certum, an Sirmiensis, vel etiam Laureacensis Ecclesia ab Apostolis fuerit fundata, vel si ita, quod non impugno,

pugno, longius tamen Sirmienſis præcipue a Styria noſtra diſſita fuit, litteræ præterea Symmachi & Agapti §. 2. cit. licet dicant in utramque Pannoniam, non tamen etiam in Noricum a Laureacenſi Eccleſia lumen fidei promanaſſe, & inter Laureac. Archiepiſcopi 7. ſuffraganeos, nullus Norici, Pannoniæ tantum enumerantur Epiſcopi. 3*tio*: Epiſcopi omnes Norici ad ſæc. 6. & ultra, ut Diſſert. 3. oſtendam, paruere ſolum metropolitis Aquilej. nullus horum, licet ſchiſmatici, & quidam hæretici fuerunt, vel a Laureacenſi, vel a Sirmienſi, ſed tantum ab Aquilejenſi in jus eſt vocatus. 4*to*: Quod maximi eſſe cenſeo, illud eſt, quod Patres Aquilejenſes ſæc. 6. in Synodo Maranenſi Mauritio Aug. conqueſti fuerint de Francis Epiſcopis plures Eccleſias Norici, ſuæ ſubtrahere jurisdictioni præſumentibus. 5*to*: Tandem quod S. Paulinus Aquileus tempore Caroli M. cum Arnone Salisb. de Eccleſiis Norici & Pannoniæ contenderit, easque ſui juris ab antiquo fuiſſe oſtenderit. Quæ omnia argumentum, ni fallor, ſat convincens præbent dicendi, Styriam noſtram ab Aquilejenſibus fidem Chriſti recepiſſe, ſicque quod conſequens, eorum jurisdictioni ſubfuiſſe, donec a Carolo M. Arnonis tempore, parte ſui plurima in Salisburgenſium Archimyſtarum jus concederet, titulo novæ prædicationis Evangelicæ ab iisdem ſibi impenſæ.

Quoniam vero 3tium, 4tum, 5tum argumentum Diſſertatione 3. ſolide & commodius ſimul probabitur, hic loci primum & ſecundum tantum examinabo.

§. V.

Aquilej. Eccl. origo a St. Marco & Hermagor.

Et primo quidem, ut dixi, indubitatum mihi videtur, Aquilejenſem Eccleſiam a SS. Marco & Hermagora fuiſſe fundatam: Hoc antequam oſtendam, obſervare ante omnia libet, Chriſtianam Religionem, duabus potiſſimum viis in Germaniam Romanam eſſe deportatam, quarum altera ex Gallia ad Rhenum, ex Italia altera ad Danubium ducit. Hæc, ut proprior, ita prior, aditum Evangelio aperire potuit, Aquileja, quæ limes quodammodo Italiæ, & Illyrici principium, qua parte Noricum poſtea ac Pannonia in nomen Germaniæ tranſiit, abeſt Roma paſſuum millibus non plus ducentis. Hanc in urbem a S. Petro Apoſtol. Principe Marcum diſcipulum ac Evangelii Scriptorem miſſum, ut Eccleſiæ ejus fundamenta poneret, ex qua ſubin in vicinam Rhætiam, Vindelicam, Noricum, & Pannoniam lux Evangelii ſe diffunderet, opinio eſt longo ſæculorum uſu, velut per manus tradita. Hanc acta S. Hermagoræ, quem Marcus poſt Biennium ad Petrum reverſus, poſt ſe reliquit ejus urbis Epiſcopum, hanc catalogus Patriarcharum Aquilej. non dubium, quin ex ipſis diptychis confectus, propterea quod ſingulis annis 2. Februarii in Eccleſia Colleg. Forojulii publice recitetur, hanc Chronic. eorundem antiſtitum ex tabulario Civit. Forojulii depromptum affirmat. Ingens momentum cauſæ addit Martyrologium, quod *veteris Romani* nomine Heribertus Roſweidus edidit, fuſiori ſuo Martyrologio ab Adone præfixum, de quo ipe Ado in præfatione: *Venerabile & per antiquum Martyrologium ab urbe*

Romana Aquilejam cuidam S. Episcopo a Pontifice Romano directum. In hoc vero ad 4. Id. Julii legitur *Aquilejæ Hermagoræ Episcopi, discipuli S. Marci.* Paulus etiam Diaconus sæculi 8. nobilis scriptor; de discipulis a S. Petro in omnem terram dimissis inter alia habet: *Marcum vero, qui præcipuus inter ejus discipulos habebatur, Aquilejam destinavit, quibus, cum Hermagoram suum Comitem Marcus præfecisset, ad B. Petum reversus, Alexandriam missus est.* Idem eodem sæculo expressit versibus author hymni de S. Marco, qui Paulino Aquilej. Patr. a Franc. Madrisio in ejus operum editione adscribitur hisce verbis:

Sic a Beato Petro missus adiit Aquilejensem dudum famosissimam urbem &c.

Consentiunt Usuardi Notkeri, Wandelberti Divionense, & Antisidiorense Martyrologia, Diplomata Caroli M. Ludov. pii, Lotharii apud Franc. Palladium lib. 2. histor. Forojul. apud Ughellum tom. 5. Ital. sacæ, & Mabillonium annal. Bened. tom. 2. appendice relata, in quibus Aquilej. Ecclesia, nunc *in honore S. Petri Principis Apostolorum, sive S. Marci constructa, nunc Sedes S. Marci Evangelistæ, & Hermagoræ Martyris, atque Pontificis* dicitur, ut ostendit de Rubeis, in monum. Eccles. Aquilej. cap. 1. & sequentibus, ex quo isthæc adjeci, ut, si cui ad manus celeberrimum hoc opus non esset, ex pagellis hisce ea videre posset: præterea author hic cum summa doctrina modestissimus adfert in rem suam alia documenta petita ex Bollandi continuatoribus ad diem 25. Aprilis, uti & ad 12. Julii ex actis S. Hermagoræ, pedopastorali S. Marci sæc. 14. adhuc integro, ac Evangelio ejusdem, quod demptis aliquot paginis a Carolo IV. Imp. Pragam delatis, hodiedum Venetiis asseruari antiqua traditio statuit, plura argumenta per decursum operis nostri patebunt.

Stabilito sic Ecclesiæ Aquilejensis ad sæculum 1. exordio, quis non in eam abeat sententiam, ut ex hac tanquam Matre reliquæ prognatæ sint Norici, & Pannoniæ proin Styriæ etiam nostræ vicinissimæ Ecclesiæ? Aquilejam sane Strabo a carnis & Noricis incoli scripsit, Author Germ. Sacr. tom. 1. pag. 62. Aquilejam urbem, Norico a quibusdam assertam fatetur. Cur ergo ad dissitas adeo Sirmiensem, & Laureacensem Ecclesias recurrendum pro lumine fidei? dum id in propinquo exarsit.

Neque tamen, quod probe monitum velim, eo contendam, ut Styriæ conversionem ipsi S. Marco, vel Hermagoræ attribuam, sufficiet mihi, missos ab ipsis id præstitisse discipulos? de quibus Ughellus ait: *Presbyteros atque Levitas Tergestum & ad alia finitima loca* (sane non alia quam Norici ac Pannoniæ) *S. Hermagoram misisse.*

§. VI.

Solvuntur objecta.

Jam exploranda sunt, quæ sententiæ huic, quoad Styriam nostram objici possint. Primus omnium referendus est Cl. Chronologiæ S. Ducatus Styriæ Author P. Sigism. Pusch, qui parte 1. fol. 47. Fortunato S. Ermagoræ Socio, & Archidiac. objicit, *quod Diacono erigendi Episcopatus* (nimirum Laureac.) *potestas haud competat.* Hæc quidem objectio me non multum urget, qui Laureac. Ecclesiæ originem & ju-

ra

ra vetuſtatis, ſi qua certa habet, nec invideo, nec impugno; interim tamen non video, quid abſurdi ſibi videre viſus ſit author citatus, ſi primis Eccleſiæ temporibus, ubi reſtrictus erat Epiſcoporum & Presbyterorum numerus, Fortunato Archidiacono ex mandato S. Hermagoræ, vel aliis hujus Presbyteris ac Levitis poteſtas Epiſcopatus erigendi, ſeu potius deſignandi ſacræ Præfecturæ loci data fuiſſet.

Ingentem difficultatum ſeriem Eccleſiæ Aquilejenſi, proin Styriæ noſtræ Apoſtolico fidei exordio objicit Tillemontius; negat enim tota antiquitate exſtare ullum fundatæ a Sancto Marco Eccleſiæ Aquilejenſis indicium, negat quemquam veterum S. Hermagoræ primi ejus urbis Epiſcopi meminiſſe, non Euſebium, non Ruffinum, Aquilejæ tam vicinum, non Hieronymum, ne Venantium quidem Fortunatum, qui, cum S. Fortunatum & SS. Cantianos Carmine celebret, Marcum tamen, & Hermagoram, hoc eſt, primos Aquilejæ Chriſtianæ parentes præterit. Acta vero S. Hermagoræ, cum ille, tum Papebrochius alioquin ſat promptus definitor, nec vetuſta ſatis, minus ſincera contendit, ob intercurrentes Gothicas, & Longobardicas voces, Papebrochio etiam diſplicet, quod Hermagoras ibi Fortunatum ſuum, poſtea in Epiſcopatu adjutorem, in Martyrio ſocium, ab infantia in Dei timore enutriiſſe dicatur, cum ex Lactantii ſententia Petrus primo ſub Principia Neronis Romam, tardius aliquanto Marcus Aquilejam acceſſerit, proin inter baptiſmum S. Hermagoræ, ejusque ac S. Fortunati mortem vix 10. anni interceſſerint. Alia etiam ex Alexandrinæ Eccleſiæ initio difficultas movetur, quæ, ſi poſt S. Petri ex urbe Roma diſceſſum a S. Marco fundata eſt, ætatis prærogativa inferior Aquilejenſi foret. Hi ſunt arietes, quibus Tillemontius & Papebrochius antiquitatem Eccleſiæ Aquilejenſis impugnant, qui ſi invicti eſſent, omnes occidentis Eccleſiæ, exc. Romana, antiquitatis ſui prærogativam amitterent. Reſpondet tamen his cit. ſupra eruditiſſimus de Rubeis cap. 1. & 3. ex quo breviter reſponſ. ſubjungo, & ad 1. quidem e ſilentio Euſebii aliorumque de primis ſæculis ſcriptorum, reſpondet de Rubeis, nil ſequi, quis enim horum, origines aliarum occidentis Eccleſiarum, ſi Romanam demas conſcripſit? an inde nullam præter Romanam in toto occidente a tempore Apoſtolorum extitiſſe putabimus Eccleſiam? Euſebius ſane, qui ex Græcorum commentariis ſuam collegit hiſtoriam, facile ignorare potuit, quid Aquilejæ actum ſit, pauca enim de aliis occidentis Eccleſiis adnotavit, immo vel tacuit, vel ignoravit Euſebius, quid Petrus poſtremis 12. annis, quid reliqui toto orbe diffuſi egerint Apoſtoli? Nec Ruffini ſilentium obeſt Eccleſiæ Aquilejenſi antiquitati, non idem Ruffinus etiam ad Theodoſii tempora uſque, nil de rebus Aquilejenſibus refert, quamvis plura de aliis Eccleſiis enarret. Hieronymum viri docti adnotarunt ea ſolum conſcripſiſſe, quæ antea ab Euſebio ſcripta præ manibus habebat. Venantii vero Fortunati non erat, omnes SS. Martyres & Epiſcopos enarrare, ſed Ravennatenſes ſolum, utpote ibi enutritus & oculorum ſanitatem adeptus, attamen ut bene advertit cit. de Rubeis Fortunati Aquilejenſis diſerte, & quidem præ Hermagora meminit, eo, quod illius nomen gereret, licet nec ibi Fortunati Diaconi, ſed Fortunati

alterius, Fratris Felicis, & sub Diocletiano Martyris reminiscatur. 2*do*: Quod concernit acta SS. Hermagoræ, omnino ea vitiosa, & interpolata esse fatetur de Rubeis, nominatim in Aggrippa, item ubide urbe Austriæ provinciæ Aquilejæ memorant. Ulfii & Ataulfi nomina, non Gothis tantum, sed & Carnis, ac Noricis convenire poterant, Fortunatum vero a pueritia 12. nempe vel 13. annorum a S. Hermagora in timore Dei educatum scriptor vitæ idiotismo Germanis familiari dicere voluerit, unde S. Fortunatus facile an. 30. ætatis suæ Martyrium subiit. Sed demus acta ea interpolata esse, an ideo ex integro sunt rejicienda? ubi tamen reliqua inibi contenta, solita cæteroquin & vetusta confirmant argumenta: *Adjectæ enim interpolationes sinceritatem actorum non evertunt*, ut norunt critici. 3*tium*: Et ultimum magis stringeret argumentum, cui tamen cum Joan. Bapt. Sollerio in histor. Chronol. Patriarch. Alexand. tom. 5. Jun. præfixa respondeti potest sat commode dicendo: quod S. Marcus in extima Ægypto Evangelium annuntiaverit, circa an. 40. Christi vero ad Alexandriam Ecclesiam abiens ejusdem prima fundamenta jecerit usque ad an. 62. inter hoc tempus Alexandria tantisper relicta ad S. Petrum Romam abierit, ibique an. 2. Claudii Evangelium scribens, & circiter an. 46. Aquilejam divertens, atque Ecclesia inibi erecta, ac Hermagora Episcopo constituto Romam repetens, Petro in Palæstinam redeunte, iterum Alexandriam abierit, continuo ibi permansurus; ita de Rubeis, qui fusiorem notitiam habere volenti inspiciendus est cap. 1. & 3.

§. VII.

Expenditur argum. 2.

Argumentum secundum §. 4. propositum, quamvis negativum *hic* examinandum est etiam: nimirum conversionem Patriæ nostræ nec a Laureacensi, nec a Sirmiensi Ecclesia desumi posse, utpote cum adeo certum non videatur, has ab Apostolorum tempore suam derivasse originem. Quoniam vero in alterius Ecclesiæ jura & antiquitatem involare animus non est, id unum argumenti loco erit, majorem longe opportunitatem disseminandi Evangelii in terris nostris fuisse Ecclesiæ Aquilejensi præ Laureacensi & Sirmiensi; quid quod Dissert. 3. exhibebo, neutram harum fuisse metropoliticam Styriæ, sed tantum Aquilejensem; itaque intactis, ut jam dixi Laureac. antiquitatis prærogativis, ostendam solum illum S. Laurentium, a quo Laureacenses se & suam deducunt Ecclesiam non fuisse primum Styriæ Apostolum, ut sentit P. Pusch Chronol. S. Ducat. Styr. fol. 45. & 47. Impugnavit sententiam hanc solide jam P. Hieron. Pez tom. 1. Script. Austr. Dissert. 4. Autor Germ. Sacræ tom. 1. cap. 3. fol. 27. contra Hundium, Velserum Matth. Roderum. Joan. Adlzreiter. Petrum Lambeccium, aliosque recentiores, putantes Laurentium illum confessorem, & Episc. a quo urbs ipsa Laureac. nomen suum adepta fuerit, eo tempore, quo S. Marcus Aquilejam venit, cum aliis quibusdam fratribus in Noricum fuisse missum, ibique Evangelium annuntiasse, vel a Petro vel a S. Hermagora huc destinatum, qua quidem sententia confirmaretur id quod §. 2. ostendi, nimirum Eccl. Laureac. ab ipsa Aquilej.

S. Laurent. Laureac. Ep. n. fuit Styr. Apost.

suam

ſuam deſumpſiſſe originem. Sane nolim ego fictitio Apoſtolo, ac ſancto Patriam meam honorare, cum hunc S. Laurentium nuſpiam in orbe terrarum exſtitiſſe eruditi viri exiſtiment, nec Hundii authoritas tanta eſt, ut contemni non poſſit, utpote qui hac in re Bruſchium ſæc. 16. authorem, hic Schritovinum ſæc. 15. deſcripſerit. At quod illud annalium Patav. ſit monumentum hanc in rem ab Hundio citatum? P. Hieron. Pez ſupra memoratus putat, catalogum Archiep. & Epiſcoporum Laureac. & Patav. eſſe ab eodem Schritovino compoſitum, cum conſtet, non fuiſſe eos annales Patav. ad an. 1255. deductos, nec catal. ſuccinctum Laur. & Patav. Epiſcoporum, de quibus Hundius ipſe teſtatur, nil tale de Laurentio dicto continere. Fors Hundius eam ſententiam ex Viti Arenpekii Chron. Bavar. apud P. Bern. Pez tom. 3. noviſſim. anecdot. part. 3. ad an. 770. deſumpſit? eſto, quid inde? probati enim hiſtorici Arenpekio huic non multum deferunt, utpote ſibi in pluribus non conſtanti, vel ex eo, quod in ejusdem Chron. lib. 1. cap. 14. col. 39. Syrum & Eventium etiam urbi Laudavenſi (cui Pezius ſubſtituit Laureacenſi) veræ fidei doctrinam expoſuiſſe narret. Nec ea, quæ pro Laureacenſi Apoſtolatu huic Laurentio tribuuntur, congruunt: nam 1. Eccleſia Laureac. non huic Laurentio, ſed S. Laurentio Martyri ac Levitæ, uti & S. Stephano dedicata eſt, ut habet Diploma Ottonis II. ad Pilgrinum Patav. breve Chronic. Patav. apud P. Hieron. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 5. & Bern. Noricus ibid. col. 1298. 2. Quod eadem de cauſa Pontifices Romani Laureacenſibus Præſulibus uſum pallii conceſſerint pro feſtis SS. MM. & Levitarum Laurentii & Stephani. 3. Quod ridiculum plures habeant, Laureac. urbem a Laurentio dicto nomen accepiſſe, ſed potius a flumine Laureaco, ſeu Lorch ut v. Diſſert. 1. §. 20. Quis enim ſibi perſuadeat, ſæculo primo a Præfectis nomini Chriſtiano tam infenſis fuiſſe indultum, ut colonia Romana a Chriſtiano Martyre nomen adipiſceretur, cum aliunde conſtet, diu jam ante hunc Laurentium urbi dictæ ſuum nomen fuiſſe. Majorem commento huic fidem conciliaturus Cuſpinianus, Apoſtolum illum prætenſum non Laurentium, ſed Laureacenſem dixit, nec urbis Epiſcopum, nec patronum, P. Calles tom. 1. annal. Eccleſ. German. lib. 4. §. 14. meminit cujusdam Laurentii Epiſcopi, quem Aquilejenſis ſymboli authorem volunt, ut ad an. 369. patebit, nullumque ſe ea ætate Laurentium Epiſcopum inveniſſe ſcribit, ſubdit dein ſequentia: *Quid ſi Laureacenſis is foret Laurentius Epiſcopus, celebre alioquin ea in Eccleſia nomen? quod ſcriptoribus quibusdam erroris materiem præbuit, Laureaci nomen ejus a nomine derivandi? obſtat tamen illud, quod primum eum Laureacenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & ante S. Maximilianum duobus pene ſæculis collocent: nihil alioquin congruentius cogitari poſſet, ac Laurentium Laureacenſem, a Ruffino tam celebri Eccleſiæ Aquilejenſis Monacho, eique fortaſſe familiariter noto, commune Venetis, Noricisque fidei ſymbolum explicari ſibi voluiſſe: eo maxime tempore, quo totum Illyricum: Ariana nuper communione contaminatum ad Nicænæ confeſſionem fidei paulatim rediit.* Pergit ulterius dicendo author cit. *ſed hæc conjectura eſt, nuda illa quidem, & nullo argumento fulta, ſed eo tamen non parum veri ſimilis, quod ſæculo ſequenti conſtantium Laureacenſis Eccleſiæ Epiſcopum,*

pum, cujus decessorum nomina ignota sunt, fuisse constet. Conjectura hæc doctissima omnem assensum merebitur apud illos, qui Apostolicæ Laureac. Ecclesiæ origini non omnia deferunt, vel eam magis mitigate exponunt.

§. VIII.

Nec SS. Syrus & Eventius.

Extra metam propositi mei aliquantum divagabar, ad eandem redeo ostensurus, Apostolatus Styriaci gloriam, nec SS. Syro & Eventio, vel conjunctim, vel divisim deferendam esse: sententia hæc documentis domesticis destituta, memoriis tantum Ecclesiæ Aquilejensis & prudenti cæteroquin suspicioni innititur, quod nempe Laureacensis Ecclesia ab Aquilejensi tanquam Italiæ proxima & sibi vicinissima suam sumpserit originem, quod quanquam & ipse sentiam, varia tamen sunt, quæ objici possunt, & vix resolvi, etenim 1. ætas incerta pugnat, qua Syrus & Eventius floruisse dicuntur teste Sollerio Hagiographo tom. 7. Jun. nam Jacobus Guallius Juventium seu Eventium Mediolani contra Arianos egregie decertasse ait, proin sæc. Christi 4. floruisse. 2. In actis SS. apud Surium tom. 3. ad diem 12. Septemb. authore Paulo Diacono Ticini aliquando degente, nulla fit mentio Laureacensis, vel Norici Apostolatus, licet Syrum Brixiæ & Veronæ prædicasse referant, hæc autem acta ad decus patronorum Ticinensium id commemorare non intermisissent. 3. Nec in Martyrologiis quidpiam de hoc Apostolatu legitur, & quamvis in illis inter Ecclesias eorum prædicatione stabilitas referatur *Laudensis*, *Laudavensis* Ecclesia, an tamen cum P. Hieron. Pez cit. Dissert. 4. fol. 69. mox substituenda sit *Lareacensis*, valde dubium, atque a conjecturis tantum est desumptum 4. Biographus vitæ S. Ruperti apud Canis. tom. 6. antiq. lect. a pag. 1107. ad 1122. cap. 10. relatus egregie vapulat, & rejicitur a Bollandianis tom. 3. Martii die 27, pag. 700. tanquam multarum fabellarum & errorum reus. Author vero Chron. Laureac. & Patav. homo sæculi 15. (eo quod *Theucrum Mahometem* vereatur) figmenta plura adducit uti Philippi conversionem, patrimonium Laureac. Ecclesiæ &c. Jam vero Pagio teste ad an. 433. *Historia, in qua aliæ, licet ad historiam non pertinentes fabulæ recitantur, suspectæ fidei haberi debet.* 5. Minus juvat cum Ughello Ital. Sacr. tom. 1. col. 1079. Eventium hunc distinquere ab illo Ticinensi Episc. sæc. 4. Florente & Conc. Aquilej. an. 381. subscribente, nam Tillemontius Bailletus, Papeprochius & Sollerius in hoc ei omnes adversantur. Ex quibus proin rite concluditur, nec Styriæ nostræ Apostolos Syrum & Eventium fuisse.

§. IX.

Nec SS. Apostoli per se & immediate.

Quidam tandem ambitiosius quam verius, Ecclesiæ Laureacensis proin totius Norici ac Pannoniæ initia fidei, ad ipsos traducunt Apostolos, in tempestivo nempe conatu, quo minus solertes se fuisse arbitrantur, nisi primordia Ecclesiæ suæ ad Apostolum aliquem obtorto quasi collo reflectant; imitari hujuscemodi videntur ethnicos veteres

teres, qui teſte Livio tom. 1. Decad. 1. lib. 1. prœmio, *conditam, condendamve urbem, poeticis magis decoram fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis*, illuſtrare volebant, ſed *datur hæc venia*, inquit cit. Livius, *antiquitati, ut miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat.* Loquendo itaque de Apoſtolis ipſis, nunquam credam aut Petrum, Paulum, vel Thomam, Lucam, Marcum &c. per ſe in has oras veniſſe; nullo enim ſincero documento id adſtruitur, cum Apoſtolorum itinera utcunque oſtenſa ſint & exhibita: nec me movet vetuſta illa inſcriptio in turri urbis Aniſiæ a Petro Lambeccio & P. Hieron. Pez ac authore Germ. ſacræ viſa, his nempe verbis expreſſa:

Aſpicis exiguam, nec magni nominis urbem,
Quam tamen æternus curat, amatque Deus.
Hæc de Laureaco reliqua eſt; his Marcus in oris
Cum Luca, Chriſti dogma profeſſus erat.

Ævo nimirum ſequiore facta eſt hæc inſcriptio, vixque unius vel ſesqui ſæculi ætatem ſtylo ſuo, forma & charactere ſuperat, unanime interim veterum æque ac recentiorum ſilentium ſatis ſuperque contrarium evincit, nam *altum in re magni momenti ſilentium apud omnes authores* teſte Pagio inſigni critico, *multum probat.*

Lucam quidem Epiphanius tradit in Dalmatia, Gallia, Italia, ac Macedonia munus prædicandi Evangelii obiiſſe: at quid inde pro Laureaco, & terris noſtris evincitur? neque enim hæ Provinciæ, ad Galliam etiam cisalpinam tantum, pertinebant, an vero ex itinere, ſeu ex Gallia, ſeu ex Dalmatia huc delatus fuerit? tuto affirmare non poſſum.

Quod ſi vero de Apoſtolorum diſcipulis cum Eynwico Præp. celeberrimæ canoniæ ad S. Florianum in vita Ven. Walburgis ſæc. 13. ſcripta, ac a Bern. Pezio an. 1715. edita. Loquamur nil repugnabo, niſi quod ſentiam, non a Laureaco in Noricum mediterraneum, & Pannonias, ſed ab Aquileja in Noricum Mediterraneum, atque inde in Ripenſe ac tandem Pannonios fidem Chriſti deveniſſe; inſinuat id Euſebius Cæſarienſis diſerte docens, ex Apoſtolorum diſcipulis plures, abjectis aliis curis, expeditionem Evangelicam ſuſcepiſſe, peragraſſe Provincias, ac ſparſo verbi Divini ſemine, ad alios atque alios populos curſim tranſiiſſe, conſtitutis ubique Presbyteris, qui in laborum ſupplementum ſuccederent: affirmate etiam pronuntiat Lactantius, ſeu Lucius Cæcilius de mortibus perſecutorum c. 2. *Apoſtolos uſque ad principium imperii Neroniani per omnes Provincias & civitates per annos 25. Eccleſiæ fundamenta jeciſſe*, nimirum per ſe vel per diſcipulos ſuos, inſinuat id etiam Papa Innocentius I. qui ineunte ſæc. 5. Romanam regens Eccleſiam in epiſtola ad Decentium Eugubinum num. 2. his verbis apud Petrum conſtantium ſententiam profert.: *Præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, & inſulas (terrasque) interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Ven. Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes.* Ad quæ verba, neſcio, an non liberalius, expenderit Eccleſiarum origines Baronius ad an. 46. num. 2. ubi nimium popularibus indulgens traditionibus, tot Eccleſiarum primordia ad incunabula fidei Chriſtianæ referens, ſingularum fere Eccleſiarum primos refert Epiſcopos a Petro ordinatos.

Bene tamen per ſuos diſcipulos.

Minime a militibus Rom. vel legione fulminatrice.

Minus tamen veritati cohærere videtur illa Bernardi Pezii editoris cit. vitæ S. Walburgis ſententia, qua a Romanis militibus fidem Laureaco, inde reliquis Norici & Pannoniæ partibus allatam putat, vel, ut alii tardius a legione illa fulminatrice Chriſtiana, nam cenſeo cum Pagio: *Quod ab omnibus antiquitatibus non ſit recedendum, niſi cum graviſſimæ id ſuadent rationes.* Quæ autem ratio convincat, terras has Aquilejenſi Eccleſiæ tam vicinas, fuiſſe adeo viris Apoſtolicis neglectas, ut militum caterva eguerit doctore.

§. X.

Sirmienſis Eccleſia non fuit fidei promotrix in Styria.

Altera jam pars argumenti noſtri ſecundi negativi expendenda eſt, nimirum converſionem Styriæ a Sirmienſi non proveniſſe Eccleſia: Sirmium an ante tempora Conſtantini M. Norici, & Pannoniæ fuerit Metropolis, multum litigatur, ait enim inter plurimos alios authores Tomaſſinus de Exarchis ſeu Primatibus orientis p. 1. l. 1. cit. 18. *Poſt diviſum a Conſtantino Imperium in præfecturas 4. Galliarum, Illyrici, Italiæ, & Orientis attributum fuit Imperio occidentali Illyricum, cui caput erat Sirmium:* Tunc ergo, non antea caput eſſe cœpit Sirmium, quo tempore fides Chriſti jam refulſit in Styria, licet ob perdurantes ſuperſtitiones ſatis adhuc tenuis: plurima hac ſuper difficultate occurrent Diſſert. 3. ubi ex profeſſo oſtendetur Sirmienſem primis ſaltem ſæculis non fuiſſe Styriæ Metropolim; Ex eo enim, quod in itinerario Antonini, iter de Pannoniis in Gallias deſignatum a Sirmio inchoetur, neſcio, an legitime concludatur, Sirmium his in Provinciis, Norici nimirum, & Pannoniæ fuiſſe Metropolim, etiamſi, ut Diſſert. 3. dicam, detur, fuiſſe Sirmium urbem Pannoniæ; quamvis vero, qui Laureacenſi urbi primas dant, e Pannoniis Sirmium (quod Plinius jam civitatis titulo honoravit) excluſum velint, & ad Dalmatiam referant; inde tamen minime deducetur, eam primam fuiſſe Patriæ noſtræ Metropolim, atque intuitu fidei nutricem; certiora enim longe ſunt, quæ pro Aquilejenſi, & viciniore, & memorata magis urbe adduxi argumenta, cum de Sirmienſi æque parum ac Laureacenſi primi ſciantur Epiſcopi & Præſules.

Sed ne diutius his immorer, plura Diſſert. 3. & per opus ipſum proponam hac ſuper re argumenta, cum plerique, quos legi hactenus, Sirmienſi ſolum præ Laureacenſi primas deferant, non vero præ Aquilejenſi, quam fere omnes, qui Laureacenſem, & Sirmienſem propugnant, primam terrarum noſtrarum Eccleſiam affirmant.

§. XI.

Viri Apoſtolici Styriæ noſtræ.

Porro, quam Aquilejenſes primum viri Apoſtolici, in terris noſtris ſparſere fidem, ea majores amplioresque fructus attulit ſubſequorum Præſulum, & zeloſorum virorum fervore ac diligentia, qui poſt illos lapſu temporis Styriæ noſtræ fidem adjuvere: hos enumerare breviter inſtituti ratio poſtulat, ut eo facilius connexio in ſubſequo opere ſuſtineatur.

Sæculo

Sæculo quidem primo: Præter SS. Marcum, Hermagoram, ac Fortunatum legimus de quodam Andronico Pannoniæ noſtræ Epiſcopo, cujus tamen acta omnia obſcura ſunt, & ut plurimum latent: Martyres quosdam Aquilejenſes opus ipſum fuſius enarrabit. *Sæc. 1. SS. Marcus, Hermagor. Fortun. Andronicus, & MM. Aquilej.*

Sæculo 2do: Offert ſe Celianus quidam Martyr, quem fors ex nomine Celejæ in Styria natum optant, non tamen evincunt quidam. Sæculi hujus fine commodo Imperatore Lucium quemdam ajunt per Noricum (fors magis Ripenſe Rhætiæ conterminum) Vindeliciam, ac Rhætiam Evangelium prædicaſſe, Regem Britanniæ olim, ut ferunt, qui victoriæ Marcomannicæ prodigio motus ad Chriſti ſigna tam etiam ſequelam tranſiit; abdicato regno vitam exorſus Apoſtolicam, ut Andreas Canon. Reg. & Presbyter Ratisbon. in ſuo Chronico his verbis refert: *Circa annum 182. præſidente Eleutherio 12. a B. Petro commodo Imp. regnante Lucius Rex Britanniæ nudus & expeditus, peregrinatione ſuſcepta partes Bavarorum, & totam Rhætiam inter alpes ſitam, miraculis & prædicationibus ad fidem Chriſti convertiſſe dicitur.* Similia prodit Ægidius Tſchudus, Velſerus, Raderus, & alii: at an duo vel unus fuerit? an præco ille Evangelii Rex Britanniæ? ſuo loco in ipſo Chron. expendetur: multi enim Lucium Noricis ac Rhætis Evangelium prædicaſſe docent, non tamen Regem Britanniæ fuiſſe admittunt. *Sæc. 2. S. Celianus M. S. Lucius quidam.*

Sæc. 3*tio*: Celeberrimus inter Styriæ noſtræ cives, patronos, ac Martyres recenſendus eſt S. Maximilianus Epiſc. Laureacenſis Eccleſiæ Celejæ natus & paſſus: vitam S. Maximiliani apud Pezium tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 26. &c. editam ſcripſit Canonicus quidam Patavienſis circa medium ſæc. 13. varios tamen nævos & errores continentem. MS. Chron. Celej. quod ad manus habeo, eandem vitam exſcripſiſſe videtur, ex citato Canon. Patav. Sed breviorem dum reddidit, novos errores inſperſit, ſic vita Peziana ait S. Maximilianum 13. ætat. an. patre orbatum MS. Chron. Celej. an. 17. Illa Patrem S. Maximiliani Martyrem appellat, hoc defunctum pie ſolum notat: fabulas de Philippo Imp. Chriſtiano, ejusque Filio Philippo, ac Zurino, ac Patrimonio Eccleſiæ Laureacenſ. fideliter ex vita Peziana transtulit MS. Chron. Celej. in eo ſolum varians, quod pro *Laureacenſi*, ſemper erronee ponat *Laurenſi*, at nuſpiam plus erravit MS. Chron. Celej. quam dum S. Maximilianum ſub S. Sylveſtro, Archiepiſcopum Laureacenſ. conſecratum ait, qui tamen an. 314. primum ſedem Romanam conſcendit, dum Maximilianus jam an. 284. Martyrium ſubierit; reponendus ergo ex vita Peziana pro Sylveſtro Papa S. Sixtus. Plura in ipſo opere dicentur, nunc breviter ſolum, correctam, ut potui, vitam S. Maximiliani præſentabo. *Sæc. 3. S. Maximilianus Patronus & Civis Styriæ Epiſcop. Laureacenſ.*

Natus itaque erat S. Maximilianus Celejæ domo ſplendida & copioſa, ac puer ſeptem annorum Oranio Presbytero, miræ innocentiæ, & approbatæ Sanctitatis viro educandus traditus: ſub annum ætatis 13. (ut vita Peziana) vel 17. (ut MS. Chron. Celej.) orbatus patre in confeſſione Chriſtiani Nominis defuncto (quam circumſtantiam reticet MS. Chron. Celej.) poſt annos 6. etiam matrem piiſſimam amiſit: utroque parente privatus re ſua in pauperes diſtributa, Evangelio ſe totum tradidit, ac circa annum 257. Eccleſiæ Laureacenſi Paſtore ſuo

destitutæ a Sixto Pontifice (ut vita Peziana) vel a Sylvestro (ut MS. Chron. Celejan. sed erronee) Episcopus est consecratus. Multæ id temporis calamitates Laureacensem Ecclesiam divexabant, clades ædium religiosarum ex furore Deciano, ærumnæ fidelium, Provinciæ busta ex barbaris: Valeriano tamen, cui an. 253. in Rhætia & Norico agenti Imperium delatum est, propitio usus est Maximilianus, ast an. 258. per Archi-Synagogum Magorum in transversum actus Valerianus moram nocendi tamen non obtinuit, eo anno a Persis captus. Gallienus filius mox adito Imperio pacem Ecclesiæ reddidit; illud tamen Patriæ nostro commodo non exstitit, quod Gallienus ducta in uxorem Pipa Marcom. Regis filia, partem Pannoniæ superioris, sicque fors etiam Styriæ nostræ, Regi idololatræ tradiderit. Gallieno dein ob mores exoso, Sarmatæ, Gothi, Guadi, Alemanni Noricum & Pannoniam ferociſſime persultabant, successorum vero Imperatorum rabies non tantum Maximiliano, ac Ecclesiæ Laureacensi damni attulit, quantum Numeriani in hostes exercitum ducentis crudelitas, qui, ut Martem sibi redderet benignum, omnibus sacrificandum esse edixit. Evilasius apud Celejam Norici Præses, vel certe militiæ Magister, hora noctis tertia civibus omnibus altero die in fano Martis solenne indixit sacrificium, Maximilianus Celejæ existens libera voce non negat solum, sed redarguit etiam impium non minus ac inane sacrificium, unde tractus ad fanum Martis, opusque insanum aspernatus, extra muros urbis Celejæ, desecta cervice Martyrium consummavit an. 284. die 12. Octobr. sepultus inibi juxta civitatem humili ob metum paganorum sepultura, miraculis tamen postmodum illustratus, ac tempore S. Ruperti, Laureacum (ut contendunt quidam) inde ab Henrico II. Bavar. Duce Patavium est translatus: de quo plura in opere ipso.

Dubia de translatione S. Maximiliani.

Movetur ingens controversia: an corpus S. Maximiliani a S. Ruperto: elapsis a Martyrio ejusdem an. 220. (ut vita Peziana) vel 350. (ut MS. Chron. Celej. & Lambeccianum MS.) Laureacum sit translatum? author vitæ ejusdem apud cit. Pezium num. 22. id quidem non adstruit, aliud tamen minus credibile subjungit, majorem nimirum partem corporis S. Maximiliani, libellum, vitam ipsius ac miracula continentem, cum aliis libris privilegiis &c. esse in Italiam tempore Odoacri Regis Rugorum, & Theodorici Regis Ostrogothorum translatum, partem vero solum reliquiarum Pataviæ depositam. Ast assentiri huic narrationi non possum, tum quod nulla uspiam exstet memoria reliquias S. Maximiliani in Italia haberi tradens, cum quod illa migratio mandato Odoacri Regis an. 488. *Solos Noricos Ripenses, & oppida super ripam Danubii posita* attinebat teste Eugippio eidem migrationi præsente, nullamque hujus rei mentionem faciente: Norici vero mediterranei incolæ, ut Celejenses, longe a ripa Danubii remoti, migrandi præcepto comprehensi an fuerint, utcunque dubito.

De eadem translatione S. Maximiliani MS. Chron. Cilej. altum silet, sed solum ait, S. Rupertum 350. annis a Martyrio S. Maximiliani elapsis Cilejam venisse, atque Ecclesiam inibi simplicem, cum aliis nonnullis in honor. ejusdem S. Maximiliani dedicasse. Molanus in Martyrologio ad diem 12. Octobr. S. Maximiliani corpus Celeja Laurea-

cum

cum a S. Ruperto translatum ſcribit, difficultas tamen occurrit, quomodo nimirum S. Rupertus id præſtare potuerit Celeja urbe tum a Sclavis paganis occupata? Etenim non ita certum eſt, quod dicunt; S. Rupertum tunc in Carantania prædicantem corpus hoc ſacrum, a manſuefactis barbaris fuiſſe mercatum: ut adeo hac de re colligi certo nil poſſit: ad an. 698. oſtendam quidem, in Styria infer. fuiſſe S. Rupertum, nec tamen inde inferam, corpus S. Maximiliani tum Celeja Pataviam, vel in Pongav translatum fuiſſe.

An autem S. Maximiliani Martyris reliquiæ ibi (hoc eſt in loco Pongav) *conditæ* ſint, vel quomodo in hunc locum devenerint, ubi oſtenſum illud & miraculum contigit, a nobis ſuo loco proferendum: *analia, oſtenſo cauſa fuerit ſcriptorum brevitas non expreſſit*, inquit Cl. Velſerus lib. 4. rer. Boicor. pag. 112. locus autem *Pongav* dictus incultus erat, & Sylveſter, in quo ſervi duo (teſte Arnon. Salisb. in libello tradit. Eccleſ. Salisb.) ad venandum & aurum faciendum egreſſi, viderunt 3. noctibus pariter quaſi duas candelas ardentes ſub odore miræ ſuavitatis. Hoc in loco dein annuente Theodone Bajoariæ Duce S. Rupertus cellam ſeu Monaſterium S. Maximiliani, non procul Salisburgo, erexit, de quo alibi plura, præcipue ad an. 713. dubium enim adhuc manet, an corpus S. Maximiliani Celeja, Pongaviam, vel Burgkirchium ac inde an. 878. Oetingam, atque ex Oetinga Pataviam ſit translatum circa an. 985. ſub Pilgrino Laureac. & Patav. ac Henr. II. Bavar. Duce. V. an. 907. & 985. *De Monaſterio S. Maximiliani in Pongav.*

§. XXII.

Sejungi a S. Maximiliano nequit, coævus & ſodalis ejusdem S. Pelagius Martyr, quem quidem ſibi totum Conſtantienſes vendicare volunt, ſed contra fidem actorum. Etenim S. Pelagius Martyr paſſus eſt ſub Numeriano Imper. & Evilaſio Judice, corpus ejus Presbyter Oranius, hunc ſimul cum S. Maximiliano litteris imbuens ſepelivit, Patria illi Noricum (Æmonenſis enim erat) proinde quoque credibile Æmonæ, non Conſtantiæ paſſum fuiſſe, nam in Norico Evilaſius Judex, ibidem Oranius Presbyter, ac Æmona Celejæ proxima; neque vero in diverſa tempora hæc refundi poſſunt, breviſſimum enim fuit Numeriani Imperium: quomodo autem Evilaſius jam Conſtantiæ, jam Æmonæ Judex eſſe potuiſſet? Conſortem itaque, ut Patria, & ſtudiis, ita & Martyrio Pelagium Maximiliano fuiſſe nil hæreo: & quamvis oſſæ ejus Romam, quo modo? ignoro, delata, atque inde Conſtantiam a Salomone Epiſcopo Conſtantienſi circa an. 917. delata ſint, ex eo tamen nil argumenti pro Conſtantienſibus confici poſſe opinor, ſcimus enim, quam varias translationes Sanctor. Lipſana ſæpius ſubierint. *S. Pelagius M. Æmonenſ.*

Æmonæ memini, de qua licet, non noſtrate urbe Diſſert. 1. commemoravi quæpiam, ſita erat urbs hæc vetus ad fl. Savum (plures eam hodiernum Labacum putant ad Savum etiam & Labacum ſitum) tempore Maximini diruta eſt. Pannoniæ eam veteri accenſent Ptolomæus, Plinius, & Cellarius. Epiſcopalem fuiſſe acta varia opere in ipſo probabunt. Plurima refert Valvaſ. tom. 2. Chron. Carniol. *Æmona urbs.*

lib. 5. ubi fol. 55. nescio, an ad palatum eruditorum, ejus nomen a fabuloso Jasone, & monte Æmo obtinuisse docet, ut fol. 232. &c. argumentis stabilire nititur, fol. dein 649. de Episcopis veteris Æmonæ præcipue de S. Maximo ejusque successoribus agit usque ad 653. ubi de Episcopis Labacensibus sermonem prosequitur.

Sæc. 4. S. Victorinus Ep. Petov. M.

Ad propria redeo, ad Viros nempe Apostolicos Styriæ nostræ, doctrinæ, & Martyrii gloria insignes; horum celeberrimus erat S. Victorinus Episcopus Petovienſis in Styria, & Martyr. Vir in Divinis litteris versatissimus, *cujus opera grandia* prædicat S. Hieron. *sed viliora compositione verborum, quod non æque latine ac græce noverat.* Martyrium subiit an. 304. die 4. non. Nov. Baronius eum male Pictavienſem Episcopum vocat, de ejus operibus, ac afficto ei Chiliastarum errore in ipso opere sermo erit.

S. Hilarius Aquilej. M.

Præterea S. Hilarius Aquilej. Metropolita noster, *& natione Pannonicus* vario tormentorum genere excruciatus cum S. Tatiano Diacono, ac discipulo suo Martyr obiit.

Evilasius Prætor Celejæ an M.

Inter hæc Evilasium Prætorem Cilejæ & tortorem plurimorum SS. MM. uti SS. Maximiliani & Pelagii &c. quidam Martyrium pro Christo perpessum tradunt, de quo ad an. 292. dicetur.

S. Florianus M. S. Quirin. E.M. S. Serenus M. S. Irenæus E.M. S. Pollis Lector M. S. Eusch. E. M.

Plurimi alii in Norico & Pannonia occurrunt SS. Athletæ fidei, quos, quia Styriæ nostræ fidenter annumerare nequeo, ob connexionem doctrinæ solum hic attingo, pluribus in ipso opere de iisdem tractaturus; hos inter S. Florianus M. in Norico Ripenſi, S. Quirinus Episc. Sciscianensis in Pannonia, S. Serenus Olitor & Martyr Sirmii, S. Irenæus Episc. Sirmiens. & Martyr, S. Eusebius Episc. Cibalensis, & Pollio ejusdem Lector, Martyres omnes.

S. Marcus Ep. Petov.

Tandem etiam eodem hoc sæculo Styriam nostram illustravit *Marcus vir sanctus & admirabilis memoriæ Sacerdos*, ac Episcopus Petovienſis, ut eum appellant PP. Conc. Aquilej. an. 381. cui *superpositum, sed deformiter ejectum a plebe, quod crederetur, urbem prodidisse Gothis, aureum torquem, & brachiales impietate Gothica profanato more Gentilium indutum in conspectum exercitus prodire Romani*, Julianum nempe valentem Pseudo Episc. Petov. iidem Patres insinuant, vocatum dein ad hoc ipsum Concilium, ut eversæ Patriæ, perditorumque civium causas Sacerdotibus præstaret, at judicium declinasse, & post eversionem Patriæ Mediolani delituisse, similibus sibi sociatis &c. ad an. 381. &c. ostendam.

Julianus Val. Pseudo Ep. Pet.

Domnus Episc. Pann. vel Strid.

De *Domno Episc. Pannoniæ*, vel ut alii *Stridonienſi*, alibi etiam recurret mentio, uti & de Episcopis Aquilejensibus, hoc enim loco eos solum commemorare volui, qui Styriæ nostræ, vel natalium, vel prædicationis Apostolicæ, aut Martyrii titulo proprii videbantur: reliquos obiter attingam, uti Martinum utrumque Sabariæ in Pannonia natum unum Turonensem in Gallia, alterum Bracarensem in Hispan. Archiepiscopum, Aprianum Episcopum Petovienſem, & Marcum alterum Scisciæ Episc. Sardicensi Concilio an. 347. præsentem, eo anno ostendam, reliqua latent, SS. Valeriani, Chromatii, aliorumque celeberrimorum Metropolitarum nostrorum, Episcoporum Aquilej. uti & Presbyterorum ac Clericorum acta opus ipsum exhibebit.

S. Martin. Ep. Turon. S. Martin. Bra. Archiepisc. Aprianus Episc. Petov. Marcus E. Scisc.

§. XIII.

§. XIII.

Sæc. 5. S. Severinus Abbas.

Sæculo 5to: ut omittam Auguſtinum, Nicetam, reliquosque Paſtores noſtros Aquilejæ reſidentes, Styriæ etiam noſtræ profuit S. Severinus Abbas, ac Noricorum Apoſtolus, ut eum Baronius in Martyrologio ad 6. Id. Januar. appellat; Sanctus hic ſingulari Dei nutu circa an. 453. terras in noſtras vel vicinas delapſus eſt, Noricorum vitam ſanctis moribus, ac doctrina informaturus; vitam ejus conſcripſit Eugippius graviſſimus ſancti hujus diſcipulus, quæ exſtat apud P. Hieron. Pez to. 1. ſcript. Auſtr. Marcum Velſerum, aliosque: hunc S. Severinum Ambroſius Staibanus, & Nicolaus Cruſenius Erem. S. Auguſtini, Monachum Auguſtinianum, a quodam S. Auguſt. in Tuſcia diſcipulo factum contenderunt, ſed inaniter atque ita, ut res hæc refutatione digna vix videatur; utinam eruditi nobis, inſtitutum monaſticum S. Severini, ejusque regulam, ſub qua cum ſuis vixit, indicare poſſent: ſed redeamus ad res noſtras. Quo tempore S. Severinus utrumque Noricum ſua præſentia dignatus eſt, inquilini ejus ſeu *Norici*, quos *Romanos* vocat Eugippius, probe Catholici fuiſſe videntur; habebant enim Epiſcopos ſuos Conſtantium Laureaci, Tiburniæ Paulinum, habebant frequentes in oppidis Presbyteros, Diaconos, cæterosque Eccleſiæ miniſtros, plures itidem Eccleſias; nec etiam legitur Severinus Noricos ad religionem, ſed ad pœnitentiam ſolum ac opera pietatis adduxiſſe.

SS. Conſtantius & Paulinus Ep. Norici.

Arianorum nihilominus dogma fædum, ſcintillæ idololatriæ, ac reliquiæ ſuperſtitionis hinc inde dominabantur. Norici in mediterraneo, hoſtibus tum minus ac in Ripenſi erant expoſiti, hinc decimas & veſtimenta aliaque charitatis ſubſidia ab illis exigebat Severinus, ut Noricis in Ripenſi ſuccurreret, interim tamen in omnes liberalis, nam Favianenſes a malo famis, Comagenſes ab hoſtium jugo, Cuccullenſes a Locuſtis, Noricos trans alpes ſitos ab excidio cum oppidis ſuis liberavit.

Obſervat autem Velſerus in vita S. Severini ab Eugippio conſcripta *cum in* verbo *Norico Ripenſis adjectio abeſt, fere mediterraneum Eugippius ſignificat.* Et paulo infra fol. 667. *Ea pars, quæ ad Danubium vergit, Ripenſis, reliqua mediterranea dicta eſt.* Ex hoc Velſeri principio, ea ſolum hic adducam, quæ Styriæ noſtræ propria eſſe ex parte videntur: unde dum legitur Severinus *Norici Presbyteros miſſis exhortatum fuiſſe epiſtolis* ad decimas in uſum pauperum largiendas, id de noſtræ etiam Patriæ Presbyteris intelligendum, quos benevola charitate præſto fuiſſe viro ſancto non eſt dubitandum. Inſigni etiam bono Patriæ noſtræ præſtitit vir ſanctus, ut incolas Norici mediterranei per Maximinum quemdam de Norico ſibi valde familiarem ad avertendum a Patria ſua, per ſinceram pœnitentiam, excidium exhortaretur. Paulinus Tiburniæ Antiſtes indicto triduano jejunio univerſæ ſuæ diœceſi, Alemannos cuncta feraliter vaſtantes a caſtellis Patriæ omnibus avertit.

Styriæ pars.

In eadem vita deſcribitur miraculum in Styria noſtra, vel ejus certe limitibus factum, cum enim Norici mediterranei incolæ, hortante

S. Se-

S. Severino vestes conferrent, quibus Noricis Ripensibus ab hostibus pressis succurrerent, Maximus, seu Maximinus Noricus cum sociis suis, per medias ingentibus nivibus repletas alpes, summa hyeme incurius deportabat, & jamjam cum sociis de vita densas inter nives desperabat, cum subito S. Severinum eos confortantem, & adjuvantem sibi adesse videbat. Alpes hæ, quibus e Norico mediterraneo in Noricum patebat iter, vel nostræ in Styria, vel Salisburgenses erant. Plura in Chronico ipso patebunt, id interim subjunxisse juverit e discipulis S. Severini duos sanctitate illustres Styriæ nostræ aliqua ratione appropriari posse saltem ob locorum viciniam. Antonium nimirum nobilissimo genere Valeriæ in Pannonia natum, Constantii Episcopi Laureac. ex fratre Secundino nepotem, & Leonianum e Sabaria oriundum, expost clarissimum Viennæ in Gallia Abbatem.

Antonius S. Severi. discipulus, & Leonianus Sabar. Abbas Vienn.

Sæculo 6to: Præter Aquilejensium metropolitarum, aliorumque sub his suffraganeorum acta, nil speciale de viris Apostol. Styriæ dignum commemoratu occurrit, de quibus tamen Dissert. 3. agemus.

Sæc. 6. Metrop. Aquilej.

§. XIV.

Sæculo 7mo: SS. Columbani, Eustasii, & Agili Abbatum opera, Bajoariæ magis quam Styriæ fuit proficua: Eustasius enim, & Agilus ad Bojos solum devenere, sanctus vero Columbanus ad Sclavos etiam in Patria nostra degentes, ut abiret, prohibitus est, eamque Provinciam reliquit S. Amando Ep. Trajectensi. Atque ut quæpiam de S. Columbano proferam, sanctus hic toto Theoderici regno Franciæ per impiam Brunichildem ejectus, a Clotario Neustriæ tum præsidente, votis omnibus petitus & receptus est, cui quoque vir sanctus post triennium totam Monarchiam Francorum subjiciendam prædixit. Ast a Clotario ad Theodebertum Austrasiæ Regem divertens sensim in has Bajoariæ Provincias, per suos saltem discipulos penetravit; quid ab eo ad Brigantium actum sit, nostrum non est referre. Inde Columbanus cum triennium exegisset, perexit ad Agilulfum in Italiam, neque ego eundem Bajoariam aut finitima loca fidei implantandæ causa adiisse, negotio hoc suis discipulis relicto, idem esto Judicium de Eustasio, & Agilo.

Sæc. 7. S. Columbanus.

SS. Eustasius & Agilus.

Magis vero Patronis nostris annumerandus videtur S. Amandus Ep. Traject. qui an. 627. circ. ad Sclavos abiens, Styriam quoque nostram Apostolico sudore irrigaverit. Sanctus hic Amandus, Turonis Clericus effectus, abiit Biturigas ad S. Austragesilum ejus loci Episcopum, ibique per 15. annos inclusus, dein opus Evangelicum aggreditur circa an. 627. Roma enim ab Honorio P. cum honore dimissus ordinatur in Regionarium Episcopum. Exin (ut dimissis aliis ad nostra deveniamus) multis exantlatis laboribus, ac itineribus refert Baudamundus vitæ Scriptor cap. 4. *Audivit denique, quod Sclavi nimio errore decepti a diaboli laqueis tenerentur oppressi, illicque Martyrii palmam se assequi posse confidens transfretato Danubio, eadem circumiens loca libera voce Christi Evangelium prædicabat gentibus.* Paucis vero ex eis in Christo regeneratis videns etiam, non satis sibi accrescere fructum, & Martyrium,

S. Amandus Ep. Traject.

tyrium, quod ſemper quærebat, nondum ſe adepturum, ad proprias iterum reverſus eſt oves &c. Hæc ſteriliis ſancti viri prædicatio in Sclavis (qui non alii fuiſſe videntur, quam Carinthiam, ut nunc dicitur, Carnioliam, vicinasque regiones, quin ipſam quoque potiorem Styriæ ac Auſtriæ cis Danubium partem incolentes) inde cauſam ſumpſiſſe videtur, quod Francus quidam Samo Sclavis imperaret, vir a fide vera alieniſſimus. Quamvis vero modica fuerit meſſis a ſancto Amando in partibus noſtris relata, ejus tamen memoria ad hanc uſque diem ſancte in tota ampliſſima Archi-diæceſi Salisburgenſi recolitur, in cujus honorem hodiedum condita viſuntur Sacella & Eccleſiæ; quamvis, quis ille S. Amandus fuerit? multum litigetur, qui nimirum 6. Febr. colitur, & cujus S. Lipſana Salisburgi aſſervari dicuntur. P. Georgius Henſchenius e Soc. Jeſu in comment. prævio-ad vitam ejus 6. Febr. & P. Hanſiz Auth. Germ. Sacræ tom. 2. ajunt, S. Amandum Trajectenſem eſſe, cui Polyandrum exſtruxit S. Rupertus. Contra PP. Benedictini San-Petrenſes pro S. Amando Wormatienſi pugnant, at litigent inter ſe, per me licet, illud tamen vix credibile, quod S. Rupertus condiderit corpus S. Amandi Wormatienſ. ſe longe ſenioris, niſi res S. Ruperti ad ſæc. 6. finem & 7mi initium componantur. Sanctos Erhardum Ratisbonenſ. Epiſcopum, & Hidulfum fratrem natione *Noricos* fuiſſe, dicunt aliqui, noſtra ea de re ſententia ad an. 667. exponetur. *SS. Erhardus, & Hidulphus.*

§. XV.

Sæculi vero hujus fine novus ſurrexit Noricorum Apoſtolus Patriæ etiam noſtræ multum proficuus S. Rupertus, nimirum primus Eccleſiæ Juvav. ſeu Salisburg. Epiſcopus. Quanta hic Sanctus contentione ac ſtudio labentem ob continuos barbarorum incurſus fidem Laureacenſium & Noricorum cæterorum ſuſtinuerit, ac erigere laboraverit, quot & quanta beneficia Styriæ Carinthiæ, & Bavariæ præſtiterit, ex ejus variis vitæ deſcriptionibus colligimus; quarum quinque exiſtunt, ex his quatuor ab interpolatoribus, iisque longe recentioribus confectas eſſe ſatis conſtat. Unam eamque breviorem, adjectis quibusdam rationibus Mabillonius putat eſſe primarii authoris, an primarii, ſeu magis ſincere ſcribentis, an vero qui antiqua dignitate reliquos antecedat, non ſatis expreſſit. An Synchronus is fuerit S. Ruperto, vix crediderim, modus ſcribendi certe id non evincit, & ſane cum aſſerit: eum ex regali Francorum genere ortum, Wormatiæ fuiſſe Epiſcopum, ac poſt inſtitutam Juvavii ſedem rediiſſe Wormatiam a nemine, ſi Synchronus eſſet, in dubium vocari poſſet, cum tamen multi hæc tanquam commenta rejiciant. V. Author. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 34. &c. & in reflexionibus num. 124. &c. qui quidam loco cit. fol. 35. vitam illam breviorem putat eſſe primigeniam ex Biblioth. nimirum Cæſarea num. 73. depromptam, ac a Caniſio tom. 2. antiquarum lectionum pag. 248. & tom. 6. pag. 1139. in lucem editam; aliis tamen nec hæc vita primigenia videtur, eo quod centonibus commixta ſit, videaturque potius lectionarium quoddam fuiſſe *S. Rupertus Ep. I. Salisburg.*

quam vita, ut solebat a sinceris Hagiographis conscribi: at de his digladientur alii.

Ex hisce enarratis vitæ Rupertinæ descriptionibus sequentia omnino tuto credi possunt: 1. S. Rupertum, ut Episcopum ad Theodonem venisse, sed incertum oppido, an ex Wormatia, an aliunde. 2. Theodonem II. Rudberto prædicante de paganitate ad fidem Christi fuisse conversum; quod quamvis admodum arduum sit credere, ad an. tamen 696. pluribus ostendam? Theod. I. Bajoariæ Dux sine hærede obiit, Theod. II. an. ex Italia, Gallia, Pannonia adscitus fuerit, nemo hactenus edixit, & sane a Theodonis I. morte, major inducta videtur in Bajoaria Religionis ignorantia? 3. S. Rupertum vere condidisse Juvavii Cathedralem cum Sede Episcopali, plura in opere notabuntur.

Styriam nostram quod concernit, habemus ex duplici vita apud Canisium tom. 6. antiq. Lection. a pag. 1038. ad 1043. & a pag. 1107. ad 1122. ut & apud Bolland. tom. 3. ad diem 27. Martii a pag. 702. ad 706. eundem *per terminos Noricorum usque in inferiorem Pannoniam*, (cujus tum partem Styriam fuisse in ipso opere probabo) *pervenisse*, fors non absonum erit dicere S. Rupertum circa *montem durum* Hartberg, nunc Austriæ & Styriæ limitem verbum Dei annunciasse: de quo ad an. 698. plura ibidem de Celeja recurrent uti & Laureaco. Quid tamen ad hæc dicturi sint Laureacenses, dum Brunonem sedi Laureacensi Archiepiscopum imponentes, audient ipsius urbis, ac Metropolis Laureac. incolas jure quodam Episcopali Rupertum visitasse, & quidem insalutato Diœcesano Brunone? viderint illi.

§. XVI.

Sæc. 8. S. Virgilius Ep. Salisb. S. Arno Archi- Episc. Salisb. S. Paulinus Aquilej. metrop.

Sæculo 8vo: Reliquorum antistitum Salisburgensium in Styria nostra labores usque ad Virgilium non satis in aprico sunt constituti, de quo, an ipse in Carentaniam, & ad Dravi in Styria littora venerit, dubitatur, ego ad an. 772. quid sentiam, dicam, ubi dein etiam occurrent acta Arnonis Salzburg, & Paulini Aquilei, præcipue eorum lis de finibus diœcesis.

Non tamen soli Salisburgenses Antistites, Styrorum invigilabant saluti, operam etiam sanctam præstitere Patavienses eo præcipue titulo, quod jus vetus a Laureaco petitum in terras nostras se habuisse opinarentur.

Sæc. 9. Salzb. Aquilej. Laureac. res.

Sæculo 9no: Præter diremptam inter Arnonem & Paulinum diœcesis controversiam variæ occurrunt Synodi Aquilej. & Salisburg. variæque inter Sallsburg. & Laureac. lites sacræ, quibus recensendis, ne morer lectorem, abstineo, atque ad opus ipsum ablego: inter Patav. Episcopos.

Sæc. 10. S. Pilgrinus Archi. Laureac. & Ep. Patav.

Sæculo 10mo: Celeberrimus & de Patria nostra optime meritus videtur S. Pilgrinus Laureac. simul ac Patav. Episcopus: hic sanctus, ut silentio præteream, res ejus cum Ottocaro nostro gestas, quantum in conversionem Hungarorum, qui anno 889. Pannoniæ, proin Austriæ ac Styriæ etiam nostræ terras vastabant, posuerit operæ, testatur

ſtatur ejus ad Bened. 7. aliis 6. Pontificem epiſtola, quam unacum reſponſo Benedicti ex MS. cod. Cæſareo emendatam Petrus Lambeccius Commentar. de Biblioth. Vindobon. lib. 2. cap. 8. a pag. 641. ad 649. recudit, & Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 211. edidit.

Neque ſejungendus eſt ab eo S. Wolfgangus Ratisbon. ab an. 972. ad 994. Epiſcopus, qui tamen & ipſo in opere cum reliquis viris Apoſtol. Epiſcopali dignitate inſignibus proponetur. *S. Wolfgangus Ep. Ratisbon.*

DISSERTATIO III.

De primis Styriæ veteris Metropolitis & Epiſcopis.

§. I.

Ad tertiam, eamque plurimis æque ac graviſſimis circumvallatam difficultatibus Diſſertationem devenio, de Metropolitis nimirum & Epiſcopis Styriæ noſtræ veteris: norunt omnes, totam propemodum Patriam noſtram Metropolitæ jam Salisburgenſi parere, Sopitis, quæ eum inter & Patavienſem a veteri Laureaco jus ſibi vendicantem exarſerant, litibus; pars modica inferioris noſtræ Styriæ Aquilejenſi Patriarchæ (manifeſto, ut opinor, veteris jurisdictionis indicio) ſuberat, quæ tamen noviſſimis diebus Goritienſi ſubjecta eſt Archi-Epiſcopo, pars etiam quædam Styriæ ſuperioris Paſſavienſem veneratur Epiſcopum Paſtorem ſuum. Hæc de moderna Styria. At quæ antiqua fuerit Styriæ conditio Eccleſiaſtica? cuinam Metropolitæ ante Salisburgenſes ſubjecta? quosnam? an Regionarios ſolum, an Ordinarios? quibusve in ſedibus? ac quo tempore habuerit Epiſcopos? arduum eſt decidere, eo quod plura deſint, & pauca ſuperſint, veterum documentorum fragmenta rem hanc declaratura. *Præfatio*

Quamvis autem hac in re, non tam certa & antiqua (ut fere in reliquis, remotiſſimæ ætatis rebus uſuvenire ſolet) afferri poſſint documenta, eaque æqualium, ſupparium que teſtimoniis confirmari vix valeant, non deſunt tamen vel in tanta temporum obſcuritate nonnulli hiſtoricæ veritatis radii, qui ad explorandum in re controverſa, quid certum, quid veriſimile, quid incredibili proximum, quosdam velut per gradus ſecuro utcunque veſtigio nos deducant.

Inficiari quidem nolim, quosdam inconſulto neſcio, quo Patriæ antiquitatis ſtudio, ut illuſtrium quarundam familiarum, ita Eccleſiarum quoque origines altius repetere, quam veri ratio patiatur; certum tamen etiam videtur, eruditos non paucos ætatis noſtræ, in exigenda certa antiquitatis fide, ultra æqui nonnunquam, rectique limites longius provectos, qui nihil affirmandum, niſi parium, aut ſupparium teſtimonio nunquam ab univerſalibus ad ſingularia, niſi hiſtoria nominatim expreſſerit, deſcendendum putavere. Ego, ut jam Diſſert. 2. §. 2. ſtatui, in ea ſum ſententia etiam in antiqua hiſtoria, poſitis quibuscunque generalibus principiis, multa deduci ſatis certo poſſe, tametſi nominatim de hoc vel illo, expreſſum quid in hiſtoria non legatur.

§. II.

Sententia refertur triplex de veter. Styr. metropoli.

Hoc præludio veluti posito, triplex est authorum hac in quæstione sententia: Prima Laureacensem utriusque Pannoniæ, ac Norici etiam Metropolim usque ad Arnonis tempora statuit. Altera eum honorem Sirmiensi defert saltem a Constantini M. temporibus. Tertia tandem Aquilejensem Norico saltem mediterraneo. Proin Styriæ etiam nostræ uti matrem ita Metropoliticam Ecclesiam fuisse censet usque ad Arnonis tempora, quibus inter Salisburgensem, & Aquilejensem, limitum & diæcesium facta est discretio.

Laureac. non fuit Metropolis Styriæ.

Antequam mentem meam pandam, protestor denuo, ut Dissert. 2. me nec Laureacensis, nec Sirmiensis Ecclesiæ jura attentaturum, quod mearum erit partium, dicam solum, nempe nec Laureacensem nec Sirmiensem jus sacrum in Styriam protendisse: quamvis enim teste Velsero lib. 5. rer. Boicar. fol. 142. inter 4. primas Bajoariæ Ecclesias referatur Laureacensis, quamvis eadem ex litteris Symachi Papæ ad Theodorum *ab Apostolis fundata Ecclesia* dicatur, hic tamen ipse Pontifex diserte testatur Laureacensem *Provinciæ Pannoniæ fore Metropolitanam;* quamvis præterea Styriæ pars quæpiam Pannoniæ inclusa fuerit, nulla tamen nostrarum Ecclesiarum ad Laureacensem primis saltem sæculis se retulit, atque inter 7. *illas Episcoporum Parochias*, in quas jus Metropolitanum competere Laureacensi Ecclesiæ circa an. 826. asseruit Eugenius II. nulla assignatur ex nostris ut testatur Author Germ. Sacr. tom. 1. in fine Corollario I.

Ex his, ut opinor, primum conflatur argumentum contra Ecclesiam Laureacensem, eam nimirum non fuisse Styriæ nostræ Metropolim, seu Matricem Ecclesiam, si etenim talis fuisset, Eugenius II. Papa eam non Pannoniæ solum, sed Norici etiam Metropolitanam dixisset, atque inter subjectas Laureacensi juri Ecclesias, nostrarum quampiam retulisset; refert autem has 7. Ecclesias Pannoniæ, Laureacensis Ecclesiæ suffraganeas, nimirum *Vindobonensem, Stridonensem, Scisicianensem, Mursensem, Cibalensem, Sirmiensem*, & *Singidunensem.* Daniel Farlatus Soc. Jes. in Illyrico Sacro, alias ex textu Eugenii refert nimirum *Favianensem, Speculi-Juliensem, Nitraviensem*, & *Vetvarensem.* At de his incertum, an ævo Romanorum extiterint? an aliarum loco, recentiore ætate erectæ sint? Tres vero alias Ecclesias latere putat Farlatus.

Suffraganei Laureac. in Pannonia.

Illud magis miror, quomodo Author Germ. sacræ tom. 1. fol. 88. conjiciat, quod, licet Laureacensem Symmachus tantum censuerit, fuisse in Pannonia metropolitanam, id tamen factum non fuerit, quo Noricum excluderet, sed quo amplitudinem potestatis extra Noricum in Pannoniam quoque porrectæ ostenderet. Miror inquam, hæc dicentem, cum tamen ipse fol. 62. dubitet vehementer, an Noricum mediterraneum olim fuerit Laureacensi Ecclesiæ subjectum, idque potius Aquilejensi asserere videatur. Quod si idem author fol. 88. de protensa in Noricum Ripense jurisdictione Laureacensium loquatur, me sibi non multum contrarium habebit, utpote de rebus Styriæ solum diserentem.

§. III.

§. III.

Nec Sirmienſ. fuit Styr. metr.

Majus forſitan pondus habere videtur altera ſententia, quæ primam & metropoliticam per partes noſtras jurisdictionem tribuit Eccleſiæ Sirmienſi, cui dein deſtructæ & exciſæ ſucceſſiſſe volunt Laureacenſem. Sed nec huic ſententiæ ſubſcribo hiſce ductus rationibus. *1mo:* Sententia hæc nititur eo fundamento, quod Noricum & Pannonia, ut Diſſert. 1. §. 5. & 7. oſtendi, ſub Illyrico fuerit, Sirmium vero Illyrici metropolis. Aſt *primo* ante Conſtantini M. tempora, etiam Sirmienſis Eccleſia non fuit metropolitana, quærimus autem de Styriæ metropolitica Eccleſia primis etiam ſæculis; Sirmium ipſum ſane uſque ad an. 379. fuit urbs Pannoniæ, ut in Chron. ipſo ad an. 304. oſtendam, quomodo ergo ante id tempus Eccleſia Sirmienſis in Pannonia ſita, Illyrici metropolis eſſe potuit? ſitus ipſe Sirmii in radicibus montis Almi, interfluente urbem amne Bocuntio hodie Boſueta, ſeu Boſſuta, ultimum in Pannonia locum fuiſſe ſat clare exhibet cum Ptolomæo, qui eam in infer. Pannonica ſtatuit. *2do:* Omnia, quæ de Sirmienſis urbis & Epiſcopatus prærogativa adferuntur, intelligenda ſunt de tempore Conſtantini M. antea enim non erat *faſtigium Illyrici tam in civilibus quam Epiſcopalibus cauſis*, ut vult Juſtiniani novella, immo ne Pannoniorum quidem metropolis fuit, cum conſtet exemplo S. Quirini Epiſcopi Sciſcianenſis Pannoniæ, immo S. Irenæi Epiſcopi Sirmienſis: eos ambos extra Sirmium judicatos. Quirinum quidem in Pannoniam ad Probum Præſidem, Irenæum vero Sabariam adductum, atque in quæſtionem vocatum, ſigno ſat manifeſto, Sirmii id temporis non fuiſſe præfectum, proin nec civilem, minus Eccleſiaſticam metropolim, vel enuncient jurium Sirmienſium defenſores, quisnam tum Sirmii Præfectus fuerit? non Probus Pannoniæ Præſes, vel ſi ſimul Præſes Sirmii, cur non eo in loco tanquam capite & metropoli cauſas ſuas ſuſcepit? præterea cum ex dicendis Probum inferioris ſolum Pannoniæ, Amantium vero ſuperioris Pannoniæ Præſidem legamus, cur nec Probus, nec Amantius Sirmii reſedit? cur Probus infer. Pannoniæ Præſes de uno in alium locum migravit Singiduno Sirmium inde Cibalim? alia certo cauſa non apparet, niſi quod nulla harum urbium hoc tempore eo honore gaviſa fuerit, ut metropolis diceretur. Laureaci in Norico Ripenſi, & Celejæ in mediterraneo novimus Præſides ſuos reſediſſe, cauſas egiſſe, ac Chriſti Martyres de fide reos condemnaſſe, hæc cum Sirmii facta non ſint, metropolim quoque Pannoniæ dicere formido. V. pl. ad an. 304. verum proin eſt a Conſtantini M. & poſteriore etiam tempore Sirmii ſæpius conſtitiſſe Imperatores, ibique ſanxiſſe leges, quas collegit Jacobus Gothofredus topographia urbium in codice Theodoſ. poſterioribus temporibus Probus Imp. ibi necatus, creatus Imper. Theodoſius, non autem primis ſæculis. Aſt ulterius ut rem urgeam. *3tio:* Dico Sirmium an. circiter 379. Pannoniæ ablatum, Illyrico fuiſſe inſertum: at ejus tantum, non totius Illyrici metropolim eſſe factam, Socrates referendus ad an. 304. author eſt, in diviſione Illyrici orientalis & occiden-

talis Sirmium Pannoniæ ablatum, & Illyrico assertum fuisse, tunc ergo metropolis facta est, at non extra Provinciam, seu Illyricum, nam & eo tempore non Præfectus, sed Vicarius tantum Sirmii erat an. 323. ut adeo nec metropolis Illyrici totius, nec civilis etiam esse ostendatur. Quamvis ergo Anemius in Conc. Aquilej. an. 381. exclamaverit: *Caput Illyrici nonnisi civitas est Sirmiensis, ego Episcopus civitatis illius sum*, clamore se illo tamen, non metropolitam totius Illyrici exhibuit, sed ad summum, ut docet Norisius Dissert. de Synodo 5. cap. 10. p. 70. *Illyricorum Pannoniæ secundæ Episcoporum*, vel ut Novella Justiniani *partis secundæ Pannoniæ, quæ in Bacensi est civitate*, quæ proin Styriam nostram non concernunt,: & sane ratio non levis pro expositione citati Cardinalis pugnat; agebatur enim in Concilio illo Aquilejæ de Palladio Episcopo Illyrici in angulo Daciæ & Mæsiæ consistente, qui, cum reliquorum respueret judicium Episcoporum, Anemius ejus metropolita authoritatem suam, ut interponeret, necesse vidit. 4*to*: Quamvis veteri Romanorum stylo Noricum & Pannonia, ad Illyricum pertinuerit, nullus tamen horum Episcoporum, unquam Sirmiensem metropolitam agnovit, ut per decursum operis patebit, & metropolita Sirmiensis, Illyricum proprie sumptum, seu ut Norisius supra citatus, Illyricum solum Pannoniæ secundæ respexit jure metropolitico, nempe Liburniam, Dalmatiam, a fl. Arsia teste Plinio lib. 3. cap. 26. ad fluvium Drinium comprehensam: Lex præterea vatinia, qua Illyricum occidentale Galliæ cis alpinæ accensebatur, nil pro Sirmiensi metropoli probat, licet enim is tractus Illyrici a Præfecto Prætorio Italiæ sæpius regeretur, ex lib. 9. cod. Theodos. leg. 3. & lib. 1. leg. 2. lib. 11. leg. 1. non tamen ad ejus normam, Ecclesiasticum regimen conflatum puto, alias sicut unus & idem fuit Italiæ & Africæ Præfectus Prætorio, ita quoque unus & idem Italiæ ac Africæ fuisset metropolita, quod nemo concedet.

Intelliges ex his, ut opinor, amice Lector! omnia, quæ de Sirmiensi metropoli ex Justiniani novella adferuntur, attingere tempora tantum Constantini M. seu sæculum 4. & hoc etiam tempore non plus evincere, quam Sirmiensem fuisse Pannoniæ 2. metropolim. Quamvis vero citata Justiniani novella dicat: *Antiquis temporibus constitutam fuisse Sirmii præfecturam, & omne Illyrici fastigium.* Id tamen factum ultra Constantini tempora, seu ultra 200. ab edita novella annos non ascendit, cum Constantinus M. primus quatuor Præfectos Prætorio constituerit. Unde non apparet ratio, cur assumpto *fastigii* nomine ita gloriari possint Sirmienses, nec enim eo nomine mox rem confectam video pro metropoli Ecclesiastica, cum evidens sit, ante & post Constantini tempora plurimas fuisse per Illyricum Ecclesias metropoliticas: uti Thessalonicensem, Sardicensem, Salonensem, immo tot pæne quot erant Illyrici Provinciæ: accedit, quod Præfectus Saviam regens, & Sirmii residens, temporibus subsequis longe minoris fuerit dignitatis quam Præfectus Pannoniæ, teste Pancirolo in notitia utriusque imperii, ubi Præfectus Saviæ & Sirmii residens *Corrector* dicitur, Præfectus vero Pannoniæ *Proconsularis*, ex quo Pancirolus colligit, Sirmium nec fuisse Saviæ metropolim, nam inquit, *Saviæ metropolis erat*

Sciscia-

Sciſciana, ubi theſaurus Provinciæ reponebatur. Minus adhuc Sirmio tribuit Chiffletius apud de Marca lib. 5. de concordia Sacerd. & Imperii cap. 19. num. 5. docent: Sirmium tantum per tres annos, nimirum an. 357. & 2. ſequentibus, quibus Conſtantius Imperator ibi morabatur, metropolim fuiſſe, quod tamen non contendo. Vide etiam §. 10. v. plura anno 441. &c.

Ultimo id refutandum, quod nimirum Sirmio exciſo, honor metropoliticus Laureacum migraverit, contrarium enim exhibet citata Juſtiniani novella his verbis: *Præfecto ex urbe Sirmitana Theſſalonicam profugo, præfecturam etiam honor Sacerdotalis ſecutus eſt, ſicut Epiſcopus Theſſalonicenſis ſub umbra præfecturæ aliquam meruerit prærogativam:* Provincias vero ad præfecturam Prætorii, & Archi-Epiſcopatum Sirmienſem, ac dein Theſſalonicenſem pertinentes Juſtinianus Imp. ipſe recenſet in cit. novella, nullam tamen ex his Pannoniæ primæ, Valeriæ, immo nec Saviæ refert, ex quibus proin concludo, nec minimam Styriæ partem ſub Sirmienſi unquam fuiſſe Metropolitano, nec poſt Sirmienſem ſub Laureacenſi.

Exciſo Sirmio Laureac. non fuit Styriæ metrop.

§. IV.

Refutatis aliorum placitis propria tandem declaranda eſt ſententia, qua nimirum Aquilenſis Eccleſia a primo Chriſti ſæculo ad Arnonis tempora metropolitica, ſeu potius matrix totius Styriæ ſtatuitur: Dico potius *matrix*, quam *metropolitica*, conſtat enim ante ſæc. 4. ſeu ante Conc. Nicænum, non fuiſſe in occidente, præter Romanam, Eccleſiaſticam metropolim, id quod Pagius & de Rubeis monum. Aquilej. cap. 19. & 20. multis oſtendunt argumentis, quo lectorem remitto, id ſolummodo notans, me, dum hactenus de metropoliticis Eccleſiis, & poſthac locuturus ſum, per prolepſim tantum, & in ſenſu minus ſtricto accipere vocem hanc *metropolim*, pro matrice nempe Eccleſia. Argumenta ſententiæ meæ jam Diſſert. 2. §. 4. inſinuavi: quorum *Primum* deſumo ex converſione ab Aquilej. Eccleſia velut matre derivata in Noricum mediterran. & Pannoniam ſaltem ſuperiorem, ut ibidem oſtenſum eſt, proin in totam Styriam noſtram.

Aquilejenſ. Eccleſia a ſæc. 1. ad Arnonis tempora fuit Metropolitana Styriæ ſeu matrix ante ſæc. 4. non erat metropolitana in occidente præter Romanam.

Secundum eſt hoc: Epiſcopi omnes Norici mediterranei & Pannoniæ ſuperioris ad ſæc. 6. & ultra paruere ſolum Aquilejenſibus Præſulibus, ab his ſolum in cauſis omnibus, etiam hæreſis, ſunt in jus vocati, proin Aquilejenſes fuere primi & veri horum Paſtores.

Tertium ſtatuo ex Conc. Maranenſi, in quo Patres Aquilejenſes conqueſti ſunt de ablatis ſuæ jurisdictioni Norici mediterr. Eccleſiis.

Quartum ſit ex lite Aquilejenſium cum Salisburgenſibus.

His argumentis, ut ſententiam meam ſtabiliam, eadem majore ſtudio & opera proponenda ſunt: primum cum jam Diſſert. 2. §. 4. ſit exhibitum ad deductionem 2di procedo, ordine nempe ſæculorum.

1. & 2. argum. pro Aquil. Eccl.

§. V.

Epiſcopos omnes Norici mediterr. & Pannoniæ ſuperioris, ſeu Styriæ noſtræ paruiſſe Aquilejenſibus ſequens ſæculorum ſeries exhibebit

Sæc. 1. & 2. Epiſcopi Styriæ an & qui?

bebit. *Sæculo itaque* 1. & 2. Styriam noſtram per Epiſcopos, & Presbyteros Aquilejenſes fuiſſe curatam, quamvis fors nondum habuerit intra ſe Epiſcopum proprium vel ex hoc ipſo conjicio, quod cura & ſolicitudo Aquilejenſium pro converſa a ſe Patria noſtra eo magis elaboraverit, quo minus proprio adhuc Epiſcopo proviſa fuit Styria noſtra; fors idem apud nos factum, quod hodiedum in converſione gentium uſuvenit: ut nimirum iis in locis noſtris, quibus tertio & ſubſequis ſæculis Epiſcopos præfuiſſe legimus, conſtitutæ ſolum fuerint primis 2. ſæculis ſacrarum præfecturarum ſedes, queis ſerius ſui Præſules acceſſerunt; nec id quidem mirum, cum furente, illo temporum curriculo, perſecutorum rabie limites diæceſium non ſatis fuerint diſcreti.

Sæc. 3. Petov. Epiſc.

Sæculo 3tio: Exeunte Petovienſis noſtra Eccleſia Epiſcopalis ſanctiſſimum, ac Divinis in ſcripturis verſatiſſimum habuit Præſulem S. Victorinum, de quo jam Diſſert. 2. §. 12. quæpiam dedi, plura ad an. 304. &c. Papa quidem Romanus totius adhuc occidentis erat metropolita, ut §. pr. obſervatum, attamen inde nil pro Laureac. vel Sirmienſi Eccleſia infertur, cum Petovienſis ad neutram harum ſe contulerit, ſed ad Aquilejenſem: quod ex mox dicendis ſæc. 4. patebit.

Celeja non fuit ſub jurisdictione Laureacenſ.

Celejam, etiam ut Diſſert. 2. §. 11. dixi, venerat hoc ſæculo S. Maximilianus Epiſcopus Laureac. (an Regionarius, an Ordinarius? multi dubitant) inde tamen nil pro Laureacenſium in terras noſtras jurisdictione concludi poſſe opinor. Erat enim Maximilianus Celejæ natus, noverat Patriam ſuam gravi perſecutione preſſam, quid quod valde credibile videatur, nec hoc, nec futuro ſæc. adhuc Celejam proprio Epiſcopo gaviſam: hæc itaque cauſa eſſe potuit, cur S. Maximilianus relicta ſua tantiſper ſede non ita fidei Chriſtianæ cauſa, uti Celeja, exagitata, Patriam reviſeret, concives ſuos hortaretur, fidem ſtabiliret veram, cur autem id Aquilejenſes non præſtiterint: non inanis eſt conjectura, eosdem furore gentilium quoque oppreſſos, ſuis primum rebus conſulere ſtuduiſſe, novimus enim excitata a Monophante idolorum templi Sacerdote perſecutione S. Hilarium Epiſcopnm Aquilej. Martyrio ſuiſſe coronatum 17. Kal. April. eodem circ. tempore.

§. VI.

Sæc. 4. Petov. Epiſc. ſub Aquil.

Sæculum 4tum: Argumento noſtro magis prodeſt; eo enim Marcus Petov. Epiſc. *Vir S. & admirabilis memoriæ Sacerdos* nominatur a PP. Conc. Aquilej. an. 381. celebrati, cui S. Ambroſius non tanquam primarius Diæceſis Epiſcopus, ſed ut Legatus præfuit Apoſtolicus. Mi-

S. Marcus Ep. Petov. an præſens Conc. Aquil. an. 381.

ror omnino, hunc S. Epiſcopum Marcum inter præſentes Conc. Aquilej. PP. non referri a Bern. de Rubeis monum. Aquilej. cap. 20. uti nec a Labbæo, vel Harduino, enimvero, ſi non interfuiſſet, quomodo PP. Aquilejenſes ignotum ſibi Epiſcopum de ſanctitate & memoria adeo celebraverint? forſitan itaque præſens fuit, at non Concilio ſubſcripſit, ut ſæpius factum novimus; Hinc acta Concilii tum apud Harduinum tom. 1. col. 834. 25. Epiſcopos referunt: Baronius vero num. 81. & Pagius num. 13. ad an. Chriſti 381. ſtatuunt 32. Epiſcopos interfuiſſe, non tamen hos inter Marcum Petovienſem: quod ſi etiam

Marcus

Marcus non adfuit, nec id Aquilejensium juri obest, tum quod Conc. hoc teste de Rubeis provinciale non fuerit, sed a Papa indictum, cum quod omnibus Episcopis liberum fuerit hoc Conc. adire, vel evitare, ut an. 381. dicetur, id certo constat, a PP. Aquilejensibus: tanquam unum ex ipsis fuisse sanctimoniæ & memoriæ causa celebratum.

Juliani Valent. Pseudo-Ep. Pet. causa agnoscitur ab Aquilej.

Contigit eodem tempore, ut Petovio civitas Styriæ a Gothis capta everteretur, proditione, ut suspicio non levis est, Juliani valentis Episcopi Ariani, nuper S. Marco superpositi, sed deformiter a plebe sua an. 380. ejecti. Hic Julianus Valens ad causam dicendam evocatus est Aquilejam ad Concilium, non alia sane de causa, quam quod sedis Petovienſis cognitio, Aquilejensium fuerit inquisitioni subjecta: quamvis vero Concilium hoc generale fuerit, non provinciale, utpote sub Gratiano Aug. & Ambrosio sedis Apostolicæ legato coadunatum, ratio tamen eadem pro sententia nostra pugnat, tum quod PP. Aquilejenses de hoc Valente querulas Imperatori dederint litteras tanquam de Episcopo, sibi subjecto & vix provinciali Conc. coercendo, cum quod fors ideo Concilium generale Aquilejæ tanquam in Ecclesia matrice, seu ordinaria Pseudo-Episcopi hujus fuerit convocatum. Id unum interim notatum velim, Valentem hunc Julianum ab illo Valente Mursensi Episc. an. 347. in Conc. Sardicensi cum Ursacio damnato, probe distinquendum esse.

Dubium de Pet. Eccl. resolvitur.

Verum est, non abnuo, multos dubitare: ad quamnam ex tribus his Ecclesiis Aquilej. Laureac. & Sirmiensem, se Petovienſis Ecclesia retulerit. Emmanuel Schelstratius generaliter censet, in dispersione Diœces. Sirmiensis per Attilam sæc. 5to facta, *Noricum*, *Saviam*, atque *Pannoniam primam* Aquilejensi fuisse adjectam, antea vero Sirmiensi; Viri hujus doctissimi sententiam in examen vocat author Germ. sacræ tom. 1. cap. 12. negatque Pannoniam unquam Sirmiensi paruisse, sed Laureacensi, Noricum vero mediterraneum nec ad Sirmiensem, nec ad Laur. pertinuisse docet, sed ad Aquilejensem tum ex possessione temporum posteriorum, tum ex jure originario in eo fundato, quod Ecclesiæ Norici originem acceperint ab Aquilejensi. Ita cit. author Germ. sacræ, ego vero hac in controversia judico, Petovienses juri Aquil. a primis sæculis in sacris fuisse semper obnoxios, cum enim in Conc. Aquilej. cit. causa Petovienſium Episcoporum Marci & Valentis Juliani fuerit examinata, & quidem ad preces, & instantiam Aquilejensium Patrum, cum præterea Episcopi Petovienses nunquam in Conc. aliquo Laureacensi (de quibus quidem altum apud omnes silentium) nec in aliqua Sirmiensi Synodo provinciali comparuerint, ex possessione posteriorum temporum, & jure originario Ecclesiæ Aquilejensis in has terras, sat bene concluditur, Episcopos etiam Petovienses fuisse Aquilejensibus semper subjectos.

Sabionenſ. seu Brixin. Ep. sub Aquilej.

Ad idem hoc sæculum refert Marocutus apud Ughellum tom. 5. col. 23. a Fortunato, aliis Fortunatiano circa an. 350. Episcop. Aquil. fundatum fuisse Sabionensem, nunc Brixinensem in alpibus Noricis Episcopatum, consecrato ibidem primo Episcopo S. Cassiano dein Martyre, ut vult Hundius in metropol. Salisburg. tom. 1. Ast quamvis incertus sit S. Cassiani Martyris Episcopatus Brixinenſ. seu Sabio-

nenſis, teſtatur tamen author Germ. ſacræ tom. 2. prolegomen. fol. 7. Epiſcopatum Sabionenſem in Rhætia, quondam ad Aquilej. metropolim pertinuiſſe, poſtea vero quam Rhætiæ pars, ditioni Ducum Bojorum acceſſit, eum ad Epiſcopos Bojoariæ fuiſſe accenſum, ut liquet ex Synodo Dingolfing. cui cum aliis Bojoariæ Epiſcopis ſubſcripſit Alimus Sabionenſ. Epiſcopus. Caſtrum porro erat vetus Sabio, ſeu Sabiona, e quo dein translata ſedes ad oppidum Brixentum, ſeu Brixinam, appellata Brixinenſis, hodieque celebris in Comitatu Tyrolis. V. plura an. 359.

§. VII.

Sæc. 5. turbatæ res Eccl. Styr.

Deducendum eſt argumentum noſtrum ad ſæcula etiam ſubſequentia ſeu ad *ſæc. 5tum.* In hoc, quas barbarorum incurſiones ſubierit Noricum utrumque, ex dicendis abunde patebit, quædam in S. Severino Diſſert. 2. jam oſtenſa. An. 452. Aquileja urbs ſub Niceta Epiſc. Aquilej. ab Attila Hunnorum Rege funditus eſt everſa, cujus dein templum & urbem ad ſæculi hujus finem pro poſſe reparavit Marcellinus 20. Aquilejæ Epiſcopus; ut prôin nil mirum, quod turbato adeo ſæculo nil exſtet, quo res noſtras confirmare poſſem.

Sæc. 6. Schiſma Aquilej.

Sæc. 6. Poſt Stephanum Aquilej. ſedem tenebat Macedonius, quem Schiſmatis in cauſa 3. capitulorum authorem facit Bern. de Rubeis in Diſſert. hiſtor. de Schiſm. Eccl. Aquil. cap. 2. alii tamen cum Ughello tom. 5. Ital. ſacræ col. 25. &c. Paulinum, de quo plura in opere. Mortuo circa an. 558. Macedonio Aquilej. ſucceſſit Paulinus, vel Paulus metropolita Aquilej. quia tamen contra veterem hujus Eccleſiæ morem ab Honorato Epiſc. Mediol. omiſſo de 5ta Synodo tuenda juramento, ac non præſente legato Romano ordinatus erat (ut Cardin. Noriſius in Diſſert. hiſtor. de 5ta Synodo cap. 9. §. 1.) vel quia non obtento Romani Pontificis conſenſu, utpote Schiſmaticus eſt conſecratus (ut vult de Rubeis cap. 4. cit.) hinc Pelagius Papa eum execratum, & non conſecratum ſcribit: Inde Paulinus audito Albòini Longob. Regis adventu theſauris Eccleſiæ ſecum acceptis in inſulam Gradenſem abiit an. 568.

Turbis his in Eccleſia, ac Diæceſi Aquilej. exortis, quid mirum, ſi Galliarum Epiſcopi ſpiritualibus Norici neceſſitatibus ſubvenerint? ſi Eccleſiis Petovienſi Tiburnienſi ac Auguſtanæ (ſubſtituam in opere ipſo huic ultimæ Segeſtanam) Epiſcopos præfecerint? videntes horum Epiſcoporum Paſtorem, & metropolitam Schiſmate infectum. V. §. 11.

Poſt Paulinum & hujus ſucceſſorem Probinum Elias Aquilejæ ſedit, quem hæreſi Manichæa infectum Ughellus teſte Noriſio male ſcripſit, Synodum tamen Schiſmaticus Elias in inſula Grado convocavit 20. Epiſcoporum, de qua ſuo loco quam plurima: id interim in rem meam adduco, adfuiſſe huic Synodo Epiſcopos Joannem Celejanum, & Virgilium Patavinum, quem author Germ. ſacræ tom. 1. Coroll. 1. legit Petovienſem. Quidquid ſit de Synodo Grad. fictitia, id tamen ex dicendis an. 579. patebit, Epiſcopos hos ſaltem Conc. Aquilej. an. 558. fuiſſe ſubſcriptos. Præterea ſi etiam pro Patavino Petovien-

De Celejan. & Petov. Epiſc.

tovienſem non legamus, & Epiſcopum Petov. abſentem credamus, nemo tamen inferet, eum Laureacenſi, vel Sirmienſi ſubſtituſſe, ſed aliam fors abſentiæ cauſam nobis incompertam exſtitiſſe: Aſt ad argumentum aliud convincens recurrendum.

§. VIII.

Quod, ne cœptam ſæculorum ſeriem interturbem, ex eodem ſæc. 6. deſumo, eodemque Aquilejenſem fuiſſe metropoliticam Styriæ oſtendo. Patres Aquilejenſes licet Schiſmatici in Synodo Maranenſi an. 590. collecti ad Mauritium orientis Auguſtum querulas dedere litteras, quod hoc tempore Galliarum Epiſcopi (Francis nempe jam in Norico dominantibus) Epiſcopos, & Sacerdotes in Norico conſtituere præſumant: fieri ſibi nempe injuriam expoſtulabant Aquilejenſes his verbis: *Galliarum Archi-Epiſcopi vicini ſunt, ſi quem de noſtris defungi contigerit, ad ipſorum fine dubio ordinationem recurrunt, & ſic diſſolvetur metropolitana Aquilejenſis Eccleſia ſub veſtro Imperio conſtituta, quod ante annos jam fieri cœperat, & in tribus Eccleſiis noſtri Concilii, hoc eſt Beconenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana Galliarum Epiſcopi conſtituerunt Sacerdotes, & niſi ejusdem, tunc divæ memoriæ Juſtiniani Principis juſſione commotio partium noſtrarum remota fuiſſet, pro noſtris iniquitatibus pene omnes Eccleſias ad Aquilejenſium Synodum pertinentes Galliarum Sacerdotes pervaſerant.* En! querelas Aquilejenſium de jurisdictione ſua minuta in Eccleſiis Norici mediterranei, ſane, niſi ſuas noviſſent has eſſe ex antiquo jure Eccleſias, nunquam de ſibi ſurreptis conqueri fuiſſent auſi. Quid quæſo ſimile de noſtris Eccleſiis in rem ſuam producere poterunt vel Laureacenſes vel Sirmienſes? ut adeo absque ullo dubio has Eccleſias Aquilejenſi metropoli ſubjectas judicare quisque poſſit. Quæ autem erant hæ Eccleſiæ *Beconenſis, Tiburnienſis, & Auguſtana?* ſecunda nota eſt; pro *Beconenſi* author Germ. ſacræ tom. 1. fol. 94. *Petovienſem* ponit. V. an. 545. & pro *Auguſtana Celejanam*, cum Celeja Auguſta Claudia dicta fuerit, ſed *Segeſtanam* potius, cum de Rubeis legendam cenſeo, ut an. 545. dicetur. *3tium argum. pro Aquilejenſ. e Synodo Maran.*

Sed demus: nec Petovienſem, nec Celejanum Epiſcopum ſæc. 6. Maranenſi conciliabulo interfuiſſe, & quidem ideo, quod hi jam a Galliarum Archi-Epiſcopis conſtituti Præſules ſe ad Laureacenſem retulerint ſedem, nil inde contra Aquilejenſes probabitur, cum hoc ipſo facto, hi jus ſuum lædi fuerint conqueſti.

Cauſam porro attentatæ hujus a Galliarum Archi-Epiſcopis, invaſionis Diœceſis Aquilejenſis exponit de Rubeis citatus cap. 13. his verbis: *Id accidit Theodeberto Auſtriæ (ſeu Auſtraſiæ) Rege, qui ab anno 534. regimen tenuit uſque ad annum 547. Alemannis devictis, domitisque, Rhætiæ Noricum, aliæque Provinciæ ceſſerant Francis - - - his ergo temporibus Galli Archi-Epiſcopi Facultatem arripuerant in Eccleſias Provinciæ Aquilejenſis, in eisque Sacerdotes, aut Epiſcopos conſtituerunt. Verebantur præterea Schiſmatici: ne Rhætiarum & Norici populi ægre ferentes ſolicitudinem Apoſtolicam, qua redire cogebantur Epiſcopi Aquilejenſes ad unitatem Eccleſiæ, proprio relicto metropolita, a vicinis Gallis Archi-Epiſcopis Sacer-*

dotes poſtularent. Unde proprius Noricorum metropolita erat Aquilejenſis, Noricorum inquam, ſaltem in mediterraneo locatorum: nam de Ripenſi multum eloqui meum non eſt.

Hoc ego ſane maximum pro jure ſacro Eccleſiæ Aquilejenſis in Styriam noſtram judico argumentum, quo, ſi majus vel etiam par tantum attulerint Laureacenſes, vel Sirmienſes, victas dabo manus, & a mea diſcedam ſententia.

§. IX.

Sæc. 7. Petov. & Cilej. Epiſcopat.

Non incongrua eſt P. Puſchii in Chron. S. Ducat. Styriæ ſæc. 7. pag. 171. ſuſpicio, Petovienſem & Celejenſem Epiſcopatus jam fuiſſe hoc tempore exſtinctos, cum eorum nulla amplius recurrat memoria; P. Bern. de Rubeis quidem in Diſſert. hiſt. de Schiſmate Eccleſ. Aquilej. cap. 17. & 18. eruere ſibi viſus eſt Andream Celejanum Epiſc. ex textu Græco ἐκκλησιάς Κελειάνης, & addito *Provinciæ Iſtriæ*, hunc proin putavit cum Agathone Cathol. Aquilej. ſeu Gradenſi ſubſcripſiſſe Concilio Rom. an. 679. ac Conſtantinopolitano an. 680. aſt corrigit mentem ſuam de Rubeis in monum. Aquilej. cap. 35. num. 3. putatque legendum *Eccleſiæ Veglentanæ*, ut ſuo loco pluribus oſtendetur.

Sciſſio metropol. noſtræ in Aquil. & Gradenſ.

Agatho porro Gradenſis (ſciſſa nempe hoc ſæc. Eccleſia noſtra metropolitica in 2. nimirum Aquilejenſem, cui Schiſmatici, & Gradenſem, cui Catholici præerant Epiſcopi) ſe tamen ſemper Aquilejenſem ſcripſit, ut videbimus an. 649. 607. &c. quia nimirum illi tanquam Catholico Præſuli parebant Catholici Præſules cum plebibus ſuis, Aquilejenſemque Schiſmaticum non agnoſcebant.

Argum. 4. pro Aquil. e lite cum Arnone Saliſb.

Modica quidem, fateor, adſunt hujus ſæc. documenta pro Eccleſiis Styriæ noſtræ, attamen eandem uſque ad Arnonis tempora, ſeu an. circiter 798. perſtitiſſe in obedientia Aquilejenſium ſequenti & ultimo evinco argumento, petito ex lite Aquilejenſium cum Salisburgenſibus ob Styriam, Carinthiam, ac vicina loca. Factum eſt nempe an. 798. ut delegato Hunnis per Carolum M. Arnone Salisburgenſi Antiſtite, Sclaviniæ, & Pannoniæ fines emenſo, ordinaretur Theodericus Epiſcopus *per regionem Carentanorum & eorum confines, occidentali parte Dravi fluminis, uſque dum Dravus fluit in amnem Danubii*, ut refert Anonymus Scriptor apud authorem Germaniæ ſacræ tom. 2. in Arnone fol. 109. qua proin diviſione Emonenſis, Tiburnienſis, Cilejenſis, & Stridonienſis Eccleſia Aquilejenſi ſubtrahebantur. Theodericum hunc Epiſcopum Ab Arnone conſecratum, *Arno, & Geroldus Comites perducentes in Sclaviniam dederunt in manus Principum*, ut idem author refert. Jam antea vero devictis a Carolo M. Hunnis an. 796. pars Styriæ noſtræ Salisburgenſibus ceſſit, Pipinus enim *partem Pannoniæ circa locum Peliſſæ inferioris ultra fluvium, qui dicitur Rapa*, ſeu Arabonem, germanice Raab, *& ſic uſque ad Dravum fluvium, & eo uſque, ubi Dravus fluit in Danubium &c.* Arnoni in Eccleſiaſticis procurandam dedit, ex quibus proin liquet Arnoni etiam Pannoniæ ſuperioris partem illam modernæ Styriæ cum diſtrictu Petovienſi obtigiſſe, plura an. 796.

Hæc,

Hæc, ubi ad aures Aquilejensium pervenere, ingentem sibi in sacra sua Diœcesi injuriam fieri querebantur; res ad Carolum M. judicem devoluta, qui tandem statuit, *ut limes Diœcesium Aquilejensis, & Juvaviensis esset flumen Dravus;* quia vero flumen Dravi & occidentalis ejusdem pars potissimum respiceret Carentanos, hinc factum, ut Carolus M. in suo decreto decisivo apud Valvasor. Chron. Carn. to. 2. l. 8. fol. 630. (de quo ad an. 811. agetur) posuerit litem *de Carentana* fuisse *Provincia*, quæ utpote pars maxima ad Dravum erat: Styriæ tamen pars ad Dravum exclusa non fuit, legitur enim apud Anonymum supra cit. de *Sclavinia, & Sclavinis*, quos constat eo tempore terras nostras etiam inhabitasse. Quid quod ex Dissert. 4. in Leopoldo forti patebit, non solum partem Carinthiæ ex hæreditate Ducis de Eppenstein Styriæ accessisse, sed Dynastiam etiam Mahrburgensem ad Dravum sitam.

Videamus parum, unde & quo jure Styria cum aliis conterminis Carinthiæ &c. terris ab Aquilejensibus avulsa, Salisburgensibus fuerit adjecta? Censeo hac in re, ut Aquilejensibus jus vetus, ita Salisburgensibus jus novum profuisse, nam sæc. 7mi fine scimus S. Rupertum Salisburgensem primum Episcopum, *partes ulteriores Sclavorum*, teste Rosweido in vita ejusdem penetrasse *ad urbem usque Celejam Sclavorum*, teste Paulo Diacono *Patriam:* de quo jam aliqua Dissert. 2. §. 11. & 15. atque ad an. 698. plura, ubi etiam & subsequis annis dicetur, an S. Rupertus in Styriam venerit, Christi fidem prædicaverit, corpus S. Maximiliani Celeja Laureacum transtulerit, vel ut ait Chron. Celej. sæc. 15. scriptum, Celejæ Ecclesiam S. Maximiliano consecraverit: sæculo sane 9. sub Luipramo Archi-Episcopo Salisburg. res hæc pro posse enucleabitur. *Cur Styria ab Aquilej. ad Salisb. devenerit.*

Præciaris his S. Ruperti vestigiis, institit in Styria etiam S. Virgilius, non Carinthiæ solum, sed Styriæ etiam saltem ad Dravum sitæ Apostolus, sicque factum, ut Arno Successor jus sibi ab antecessoribus quæsitum non amitteret, sed stabilire etiam, quaqua posset, laboraret: inde lis mota inter Antistites duos Aquilejensem jus vetus, Salisburgensem jus novum sibi vendicantem.

Nil autem litis Salisburgensi intentarunt Laureacensis vel Sirmiensis, utpote quos nullo jure hæ terræ concernebant; atque ex his demum concludo inefficax esse argumentum pro Sirmiensi metropoli ex eo petitum, quod Sirmium esset *Illyrici fastigium:* nam præter ea, quæ jam §. 3. allata sunt, fastigium illud Illyrici in Ecclesiasticis etiam causis, ad primatum, seu vicariatum potius Apostolicum esse referendum testatur de Marca inquiens, *habet igitur Antistes Sirmiensis fastigium in causis Episcopalibus, non jure metropolitano, sed jure singulari Primatis, & Vicarii Apostolici.*

§. X.

Difficultas maxima moveri potest Aquilejensi Ecclesiæ ex eo, quod Aquileja non legatur, fuisse metropolis civilis, constet vero Pontifices Romanos in constituendis *antiquis metropolibus* vel ad civilem, vel *An omnis metropolis Eccl. fuerit etiam civilis.*

ad Præfecturalem urbium dignitatem, vel tandem ad maternam Eccleſiæ authoritatem (unde in minora oppida & civitates religio propagata eſt) reſpexiſſe: Id quod oſtendit Thomaſinus libro 1. c. 3. & 39. Dominicus Manſius in Diſſert. de Concilio Lateranenſi an. 769. aliique ex Conc. Nicæno an. 325.

Dixi: *In antiquis metropolibus conſtituendis*, id reſpexiſſe Romanos Pontifices; nam in novis iidem Pontifices eas etiam Eccleſias reſpexere, & conſtituere metropoliticas, ex quibus ſpes eſſet facilius religionem in alias urbes, Provincias, gentes, propagandi, id quod in Salisburgenſi, Hamburgenſi, Magdeburgenſi, reliquisque recentioribus obſervatum. Quod ſi itaque Aquilejenſis *antiqua* erat metropolitica Eccleſia per Pannoniam & Noricum, ſequitur eandem urbem per has Provincias etiam fuiſſe metropolim civilem, quia teſte cit. Thomaſſino antiqua metropolis Eccleſiaſtica ſemper ſimul fuit civilis.

Aſt obſervat author annal. Eccleſ. Germ. tom. 2. in animadverſionibus ad tom. 1. fol. 537. civilium metropoleon non ita ſemper habitam fuiſſe rationem, ut non interdum Eccleſiaſticæ metropoles, extra civiles conſtituerentur, quod exemplo ipſius Eccleſiæ Aquilejenſis probat: *fuerit* enim *ſane*, inquit cit. author, *Aquileja decimæ partis Italis metropolis civilis, & comparate ad illam etiam metropolis Eccleſiaſtica, at non erat metropolis civilis in Pannonia Norico, & Rhætia, quæ tamen illi aliqua ſui parte, ut ex ſuffraganeis Epiſcopis Sabionenſi, Tibornienſi, Tridentino aliisque in Aquilejenſi Synodo ſubſcriptis patet, tanquam metropoli Eccleſiaſticæ ſubdebantur.* Ulterius exemplum idem author deſumit a Laureaco nobili licet civitate, quæ licet non eſſet metropolis civilis ejusdem Norici vel Pannoniæ, metropolitico tamen honore a Symmacho primum, aliisque Rom. Pontificibus decorabatur, nulla certo alia ratione, quam quia fidei gratiam in Noricum, Rhætiam, ac Pannoniam ex ea profluxiſſe credebant Pontifices Romani. Eodem itaque modo de Aquilejenſi diſcurrendum eſt Eccleſia, quæ, licet metropolis quædam civilis eſſet Italiæ, non tamen Pannoniæ & Norici, hoc non obſtante ob propagatam in Pannonias ac Noricum fidei gratiam harum Provinciarum facta eſt metropolis Eccleſiaſtica. Sic viciſſim Celeja (ut Diſſ. 1. §. 17. oſtendi) Norici mediterranei caput erat metropolis civilis, ac ſedes Prætoris Romani, non tamen erat metropolis Eccleſiaſtica, quia nimirum ab ea fidei gratia in alias terras non fuit propagata.

Argumentum hoc premit etiam eos, qui pro Laureacenſi & Sirmienſi pugnant, neque enim unquam Sirmium Norici & Rhætiæ, nec Laureacum Pannoniæ vel Rhætiæ metropolis civilis, quin metropolis Aquilejenſis majore prærogativa inſignis erat, utpote decimæ partis Italiæ, ac Illyrici, ſub quo Noricum & Pannonia comprehenſa olim, metropolis civilis.

Hoc itaque ſenſu locum habere poteſt Thomaſſini aſſertum lib. 1. cap. 41. num. 1. dicentis: *Antiquiſſimas metropoles Apoſtolicis temporibus, & ipſis perſecutionum tum maxime ſævientium procellis inſtitutos fuiſſe, cum necdum Imperatores Chriſti jugum ſubiiſſent*, tametſi dein, quas quæque metropolis civitates ſibi haberet ſubditas (ut ſcribit Hadrianus I. Pontifex in ſua ad Bertharium Epiſcopum Vienn. epiſtola) *B. Leo & alii*

præde-

prædecessores & successores ipsius post Chalcedonensem Synodum singulis metropolitanis distinxerint. Nisi enim jam ante Imperium Constantini M. fuissent metropoles Ecclesiasticæ, Canon. 9. Antioch. Conc. male *ad Patrum Canonem, qui ab initio obtinuit*, jam anno 341. provocassetur. Ubi tamen dicta §. 4. de metropolibus bene iterum observata velim. V. de Rubeis monum. Aquil. cap. 19. & in opere ipso ad annum 401.

§. XI.

Atque his, ne longior sim, Dissertationem hanc concludo, quam pluribus ipso in opere stabilitum iri promitto, Styriam nimirum nostram Aquilejensibus metropolitis ad Arnonis usque tempora in Ecclesiasticis paruisse: quæ simul dignitatem Aquilejensis Ecclesiæ evincunt contra Baronium & Sirmondum, lib. 2. propem. cap. 7. dicentem: *Aquilejensem metropolitam vix Italici nominis Antistitem fuisse*, & l. 1. cap. 8. *Nusquam enim Aquileja inter Italiæ metropoles neque ab Athanasio, neque ab aliis illorum temporum scriptoribus recensetur*; nam ut observat Cardinalis Norisius Dissert. de 5ta Synodo cap. 10. Athanasius capuam metropolim appellavit, quod in ea campaniæ consularis resideret, æquo itaque jure Aquileja metropolis est dicenda ob residentem ibi consularem ex lib. 8. cod. Theodos. lib. 1. Herodianus sane in Maximino Aquilejam vocat *maximam Italiæ urbem.* Plura in favorem Aquilej. Ecclesiæ metropoliticæ habet cit. Norisius & de Rubeis monum. Aquil. cap. 19. & 20. cum quo ex Dissertat. sua de schismate Aquilej. Ecclesiæ cap. 23. fol. 218. concludo dicente: *Haud vero inficias iverim, aliquas Ecclesias easdem civilium Provinciarum fines eodem tempore, remotioreque ætate præsertim, ab alio quoque potuisse metropolita procurari, cum satis mihi fuerit, metropoleos Aquilejensis amplitudinem ad prædictas omnes Provincias extensam ostendisse. Metropoleon quoque mutationes notissimæ sunt, ac nemini notum non est, suffraganeas Ecclesias ab altero ad alterum successu temporum transiisse metropolitano, sic enim mediolanensi v. g. metropoli Vcronam olim paruisse certum est, quod etiam de Tridentino, ut aliud afferam exemplum: conjiciunt aliqui.*

Conclusio.

Aquilejensis Ecclesiæ dignitas defenditur.

Ex quibus, si quis forsitan ostenderet, a metropolitano Aquilej. abiisse quendam nostrorum Episcoporum: responsio patet, uti enim Daniel Farlatus in Illyrico sacro ostendit, Episcopi Sciscіani, cum etiam trans Savum patuerint, infundentibus se sæculo 6. in Pannoniam & Noricum Longobardis, ad quietam Justiniani Imperio Salonitanam metropolim se adjunxerunt, idem quoque in Ecclesiis nostris contigerit, ut nimirum se schismatis præsertim Aquilejensis tempore, ad Galliæ Archi-Episcopos, & pace mea, etiam ad Laureacensem Ecclesiam adjunxerint, atque ab una Ecclesia metropolitica, sine præjudico ad aliam transiverint, præcipue cum Dominantibus eo tempore in Norico Francis major quies, & salus animarum obtineri potuerit Gallis Episcopis unitati Ecclesiæ Catholicæ adhærentibus, & insolitum non fuerit belli præcipue tempore relicta una metropoli amplecti aliam.

DISSER-

DISSERTATIO IV.

De Ottocaris Styriæ Dynaſtis.

PRÆFATIO.

Præfatio.

Neſcio omnino, quo dolendo Patriæ noſtræ fato factum fuiſſe dicam, quod pauca adeo, de veterum Dynaſtarum Marchionumque noſtrorum rebus, nobis ſuperſint documenta, ſeu injuria temporum, ſeu majorum noſtrorum oſcitantia ſubtracta. Quæ monaſteriorum tabularia (antiquitatis fere omnis Archiva, & Gazophylacia) Chronica, necrologia nobis reliquere, ea non ſunt, quæ rem tantam, a tot ſæculis remotam, ſufficienter nobis manifeſtent.

Inde vero profluxiſſe opinor, ut authores, in tam varias de his Dynaſtis abirent ſententias, obſcurarentque magis Marchionum noſtrorum incunabula, quam illuſtrarent. Exſtant nimirum varia Marchionum Styriæ ſyſtemata, Aventini, Lazii, Prevenhueberi, Puſchii, Authoris Geneal. Stahremberg. Bucelini, atque noviſſime Frælichii (ut alios taceam, qui ex his ſuas deſumpſere ideas) ſed inter ſe adeo contraria, ac dubia, ut ſpem omnem veritatis genuinæ adipiſcendæ adimant.

Varia ſyſtemata de Ottocaris.

Tentabo tamen, etiam ſi licet, iniqua Minerva, eo magis confiſus ab æquo lectore mihi vitio non verſum iri, ſi aquam ſubin hærere animadverterit; nec mea mihi ſententia ita cordi erit, ut eam, ſalva meliore, relinquere erubeſcam; priusquam tamen genealogiam Ottocaroum attingam, quæpiam de nexu & ſtatu antiquæ Patriæ prælibanda cenſeo.

Marchiam, ſeu *limitaneam præfecturam*, quæ hodie *Ducatus Styriæ* appellatur, olim Bajoariæ, nunquam Carentaniæ fuiſſe, dixi Diſſert. 1. §. 31. ubi etiam inſinuavi, poſt medium ſæculi 10. Patriam noſtram, ſuis ſub Marchionibus, jam ſeparatam Marchiam fuiſſe. Marchia hæc Styrenſis, ſeu ab arce, vel urbe, ſeu a flumine, nomen adepta, magna ſui parte Auſtriæ modernæ acceſſit, quamvis, ut damna futura repararentur, multum quoque a Carinthia obtinuerit, inde tamen ſeſe Ottocari iſti nunquam Marchiones Carinthiæ ſcripſere, avito Marchionum de Styra, vel Styrenſium, vel Styræ titulo contenti.

Frælichii ſententia de Styria ſub Carentania conſtituta.

Complures quidem hodiedum authores, Styriam modernam, oppoſito Hungaris Carentani limite comprehenſam fuiſſe volunt; Frælichius in Archontol. Carinth. p. 2. fol. 174. id pluribus probat argu-

argumentis, a nobis suo loco perpendendis in Leopoldo, & Ottocaro VI. dubius tamen in hoc ipso hæret, dum cit. loco fol. 175. Styriam antea Marchiam Carentanam, *saltem Chronologorum fide* appellatam ait, & fol. 176. Styriam potius Bajoariæ Marchiam, quam Carentaniæ dicendam putat, eo, quod in Diplom. Friderici Bellicosi Ducis Austr. e Babenbergicis postremi, an. 1230. *Græcium metropolis Styriæ*, vocetur *Græcium Bavaricum*, & circa *Hartbergam Styriæ* loca vicina in charta Leopoldi Marchion. an. 1128. *metæ Bavaricæ* nominentur; quid quod incolas Styriæ, sanguinis germanici, e Bajoariis oriundos credat, quæ omnia sententiam meam confirmant, quidquid ulterius in suam rem adferat Frælichius, de quo plura in Leopoldo March. nostro.

Jam ad Genealogiam Ottocarorum accedo; qua in re omittam hic referre limitaneos Comites, seu Marchiones a Carolo M. ad sæc. 10. usque constitutos (de quibus sat in opere agetur) eo, quod confusis adhuc *Norici*, *Pannoniæque* finibus nil ad Patriæ nostræ decus conferre videantur; præteribo etiam opinionem Bucelini in historia Agilolfingica fol. 412. ejusque sectarii authoris Genealogiæ Stahremberg. qui Marchionum Styriæ Genesim ab Odoacre Herulorum Rege & altius repetunt, imitabor alios per Germaniam, & Austriam Scriptores, qui Marchionum Styrensium seriem, non maturius, quam a sæculo 10. atque ab Ottocaro I. repetendam censent. *Ratio Diss. huj.*

Stabiliet hanc sententiam plurimum vetus MS. genealogicum nostrum e Bibliotheca nostra Voravienſi, in Augustam Vindobonensem translatum. Scriptum illud est a Canonico Regulari Voravii sæc. 13. proin rebus Ottocaror. proximo, apographa duo apud nos adhuc servantur, antiquius in Archivo Decanatus nostri cum Chronico, recentius in Archivo Prælaturæ itidem nostræ, quod utrumque perfecte autographum non est, immo nec illud in Vindobonensi Cæsarea Bibliotheca asservatum, sed mendosum, omittit enim quæpiam de Ottocaro V. Fundatore nostro, narrans enim, eum præter alia plura, *trium Principum prædia* &c. nimirum *Ottonis Comitis de Neym, & Bernardi Comitis de Carinthia* obtinuisse. Tertium illum Principem omittit, quem P. Pusch Chronol. Ducat. Styr. p. 1. fol. 357. probabilius ex Thoma de Haselbach, apud Hier. Pez manifestat fuisse *Eggebertum Comitem de Puttene.* *De MS. genealog. Vorav.*

Quia vero MS. hoc genealogicum sæpius per decursum citabitur, id hic integrum subjungo: *Otacher Marchio Styriensis filius Ottachyr Marchionis genuit Ozii Marchionem, qui temporibus Henrici III. Imperatoris pollebat; hic Ozii genuit Ottachyr Marchionem, qui temporibus Henrici IV. & V. inclytus fuit, & Salisburgensibus Archi-Episcopis Gebhardo, Tymoni, nec non & Conrado jam senex viriliter assistens, eos in persecutionibus fovebat, qui etiam cum germano suo Adylberone Gyverram habuit, donec idem Albero a ministerialibus suis occisus est juxta Julben* (Liuben.) *Igittur Ottachyr Marchio accepit uxorem Elisabeth, Sororem Marchionis Austriæ Liupoldi, ejus videlicet, qui postea sororem Henrici IV.* (apographum nostrum Chronico annexum habet Henrici V.) *Imperatoris accepit, hac etiam cooperante prædictus Marchio Garstense cænobium fundavit, & genuit ex ea filium Liupoldum; obiit autem Ottachyr Marchio senex & plenus dierum anno Incarnationis Dom.* 1122. *Liupoldus fortis patri successit, Reinense monasterium, seu Rawnense fundavit tam de suis, quam de Comitis Waldonis mediis, & factus est hæres Liupoldus Marchio ex testamento, possessionum & ministerialium voluntate Henrici Ducis de Eppenstein; duxit vero uxorem nobilissimam, Sophiam sororem Welfonis Ducis, & genuit ex ea Ottachyr Marchionem. Obiit autem an. Dom.* 1129. *Ottachyr Patri suo succedens confortatus est, & elevatns, nam præter alia plura, trium Principum prædia munitiones, ac ministerialis ei per testamentum accreverunt, scilicet Ottonis Comitis de Naym, & Bernardi Comitis Carinthiæ* (tertium Eggebertum Comitem de Puttene omnia exemplaria omittunt) *qui amitam ipsius Chunegundem in conjugio habebat; instituit ergo 2. cænobia Vorawense Canonicorum, & S. Joannis Kartusiense, una cum Hospitali in Cerewalde, accepit etiam uxorem, Chunegundem filiam Diupoldi Marchionis de Vohenpurg, & genuit ex ea Ottachyr primo Marchionem, deinde Ducem. Defunctus est an. Dom.* 1164. *filium Ottachyr, de quo prædictum est, hæredem relinquens.* Ita MS. genealogicum Voravienſe, cui ob antiquitatis prærogativam omnino primas libenter cedo, eique, & Dissertationem hanc, & arborem genealogicam inædificabo.

Ne vero confusione tædium lectori generem, Dissertationem hanc in capita 7. dividam, quorum quodvis, uni Marchionum respondebit, in suos denuo paragraphos distinquendum.

CAPUT

CAPUT I.

De Ottocaro I. Marchione, ſeu Comite Marchæ Styrenſis.

§. I.

Ottocarum hunc nobis primum, inſinuat MS. noſtrum genealogicum breviter his verbis: *Ottacher Marchio Styrenſis, filius Ottachyr Marchionis genuit Ozy Marchionem.* Verba hæc: *Ottacher Marchio Styrenſis*, ſpectant noſtrum Ottocarum II. quia filius dicitur, *Ottachyr Marchionis*, nempe primi, de quo agitur, & *Ozy Marchio*, Ottocarus III. eſt, ut cap. 3. oſtendam. Ex MS. itaque noſtro conſtat, Ottocarum I. Patrem fuiſſe Ottocari II. avum Ottocari III. ſeu Ozy. Confirmat dicta MS. noſtri, vetus Catalogus Præſulum Patav. & Laureac. apud P. Hieron. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 1305. ſic loquens: *Iſte* (Pilgrinus Archiep. Laureac.) contulit Eccleſiæ Chrembsmünſtrenſi &c. *Otachero Marchioni Styriæ filio Otacheri*, Pilgrinus hic ab an. 971. ad an. 992. Patavienſem, & Laureac. Eccleſiam regens, prædia hæc contulit Ottocaro II. ut cap. II. dicam, quem proin Ottocarum vocat filium Ottocari, proin primi, & ſic Ottocarus noſter I. occurrit etiam caput, & primus totius ſeriei Ottocarorum. Agam de Ottocaro I. ad an. 957.

Ottoc. I. Marchio ſtatuitur.

§. II.

At quis Parens Ottocari hujus I.? intricata hæc eſt, minusque comperta quæſtio: Prevenhueberus annal. Styr. fol. 12. & 387. Ottocari I. hoc tempore viventis, Patrem ſtatuit Alberonem, Styriæ Comitem, argumenta tamen ejus non convincunt: nam fol. 386. ait Alberonem an. 960. in aula Ottonis II. vixiſſe, quo tamen anno Otto M. Romanum regebat Imperium, & Otto II. vix puer 6. annorum erat, corrigit ſententiam hanc ſuam, mox fol. ſeq. docens, Alberonem in aula Otton. M. vixiſſe, ſed quo teſte non innuit. Magis fallit alterum Prevenhub. argumentum, dum ait Ottocarum VI. Diplomate an. 1191. Traunkirchenſi Parthenoni dato, meminiſſe Alberonis: eo enim in Diplomate Ottocarus VI. non modo non exprimit Alberonem, quin potius teſte Frælichio in Archontologia Carinthiæ p. 2. fol. 197. clare ait: *Ottocari Comitis unius proavorum ſuorum.* V. Diploma hoc inter mea Diplom. num. 78. & apud Puſch p. 2. f. 61. Ludewig tom. 4. rel. MS. ita enim loquitur Ottocarus VI. *quod illi contulit unus proavorum meorum Otochar Comes*, qui proin alius non fuerit, quam Ottocarus noſter I.

Albero Com. Styriæ Pater ſ. fuit Ottoc. I.

Alii Arponem vel Aribonem Comitem Leobienſem Ottocari noſtri Patrem fuiſſe conjiciunt. Arponis hujus, ſeu Aribonis occurret mentio ad an. 904. quo nimirum Ludovici tempore, exiguum in valle Leobienſi diſtrictum obtinuiſſe legitur; ſi jam conjecturis agendum, Patrem Ottocari I. prius, quam filium cenſerem, interim tamen firmiora pro hoc aſſerto documenta expectanda ſunt, donec quid ſtatuatur,

Arbo vel Aribo Comes Leob. ar. Pater Ottoc. I

Non vero filius. A veritate autem omni abhorret, Arponem seu Aribonem hunc, filium Ottocari nostri I. fuisse: ait quidem Diploma Ludovici Regis, datum Arponi Comiti in Diplom. S. Ducatus Styriæ P. Frælich p. 1. fol. 3. Diplom. 1. Gössensi, *Ortbacori dilecti Comitis nostri filio, cui Arponomen &c.* datum est Diploma an. 904. at nihil minus quam Arponem hunc Leobiensem Ottocari nostri I. filium fuisse credam. Ostendo enim Arponem, vel Aribonem hunc, non potuisse esse filium Ottocari I. Marchionis nostri: nam Ottocarus I. ut ex dicendis patebit, an. 991. obiit, & Arpo hic, seu Aribo jam an. 904. Diploma id Ludovici obtinuit; supponamus jam Arponem, dum an. 904. Diplomate Ludovici donatus est, adhuc in cunis vagiisse, & vix unius anni puerum fuisse sequeretur tamen ex hoc, Ottocarum I. jam an. 903. matrimonio fuisse ligatum, & sic 16. saltem ætatis annos an. 903. numerasse, cumque Ottocarus I. an. 991. defunctus fuerit, in matrimonio 88. exegisset annos & vitæ circiter 104. quod, ut credam, nunquam adducar.

Ottoc. I. Fratr. Jam explorandum, quinam fratres, & uxor Ottocaro nostro fuerit? denuo pauca dicenda occurrunt: in Diplomate Ottonis M. apud Hundium in metropoli Salisb. allato, in confirmatione monasterii Ratisbonensis S. Emerammi: & Roræ dato an. 959. habetur quidem: *In loco Riut juxta Oenum fluvium in pago Sondergove in Comitatu Ratholphi, Chadalochi, Othocarii, ac Sighardi Comitum.* At, an ideo hos fratres quis asserat? nil enim est, quod id evincat, præter tempus solum Ottocaro nostro utcunque conveniens. Puschius quidem ab hoc Ottocaro, licet nondum, ut sibi videtur, Dynastia Styrensi prædito, veteres nostros Principes prognatos autumatur, donec alius occurrat, cui nec assentior firmus, nec contradico; id unum subjungo, si fratres hi fuerunt Ottocari nostri, unus horum fuerit Comes Riutensis juxta Oenum, & Ottocarus tertio loco nominatus, penultimus eorum. Nova tamen se ingerit difficultas, an nimirum, si Ottocarus noster, frater Ratholphi, Chadolochi, & Sighardi fuit, censendus sit etiam frater Friderici Archiep. 11. Salisburg. e Comitibus de Kiemgav. ortum trahentis? Ratio id dicendi desumitur ex alio Diplomate Ottonis M. apud Hundium Metrop. Salisburg. quo Cæsar Ecclesiæ Salisb. *Villam Grabmstadt, sitam in Kiemgevv, in Comitatu, seu ditione trium Comitum Odoacri, Sigbardi, & Wilhelmi* Romæ dat an. 958. testatur autem Hundius exstare Diploma aliud Ottonis M. in quo Fridericus hic frater fuisse dicitur Sighardi Comitis, & in Necrologio capituli Salisburg. MS. cit. a Stainhausero *Fridericus* Salzburg. vocatur *Comes de Grabenstadt in pago Chiemgove.* Litteræ tamen Ottonis M. cit. teste ipso Hundio, nec hoc an. nec Romæ datæ, vel si Romæ datæ (cum Otto ante an. 962. Romam non venerit) affigendæ an. 968. videntur, ut observat author Germ. sacræ tom. 2. fol. 162.

Ottoc. I. an frater Frider. Arch. Salzb.

Quæstioni huic vix alia responsio dabitur, quam dicendo incerta hactenus omnia esse, & tamdiu futura, donec constet, an primus Marchionatus Styrensis Conditor, unus idemque fuerit cum Ottocaro illo in duobus cit. Ottonis M. Diplomatibus memorato. Sane dubium adhuc ingens remanet, an Ratholphus, Chadalochus, Othocarius, ac Sighardus in Diplom. Otton. M. Roræ dato, iidem fuerint, & fratres

Odoa-

Odoacri, Sighardi, & Wilhelmi in Diplom. 2. citatorum. Quod ſi ita quis eſſe cenſeat, oportebit etiam admittere, Comites de *Riut & Sondergove*, eosdem cum *Chiemgovenſibus* fuiſſe, & ſic 6. fuiſſent fratres: nimirum *Ratholphus*, *Chadalochus*, *Ottocarus*, & *Sighardus*, ex Rorenſi privilegio Ottonis M. *Wilhelmus* ex ſecundo privilegio Ottonis M. Romæ dato: ac tandem *Fridericus* ex alio ab Hundio citato.

De uxore vero Ottocari noſtri I. ne conjiciendo quidem aliquid proferre præſumo, omnia enim latent. *Uxor Ottoc. I.*

§. III.

Ottocarum noſtrum I. totius gentis, ac proſapiæ illuſtriſſimæ authorem, utpote de Styræ, veteris Bajoriæ urbis, confinio oriundum judico probabilius, ut de reliquis præſcindam. Ottocarum hunc noſtrum I. circa an. 979. & 983. vixiſſe tradit etiam Prevenhueberus, teſte, ut ait, Haſelbachio in MS. Chron. Auſtriæ; quod quidem videre non licuit, quod ſi ita, Haſelbachius ſibi in Chronico ſuo Auſtriaco edito apud P. Hier. Pez tom. 2. ſcript. Auſtr. contradiceret, ibi enim fol. 713. inter alia ait: *Et fundato Gerſtenſi cœnobio (quod ſecundum alios Ottocarius I. ejus nominis & Proavus ejus* (loquitur de Ottocaro VI.) *& Domina Eliſabetha Marchioniſſa Auſtriæ, ejus Proavia Gerſtenſis fundaverat)* clarius mentem ſuam aperit Haſelbachius col. 714. ubi de Styriæ Marchionibus ita loquitur: *Tradunt hiſtoriæ, quod Ottonis Imp. tempore, aut B. Henrici Cæſaris, Ottocarus I. qui & Archi-Epiſcopis Salisburg. &c.* & mox *hic Otbakir cum Adalberone Germano bella geſſit - - Hic Othakir, primus ſcilicet ejus nominis, accepit uxorem, Eliſabeth ſororem Leopoldi March. Auſtriæ pii dicti, qua & cooperante Monaſterium Gerſtenſe fundavit, ex qua filium Leopoldum fortem genuit, obiit plenus dierum an.* 1122. Ex his nemo non videt. Ab Haſelbachio Ottocarum ejus nominis I. eum ſtatui, qui nobis quartus eſt, hic enim Fundator Gerſtenſis, maritus Eliſabethæ Auſtriacæ, & Proavus Ottocari VI. fuit, hic cum Adalberone Germano Gwerram habuit, & Archi-Epiſcopis Salzb. Gebhardo, Tyemoni, & Conrado viriliter adſtitit, quamvis Ottonis, & B. Henrici tempore non vixerit, ſed ſolum ævo Henrici IV. & V. quod vel ex eo ſatis convincitur, quod ab Haſelbachio an. 1122. obiiſſe dicatur, qua propter non video, quomodo idem Haſelbachius in Chron. ſuo MS. a Prevenhubero citato, Ottocari hujus I. de quo hoc capite ago, meminiſſe, eumque primum appellare potuerit. *Ottocar. Ibujus famil. ſæc. 10.*

Antequam Genealogiam Ottocari I. relinquam, aliam quandam Lazii nimirum, de migrat. gentium (quem ſequitur P. Granelli in topographia Styriæ, Frider. Luca in Grafenſaal ſpecul. hon. Auſtr. lib. 2. cap. 3. & alius quidam topographus citatus ab Authore Geneal. Stahremberg. fol. 14.) ſententiam referre debeo, quæ Marchiones Styriæ, a Marquardo Comite in Mueraſthall & Avolenz, Carinthiæ Duce exortos fuiſſe, & Ottocarum I. Marquardi hujus nepotem ex fratre fuiſſe docet: Opinionem hanc, ambabus veluti manibus arripiunt. Megiſerus & MS. Chron. Styr. de qua pl. ad an. 1011. Id interim ſolum ſubjicio, Authores hos omnes Ottocarum noſtrum I. excludere, & ſe- *An Styr. March. orti a Comit. in Muerzthall & valle Avalana.*

riem suam ab Ottocaro nobis II. sub Conr. Imp. vivente ordiri, quod cum MS. nostro Geneal. antiquitatis suæ ergo omnibus præferendo repugnet, assensum nostrum, & aliorum etiam moderni ævi scriptorum non obtinet, etenim Puschius, Frælichius, aliique antiquiores etiam Aventinus, Prevenhueberus &c. Ottocarum nobis I. etiam seriei totius authorem statuunt. In accurata sane genealogia Comitum in Muerzthall &c. & Ducum Carinthiæ apud P. Frælich p. 1. Archontologiæ Carinth. tabula tertia, nullus Ottocarus, Marquardi filius ex fratre nepos occurrit.

§. IV.

Ottocar. I. an Marchio, an Comes solum.

Genealogica Ottocari I. utcunque pro spissis temporum horum tenebris exacta sunt, jam alia discutienda, & quidem primo omnium, an Ottocarus I. Marchio? an Comes tantum Styriæ sit dicendus? MS. nostrum genealogicum Marchionem indicat his verbis: *Ottacher Marchio Styrensis*, nempe secundus *filius Otachyr marchionis* proinde primi, unde hæc hauserit author hujus, homo sæculi 13. non constat quidem, probabile tamen est, fama tunc communi, Ottocarum I. Marchionem fuisse dictum, & quidem fama hæc fuerit in Styria, avita horum Provincia, cujus Provinciæ & fundati in ea cœnobii Voraviensis Ottocaris his originem suam debentis membrum fuit, author citatus.

Sed silet altum de Marchionis titulo in Ottocaro I. vetus catalogus Patav. Præsulum §. 2. citatus, & eum titulum Ottocaro II. primum tribuit; contradicit præterea Ottocari VI. Diploma §. 2. adductum, quod Ottocarum hunc solum Comitem appellat; Diplomata etiam Ottonis M. eodem §. 2. memorata Ottocarum Comitem dicunt. Quid tamen inde conficies? nihil omnino contra MS. nostrum: nam ut in opere ipso exhibebitur, Imperatores & Reges, nunquam hoc nomen, subjectis sibi limitum Comitibus dedere, nunquam Marchiones appellavere, sed Comites tantum, eo tamen non obstante in ore vulgi, apud historicarum rerum scriptores, in Diplomatis etiam aliis, nomen id tulisse apparet.

Quare censeo, rei huic non anxie esse inhærendum, tempore enim hoc, quo Styriæ Dynastæ fuere sub Boicis Ducibus quodam modo constituti, non tanto cum rigore vox *Marchionis*, & *Comitis* est usurpata, sed mox *Comites*, mox *Marchiones*, etiam *Marchi-Comites* audierunt, quia marcis limitum præpositi, & sic promiscuo usu, ea vocabula teste Cangio venerunt; id, quod Teutonica lingua hodiedum conjungere solet in voce Marchgraf.

Minus contra hanc sententiam pugnat, quod a nonnullis e Necrologio Traunkirchensi adducitur, in quo ad diem Martii 5. legitur: *Hoc est: obiit Otacherus Comes, Pater Athæ primæ Abbatissæ hujus loci, nam* (præterquam quod ex eodem Necrol. ad 29. Sept. legatur *Wilhelmus Comes Fundator nostræ congregationis istius loci*, ut adeo dubium sit, quisnam verus Fundator ejus Parthenonis sit dicendus) nemo fere est, qui Ottocarum I. Fundatorem loci hujus, & Patrem Athæ Abbatissæ asserat, sed Ottocarum III. ut cap. 3. pluribus ostendam. Duplex itaque mihi fundatio Traunkirchensis videtur, cujus primæ non Ot-

tocarus

tocarus I. author, ſed Benefactor, alterius forſitan Ottocarus III. Author conjici poteſt. Hæc interim, v. pl. cap. 3. §. 4.

§. V.

Devolvor ad originem urbis Styræ, quam nonnulli Ottocaro I. tribuunt. Jam Diſſert. 1. §. 16. inſinuavi, Styram urbem, ab vel ſub ipſo Ottocaro I. ædificatam, ei ſedem ac regiam præbuiſſe, hoc jam in paragrapho diſcutiendum ſupereſt, an ea urbs opera Ottocari I. ſurrexerit? antequam mentem meam pandam, prænotandum cenſeo ex authore genealog. Stahremberg. fol. 18. *nomen Styrenſe*, ſeu *Styræ* uſque ad finem ſæculi hujus non occuriſſe, immo, ut contendit P. Frælich, non ante an. 1082. de quo §. ſequenti; ditio vero illa, quæ nunc *Styrenſis* dicitur, & urbi Styræ modo ſupereſt, antea nomen *Trungaviæ*, ſeu *Comitatus ad fluvium Trunam* habuit, quo nomine etiam occurrit in Auguſtalibus Ottonis II. Imp. ad Pilgrinum Patav. Ep. litteris. *Styra urbs an ab Ottoc. I. exſtructa.* *Trungau vel Comitatus ad Trunam.*

Hiſce prænotatis varia eſt authorum ſententia, Joan. Aventinus Styram, *vetus Aguntum* putat, ſeu eo in loco ſtetiſſe, ubi nunc Styra ſitum obtinet. Lazius commentar. de Rep. Rom. lib. 12. *Geſſodunum* vetus in ſolo modernæ Styræ ædificat, a veteribus Geſſatis, inter Tauriſcos habitantibus erectum. Joannes Nauclerus vol. 2. generat. 34. *Norejam* veterem pro Styra habet. At, quoniam veterum nominum conjecturæ, arenoſa ſunt veritati Adſtruendæ teſtimonia, opinionem Prevenhueberi cæteris meliorem judico, qui in annal. Styrenſibus lib. 1. fol. 5. cenſet, urbem Styram a primis Comitibus, ſeu Marchionibus Styriæ fuiſſe cæptam. Argumenta in hanc rem ſint ſequentia: 1. Ex Comitiis Tulnenſibus an. 985. habitis, quibus ob continuos Hungarorum aſſultus, Epiſcopis, Præſulibus, nobilibus, caſtella, arces, oppida condendi, muniendi, poteſtas facta eſt Aventino teſte, qui, quamvis plures errores (ut v. an. 985.) hac in narratione adferat, conventum tamen Tulnenſem ideo non rejiciendum cenſeo, utpote cujus alii etiam probati authores meminerant. 2. Contra Hungarorum in Bavariam irruptiones, nulla melior marca ſeu limes, quam Styra occurrit, ut inde Ottocarus ejus Marchio motus arcem primo inibi condiderit, cui fors ſucceſſorum diligentia urbem adjecit. 3. Cum eodem ſæculo 10. etiam marchionatus Auſtriæ fuerit erectus, ſimile quid in Styria etiam noſtra contigiſſe opinor, etenim, ut Diſſert. 1. §. 31. diſſerui, quamvis vero poſt Carolum M. Styria & Auſtria, antiquis Bojorum Ducibus paruerit, ubi tamen dejectis Agilolfingicis Ducibus, Carolini ſeu Francici Reges Bajoariam tenebant, eo contenderunt, ut vaſtiſſimum Bajoariæ ducatum ita diſſociarent, nunquam ut deinceps tota amplitudine ſua coaleſceret. 4. Tandem hoc dicendo ſervatur commodiſſime tota ſeries Marchionum Styrenſium in MS. noſtro geneal. a quo ſine ratione diſcedere non intendo.

§. VI.

Objicit quidem Frælichius in Diplomatario Garſtenſi Diplom. 1. f. 20. Styra urbis nomen, ad annum uſque 1082. non reperiri. *Objectio P. Frælich.*

Sit

Sit ita, potuit utique ea urbs antea exstitisse, & tanquam novella nondum in actis publicis memorari; præterea dixi superius, arcem Styram ab Ottocaro erectam, urbem dein posterorum diligentia tardius adjectam. Quid quod an. 1163. ex eodem Diplomatario Garstensi num. 12. Ottocarus V. Styræ edens Diploma clare dicat, se id dedisse *in castro Styræ*, nil referens de urbe jam adjecta, si itaque Styræ castrum præ urbe citari potuit sæc. 12. jamjam exstante, quid prohibet id ipsum, de urbe hac, sæculo 11. & 10. affirmare; nemo certe negaverit, urbem Styram an. 1163. exstitisse, quæ tamen in actis publicis non memoratur, sed castrum solum, in quo Principes residere, Diplomata sua edere consueverant; potuit itaque etiam sæc. 10. fine, vel sæc. 11. initio urbs Styræ exstitisse, quin ea ex prætactis causis, sed castrum solum memoretur. Rationes, quæ ad hoc dicendum hortantur sequentes sunt: 1. Styræ & Styriæ similis ethymologia. 2. Scutum Styriæ & Styræ gentilitium Commune. 3. Quod plurima Diplomata subsequorum Marchionum Styrensium, Styræ & vicinis eidem locis fuerint signata, ut v. Diplomatarium Garstense apud Frælich, & Ludewig, item Admontense, vide item in meo Diplomatario num. 1. & 2. datum Laureaci. Item num. 4. Styræ data sunt Diplomata num. 5. 6. 12 31. 4. Arces & municipia eorum, qui sanguine Marchionibus nostris juncti fuerunt in iisdem locis, seu modernæ Austriæ Comitatu Styrensi exstructa, uti Comitum de Welsa; Lambacha, Stahremberg &c. 5. Quod primi Marchiones Styriæ modicum de moderna Styria possederint, plurima in moderna Austria, ex quibus proinde concludo, Ottocarum Primum in territorio hoc ad flumen Styram natum, acropolim dein Styræ, seu arcem solum erexisse, atque ex ea dein, tanquam potiori ditionis parte, vel a flumine Styra nomen Marchionis Styrensis obtinuisse. Dixi: *vel ab arce, vel a flumine Styra*, jam enim Differt. 1. §. 11. non raro populos, proin etiam territoria integra, a fluviis nomina sua obtinuisse ostendi. Maturiorem Styræ epocham adstruere nititur P. Pusch Chronol. Ducat. Styr. fol. 164. parte 1. nimirum circa an. 914. ex Diplom. Ludov. eo anno Kal. Febr. signato, quo in Diplomate dicitur, urbs in ripa Anasi ædificata, quam alii *Anisiam*, seu *Ens* esse volunt, Puschius Styram saltem sub dubio, matura tamen nimirum hæc epocha est, cum id temporis, nec de Styra, nec de Styrensibus Comitibus quid fuerit auditum.

§. VII.

Annus Styræ conditæ.

De anno conditæ urbis Styræ, efficaciter non contendam, immo, ut dixi, lubens admittam utroque, ab Ottocaro I. fors arcem solum Styrensem, urbem a posteris ejus erectam; id unum probabile mihi videtur, non multo post Comitia Tulnæ an. 985. habita arcem, seu si mavis urbem Styræ surrexisse, eo enim tempore, quemadmodum sub Henrico rixoso Bajoariæ Duce Leopoldus Marchiam Austriæ non erexit solum, sed etiam arcibus munivit, ita sub eodem, Ottocarus noster pro Styria seu Marchia Styræ solicitus fuerit, ut adeo bene Bernardus Noricus in suo catalogo Ottocarum hunc I. *Authorem Marchionum*

SYSTEMA GENEALOGICUM OTTOCARORUM STYRIÆ DYNASTARUM.

Ottocarus I. hujus nominis.
Styræ Acropolis, & Marchionum Styrenſium author, præfuit circiter ab an. 959. ad an. 991. uxor neſcitur.

✲ Attala de Styra. Teſte Hundio, & Frælichio, Soror Ottocari II. *Uxor* Cadoldi de Helfenſtein, Mater S. Gebhardi Salisb. Archiep. V. an. 1038.	**Ottocarus II.** Marchio Styriæ ab an. 991. ad an. 1038. quo circiter 5. Martii Romæ obiit. A Pilgrino Ep. Patav. prædia accepit, uxor neſcitur. Viretam Auſtriacam male quidam ponunt.	Adalberò I. ✲ Fors Frater, Marchio fortis dictus, ex tabulis Geiſenfeld. Monaſterii.
	Ottocarus III. Ozio, Oezo, Ozus, Oſii dictus præfuit Styriæ ab an. 1039. ad 1088. Fundator primus ſeu Canonicorum in Garſten an. 1082. ab Altmanno Patav. Epiſc. Eccleſiam in Dietach accepit, & Romæ obiit 1088. uxor Wilburgis.	Frowiza. Circa an. 1013. nata conjux, Leopoldus Auſtriacus dictus fortis miles.

✲ Bernardus de Styra. Uxor Luitgardis Wirtembergica.	Atha. Abbatiſſa in Traunkirchen circ. an. 1116.	**Ottocarus IV.** Rexit Styriam ab an. 1088. ad 1122. Fundator ſecundus, ſeu Monachorum in Garſten ibid. ſepultus, uxor Eliſabetha Auſtr. S. Leopoldi Soror.	Sophia. Soror. probab. Cælebs. obiit, nuptiis S. Leopoldi Auſtr. an. 1106. cum Ottocaro Fratre adfuit. Ex MS. Campilienſ.	Adalbero II. Comes Sylveſtris in Ens & Goyſerwald.
✲ Otto. Sator DD. de Hochenberg.	✲ Gundaccarus Sator DD. de Pernegg.	**Leopoldus Fortis.** Fundator Runenſis circ. an. 1128. obiit die 26. Octob. an. 1129. Runæ ſepultus. Uxor: Sophia, Henrici M. Bavar. Ducis filia, & vidua Bertholdi III. Zeiringenſis.	Chunegundes Soror Leopoldi, maritus Com. de Carinthia, in Palæſt. mortuus 1148. 8. Kal. April. ex Necrol. MS. Roſacenſi.	✲ Duringus I. Dominus de Styra & Graz.
				Gundaccar I. Helmhardus.
				Gundaccar II. D. de Styra & Wildberg.
Eliſabetha, Filia Leopoldi, ex Diplom. Run. 2.	Margaretha, Filia Leopoldi, ex Diplom. Run. 2.	**Ottocarus V.** Etiam Oda dictus ex Diplom. Eberhardi Salisb. Fundator Seizenſis, Vorav. & Cerewaldenſis, obiit an. 1164. Dec. 31. uxor. Chunegundis Diepoldi de Vochburg March. Filia, obiit 21. Nov.		Dietmarus. D. de Styra, Sator Loſenſteiniorum. Gundacc. III. D. I. de Stahremberg.
		Ottocarus VI. Natus an. 1163. diei 9. Aug. ex Marchione. Dux I. Styriæ an. 1180. Leopoldo Auſtr. Styriam tranſcripſit 1186. ac obiit anno 1192. die 8. Maji. Uxor, vel potius ſponſa tribuitur a quibusdam, Chunegundes, Leopoldi Virt. Auſtriæ Ducis filia.		

✲ *Aſteriſco notati dubii ſunt, an ad Genealogiam Ottocarorum ſpectent, de quibus Diſſert. 4. & in opere ipſo dubia mea proponam.*

num Styrenſium appellet. *Marcham hanc Styræ*, erudite a Marchia ſimpliciter dicta, diſtinquit Frælichius Archont. Carinth. parte 2. fol. 173. &c. dicens: *Marchiam ſeu limitaneam præfecturam, quæ hodie Ducatus Styriæ appellatur, olim Bajoariæ una cum Carentano limitem fuiſſe - - ſed poſtea, cum ſingularem propriumque Ducem nacti ſunt Carentani, exiſtimo Marcham, ſeu limitem adverſus Hungariam tuendam, alterum Bajoariæ fuiſſe, nempe Auſtriam, ſeu Oſtenrichiam, vel Auſtralem terram, alterum Hungaris oppoſitum, Carentani limitem, qui hodiernam Styriam inferiorem potiſſimum* (& utcunque multum ex ſuper. Styria, ut cap. 5. in Leopoldo videbimus) *ſit complexus*; id, quod mox infra inſinuat his verbis: *Styrenſis regio ſeu Styræ Marcha - - hodie Auſtriæ eſt portio, contra Styria hodierna parte ſui inferiore Marchia tantum (quod aliis in Provinciis ita in more fuiſſe conſtat) vetuſtiore ætate eſt appellata, ſuperiore parte vero Carentano fere attributa*: Ex quibus tamen pro Carinthia contra Styriam, vel illius in hanc Dominio nil inferri poſſe jam oſtendi, Diſſert. 1. §. 25. & 31. & in præfatione hujus Diſſert.

Styræ nomen dixi §. priore vel ab arce, vel a fluvio urbi datum, non a Scyris, non a Styriate, ſtatione militari Romanis ſic dicta, nec a Tauriſcis germanice Styris; ignota enim hæc omnia & fabuloſa. Teſte authore geneal. Stahremberg. fol. 11. Prevenhueberus in MS. Stemmatographic. familiarum Styriæ, a Winulpho Scyrorum regulo, id Styræ nomen deducit in annalibus tamen ſuis fol. 5. cum Lazio lib. 12. de Republ. Rom. & Velſero lib. 2. Rer. Boicar. nomen Styrorum a Tauriſcis deducit, ſed de hac ſecunda a Tauriſcis derivatione, plurima jam Diſſert. 1. a §. 12. ad §. 16. pertractavi, primam a Scyris deductionem refutare inane duco, a tot jam viris doctis exploſam, atque ex dictis hactenus ſatis impugnatam, cum ante ſæc. 10. finem id nomen nullibi reperiatur. *Styriæ nomen unde.*

Hæ ſunt res Ottocari I., de quo proin nil ſuperat dicendum, quam quo anno vitam poſuerit. Vivente adhuc Pilgrino Ep. Patav. (qui 11. Kal. Jun. an. 991. obiit, teſte catal. Recent. Patav. Epiſcop. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 16.) proin ſaltem hoc anno ante 11. Kal. Jun. ſi non prius obiiſſe cenſemus, quia filius ejus Ottocarus II. a Pilgrino beneficia quædam accepit, proin jam Dominus terræ, defuncto parente, ut cap. 2. plura. Filios reliquit duos, Ottocarum nempe II. & Adalberonem I. de quibus cap. 2. Attalam de Styra uxorem Cadoldi de Helfenſtein, matremque S. Gebhardi Archiep. Salisb. Eraſmus Frælich tab. 8. Archont. Carinthiæ filiam Ottocari I. ponit. Impoſui eam cum aſteriſco, ſeu dubiam arbori meæ. Plura ad an. 1038. dicam, ne hic longior ſim. *Ottocar. I. mort. anno 991.*

CAPUT II.

De Ottocaro II. March. Styriæ. *Ott. II. March. Styr.*

§. I.

Geſtis Ottocari II. enarrandis præmittendum cenſeo, nomen *Ottocari* etiam pro *Odoagre* antiquitus fuiſſe ſumptum, ac viciſſim; patet id *Ottoc. & Odoagris nomen idem apud veteres.*

id ex perantiquis authoribus, & MS. Biblioth. præcipue noſtræ Voravienſis, nempe MS. ſignato num. XI. ac Chronico German. eidem adjuncto: item ex MS. ſignato num. CXCIX. quibus varie *Ottocari* Marchiones noſtri, & *Odoacres* dicti ſunt, atque viciſſim *Odoacer* Herulorum Rex, Marchiones noſtros nil attingens etiam *Ottocarus* vocitatur.

Ottoc. II. filius Ottocari I. Ottocarus, de quo ſermo eſt, nomine & ordine II., filius fuit Ottocari I. ita MS. noſtrum genealogicum: *Ottacher Marchio Styrenſis, filius Ottachyr Marchionis genuit Ozii Marchionem*, Ottocarus II. itaque Marchio & Pater Ozii ſeu, ut cap. 3. dicetur, Ottocari III. filius fuit Ottocari I. Id ipſum confirmabunt plures textus hoc cap. adducendi. Docet idem quoque Prevenhueberus annal. Styr. fol. 388. Aſt contradicit ſibi ipſi fol. 364. dum ait: Ottocarum I. circa an. 1072. ab Imp. Henrico IV. Marchionem creatum: ſecutus eſt nempe Lazium dicentem: *donatus a Cæſare Hero ſuo orientali Carnorum Provinciæ parte, quæ Comitatum Styræ ad fontes Anaſi, & utriusque Norici Confinia attingebat, primus ſuæ ſtirpis Marchio Carinthiæ ac S. Rom. Imp. Princeps ſalutatus eſt.*

At, ut errores hos alibi attingendos nunc præteream, non obſervavit Prevenhueb. a Lazio Ottocarum nobis I. omitti, eumque qui nobis ſecundus eſt, primum haberi. Prevenhuberus, qui fol. 387. Ottocarum I. circa an. 979. & 983. vixiſſe ſcribit, denuo ſibi ipſi non conſtat, dum fol. 12. Ottocarum I. cum ſecundo confundit, eique Comitatum Anasburgenſem a Conrado II. Imp. circa an. 1030. donatum docet, quo tempore Ottocarus I. in vivis non fuit. Palpabilis itaque error vel ex eo colligitur, quod idem Prevenhueberus fol. 12. Ottocaro I. & fol. 388. Ottocaro II. Comitatum Anaſpurgenſem a Conrado II. conceſſum propugnet.

§. II.

Frowiza filia Ottoc. II. Ottocari hujus II. genealogiam reliquam tacet quidem MS. noſtrum Voravienſe, & ſolummodo Ozii Marchionem, ejusdem fuiſſe filium inſinuat, ex aliis tamen documentis genealogia hæc ſubſtituenda videtur; Frowizam Ottocari II. filiam, ac tertii ſororem fuiſſe in variis authoribus invenio, Cl. Vir Eraſmus Frælich, author genealog. Stahremberg. ac P. Puſch Chron. S. Ducat. Styriæ parte 1. f. 224. ſatis dubie id tradunt, ſcriptores Auſtriaci apud P. Hier. Pez tom. 1. & 2.

Uxor Leopoldi Auſtriaci. Frowizam uxorem Leopoldi filii Adalberti victorioſi Marchionis Auſtriæ aſſerunt, quin tamen eam filiam Ottocari II. appellent, ſic tom. 1. cit. P. Pez, vitus Arenpeckius, col. 1182. & col. 1009. tabulæ Clauſtroneoburg. tom. 2. col. 696. Haſelbachius &c. Frowizam Leopoldi fortis uxorrem, Mellicus ſepultam, ſine liberis defunctam docent, nullus tamen illorum eam *ex Marchionum Styrenſium ſanguine* oriundam aſſerere audet, veroſimilius tamen Frowizam hanc ex Ottocarorum ſanguine deductam judico, ob temporis Chronologiæ, aliasque concurrentes circumſtantias, de quo plura ad an. 1021. & 1048. occurrent, quod hic contendo, illud eſt, Frowizam hanc non Ottocari III. ſed II. fuiſſe filiam: rationem do ſequentem, Ottocarus III. ex dicendis cap. 3. adhuc anno 1088. vixit, ergo demus eum per 80. annos

vixiſſe,

vixiſſe, conſequenter ante annum 1008. non eſt natus; ſupponamus præterea Ottocarum III. ante an. ætatis 20. rei uxoriæ operam non dediſſe, proin anno 1028. uxorem acceperit primum, ſicque ante an. 1028. nec prolem ſuſceperit, Frowiza itaque ſi Ottocari III. filia fuiſſet, ante an. 1028. naſci non potuit.

Atqui conſtat Frowizam ante an. 1013. fuiſſe natam, cum ejus conjux Leopoldus fortis Marchio (ut eum appellat Frælich tab. 8. Genealog. Archontolog. Carinthiæ) vel fulmen Hungarorum (ut ait author Geneal. Stahremberg.) jam an. 1043. die 5. Id. Dec. vivere deſierit, teſte Chronico Mellicenſi. Dum enim Leopoldus hic Auſtriacus an. 1043. obiit certe jam 30. annos habuerit, ſicque Frowiza marito ſuo viduata, circa 30. an. ætatis numeraverit proin circa an. 1013. mortalem primo lucem aſpexerit, quo an. Ottocarus III. quintum ætatis an. agebat, ſicque hujus ſoror potius, quam filia dicenda eſt. Frowiza obiit 13. Kal. Mart. ex Necrol. Mellic. & Clauſtron. ſcriptor vero Aboldus apud Chryſ. Hantaller eam an. 1059. defunctam & 14. Kal. Jan. apud Medelik ſepultam tradit.

Hæc tamen omnia, non ita fidenter dicta velim, ac ſi liquido conſtaret, Frowizam de ſanguine Marchionum Styrenſium fuiſſe; Frælichius enim ſignanter addit in tabulis ſuis: *Frowiza fors uxor Leopoldi fortis*, non quaſi dubitaret, Frowizam quondam uxorem fuiſſe, Leopoldi hujus, ſed quia dubius erat, an Frowiza hæc Ottocarorum de ſtemmate prognata, uxor Leopoldi fuerit, veroſimilius id judicat quidem Puſchius, non tamen aſſeveranter affirmat, quamvis Lazius lib. 8. de migrat. gentium fol. 421. in Erneſt. Auſtr. ita loquatur: *Habuit præterea idem Erneſtus, fratrem germanum, Lupoldum III. cui uxor fuerat filia Ottochari I.* (nobis vero II.) *Styriæ Principis Frowiza nomine.* Attalæ de Styra ſororis Ottocari II. meminimus cap. prior. fine; Aſt dum Ottocarum III. & Frowizam ex Ottocaro II. genitos oſtendi, quæ mater horum fuerit? quæque uxor Ottocari II. inquirendum. Wurmbrandius Excellentiſſimus in collectaneis hiſtorico-genealogicis *Viretam Auſtriacam* Ottocaro II. tribuit uxorem: Lazius de migration. gentium lib. 8. fol. 421. ita ait in Erneſto Auſtriaco: *Qui ex Mechtilde conjuge, cum qua ſepultus cernitur in Mellicenſi conditorio, duos filios genuit Lupoldum IV. & Albertum IV. tulit & filiam Veretram Ottocaro I.* (nobis nimirum II.) *Styriæ Principi nuptam &c.* inconſiderate tamen locutum opinor Lazium, dum hic Viretam Erneſti Auſtr. filiam Ottocaro noſtro tribuit uxorem, & mox Frowizam filiam Ottocari ejusdem, Leopoldo forti conthoralem jungit fratri Erneſti dicti: Frowiza enim Leopoldi Auſtr. uxor, neptis fuiſſet Erneſti propatrui ſui. At plura jam finxit Lazius, uti, dum Erneſto huic Auſtriaco ſororem tribuit Hemmam Rapatonis ab Hochenwarth filiam: errat nempe undique Lazius; Viretam ergo Auſtriacam inſerere arbori genealogicæ vereor, eo præcipue capite, quod gravia pro ea non exſtent teſtimonia, Wurmbrandius Aventino nititur, nec ultra procedit; Lazii error vel ex eo denuo refutatur, ait enim Viretam Erneſti Auſtriaci ex Mathilde conjuge fuiſſe filiam, Erneſtus autem Adalberonis Auſtriaci filius circa an. 1027. primum natus eſt, ſupponamus poſt 20. annos uxorem duxiſſe,

Vireta Auſtriaca an uxor Ottocari II.

atque altero an. prolem obtinuisse, Vireta sic Ernesto ante an. 1048. nasci non potuit, quo tamen anno Ottocarus jam 10. annis sub terra quievit. En! quot uno in filo connectat errores Lazius.

§. III.

Adalbero seu Albero I. March. fortis.

Jam de Fratre Ottocari Adalberone, seu Alberone, Marchione forti dicto loquendum, quem plerique authores fratrem Ottocari nostri statuunt, ex hisce rationibus: *1mo:* Ex tabulis Geisenfeldensis Monasterii, in quibus apud Hundium metropoli Salisburg. tom. 2 f. 245. subscriptus inter alios legitur: *Adalbero Marchio, & Ottacher frater ejus.* 2. Membrana S. Henrici Imp. data an. 1005. ad Hartwicum Archiep. Juvavensem, qua huic traditur *prædium Admunta* situm *in pago Ensitala*, seu valle Anasi, *in Comitatu Adalberonis*, unde Adalbero plerisque frater Ottocari creditur. Alii econtra nonnisi dubitanter id asserunt, tum quia in charta cit. Henrici nil dicitur, quod Adalbero frater Ottocari fuerit, tum quod in tabulis Geisenfeldensibus subscribatur quidem Ottocari frater, cujus tamen Ottocari? denuo non liquet; varii enim in antiquis chartis Ottocari occurrunt, quin eos Marchiones Styriæ statuere liceat, ut adeo vix sine dubio Adalbero Ottocari II. frater asseri possit.

Sed supponatur Adalbero Ottocari frater, & quidem distinctus ab Adalberone clerico, & fratre Marquardi Ducis Carinthiæ exauthorati, cujus meminit cit. Hundius, indagandum jam, cur Adalbero ante fratrem Ottocarum subscriptus legatur? author geneal. Stahremberg. fol. 19. putat paternas Ottocari I. ditiones, ita esse dispertitas, ut Ottocaro Styrensis Dynastia, & Adalberoni vallis Anasi (v. an. 1030.) obtigerit, an in præfecturam solum? an in Dominium? ipse non definit. Alii cum Pusch putant eum communem cum Ottocaro, Styriæ Principatum gessisse, & seniorem Ottocaro etiam priorem subscriptum; cum vero post an. 1036. non diu superfuerit, solum dein Ottocarum II. fuisse Styriæ Dominum & Marchionem; fateor, utramque sententiam commode difficultati satisfacere, non tamen ultra conjecturam: Adalberonem hunc eundem fuisse, cum Adalberone Carinthiæ Duce exauthorato vix credo, nam hic nunquam frater Ottocari, & Comes in Ensitala legitur, Adalbero autem noster, nuspiam Dux Carinthiæ, vel Comes in Muerzthall & Eppenstein vocetur. V. in Archontolog. Carinth. tab. 3. & 8. plura dicentur an. 1029. & 1030.

Præterea Adalbero hic noster bene distinguendus est ab Adalberone II. fratre Ottocari IV. & Com. in Enns, & Goiserwaldt, hic enim Adalbero II. an. circ. 1088. cæsus est, ut cap. 4. Adalbero I. post an. 1036. non diu superfuit, sane si unus idemque esset, ætas ejus ad 100. fere an. assurgeret, nempe ab an. 1005. quo ex Charta Henr. Imp. jam Comes vocatur, ad an. 1088. quo necatus est, neque Adalbero I. & frater, ut volunt, Ottocari II., unus idemque fuit cum Adalberone Clerico, & fratre Marquardi Ducis Carinthiæ exauthorati, hic Adalbero enim Ep. Bamberg. circa an. 1054. factus est, & anno 1057. obiit, ut v. tab. geneal. P. Frælich in Archont. Carinth. num. 3. de quibus omnibus pl. in opere.

§. IV.

§. IV.

De anno cœpti ab Ottocaro II. regiminis nil quidem conſtat, niſi, quod an. 991. ante 11. Kal. Jun. Styriæ Marchiam probabilius jam rexerit, ratio hujus eſt ex Diplomate Altmani Epiſc. Patav. an. 1088. aſſervato in Monaſterio Glunicenſi, in quo dicitur de prædiis *ad montem* Hausruck, *& agrum Trunenſem* ab Ottocaro reſignatis, pro Tudich ſeu Dietach eidem permutata, *hæc omnia prædictus Marchio, atque Pater ejus Ottakerius dudum ante ætatem noſtram, a Pilgrino Patavienſi Epiſcopo in beneficium ſuſceperant, & ea ab Arnulfo magnifico Comite de Welſa & Lambacha, ipſorum conſanguineo apud eos fuerant devoluta, atque poſſeſſa &c. Data apud Laureacum an. Incarn. Dom.* 1088. *die* 14. *Kal. Aug. anno Pontificatus noſtri* 24. *indict.* 11. Ex hoc jam Diplomate, in commutatione Ottocari III. cum Altmano Patav. Ep. an. 1088. facta, edito patet, quod Ottocarus III. & ejus parens Ottoc. II. beneficia hæc a Pilgrino Ep. Patav. acceperint, qui Pilgrinus teſte recent. Catal. Epiſc. Patav. apud Hier. Pez tom. 1. col. 16. an. 971. Archiep. Laureac. factus, annos 20 rexiſſe ac 11. Kal. Jun. proin an. 991. obiiſſe dicitur, conſequenter etiam Ottocarus II. ante hunc diem regere ſaltem cum Patre debuit, & a Pilgrino dicta beneficia recipere. *Ottoc. II. præfuit ab an. 991.*

Non tamen repugnarem multum dicenti, Ottocarum Patrem, & fors primum, ea beneficia jam priori tempore inter an. 971. & 991. potuiſſe a Pilgrino Epiſc. Patav. accipere, ac dein tardius, non tamen poſt an. 991. Ottocarum II. quod hic interim contendo, illud eſt, Ottocarum II. ſaltem ab an. 991. ſummas Styriæ tenuiſſe, immo fors jam an. 990. cum chronicon Laureac. & Patav. Pontificum, ex Waldhuſiana Canonia erutum apud P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 1305. Pilgrino 19. ſolum annos regiminis tribuat, & huic pervetuſtus indiculus eorundem Pontificum Laureac. & quidem duplex apud cit. Pez col. 11. & 12. concordet.

Bernardus Noricus, author ſæc. 14. in Chron. cit. Laureac. Patav. Epiſcop. col. 1305. ſequentia addit de Ottocaro noſtro: *Iſte* (nempe Pilgrinus) *contulit Eccleſiæ Chrembsmünſtrenſi prædia, quæ ad eum devoluta fuerunt per Comites de Welſa & Lambach, ſcilicet Arnoldum & Wilhelmum circa Trunam & Hauſruck, & Aſcha Otachero Marchioni Styriæ, filio Otacheri.* Conſonat textus hic cum priori ex MS. Glunicenſi, niſi quod Bernardus Noricus referre omittat, Comites de Welſa & Lambacha, fuiſſe conſanguineos Ottocaro noſtro, quod tamen Diploma Altmani ex MS. Glunicenſi aſſerit; hinc ſuſpicor oppido vehementer, prædia ſupradicta tum a Pilgrino collata, tum ab Arnulpho ſeu Arnoldo (cui Wilhelmum jungit Bern. Noricus) magnifico Comite, & Ottocarorum conſanguineo, ad hos fuiſſe devoluta. Quo vero nexu ſanguinis? & unde fuerint conſanguinei? ignorare denuo cum modeſtia cogor. *Comites de Welſa & Lambach conſanguinei Ottocaris noſtris.*

§. V.

Major, & ſane non modica eſt difficultas, quam citato Altmani Diplomati movet author Germaniæ ſacræ tomo 1. in Altmano Patav. *Diploma Altmani defenditur contra P. Hanſiz.*

Patav. fol. 280. putat enim verba hæc: *atque Pater ejus Otakerius*: fuisse Diplomati deinceps inserta, rationes ejus sequentes sunt: Altmanus Episc. Patav. cum Ottocaro nobis tertio commutationem fecit, quam discimus denuo ex Catal. Patav. cit. apud Pezium col. 1306. ubi de Altmano loquitur: *Iste Ecclesiam Tudich* (Dietach) *quam nunc habet monasterium Clunicense, commutavit Ottocaro Marchioni pro prædiis in* Hausruck, *quæ eidem contulerat Pilgrinus Episcopus.* Altmanus itaque cum Ottocaro III. non II. commutationem hanc fecit, Altmanus anno 1065. præesse cœpit, & Ottoc. II. an. 1038. vel sequenti certo jam defunctus est, plura cap. 3. dicentur. Certum est proinde quod Altmanus cum Ottocaro III. eam commutationem fecerit, ait vero in suo Diplomate Altmanus: *Hæc omnia prædictus Marchio* (Ottocarus nempe III. quocum commutatio facta est Altmani) *atque Pater ejus Otacherius, qui Romæ obiit* (proin Ottoc. II.) *dudum ante ætatem nostram a Pilgrino Patav. Ep. in beneficium accepit:* Ex his arguit author Germ. sacræ cit. inconceptibile esse, quomodo Ottocarus III. & Pater ejus Ottocarus II. Romæ defunctus ea beneficia, a Pilgrino Ep. Patav. an. 990. vel sequenti defuncto accipere potuerit, cum Ottocarus II. ab an. 991. ad 1038. vel sequentem, Ottocarus vero III. ab an. 1038. ad an. circ. 1088. inter mortales fuerit, hinc, cum Pilgrinus centum fere annis ante an. 1088. obierit, non videtur concipi posse, quomodo idem Ottocarus fuerit Pilgrini beneficiarius, & simul idem, qui hæc beneficia Altmano resignavit, quapropter verba illa: *atque Pater ejus Ottocarus* inserta fuisse Altmani MS. recentiore manu opinatur.

Lapis tamen omnis movendus est, ut hoc Altmani Diploma integrum & genuinum defendatur, cum & Bernardus Noricus, licet Altmano, tempore multum posterior testetur, eidem Ottocaro nempe III. quocum commutationem fecit Altmanus, collata fuisse prædia in Hausruck &c. a Pilgrino Ep. Patav. in beneficium. Censeo itaque hæc inter se conciliari posse dicendo: Ottocarum III. commutationem hanc cum Altmano feciisse, & non solum ejus Patrem Ottocarum II. sed etiam Ottocarum III., ea prædia a Pilgrino Ep. Patav. in beneficium accepisse, non quidem eodem, sed diverso modo: Ottocarus II. ea prædia a Pilgrino vivo accepit, Ottocarus vero III. non eodem modo a Pilgrino vivo, sed jure beneficiario a Patre suo defuncto, in se devoluto, eadem accepit; quin Pater ejus, & Pilgrinus Collator amplius viverent. Ratio sic exponendi sumitur ex consideratione totius Diplomatis, quod in fine operis hujus in Diplomatario meo num. 2. refertur, si enim textus integer, & attente inspiciatur, patebit, quod is non solum acceptum a Pilgrino beneficium, sed etiam devolutionem horum prædiorum, non vero possessionem, ab utroque Marchione ad ea usque tempora continuatam insinuet his verbis: *Et ea ab Arnulfo magnifico Comite de Welsa, atque Lambacha ipsorum consanguineo ad eos fuerant devoluta, atque possessa.* Cum itaque devolutio horum bonorum de his duobus Ottocaris ita affirmetur, ut ad Ottocarum II. vere & reapse, ad Ottocarum vero III. solum jure a Patre obtento devenerit, cur non etiam dici posset, Ottocarum II. vere & reapse ea prædia a Pilgrino in beneficium accepisse, Ottocarum vero III. jure tantum devolutio-

volutionis in ſe a Patre derivato. Sic ergo conciliari hæc poſſe opinor: ad Ottocarum II. ea prædia a Comitibus de Welſa & Lambacha vere ſunt devoluta, Ottocarus II. ea prædia vere & in re a Pilgrino accepit, Ottocarus III. vero ea a Pilgrino defuncto mediate, mediante nimirum jure paterno accepit, ſicut ad eundem, non ab ipſis Comitibus dictis vere ſunt devoluta, ſed ſolum ut hæredem avitum Patris ſui Ottocari II. Eodem enim modo ad Auguſtiſſimam noſtram Imperatricem Thereſiam Styria ab Ottocaro VI. & ultimo devoluta dici poteſt jure devolutionis ſibi ab anteceſſoribus ſuis relicto.

Minus obeſt explicationi huic allata altera authoris Germ. ſacr. ratio, quod nimirum tempore Pilgrini nondum extincta fuerit ſtirps Comitum Lambacenſium. Sit enim ita, potuit ſane fieri, ut ea Comitum Lambacenſium bona, non per teſtamentum, ſed per aliùm quemdam titulum ad Ottocarum II. vivente Pilgrino, & viventibus etiam Comitibus Lambacenſibus, devolverentur, Diploma enim Altmani devolutionem hanc inſinuans ejusdem titulum altum ſilet.

Unde ad mentem Diplomatis hujus optime dicetur, Ottocarum II. ea prædia vere & reapſe a Pilgrino in beneficium accepiſſe, & Ottocarum III. eadem vere & reapſe cum Altmano commutaſſe, ita enim de commutatione hac loquitur Altmanus: *Ipſe quippe Marchio reſpectu Chriſti ſcilicet, & noſtra ſedula commonitione inductus reſignavit &c.* Quæ verba de defuncto ante Altmanum Ottocaro II. utique intelligi non poſſunt.

§. VI.

Alio tamen modo difficultati huic obviat P. Eraſmus Frælich in Archontol. Carinth. part. 2. f. 179. 182. & 184. ad annum 1088. docens: legendum eſſe in Diplomate Altmani: *Hæc omnia prædictus Marchio & Pater ejus Ottakerus, qui Romæ obiit.* Rationem dat trinam: *1mo:* Admiſſa hac correctione Diploma Altmani ad Ottocarum III. vel filium Ottocarum IV. referri poteſt. *2do:* Si correctio hæc non admittatur, Diploma hoc neceſſario ad Ottocarum IV. pertinebit, utpote qui de ſuo Patre ipſe teſtatur, eum *Romæ ſepultum dormire.* Unde probabilius hoc Diploma ad Ottocarum IV. pertinere cenſet, ob cæterarum rerum cum Ottocaro IV. conſenſum, ac præcipue ob Gebhardum Archiep. Salisburg. ab Ottocaro IV. adjutum. *3tio:* Vult ſine hac correctione admiſſa, Ottocaris duobus Patri & Filio ultra 120. annos Principatus eſſe tribuendos, nimirum ab an. 991. ad an. 1112. Ita Frælichius; cui tamen non aſſentior nec rationibus ejus, nam *1mo* jam oſtendi §. ſuperiore Diploma hoc ad Ottocarum III. referendum eſſe. *2do:* Licet Ottocarus III. æque ac II. Romæ ſepultus ſit, non tamen hæc interpretatio ſuſtinenda videtur, quomodo enim Ottocarus IV. & ejus Pater Ottocarus III. ea beneficia a Pilgrino accipere potuerunt, niſi violentius adhuc dicas, ambos jure ſolum devolutionis & nullum horum reapſe ea a Pilgrino accepiſſe, Pilgrinus enim an. 991. vel anteced. anno obiit, & Ottocarus III. ab an. 1038. vel ſequente & Ottocarus IV. ab an. 1088. ad an. 1122. Styriæ præfuit ægrius, itaque in hac, quam noſtra ſententia ſalvarentur ea omnia. Quid, quod

Contra P. Frælich.

cæte-

cæterarum rerum nexus etiam in Ottocaro III. salvetur, cum cap. 3. ostendam, eum Gebhardo Salisburg. adstitisse. 3*tia Frælichii ratio* convincens non est, nam si Ottocarus II. & III. ea beneficia a Pilgrino acceperunt, non his duobus, 120. anni tribuuntur, bene tamen tribus Ottocaro II. III & IV. seu avo Patri & filio 131. anni omnino dandi sunt, nempe ab an. 991. ad an. 1122. eorum regimine extenso, quod quamvis aliqualiter arduum, non tamen rationem excedere alibi ostendam.

Contra authorem Genealog. Stahremberg.

Minorem attentionem meretur correctio authoris genealogiæ Stahremberg. fol. 21. dum legendam putat, *& avus ejus Otakerius*, non vero *Pater*. Supponit nempe hic author Ottocarum an. 1122. Romæ defunctum, ac sibi tertium, non posse dici filium Ottocari, sed solum Ozyonis, qui ut ipse quidem statuit, ab an. 1050. habenas Styriæ tractavit, sicque putat enormi calculo Ottocari I. ab an. 983. regentis, & Ottocari III. an. 1122. defuncti regimen ad 130. & ultra porrigi annos. Ast præter obscuritatem novam errores non pauci occurrunt: 1. Ottocarus an. 1122. (nobis IV.) defunctus Romæ non obiit, sed solum Ottoc. II. an. 1038. & Ottoc. III. an. 1088. Romæ sunt defuncti. 2. Si Ottocarus an. 1122. mortuus fuit filius Ozyonis, quomodo Ottocari I. & III. regimen in systemate dicti authoris ad 130. annos extenditur? intermediat enim inter eos Ozyo, quem ait an. 1050. Styriam rexisse; ita enim author hic in tab. 2. majorum Stahrembergens. e Marchionibus, seriem Ottocarorum statuit.

Schema Ottocarorum March. Styriæ in sententia Authoris Genealogiæ Stahremberg.

OTTOCAR I.
Marchio Styriæ fl. circa 983.

Adalbero	Ottocar II.
Marchio in valle Anasi.	March. Styræ circ. 990. † Romæ 1047.

Atha	Ozyo	Frowiza
Protho-Abbatissa Traunkirch.	March. Styriæ circa 1050. & 1060.	Marit. Leopold. Austr. fulmen Hung.

Ottocar III.	Albero	Bernardus
March. Styr. † 1122. Romæ 4. Kal. Dec. uxor Elisabeth. Austr.	March. & Comes Sylvestris occisus prope Leobium.	Com. de Styra uxor Luitgardes de Wirtemberg.

Ex quibus proin manifeste patet, Ottocari I. & III. rrgimen, etiam hoc in systemate ad 130. annos non extendi, cum intermedios ponat Ottocarum II. & Ozyonem. 3*tio* videmus, systema hujus authoris cæteroquin a nostro non multum abesse, quem enim ille vocat Ozyonem. Nos Ottocarum III. statuimus, & consequenter Ottocarum eidem III. Ottocarum IV. dicimus, cujus omnino uxor Elisabetha Austriaca fuit, qui vero Romæ non obiit, ut inferius expendetur; unde

author

author hic cum P. Frælich ſentit, Diploma Altmani ad Ottocarum III. (nobis IV.) eſſe referendum, quod jam ſupra refutavi. Difficultas de duobus fundatoribus Garſtenſibus cap. 3. & 4. explicabitur.

Ex his itaque concludo, Diploma Altmani interim genuinum eſſe reſpiciendum, donec fortiora id refutandi ſuppetant monumenta: proin ex mente auth. Germ. ſacr. cit. Pilgrino Epiſc. Patav. in cit. Diplom. non eſt ſubſtituendus Perengerus, nam de Pilgrino, non Perengero id ipſum refert Bern. Noricus ſupra cit. §. 2. minus ſuſtinendum Ottocarum cum Altmano tranſigentem, non Ottocari, ſed Ozii fuiſſe filium, deceptus fuerit author Germ. ſacræ per MS. noſtrum genealog. Quod ſolum dicit Ottocarum Fundatorem Garſtenſem II. ordine & nomine IV. (quia Eliſabethæ maritum) fuiſſe Ozii filium, non autem Ottocarum Garſtenſem Fund. I. cui uxor Wilburgis, de quibus plura c. 3. & 4.

§. VII.

Redeat, unde aberravit narratio mea, nempe ad Ottocarum II. Huic a Conrado Cæſare donatum lego *Anasburgenſem tractum*, non Comitatum, nam contra Lazium, tractus hic Anaſi nuſpiam in antiquis chartis Comitatus, ſed prædium vel forum appellatur, quæ autem Lazius de Comitatu Anasburgi dicit (vide §. 1.) ea Puſch Chronolog. S. Ducatus Styriæ parte 1. f. 220. de Styrenſi Dynaſtia intelligit, quæ Ottocaro II. poſt Henrici V. Bavar. Ducis obitum collata fuit, in præmium, ut opinor laborum ſuorum, cum Conradi caſtra in Italiam ſecutus, ibique defunctus fuerit Ottocarus II. Plura de his an. 1005. 1012. 1015. 1029. 1030. patebunt, ut & in criſi Diplom. 2. Prevenhueberus annal. Styr. fol. 388. Ottocaro II. Comitatum hunc donatum ait. Fol. demum 12. & 364. Ottocaro I. quem errorem & lapſum jam ſupra obſervavi. *Ottocar. II. obtinet Anasburg. tractum a Cæſ. Conrado.*

Ottocari porro hujus II., quem nemo ex textibus hoc capite citatis Marchionem fuiſſe negaverit, mortem jam referre oportet. Romæ eumobiiſſe, utpote caſtra Cæſaris Conradi an. 1038. ſecutum teſtatur Altmani Diploma diſertis verbis, atque ex hoc authores fere omnes, qui de rebus Styriæ ſcripſerunt; quo vero anno? probabilius an. 1038. ut eo anno dicetur, cum Conradus Cæſar ex Inſubria turbata contra Pandulfum Capuæ Principem, perfida cum Græcis fædera, nectentem movit, eique Guarinum Dynaſtam Salernitanum ſubſtituit, vel, quod veriſimilius cenſeo, cum Regina orationis cauſa Romam abiret, Ottocarum quoque Comitem eidem ſe junxiſſe, ibique mortuum, Romæque fuiſſe ſepultum, ut pl. dicam an. 1038. *Ottoc. II. mors.* *Romæ obiit.*

An peſte confectus fuerit, tunc in milite graſſante, & nec ipſi aulæ parcente, ignotum quidem, at cum peſtis in caſtris ſolum Romæ ſævierit, peſte vix afflatum, immo in hujus contagionis periculo vix Romam ſubire permiſſum opinor. *An peſte.*

Id hæc inter probabiliſſimum, Ottocarum II. an. 1038. obiiſſe, quia plerique authores Ottocarum III. ejus filium, & ſucceſſorem temporibus Henrici, qui an. 1039. ſummas imperii capeſſivit, floruiſſe tradunt cum MS. noſtro geneal. proin annis 47. nempe ab an. 991. ad *Anni regiminis.*

1038. regimen Styriæ tenuit. Diem obitus quidam ex Necrologio Traunkirchensi ponunt 5. Martii: at quia §. 4. cap. 1. non Ottocarum I. vel II. Fundatorem Traunkirchensem, sed Ottocarum III. insinuavi, de his plura cap. seq. patefaciam; in Necrolog. Admont. ad 4. *Kal. April.* ponitur *Ottachar Marchio*, qualis vero an hic, an tertius, vel plane primus, divinent alii.

CAPUT III.

Ottoc. III. seu Ozy, Ozzo.

De Ottocaro III. aliis Oezo, Ozy, Ozo dicto, & primo Fundatore Garstensi.

§. I.

Ottocarum hunc alii, & MS. etiam nostrum Genealogicum Ozy nominat his verbis: *Ottachyr Marchio Styrensis* (nempe II.) *filius Ottachyr Marchionis* (I. nimirum) *genuit Ozy Marchionem, qui temporibus Henrici III. pollebat. Hic Ozy genuit Ottachyr Marchionem &c.* nobis IV. quem itaque MS. Genealog. nostrum *Ozy* vocat, hunc nos cum Altmani tabula vocamus *Ottocarum III.*; fuisse autem unum eundemque *Ozy* & *Ottocarum III.* ex eod. MS. nostro ostendo: ab hoc enim *Ozy* vocatur filius *Ottocari II.*, & sane idem MS. *Ozy* Patrem, exhibet *Ottocari IV.*, seu illius, cui uxor Elisabetha Austriaca, & frater Adalbero fuit, nempe II., Adalberonem enim I., & Ottocari II. fratrem MS. nostrum Genealogicum præteriit. Idem sentit Erasmus Frælich Archontol. p. 2. docens *Ozyonem* non fuisse Ottocari II. fratrem, sed filium, ac eundem cum Ottocaro III., quæ omnia ex antiquiore Altmani tabula §. sequenti ostendam.

Unus idemque fuisse probatur.

Ozyonem & Ottocarum III. eundem fuisse Puschius Chronol. S. Ducatus Styriæ p. 1. fol. 222. ex eo deducit, quod Germanis nostris non raro usitata fuerit Aphæresis, seu contractio nominum, ita, ut, quemadmodum nomen Henrici in Hezilonem: ita nomen Ottocari in Ozyonem seu Ozy fuerit contractum: cui sententiæ eo minus refragari possum, quod constet inter eruditos, *melius esse antiquos codices componere, quam unum falsitatis arguere:* ita quoque editores Fleurii hist. Germ. Eccles. tom. 1. edit. Lipsiens. fol. 608. sentiunt: *Authores coævi semper combinandi sunt, quod si hoc fieri non potest, unus eorum magis probatus est retinendus*; cum itaque dicto modo, cum tabula Altmani combinari possit MS. nostrum Genealog. retinenda est hæc expositio, qua Ozy & Ottocarus unus idemque asseritur: quod si tamen expositio hæc falsitatis argueretur, tabulæ Altmani præ MS. nostro Genealog. deferendum esset, utpote testi longe antiquiori. Interim tamen eam expositionem subsistere ex eo colligo, quod in antiquis codicibus & Chronicis varie legatur: *Ottocarus, Otaker, Odakerius, Otachyr, Odoaur, Odoagrius, Otacha, &c.* cur ergo non etiam credi posset nomen *Ozy* pro *Ottocaro?* ut Hezilonis pro Henrico fuisse usurpatum, quod veteres fors ad evitandam hononymiam, in pluribus sibi succedentibus ejusdem nominis Principibus fecerint, præsertim cum *Ozyo* hic iisdem Henrici

III.

III. temporibus, uti Ottocarus III. floruerit, teſtantibus etiam tabulis Mellicenſibus Erneſti Auſtriaci ab an. 1056. ad 1075. regentis, in quibus legitur: *Oezo Marchio de Styre.*

§. II.

Neque dici poteſt, Ozyonem hunc fuiſſe Ottocari II. filium, & III. Patrem, nam MS. noſtrum Geneal. nimis aperte profitetur, Ottocarum maritum Eliſabethæ Auſtriacæ, proin IV. fuiſſe, ab Ozyo ſeu Ottocaro III. genitum. Ex eodem MS. conficitur Ottocarum III. ſeu Ozy vel Ozyonem fuiſſe Ottocari II. filium, non autem nepotem, teſtatur id etiam Diploma Altmani a nobis cap. 2. §. 4. & 5. adductum, & in Diplomatario noſtro num. 2. ex integro referendum, in quo clare de Ottocaro III. ſeu Ozo Dietachenſem Eccleſiam ab Altmano recipiente dicitur: *Et Pater ejus Otacherius, qui Romæ obiit.* Ex eodem MS. noſtro & tabula Altmani refellitur error Haſelbachii apud Hier. Pez tom. 2. ſcript. Auſtriac. col. 714. docentis: Ottocarum Garſtenſem Fundatorem fuiſſe primum hujus nominis Marchionem, ſive enim primum hujus nominis ſolum, ſeu Marchionem primum dixeris, utriusque contrarium Altmani tab. cit. & MS. noſtr. Geneal. §. 1. allatum docebit.

Ozy ſeu Ottocarus III. parens Ottoc. IV.

Non fuit frater Ottoc. II. nec nepos.

Quamvis vero MS. noſtrum Genealogicum dicat, Ottocari II. filium eſſe Ozy ſeu Ozyonem, idem tamen Ottocarum nobis III. nec attingit, nec ait, eum eſſe ex Ozyone genitum, ſed ſolum poſtea loquitur de Ottocaro IV. & Fundatore Garſtenſi II. ſeu illo, qui Eliſabetham Auſtriacam uxorem habuit, hiſce verbis: *Igitur Marchio Ottacher* (IV. nempe) *uxorem Eliſabeth ſororem Marchionis Auſtriæ Liupoldi accepit &c.* quæ certe Ottocaro III. uxorem Wilburgem habenti convenire non poſſunt. Ozyonem hunc etiam author Genealogiæ Stahremberg. tab. 2. fol. 15. ponit, ſed quem ille Ottocarum III. & Maritum Eliſabethæ appellat, ille nobis IV. eſt, & Ozyo idem, qui Ottocarus III. Eundem Ozyonem in ſerie Ottocarorum, inter Ottocarum II. & III. ponit Aventinus; Lazius vero inter Ottocarum I. & II. omittens nimirum Ottocarum nobis I. quem Prevenhueberus aliique ſequuntur.

§. III.

Ozyonis ſeu Ottocari III. uxorem non prodit MS. noſtrum genealogicum, indicant tamen tabulæ Garſtenſes fuiſſe Wilburgem, quæ ſylvam Tannebergenſem addidit Canonicis in Gårſten a marito ſuo locatis. Quæ vero ex eadem proles Ottocaro III. obtigerint, diſcrepant denuo authores: Ottocarum IV. fuiſſe filium, teſtatur hic ipſe tabulis a ſe editis, & §. 7. citandis; præter hunc Adalbero II., quem tamen alii Patruum ſolum volunt. Prevenhuberus fol. 388. &c. inter Ozyonis proles recenſet Ottocarum III. Adalberonem, Bernardum, Frowizam Leopoldi Aſtriaci an. 1043. def. uxorem, & Urſulam Comiti Wernero de Helfenſtein nuptam; Frowizam cap. 2. §. 2. oſtendi filiam Ottocari II., & ſororem Ottocari III. fuiſſe: Urſulam

Wilburg. uxor.

Proles Ottocar. III. ſeu Ozyon.

ex Bucelino desumpserit Prevenhuberus? is enim eam in stematogr. sua part. 4. adsert, sed Ottocari I. Comitis filiam ostendit. Lazius lib. 6. de migrat. gentium, Ottocari II., nobis III. filium ponit, Ottocarum III., nobis IV.; Aventinus Ozy filium, Ottocarum III. statuit, qui mihi IV. numeratur. Author Geneal. Stahremberg. Ozyonis, seu, ut ego censeo, Ottocari III. filios ponit, Ottocarum III. nobis IV., Adalberonem, Bernardum Comitem de Styra, cujus uxor Luitgardis de Wirtemberg erat. Puschius Ottocarum IV. & sub dubio Adalberonem, filios Ottocari III. memorat, Frælichius tab. 8. Archontol. Carinth. ab Ottocaro III. genitos autumatur, Ottocarum IV. Adalberonem, & Bernardum Comitem de Styra, cujus uxorem ait, fuisse Luitgardem Wirtembergicam, *si Lazio fides:* qui eam loco cit. vocat Luitzardim, sororem Chunradi I. Comitis Wirtembergensis, & Brunonis Abbatis in Hirschau, distinctam proin necessario a Luitgarde, quam idem Lazius cit. inter proles Ottocari I., nobis II., & sororem Ottocari II., nobis III., Ozyonis & Bernardi statuit; En! quot capita, tot fere sententiæ; ego nullius horum ex integro amplector sententiam, sed censeo, Ottocari III. proles fuisse, Ottocarum IV., Adalberonem Comitem in Enns & Goysserwald, Atham Protho-Abbatissam in Traunkirchen, Sophiam, & nonnisi summo cum dubio Bernardum Comitem de Styra; quoniam autem de Ottocaro IV. & Adalberone c. 4. loquetur, de Atha §. sequens, de Bernardo Comite de Styra hic quæpiam subjungam.

Bernardus Comes de Styra an filius Ottoc. III. & Sator DD. de Pernegg.

Bernardum hunc Lazius cit. filium Ottocari I., seu nobis II. statuit, & fratrem Ottocari II., nobis III., Frælichius eum ab Ottocaro III. prognatum, & Satorem dominorum de Pernegg credit, uti & author Geneal. Stahremberg. tab. 2. ubi quidem Bernardum, hunc Ozyonis filium ait, qui tamen Ozyo, ut ostendi, idem cum Ottocaro nobis III. reputandus est, Satorem tamen dominorum de Pernegg collocat Gundaccarum Bernardi hujus filium. Aliter denuo sermocinatur Excellentissimus Wurmbrandius in collectaneis Genealog-historicis docens, ab Adalberone Marchione genitum, qua uxore, non prodit, Duringum filium Comitem de Styra, qui dein Helmhardum & Gundaccarum ex se filios reliquisset: author Geneal. Stahremberg. tab. 3. ex Alberone Comite, Sylvestri Duringum I. Dominum de Styra, & Græcio genitum, & circa an. 1120. & 1140. floruisse scribit. Prevenhueberus fol. 389. Lazium secutus lib. 6. fol. 178. inter Bernardi filios Gundaccarum numerat primum Satorem Dominorum de Pernegg, & Grätz, qui circa an. 1100. Comitatum adhuc Styræ, Norici Ripensis possedisset; Hos inter discrepantes authorum sensus quoniam documenta alia desunt, censui Bernardum, utpote summe dubium in serie Ottocarum attingere solum, nil de eo affirmare. Frælichius sane ipse cunctatus fuisse videtur, dum de Bernardo addit: *Hic creditur fuisse Sator Dominorum de Pernegg:* auget difficultatem aliquid ennunciandi instrumentum confirmationis Monasterii Lambac. an. 1073. ubi inter testes subscriptus reperitur: *Gundaccarus de Styra* apud cit. Wurmbrandium fol. 10. unde nescio, quomodo Gundaccarus hic nepos Adalberonis, ex Duringo filio, Comite de Styra dici possit, & jam an. 1073.

inter

inter ſubſcriptos teſtes reperiri, præſertim cum altero abhinc ſæculo Gundaccaro de Styra advocatia Monaſteriorum Lambacenſis, & Garſtenſis collata fuerit, ab Ottocaro Duce Styriæ, & idem Gundaccarus in privilegiis cænobii Glunicenſis reperiatur anno 1175. Sed ſatis de his, plura anno 1073. in opere ipſo recurrent. V. Criſim Diplom. 6. de Sophia filia Ottoc. III. & IV. ſorore, quam detexiſſe ſibi viſus eſt author Faſtor. Campilienſ. v. cap. 4.

§. IV.

Atha Abbatiſſa Traunkirch. an. filia Ottoc. III.

De Atha Proto-Abbatiſſa Traunkirchenſi, quam Frælichius filiam Ottocari II. ſtatuit, quid ſentiam, aperiendum. Necrologium Traunkirchenſe ad diem 5. Mart. hæc habet: *Otacherus Comes Pater Athæ primæ Abbatiſſæ hujus loci.* At quis Otacherus hic, & quidem Comes qualis fuerit, Oedipo omnino opus erit ad reſolvendum. Idem porro necrologium ad 29. Sept. ſequentia addit: *Wilhelmus Comes Fundator noſtræ congregationis iſtius loci.* Hoc necrologio inducti Frælichius & author Geneal. Stahremberg. fol. 20. Atham hanc Abbatiſſam filiam Ottocari II. ſtatuerunt. At ingens eis difficultas eſt ſolvenda; nam ſi vera ſunt Hundii dicta, Traunkirchenſe monaſterium non temporibus illius Ottocari (quam Ottocarus VI. & I. Dux Styriæ an. 1191. in Diplom. Admont. num. 6. apud Ludewig, & in meo Diplomatario num. 76. ait unum de proavis ſuis fuiſſe) ſed ſæculo tardius fundatum fuit, ratio eſt ſequens Diemudis Abbatiſſa, cui Ottocarus I. Dux litteras anno 1191. dedit, tertia præfuit monaſterio Traunkirchenſi teſte Bruſchio monaſteriol. part. 2. cit. apud Cl. Puſch Chronol. Ducat. Styr. p. 1. fol. 31. ſi itaque Diemudis III. Abbatiſſa an. 1191. præfuit, neceſſario III. fæminis Abbatiſſis regimen ultra 100. annos extendendum in ſententia Frælichii & authoris geneal. Stahremberg. quod ſic oſtendo: ſi Atha fuit Ottocari II. filia, ſaltem an. 1038. quo Ottocarus II. vivere deſiit, nata fuit, proin 40. annos habens circa an. 1079. Abbatiſſa facta eſt, ſuppono eam 40. an. præfuiſſe, & obiiſſe an. 80. ætatis ſuæ, conſequenter II. anno 1119. circiter ſucceſſerit: huic ſecundæ Abbatiſſæ denuo tribuantur 40. vel 50. anni regiminis, Diemudis tertia Abbatiſſa an. 1191. præſens ipſa Aniſi, 1159. vel 1169. ſucceſſit, atque cum Diemudis Abbatiſſa an. 1191. præſens ipſa Aniſi hoc privilegium obtinuerit, neceſſario 50. annos rexiſſe, & 70. annos vixiſſe, & vegeta adhuc obiter ſuſceptum, ſupponenda eſt, quod quia de raro contingentibus, vix obvie & prudenter eſt præſumendum.

In re itaque hac obſcuriſſima aliter judicandum cenſeo, donec melioribus inſtruar documentis. Duplex enim mihi fundatio Traunkirchenſis fuiſſe videtur; prodiit libellus quidam Viennæ in gradu Philoſoph. an. 1728. ſub titulo: *Auſtria mappis geographicis diſtincta rerumque memorabilium hiſtoria Dominiorum, ordinum, ſtatuum &c. pars 2da.* Libellus hic, ut mihi videtur ex documentis monaſteriorum, ſtatuum collectus eſt, hic fol. 59. de Trunæfano, ſeu Traunkirchen ſcribit, originem id monaſterium circa annum 900. obtinuiſſe ab Ottocaro III. Agilolfingico Marchione ob relatam hoc loco de Hunnis victoriam:

poſtea autem monaſterium crebris Hunnorum excurſibus dirutum, & incultum uſque ad an. 1115. delituiſſe, donec ab Ottocaro III. Styriæ Marchione, pulſis, profligatisque Hunnis (ad Petovionem fors ut dicetur) reſtauratum, amplisque redditibus auctum, ſub Atha ſeu Agatha Ottocari filia, & prima reſtaurati cœnobii Abbatiſſa denuo incoli cœperit a virginibus ejusdem inſtituti. Antiſtitum catalogum ab anno 1116. inchoat ab Atha I. Abbat. II. ponit Gertrudem, III. Diemudem. De quibus vide plura an. 1048.

Ut nihil de Ottocaro illo Agilolfingico (cujus ad an. 899. author Geneal. Stahremberg. tab. 1. meminit) loquar, quod in rem meam deſumo, illud eſt, Atham reſtaurati hujus monaſterii Abbatiſſam an. 1116. non Ottocari I. vel II., quorum ille an. 991. hic anno 1038. obiit, ſed Ottocari III. filiam fuiſſe, ſicque commode ſalvari, quomodo Diemudis III. reſtaurati hujus cœnobii Abbatiſſa an. 1191. fuerit, ita ut tribus Abbatiſſis ſolum 75. anni regiminis, proin uni 25. tantum anni regiminis, æquali inter eas partitione ſuppoſita optime tribui poſſint.

Stabilitur etiam, quod cap. 1. §. 4. dixi primæ fundationis Traunkirchenſis non Ottocarum I. authorem, ſed fors benefactorem, 2dæ autem Ottocarum nobis III. conjici poſſe. Ottocarum I. beneficum huic monaſterio fuiſſe. Docent cit. Ottocari VI. litteræ.

§. V.

Otto. III. geſta. His jam delibatis, ad enarranda Ozyonis ſeu Ottocari III. geſta accingor, cujus temporibus Styriam noſtram graviter circa annum 1042. ab Hungaris habitam teſte Haſelbachio in Chron. Auſtriac. apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 698. dicemus, Petro enim Hungariæ Rege exturbato, Aba ſeu Ovo tyranus Hungariam invaſit; cum vero Petrus Rex ad Henrici Imp. aſylum confugeret? inde occaſionem ſumpſit Aba Styriam cum Auſtria depopulandi. Eluxit in eo Auſtriæ, & Patriæ noſtræ contermino incendio, Adalberti Marchionis, & Leopoldi filii virtus, qui pauco milite ferocientem in agris transdanubianis exercitum Hungarorum internecina clade deleverunt: pactis inter Abam tyrannum & Henricum Imp. firmatis quidem, ſed ab Aba non ſervatis, iterato correptis ſignis Arabonem, uſque Hungarus miles pervenit, devictus denuo 3. Non. Julii an. 1044. & Petrum legitimum Regem Aba expulſo recipere eſt coactus: Magnam his in turbis laudem Ottocaro III. annales Joannis Hugonis tribuunt nimirum, cæſis eum ad Petovionem Hungaris, Styriæ limites propagaſſe, cujus rei teſtis ſervatur pictura Græcii in domo provinciali propoſita, quam Diſſert. 1. §. 21. retuli. Alia ejusdem acta bellica nos latent, hæc vero ad Petovionem victoria fuſius in ipſo opere deducetur; falſum tamen judico, quod refert Lazius lib. 2. de migrat. gentium fol. 178. *Qui denique ob devictos ad Petovionem Hungaros, dum Salomonem Regem reſtituit ab Henrico IV. deficiente, tum commoda Carinthiæ Ducum familia, parte Carinthiæ orientalis donatur; quæ ſub Marchæ Carinthiæ quondam vertebatur nomine*, præterquam enim, quod non Salomon, ſed Petrus Rex Hungariæ fuerit reſtitutus, Marchiones Styriæ jam prius fuiſſe. Satis ex dictis patet,

præſer-

præſertim Differt. 1. §. 32. ubi oſtendi, Styriam nunquam ſub Carentanis Principibus fuiſſe; plura ſæc. 11. in ipſo opere. Quod ſi vero Lazius per orientalem Carnorum Marchiam, ſeu partem, vallem Affluentiæ, Murtiæ, & Drugeumûmel intelligat, Differt. hujus cap. 5. oſtendam, hac olim Carinthiæ parte, auctam Styriam ſub Leopoldo forti nunquam tamen admittam, quod *primus ſuæ ſtirpis Marchio Carinthiæ ac Sac. Rom. Imp. Princeps fuerit*, Ottocarus III. *ſalutatus*, ſane ſibi ipſi contradicit Lazius, dum comment. Rep. Rom. lib. 12. ſcribit extincta Carinthiæ Ducum familia, dum ſucceſſio inter Eppenſteinios, & Affluentinos Comites Adalberonem, & Marquardum, ac Bertholdum Ducem Zæringenſem controverteretur, Ottocarum factum fuiſſe Marchionem attributa ſibi Carinthiæ parte, & lib. 6. de migr. gent. fol. 172. docet Marquardum Comitem ab Eppenſtein Muerzthale, & Avelenz &c. in Ducatu Carinthiæ confirmatum, *ſed hac lege, ut Marchiam Carnorum demptam a Ducatu Ottocaro Ozonis Styriæ Comitis in Norico filio (quod is ſeſe non minus, atque Marquardus in bello Saxonico adjuviſſet) in perpetuum concederet &c.* ſed de his plura in Leopoldo.

§. VI.

Compoſitis belli turbis, ad pietatis officia totum ſe contulit Ottocarus Marchio noſter: præludium amplæ fundationis Garſtenſis, erat munificentia in celeberrimum Styriæ Ord. S. Bened. monaſterium Admontenſe circa an. 1074. fundatum, cui teſte Lazio, & Frælichio ſubſcripſit Marchio noſter; & quanquam charta fundationis hujus deſit in P. Bernardi Pez theſauro anecdot. Tom. 3. p. 3. credendum tamen opinor Chroniſtæ Admontenſi & Lazio, qui id documentum aliunde videre potuerunt. Liberalitatem ſuam omnem exhauſit Marchio noſter, dum monaſterium Garſtenſe fundavit eo tempore, quo ad exſcindendam religionis noſtræ arcem, Romam, armata ſub Henrico III. impietas trans alpes ſæviret: Inſudabat eodem tempore Altmanus Præſul Patavienſis revocandis ad priſtinum nitorem ſanctuariis, eumque in finem gemina S. Auguſtini Canonicis erexit Aſceteria, Marchio noſter, illibato myſtarum horum candore delectatus, oblata Altmano montis Bohemici paræcia, Garſtenſem Eccleſiam, acropoli ſuæ Styræ adſitam, ab eodem impetravit, atque in hanc ſub Eberhardo Præpoſito Canonicos ejusdem, ut vult Lazius, Prevenhueberus, & Puſchius fol. 244. inſtituti aſſeclas recepit. Saxum memoriale Garſtenſis Baſilicæ foribus præfixum, & a Prevenhueb. deſcriptum ſic habet: *Anno a partu Virginis* 1085. *Illuſtris Marchio Styriæ permutatione facta a Reverendiſſimo D. Altmano Epiſcopo Patav. pro Eccleſia in Bebamberg ſacram Garſtenſem ædem impetravit, Canonicisque dedicavit, qui tamen tantum* 28. *annis eam habitarunt.*

Admontenſ. Monaſt. fundat. ſubſcribit.

Monaſt. Garſtenſe fundat.

Aſt quoniam de hac fundatione Garſtenſi plura ad noſtram hiſtoriam pertinentia concurrunt, de eadem fuſius jam & enucleatius agendum cenſeo.

§. VII.

§. VII.

Proponitur ſtatus quæſtionis de Fund. Garſtenſ.

Acrior eſt itaque, multorumque ſtudiis agitata quæſtio de fundatione cænobii Garſtenſis ad an. 1082. vel ſequentem: an nimirum unus idemque Ottocarus in cænobio Garſtenſi an. 1082. Canonicos, & an. 1107. Monachos conſtituerit? ante cujus deciſionem errores quospiam detegere neceſſe cenſeo, quorum primus eſt apud authorem excerptorum ex veteri Chronico Garſtenſi tom. 2. P. Hier. Pez ſcript. Auſtr. fol. 173. dicentem: *an.* 1107. *Ordo Canonicorum cæpit* Gärſten, cum potius eo anno Canonicorum deſierit, & Monachorum inceperit ordo, ut conveniunt reliqui omnes cum Chronicis Mellicenſi Salisburg. Admontenſi &c. apud cit. Pez. Errorem alterum continet Chronicon Haſelbachii loc. cit. tom. 2. col. 714. his verbis: *Tradunt hiſtoriæ, quod Ottonis Imp. tempore, aut B. Henrici Cæſaris Ottocarus I., qui & Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus Gebhardo, Tyemoni, & Conrado, jam ſenex in ſuis perſecutionibus adſtitit* - - - dein refert ejus cum Adalberone bellum, ac conjugem Eliſabetham Auſtriacam, ut vide text. cit. Diſſert. hac cap. 1. §. 3. ſtatuit nempe Ottocarum nobis IV., Haſelbachius primum, quod jam ibidem refutavi.

Porro cum fundationem Garſtenſem aliqui Ottocaro Wilburgis marito ſeu III., alii Ottocaro Eliſabethæ Auſtriacæ conthorali, ſeu IV. adſcribant, evolvenda eſt hic ingens quæſtio, an unus idemque fuerit Ottocarus, qui Canonicos, & qui Monachos in Gärſten conſtituit. Duplex eſt hac in re authorum ſententia, quorum prima cum authore germaniæ Sacræ & Genealogiæ Stahremberg. unum eundemque Ottocarum Canonicos, & his Monachos in Gärſten ſubſtituiſſe ſentit, altera cum Lazio, Aventino, Prevenhubero, Puſchio, Frælichio, &c. duos conſtituit fundatores Garſtenſes: unum, qui Canonicos, alterum, qui Monachos eo loci induxit.

§. VIII.

Statuuntur duo Fund. Garſtenſ.

Cum authoribus ſecundæ ſententiæ duos Fundatores Garſtenſes ſtatuo, Ottocarum III. ſeu Ozy Canonicorum, & Ottocrum IV. Monachorum; quæ me ad hanc ſententiam adduxerunt, ſequentia ſunt. *Primum argum.* Diploma Altmani ſuppeditat, cujus jam ſupra memineram, ex quo ſequentia in rem meam adduco: *Hæc omnia prædictus Marchio, atque Pater ejus Otakerius, qui Romæ obiit &c.* Dein *itaque nos devotioni prædicti Marchionis obviantes, quandam capellam* Tuedich *nominatam, ex jure fundi ejus propriam, ac caſtro Styræ contiguam* - - - *Marchioni contulimus*, jam ſic arguo; ex dictis cap. 2. patet, Ottocarum ab Altmano Eccleſiam Dietach recipientem, fuiſſe Altmano coævum, eundemque cum Ottocaro III. illum vero, qui prædia in Hausruck Trunnavelde &c. a Pilgrino Ep. Patav. in beneficium acceperat, fuiſſe Ottocarum II. ſi jam unus idemque ſtatuatur Fundator Garſtenſis, qui an. 1082. Canonicos, & qui an. 1107. Monachos induxit, ac an. 1122. obiit, ſequeretur Patrem Ottocarum II., & filium Ottocarum III. ab an. 991. ad an. 1122., proin per 130. annos rexiſſe, quod incredibile videtur,

quare,

quare, ne hoc admittamus, oportebit dicere, Ottocarum II. prædia dicta in beneficium a Pilgrino recepiſſe, Ottocarum III., ab Altmano Eccleſiam Dietachenſem obtinuiſſe, ac Canonicos in Gårſten conſtituiſſe, Ottocarum vero IV. Monachos an. 1107. ſubſtituiſſe, ſicque ægre adhuc, attamen non ſupra rationem, 130. anni regiminis inter tres Monarchas diſpertiendi erunt. *Argum.* 2. deſumo ex Diplom. Garſtenſi num. 3. fol. 22. (v. in meo Diplomatario num. 4.) ubi Ottocarus IV. ita loquitur: *Parens meus Ottachar Marchio Styrenſis pia in Deum voluntate ductus in fundo ſuo* Gårſten *Clericos quosdam religioſos continuit, & benigne fovit, quibus primus Præpoſitus Eberhardus præfuit, qui vitam Canonicam ibi inſtituit; nos itaque in religione patrizare cupientes Epiſcopis Patavienſis Eccleſiæ voto noſtro concurrentibus ex Clericis Canonicis Monachos regulares ibidem commutavimus, cuncta, quæ a Patre meo donata fuerant, donantes & confirmantes &c.* Quid clarius hoc Diplomate? quo Ottocarus IV. ipſe fatetur a Patre ſuo Canonicos, a ſe vero Monachos in Gårſten locatos: Nec quemquam moveat ſubſcriptio in fine mendoſa: actum apud Laureacum anno D.ⁿⁱ Incarn. MCXLIII. Indict. V. littera enim L. & I. erronee adjecta eſt, vel, ut obſervat Frælich in cit. Diplom. fol. 28. non eſt L, ſed X ſeu &, legendum &, atque unum I omittendum, ut ſic indictioni quintæ reſpondeat, certe annus 1143. relinqui nequit, cui reſpondet ſolum indictio ſexta, & quo anno nec Ottocarus IV. vixit, nec Leopoldus Junior Marchio de Auſtria, eo in Diplomate ſubſcriptus, nec alius Leopoldus in Auſtria fuit. V. plura in annot. Diplom. 4. *Argum.* 3. exhibeo ex Diplom. 3. Garſtenſi apud Ludewig, apud Frælichium vero num. 10. Diploma a Ludewigio relatum ſolum refert titulum ad Papam Alexandrum ab Ottocaro Marchione, ſed apud P. Frælich habetur etiam, quod Ottocarus ad an. 1112. (proin Ottocarus IV. ipſe) fateatur ſe Benedictinos in Gårſten ſubſtituiſſe, *& cujus Pater Clericos in* Gårſten *inſtituit, ac Romæ defunctus dormit.* Præterea in Diplomat. Garſtenſi num. 3. apud P. Frælich idem Ottocarus nobis IV. confirmat Garſtenſibus donata a Patre ſuo Ottocaro Marchione Styrenſi, *datum eſt apud Laureac. in cæmeterio S. Laurentii an.* 1110. & 11. *Indict.* 5. Judico hoc idem eſſe cum adducto ſuperius Diplomate, quod, ſi tamen duo fuere diplomata, ſatis aperte duos Fundatores Garſtenſes exhibent, uti & tabulæ Garſtenſes, quibus dicitur: *Addidit Marchio ſylvam Tannebergenſem per manus Wilburgis Marchioniſſæ*, ex quibus conficitur, uxorem Ottocari Fundatoris I., ſeu Canonicorum in Gårſten fuiſſe Wilburgem, uxorem vero Ottocari IV. & Fundatoris II. in Gårſten Eliſabetham. Ita enim Haſelbachius apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 706. ait de ſororibus S. Leopoldi: *Quarum unam Eliſabeth accepit in thori conſortem Ottocarus ſenior Marchio Styriæ, & ſepeliuntur in Monaſterio* Gårſten *eorum fundatione.* En binos Fundatores Garſtenſes! Ottocarum III., cujus uxor Wilburgis, & Ottocarum IV. cujus uxor Eliſabetha.

Confirmo hæc omnia authoritate MS. noſtri Genealogici quod de Ottocaro IV. (nam Otrocarum III. Ozy nominat) ſequentia habet: *hac etiam cooperante* (Eliſabetha nimirum uxore) *prædictus Ottachir Marchio Garſtenſe cœnobium fundavit, & ex ea genuit Leopoldum fortem, obiit*

autem - - anno D. MCXXII. Proin duo Fundatores Garstenses constituendi, ne Ottocarus III. maritus Wilburgis ab an. 1039. ad 1122. rexisse Styriam gratis fingatur.

§. IX.

Solvuntur objecta.

Jam argumenta contrariæ sententiæ expendenda sunt & solvenda, quibus solutis major sententiæ nostræ probabilitas accedet.

1*mo* quidem non obest Haselbachius, apud Pez tom. 2. col. 717. docens Ottocarum I. hujus nominis, & filium Marquardi Junioris Marchionis Styriæ, IV. tamen Styriæ Marchionem, & maritum sororis S. Leopoldi fuisse Fundatorem Garstensem; errores enim hi ex aliis vetustioribus corrigendi, jam enim ex MS. nostro Genealog. aliisque ostendi, falsum esse Ottocarum hunc I., & filium Marquardi fuisse, errat etiam, fratrem Ottocari IV. Adalbertum vocans; interim tamen etiam Ottocarum IV. maritum Elisabethæ Austr. Fundatorem Garstensem appellat. Præterea observo; additiones has non ipsius Haselbachii, sed alterius fors manu adjectas esse.

2*do* minus moror authoritatem Chronici Mellic. apud Hier. Pez tom. 1. col. 228. sic loquentis: MCVII. - - - *ordo Monachorum cœpit in loco* Gärsten *ab Ottocaro Marchione Styriæ, qui ipsum cœnobium fundavit, Canonicos sæculares primo ibi instituens, qui & sororem Dominam Elisabeth Leopoldi IV. nomine Marchionis Austriæ uxorem habuit.* Hæc enim etiam aliena interpolatoris junioris manu adjecta sunt, & authoritatibus adductis non obsunt.

3*tio:* Nec quidquam contra sententiam hanc evincit Biographus Suppar S. Bertholdi Abbatis Garstensis, audiamus textus ad speciem contrarios ex P. Hier. Pez tom. 2. script. Austr. fol. 81. &c. sic enim orditur: *Fundator memorati cœnobii Ven. Marchio Styrensis Dominus Otacher exstitit, qui & ibi in Ecclesia S. Laurentii requiescit, avus illius Otacher, qui novissimus in Hungaria obiit itinere, quo ad visitandum, & honorandum S. Domini sepulchrum devotus arripuit.* Hæc verba dubium nullum de Ottocaro IV. ingerunt, fuit enim hic avus Ottocari V. Fundatoris Voravienſis, qui in itinere dicto in Hungaria obiit, ut ex dicendis manifestum erit. Majus tamen dubium facere videntur verba ejusdem Biographi, dum narrat, quod Clerici Garstenses balneantes, & quidam eorum flumine mersi, *sua levitate, seu infortunio mentem Fundatoris mutaverunt*, hæc enim verba primo intuitu unum eundemque Fundatorem Canonicorum, & Monachorum in Gärsten exprimere videntur, sed cum ex regulis criticis constet, authoris mentem nunquam ex uno loco desumendam esse, convinci non possum, Biographum hunc voluisse uni eidemque Ottocaro, utramque hanc fundationem assignare, rationem sumo ex textibus subsequis: nam 1*mo* inter laudes Ottocari Garstensis Fundatoris refert, quod Chunradum Archiep. Salisburgensem fugitivum ad se venientem magno honore susceperit, & manu tenuerit, Chunradus autem Salisburgensis Archiep. ab an. 1102. vel 1106. præfuit fere per 42. annos, quomodo vero Ottocarus III. maritus Wilburgæ, quem solum Fundatorem Garstensem volunt,

Chun-

Chunrado aſſiſtere potuiſſet jam an. 1088. defunctus? ut adeo de Ottocaro IV. hæc etiam Biographus citatus intellexerit, quem utique, jure ad ſe a Patre devoluto Canonicorum, & jure proprio Monachorum Fundatorem dicere poſſumus, ut hodie adhuc uſuvenire experimur. Aſt clarius pateſcet mens Biographi cit. Si 2*do* ejusdem textum aperte in ſententiam noſtram facientem adducam, ait vero ita: *Clericis ſubmerſis animus Fundatoris mutatus eſt; Quodam itaque die cum ad celebrandum anniverſarium diem Dominæ Eliſabethæ Marchioniſſæ, quæ in choro ſepulta eſt, multi de more Clerici convenissent - - - Ven. Marchio de loco eminenti; ita eos per alium eſt allocutus, noſſe vos volo &c. quod in hoc loco, quem in ſervitium Domini, & S. Genitricis ejus, pro ſalute mea, & dilectæ conjugis erigendum ſuſcepi, ſtatum religionis Divina gratia in melius transmutare diſpoſui, & per Monachos &c.* ulterius dein narrans de Monachis e Gotwic huc vocatis ait: *Et auxilio Domini ſui Auſtrienſis Marchionis Luipoldi, cujus ſororem, videlicet Dominam Eliſabetham habuerat fundationem ſuam Abbati regendam ſubjecit.*

Nemo non videt, Biographum de Ottocaro IV. marito Eliſabethæ loqui, & non de Ottocaro III. marito Wilburgis, quæ etiam, ut ſupra dictum, *ſylvam Tannebergenſem* fundationi primæ Garſtenſi addidit; dum itaque ſupra ait: *mentem Fundatoris mutatam*, in latiore ſenſu locutus eſt, ne verba ejusdem Biographi ſibi contraria aſſerantur. Sane in tali ſenſu latiore ipſe Ottocarus Clericis Garſtenſibus locutus eſt, dum ait: *In hoc loco, quem in ſervitium &c. erigendum ſuſcepi*, cum locus Garſten jam ab Ottocaro III. erectus fuerit, hoc niſi dicatur Ottocarus IV. §. 8. argum. 2. allatus ſibi ipſi contradiceret.

Eodem modo intelligendus eſt Bernardus Noricus apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 71. dicens Marchionatum Styriæ in Ducatum erectum per Fridericum Imp. in perſona *Otochari filii vel Nepotis Otacheri, qui* Gârſten *conſtruxit &c.* Nam Ottocari VI., & I. Styriæ Ducis Pater erat Ottocarua V. avus Leopoldus fortis, proavus Ottocarus IV. unde niſi nomen avi latiſſime interpretari liceat, erraſſe Bern. Noricum, fateri oportebit. Conſentit P. Hier. Pez tom. 2. ſcript. Auſtr. col. 141. in notis præviis docens ab Ottocaro II. id nominis (nobis III.) Marchione Styriæ cœptum, & ab Ottocaro III. (nobis IV.) per Benedictinos fuiſſe reformatum Monaſterium Garſtenſe: Pezius enim cit. Ottocarum nobis I. inter Marchiones Styriæ non recenſuit, ſed ſolum inter Comites: plura in Ottoc. IV. & cap. 4. dicentur §. 1. & 8.

§. X.

Quoddam hic dubium, adhuc ex Diplomatario Garſtenſi Ludewigi tom. 4. parte 2. lib. 4. n. 30. adducendum eſt, & reſolvendum, in eo habetur: *Notificamus omnibus, Domino & proximo fidem ſervantibus, qualiter Otaker Marchio, qui Romæ ſitus eſt, rogatu Wolfgangi hic quondam Parochiani, & Erchingeri Patris Abbatis tradidit hujus Eccleſiæ ſylvam contiguam trans Aneſim, quæ patritio patratæ, & per manum Marchioniſſæ Wilburgæ &c. hujus traditionis teſtes ſunt Dietericus, Erich nobiles viri, de familiaribus Dietericus, Hartvvicus, Ereghingerus, & alii, &c.* quot verba, *Dubium ſolvitur de Dipl. Ottoc. de an. 1123.*

tot oracula obscuritate plena! ad marginem apud Ludewig adjectus est annus 1123. at hoc anno nec Ottocarus III., nec IV. in vivis fuit, sed Leopoldus Styriæ Marchio, si etiam supponam, annum in margine vitiosum, nondum tamen veri aliquid ex hoc Diplomate inferam, quantum tamen contextus admittit, ad Ottocarum III. Wilburgis maritum Diploma id referri posset, quod satis aperte insinuat Ottocarus IV. in Diplom. Garstensi III. (v. meum Diplomatarium num. 4.) ubi Garstensem fundationem confirmat, & auget, in eo sic loquitur: *Cum sylva contigua, quæ* Tamberg *dicitur - - - sic enim & Pater meus piæ memoriæ Ottakar Marchio, qui Romæ defunctus dormit, Wolfgango, & Erchingero mediantibus, ipsi Ecclesiæ tradidit &c.* Potuisset quidem sylvam hanc Ecclesiæ Garstensi nondum monasteriali Ottocarus II. tradere, quia tamen Ottocarus IV. differte fatetur, eam traditionem a Patre suo factam fuisse, standum omnino pro Ottocaro III. sub eo nimirum Diploma hoc datum, & annum in margine esse vitiosum. Interim suspicor Ludewigium hoc Diploma vix ex Autographo descripsisse, cum id P. Frælich in Diplomat. Garstensi non referat, & Frælichius §. 3. fol. 8. bene observet, Ludewigiani Diplomatarii parum venustam esse faciem; dempto enim uno alterove Diplomate reliqua misere mutilata, vel deartuata sunt, in compluribus, vel non adnotatus, vel minime congruens annus descriptus, quod ipsum Ludewigius in præfatione sua tom. 4. pag. 17. advertit; desiderantur præterea genuina alia apud Ludewig Diplomata, quæ Frælichius patefecit. v. annot. ad Diplom. 4. & 10.

Ludewigiani diplomatarii fides.

§. XI.

Ottocari acta reliqua.

Hæc tandem sunt, quæ de Ottocaro III. innotuere, Diplomata ejusdem in fine operis subjungentur, uti num. 1. quo Ecclesiam & prædium in Behemberg commutat pro Ecclesia Garstina, an. 1082. anno 1083. mentio fit Ottocari III. March. in fundat. Ecclesiæ Kotwicensis, quas litteras originarias Kotwici se vidisse testatur P. Frælich, & e quibus Lazius lib. 12. de Rep. Rom. cap. 3. sequentia commemorat, nimirum ad loca Styriæ hodiernæ-superiori vicina, aut propria, nominari allodia, & terras nempe, *Marchionis Ottocari & Pilgrini. Item Marchionum Harderici, & Rudolfi ad Trasnam fluvium, ubi ad occidentem in Carinthia oritur.* Trasma enim, hodie Trasen fl., e montibus Styriæ super. & Austriæ limitaneis certo profluit, ex quibus proin patet, hoc Ottocari III. tempore, Styriam superiorem adhuc partem Carinthiæ fuisse.

Diploma commutationis Ottocari III., cum Altmano Patav. de anno 1088. num. 2. inter mea videbis, de eo jam plura hic dicta sunt, alia, quæ de eo referrem non occurrerunt. Mors jam ejus explananda: censeo eum circa an. 1088. inter mortales agere desiisse, ultimum enim ejus Diploma cit. num. 2. cum Altmano Patav. 19. Julii an. 1088. occurrit, colligo proin eum, non diu post hoc tempus superfuisse, quamvis certam mortis epocham figere non valeam, cum alias ejus & Ottocari II. Patris regimen nimium excrescat, quod alioquin ægre ad

Mors Ottocari III. an. 1088.

97. annos extendi debet, nimirum ab an. 991. ad 1088. Quo tamen in calculo utcunque adjuvor ſequenti conjectura: Ottocarus IV. tum a MS. noſtro geneal., tum ab aliis authoribus dicitur, obiiſſe *ſenex & plenus dierum*, rexit autem ſolum ab an. 1088. ad 1122., proin ad ſummum 34. annos; ſupponamus, uti apud nobiles fieri ſolet, Ottocarum IV. annos 20. natum regimini fuiſſe adhibitum, proin mortuus fuiſſet an. æt. 54. ſicque non ſenex & plenus dierum; quapropter, ut hæc verba ſalventur, prudenter omnino ſupponitur Ottocarum IV. jam diu ante cum Patre ſeniculo regni habenas tractaſſe, eumque in laboribus adjuviſſe, ita ut Patri duntaxat honor & nomen, filio autem onus omne diu ante annum 1088. incumberet, qua in re tamen felicius diſſerentes, & rem enodantes cum gaudio ſuſtinebo, & audiam. *Difficultas de 97. annis regiminis Ottoc. II. & III.*

Romæ obiiſſe Ottocarum III., uti II., Diploma Altmani de anno 1088. a me num. 2. proferendum, & Ottocarus IV. Diplom. an. 1112. num. 4. aliique authores docent, hinc illi, qui pro uno eodemque Ottocaro Fundat. Garſtenſi certant, Ottocarum IV. Romæ obiiſſe, & in Gårſten abductum volunt, de quo capite mox adducendo plura dicentur. *Romæ obiit.*

CAPUT IV.

De Ottocaro IV. & Fundat. Garſtenſi II. *Ottocarus IV.*

§. I.

Plurima de hoc Ottocaro ſuggerit MS. noſtrum Genealogicum, cujus contextum totum in præfatione hujus diſſertationis dedi, ita enim inquit: *Hic Ozy* (ſeu Ottocarus III.) *genuit Ottachyr Marchionem*, nobis nimirum IV.: fuit itaque Ottocarus IV. filius Ottoc. III., ſeu Ozy, quod ipſum Biographus B. Bertholdi Abbat. Garſtenſis apud Pez cit. fol. 14. docet, dicens, Ottocarum Garſtenſem Fundatorem fuiſſe avum Ottocari illius, nobis V. & Fundatoris Voravienſis, qui in Hungaria obiit; clariſſime omnium id profitetur ipſe, de quo ago, Ottocarus IV. in tabulis Garſtenſibus inquiens, *parentem ſuum Clericos in* Gårſten *conſtituiſſe, ſe vero Monachos.* V. cap. 3. §. 8. *Filius Ozy, ſeu Ottoc. III.*

At, qui unum eundemque Fundatorem Garſtenſem volunt, Ottocaro III., fundationem Clericorum, & Monachorum attribuunt, remque hanc ita diremptam putant, ſi Ottocaro II. ætatem ultra annum 1038. decennio uno & altero differant, ſicque Ottocaro III. ab an. circiter 1058. regenti Styriam, utramque Garſtenſem fundationem affigant: neque enim ajunt illi, Altmanus Epiſcopus in charta ſua annum obitus ejus expreſſit, ſed locum duntaxat, in quo obierit, nimirum Romam; quo peregrinationis cauſa ad viſitanda SS. Apoſtolorum limina, cum adeundæ Jeroſolymæ ægra, aut nulla tunc copia fuerit, pro ævi ejus devotione abire potuit, ut Prevenhueberus tradit. Certe eundem ſub anno 1038. in expeditione Cæſaris Italica obiiſſe mere conjecit Puſchius, nullo teſte aſſeruit. Ita author faſtor. Campiliens. *Fund. Garſtenſ. II.*

Quamvis vero Altmanus annum obitus non expreſſerit, quamvis Puſchius id conjecerit, eo potiſſimum, quod poſt annum 1038. nil

de eo occurrat, ſunt tamen alia, quæ rem eam ſtabiliunt, nam MS. noſtrum Geneal. clare docet Ottocarum III. ſeu Oſy, ſub Henrico III. ab an. 1039. ſummas Imperii tenente, floruiſſe, & argumenta noſtra cap. 3. §. 8. & 9. adducta ſat clare ex ipſius Ottocari IV. ore, duos Garſtenſes Fundatores inſinuant: Sane parum juvat, annos regiminis Ottocari II. ad annum etiam 1059. extendere. Recrudeſcit enim difficultas eadem, quæ nobis objecta cap. 3. §. 11. ſoluta eſt, dum ſic Ottocarus II. per 68. annos rexiſſe Styriam fingitur ab an. nimirum 991. quo a Pilgrino Ep. Patav. beneficium accepit ad an. 1059. & Ottocarus III, ab an. 1059. ad 1121. proin per 62. an. ambo ſimul per 130. annos.

§. II.

Otoc. IV. an I. Marchio Styr.

Alteram huic Ottocaro, ejusque ſucceſſoribus movet litem author Germ. ſacræ part. 2. fol. 273. docens, anteceſſores omnes hujus Ottocari, mariti Eliſabethæ revera non fuiſſe, niſi Comites, ſcriptos tamen Marchiones, non propter dignitatem, ſed propter officium quia Comitatum ſuum tanquam limitem, ſeu marcham verſus Hungaros & Bohemos ſervare tenebantur. Hunc vero Ottocarum IV. publica & imperiali authoritate, cum nova Provincia ex Carantanis direpta augeretur, ad gradum Principum, verorumque Marchionum ſublimatum fuiſſe. Inde factum, ut nepos ejus Ottocarus VI. filius Fundatoris Voravienſium, in litteris Monaſter. Cremifan. datis an. 1179. diſerte ſcripſerit: *Ego Odoakarus Marchio Styrenſis III.*, item in decreto pro cœnobio Traunkirchenſi, de an. 1191. *authoritate privilegii, quod illi contulit unus proavorum meorum Ottachar Comes.* Eandem in rem ſubjungit author faſtor. Campililienſ. parva religione ſuiſſe ævi illius ſcribas, in permutandis honorum titulis, eo, quod inſcriptio lapidi inciſa ante fores Eccleſiæ Garſtinæ ita habeat: *anno a part. virgineo MLXXXII. illuſtris Dux, & Marchio Styriæ Ottocarus &c.*

Aſt nondum in hanc ſententiam allicior; nam non Ottocarus IV. ſed Leopoldus fortis primo partem illam Styriæ modernæ, e Carinthia decerptam obtinuit, præterea nepos Ottocari hujus IV. ex filio Leopoldo non fuit Ottocarus VI. ſeu ille, qui Cremifanenſe & Traunkirchenſe Diploma edidit, ſed nepos ex filio Leopoldo fuit ſolum Ottocarus V. Fundator Voravienſis, ut aliunde patet; quapropter male Ottocarus hic IV. Marchio I. Styriæ nuncupatur, nam anteceſſores ejus, ſaltem Ottocarum II. & III. jam Marchiones fuiſſe, abunde in præcedentibus capitibus oſtendi: Hallucinatur etiam author Faſtor. Campilienſ. inſcriptio enim illa Garſtenſis Eccleſiæ, additum non habet: *illuſtris Dux*, ſed ſolum *Marchio* ut referunt Prevenhueberus, & Puſchius. V. cap. 3. §. 6. Melius itaque cum Cl. Frælichio Archontol. part. 2. fol. 174. &c. ſentiendum puto, Leopoldum Ottocari IV. filium, potiorem marchæ hujus partem, per obtentam magnam Carinthiæ portionem obtinuiſſe, indeque factum, ut Ottocarus VI. ſe Marchionem III. Styriæ, nimirum ampliatæ in cit. Diplomate ſcripſerit, de quibus plura cap. 5. 6. & 7. in Leopoldo, & Ottoc. V. & VI. §. 2. Item an. 1042.

§. III.

§. III.

Ad alia Ottocari noſtri enarranda, ut me expediam adduco MS. noſtrum Genealog. quod de eo ita loquitur: *Hic Oſy* (Ottoc. III.) *genuit Ottachir Marchionem, qui temporibus Imperatorum Henrici IV. & V. inclytus fuit.* Præfuit imperio Henricus IV. ab an. 1056. ad 1106. & Henricus V. ab an. 1106. ad an. 1125. quæ proin verba Ottocaro IV. optime conveniunt, qui nempe ab an. 1088. ad 1122. in Styria dominabatur. Majorem difficultatem faciunt ſequentia MS. Geneal. verba: *Et Salisburgenſibus Archi-Epiſcopis Gebhardo, Tymoni, nec non & Conrado jam ſenex* (author Germ. ſacr. ponit *viriliter*) *aſſiſtens eos in perſecutionibus fovebat.* Gebhardus Salzb. Archiep. obiit an. 1088. ut habet Biographus vitæ S. Gebhardi apud Caniſium tom. 3. f. 439. Chron. Admont. apud Hier. Pez ſcript. Auſtr. tom. 2. col. 181. &c. Quomodo vero Ottocarus IV. an. 1086. vivente adhuc Patre Gebhardo adſtitit? nimirum ut cap. 3. §. 11. inſinuavi, gerebat Ottocarus IV. ſeniculi Patris loco, omnia Marchionis munia, honore tamen ac titulo Patri relicto, & quidem, ut opinor, non anno ſolum 1088., ſed & præcedentibus, dum Gebhardum exulem an. 1086. ad recuperandam Cathedram ſuam adjuvit. Evaneſcit jam altera de Tymone & Conrado difficultas, utpote qui poſt an. 1088. ad 1144. ſedem & Cathedram Salisburgenſem obtinuerunt, proin coævi Ottocaro IV. fuerunt. Tyemo enim an. 1101. Martyrii laurea coronatus eſt, poſt hunc, ob intruſum invaſorem Bertholdum, primo ad an. 1106. ſucceſſit Conradus, cui, cum ob defenſum caput Eccleſiæ, incurreret odium Imperatoris, Ottocarus inde ampliſſimum eidem aſſiſtendi campum obtinuit, ut in opere ipſo declarabitur. Interim videri poſſunt author Germ. ſacræ tom. 2. fol. 110. Caniſius tom. 3. ubi vitas horum Archipræſulum refert, Biographus vitæ S. Bertholdi apud P. Hier. Pez tom. 2. de Conrado plura etiam in morte hujus Ottocari dicentur. Inſignem Ottocari noſtri laudem allegat Biographus S. Bertholdi apud Pez cit. his verbis: *Erat egregius ille Fundator, vir valde memorabilis, & licet Princeps ſæcularis, tamen aliis potentibus multum diſſimilis, cultor pacis amator juſtitiæ, & contra immanitatem perſecutionum turris Eccleſiæ inexpugnabilis.*

Ottoc. IV. floret ſub Henric. IV. & V.

§. IV.

Pergit MS. noſtrum Genealogicum de Ottocaro IV. referre: *Qui etiam cum germano ſuo Adalberone guerram habuit, donec idem Adalbero a miniſterialibus ſuis occiſus eſt Liuben.* De hoc itaque Adalberone IV. inquirenda ſuſcipio. 1. An germanus Ottocari IV. fuerit. 2. Quale ejus cum Ottocaro bellum. 3. quæ ejusdem mors, 4. denique quæ illius Genealogia.

Adalbero II. an frater Ottoc. IV. & ejus geſta.

Ad Alberonem hunc II. ad diſtinctionem Adalberonis I. fratris Ottocari II. (de quo cap. 2. §. 3. actum) fratrem Ottocari IV. fuiſſe inſinuat MS. noſtrum citatum, Comitem vero Sylveſtrem in Enns, & Goyſerwald. Chronc. Salisb. apud P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 343. ad an. 1122. his verbis: *Otachyr Marchio obiit, qui fratrem habuit Alberonem, cujus Comitatus erat ab* Ennswald & Geizerawald. Haſelba-

Fuit frater Ottocari IV.

ſelbachius apud Pezium cit. tom. 2. col. 714., ait Ottocari I. (nobis II. cum primum omittat) germanum fuiſſe; unde hoc loco vel inſinuat Adalberonem I. ſeu potius hunc ipſum Adalberonem II.; cum germanum Ottocari illius, qui maritus erat Eliſabethæ Auſtriacæ, dicat, atque a ſuis miniſterialibus prope Liuben occiſum. Hunc ergo Adalberonem II. germanum Ottocari IV. ſtatuit, licet Ottocarum hunc male primum ejus nominis ſtatuat. V. cap. 1. §. 3. & cap. 3. §. 7. Conſentiunt Biographus S. Eberhardi apud Caniſium tom. 3. fol. 435. Chron. Honorii, Biographus S. Gebhardi &c. Adduco textum ejus ex Chronol. S. Ducatus Styriæ parte 1. fol. 251. *Otocherus quoque Marchio, proavus Marchionis Ottocari de Styre, intuitu dilectionis ipſius Deo digni Archi-Epiſcopi, & pro ſalute animæ ſuæ dedit villam Eichdorf, eidem Admunt. Monaſterio. Adalbero etiam germanus ejus Marchionis, qui Diutinam cum fratre Guerram habuit, pro abſolutione Banni, & multimodis injuriis cœnobio in perſecutione Henrici IV. Imp. illatis tradidit &c.* Hæc in Ottocarum IV. proavum Ottocari VI. ultimi Marchionis & primi Ducis Styriæ pertinere, eumque Adalberonis germanum fuiſſe, nemo non videt, hinc neſcio, cur P. Puſch part. 1. Chronol. ſacræ Styr. p. 1. fol. 36. dubius ſcripſerit *frater ejus, aut. certe Patruus Adalbero*, cum tamen f. 288. eundem denuo fratrem, non anceps appellet.

Ejus cum Ottocaro bellum.

Sed quodnam Adalberonis II. cum Ottocaro IV. germano bellum? in re hac obſcura vix ita diſcurrendum cenſeo, ut Adalberoni, qui a partibus Henrici IV., & Bertholdi invaſoris Salisburgenſis ſteterat, comitatus in Ennswald, & Goyſerwald ab Henrico IV. Cæſare fuerit donatus, ut opinatur Puſchius fol. 250. cum teſte codice tradit. MS. Salisburg. Vivente adhuc Henrico III. Imp. & nondum nato Henrico IV. eum comitatum an. 1048. habuerit, ex quibus proin nemo cum Puſchio conjiciet, comitatum hunc eidem a Cæſare Henrico IV. donatum, dum ei contra verum Chriſti Vicarium, & Archimyſtas Salisburgenſes hujus egregios defenſores adſtitit. An itaque bellum hoc, fratres inter ob jura hæreditaria exarſerit? ut putat Lazius, an quia Ottocarus IV. pro Papa & Salisburgenſibus contra Cæſarem ſenſerit? incertum; illud tamen credibile opinor, bellum hoc circa an. 1086. finitum, quo, Principibus Bavarorum Duci ſuo Welfoni conciliatis, potentia Cæſaris decrevit. Inde autem Adalbero egit pœnitentiam, Admontenſibus illata damna repoſuit, & ſic ab excommunicatione ſolutus eſt, ſic enim ait Biographus Admontenſ. cit. apud Caniſium tom. 3. fol. 434. & Berthold. Conſtantienſis *pro abſolutione Banni, & multimodis injuriis cœnobio* (Admunt.) *in perſecutione Henrici IV. Imp. illatis tradidit per manus itidem Archipræſulis ſuper Altare S. Blaſii villas 2. ab Arnich cum omnibus ſuis pertinentiis & prædium Hüzenbühele.* Addit Prevenhueberus ex Georg. Ulrico in comment. Fundat. Abbat. S. Lamberti in Styria ab Ottocaro IV. & Adalberone fratre, non ſolum prædia in Aichdorf, Arnůng, & valle Hůzenbichele Monaſterio Admontenſi collata - ſed etiam reliquias de brachio S. Paterniani, cerebro S. Chryſanthi, aliisque S. Doriæ Virg. ac S. Vincentii Lipſanis, idem Monaſterium decoratum fuiſſe.

Anno 1086. finitum.

Ab excommunic. ſolvitur.

Benefacit Admontenſibus.

§. V.

§. V.

Adalbero hic, ut nomine, ita moribus, Comes Sylveſtris, poſt actam etiam pœnitentiam denuo cum fratre ſuo Ottocaro armis colliſus eſt, ita inſinuare videtur MS. noſtrum Genealogicum §. priori allatum dicens, *donec idem Adalbero occiſus eſt a miniſterialibus ſuis juxta Leuben*, cum enim dicat, *donec:* inferre videtur, tamdiu bellum geſſiſſe, donec occideretur. Ex hoc ſimul textu cauſam mortis in Adalberone inquirere debemus: *occiſus eſt*, inquit MS. noſtrum, *a miniſterialibus ſuis prope* ſeu juxta *Leuben*. Hos Lazius aulæ fraternæ aſſeclas, ab Ottocaro in cædem animatos arguere videtur, quod tamen nunquam crediderim utpote cum nec pietati Ottocari IV. nec antiquis monumentis conveniat, noſtrum enim MS. eum a cæde fratris ſatis abſolvit, dicens, Adalberonem a miniſterialibus ſuis occiſum, hos autem in cædem ab Ottocaro animatos fuiſſe, probandum eſt, cum delicta non præſumi, ſed probari debeant. *Adalberon. mors.*

Quo vero anno cæſus fuerit Adalbero, non conſtat, vix tamen ultra annum 1088. ejus cædem protrahendam opinor, cum ejus memoria deinceps taceatur. *Quo anno.*

Genealogia Adalberonis rebus ejus geſtis longe obſcurior eſt, quæpiam jam cap. 3. §. 3. dixi. Wurmbrandius in collectaneis Genealogico-hiſtor. docet, ab Adalberone Marchione genitum Duringum filium Comitem de Styra, a quo dein prodiere Helmhardus, & Gundaccarus filii: author Genealog. Stahremberg. alterius eſt opinionis, ſentit quidem ab Adalberone genitum Duringum, ut circa an. 1120. & 1140. floruiſſe ſcribit, Prevenhueberus Adalberoni quatuor filios tribuit Ottocarum, Oetloffum, Duringum, & Leutoldum, Ottocarum Comitem, reliquos tres vero Comites de Graz & Styra circa an. 1100. & 1140. conſtituit. Leutoldum Conradi III. Vicarium ſuper feuda Auſtriaca fuiſſe, ſcribit Lazius lib. 6. de migr. gent. f. 178. atque an. 1142. Dno. Haug, ſeu Hugoni de Cranichberg, Regulo Auſtriæ Imperatoris nomine contuliſſe Dominium S. Petronellæ. *Genealog. ejusd.*

Diſcrepant, ut vides amice Lector, inter ſe admodum hæ ſententiæ, nec in documentorum defectu facilis apparet ratio, eas inter ſe conciliandi, quod ſi tamen ultra an. 1088. vixiſſe non credamus, Adalberonem, ſequens fors conjectura Genealogiæ Adalberonis, & Dominorum de Styra Loſenſtein, Stahremberg, Pernegg, & Grätz ſtatui poſſet cum Bucelino. V. plura in Criſi Diplom. 6ti in fine.

Ottocarus III. aliis *Oezo* March. Styr.

- Ottocarus IV.
- Adalbero Com. Sylveſtris in Ens & Goyzerwald.
  - Duringus I. Com. de Styra & Graz.
    - Gundaccarus I. de Styra.
    - Helmhardus de Graz. v. Dipl. 7. in fine.
      - Gundaccarus II. Dom. de Styra & Wildberg.
        - Dietmarus D. Styræ, Sator Loſenſteinior.
        - Gundaccar. III. nom. & 1. D. de Stahremberg.
- Bernardus Comes de Styra.
  - Otto Sator Hohenberg.
  - Gundaccar Sator Pernegg.

Hæc interim, donec majora, & clariora ſuppetant documenta, conſentit Frælichius, Bernardum Satorem DD. de Pernegg, Adalberonem vero Satorem DD. de Styra, Stahremberg, Loſenſtein, & Græz docens. V. plura in annotat. ad Diploma 6.

Adalberoni ſcribit Greg. VII.

Ut quæpiam adhuc de Ottocari noſtri fratre Adalberone ſubjungam, eidem Gregorium VII. ſummum Pontific. ſcripſiſſe ajunt, teſte Aventino, ut nimirum matrimonia Sacerdotum abominaretur, nullamque cum iis, qui ea contraxerint, conſuetudinem haberet. Litteras has circa an. 1073. ſcriptas, vix opinor, datas fuiſſe ad Adalberonem, licet Schiſmaticis faventem, ut v. plura an. 1073. ſub eodem Adalberone donatio illa Henr. III. Imperatoris Balduino Archiep. Salisb. facta fuerit, qua Imperator Balduino donat *agros, in ſylva ad Anaſum in Comitatu Adalberonis Marchionis ſitos*, quam refert author German. ſacræ tom. 2. fol. 172.

§. VI.

Eliſab. Auſtr. uxor Ottog. IV.

Ordini MS. noſtri Genealogici inſiſtens ad Eliſabetham Ottocari IV. Conjugem devolvor; quam, uti ex MS. noſtro colligo, finito cum Adalberone fratre bello, hocque cæſo duxiſſe videtur; ita enim habet MS. noſtrum Geneal. poſt cædem Adalberonis relatam: *Igitur Ottachir Marchio Eliſabeth ſororem Marchionis Auſtriæ Liupoldi accepit, ejus videlicet, qui poſtea ſororem Henrici V.* (Hanſizius *IV.*) *Imperatoris accepit.* Conſonant tabulæ clauſtro Neob. apud P. Hieron. Pez ſcript. Auſtr. tom. 1. col. 1032. quæ quidem nomen Eliſabethæ non exprimunt, ajunt tamen N. ſororem Liupoldi, datam eſſe uxorem Ottocaro ſeniori Marchioni Styriæ, ex qua dein Leopoldum fortem Marchionem Styriæ genuit.

Eliſabetha hæc, filia Leopoldi pulchri Auſtr. Marchionis fuit, & ſoror S. Leopoldi, ſeu ejus, *qui poſtea ſororem Henrici V. Imp. habuit:* & licet Hanſizius ex eod. MS. Vorav. doceat, Henrici IV. Imp. ſororem, uxorem fuiſſe S. Leopoldo, error tamen in hoc MS. ab Hanzio viſum irrepſerit, noſtra enim bina huic contradicunt, & Chronica omnia Auſtriæ teſtantur, Leopoldum illum, cujus ſororem Eliſabetham, Ottocarus IV. ſibi ſociavit, fuiſſe pium & ſanctum, ac habuiſſe Agnem vel Agnetem Henrici IV. filiam, & V. ſororem. Ita Chron. Admont. auth. anonym. narrat Genealog. poſter. S. Leopoldi, tabul. clauſtro Neoburg. &c. apud Hier. Pez, qui uno ore, Agnetem Henrici IV. filiam, & V. ſororem dicunt, antea Friderico Duci Sueviæ de Hochenſtaufen deſponſatam.

Dos Eliſabethæ

Dotem Eliſabethæ, quam Ottocaro attulit ex Enenkelio, fidei ſæpe ſublaſtæ authore, adducit Puſch Chronol. S. Ducat. Styriæ p. 1. fol. 296. nimirum oppida *Wilhelmſpurg uſque ad Pieſtnich, Herzogburgum, Cheldorffium Rapatonis, & Gumboldi fana, ſeu* Rappoltskürchen & Gumpoltskürchen: ſed hanc hallucinantis non raro Enenkelii narrationem ſuo loco relinquo, id tamen miror, quomodo author faſtor. Campililienſ. dubitaverit de hac dote, eo capite, quod Leopoldus pulcher Marchio, non Dominus, ſed Præfectus tantum in Auſtria prædia tot,

&

& tanta alienare, ac in alium Rectorem transferre non potuerit, ut enim jam Diſſert. 1. §. 31. obſervavi, Principes ſeu Marchiones, quamvis Imperatori tanquam ſupremo Domino ſubjecti eſſent, Domini tamen erant bonorum ſuorum, libere donabant, permutabant ſua prædia, ſupradicta vero prædia, hæreditaria, & propria erant Leopoldi Auſtriaci, nec jus illud, quod tanquam Marchio, eadem defendendi habuit, a ſe alienavit, ac in Ottocarum noſtrum transtulit, ut hodie adhuc in Principibus videmus, qui diverſa in aliorum Regum, Principum territoriis, loca ſita, jure proprietatis poſſident, quorum tamen ſupremus titulus, ac jus penes Dominum terræ illibate permanet.

§. VII.

Eliſab. quando Ottocar. uxorem duxerit.

Quo vero anno Ottocarus IV. Eliſabetham uxorem ſibi adſciverit? incertum; ſi fas ſit conjicere, probabilius poſt annum 1088. MS. enim Genealog. noſtrum ait, quod Ottocarus Leopoldi ſororem acceperit, qui *poſtea* ſororem Henr. V. Imp. accepit.

Videtur igitur Ottocarus, Eliſabetham antea, quam Leopoldus Agnetem, duxiſſe, iniit vero Leopoldus matrimonium cum Agnete an. 1106. ut omnia Auſtriæ Chronica conveniunt, proin ante hunc annum Ottocarus Eliſabetham uxorem duxit; præterea cum an. 1107. vel ſequenti Monachos in Garſten induxerit Ottocarus, & Clerici tum anniverſarium Eliſabethæ celebrare voluerint, certe ante eum annum defuncta eſt; cum vero Ottocarus IV. plures ex Eliſabetha proles ſuſceperit, nimirum Leopoldum fortem, & Chunegundem filiam, de certo anno evinci nil poteſt, niſi quod poſt annum 1088. & ante an. 1104. Eliſabetha conjux Ottocaro obvenerit.

Eliſab. quando defuncta.

Quando vero defuncta ſit Eliſabetha, iterum ignotum, circa annum tamen 1104. defunctam colligo ex Biographo vitæ S. Bertholdi apud Hier. Pez tom. 2. col. 89. in quo ſic lego: *Nam ſingulis annis ob eamdem cauſam* (anniverſarii nempe pro Eliſabetha def. celebrandi) *rogatu Principis ſtudioſe adeſſe conſueverant.* Quæ verba: *ſingulis annis*, vix uni tantum, & alteri anno ſed ad minus tribus applicari poſſunt. Diem obitus aſſignat Necrologium Mellicenſe *ad 7. Id. Octobr.* his verbis: *Eliſabeth Marchioniſſa de Styre ſoror Liupoldi III.* (regimine, nomine IV.) *Marchionis obiit.* At vero ad 6. Id. Octobr. hanc mortem recenſet Necrolog. Campililienſe ſcribens: 6. *Id. Octobr. Elizabeth Marchioniſſa de Styre ſoror Fundatoris S. Crucis.* Conſonat Necrol. Admont. & lamina plumbea, in referato Fundatorum Mauſoleo reperta, ubi legitur: 6. *Id. Octobr. Eliſabeth Fundatrix hujus loci obiit, & hæc ſunt ejus oſſa.*

Sophia Ottocari IV. Soror.

Antequam proles Ottocari IV. & Eliſabethæ commemorem, de Sophia quadam, quam Ottocari ſororem, uti & de quadam ſorore Eliſabeta agendum cenſeo. Sophia ſoror Ottocari IV., nemini hactenus innotuit præterquam authori Faſtorum Campililienſ. qui eam ex vetuſto quodam documento bibliothecæ ſuæ eruit, quod ad an. 1106. ita habet: *Poſtea anno ſequenti* (nimirum 1106.) *Kal. Maji cum Agnete Vidua Friderici de Hochenſtauffe fecit nuptias magnificas in Melikh* (Leopoldus nempe S. de quo prius ſermo erat) *in præſentia Udalrici Epiſc. Pa-*

tav. Otochari Marchionis Styriæ, & Sophiæ sororis ejus & nobilium plurimorum de terra nostra &c. Sophiam usque ad hoc tempus mariti expertem auguror, cætera, quæ dicam de illâ, desunt.

N. soror Elisabethæ an Domino de Steinbeis nupta.

Minus credibile illud, quod refert Lazius lib. 8. fol. 421. Leopoldo sancto septem sorores, proin Leopoldo pulchro septem filias fuisse, sex omnes fere memorant, Sundhemius tamen, & Lazius septimam addidere, Sundhemius eam potenti cuidam Domino maritatam, nec mariti, nec uxoris nomine expresso ait, in dotem Ibsio, & Posenbegio assignatis, filiæ huic anonymæ maritum substituit Lazius *nobilem de Staynpys*, cui credat, qui volet; Steinpeisiorum Baronum, nunc Comitum Styriæ, familiam ante sæc. 14. viguisse, nullus hactenus ostendit, Burggravios olim Nicolspurgi, & post an. 1668. supremos ac hæreditarios Falcorum Magistros in Styria fuisse, suo tempore dicemus.

Proles Ottoc. 4.

Proles Ottocari IV. ex Elisabetha duas certas reperio, Leopoldum nempe fortem, Marchionem Styriæ, quem solum indicat MS. nostrum Genealogicum his verbis: *Et genuit ex ea Leopoldum fortem*, de quo caput sequens tractabit. Præter hunc autem Chunegundem Bernardi Comitis de Carinthia an. 1148. in Palæstina def. uxorem recensent plures, ac insinuat etiam MS. nostr. Genealog. in Ottoc. V. de prædiis, quæ Ottocaro V. obtigere, ita enim ait; *Bernardi Comitis de Carinthia, qui amitam ipsius Chunegundem habuit in uxorem*; si proin uxor Bernardi Chunegundis amita fuit Ottocari V., fuit consequenter Leopoldi fortis, Patris Ottocari V., soror proin Ottocari IV. avi filia. De Bernardo Comite Styræ, & Ottocari potius III. filio, ac IV. fratre dixi §. 5. & cap. 3. §. 3.

Leopold. fort. & Chunegund. uxor Bern. Com. de Carinthia.

§. VIII.

Ottoc. IV. Fundat. 2. Garstens.

Jam cap. præced. & hujus etiam initio dixi, Ottocarum IV. fuisse Fundatorem Garstensem II. seu Monachorum, id quod pluribus nunc explanandum, quamquam id ex dictis cap. 3. §. 7. & 9. abunde intelligatur. De hoc jam Ottocaro ita loquitur MS. nostrum Genealogicum: *hac etiam cooperante* (Elisabetha nimirum conjuge) *prædictus Ottachyr Marchio Garstense cœnobium fundavit.* Alterius sententiæ authores, qui unum eundemque Ottocarum Fund. Garstens. volunt, hunc ipsum textum sententiæ nostræ objiciunt, dicentes: si Ottocarus IV. fuit Fundator solum II. seu Monachorum in Gärsten, quomodo cooperante conjuge sua Elisabetha, jam ante an. 1104. defuncta dici potest Fundator II. seu Monachorum in Gärsten, anno primum 1107. vel sequenti inductorum? quomodo defuncta an. 1103. vel seq. Elisabetha, fundationi anni 1107. secundæ seu Monachorum cooperari potuit? censent itaque Ottocarum hunc nobis IV. quem ipsi III. volunt, fuisse Fundatorem & Canonicorum & Monachorum in Gärsten.

Textum tamen hunc non obstare censeo; nam, licet Elisabetha defuncta fuerit, Clericis adhuc Gärsten incolentibus, & Ottocarus in ejusdem anniversario mentem suam de reponendis eo Monachis exposuerit, eadem tamen cooperata dici potest, vel viva suadendo, ut Monachos Clericis substituat, atque in hunc finem media destinando,

vel

vel mortua, bonis & prædiis teſtamento in eum finem relictis: tabula certe Garſtenſis §. priore relata id clare inſinuat Eliſabetham Fundatricem appellans.

Ulterius rei hujus argumentum deſumo ex cap. 3. §. 9. ubi dixi, Ottocarum IV. non vitæ ſolum monaſticæ in Gärſten, jure proprio, ſed vitæ etiam Clericalis, jure nempe paterno, in quod ſucceſſit, Fundatorem dici poſſe, *jure*, inquiebam, *paterno*, quatenus in paternam fundationem tanquam hæres neceſſarius conſenſit, vel eam ampliavit, ita quoque Eliſabetha cooperatrix monachiſmi in Gärſten vocari jure poterit, quia nimirum in eam inclinavit, conſenſit, & forte bonis auxit.

Unde non ſubſiſtit ſententia Ottocaro IV. utramque fundationem affigens, ut jam §. 1. & cap. 3. §. 7. 8. 9. inſinuavi, Ottocarus enim III. non IV., ſeu maritus Eliſabethæ an. 1088. commutationem fecit, cum Altmanus de ejusdem Patre dicat, *atque Pater ejus Otakarius, qui Romæ obiit, jam dudum ante ætatem noſtram a Pilgrino Epiſcopo Patav. in beneficium ſuſceperat;* hic enim *Pater Otakarius* eſſe non poteſt Ottocarus nobis III., authoribus dictis II., nam licet Romæ obierit, a Pilgrino beneficia ea recipere non potuit, jam an. 991. defuncto, & ſi etiam fingamus, Ottocarum nobis III. ea recepiſſe, ſane ab an. 991. ad an. 1059. quo uſque præfuiſſe Styriæ volunt, regimen extendere oportebit. V. §. 1.

Sed omiſſis his argumentis, ea mihi convincentia videntur, quæ cap. 3. §. 7. 8. 9. ſtatui, nimirum Ottocarum etiam, maritum Wilburgis, immo hanc ipſam Wilburgem, addendo ſylvam Tannabergenſem fuiſſe Fundatricem, Ottocarum IV. ipſum teſtari, a Parente ſuo Clericos, a ſe vero Monachos in Gärſten conſtitutos &c. quibus teſtimoniis ſubjungo, Ottocarum V. Fundatorem in Diplom. Garſtenſ. num. 10. ſic loquentem: *Avus meus Ottocarus Marchio plantationem in* Gärſten *omnibus modis ampliavit - - - Pater meus Leopoldus fideliter conſervavit &c.* Unde Ottocaro IV. fundatio ſecunda in Gärſten negari non poterit quidem, ſed nec ſoli tribui, cum eam ampliaſſe dicatur.

Monachi quando in Gärſten locati I. Abbas S. Bertholdus.

Quo vero anno Clericis ſucceſſerint Monachi in Gärſten? Cenſeo an. circiter 1107. vel ſequenti, ut jam cap. 3. §. 7. oſtendi; Abbas porro I. S. Bertholdus an. 1111. datus eſt teſte Biographo vitæ cit. apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 83. 90. erat hic S. Bertholdus Monachus S. Blaſii in ſylva Hercynia, ibique Armarius (hoc eſt teſte Cangio, vel Cuſtos Bibliothecæ, vel Cantor ſeu Præcentor) & ſimul Prior clauſtralis, ſeu quod hodie Sub-Prior; inde in Kotwic Prior in locum Wirntonis, rogatu Ottocari in Gärſten directi, cum vero B. Wirnto poſt paucos menses, Abbas Formpacenſis aſſumeretur, ei denuo ſucceſſit S. Bertholdus an. 1111. ut teſtantur Chron. Mellic. & Admont. & quidem non electus ab ipſis Monachis, ſed ab Ottocaro IV. Marchione conſtitutus; ut plur. videre licet apud dictum Biographum.

§. IX.

Ottoc. IV. obtinet vallem Runenſem a Comit. Walden.

Antequam de morte Ottocari hujus loquar, quæpiam de bonis & prædiis, quæ ſibi attraxit titulis variis ſubjungere debeo: in Leo-

poldo forti Fundat. Runensi, & Ottocari IV. filio dicetur ex MS. nostro Genealog. Reinense, seu Runense Monasterium fundasse Leopoldum, *tam de suis, quam de Comitis Waldonis mediis prædictis*: Dubium enim oritur, quomodo Leopoldus fortis de Waldonis Comitis mediis Runam extruxerit? MS. Chron. Styriæ putat Leopoldum volentibus S. R. I. Principibus Comiti Waldoni, ultimo suæ stirpis, quoad omnia hæredem successisse, indeque ei etiam districtum Græcensem obvenisse. Puschius Leopoldum permutatione a Waldone vallem Runensem obtinuisse; ego aliter judico, nimirum Ottocarum IV. jam vallem hanc Runensem obtinuisse, proin eam vallem hæreditario jure ad Leopoldum devolutam: rationem primam suppedito ex membrana Conradi de Leopoldo apud Pusch Chronologia Styr. p. 1. fol: 312. in qua sic dicitur: *Denique tale prædium, quale Pater suus Ottocarus Marchio a Comite Waldone, in valle Rune* Lungwitz & Stangerstorff (Frælich Svnegorestorff) *per traditionem acceperat, iis delegavit &c.* Ottocarus ergo IV. & Pater Leopoldi, prædium hoc jam accepit, & quidem traditione; qua voce veteres, teste Cangio, v. Concambium, non *permutationem* significabant (nam permutatio & Concambium iis synonima erant) hinc Ottocarus prædium hoc, vel venditione, vel donatione, vel titulo onerosо fundationem Runensem erigendi accepit; v. cap. 5. §. 2. ratio altera sit ex eodem instrumento, in cujus fine Sophia Marchionissa, Mater Leopoldi fortis, memorat inter alios, Comitem Waldonem tanquam Marchionibus Styriæ beneficum, ita enim ait: *Fecit hoc pro remissione peccatorum suorum pro salute filii Ottocari* (nimirum V.) *& filiarum Elisabeth, ac Margarethæ, cæterorumque fidelium, maximeque pro redemptione animæ mariti Leopoldi Marchionis, socerique sui Ottocari senioris Henrici Ducis, Ottonis de Naym, Waldonisque Comitis, cujus idem locus patrimonium fuerat &c.* ex qua tabula proin patet, Waldonem hunc, non tam Runensibus, quam Styriæ Marchionibus fuisse beneficum, utpote jam defunctum, cum Cistercium Runense erigeretur.

Eppensteiniæ ditiones cum valle Martia non Ottoc. IV. sed Leopold. forti obtigere.

De eodem Ottocaro IV. Enenkelius, in libro suo Principum, seu dicto Fürstenbuch (qui in quibusdam tamen aliter habet) ita loquitur: Der Herzog Heinrich mit dem Grain dinget dem Marggraf Ottocarn von Steyr sein Eigen, daß waz von Langenau mit fließenden Wassern, und mit Regenwasser zu beyden Seiten, unz in die Murr, und für sich hinz S. Stephan, das Prucke von dannen bey der Merz herab, auch als die rinnenden Wasser fließent, darnach von dem Semmerich unz in die Merz zusammen rinnen, von dannen in Thall hinz Gestnickh, das ist alles demselben eigens beydes mit dem Burgen, und mit dem Dienstmann, und mit den Leuten, die darzu gehörent, darnach von Antrichstein, das gegen Friesach ligt, hernider unzt in die Murr, das ist alles desselben eigens, darüber dingt er ihm halbes Chavoley, Porrenau: und Nairren, und Rübein, und Spergenberg, und andere Eygen, das darzu gehöret Darzu dingt er ihme die Vogthey zu St. Lambrecht zu dem Closter, da sein Brüder Baidlait, und auch er selber lait und gestiftet hat, das Closter dingt er ihm, als daß dem niemand vogt wär, nur der Herzog zu Steyer. Ita Enenkelius, qui tamen, cum hic de ditionibus

Eppen-

Eppenſteiniis, & vallis Martiæ loquatur, a me fidem non meretur, cenſeo enim MS. noſtro Geneal. longe antiquiori plus eſſe deferendum, quod hæc ſub Leopoldo forti contigiſſe ſcribit, ut fiet mentio cap. ſeq.

De eodem Ottocaro IV. ſequentia etiam refert Enenkelius citatus: Item der Graf Bernhard von Marchburg, der dingt dem Marggrafen Ottocarn das Haus zu Marchburg, und den Markt und das darzu gehört, er dinget ihm Tiver, und Sittich das Cloſter, und Gejerau, und alles das darzu gehört, unzan des Biſchof gemerk von Salzburg, demſelben Graf Bernharten gehöreten an diſſe Dienſtmann, die Treumer, die von Ehenting, die von Leibenbach, die von Marchburg und alle Truchsner. *An Ottoc. IV. obtinuerit Marchburgum Tiver. Sittich. & Gyriacum.* De Marchburgo urbe, eadem quidem lego in Germania Auſtriaca, dumque veritatis hujus eliciendæ cauſam Mahrburgum ipſe ſcripſiſſem, obtinui litteras, exortum ante an. 50. & aliquot incendium, urbem ita devaſtaſſe, ut Archivum integrum cum omnibus protocollis in cineres abierit. Quapropter quæ hic de Marchburgo aſſero, fide Enenkelii dicta velim; dubium enim ſupervenit inde, quod de Sitticenſi Monaſterio, & Gejerau vel Gyrienſi fors quondam Carthuſia, nil in aliis etiam Carnioliæ ſcriptoribus occurrat de iis, quæ Enenkelius hic narrat. V. cap. 5. §. 4.

§. X.

De morte Ottocari IV. non leve dubium exoritur, quo nimirum anno defunctus fuerit? pro anno 1121. pugnant Chron. Reicherſperg. *Odoacer Marchio de Styre &c.* Chron. Honorii: *Obiit Ottacher Marchio, qui fratrem habuit Alberonem*, hos ſequitur author Chronol. Ducat. Styr. & hiſtor. Ducum Styriæ cum codice quodam Voravienſis Bibliothecæ MS. num. CXCIX. *Mors Ottoc. IV.*

Anno 1122. defunctum fuiſſe, aſſerunt Chron. Mellicenſe: *Otachir Marchio Styriæ obiit.* Salisburgenſe: *Otachyr Marchio obiit, qui fratrem habuit Alberonem.* Haſelbachius, *obiit plenus dierum an.* 1122. Chron. incerti authoris apud Caniſium tom. 3. fol. 259. (quod Stewartius putat eſſe compendium Chronici Reicherſpergenſis) *MCXXII. Otachar Marchio mortuus*; eadem habent Chron. incerti authoris Auſtriac. annales Cremiſan. & tandem MS. noſtrum Genealog. hiſce: *obiit autem Otachir Marchio ſenex & plenus dierum an. MCXXII.* Cui ſententiæ pluribus teſtimoniis ſuffultæ etiam accedo; neque movet Biographi S. Conradi Salzb. apud Caniſ. to. 3. fol. 441. authoritas, qui de Conrado ait: *A Leopoldo Styrenſi Marchione in manu forti requiſitus ad ſuam, poſt novem annos honorifice reductus eſt ſedem an. Incarn. Dom. MCXXI.* Quamvis enim id certum ſit, cum Conradus eo anno, & Monaſterium Admuntenſe dedicaverit, & hoc vel ſequenti anno regulam S. Auguſtini ſuis Canonicis Salisburgi præſcripſerit, Biographus tamen hic per prolepſim locutus videtur, præſertim cum Leopoldus fortis eo & prioribus annis, ſeniculi Patris munia gerens, inde a Biographo nomen Marchionis obtinuerit. Quomodo vero Ottocarus IV. ab an. 1088. ad 1122. proin per 34. annos ſolum regens, adeo inſenuerit, ut plenus dierum obiiſſe dicatur, jam cap. 3. §. 11. expoſui. Obſervo præterea in rem

meam

meam ex MS. noſtro Geneal. memorari, quod etiam *Ottocarus IV. jam ſenex fideliter Conrado adſtiterit*, ut judico per filium ſuum Leopoldum, vices ſuas agentem. Unde author Germaniæ ſacræ tom. 2. in Corollar. num. 5. ſententiam ſuam prius conceptam mutavit, docuitque Leopoldum nondum Marchionem fuiſſe, cum Conradum reduceret, & quidem ea de cauſa, quod teſtibus fere omnibus Chronologis Ottocarus IV. an. 1122. obierit.

§. XI.

Dubium de anno mortis Ottoc. 4.

Confectam utcunque rem hanc exiſtimaveram, cum forte incidi in fundationem Monaſterii Glunicenſis an. 1123. vel, ut ſtatuit P. Hier. Pez tom. 2. ſcriptor. Auſtr. fol. 328. an. 1125., cui præſentem fuiſſe Ottocarum, & Leopoldum filium lego, qua proin obtinente ſententia, fallerent Chronica omnia allegata. Ait autem Catalogus Abbat. Glunicenſ. MS. apud cit. P. Hier. Pez, *cui petitioni* (Brunonii nimirum filii Arnhalmi de Glunik) *piiſſimi Principes* (Otacher nimirum Marchio Styrenſis, & Leopoldus ejus filius) *aures benevolas commodaverunt, & non tantum fundationem factam vi Doplomatis dati in caſtro Agriæ an. Dom. 1125. Indict. 6. anno primo Lotharii Regis Romanorum plene confirmaverunt.* Idem habet libellus quidam in gradu Philoſophico Viennæ editus, & citatus jam cap. 3. §. 4. parte 1. fol. 49., qui tamen Diploma id in *caſtro Styræ* datum ait.

Diploma Glunicenſe num. 6. inter reliqua mea Diplomata apparebit; quod in forma probante, favore Reverendiſſimi Perill. ac Ampliſſimi DD. Abbatis Glunicenſis poſt paucos dein dies defuncti obtinui, & quidem occaſione præter ſpem omnem ac expectationem oblata. Ubi enim Diſſertationem hanc meam IV. ſecundis curis revolvi, dubium illud de Ottocari IV. mariti Eliſabethæ Auſtriacæ, & Fundatoris II. Garſtenſis morte, majori demum attentione curabam, atque fundationem celeberrimi Monaſterii Glunicenſis, quam in P. Hier. Pez ſcript. Auſtr. tom. 2. fol. 328. anno 1125. præſente Ottocaro IV. factam legebam, ex ipſo fonte haurire decrevi; ſcripſi ea de re Plur. Rev. ac Clariſſimo P. Floriano Hehenberger, Priori Celeberr. hujus Monaſterii, qui illico humanitate & eruditione ſingulari mihi reſpondere dignatus: difficultatem hanc me divexantem, ſe tollere non poſſe arbitrabatur, tum quod eidem probe conſtaret, ſcriptorum conſenſum in mortem Ottocari IV. ad an. 1121. vel ſeq. locandam concordare, cum, quod elapſo ſæculo Monaſterium Glunicenſe ex iteratis incendiis, ruſticorumque tumultibus complura tulerit litteraria detrimenta, ut adeo præter id ipſum Fundat. Diploma, eodem, quo in cit. P. Hier. Pez invenitur tenore, mihi in rem meam communicare nil potuerit.

Ubi vero eidem Pl. R. P. Priori reſponſorias meas ſubmiſi, eique de Diplomatis hujus editi anno 1125. dubia quædam, nominatim ex indictione, quam ipſemet erroneam agnovit, expoſui, tandem præter omnem meam expectationem obtinui litteras 15. Martii anni hujus 1762. ab ipſo Reverendiſſimo Perilluſtr. ac Ampliſſimo DD. Andrea

Schwand-

Schwandner, Abbate ejusdem Celeberr. Aſceterii Glunicenſis: expertus nempe fueram, quod jam antehac ex ore Concanonicorum meorum aliquando Glunici diverſatorum audiveram, ſingulari nimirum in Litteras amore Reverendiſſimum hunc DD. Abbatem ferri; ſcripſerat autem Abbas hic Reverendiſſimus, atque, ut ſuam de Glunico an. 1125. præſente Ottocaro IV. factam fundationem ſtabiliret, adduxit Diploma Garſtenſe, de quo alibi in originali a ſe ipſo viſum, & in quo (non ut Frælichius in edito ſuo Diplomat. cenſebat) anni ſubſcriptio hæc dubia MCXDII 3. ſed clariſſime expreſſa appareat nimirum an. MCXLIII. quamvis indictionem adjectam etiam erroneam animadverterit.

Quanto me gaudio affecerit Præſulis tanti in immeritum, exterum, & incognitum ſcriptorem benevolentia, non eſt, quod hiſce longius proſequar: illico ſtrinxi calamum meum, gaudensque & ſpe optima fretus, ab eruditiſſimo hoc Abbate ſinceritati meæ condonandum fore, ſi adhuc dubitare pergerem, ut melius edocerer, reſcripſi dubiaque mea huic Glunicenſi Diplomati oppoſui mox hic proponenda.

§. XII.

Impugnatur Diploma Glunicenſ.

Non obſtante itaque dicto Diplom. Glunicenſi cenſeo, mortem Ottocari IV. ab an. 1121. vel ſequenti non poſſe removeri, ne contra tot teſtes vetuſtos §. 10. citatos, contra Diplomata alia, nominatim Garſtenſe num. 5. in fine afferendum, unico hoc nixus Glunicenſi pugnare videar: errat, ut opinor, in anni & indictionis numero Glunicenſe Diploma, etenim anno 1125. Indictio tertia, non ſexta reſpondet, ut proin, quemadmodum indictionem, ita & annum, quamvis litteris, non numeris expreſſum fallere credam: nec uni id, ſed pluribus contigit Diplomatibus, uti enim ait author Chronici Gottwicenſ. lib. 2. pag. 186. *Diplomata annis anterioribus edita, poſterioribus demum in effectum deducta reperiri, quorum res & epochæ neutiquam cohærent, immo ſubin ad unum eundemque Principem referri non poſſunt*: idem fere in noſtro caſu contigerit, Glunicenſe nimirum Monaſterium ab Arnhalmo de Glunick, ante annum jam 1122. animo non ſolum conceptum, ſed, etiam conſenſu Ottocari IV. fuerit roboratum, Diploma vero deſuper extraditum primum poſt Ottocari IV. mortem, dum Brunonius Monaſterium Glunicenſe opere complevit, ſicque uni eidemque Diplomati, quod binis vicibus geſtum fuerit, inſertum, atque conſenſus Ottocari una cum conſenſu Leopoldi filii conjunctus, non anno, quo datus eſt, ſed anno, quo Diploma eſt conſcriptum; pluribus enim documentis conſtat, Diplomata veterum, non mox ubi concepta, ſed poſt tempus etiam longius primum ſignata, atque extradita fuiſſe, id, quod mihi inſinuare etiam videntur extrema Diplom. Glunic. verba: *Data apud caſtrum Steir*, quæ innuunt Diplomatis ſolum conſcriptionem & ſignationem, non autem actionem ſeu fundationem primam anno illo 1125. fuiſſe habitam.

Quod ſi alicui hæc reſponſio non placeat, poterit Diploma Glunicenſe, præſertim ob male citatos teſtes (ut infra oſtendam) corrup-

tum ſupponere ex reg. critica Tornielly in annal. ſacris docentis: *Si diſcrepantia tam grandis ſit, ut nullo modo conciliari poſſe videatur, reſtat neceſſario ſupponi debere, alterum ipſorum textuum eſſe mendoſum;* quamvis enim veteres chartæ præſumptionem pro ſe habeant, maneantque in poſſeſſione fidei, ea tamen cadunt, ſi ſubleſtæ fidei luculente demonſtrentur. Mihi vero prior ſententia placeret magis, Diplomata nempe veterum, quorum contenta cum ſcriptoribus coævis e diametro pugnare videntur, benigna interpretatione, vel correctione emendanda, non vero ex integro eſſe rejicienda.

Notariorum ſane veterum etiam, lapſus crebriores pateſcunt nobis, ex tot erroribus annorum, ſedis, regni, Imperii, Principatus, ac præcipue indictionum, dum enim notarii ſubin per incuriam, poſſeſſiones, loca, annos vel male deſcripſerunt, vel plane prætermiſerunt, altero corrigi, emendari, & ſuppleri debuit, ſicque dum errorem unum emendavere, alterum admiſere, anno, quo Diploma ſignarunt poſtea, res anteriores aſſignantes; certe variatas pro notariorum libitu indictiones fatetur Pagius pluribus locis. V. annot. ad Diplom. 6.

Menda Glunic. Diplom. Cur vero erroneum Diplomatis Glunicenſis annum cenſeam, ſequentia perſuaſere. 1. Diploma certum ac genuinum Garſtenſe a me num. 5. inter Diplomata referendum, atque a Leopoldo forti Marchione noſtro an. 1123. editum, quo Leopoldus Patrem ſuum Ottocarum IV. jam e vivis ſublatum clare teſtatur dicens: *Pater meus piæ memoriæ Ottochar &c.* & mox dum ait: ſe donationem *eo vivente* factam per manum ſuam confirmare ob remedium *animæ jam dicti Patris ſui:* novi quidem voces eas, *piæ memoriæ &c.* quamvis plerumque non tamen ſemper indicare defunctos, ut docent Mabillon: annal. Bened. tom. 3. pag. 94. Hergottus Genealog. Augg. Diplom. tom. 1. num. 16. pag. 13. & ipſe oſtendam Differt. hujus cap. 5. in Sophia Marchion. Styr. quia tamen totus plerumque conſpiciendus eſt textus, & in hoc caſu noſtro verba etiam ſubſequentia, defunctum jam an. 1123. Ottocarum IV: inſinuant, vix dubitare mihi amplius poſſe videor. 2. Communis Chronologorum omnium qua antiquorum, qua recentium conſenſus de morte Ottocari IV. ad an. 1121. vel ſeq. ac de regimine Leopoldi fortis eodem an. cœpto. 3. Diploma Garſtenſe a me num. 4. & 10. referendum, ab Ottocaro IV. marito Eliſabethæ Auſtriacæ removeri atque Ottocaro V. Patrem Leopoldum, non vero Ottocarum Fundatorem Garſtenſem habenti convenire non poteſt; ſtante jam Diplomate Glunicenſi, & Ottocari IV. morte ultra an. 1125. immo, ut vult Diploma Garſtenſe, num. 10. allatum ad an. 1143. & ultra dilata, neceſſario Ottocaro V. tribui deberet, utpote, quem communis conſenſus a morte Leopoldi Patris an. 1129. Styriæ regimen capeſſiiſſe docet. 4. Errores alii manifeſti, immixti Diplomati huic, id vitiant, uti in ſubſcriptione teſtium: ſic Sigehardus Abbas Garſtenſis peſſime adducitur, cum certum ſit, S. Bertholdum Garſtenſibus, uſque ad an. 1142. vel præced. præfuiſſe, & inter Abbates Garſtenſes nullus Sigehardus ſit inveniendus. Error alius cubat etiam in Friderico Abbate Sittamſtettenſi, qui tamen ante annum 1138. præeſſe non potuit, ut oſtendam in annot. ad Diploma

ploma Glunic. num. 6. in fine. Inter Hunisbergios non Gotſcaleus, ſed Fridericus Pater fuit, & Gotſcaleus filius. Plura in annot. ad Dipl. 6.

§. XIII.

Circumſtantiæ reliquæ mortis Ottocari IV. conſiderandæ veniunt: audivimus annum mortis, diem edocet plumbea tabella Garſtenſ. qua 4. *Kal. Dec.* obiiſſe refertur. Idem habet necrologium Admont. apud P. Hier. Pez. tom. 2, col. 209. necrologium vero Mellicenſe apud eund. Pez tom. 1. col. 310. ait: 5. *Kal. Decemb. Otakar Marchio de Styre Fundator Garſtenſis obiit*; nec hæc variatio obeſt; docet enim Pagius, ad an. 1118. num. 1. dies ſepulturæ ſæpius cum diebus mortis confundi, unde Ottocarus V. Kal. Dec. obierit, & altero die, ſeu 4. Kal. Dec. ſepultus fuerit. *Dies mortis.*

Romæ obiiſſe vix credam, nam 1mo: ea ſententia propria eſt docentibus, unum eundemque Fundatorem Garſtenſem fuiſſe, hi cum legerint Ottocarum III. Wilburgis maritum Romæ obiiſſe, id etiam Ottocaro IV. appingunt, ut eo aptius ex duobus unum Fundatorem Garſtenſem evincant, ita Aventinus, Lazius, & Prevenhueberus, qui in eam rem etiam annales Garſtenſes adducit, quod tamen referre Chron. Mellic. Admont. vetus Chron. Auſtriæ apud Hier. Pez, & Frælichius ipſe rerum Garſtenſium ſat gnarus omittit, ſed præciſe in Gärſten ſepultum ſcribit. MS. noſtr. Geneal. obitum ita deſcribit, ut vix credibile appareat, eum Romæ obiiſſe, ait enim: *Obiit autem Otachyr Marchio ſenex & plenus dierum an. Incarn. Dom. MCXXII.* Quis jam credat, Ottocarum ſenem & plenum dierum peregrinationem Romanam ſuſcepiſſe? quis præterea authorum translationis ejus in Gärſten meminit? Alii quidem Romæ obiiſſe volunt Ottocarum IV. legatione Romana inſignem, ſed inter legatos Romanos hujus anni Spirenſis ſolum & Fuldenſis Præſul apparet, nullus Ottocarus: præterea hac in ſententia annus mortis tardiori epochæ foret affigendus; Accedit id etiam, quod, ſi Romæ obiiſſet, ibidem quoque more Patrum ſuorum ſepulturam, non in Monaſterio Gärſten obtinuiſſet; translatum autem Roma in Gärſten probare documentis debent, qui contendunt. *Locus.*

Genus mortis, quo obierit Ottocarus, omnes ſilent, excepto Chron. Auſtr. Haſelbachii apud P. Hier. Pez tom. 2. ſcript. Auſtr. col. 717. ſic loquentis: *Inclytus Princeps fundavit Monaſterium Garſtenſe, qui an. Dom. MCXII.* (error eſt, nam alterum MS. habet *MCXXII.*) *ab apro ferino occiſus fuit, & in* Gärſten *ſua fundatione cum uxore ſepultus.* Ibidem ſepultum docet etiam Biographus vitæ S. Bertholdi cap. 3. §. 9. qui & de Eliſabetha ſubjungit: *Quæ in choro ſepulta eſt:* Item ex tab. plumbea Garſtenſi cit. 4. *Kal. Dec. Otacher Fundator loci obiit, & hæc ſunt oſſa ejus.* Devota amborum corpora, Sarcophago æreo incluſa, in ſacello S. Benedicti repoſita ſunt, cum hac epigraphe: *Oſſa Fundatoris & Fundatricis, quæ Michael Abbas Garſtenſis an. MCCCXLVII. in veteri Eccleſia, renovato tumulo honoravit, eadem biſce loculis incluſa huc transtulit Anſelmus ejusdem loci Abbas MDCLXXXVI.* *Genus mortis.* *Sepultura.*

CAPUT V.

Leopoldus fortis March. Styr.

De Leopoldo Forti Marchione Styriæ, & Fundatore Runensi.

§. I.

Acta Illustrissimi hujus Marchionis denuo ex MS. nostro Genealogico ordior, quod de eo sequentia habet: *Leopoldus Fortis Patri successit*, item in Ottocaro IV. *Et genuit ex ea Leopoldum fortem*, nempe ex Elisabetha Austriaca. Leopoldus ipse in Diplom. Garstensi IV. Bertholdo Abbati Garstensi confirmans, *quæ Pater meus piæ memoriæ Ottakar Marchio Styrensis* Ecclesiæ in Gärsten donavit, manifeste testatur, se nimirum filium Ottocari IV. fuisse: conclamant Chron. omnia dicentia, Leopoldum hunc fuisse Ottocari prioris filium, Styriæ Marchionem, maritum Sophiæ, filiæ Henrici nigri Bav. Ducis, fundasse Runam, ibique cum uxore sua sepultum. Unde toto cœlo aberravit Prevenhueberus docens Ottocarum Elisabethæ maritum, ac Garstensem Fundatorem fuisse Leopoldi fortis fratrem, & præter hunc alium etiam fuisse Leopoldum filium. Causam errandi Prevenhuebero præbuit Diploma duplex Garstense, primum, quo Monasterio huic donantur nova, firmantur vetera, *per manus Ottocari & filii Liupoldi*, subscriptio hæc est: *Acta sunt hæc apud Laureacum, in cæmiterio S. Laurentii an. Dom. Incarn.* 1143. *Indict.* 5. Diploma alterum est, ex Diplomatario Garstensi P. Frælich num. 10. quo declaratur Advocatia Garstensis libera, & subscriptio sequens est: *Investituræ sunt testes Leopoldus Marchio filius meus - - dat. In castro Styre an. Incarn. Dom.* 1163.

Non fuit frater Ottocari IV.

Diploma primum, in Diplomatario Garstensi P. Frælich non reperitur, unde dubium apparet; sed supponamus genuinum, argueret potius Leopoldum fuisse filium Ottocari V. seu Fundatoris Vorav., anno enim 1143. Ottocarus V. Styriæ præfuit, qui ex dicendis capite 6. §. 1. eo anno ad summum 17. ætatis annos numeravit proin filii, qui subscribere, & testis esse potuisset, sane incapax. Vereor itaque, ne Prevenhuberus non sat attente Diploma hoc inspexerit, cum enim id Diploma ab Ottocaro V. juniore editum sit, in eo vero Ottocari IV. senioris & Garstens. Fundat. nomen verbotenus insertum fuerit, ea ex inscriptione excerpta verba *per manus meas, & filii mei Leopoldi* Diplomati huic annexa fuere: colligo hanc interpretationem exinde, quod in eodem hoc Diplomate, inter testes primo loco notetur *Leopoldus Marchio junior de Austria*, qualis tamen an. 1143. nullus fuit.

Diploma secundum ad rem Prevenhueberi nihil probat, & plura cap. 6. in Ottoc. V. dicentur, ubi nullus Ottocari filius Leopoldus statuetur. Errant præterea Lazius & author Chron. MS. Styriæ, qui Ottocaro IV. filios duos, proin Leopoldo fratrem Ottocarum V. statuit, ut ex cap. seq. patebit.

§. II.

§. II.

Leopoldum Marchionem noſtrum, Runæ Fundatorem docet MS. noſtrum Genealog. his verbis, *Reinenſe, ſeu Rovvnenſe Monaſterium fundavit, tam de ſuis, quam de Comitis Waldonis mediis prædictis.* Charta quidem fundationis Ciſtercii hujus Runenſis teſte Puſchio deperdita eſt, ſuppletur tamen per hoc MS. noſtrum, & tabulam Conradi I. Archiep. Salzburg. adſunt & aliæ Principis litteræ, epocha tamen ſua deſtitutæ, quas ex cit. Puſchio part. 1. f. 302. & P. Frælich in Diplomatar. S. Ducatus Styriæ parte 2. inter mea Diplomata in fine referam num. 7. *Runæ fundatio.*

Fundavit itaque Leopoldus Monaſterium Runenſe tam de ſuis, quam de Comitis Waldonis mediis: de his cap. 4. §. 9. egi, & dixi, ea jam Ottocaro IV. obveniſſe, & quidem, ut opinor, titulo oneroſo fundationis cujusdam religioſæ, quapropter etiam hæc Waldonis Comitis media a Leopoldi mediis probe diſtinxit MS. noſtrum, ſi enim hæreditario ſolum jure, & ſine omni onere in hæc bona ſucceſſiſſet Leopoldus, utique ea a Leopoldi mediis diſtinquere neceſſe non fuiſſet.

Tabula itaque Conradi Archiep. Salzb. citata cap. 4. §. 9. dicens Ottocarum Leopoldi Patrem prædium a Comite Waldone in valle Rune &c. per traditionem accepiſſe, ita intelligenda videtur, ut prædium id quidem primo Ottocaro traditione, ſed ſub titulo dicto oneroſo, dein autem hæreditate, eodem oneroſo tit. affecta ad Leopoldum pervenerit, cum ſtudioſe adeo Leopoldi, & Wildonis Comitis media diſtinxerit MS. noſtrum Genealog.

Tabulam Conradi (quam inter mea diplomata n. 8. vide) an. 1138. datam fuiſſe non credit Puſchius, ſed tardius; eo quod in ea habeatur de Sophia: *Matrona admirabilis bonorum memoria digna*, quas voculas defunctis ſolum attribui putat. Aſt inſpicienti tabulam hanc, dubium omne eximetur, dicitur enim in ea: *Ergo bis omnibus legitima commutatione redemptis &c. præſentibus nobis ac Vener. Fratre noſtro Romano Gurcenſi Epiſcopo - - - in Monaſterio, quod dicitur Rune, proceſſit Domina Sophia Marchioniſſa &c. & tradidit poteſtativa manu &c.* quæ utique vivam fuiſſe deſignant Sophiam. Sane jam dudum obſervavit Mabillonius annal. Benedict. tom. 3. pag. 94. & ex eo Hergottus Genealog. Auguſt. Dipl. tom. 1. num. 16. pag. 13. voces has: *Beatæ memoriæ bonæ piæ ſanctæ memoriæ*, non ſemper defunctis, ſed etiam vivis honorandis fuiſſe adhibitas. Exſtat ſane apud Hundium tom. 1. cap. 316. ex addit. Gewoldi Diploma Ottonis II. de an. 967. quo Patrem ſuum adhuc viventem appellat *venerandæ memoriæ genitorem.* V. anno 1055.

§. III.

Plura adhuc de fundatione Runæ ſuperaddenda ſunt. Anonymus Leobienſ. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 779. fundationem Runæ ad annum 1118. refert his verbis: *Eodem anno Leopoldus Marchio Styrenſis fundavit Monaſterium Runenſe in Styria &c.* cui tamen domeſtico licet ſcriptori, omnes Chronographi & ipſæ etiam chartæ Ru- *Runa an. 1118. fundata.*

nenſes refragantur, quæ fundationem Runæ ad an. 1128. vel ſequentem conſtituunt. P. Eraſmus Frælich Archontol. Ducum Carinth. part. 2. fol. 176. & 177. Principis Leopoldi litteras ad an. 1128. commemorat, *quibus cuidam miniſteriali Rudigero, ſe inſtinctu dilectæ conjugis Sophiæ prædium quoddam in Hartberg Bavaricæ metæ* (Puſch fors *menſuræ* legendum cenſet) *decem videlicet & duos manſus ſurſum verſus ſtratam Hungaricam hac lege tradidiſſe* docet, *ut, ſi absque hærede Rudiger deceſſerit, idem prædium cœnobio Runenſi cederet. Actum in* Grätz. V. inter mea Diplomata num. 6. *metas Hungaricas*, Puſch *menſuras*, Frælichius *loca vicina* interpretatur, nomine ab antiquo reſervato, quo Carentaniam, Bavariæ Duces ſimul poſſidebant: uti hodie in Auſtria Windiſch-Gärſten, in ditione Salisburgenſi Windiſch-Matrey, ac in Diplom. Frider. bellicoſi an. 1230. *Græcium* vocatur Bayriſch-Grätz, ſeu *Græcium Bavarorum* ad diſtinctionem a *Græcio Vindorum*, ſeu Windiſch-Grätz, qua de re jam Diſſert. 1. actum.

Completa anno 1138.

Confirmavit quidem Leopoldus fundationem Runenſem, completam tamen non vidit; confirmationem hanc legere licet in Diplom. citato inter mea num. 6. ubi ait: *Hunc enim locum a fundo conſtruxi, fovi, dilexi &c.* quæ tamen verba pro completa Runæ fundatione ſumenda non cenſeo, nam charta Chunradi Archiep. data an. 1138. inter mea Diplomata num. 8. clare de fundatione Runæ, & adſcitis ex Eboraco Monachis loquitur ſubjungens: *Ipſe* (Leopoldus) *dein quidem obiit, uxori autem egregium opus, pie ac fideliter inceptum felicius conſummandum reliquit;* ex quibus proin patet, cœptam a Leopoldo Runæ fundationem an. 1128. vel ſequenti, completam dein & conſummatam fuiſſe a Sophia uxore an. 1138.

§. IV.

Leolpold. fit hæres Henr. Duc. de Eppenſtein circ. an. 1127.

Res alias Leopoldi Marchionis continuat MS. noſtrum Genealogicum inquit enim: *Et factus eſt hæres Leopoldus Marchio ex teſtamento poſſeſſionum & miniſterialium Hainrici Ducis de Eppenſtein.* Ad quæ rite intelligenda ſequentia adnoto: Henricus IV. Imperator, Bertholdum I. Zæringenſem in Briſgavia Ducem, Carinthiæ Ducatu, poſt mortem Chunonis inveſtivit circa an. 1060. teſte Herm. contracto, apud Frælich Archont. Carinth. p. 1. fol. 26. & parte 2. fol. 24. cui dein an. 1077. ob conjurationem depoſito (anno enim 1073. privata præſumptione teſte ipſo Henrico Aug. Marquardus Ducatum Carinthiæ uſurpavit) Henricus Aug. Marquardum ſubſtituit vallis Martiæ, & Avelenz Dominum, uti & de Eppenſtein: at cum eodem circiter anno 1077. & Bertholdus I. Zæringenſis, & Marquardus de Eppenſtein obirent, huic filius Luitoldus, ſeu Luitolfus ſucceſſit, Bertholdo II. Zæringenſe, fruſtra eum honorem ab Henrico Aug. exſpectante. An. 1090. obiit denuo Luitoldus Dux Carinthiæ, ſimulque ejus æmulus Bertholdus II. Zæringenſis, Leutoldo proin ſucceſſit frater Henricus, nomine II. antea Marchio Iſtriæ, qui Abbatiæ S. Lamberti fundationem perfecit an. 1096. cœptam jam circa an. 1073. a Marquardo Patre.

Hen-

Henricus II. Dux Carinthiæ, & de Eppenſtein an. 1127. obiit, atque avitas Eppenſteinii Ducatus ditiones ſupremis tabulis Leopoldo noſtro transcripſit: quamvis in Ducatu Carinthiæ ſuccederet Henricus III. Comes de Lavanda Valle. *Uti & vallis Martiæ & tot. Styr. ſuper.*

Dum ſic Ducatus Eppenſtenius in Leopoldum noſtrum tranſiit, vallis ſimul Martia, & omnis terra, modernæ Styriæ ſuperioris, ad Carinthiam uſque ei acceſſit; Comites enim Eppenſteinii, & vallis Martiæ iidem erant, ac ſedem ſuam Judenburgi habebant, ubi adhuc exſtare rudera antiquæ arcis Eppenſtein, teſtatur magnum Chronicon Baſileenſe, verbo Eppenſtein. *Eppenſtein arx penes Judenburgum.*

Aucta eſt itaque Marchia Styriæ, maxima parte, nimirum ea, quam hodie Styriam ſuperiorem vocamus, quæque antea Carinthiæ accenſa eſt, atque inde factum opinor, ut Leopoldus Marchio noſter ab aliquibus ſcriptoribus, Marchio Carentinorum appellatus fuerit, videlicet a Chroniſte Auſtrali Freheri tom. 1. & a Clauſtroneob. apud P. Hier. Pez tom. 1. ubi & ab anonymo Leobienſi; eadem de cauſa Clauſtroneoburgenſis Chroniſtes Ottoc. VI. Carinthiæ Ducem appellat, qui tamen Styriæ ſolum Dux I. erat; quia nimirum ingens Carinthiæ portio hæreditariis Henrici II. Eppenſteinii tabulis obvenit, indeque Carinthiæ Marchionis nomen tulit, quamvis nec Leopoldus fortis, nec ſucceſſores ſe Carinthiæ, ſed ſolum Styriæ Marchiones ſcripſerint.

Obſervat præterea clariſſimus Frælich Geneal. Sounekianor. præter Duces Carinthiæ, fuiſſe etiam Marchiones Carinthiæ, & quidem *e familia de Souneck* uſque ad an. 1126. quo ablatum a Starcando, aut ejus filio Marchionis Carinthiæ honorem probat, ex dictis auth. Leopoldum noſtrum Carinthiæ Marchionem dicentibus; mortuo nempe vel exauthorato circa an. 1126. Starcando Marchione Carinthiæ, e familia de Sounegk, videtur etiam, de marcha Carinthiæ, pars Hungariæ finitima, Celejanus nempe, & Petovienſis ager, jam Styriæ inferior portio, Leopoldo noſtro fuiſſe commiſſa, qui alioquin Waldonis Comitis, aliorumque fundis in Styria infer. hoc tempore fuit ditatus: Ex his, quam anguſta olim fuerit Styria noſtra, facile conſpicitur, ſimulque corruunt ea, quæ ex Enenkelio cap. 4. §. 9. attulimus, & refutavimus. *Styriæ inferior. pars Leopoldo accedit. Marchion. Carinthiæ & Duces qui.*

§. V.

Paradoxa hæc quibusdam videbuntur, præſertim quæ de Styria inferiori, & Marchionibus Carinthiæ diximus; unde pro planiore intelligentia plura ex citato Frælichio ſubjungimus, deducit vir hic clariſſimus Souneckios, Comites Celejanos a Wilhelmo Com. Wimmarienſi circa an. 1002. hujusque ex Poppone filio, nepotem Udalricum I. qui Carinthiorum Marchiam aliquam obtinuiſſe legitur apud annaliſtam Saxonem ad 1062. *Sponſam ejus* (nimirum Wilhelmi Turingiæ Marchionis) *Sophiam Odalricus Marchio Carentinorum cognatus ejus* (fratris filius) *accepit.* Sophia hæc erat ſoror Ladislai Hungariæ Regis, filia Belæ primi, a Wilhelmo ſponſa electa an. 1061. mox autem an. 1063. Udalrico nupta, qui circa an. 1070. eam viduam reliquit, teſte eod. annal. Sax. *Marchion. Carinthiæ e familia Souneck.*

Sax. cit. ad an. 1070. *Odalricus Marchio Carentinorum obiit, cujus viduam Sophiam sororem Ladislai Regis Hungariæ magnus Ordulfi Saxonici filius accepit uxorem.* Certi hujus Udalrici filii erant Poppo, & Udalricus II.

Celej. Comit. origo ab Udalrico March. Carinth. Poppo seu Starcandus Dom. de Souneck & Marchio Carinth.

Hunc Udalricum I., cujus an. 1070. mortem tanquam Marchionis Carinthiæ Lambertus Schaffnaburg. Pistorii tom. 1. p. 179. refert, Frælichius primum Sounekiorum, dein Celejæ Comitum authorem credit, qui filio suo primogenito (Starcando etiam dicto) castrum Souenek inter alia dedit, eumque in Marchionis dignitate successorem habuit.

Poppo hic Marchio præcise appellatur, at cum Pater ejus Marchio fuerit Carentanorum, haud dubie filius etiam in Carinthia Marchio fuit. Popponem hunc eundem cum Starcando fuisse probat Frælichius cit. fol. 18. &c. Udalricus II. Popponis frater Comes solum Carinthiæ nominatur, ab auth. vitæ S. Thiemon. Salzb. Canisii tom. 4. pag. 675. edit. Ingolstad. ubi refertur S. Thiemo per Taurum montem, in Carinthiam iter legens, ab Udalrico Comite captus, & ad Frisacum obsessum adductus, per 5. annos detentus; frater hic Popponis seu Starcandi Marchionis Udalricus, reperitur etiam in charta Henr. Ducis Carinthiæ, qua Monasterio S. Lamberti plurima bona donat, *Starcand Marchio de Soune, & frater ejus Udalrich &c.* an. 1102.

Et ab hoc Poppone, de castro suo gentilitio, Marchio *de Soune seu* Sounec dicto, Sounekiorum, Celejanorumque Comitum origo desumenda Frælichio videtur. V. arborem Geneal. sæculi 11. præfatione.

Quomodo autem Poppo, seu Starcandus a Marchionatu hoc Carinthiæ ammotus fuerit, refert nobis Biographus S. Conradi Salisb. qui de castigatione Starcandi seu Popponis, & Weriandi, seu Werigandi fratris divinitus immissa sic loquitur ad an. 1099. *Postquam Archi-Episcopus S. Thiemo de hac captivitate liberatus est, ut cum duo illi fratres, tota Carinthia potentissima dominatione potirentur, nullius mortalis hominis contradictionem habentes, subito per Comitem Bernhardum, qui cum pauciſſimis militibus Carinthiam intravit, funditus contriti sunt, & ad nihilum redacti, omni pristina potentia perdita.*

Id, quod circa, vel ante an. 1128. contigerit, quo nimirum Henricus Junior Bernardi Comitis frater, Ducatum Carinthiæ obtinuit, Bernardus hic Comes Carinthiæ uxorem habuit Kunegundem Ottocari IV. Styr. March. filiam, & Leopoldi nostri sororem, qui dein in Palæstina an. 1148. obiit, ac Ottocarum V. hæredem scripsit. Schema Genealogicum Bernardi hujus, statuit cit. Frælichius fol. 8.

Engelbertus I.
Sponheimensis, Comes de valle Lavanda.

Henricus Junior seu 31. Dux Carinth. circa annum 1128. obiit anno 1130.	Engelbertus II. Dux Carinth. post fratrem Henricum an. 1130. obiit an. Christi 1142.	Bernardus Com. Carinth. obiit in Palæstina an. 1148 uxor Chunegundes Ottocari IV. March. Styr. filia Leop. fortis soror.

V. auctiorem seriem ad an. 1128.

Quamvis vero Ducatus Carinthiæ, ab Henrico in Engelbertum fratrem, ab hoc in Ulricum, & Henricum filios, fuerit translatus, titulus

tulus tamen Marchionis Carinthiæ, ſeu potius de Sounek, a Starcando, ſeu Poppone Marchione de Sounek, & ejus poſteris ablatus eſt, quia dein Sounekii, nonniſi nobiles & Liberi, ſine tit. Marchionis, aut Comitis, comparuerunt, uſque ad Fridericum Liberum de Sounekh, qui Ludov. Bav. Cæſaris gratia, an. 1341. S. R. I. Comes eſt factus.

Ex his tamen inferri nil poteſt contra ea, quæ Diſſ. 1. §. 31. ſtatui, nimirum Styriam noſtram nunquam ſub Carentanis Principibus fuiſſe, quamvis enim ex narratis hactenus, fors evinci poſſet, partem Styriæ modernæ, ſeu agrum Celejenſem, olim marcham Carentaniæ fuiſſe, tamen ea portio, uti & modernæ Styriæ ſuper. tum, quando Styriæ adjuncta eſt, Carentanis nunquam paruit, nec enim diffiteor, Styriam ſuperiorem fere omnem, olim Carinthiæ partem fuiſſe, nec efficaciter contradicam, agrum Celejanum etiam, marcham Carinthiæ fuiſſe. Inde vero nil contra ſententiam noſtram evincetur, qua oſtendo, & Styriam ſuperiorem, & agrum Celejanum, quando a Carinthia avulſi, Styriæ acceſſerunt, nunquam Carentanis, ſed ſemper Styriæ Marchionibus paruiſſe. Indeque factum, opinor, quod, quamvis Chronologi varii, Leopoldum hunc, Carinthiæ Marchionem appellent, non tamen ille, nec poſteri ejus ſe Marchiones Carentaniæ, ſed ſemper Styriæ ſcripſerint, cum partem hanc a Carinthia avulſam, ac ſuæ jurisdictioni inſertam, jam pro Styriæ portione habuerint. Hæc adnotare neceſſe duxi, ut nexus & ordo ſententiæ noſtræ adverteretur, aliisque difficultatibus nobis inde a Carinthiæ ſcriptoribus objectis obviaretur; plura in Ottocaro V. Fundat. Vorav.

§. VI.

De Leopoldo noſtro pergit MS. noſtrum genealogicum his verbis: *Duxit verò uxorem nobiliſſimam Sophiam, ſororem Welfonis Ducis,* Uxor omnino nobiliſſima, quia Henrici Magni Ducis Bavariæ filia, & Henrici ſuperbi, ac Guelphonis, ſeu Welfonis Achillis illius fortiſſimi Germaniæ ſoror, nec non & Friderici I. Imp. matertera, ut ait Bucelinus hiſtor. Agilolfing. fol. 397. 411. aliique authores & ſchema ſequens exhibet. *Sophia Leopoldi fort. uxor.*

Henricus M. ſeu niger, Dux Bavar. & Saxoniæ.

Juditha, uxor Friderici Sueviæ Ducis.	Sophia uxor Leopoldi fortis.
Fridericus I. Imperat.	Ottocar. V. Fundat. Vorav. Chunegund. Vochburg. uxor.
	Ottocarus VI. Marchio, & Dux I. Styriæ.

De quo plura in Ottocaro VI. Sophia hæc primis nuptiis juncta erat Bertholdo III. Zæringenſi, Bertholdi I., de quo §. 4. nepoti. Bertholdus porro III. Zæringenſis & maritus I. Sophiæ an. 1122. die 19. Febr. Molsheimii cæſus eſt, proin Sophia vidua facta, quæ, cum ex Leopoldo forti Ottocarum V. & duas filias genuerit, an. 1123. vel certe ſequenti Leopoldo nupſerit, anno 1129. die 26. Octobr. defuncto. *Quo anno.*

Quæ proles? Ex primo Sophiæ cum Bertholdo III. Zæringenſi matrimonio prodiere Bertholdus IV. filius, ſed teſte Frælichio in Archont. Carinth. tab. Geneal. 2. ante Patrem mortuus an. 1111. Agnes, uxor Stephani Comitis Burgundiæ, & Conradus, Comes inter Juram & montem Jovis Dux Burgundiæ 1127., Dux Carinthiæ 1140. qui 8. Jan. an. 1152. diem ſupremum obiit. De quibus Plura Frælich. cit. part. 2. f. 24.

Fallitur vero author Chron. MS. Styr. docens, his Leopoldi cum Sophia nuptiis, calamitatem Styriæ inductam fuiſſe, cum enim an. 1126. Stephanus II. Rex Hungar. Monachus factus eſſet, ſolium vacuum Nothus Borichius, & Bela II. legitimus Rex occupare nitebantur, huic Welfo Dux Bav. cum Leopoldo noſtro adſtitit, indeque Borichius & aſſeclæ occaſionem Styriæ incurſandæ arripuerunt, ita cit. Chron. ſed fabuloſe, etenim Stephanus II. Rex Hungariæ, in morte tantum, habitum monaſticum pœnitentiæ cauſa, more tum recepto induit, & an. 1131. poſt Leopoldum noſtrum obiit, ut plura antiqua Chron. præcipue Admontenſe & Bonfinius ſcriptor rer. Hungar. tradunt. V. pl. an. 1126. & 1127.

§. VII.

Leopoldi proles. Ottocar. V. Eliſabetha, Margaretha. Quid de prolibus Leopoldi ſentiendum? cum unius ſolum meminerit MS. noſtrum Geneal. dicens: *Et genuit ex ea Ottachyr Marchionem*, V. nempe nomine, & Fundatorem Voravienſem. Aſt præter hunc geminas Leopoldi noſtri filias *Eliſabetham*, & *Margarethan* aperte teſtatur tabula Chonradi Salzb. Archiep. inter Diplom. mea num. 8. adducta, & ex ea Frælich, Puſch, aliique. Quæ tamen harum dein filiarum fortuna fuerit? ignorare cogor, niſi quod in excerptis e Necrol. Secc. apud P. Frælich Dipl. S. Ducat. Styr. p. 2. f. 366. legam. 8. *Kal. Jan. Elizabeth Duciſſa Carintbiæ ſoror Ducis Styriæ*, ſors Ottocari Marchionis tantum, non Ducis. Ottocarum I. Ducem habuiſſe ſororem, non conſtat, bene tamen Ottoc. Patrem.

Pietas Leopold. Pietatem Marchionis noſtri Leopoldi commendat non ſolum fundatio Runenſis, ſed etiam, quod Chunrardum Archiep. Salisb. an. 1121. ut cap. 4. §. 10. oſtendi, reduxerit in ſedem ſuam metropoliticam; Garſtenſibus liberalem fuiſſe exhibent Diplomata varia in meo Diplomatario num. 5. & num. 15. &c. plura per decurſum Chronici patebunt, unde mortem tantum Leopoldi enarrare oportet, quam MS. noſtrum Geneal. conſignat his verbis: *Obiit autem anno Dom. MCXXVIIII.* concordant Chron. Salisburgenſe *MCXXIX. Leopoldus fortis Marchio obiit, Otachyr filius ejus Patri ſucceſſit.* Chron. Mellic. apud P. Hieron. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 229. *Luipoldus Marchio de Styra obiit.* Admontenſe ibidem tom. 2. col. 185. *MCXXIX. Luipoldus fortis Marchio obiit.* Chron. Haſelbachii tom. 2. c. 715. idem refert, uti & Chron. Auſtrale Freheri & Clauſtro-Neoburg. adducta a §. 4. unde Chronico Honorii, cæteroquin ſat turbate annos referenti, fides habenda non eſt, minus Chronico Anonymi Leobienſis, quorum hoc an. 1125., alterum an. 1127. Leopoldi mortem conſignat. Idem cenſeo de Chro-

More ejusdem.

nico

nico nostro Voravienſi, & Reicherſpergenſi tenendum, acta enim Leopoldi de an. 1128. contrarium aperte indicant.

Dies mortis obſcura eſt valde: Puſchius ex annalibus Voravienſ. Cremifan. & Runenſibus 7. *Kal. Nov.* aſſignat. Mellicenſe, & Clauſtro-Neob. habent 6. *Kal. Nov.* Necrolog. ad Scotos Viennæ 9. *Kal. Nov.* qua in diſſenſione authorum uti licebit regula Pagii cap. 4. §. 12. allata. *Dies mortis.*

Runæ ſepultum docent Runenſium documenta ac traditio, omnium vero clariſſime Diploma Ottocari V. a me num. 31. in fine adducendum, qno ait: *Runenſem Eccleſiam, videlicet locum ſepulchri Patris mei &c.* tumulus quidem Runæ ignoratur, ut perſæpe in vetuſtis monumentis evenire ſolet; pictor tamen Runenſis ad ſiniſtram templi porticum gemino errore lapſus eſt, dum Fundatori clypeum rubro-candidum addidit, cum tamen is color nec Styriacæ, nec Auſtriacæ gentis tunc fuerit: ſed nimirum valde multa licere ſibi id genus hominum arbitratur, ſubjecti ſunt hi verſus: *Sepultura.*

Princeps invictus Leopoldus Marchio dictus,
Fortis, cum ſocia condigna laude Sophia,
Fundaverè pie Runam ſub honore Mariæ,
Hinc dic ſincere pie Chriſte piis miſerere.

CAPUT VI.

De Ottocaro V. Fundatore Seizenſi, Vorav. ac Cerewaldenſi.

Ottocarus V. Fund. Vorav.

§. I.

Piiſſimi Fundatoris noſtri initia, progreſſus, regimen, utinam tam diuturnum, quam felix complectitur breviter MS. noſtrum Genealogicum his verbis: *Otachyr Patri ſuo ſuccedens confortatus, & elevatus eſt.* Succeſſit itaque Patri ſuo an. 1129. vix cunas egreſſus, eo quod Leopoldus fortis ante an. 1123. vel ſequentem Sophiam non duxerit, & quod Ortocarus hic in tabul. Chonr. Archiep. Salzb. an. 1138. *Filius parvulus*, & *Sophia Marchiam ſtrenue ac civiliter regere* dicatur, proin Ottocarus an. 1138. vix plures quam 12. annos ætatis numeraverit, ut adeo infelix Styria noſtra videri potuiſſet, niſi Sophia ſuperſtes, magnitudine animi, rerumque agendarum prudentia fœminam ſuperans domum æque, ac rempublicam pari felicitate regendam ſuſcepiſſet. *Sophia adminiſtrat Marchiam.*

Cl. Frælich Geneal. Souneck. Comit. Celej. ſpecimine 1. fol. 29. ait defuncto Leopoldo in hæreditario Styrenſi Marchionatu, filium Ottocarum V. ſucceſſiſſe, ſed, cum is tum puer eſſet, marcha Carentinarum Hungariæ vicina viro committi debuit, quem *Guntherum de Hochenvvarte* appellat, de quo Chron. Admont. apud P. Hier. Pez tom. 1. pag. 186. *Pro hujusmodi a Gunthero Marchione Ciliæ captus, & vinculatus eſt*, nempe Volvoldus Abb. Admont. circa 1137. Idem Guntherus occurrit in codice Diplom. Admont. num. CII. pag. 775. ubi vocatur *Marchio Guntherus de Hochenvvarte.* *Guntherus Marchio Cilej. Ottoc. V. juv. loco.*

Quæ tamen ex dictis cap. 5. §. 5. contra noſtram ſententiam non faciunt, licet enim ager Celejanus, fors quondam marcha Carinthiæ fuerit, ex MS. tamen noſtro Geneal. cit. patet, Styriæ marcham ſtrenue ac civiliter fuiſſe a Sophia adminiſtratam, jam enim Diſſert. 1. §. 18. dixi, comitatum Celejanum poſt an. 1456. fuiſſe Styriæ inſertum, & ejus quintum quadrantem conſtitutum; Varias enim viciſſitudines antea Celeja ſubiit, ut ſuo loco patebit. Id tamen utcunque certum ſibi perſuadet Frælichius, poſt Guntherum vices Ottocari fors ſolum obeuntem, Carentinorum hunc, ſeu Celejanum Marchionatum ad Ottocarum V. tota fere hodierna Styria potitum, denuo rediiſſe, titulo Marchionis Carinthiæ deinceps omiſſo, & a tit. Marchionis Styriæ velut abſorpto.

Poſt Guntherum etiam Ottocarus V. March. Cilej.

§. II.

Succeſſiſſe Ottocarum V., Leopoldo Patri, tradunt præter MS. noſtrum Genealogicum Chronica fere omnia cap. præced. §. 7. citata, uti & Diplomata varia in fine adducenda num. 8. 9. 17. 33. Errat proin Bucelinus docens Ottocarum V. filium fuiſſe Ottocari IV. & fratrem Leopoldi, præter Leopoldum enim, alium Ottocari IV. filium nemo hactenus detexit. In MSS. Glunicenſ. germanico idiomate exaratis hæc quidem leguntur de Ottocaro IV., ſeu marito Eliſabethæ Auſtriacæ: Dieſer Ottokerius war Herzog in Schwaben und Markgraf in Steyer, und hatte des Markgrafens in Oeſterreich *Leopoldi pulchri* eheleibliche Tochter, und des H. Leopoldi (*vulgo* des Gottesfürchtigen) Schweſter Eliſabeth zur Ehegemahl, mit welcher er zwey Söhne Leopoldum und Ottokarum erzeiget. Sed nec huic narrationi plus, quam veterum Diplomatis tribuendum cenſeo, cum nemo, quod memini, Ottocarum hunc Sueviæ Ducem dixerit, minus ex Diplomate apud Ludewig. tom. 4. lib. 4. inter Garſt. n. 21. probatur, Ottocarus V. pronepos fuiſſe Leopoldi, licet enim in citat. Diplom. Ottoc. V. loquatur ita: *Sicut avus meus Marchio Ottakar ab ipſa loci fundatione, & proavus meus Marchio Leopoldus poſtmodum diligenter firmavit*; in hoc tamen Ludewigi Diploma mendum irrepſiſſe certum eſt, Ottocarus V. enim nepos fuit Ottocari IV., Leopoldus vero non proavus, ſed Pater ejus exſtitit, ut nemo negabit, unde pro voce *proavus* reponenda eſt vox *Pater*, cum addatur *poſtmodum*, quomodo enim proavus poſt avum aliquid conſtituet?

Ottoc. V. Leopoldi filius non frater.

Ottoc. IV. an. Dux Suevia.

Nec pronepos Leopoldi.

Sophiæ matris illuſtriſſimæ mortem documenta nulla, certæ epochæ affigunt: poſt completam an. 1138. fundationem Runenſem obiiſſe primum, jam cap. 5. §. 2. oſtendi, annus neſcitur: dies mortis veterum more ſine anno reperitur in Necrolog. Seccov. & Runenſi *6. Idus Julii Sophia pia Fundatrix monaſterii Runenſis obiit.* Non autem Runenſibus ſolum, ſed & Garſtenſibus fuit munifica, dum eis territorium Gaſſlenz in valle Anaſi tranſcripſit. Cineres ejus mariti cineribus additos, publica quidem monumenta ſilent, traditio tamen locum ambigendi adimit utcunque. v. cap. ſeq. §. 7.

Sophia mort.

§. III.

Inter prima Ottocari noſtri geſta, illud recenſendum, quod parvulus adhuc dedicationi Eccleſiæ Clauſtro-Neoburgenſis an. 1136. a Chunrado Archiep. Salisb. Reimaro Patav. & Romano Gurcenſi peractæ adfuerit; immo tabulis Clauſtroneob. hujus ſolemnitatis teſtibus apud Raderum, primus ſubſcriptus legatur, tertio abhinc anno Regulares Divi Aug. Canonicos Leopoldus pius, fundatæ huic an. 1114. a ſe Eccleſiæ ac Canoniæ ſubrogavit, primusque novo municipio Hartmanus ex inſula Chiemenſi evocatus, ac dein Epiſc. Brixinenenſis, non minus ſanctitate, quam mitra inclytus præfuit; cur autem Ottocarus primus ſubſcriptus fuerit inter teſtes, cenſeo deſumendum, tum ex nobilitate Principis noſtri, cum ex nexu ſanguinis, erat enim S. Leopoldi Fundatoris Clauſtro-Neoburg. ex ſorore nepos. Sophia vero mater, ſubſcripta non reperitur, ea ut opinor de cauſa, vel quod alieno ſolum filii nomine gubernacula tenens, filio Principi locum ſubſcribendi reliquerit, vel quod jam ſenicula & ſecundis an. 1123. vel ſequenti nuptiis ligata, præſens non fuerit, aut fors jam mortua.

Ottoc. V. adeſt dedic. Clauſtro-Neoburg.

Sophia an adfuerit.

§. IV.

Pergit de Ottocaro Fundatore noſtro loqui MS. noſtrum Genealogicum in hunc modum: *Nam præter alia plura prædia trium Principum munitiones ac miniſteriales ei per teſtamentum accreverunt ſcilicet Ottonis Comitis de Naym, & Bernardi Comitis de Carinthia, qui amitam ipſius Chunegundem in conjugio habebat.* Mancum eſſe hoc loco MS. noſtrum, jam in præfatione hujus Diſſert. oſtendi: aſſerit enim trium Principum prædia Ottocaro obveniſſe, at duos ſolum Principes enarrat, nimirum Ottonem Comitem de Naym, & Bernardum Comitem de Carinthia. P. Puſch Chronolog. S. Ducat. Styr. p. 1. fol. 357. tertium ſubſtituit *Eggebertum Comitem de Puttene, ſeu* Pitten, & quidem, ut vult Puſchius ex chartis Voravienſibus, quas tamen Voravii videre mihi nondum licuit, hinc ego tutius eundem quidem Comitem, tertium illum Principem nomine, ſed ex Haſelbachio apud Hieron Pez. ſcript. Auſtr. tom. 2. col. 715. nec ſine cauſa, nam & Ottocarus V. & Chunegundes ejus uxor Comitibus Püttenenſibus erant conſanguinei: Chunegundes Vochburgenſis quidem, quia teſte Biographo B. Adalberonis Epiſc. Herbipolenſ. apud cit. Pez to. 2. f. 7. Arnoldo Comiti Lambacenſi filius fuit Gotfridus dignitate Marchio, & Comes Püttenenſis uti & filia, dein Eggeberti Nivenberg (hodie Neuburgan Inſluß) Comitis uxor *huic filiæ*, ut ait idem Biographus *poſt felicem fratrum exceſſum* (quos inter erat Godefridus dictus) *in ſortem dotis urbs Puttina cum omnibus ad ſe pertinentibus cecidit*, proin Nivenburgenſes Comites ſimul fuere facti Puttinenſes, nempe ut narrat Biographus cit. Arnoldo hæredibus orbato, ſicque Comitatu Pitten filiæ uxori Comitis de Nivenburg. attributo: atqui Nivenburgenſibus conſanguinei erant Vochburgenſes pari ſorte, ac illi Dynaſtæ Bavariæ, proin Chuegundes uxor

Ottoc. V. hæres Comit. de Pütten.

Ottocari V. nata e familia de Vochburg, his Comitibus de Nivenburg, & Pütten consanguinea fuit.

Sed & Ottocarus ipse, Comites Püttenenses, nexu sanguinis attingebat, uti enim jam cap. 2. dixi *Comites de Lambacha consanguinei* fuere Ottocaris nostris, ut adeo mirum non sit, quod Lambacensibus, & Nivenburgensibus sine hærede masculo exstinctis, in Comitatu Puttinensi, tanquam avita Lambacensium dynastia Ottocarus noster, & suo, & uxoris nomine successerit, v. annot. ad Dipl. 4. Godefridum hunc Marchionem Puttinensem Frælichius male ominatur Petoviensem, ut ad an. 1039. ostendam, urbis enim Puttinæ a Petovione contradistinctæ magnificentiam describit Biographus cit. B. Adalberonis his verbis: *Puttina urbs inclyta & famosa, quæ quasi metropolis, & mater civitatum versus Pannoniam ad australem plagam, ad arcendos hostiles Pannoniorum incursus, & devastationes antiquitus constituta fuit.* Schritovinus apud auth. Germ. sacræ tom. 1. in Altmano Patav. num. 3. (ubi Comitum Puttinensium stirpem describit) & num. 4. ait: *Ducum Puttinensium fuit Neuvnkirch, & locus permaximus quondam* Steinfeldt. Ex quibus proin bene arguitur, cum Comitatu Puttinensi Styriæ accessisse totum nunc dictum districtum Neostadiensem, qui, licet sub Rudolfo I. Cæs. Styriæ ademptus & Austriæ adjectus fuerit, hodie tamen adhuc Diœcesi Salisburgensi paret.

Godefrid. Marchio Puttinens. Pütten urbs olim ampla.

Ejus erat Neunkirch, Steinfeld & Neostadium territ.

Neostadium hoc quidem tempore nondum surrexerat, utpote a Leopoldo glorioso Austriæ Duce an. 1207. conditum, teste Vito Arrempeckio apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 1207. Styriæ autem eo etiam anno inædificatum fuisse, vel ex eo conspicitur, quod Paulus II. Rom. Pont. cum an. 1469. Neostadio proprium daret, Episcopum, eum simul a jure Salisburgensium eximere debuerit, licet an. 1469. Austriæ jam accenseretur Neostadium, utpote sub Rudolfo I. Cæsare cum Comitatu Puttinensi Austriæ adjectum. Quamvis vero Cellarum Marianarum Austriæ traditio in nova civitate an. 1136. legatur facta apud Bern. Pez cod. Dipl. col. 320. putat tamen Chrysost. Hantaller tom. 1. fast. Campilil. fol. 198. &c. civitatis novæ nomine venire Viennam, tunc noviter in formam civitatis consurgentem.

Neostadium an. 1207. condit.

Vides ex his amice Lector! Patriæ nostræ sub Ottocaro V. magnitudinem, quæ præter Eppensteinensem vallis Martiæ hæreditatem, Comitatum Mahrburgensem, & Marchionatum de Sounec, seu Cilejanum, Styrensem, nunc Austriæ Comitatum, ampliſſimumque Neostadiensem, ac Puttenensem tractum complexa est, quorum Puttenensis & Neostad. sub Rudolfo I. ut dixi, Styrensis autem sub Friderico pacifico Austriæ primum cessit. Quandonam vero Comitatus Puttenensis Ottocaro V. obvenerit? non adeo liquido constat, Prevenhueberus quidem fol. 15. scribit, Eckebertum Comitem Puttenensem obiisse in expeditione Italica contra Mediolanenses, a Friderico Barbarossa suscepta, cui etiam Ottocarum V. interfuisse, ac cum eo Bertholdum Austriæ Marchionem pugnasse, huicque Neoburgum ad Oenum, Ottocaro vero nostro Lambacum, Puttenam, Schardingam, ac Fornbacum cessisse scribit Prevenhueberus. Sed præterquam quod author hic eandem rem aliter denuo fol. 395. narret, errat in pluribus etiam,

Styriæ magnitudo.

nullus

nullus enim Bertholdus Auſtriæ Marchio, expeditio in Italiam ſæpius ſuſcepta eſt, nempe anno 1158. & 1154. belli præterea Auſtriaci longe alia cauſa, ut ex §. 10. patebit: ex quibus proin Prevenhueberi verbis ſequeretur Eckebertum hunc an. 1154. vel 1158. quia in expeditione Italica defunctum, at cum Eckebertus hic tertius Comes Püttenenſis an. 1156. teſtis adhuc citetur in charta Henr. Bavar. Ducis, ac Auſtriæ Marchionis, cumque an. 1157. in celebri conventu Babenberg. præſens legatur, cenſeo, eum an. 1158. & ante an. 1162. obiiſſe, quo jam ejus defuncti occurrit memoria, quod pluribus probatum vide in annot. ad Diplom. 4. 22. 36.

Ottocarus itaque inter eundem an. 1157. & 1162. Puttinenſis Comitatus hæres factus eſt, ſed non fuit hæc ſola amplitudo Styriæ noſtræ, ſub Ottocaro V. nam etiam hæreditas Ottonis Comitis de Naym ſeu portus Naonis, ad mare Adriaticum ſitus, acceſſit, an ita, ut tanquam pars Styriæ cenſeretur? an ſolum, ut inter avitas Principum noſtrorum veniret terras? aliis diſcutiendum relinquo. Id certum portum hunc, Ottonem Toparcham ultimum ejusdem, Ottocaro noſtro ſupremis tabulis tranſcripſiſſe. Quo vero anno obierit, non conſtat, ante an. certe 1138. quo ejus ut jam defuncti Sophia in fundatione Runenſi meminit, ut v. cap. 5. §. 2. & inter mea Diplom. in fine n. 6. *Portus Naonis Ottocaro cedit.*

Quæ autem Carinthiæ pars, hæreditario jure a Bernardo Comite Carinthiæ, qui amitam Ottocari, Chunegundem uxorem habuit, Ottocaro noſtro obtigerit? non ſatis apud authores conſtat; fors Marchionatus ille Carinthiæ, vel verius *de Souneck*, ſeu *Cileja*, e quo Starcandum, ſeu Popponem a Bernardo dicto expulſum audivimus cap. 5. §. 5. cui dein Ottocari juvenis vice, Guntherus de Hochenwart, ad tempus præfuit. V. loco mox cit. & cap. hoc §. 1. Bernardus vero hic Comes Carinthiæ an. 1148. in expedit. Jeroſ. obiit teſte Gerhoho Reicherſperg. apud Gretſerum lib. 2. de S. Cruce cap. 20. tom. 3. *Item Carinthiæ pars.*

§. V.

Jam ad enarrandas pias Ottocari noſtri fundationes accingar, oportet, de quibus MS. noſtrum ita tradit: *Inſtituit ergo duo cœnobia, unum Voravienſe Canonicorum, & S. Joannis Cartuſienſe, una cum hoſpitali ſito in Cerevvalde.* Præponit author hujus MS. utpote Canonicus Voravienſis, ſuum cœnobio Seizenſi licet antiquiori, refutaturque ex his error authoris MS. Chron. Styriæ, qui alium Seizenſi, Voravienſi alium fundatorem ſtatuit: de fundatione itaque Voravienſis collegii quæpiam prælibabo, ne fuſior ea materia opus ipſum aggravet. *Fundatio Voravv. Colleg. an. 1163.*

Fundatum eſt itaque hoc Canonicorum Regularium cœnobium an. 1163. jam ad finem vergente, quia Fundator ipſe in litteris fundationis memorat filium ſuum, Ottocarum nimirum VI. jam natum, indeque in teſſeram Divinæ gratitudinis, ob filium & hæredem ſibi natum, hoc Monaſterium ſe fundaſſe (v. litteras fundationis inter mea Diplomata in fine num. 32.) id quod etiam Ottocarus VI. filius in litteris an. 1184. datis profitetur. V. inter Diplom. mea num. 62.

An

An cervus cum cruce Ottocaro in loco Vorav. apparuerit.

An fundationi huic cervus inter cornua, Crucifixi imaginem referens, & Ottocaro nostro apparens, occasionem dederit, placere mihi hactenus non potuit; præterquam enim, quod nulla suppetant documenta, castrum Vorawe inter duo dumeta, ut volunt constitutum, pictorum inventum videtur, quod criticorum regulæ plerumque rejiciunt; immo contra hoc castrum documenta vetera pugnare videntur, quibus docemur Principes Styriæ in Comitatu solum Styrensi suum fixisse Domicilium; nullum præterea Diploma hic loci signatum invenitur, quod tamen, si castrum fuisset Voravium, etiam hic contingere debuisset.

Traditio itaque, & pictorum licentia ultra præteritum sæculum non ascendens tanti non sunt, ut animo præjudiciis libero, & recte cogitanti id persuadere queant, præsertim cum antiquæ chartæ, de his altum sileant. Sane si traditio antiqua fuisset, scriptores veteres chartis suis inferre eam non intermisissent, quod argumenti genus, negativum licet, validum tamen est ex eo, quod Chronica præcipue veterum, ad similia prodigia non raro recurrentium eam nec hic reticuissent. Unde bene in præfat. Fleury. edit. Lipsi. tom. 1. fol. 52. *Traditiones incognitæ etiam historiarum antiquissimarum, quæ nunquam, vel noviſſimo ſolum tempore annotatæ fuerunt, nec minimam merentur fidem, præſertim ſi aliis probabilibus hiſtoriis repugnent.* Nec obest, quod Chronographus noster ætate recentior sit, traditio antiqua autem illa longe antiquior, nam impugno solum isthanc traditionem, quæ vel hoc ipso, quod Chronographus noster recentior ejus non meminerit, adhuc junior Chronographo nostro esse convincitur. Quid quod author MS. nostri Genealogici, homo 13. sæculi, eam quoque ignoraverit; neque enim eo declinabo, ut Monasterio nostro satis prospectum non putem, ni originem ejus, ostentis cælicis & prodigiis alligem, more veterum, de quibus jam plura dixi.

Prædium Vorav. quid.

Minus. crediderim, in oppositam nobis sententiam quempiam motum iri, audito *prædii Voravii* nomine, quod nimirum exinde hic loci, vel ædes venatorias, vel villam pascuariam Ottocaro nostro fuisse quis putet; Chronicon enim nostrum ita habet: *Prædium Voravv habuit olim unicam Eccleſiam, prædium*, inquit, *non arx, caſtellum vel villa paſcuaria*, qualiter quidam violente nimis interpretantur, nam Cangius verbum *prædium*, vel *allodium* non interpretatur *caſtrum*, sed *territorium diffuſum*. Quod si autem supponas arcem hic, vel villam pascuariam exstitisse, cur sedulo author Chronici nostri addidisset, *unicam habuiſſe Eccleſiam*: quot enim in arce, vel villa pascuaria existent Ecclesiæ? sed recurramus ad litteras fundationis nostræ: in illis ait Fundator: *ad removendam omnem ambiguitatem &c.* terminos dein enarrat nimirum: *Ab aqua Voravve ad aquam Lavenz*, ut nimirum territorium integrum & satis diffusum ostendat, immo ait Fundator: *Etiam ſtatuimus, ut per omne prædium noſtrum, & quocunque noſtræ ditionis, atque regiminis progreditur judicium, nullus multæ &c.* Ex quibus mihi quidem clarum fit, non arcem, vel castrum, sed territorium, prædii nomine hoc loco venisse; ridicule enim Ottocarus, ad removendam omnem ambiguitatem, terminos castri omnibus spectabilis determinasset, & fru-

stra

ſtra Chroniſta noſter adnotaſſet prædium Voraw *olim* unicam ſolum habuiſſe Eccleſiam. Opinor itaque Chroniſtam noſtrum ex reg. critica Cyrilli Alexandr. apud Amort, fuiſſe locutum, nimirum *ille ſenſus verbis ſubeſſe cenſendus eſt, qui iis plerumque ſubjicitur.* Item *omnis ſignificatio verborum ſequitur modum objecti obvium.*

§. VI.

Prædium itaque Vorav., alendis Canonicis deſtinatum olim unicam cum ſepultura habuit Eccleſiam an. 1149. Indict. 13. Idibus Dec. a Romano Epiſc. Gurcenſi dedicatam teſte Chron. noſtro MS. his verbis: *Hoc prædium Vorav. erat ſub dominatione Ottocari, & habuit olim unicam Eccleſiam cum ſepultura in loco hujus Monaſterii. An. MCXLIX. Ind. 13. dedicata erat ipſa Eccleſia Id. Dec. a Vener. Romano Gurcenſi Epiſc. in honore S. Thomæ Apoſtoli; tandem originem ſumpſit hoc cœnobium &c.* Oritur ex his quæſtio, an Eccleſia hæc S. Thomæ vetuſtior ſit illa Eccleſia S. Ægidii in foro ſeu oppido Vorav. ſita? de qua alio loco. Cum vero Chroniſtes noſter dicat olim unicam in prædio Voraw fuiſſe Eccleſiam; implicite aſſerere videtur, *ſubin*, ſeu *ſucceſſu temporis* plures fuiſſe, quod denuo arci, vel villæ non convenit. Chronographi certe noſtri ætate jam plures erant hic Eccleſiæ S. Ægidii in oppido S. Nicolai in Ranberg. S. Crucis extra oppidum, & S. Joannis penes collegium. *Eccleſia S. Thomæ ante Colleg. Fund.*

Præterea, cum dicatur, *unica olim cum ſepultura* fuiſſe, aperte quidem non profitetur parochialem, facile tamen id ex eo conjicitur, quod alias non appareat, quam parochialem Eccleſiam nobis S. Eberhardus Archiep. Salisburg. vivæ vocis oraculo, & Conradus Archiep. itidem Salisburg. per Diploma an. 1168. dediſſet, nam Eccleſia nunc parochialis S. Ægidii cum illis S. Nicolai S. Crucis, & S. Joannis tardius ſurrexerat, & Eccleſiæ nunc parochiales S. Jacobi in ſylvis S. Margaritæ in Wenigzell, in chartis veteribus ſolum capellæ appellantur. *An parochialis.*

Qua de cauſa vero Eccleſia S. Thomæ a Romano Gurcenſi Ep. fuerit dedicata, facile perpendet, qui ſtatum Styriæ, tunc omni Epiſcopo deſtitutæ, noverit, ut proin Gurcenſis Epiſcopus plures Patriæ noſtræ Eccleſias, eo tempore dedicare debuerit, ac Diplomatis etiam ſubſcripſerit, tanquam Vicarius Archiep. Salisburg. ut v. Diplom. Runenſe inter mea num. 9. ubi ſic ſubſcriptus legitur: *Ego Romanus Gurcenſ. Eccleſiæ Epiſcopus vices Chunradi Archiep. tenens recognovi.* *Romanus Ep. Gurc. Vicar. Gen. per Styr.*

§. VII.

Ut autem quidpiam de litteris fundationis noſtræ (quas inter mea Diplom. in fine num. 32. vide) attingam; conſtat ex iis, Ottocarum motu pietatis ac probabiliter etiam in gratiarum actionem obtenti hæredis, prædium Voraw. ea lege Archi-Epiſcopo Salisburg. contuliſſe, ut in eo viri Religioſi ſecundum regulam S. Auguſtini viventes, ponerentur; adjecit alia etiam bona, exemptionem nempe a publicis teloneis, advocatiam liberam &c. pro ſuſtentationis augmento. Eodem in Diplomate Fundationis deſcribit, *primo* terminos prædii Vorav. nempe *inter aquas Voravve & Lavenz*, cui alia etiam bona *inter La-* *Vorav. Saliſburgenſibus qua lege datum.* *Vorav. prædii termini.*

venz & *Tucham minorem* ab origine rivuli Sulzbach, aliorumque fluminum addidit, statuens simul, ne ea in alios usus, ab Archi-Episcopis Salisburg. converterentur; nec mihi sat credibile videtur, in prædio Voraw, ab origine rivorum Voraw & Lavenz usque in Hungariam unicam fuisse Ecclesiam, sed probabilius prædium Voraw ad confluentem Voraw & Lavenz fuisse finitum. *Secundo* alpes, quas addidit Fundator, & contiguas prædio Voraw dixit, usque *in* Cerewald (hodie Spital in valle Martia ad Cistercienses Novimontanos spectans) protensas, alpes erant montis Wexel, quas fundatas licet, amissas denuo, magno ære comparavit Reverendissimus Præsul noster Daniel, ut suo loco patebit. *Tertio* pro fundatione sua, a nobis Fundator piissimus non aliud exegit, quam *ut apud omnipotentem Dominum nostrum* (inquit Fundator) *pro nostris & omnium antecessorum nostrorum peccatis assidue intercedant, & orent*, Canonici nimirum Voravienses, cui obligationi quotidiano pro Fundatoribus sacro, una cum aliis functionibus religiosis, maxime vero pensu horarum Canonicarum quotidiano satisfacimus. *Quarto* Locus Fischac dati Diplomatis, diœcesis erat Salisburg. nam alias Conradus Salisburg. an. 1168. inibi nobis decimas dare non potuisset; credo tamen, locum fuisse distinctum ab eo, qui nunc existit infra Viennam versus Hungariam, eo enim diœcesis Salisburg. nec tunc temporis erat extensa. Præterea Chron. Admont. apud P. Hier. Pez tom. 2. ad an. 1172. de Adalberto Archiep. Salisburg. ait: *Quod apud Vischa ordines celebraverit*, quare locum hunc intra diœcesim Salisburgensem fuisse, clarum est. *Quinto* Tempus dati Diplomatis est an. 1163. dies & mensis abest, in fine tamen anni datum colligo ex §. 5. quo Ottocarum VI. die 19. Aug. ejus anni natum dixi, & docet Chron. Admont. cit. col. 189. his verbis: *Otaker* (VI. nempe) *Marchioni filius nascitur ejusdem nominis XIV. Kal. Septembr.* fundatio tamen eo anno absoluta videtur, cum Ottocarus dicat, *se viros Religiosos* ibidem *collocasse*. Quo anno, ac unde prima colonia Voravium deducta sit? liquido non constat; fors ex cathedra Salisb. tum regulari, atque aliis etiam Canoniis, uti Claustroneoburg. & Seccovienſi providente; censeo tamen utcunque probabile, ex Seccowe primam nostram coloniam deveniſſe: Leopoldus enim primus in Vorawe Præpositus, antea Canonicus Salisburg. ac Decanus Seccovienſis fuit, teste Thoma Jurichio Can. Cath. Seccov. de quo plura ipso in opere.

Wexel *alpes dantur Vorav.*

Obligatio Voravv. pro Fundat.

Fischach *locus dati Diplomatis.*

Tempus dati Diplom.

Prima colonia ex Seccov.

§. VIII.

Seiz *Cartusia.* Antiquior Collegiata nostra Voravienſi, erat Cartusia Seizensis ab Ottocaro nostro an. 1151. fundata, & antiquissima totius Germaniæ, originem progressum ejusdem, ipso in opere dabimus, interim videri potest Pusch Chronol. Duc. Styr. part. 1. fol. 337. & P. Erasmus Frælich Diplomat. S. Ducatus Styr. part. 2. fol. 58. exspecto enim documenta quæpiam ab ipsa hac Cartusia celeberr. Diplom. tamen ejusdem aliqua vide inter mea in fine num. 34. 60. 65. &c.

Hospitale in Cerewald. Tertium munificentiæ suæ monumentum, exstruxit Ottocarus ad radices montis Semering, domumque ibi recipiendis pauperibus, &

peregri-

peregrinis Cerewaldi fundavit. Exſtat liber ſub titulo: fons ſignatus, ſeu divæ hoſpitalenſis hiſtoria, Salisburgi in lucem edita, ex qua uti & Diplomate Friderici I. an. 1166. confirmatorio hujus hoſpitalis (v. inter mea Diplomata num. 36.) plura in opere ipſo dicam. Uxorem vero Ottocari noſtri edocet nos MS. noſtrum Genealogicum hiſce: *Accepit etiam uxorem Chunegundem filiam Diupoldi Marchionis de Vohenburg, & genuit ex ea Otachyr primo Marchionem, deinde Ducem.* Id ipſum habet Bulla confirmationis Colleg. Vorav. & litteræ fundationis ejusd. v. in fine Diplom. num. 32. 38. 39. & Diplomata plurima Ottocari hujus, ac VI. etiam, conveniuntque authores fere omnes. Geneſim Vochburgenſium, a Ducibus Bavariæ deductam, exhibet Bucelinus hiſtor. Agilolfingica f. 413. Diepoldus enim parens, noſtræ Chunegundis, 2dus in ſerie horum Marchionum ponitur, mater Adelhaides Duciſſa Poloniæ, & prima Diepoldi uxor, ſecundis enim nuptiis ſibi junxit Mechtildem Guelphicam. Marchiones Vohburgenſ. eosdem cum Cambenſibus fuiſſe ex Chronico Henrici Steronis cit. Diſſ. 1. §. 31. patet.

Uxor Chunegundes Vohburgica.

Geneſis Vohburgenſium.

Iidem erant cum Cambenſibus.

In Diplomat. Garſtenſi apud Ludewig tom. 4. fol. 194. num. 8. in Diplomate, ad marginem adnotato an. 1096. inter teſtes reperitur primus: *Dieboldus Marchio de Vohburc.* Fors avus fuerit Chunegundis noſtræ, ſi annus 1096. ſubſiſtat; caſtrum Vohburg in hodierna Bavaria exſtare teſtantur recentiores, & ſæc. 13. ea gente deficiente, bona eorum ad Duces Bavariæ ſunt devoluta.

Vohburg caſtr.

Genealogiam Vochburgenſium ita ordinat Bucelinus cit. fol. 413.

Genealog. Vohburgenſ.

Bertold. Bav. Dux, Frat. Germanus Arnulphi mali filius Luitboldi Bav. Ducis, e poſteris Caroli M.

Henricus I. Marchio & Comes de Vochburg & Cham Flor. ann. 989. uxor N.

Bertholdus I. Marchio an. 1010. uxor N.

Arnulphus I. aliis *Henricus*, Nabb ſi. merſ. 1049. — *Eberhardus I.* incertum an conjugatus.

Bertholdus II. uxor neſcitur. — *Arnulphus II.* ſeu *Arnold* Prior S. Emeranni Hiſtor. inſign.

Arnulphus III. ſeu *Arnold*, uxor neſc.

Henricus II. uxor neſc.

Diepold I. ſeu *Theobald. I.* ux. Lutgarda Com. de Caſtel & Sulzbach, avus Chuneg. Fundat. Vorav. — N. March. & Comitiſſ. conj. Wolfram9 Com. de Abinberg. — *Eberhardus II.* Marchio, vel *Bernardus.*

Diepold II. ſeu *Theobald II.* ux. 1. Adelhais Dux Pol. 2. Mechtildes Guelphica, hic & Adelhais parentes Chuneg. Fund. Vor. v. an. 1146. — *Hermanus*, ux. Alberada, Com. & hæres de Päntz. — *Godefridus* Com. de Nürnberg, uxor neſc.

Chunegund. Fund. Vorav. mar. Ottoc. V. Marchio Styriæ. — *Sophia* Mar. Berth. Com. Lechsgmünd. — *Bertold. III.* ux. n. Com. de Clamm. — *Adelhais*, M. I. Frid. I. Imp. 2. n. Comes Ravenſperg. — *Judita* marit. Frider. Com. de Pogen. — *Riehſa* maritus N. Dux Bohemiæ.

Eberhardus III. Norimberg. Burggravius.

In Diplom. Admont. 108. apud Bern. Pez lego etiam *Bernardum*, quem tamen in tota hac serie non invenio, censeo alicubi interveniſſe errorem, & vel legendum eſſe *Eberhardum* Thiepoldi I. fratrem, vel Eberhardo ex Diplom. Admont. ſubſtituendum *Bernardum*.

§. IX.

Ottoc. VI. filio.

Genuit ex Chunegunde, Ottocarus noſter filium unicum, Ottocarum VI. primum Marchionem, dein Ducem, ut inſinuat MS. noſtrum Genealog. ſupra citatum. Leopoldum nullum fuiſſe Ottocaro noſtro filium, ex chartis noſtris Voravienſibus clare oſtenditur, cum ante Ottocarum VI. nullus fuerit Ottocaro V. filius, & Ottocarus V. mox a nativitate Ottocari VI. obierit, anno nempe 1164. die 31. Dec. Ottocarus VI. natus eſt præcedenti anno, die 19. Aug. ut oſtendi §. 7. Adfertur quidem inter Diplomata Garſtenſia unum de anno 1163. quod inter mea n. 31. vide, in quo ſubſcriptio ſequens legitur: *Inveſtituræ teſtes ſunt Leopoldus Marchio filius meus.* P. Frælich in Archontol. Carinth. p. 2. fol. 189. putat, hæc ex alio Ottocari IV. Diplomate male fuiſſe Diplomati prædicto Ottocari V. intruſa, & ſane id ipſum contigiſſe judico, cum Leopoldus hic Ottocari V. filius, nec antea, nec poſtea occurrat; Diploma vero, ex quo hæc ſubſcriptio deſumpta eſt, illud ipſum videtur, quod Ludewig n. 25. refert, quo Ottocarus IV. cum filio Leopoldo ſalem Hallenſem donat Garſtenſibus, cui in fine ſubjicitur: *Inveſtituræ autem teſtes ſunt Liupoldus Marchio filius ejus.* In his quidem omnibus cum Frælichio ſentiendum judico, non tamen, dum ſui quaſi oblitus, in Diplom. Garſtenſi num. 10. fol. 45. in titulo poſuit. *Ottocarus V. teſte filio Leopoldo confirmat Garſtenſibus.* V. Diplom. meum 31. in notis enim ejusdem Diplomatis videtur Frælichius Ottocaro V. præter Ottoc. VI. filium, etiam Leopoldum adſtruere, ſed ſuppoſito Leopoldo Ottocari V. filio, non continuaretur, ut putat Frælichius, ſed obſcuraretur potius Genealogia Marchionum Styriæ. Sane, ſi Leopoldus Ottocari V. filius fuiſſet, & inveſtituræ dictæ Garſtenſi an. 1163. præſens teſtis, cur ſenior Ottocaro VI. eo primum anno nato, Patri ante Ottocarum VI. non ſucceſſit? cur Chunegundes Marchiam Ottocari VI. filii parvuli loco adminiſtravit? ſi vero mortuus antea ſupponatur, quis ejus mortem conſignavit? quo anno? menſe? die? tacent omnes Chronologi, Necrologia & documenta, ut adeo affictum tantum Ottocaro V. filium Leopoldum credibile videatur. Nec obeſt noſtræ ſententiæ Diploma Admont. codice Diplom. P. Bernardi Pez tom. 3. num. 63. col. 760. allatum, inter mea in fine num. 64. affixum male an. 1176. a P. Bern. Pez. Cum ſpectet ad an. 1185. vel ſequentem, ubi inter teſtes legitur *Luipoldus frater Ducis*; cum enim promiſcuo inter aulicos, & miniſteriales, non primo poſt Ottocarum, ut deceret, ſi frater fuiſſet, loco referatur, non inaniter colligo, vocem Ducis, non dignitatis, ſed familiæ fuiſſe cognomen, id quod ex alio Diplom. Garſtenſi eruo num. 17. ubi inter teſtes alios comparent *Henricus, Dietmarus, & Chunradus fratres Duz, Gallen &c.* atque in tabulis Eccleſiæ Seccov. *Otto cognomine Dux* lares Judenburgi habuiſſe memoratur: præ-

Leopoldus nullus filius Ottocari V.

terea

terea in Conc. Ravennat. an. 954. apud Harduinum tom. 6. col. 617. ſubſcriptus eſt *Honeſtus Subdiaconus filius quondam Joannis, qui vocatur Joannes Dux.* Sed mihi domeſtica ſufficiunt documenta, quibus Ottocarus VI. in membranis omnibus ſe tantum ex avita Marchionum ſtirpe ſupereſſe memorat, v. Diplomata mea in fine præcipue num. 63. ubi Chunegundes ſolius Ottocari filii meminit, & reliqua fere omnia Diplom. ſubſequa uti 36. 62. &c. Ottocarum VI. ſolum filium Ottocari V. fuiſſe oſtendunt.

§. X.

Antequam clementiſſimi Fundatoris noſtri mortem referam, alia ejusdem acta a MS. noſtro Genealog. præterita recenſenda veniunt, ordine, quantum fieri potuit, Chronologico: *Acta Ottoc. V.*

An. 1138. cummatre ſua Sophia, Runenſibus munificus fuit, & varia donavit, atque eod. an. cum eadem piiſſima matre ſua, in favorem Runenſium concambium cum Chunrado Salisb. facit. V. Dipl. mea. n. 89. *Munificus Runenſibus.*

An. 1142. Conradus Salisb. quædam donat Canoniæ Seccov. & præſens ac teſtis huic donationi in Frieſach factæ, fuit Ottocarus V. v. Diplom. 3. in Diplom. Styriæ P. Frælich p. 1. inter Seccov. *Seccov.*

An. 1144. Prædium Werendorff, Ottocarus reſignat Chunrado II. Regi, in favorem Runenſium. v. Dipl. mea num. 10. *Runenſibus.*

An. 1145. Dietericus Enenckl, miniſterialis Ottocari V. eo concedente munificus eſt Garſtenſibus. v. Diplom. mea num. 12. *Garſtenſ.*

Eod. hoc an. turbis bellorum immixtus eſt Ottocarus noſter, dum enim Cæſar Henrico Auſtriaco, Ducatum Bavariæ adderet, exulceratus Guelpho, integras nepoti faſces negans, fœderato ſibi Ratisbon. Epiſc. Boicam & Auſtriam depopulatus eſt. Duravit diſſidium, cum Guelfo Ottocarum Marchionem noſtrum, ex Sophia nepotem, ſibi attraheret, quocum proin, etiam Auſtriam vaſtavit Ottocarus noſter, licet ipſis etiam Auſtriacis conſanguineus, utpote Henrici Auſtriaci, ex Eliſabetha Auſtriaca, & Ottoc. IV. uxore, proin Ottocari V. matertera magna nepos: ſtragem hanc Auſtriæ ſuo loco ex Chron. Clauſtroneob. aliisque dabo, id unum interea obſervans, Puſchii fol. 325. narrationem ex annal. Vorav. de dira in Auſtria, hisque terris fame (ut paſſim arborum cortices & radices in alimenta verterentur) non has ſolum terras concernere: nam nec Voravienſes, nec Reicherſpergenſes annales de his tantum terris loquuntur, ſed ajunt *per omnes fere terras*, ejusque cauſam non in bellum, ſed in immitis Saturni conſtellationem lepide, pro temporum illorum more, cum Chron. Mellic. rejiciunt. *Auſtriam populatur.*

An. 1146. Ottocarus noſter, Runenſibus donat villas Rez, Straſindl, & Judendorff &c. v. Diplom. mea. num. 13. atque eodem an. confirmat Henrici de Dunkenſtain miniſterialis ſui donationem Runenſibus factam, in caſtris ad Viſcha locatis, uti & concambium inter Abbat. Runenſ. & S. Lamberti factum, v. Diplomat. mea num. 14. 16. præterea in favorem Runenſium cedit Conrado Regi prædium inter Sedingam & Suſtrizam. v. num. 15. *Munificus Runenſibus.*

Sacræ militiæ accingitur. *An.* 1147. ad ſacram militiam, ſe accinxit: Edeſſa enim a Barbaris circa 1144. expugnata, Guelpho Bojus Henricum Auſtriacum, & Ottocarum noſtrum, ſibi junxit, atque cum iis ſub Conrado Imp. & Ludov. Galliæ Rege in eosdem barbaros movit, de quo ampliſſime tractant Otto Friſing: ad an. 1143. lib. 7. Chron. cap. 30. apud Gretſerum tom. 3. de S. Cruce lib. 2. cap. 18. Chron. Admont. Eugen. III. epiſtol. an. 1145. ad Reges & Primores Galliæ Kal. Dec. datæ, Baron. & Pag. an. cit. Aderat bello huic cum Ottone Friſing. etiam S. Bernardus Abbas Clarevall. crucem prædicans, cruce ſignati Principes innumeri, ipſaque Regina Galliæ, & teſte Ottone Friſing. Baron. & Gerhoho Reicherſp. etiam *Odoacer Marchio Styriæ cum magno ſuorum Comitatu*, anno nempe 1147. poſt curiam menſe Febr. habitam. Plura de his in ipſo Chronico. Vide Prevenhueb. fol. 395.

Munificus S. Lambert. *An.* 1149. donat S. Lamberto Eccleſiam S. Mariæ, & S. Michaelis in Grazluppa. Ex tabul. S. Lamberti apud P. Frælich Archont. Carinth. p. 2. fol. 187.

Runenſ. *Anno* 1149. rediit e Palæſtina Ottocarus cum Cæſare, & reliquis, & monumentum ſuæ pietatis Runenſibus attulit, iconem nimirum B. V. M. a D. Luca, ut ferunt, pictam, in Solymena Baſilica, tunc exiſtentem, quæ dein in Straſindl locata hodie adhuc colitur.

Advocatus Bambergenſ. *An.* 1151. & 1154. Eberhardus Ep. Bamberg. in 2. chartis Ottocarum fidelem ſuum, & Advocatum ſuum vocat. v. Chron. Reicherſp. Ludewig. ſcript. Bamberg. vol. 2. p. 262. & 266. Egi de hoc Diſſert. *Reichenſpergenſ.* 1. §. 31. De Fundat. Seiz. jam dixi §. 8. Reicherſpergenſibus *eod. an.* 1154. vicum Münſter in Bavaria ſitum concambio tradidit, quod a Cathedra Bamberg. feudum habuit. Prevenhueb. ex Chron. Reicherſp. fol. 395.

Munificus Seccov. & Advocatus eorum. *An.* 1152. Collegiatæ tunc Seccov. Eccleſiæ Advocatus eſt conſtitutus, ita enim narrat codex MS. noſtræ Biblioth. *An. MCLII. Anaſtaſius Papa Romanam regebat Eccleſiam &c. Fridericus Dux Suevorum. Wernhero Præpoſito inſtanter petente Odoacer factus eſt ſolemniter Advocatus Seccovienſium.* Nimirum, quæ vero donaverit Seccovienſibus, videnda ſunt ex Bulla Alex. III. apud P. Frælich p. 1. inter Diplom. Seccov. num. 18. fol. 158.

Abit in Italiam. *Anno dein* 1154. Ottocarus noſter, Fridericum nondum a Papa digreſſum, & in Italiam ad edomandos Mediolanenſes abeuntem ſecutus eſt, altero iterum anno cum Imperatore regreſſus. At quamprimum *Alexandro vero Papæ adhæret.* ab Imperatore, Alexandro vero Papæ, victorem Antipapam opponi animadvertit, Ottocarus etiam Imperatorem deſeruit, & transmiſſa in Gallias epiſtola, prona legitimo Pontifici obſequia per ſuos legatos detulit, ſimulque confirmationem Cartuſiæ Seizenſis, & primos colonos a Pontifice petiit. Diploma id refert Puſch Chronol. Ducat. Styr. parte 1. fol. 352. aſt, ût obſervabo ad Diploma, inter mea num. 51. id Diploma an. 1177. datum, Ottocari VI. videtur, & de Seizenſibus, nec verbum adducit, ſed ſolum de Garſtenſibus; Judico tamen Ottocarum noſtrum Alex. Summo Pontifici ſcripſiſſe pro transmittenda in Cartuſiam Seizenſem colonia, eamque impetraſſe; epiſtolam tamen hanc inſpicere nondum licuit.

Poſt

Poſt an. 1154. in commutatione Chunradi Ep. Patav. cum Sigehardo Abbate Garſt. Ottocarus Advocatus Garſtenſis prædia tradidit, & teſtem egit cum Cadelhoco Præp. Patav. qui teſte Hanſizio tom. 1. an. 1143. Præpoſitus fuit, ejusque Succeſſor Albanus jam anno 1165. præpoſituram finivit. Pl. v. an. 1154. *Advocatus Garſtenſis.*

Anno 1156. in charta Eberhardi I. Salzburg. Archiep. qua Runenſes a decimis eximit, *Ottakar Marchio* teſtem egit. v. Diplom. Run. 8. apud P. Frælich. *Runenſibus favet.*

Anno 1161. Ottachar Marchio Styrenſis confirmat permutationem prædiorum factam a Wernhero Præp. Seccov. v. Dipl. mea num. 19. *Seccovienſibus.*

Anno 1162. Admontenſibus donat *alpem Scobern*, dictam, verſus caſtrum ſuum Eppenſtein. Ceſſit etiam juri ſuo ſuper quasdam Vineas, eidem Monaſterio traditas, pluresque alias ſuorum donationes, Monaſterio dicto factas confirmat. v. Diplom. mea num. 21. ad 31. *Admontenſibus.*

Anno 1163. declarat advocatiam Garſtenſem liberam, eorumque donationes a Leopoldo Patre, & majoribus ſuis factas confirmat. V. inter mea Diplomata num. 31. de Fundat. Vorav. jam §. 5. 6. 7. egi, eodem hoc an. inter Marchionem noſtrum, & Præfectum caſtri Epiſcopalis Petovii, vel ut Puſch, Leibnizii ortum eſt diſſidium, quod refert ſcriptor vitæ S. Eberhardi apud Caniſ. tom. 3. Marchio noſter, hominem arci incluſum obſidebat, Eberhardus Archiep. hoc audiens, Styriam ipſe adiit, intrepitusque, quia fretus pietate Marchionis, medium agmen tranſiit dicens: *In meum aſcendam caſtrum quis obſtet? videbo*, moxque pax coaluit, nam Marchio Præfectum ab Archi-Epiſcopo ad competentem ſatisfactionem obtinuit. *Garſtenſibus.* *Diſſidium inter Ottoc. & S. Eberhardum ob caſtrum Pettav. vel Leibniz.*

An. 1164. Runenſibus dat Curtifera Græcenſia. v. inter Diplom. mea num. 34. *Runenſibus.*

Eodem an. Fundatam a ſe dotat Cartuſiam Seizenſem. v. inter Diplom. mea num. 34.

§. XI.

Ultima jam fata fundatoris noſtri, exponenda ſunt, mors nimirum, ac ſepultura ejus; mortem ejus conſignat MS. noſtrum Genealogicum his verbis: *Defunctus eſt autem anno Domini MCLXIIII. filium Otachyr, de quo prædictum eſt, relinquens hæredem;* conſentiunt MS. noſtro Chronic. Salisburg. *an. MCLXIIII. Otacher Marchio Styrie - - - obierunt*, Chron. Auſtriaci Conſulis cujusdam Viennenſ. Chronicon Honorii, & Admont. quod ait: *Otacher Marchio de Styra obiit in peregrinatione.* Fuſius id declarat Chronographus Reicherſperg. anno 1165. *Odoacer Marchio de Styra - - - mortuus eſt 2. Kal. Jan. in Hungaria in loco, qui Quinque-Eccleſienſis dicitur, dum eſſet in via, in qua ad ſepulchrum Domini proficiſcebatur.* Idem habet Biographus B. Bertholdi Garſtenſis citatus jam cap. 3. §. 9. volebat nempe Marchio noſter piiſſimus, Palæſtinam, quam circa annum 1147. miles cum Auguſto adiit, nunc pie peregrinus inviſere, at ex ipſo itinere ad feliciorem Patriam evocatus eſt. *Mors Ottoc. V. an. 1164.*

Ex his refellitur error Anonymi Leobienſ. Ottocarum Fundat. noſtrum cum filio Ottocaro VI. leproſo ac ſine prole defuncto confundentis,

dentis, qui error palmaris refutatione non eget. Cur autem Chron. Reicherspergense cit. annum mortis Ottocari V. assignet 1165. ratio videtur, quia more veterum annum a die nativ. orditur; narrat enim post mortem Ottocari plura, quæ posterioribus mensibus ejusdem anni contigerunt, & in Diploma Seiz. inter mea n. 34. vel mendum irrepsit, vel Marchio id hoc in itinere subsignavit, fors Seizii divertens.

Dies mortis. Diem mortis Chronographus Reicherspergensis in Bibl. Vorav. assignatus, atque ideo a Pusch sub nomine codicis Vorav. citatus ponit 2. Kal. Jan. seu 31. Dec. concordant 3. vetusta Kalendaria Biblioth. nostræ MS. num. CC. CCXXV. & num. CCLXXV. & Necrologium Seizense. Dissentiunt Necrolog. Seccov. & Runens. in Diplom. P. Frælich p. 2. quæ diem 30. Dec. diem mortis ponunt: fors retineri posset regula Pagii cap. 4. §. 12. insinuata.

Testamentum Ottoc. V. Testamentum Ottocari aliqua ex parte colligimus, ex Diplomate Chunegundis viduæ, legata mariti exequentis, quod inter mea num. 37. vide. In eo legimus, inter alia, quæ Ottocarus in extremis vitæ disposuit, fuisse cifum aureum, appendentem, pondus sex marcarum, quem proin confringi, & per diversa claustra dividi jussit, ex quo una marca Seccovienſibus obvenit. Reliqua latent.

§. XII.

Mors Chunegund Fundatric. Vor. Fundatrix nostra Chunegundes, ante an. 1181. vel seq. defuncta videtur, ita colligo ex Diplomate Garstensi 15., inter mea n. 54. in quo Ottocarus Styriæ Dux, missas in Garsten, pro suo itinere in Jerusalem fundans, apertis verbis fatetur, se etiam *ob Dei timorem & animæ matris nostræ redemptionem mansum unum in Uchsenberg delegasse* Garstensibus, quæ verba utique mortuam jam matrem indicant. Datum est vero Diploma id an. 1181. vel sequenti, ut in Diplom. meis vide. Unde assensum non meretur author Chronici Admont. apud P. Hier. Pez tom. 2. script. Austr. col. 191. docens ad an. *MCLXXXIV. - - - Chunigunt Marchionissa Monialis Admuntensis obiit.*

Dies mortis. Dies etiam mortis controvertitur; *XI. Kal. Dec.* Chunegundem mortuam, habent Necrologii Admont. excerpta apud cit. P. Pez col. 209. his verbis: *Chunegunt ex Marchionissa conversa*, atque in iisdem excerptis col. 205. *ad* 13. *Kal. Augusti* eadem leguntur excerpta Necrologii Seccovienſis apud P. Frælich Diplomatar. Styr. part. 2. fol. 363. ita habent - *Chunigunt Co.* (Comitissa vel conversa?) *mater Otachari Ducis*, superadditur vero ibidem *de Lounkirchen* proinde dubium est, an hæc vox ad Cunegundem, an Juditham C. spectet? præterea ibidem non determinari diem observo, sed inter 11. *Kal. Dec.* & 8. *Kal. Dec.* incerto die referri. Apud cit. P. Frælich fol. 365. habentur excerpta alia ex Necrologio fraternitatis Canonic. Seccovienſium, in iis legitur: *pridie nonas Decembris Chunegunt Marchionissa*, & *XI. Kal Decembris Chunigunt Marchionissa mater Ducis Styrensis.* Tandem Collector Seccovienſis apud eundem Frælich part. 1. fol. 156. ad an. 1164. ita scribit: 2. *Kal. Dec. Chunegunt Marchionissa mater Ducis Styrensis obiit*, ut adeo ambiguus etiam dies obitus Chunegundis maneat.

Ubinam

Ubinam vero eadem sepulta? quondam vix dubitaveram, in loco professionis suæ, seu Ad montes sepulturam obtinuisse, nec credibile mihi visum, eam ex loco Professionis, seu Voravium, seu Seizium fuisse deductam: jam vero aliter sentiendum judico, non quidem, quod Voravium deducta sit, quod Haselbachius sub dubio in Chronico suo apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 718. statuit dicens: *Ottocarus II.* (nobis V.) *obiit anno Domini* 1164. *ut fertur, in Vorav. cum uxore sepultus.* Sed Seizium devectam, & ad maritum suum dulcissimum sepultam fuisse sequentes paragraphi dabunt. *Chunegund. sepultura.*

§. XIII.

De sepultura itaque Ottocari V. & Chunegundis uxoris, quæstio insignis agitur, inter Canonicos Voravienses, & Cartusianos Seizenses. Hi pro se monumentum sepulchrale eximium, ac documenta domestica? illi documenta solum, antiqua satis producunt. Ut verum fatear, ruminabar mecum crebrius quæstionem hanc, tum cum aliis hac in re eruditissimis viris differebam, atque nonnisi summo cum dubio, quod nunquam deponere poteram, assentiebar sepulturæ Voravienſi Ottocari V.: mirabar præterea, quid rei esset, quod veteres nostri pauciſſima adno averint, nec locum certum designaverint sepulturæ, quodque nostro hoc sæculo erudito, nemo veritatem e terra eruere velit, cum tamen id numorum causa, non semel irrito licet conatu fuerit factum, verbo: Tacitus mecum opinabar semper, Ottocarum nostrum Seizii sepultum, sensumque hunc meum uni alterive significans, increpabar tanquam documentorum veterum, ac nominatim traditionis impugnator nimium audax. *De sepultura Ottoc. V. Status quæstionis.*

In defectu documentorum hæ mihi rationes erant opinandi Ottocarum Seizii sepultum fuisse. 1*mo.* Licet documenta nostra inferius adducenda satis antiqua sint, & sæc. 14. coæva, credebam tamen simul, nec Seizensibus similia documenta deesse, non enim conjecturæ solum, tanquam arenoso veritatis fundamento, inædificaverint trophæum illud sepulchrale Seizenses. 2*do.* Cum Seizensis Cartusia, antiquior fundatione sit, Canonia Voravienſi, judicabam Ottocarum, more aliorum Principum in seniorem suam fundationem fuisse delatum, sepulturæ causa. 3*tio.* Cum in Diplomate Runensi 10. inter mea 33. legerim, Ottocarum V. Fundatorem nostrum nec Seizium, nec Voravium, sed Runam solum, sepulchrum Patris sui, sibi quoque locum sepulturæ elegisse, suspicabar factum fuisse, ut Ottocarus redux ex itinere Jerosolymitano, & Quinque Ecclesiis in Hungaria mortuus, ad viciniorem fundationis suæ locum Seizium, via longe commodiore, quam Voravium deferretur, cum alioquin Seizium, senior Ottocari V. fundatio foret.

His tamen meis rationibus non proficiebam apud alios, immo ne dubium eis ingerere poteram ob antiqua documenta, Ottocarum Voravii sepultum docentia.

Sunt vero documenta, ac momenta Voravienſium pro sepultura Ottocari V. in Canonia sua adstruenda sequentia: 1*mum*: Ex Chroni-

Documenta Voravienſium pro ſepultura Ottocari V.

co Vorav. ſub Marquardo Præp. hæc leguntur pro ſepultura Ottocari V.: *Anno MCCCXXXV. 2. Idus Julii miſit idem Præpoſitus dedicare altare juxta ſepulchrum Fundatoris noſtræ Eccleſiæ Voravienſis a D. Heinrico Seccov. Eccleſiæ Epiſcopo, & Fundatorem de Crypta in locum, ubi jam jacet, transtulit, & ſepulchrum fieri fecit &c.* 2*dum*: Documentum deſumitur ex MS. Biblioth. noſtræ a Rudolpho Decano ſub Laurentio de Hochkirchen Præp. 16. exarato, quod ſic habet: *An. D. MCCCXXXV. 2. Idus Julii dedicatum eſt altare juxta ſepulchrum Fundatoris Eccleſiæ Voravienſis.* Binæ hæ chartæ, vel originaliter conditæ, aut ex veteribus notitiis deſumptæ videntur. 3*tio*: Ajunt Voravienſes, cryptam illam Ottocari diſparuiſſe, tum per incendia, bellorumque incurſus, cum præcipue, quod nova Baſilicæ Voravienſis machina erecta, facile jam locus neſciri poſſit. Extat nunc Voravii lapis ſolum memorialis a dextris exitus e ſacrario ita habens: *Otacharus Marchio Styriæ & Chunegundis uxor Fund. h. Mon. anno MCLXIII.* lege: fundaverunt hoc Monaſterium. De ſepultura vero nil memorat lapis hic; Hinc neſcio, quomodo factum ſit, ut Prevenhueberus fol. 396. lapidem ſibi Voravio communicatum, ac ad parietem Summæ aræ locatum, adducat hujus tenoris: *Ottocarus filius Leopoldi fortis, qui fuit filius Ottochari filii Otachis, Marchionum Styriæ, una cum uxore Chunegunda, filia Dietpoldi Marchionis de Vochenberg, primitus hoc cœnobium Voravv, etiam Monaſterium* Seitz, *cum hoſpitali in* Cerewaldt, *alias* Cornwaldt *fieri fecerunt, anno poſt natam ſalutem* 1163. *& anno ſequenti ſcilicet* 1164. 2. *Kal. Jan. Ottocarus ex hac fragili vita ad ſummi Patris æthera diſceſſit, eodemque anno hujus fundationis natus eſt ei filius, nomine Ottachis primus Dux Styriæ, qui Patris ſucceſſit veſtigiis, & prædictum locum in Voravv, donis & privilegiis ornavit: paulopoſt uxore mortua leproſus factus, absque liberis ex hac lacrymarum valle diſceſſit, an.* 1192. *cujus animam commendatam habemus. Sepultus eſt in Seiz.* Lapis hic præterquam, quod Voravii ignotus ſit, peccat in multis: 1*mo* in ſtylo recentiore figurato, ac poetico, uti in verbis illis: *Ottocarus cum uxore ſua fieri fecerunt - - - ad ſummi Patris æthera diſceſſit.* 2*do* male etiam ait: *Primitus cœnobium Voravv* eſſe exſtructum, cum inter omnes conſtet, Seizenſes 12. annis eſſe Voravienſibus ſeniores. 3*tio* Hoſpitale illud nunquam in Cornwaldt, ſed Cerewaldt erectum legitur apud veteres. Præterea veteres ſemper ſcripſere *Voravve*, vel *Varavve*, nunquam *Voravv*. 4*to* quod de uxore Ottocari addit, multis dubium ingens parit. 5*to* Voravienſibus quoad ſepulturam Ottocari V. nil probat.

§. XIV.

Documenta Seizenſium pro ſepultura Ottocari V.

Hæc ſunt documenta Canoniæ Voravienſis; ut vero etiam celeberrimæ Cartuſiæ Seizenſis obtinerem momenta, paſſim non exſtantia, ſcripſi Reverendiſſimo Perilluſtri, ac Ampliſſimo DD. Prælato Cartuſiæ illius, paucos ante dies defuncto, ſupplexque petii, ſua ut mihi documenta hac in re communicaret, qui mea etiam eidem diſcutienda transmiſi, adjecta ſimul ſponſione certiſſima me nullo omnino Canoniæ meæ Voravienſis præjudicio abreptum iri, ſed pro genuina ſolum veritate pugnaturum.

Mo-

Moverit ſincera hæc mea epiſtola animum Præſulis ſupra laudati, ac reliquorum Aſcetarum piiſſimorum, atque, quod alii non tentaſſent, veritatem e terra eruere ſtatuerunt: Rei totius memorabilem proceſſum, argumenta ſimul Seizenſium, cum litteræ contineant reſponſoriæ ad me ab Adm. Rev. P. Cajetano Fuxreitter profeſſo, ac pro tempore Vicario in Seitz datæ, eas integras hic ſubjungo:

Admodum Reverende, Religioſiſſime, obſervandiſſime Domine! Reverendiſſimo Domino Præſule meo, continuæ infirmitati implicito, mihi de honore plurimum gratulor, quo Adm. Rev. dominationis veſtræ litteris ſerius 23. ſcilicet Februarii noſtro illatis Monaſterio haſce præſentes reponere licitum eſt. Extricandæ quæſtionis difficultas, ut cunctati aliquamdiu reſponſi cauſa, ita eruendæ veritatis occaſio fuit. Enimvero, ut paterna anteceſſorum noſtrorum ad nos uſque transmiſſa traditione eruditi piiſſimum Fundatorem noſtrum Ottocarum, Styriæ Marchionem, una cum Illuſtriſſima Conjuge ſua pariter & Sereniſſimo Principe filio, primo Styriæ Duce, in hujus Eccleſiæ noſtræ ſacriſtia reconditum jacere, ambiguimus nunquam, magis tamen, ut pie ac firmiter crederemus, utriusque perantiqui Necrologii noſtri aperto inſtruimur teſtimonio: quandoquidem (ut plura hujus aſſertionis noſtræ fidem facientia taceam) & ipſum, quod in loco jam memorato erectum conſpicitur ſepulchrale trophæum, nos aliud ſentire prohibeat. Sed vero, quanta quanta etiam hæc ſunt, ut plusquam ſufficientia, hucuſque nobis documenta viſa fuerint, mihi tamen vel ex hoc jam nunc potiora non erant, quod & celeberrimam Canoniam Voravienſem, vix infirmioribus hærere ac niti documentis ex Adm. Rev. dominationis veſtræ litteris intelligerem. Firmiora igitur nobis exquirenda erant argumenta, & mihi non inepte ad mentem venit, ea haud ægre aperto inſpectoque ſepulchrali trophæo invenienda fore. Sarcophagorum ſaltem (nam corporum reliquias ſexcentos ferme poſt annos quis quæreret?) fragmenta ſupereſſe non deſperabam. Suſtolli proinde ſexta currentis hujus, pergrande parium, quo trophæum clauditur, marmor juſſi. Sed vero vacuum omnino illud repertum eſt, ut ne ſpem omnem animumque abjicerem, pergrandis magnitudine trophæum adæquans, ſubtus ſtratus lapis fecit. Levari igitur adjacentem minorem lapidem, majoremque aliquatenus præcepi ſuffodi, ac mox cavernam offendi ad ſummam cordis mei, aſtantiumque Venerabilium Confratrum meorum, aliorumque ſæcularium exultationem audivi. Ampliato foramine, quo introſpici potuerit, verum ſepulchrum ad inſtar anguſtæ cryptæ, multo tamen repletum rudere obſervatum eſt. Cœptum opus, proſequi ſolis occaſus prohibuit; recludi igitur marmore rurſus, quo fraudis omnis abeſſet ſuſpicio, trophæum præcepi. 8va currentis, ſublato rurſus marmore, atque foramine in tantum excavato, ut irrepere quis in ſepulchrum poſſet, ac egeſta multa quidem, non tamen omnimoda ruderum copia, aliquid jam ita ſpe noſtra majus nacti ſumus; de ſiniſtro quippe cryptæ latere calvarias duas (quarum una major, ac putramine magis corroſa, altera ut minor, ita & firmior erat, illam Patris, hanc filii eſſe vix dubium eſt) ſimul & aliquot majora oſſa reverenter levavimus. Ingruens veſpera reli-

Seizenſes anno 1762. ſepulchrum Fundatorum aperiunt.

Inveniunt Fundatorum corpora ex parte.

quiarum remanentium, præsertim piissimæ Marchionissæ, dextrum cryptæ latus occupantis elationem sequenti diei reservandam coegerat, quo caute extracta rursus multa ruderum congerie, jam memoratæ Marchionissæ ossa, eo, quo corpus jacuit ordine, invenimus, atque cum residuis Marchionis ac Ducis reliquiis sustulimus Marchionissæ cranium, ex plurima parte jam putrefactum ac consumptum, mentum vero putredini paulo minus obnoxium erat.

Sepulchri descriptio. Lubet hic & ipsum sepulchrum succincte describere. Longitudo ejus fere septem pedum, latitudo trium; omni ex parte coementitium non testudineatum, sed supra memorato grandi lapide tectum: Ad dextrum ejus latus, Marchionissa, quam solam ligneo (honestatis, ut arbitror, causa) inclusam sarcophago, ipsum penitus emortuum lignum ac reperti ferrei clavi manifeste comprobant) ad latus sinistrum Marchio, ejusque filius Patri superimpositus jacuere; quorum corpora lacunare (vulgo mit Estrich oder Gips) obducta fuere, prout & Marchionissæ sarcophagus. Unde & totius paterni corporis (ex qua scilicet parte parieti incubuit) vestigium accurate expressum actu conspicitur. Sepulchrum hoc inviolatum, ac ossa ad hoc usque tempus intacta permansisse, mox memorata corporis vestigia lacunari impressa, nec non & ossa ad sepulti corporis formam ordinate dispositа, inventa validissime probant. Porro hoc in sepulchro non alios quosdam, sed vere jam sæpe dictos Principes reconditos esse Necrologium nostrum (quod sepulchri locum accurate indigitat) testatur, sic enim habet: *In sacristia, quæ in loco primæ revelationis constructa est, sepultus est Fundator noster Ottocharus Marchio Styriæ una cum Illustrissima Conjuge sua.* Ac mox subjungit: *Jacet etiam in eodem tumulo sub marmore Ottocharus primus Dux Styriæ filius Ottochari Fundatoris.* Sequitur: *In Capitulo jacet Comes Fridericus, filius Comitis Ciliæ Friderici sub signo Crucis: obiit juvenis absque uxore.* Alterius alicujus tam insignis personæ apud nos sepultæ, nulla omnino habetur memoria: sed nec de aliquo alio sepulchro vestigium aliquod exstat, aut documentum, crypta illa excepta, quæ in sacello cœmeterii nostri habetur, in quam Prælati nostri vita functi ordinarie reponuntur, in qua & Illustrissimus D. Comes de Schrottenbach, nec non Parochus quidam, & D. Mezburg, noster quondam alumnus reconditi jacent. Nos vero Monachi ad Ordinis nostri formam in cœmeterio humamur. Sed hæc de Fundatoris nostri sepulchro sufficiant. Nullus dubito, me hac relatione (quam jurata, si opus foret, attestatione Venerabiles Confratres mei, nec non alii quam plures (quos inter mea exhumationis spectatores simul, & coadjutores, confirmare haudquaquam recusant) Adm. Rev. Dominationi Vestræ abunde satis feciſſe, nec quidquam dubietatis jam reliquum esse, quo minus firmiter tenendum sit, piissimi Fundatoris nostri, Conjugis, ac filii exuvias (quas nunc plumbeo imponendas sarcophago, exstructo inferemus trophæo) hac nostra in Cartusia quiescere. Quod Diplomata attinet, in præsenti duo Diplomataria Viennæ typis expressa, ac Augustissimæ Imperatricis honoribus dicata transmitto, quibus Chronologicam MS. Cilienſis Comitatus descriptionem adjunxi, historiam Ducum Styriæ, Augustissimo Imperatori Carolo VI. Græcii commo-

Necrologii Seizensis verba.

rato,

rato, a Græcenſi Societatis Jeſu Collegio, oblatam, ad manus eſſe non dubito. Qui me Adm. Rev. Dom. Veſtræ pretioſiſſimis favoribus, enixe commendo, ac omnimoda veneratione maneo

Adm. Reverendæ ac Eximiæ Dominationis Veſtræ &c.

Seitzii, 27. Martii, 1762.

Humillimus ſervus
Cajetanus Fuxreitter, Profeſſus,
& p. t. Vicarius Cartuſiæ in Seitz.

§. XV.

Hæc itaque ſunt documenta Seizenſium, ex quibus proin, & Voravienſium documentis, jam ſtatuendum, ubinam Ottocarus noſter ſepultus jacet? Id antequam præſtem, quæpiam de his utriusque partis documentis præfanda ſunt, ex quibus dein facilior quæſtionis deciſio eveniet. Et quidem documenta Seizenſium non leve negotium Voravienſibus facere videntur, cum enim tria corpora inventa fuerint, & tria pariter eorum Necrologium notet, videtur ſatis bene probatum fuiſſe, Ottocarum V. cum uxore Chunegunde, ac filio Ottocaro VI. Seizii ſepultum jacere, immo, ubi de antiquitate Necrologii conſtiterit, uti & an non interpolatum fuerit, dubium mihi omne eximetur de ſepultura Principum horum Seizenſi. *Diſcutiuntur documenta Seizenſium.*

Illud tamen etiam (ut ſenſus meos omnes exprimam) mirabar, quod tam ordinata oſſium compages, quorum etiam aliqua non multum fuerant exeſa, ut mihi ſcribitur, contra ſpem ipſorum Seizenſium, poſt tot annos reperta fuerint, certe, dum Venerabilis Thomæ Kempenſis oſſa, ante annos ſolum 200. demortui, elevata ſunt, illa quidem utcunque ordinata ſunt inventa (ut habetur ex inſtrumento elevationis) aliorum tamen, eadem fere ætate defunctorum, corpora prorſus computruerunt, ſolo tumbæ ipſorum veſtigio relicto, immo tumba ipſa a putredine abſumpta, clavisque ſolum ferreis reſiduis, in hac vero Seizenſi elevatione, non ſolum corporum majora oſſa, & Calvariæ, ſed & lignea Marchioniſſæ tumba ita permanſiſſe creditur, ut ex ligno fuiſſe dignoſci potuerit. Mirabar hæc, inquam, non tamen ita, ut dubium ingererent inexplicabile, etenim & illud cunctis admirationi eſſe debet, quod oſſa ſanctorum (inter quæ Calvaria S. Julii Martyris in Colleg. Eccleſia Vorav. ad aram S. Auguſtini Religioſo cultui cum oſſibus expoſita, & longe antiquiſſima cum ſæc. 2. martyrium ſubierit S. Julius, adhuc ſat vivida exſtat) ejus & priorum ætatum, adhuc omnino integra perſeverent. Quæ, an ſpeciali Dei beneficio? an eo, quod dudum elevata, & in libero aere facilius conſerventur, contigerint? alii diſcutiant. Id noſtro in caſu dubitantem utcunque confirmet, quod corpora dictorum Principum, una cum ſarcophago Marchioniſſæ, lacunare obducta fuerint inventa, ut proin, ſi crypta illa etiam ſicciore, & frigidiore in loco conſtiterit, facile ſe ab hoc dubio eximent Seizenſes. Si proin Necrologii Seizenſis antiquitas (de qua me indies certiorem reddendum Seizio expecto) vel major, vel

coæva fuerit, documentis Voravienſium, nullus hærebo pro Seizenſibus pugnare, cum duo teſtes ordinarie faciant plenam fidem.

Diſcutiuntur argumenta Voravienſium.

Voravienſium documenta paulum diſcutiamus, primum deſumitur ex Chron. MS. Vorav. ea bina apud nos exſtant, primum autographum initio carens & fine, continuatum ad an. 1499. proin opus ſæculi 15. alterum apographum, quod initium & finem habet, & enarrat res ad an. 1518. immo ultra, cum quinque folia ult. ſint exciſa, quæ vero in hoc ultra an. 1518. ad an. 1649. afferuntur, non videntur eſſe ipſius apographi, ſed authoris alterius de ſæc. 17. hoc ex Chronico quocunque demum vix ſatis firmum argumentum deſument Voravienſes, cum ei Chronico, fides in aliis etiam derogetur, præſertim in eis, quæ de uxore Ottocari VI. refert; ut v. cap. 7. §. 7. 8.

Documentum alterum MS. Biblioth. Vorav. exaratum a Rudolfo Decano ſæc. 14. medio, magis omnino convincens eſſe videtur, non tamen irrefragabile, eo, quod certe non conſtet, an id originaliter ſit conditum? an ſolum ex veteribus notitiis deſumptum.

§. XVI.

Quænam ex 2. ſentent. amplectenda ſit.

Hiſce prælibatis exponendum jam eſt, quidnam hac in re probabilius videatur; cum jam ex Necrologii Seizenſis antiquitate perſpecta, ſententia ferenda pendeat, obtinui Seizio litteras, ab Adm. R. P. Cajetano Fuxreitter ibidem Vicario, & Prælati defuncti loco Adminiſtratore digniſſimo, in iis de antiquitate Necrologii, Seizenſis ita ſcribit: *Porro antiquitatem Necrologii, quod attinet, ea accurate definiri eo minus poteſt, quo minus liber uſu deſtructus; annum præfixum amplius habeat, & licet forſitan tantæ vetuſtatis præfatus liber non eſſet, res tamen & geſta in eo ſcripta, magnæ antiquitatis eſſe, ex eo arguere, non vero tempus definire licet, cum ex anteriori adhuc fuerint deſcripta, nam moris apud nos eſt, ut uno impleto, memoriæ digniora in novo demuo annotentur, de quo anteriori, nempe præter memoriam, & quod ab antiquis noſtris adhuc viventibus, hinc inde folia adhuc fuerint viſa, nihil amplius exſtat, quod mirum etiam nemini videbitur, cui præter trinam abalienationem domus noſtræ ad extraneos, lacrymis illa digna, conjuratorum in perniciem hujus domus ruſticorum nota eſt devaſtatis, quæ a Priore illius temporis deſcripta adhuc ſupereſt, quod fugatis Monachis, utpote illis mortem minantes, deſtructa tota ſupellectile, & libros alios fruſtra diſcerpſerint, alios flammis injectos in nihilum plane redegerint.*

Viſis his litteris dolebam plurimum, antiquitatem Necrologii Seizenſis nondum ſatis mihi exploratam factam, a qua tamen deciſionem quæſtionis hujus deſumi poſſe arbitrabar: innixus eram illi hactenus principio, *quod duo teſtes ordinarie faciant plenam fidem*, ſicque opinabar, me litem hanc litterariam, tanto jam tempore pendentem, facili opera definiturum, cum nobis Voravienſibus unus ſolum faveret teſtis: nempe documentum MS. noſtri de ſæc. 14. aſt verebar ſimul, ne more ſæculi noſtri ad omnem criſim exacti, exceptio mihi contra teſtes fieret allegatos. Unde, ſi certo conſtaret de antiquitate Seizenſis Necrologii, nil dubitarem, ſalvo tamen meliori judicio pro Seizenſibus pugnare.

Donec

Donec igitur antiquitas citati Necrologii certis doceatur documentis, a ſententia ferenda abſtineo, eamque ad opus ipſum, & annum emortualem Ottocari Fundatoris noſtri differo, ſincere tamen ſimul fateor, mihi allegata Seizenſium argumenta ſatis eſſe, ut pro illis interim ſentiam; etenim difficultates objectas §. præcedenti convincentes non eſſe oſtendi, rationes quasdam §. 13. attuli, jam vero ſepulchrum vetuſtum deſcriptum, una cum authoritate Necrologii tanti mihi interim ſunt, ut opinionem meam abripiant, ad deciſionem plenam tamen nondum deducant; Enimvero licet non adhuc conſtet mihi, cujusnam antiquitatis ſit Necrologium illud Seizenſe, ſatis tamen vetuſtum eſſe convincitur ex eo, quod ex anteriore ſuerit deſcriptum.

Cl. Frælich in Diplomat. S. Ducatus Styriæ parte 2. fol. 331. in excerptis Necrologii Seizenſis eadem hæc refert: *Menſe Junio fit anniv. pro D. Leupoldo de Gunovvitz, cujus tamen nomen in vetuſtiori Necrologio deeſt.* Unde plura, duo ſaltem Necrologia Seizii fuerint, antiquius unum, alterum recentius, quodque ea, quæ primum etiam memoria digna habuit, annotavit, ac cuſtodivit; an vero antiquius illud ſuperet ſenio MS. documentum Voravienſe de ſæc. 14. nondum mihi compertum eſt. Traditio illa Voravienſium ex MS. dicto deſumpta, an ultra ſæc. 14. aſcendat, etiam non patet, cum ignotum nobis ſit, an charta illa Rudolfi Decani §. 13. citata, originaliter ſit condita, vel ex aliis veteribus notitiis deſumpta.

CAPUT VII.

De Ottocaro VI. primum Marchione, dein primo Styriæ Duce.

Ottoc. VI. & primus Dux Styriæ.

§. I.

De hoc Principe & Duce I. Styriæ hoc ſolum refert MS. noſtrum Genealog. *filium Otachyr, de quo prædictum eſt, relinquens hæredem,* & his narrationem ſuam concludit author MS. hujus, ex quo proin convincitur Ottocarus VI. filius fuiſſe Ottocari V. ſeu Fundatoris noſtri Voravienſis, quod teſtatur etiam ipſe Ottocarus VI. in litteris Canoniæ Vorav. an. 1184. datis, quas vide inter mea Diplom. num. 61. uti & Ottocarus V. in cit. ſæpius litteris Fundat. Vorav. vix vero mortalem lucem aſpexit, Ottocarus VI. jam Patre privatus, matris tutelæ relictus eſt, atque Patri in cunis vagiens ſucceſſit, dum nec Patris funus deplorare noſſet. De nativitate Ottocari vid. cap. 6. §. 7. nullum ei fuiſſe fratrem Leopoldum v. §. 9. capitis prioris.

Filius Ottoc. V.

Nullum habuit fratrem Leopoldum.

Matrem etiam ſuam amiſit, utpote Monialem Admontenſem factam, ut dixi cap. præc. §. 12. quo tamen anno, ea Religioſum inſtitutum Ad montes profeſſa fuerit, non conſtat, ſuſpicor tamen, Chunegundem, & filii, & Patriæ ſollicitam, antea id vix ſuſcepiſſe, quam Ottocari filii ætas aptior fuerit informationi a Pœdagogis recipiendæ: teſtatur quidem ipſe Ottocarus, in Diplom. Traunkirchenſi anno 1191. ſe ſub Pædagogo poſitum, & iniquis conſiliariis fuiſſe ſeductum, ut

Educatio ejusd.

jura

jura Ecclesiæ violaret, prudentior tamen, ætate maturiore, damna omnia reparavit, & munificentiæ suæ insignia testimonia reliquit, quæ inferius adducam. V. Diploma meum num. 77.

An adfuerit expeditioni anno 1173.

Quæri hic a quibusdam solet, an Ottocarus VI. expeditioni sacræ, an. 1173. adfuerit? Arnoldus Lubecensis in continuato Sclavorum Chronico testatur, eum cum Henrico Leone Saxoniæ & Bavariæ Duce, cujus ex Sophia amita nepos fuerat, interfuisse: Ast mihi hoc cum Pusch Chronol. S. Duc. Styr. p. 1. fol. 370. vix credibile videtur, cum & ætas tenerior 10. annorum, & complura Diplom. infra adducenda & an. 1173. ab eo signata extra Styriam eum fuisse ægre admittant: hinc Puschius parte 2. fol. 65. vel priorem suam sententiam revocavit, vel sui oblitus negavit.

Nec anno 1180.

Immo nec an. 1180. eo abiisse Ottocarum VI. opinor; in Diplom. enim Garstensi num. 15. inter mea num. 53. sic loquitur Ottocarus VI. *Pro his, & pro cæteris bonis, quæ prænominatis fratribus conferre decrevimus, iter nostrum Jerosolyma cum una missa de S. Maria per unius anni spatium Domino quotidie commendent &c.* Diploma hoc ad an. 1180. vel posteriorem spectare videtur, utpote cum se jam Ducem scribat Ottocarus, insinuetque iter sibi hoc quidem propositum, quod tamen vel infirmitate, vel alia de causa omissum fuerit ex eo, quod Diplomata an. 1181. & seq. eum abfuisse non ostendant: minus credibile Ottocarum VI. iter

Nec anno 1188.

Jerosolymitanum an. 1188. suscepisse, cum afflictus jam adversa corporis valetudine crucem domi suæ seu in corpore infirmo portare debuerit.

§. II.

Ottoc. V. bellum anno 1175.

Reipubl. saluti, & promovendo numinis cultui, constanter fuisse intentum Ottocarum, complura exhibent testimonia; an. 1175. dum absente in Italia Cæsare Conradus Mogunt. Apost. Sedis Legatus omnem irrito licet conatu moveret operam, ut Henricus Præpositus Berchtesgadensis inique occupatam Cathedram Salisburg. Adalberto legitimo Præsuli cederet, Ottocarus Marchio Styriæ cum Austriæ & Carinthiæ Ducibus mutuis est armis collisus; Adalbertus enim Præsul Salisburg. ab Henrico in fugam actus, Salisburgo relicto in vicinam Carinthiam se recepit. Causam tamen belli inter Marchionem nostrum & Duces præfatos, Augustani & Reicherspergenses annales non exprimunt, sed solum incendia & prædas invicem actas. Si Puschio divinanti credere licet, Henrico Austriæ Duci, qui nepotem Adalbertum contra Henricum Berchtesgadens. Præpositum, & Salisburgensem invasorem foverat, Ottocarum suas quoque copias junxisse credibile videtur; Id enim liquido constat, Marchionem nostrum, tenera quamvis ætate florentem, Alexandro Papæ legitimo majorum suorum more adhæsisse; nam an. 1176. ad discutiendam Adalberti causam, quem quidem auro emisse insulas Salisburgenses contendebant, Gualtero Apost. Sedis per Hungariam legato Papa Alexander in mandatis dedit, ut cum Conrado Moguntino auditis partibus sententiam diceret, cum vero Gualterus Legatus Bavariam adire non auderet, ei Ottocarus noster datis litteris opem viresque suas est pollicitus, ex quibus proinde Puschius

Adhæret anno 1176. Papæ Alexandro.

citatus

citatus conjicit, Ottocarum quoque anno præcedenti cum Henrico Auſtriaco pro Adalberto contra Schismaticos arma moviſſe, ſed v. an. 1175.

Quæſtionem aliam ſatis arduam ſuppeditat nobis Diploma Ottocari VI. an. 1179. Cremiſanenſibus datum, quo Ottocarus ita ſcribit: *Ego Odokarus Marchio Styrenſis III.* Unde non mirum, quod Ottocarus II. Marchionem ſe II. dixerit? jam quæpiam cap. 4. §: 2. deſuper egi, & opinione mea ſatis rejeci ſententiam Hanſizii; ſane in hujus ſententia Ottoc. VI. non tertium, ſed quartum Marchionem Styriæ ſe ſcribere debuiſſet, ſi Ottocarus IV. primum ſe ſcripſit. Cenſeo ergo, Ottocarum VI. ſe ideo Marchionem III. hoc in Diplomate dixiſſe, quia nimirum Leopoldus fortis ob ampliſſimum Carinthiæ diſtrictum, hæreditate Eppenſteiniana obtentum, ſe fors *primum Marchionem Styriæ longe amplioris & auctioris*, ſcripſit, ſicque Ottocarus V. ſe ſecundum, & Ottocarus VI. ſe tertium nominavit; Quamvis omnia hæc Diplomata hactenus videre integra non licuerit. Ratio hujus expoſitionis eſt, ex Diplom. Traunkirch. Ottoc. VI. an. 1191. in quo Ottoc. VI. ait *authoritate privilegii, quod illi contulit unus proavorum meorum Otachar Comes*; proavus certe Ottocari VI. fuit Ottocarus IV., quem, quamvis non indigitare videantur hæc verba, ſatis tamen etiam evincunt Ottocarum illum IV. alio ſenſu, quam a nobis expoſito Marchionem I. Styriæ dici non poſſe. V. cap. 3. §. 4.

Ottoc. VI. cur ſe anno 1179. Marchionem 3. Styr. ſcribat.

§. III.

Ordine Chronologico res Ottoc. VI. breviter enarranda videntur:

Anno 1170. Admontenſibus plures donationes a ſuis Miniſterialibus factas confirmavit. V. Diplom. mea num. 41. 42. 43. 45. 46. & ex Diplom. num. 42. conjicio Ottocarum VI. *Voravii* fuiſſe, ubi Marckwardus de Starkenberg *ſuper reliquias SS. apud Forovve* donationem fecit Admontenſibus.

Admont. beneficus. *Voravii exiſtit Ottoc. VI.*

Anno 1171. litem in Admont, præſens, ipſe compoſuit, ut in criſi Diplom. 44. oſtendam. Ejusdem Ottocari mentio fit in Bulla Alex. III. Admontenſibus data.

Admont. beneficus.

Anno 1172. confert Seccov. Cannoniæ Eccleſiam in Schemberg Græcii exiſtens. V. Diplom. meum num. 47.

Seccov.

Anno 1173. Seccov. territorio dat jurisdictionem civilem, & cœnobio immunitatem a teloneis, Leobii exiſtens. V. Diplom. mea num. 48.

Eodem an. firmat. delegationem traditionis Goutfridi de Dirnſtain, factam S. Lamberto, ſubnotatus eſt quidem an. 1183. apud P. Frælich Archont. Carinth. p. 2. fol. 191. *Juxta Eccleſiam S. Martini ſub caſtro* Caſſenberg, in quo proin moratum eſſe ad tempus Ottocarum VI. patet; anno tamen ſubſcripto demendum eſt X. Secus enim titulus Marchionis non competeret Ottocaro, jam quartum in annum Duci. V. Diplom. mea num. 87.

S. Lambert. *Ottoc. VI. in Capſenberg.*

De expeditione ſacra hujus anni jam §. priore locutus ſum.

Expeditio S.

An. 1174. Ottocarus Marchio Wernhero Præp. & Canoniæ Seccov. donat ſylvam & prædium, & plura latifundia. v. inter Diplom. mea

Seccovienſ. beneficus.

Ottor. bellum. mea num. 49. De bello Ottocari VI. hujus anni v. §. priore, id enim an. 1175. actum.

Seizenf. *An.* 1177. Alexander Papa Seizenſes ſolatus, ait: *Nos enim dilectum filium noſtrum nobilem virum, Otocharum Marchionem Styrenſem per noſtra ſcripta attente rogavimus, ut vos propenſius diligat, manuteneat, & honoret.* V. Diplom. Seiz. n. 3. P. Frælich Diplom. S. Duc. Styriæ.

Garſtenſ. *Eodem an.* Ottoc. VI. ab Alexandro III. petit confirmat: Garſtenſium v. inter Diplom. mea num. 51.

Cremifan. Advocatus. *An.* 1179. novas Advocatiæ leges, ad tollendos abuſus ſtatuit, cœnobio Cremifanenſi, ibidem præſens, ita autem ait: *Ego Odoakerus III. Dei gratia Styrenſis Marchio, & Advocatus S. Salvatoris mundi, Sanctique Agapiti M. in Chremes Monaſterio.*

Runenſibus benefieus. *Eodem an.* Confirmat donationem Hainrici, & Sigenhardi Com. de Schala Runenſibus factam. v. Diplom. mea num. 52.

§. IV.

Admonteuſ. Hæc quidem Ottocarus VI. Marchio præſtitit, plura Dux. Siquidem *An.* 1180. Dux factus, ut §. ſequenti oſtendam, mox litem quandam inter Vulfingum Camerarium ſuum, & Epponem Camerarium Admont. diremit in Marchburg. v. Diplom. mea num. 53.

Garſtenſ. *An.* 1181. Duæ chartæ Garſtenſium referuntur, una, qua Ottocarus VI. Dux Garſtenſibus miſſas fundat pro ſuo itinere in Jeruſalem. v. Diplom. mea num. 54. Altera, qua Leopoldus Dux Auſtriæ *ob amicitiam & cognationem Ducis Ottocari* quasdam gratias confert Garſtenſibus, eo tempore, quo Leopoldus iter in Palæſtinam parabat. v. Diplom. mea num. 55.

Admont. *Eodem an.* Ottocarum in Admont fuiſſe, ibique Bernardi de Putina, delegationem prædiorum factam Admont. cœnobio ratam habuiſſe, ac cum Abbate Iſenrico de hoc itinere Jeroſ egiſſe oſtendit Diplom. meum num. 54. ad eund. an. ratam donationem habuit Miniſterialis ſui de Stein, factam Monaſterio Admont. v. Diplom. meum n. 56.

Seizenſ. *An.* 1182. Seizenſibus munificum ſe exhibet, Rakerſpurgi v. Diplom. meum num. 57. privilegia etiam quædam Seccovienſi Monaſterio largitur Græcii v. Diplom. num. 58.

Seccov.

S. Lambert. *Eodem an.* Firmat contractum inter Perengerum Abbatem S. Lamberti, & Ditmarum de Liechtenſtein initum, præſente Epiſc. Friſing. Alberto. Datum Frieſach. v. Archont. Carinth. p. 2. fol. 195. & Diplom. mea num. 86.

Admont. beneficus. *An.* 1184. Confirmat donationem Wielandi Miniſterialis ſui factam Admont. v. Diplom. mea num. 60.

Vorav. *Eodem an.* Canoniæ Vorav. confirmat vetera, & donat optimas villas in Lavenz & Müllborf. v. Diplom. mea num. 61.

Admont. *An.* 1186. terminat litem inter Admontenſes, & Hartnidum de orte habitam, & alio Diplomate idem Monaſterium ab annuo quodam exactionis debito liberat. v. Diplom. mea num. 62. 63.

Seizenſ. Seizenſibus etiam vetera firmat, nova donat in Rackerſpurg, v. Diplom. meum 64.

An.

An. 1186. Ducatum Styriæ tranſcribit poſt mortem ſuam, ſi abſque hærede deceſſerit cognato ſuo Leopoldo Auſtr. v. Dipl. mea n. 66. *Styriam tradit Auſtriacis.*

Varia tamen Eccleſiis a ſe, & Patre fundatis reſervat. v. Dipl. 65.

Eodem an. Richero de Hagenfeldt dat licentiam donandi ſua Voravienſibus. v. Diplom. mea. num. 67. Item Ruzzoni ſimilem dat facultatem. v. Dipl. meum num. 68. uti & omnibus Miniſterialibus, donandi, quidquid vellent Eccleſiæ Voravienſi ibid. *Voravienſ.*

Eandem *eodem anno* licentiam intuitu Monaſterii Admont. ſuis conceſſit Miniſterialibus. v. Dipl. mea num. 69. Eisdem vetera firmat, & nova largitur. v. Dipl. mea num. 70. *Admont.*

An. 1187. Eccleſiæ Göß dat jus patronatus in Eccleſiam S. Dionyſii, cum 50. Huebis. v. Dipl. mea num. 71. item Eccl. S. Viti in Prælep. n. Prælep. n. 74. *Göſſenſ.*

An. 1188. Admontenſibus dat duas Capellas Leobienſes precibus Adalberti II. Arch. Salzb. v. Dipl. mea num. 72. *Admont.*

Eisdem confirmat donationem Henrici Boemi Mareſch. Styriæ. v. n. 71. *Eod. an. vel præced.* teſte tabulario S. Lamberti, Monachis S. Lamberti *obtulit Ottocarus propter Dei miſericordiam aulam ſuam Principem tum temporis ſane dignam, ante vitæ obitum, ac templum illud adjunxit huic; vulgariter ab inſulis B. V.* Imhoff *appellatur.* *S. Lambert.*

Eodem an. Hilarienſi Monaſterio, ſeu Willering, quia Abbas Hildegardus Ottocaro licet leproſo, oſculum pacis ſub Miſſa dare non erubuit, donavit curiam Reidlern, ita Puſch p. 2. fol. 41. ex lib. tradit. hujus Monaſt. ſed Anonymus Leob. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 792. confuſe hæc, & nullo, inter Ottocarum V. & VI. ordine, refert, ac Abbatis loco Archiep. Salisb. adducit. Prevenhueb. fol. 398. citat traditiones Monaſt. hujus, & Haſelbachium ita loquentem: *Plura etiam bona Monaſterio in Cluniaco, cum veniret, larga manu diſtribuit, ſicut & aliis præcipue Eccleſiæ Wilherenſi, ob quod Præſul licet lepra aſperſum Ottocarum non exhorruit oſculari*, ſed Haſelbachius apud Hier. Pez tom. 1. col. 713. longe aliter loquitur nimirum: *Aliis præcipue Eccleſiæ Salisburgenſi; ob quod Præſul licet lepra aſperſum &c.* ita etiam Anon. Leobienſ. *Hilarienſ.* *Gluniacenſ.*

Anno 1189. Runenſibus tres villas donat, ſeu potius ablatas denuo reſtituit. v. Diplom. mea num. 75. *Runenſ.*

Milleſtadienſi Cœnobio in Carinthia jus piſcandi, lignandi, conceſſit eodem an. 1189. & quidem in Naun, ſeu portu Naonis, ut refert Ludewig tom. 4. inter Diplom. Milleſtad. num. 4. fol. 176. *Milleſtad.*

An. 1191. Diemudi Traunkirchenſi Abbatiſſæ reſtituit jura violata advocatiæ. v. Diplom. mea num. 77. *Traunkirchenſ.*

Eod. vel ſeq. anno Seccovienſibus dat prædia, & alpes pro anniverſario ſibi inibi celebrando. v. Diplom. mea num. 76. *Seccovienſ.*

Hæc ex Diplomatis Ottocari, alia ex aliis conſtant, uti ex Bern. Norico in catal. Abbat. Cremifan. apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 60. nempe quod Cremifanenſibus ſub Ottocaro VI. obvenerint prædia in Perchwint, Haitenhaim, 2. vineæ in Erlach, vinea in Wirtshizing, & quod cuncta eorum bona ſub advocatis diſpoſuerit. *Cremifan.*



Stiria, Alexandri Pantheram emblema Monarchæ
fert clypeo, Stiriæ scoptra Monarcha tenet.
Arma parit, ferri mater, sibi Cormua Tauri
hostibus iratis, illa sit ira, suis.

Fugger Spec. hon. lib. 2. Cap. 3. pag. 110.

Gegraben von Joh. Nic. Haupert.

§. V.

Ottoc. VI. fit an. 1180. Dux Styriæ.

Hisce enarratis ad difficultates alias de Ottocaro VI. Solvendas devenio, quarum ea prima sit, quonam tempore Ottocarus VI. Dux I. Styriæ sit factus? Interpolator Chronici Haselbachiani apud P. Hier. Pez tom. 2. script. Austr. col. 718. docet: Ottocarum an. 1168. per Fridericum I. Cæsarem & Sveviæ Ducem, creatum fuisse Styriæ Ducem: ast contra hoc assertum pugnant fere omnes, nominatim annales Cremisanenses, in quibus legimus, Ottocarum se adhuc an. 1179. Marchionem Styriæ dixisse. Minus sustineri potest sententia Prevenhueberi, qui in annalibus Styriæ fol. 15. Ottocarum an. 1165. Ducem Styriæ creatum ait, quod tamen fol. 396. negat, cum Ottocarus eo anno puer primum bimulus aut trimulus fuerit: author Fundat. S. Lamberti Monast. in Styria fol. 23. teste Prevenhueb. cit. summo errore Ottocarum, an. 1157. nondum natum, Ducatum Styriæ adeptum scribit. Sed nec retinendum censeo, Ottocarum an. 1179. Ducem Styriæ creatum, ut vult author Chonici Zwetlensis, apud cit. Pez tom. 1. col. 975. nam & Diplomata, & auth. plerique pro anno sequenti loquuntur.

Quapropter rite concludetur, Ottocarum VI. an. 1180. Ducem Styriæ constitutum; Ratio est ex consensu plurimorum, probatissimorum authorum & Diplomatum: sic Chronicon Admontense, author incerti Chronici Austriaci, interpolator Chron. Mellic. Chron. Reicherspergense, aliique authores plurimi factum id anno huic assignant, sic Chron. Admont. apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 190. *Otaker ex Marchione Styrensi Ducis nomen est adeptus eo anno, quo & gladio accinctus est*, nimirum anno *MCLXXX.* Author incerti Chron. ibidem col. 563. *MCLXXX. Otakerus Styrensis nomen Marchionis in Ducis dignitatem commutavit, & ab Imperatore eam suscepit.* Interpolator Chron. Mellic. col. 234. *MCLXXX. Styrensis Marchio Odoacer vel Otaker mutato antiquitatis nomine Dux appellari gloriatur.* Chron. Reicherspergense *anno MCLXXX. Imperator curiam Ratisbone celebravit 3. Kal. Jul. cui interfuerunt tres Legati Cardinales Domini Apostolici.* v. an. 1180. *Otakerius ex Marchione Styrensi Ducis nomen adeptus est eo anno, quo & gladio accinctus.* Chronologus Bibl. nostræ Vorav. MS. num. CXCIX. eadem pene verba Reicherspergense Chron. adducens, uti & vetus Chronic. Augustanum *MCLXXX. Styrensis Marchio Ottacher mutato antiquitatis nomine Dux appellari gloriatur.* Litteræ Garstenses apud Prevenhueberum fol. 396. *Anno* 1180. *Ottocar ex Marchione Styrensi nomen Ducis adeptus est anno ipso, quo fuerat gladio accinctus.* Pondus maximum huic sententiæ adjiciunt Diplomata plurima ejusdem Ottocari VI. in quibus se usque ad an. 1180. Marchionem, ab hoc autem anno Ducem scribit. v. mea Diplom. in fine; & coævus author Chronici Garstensis, quod inter collectanea P. Pusch inveniisse se ait P. Frælich Archont. Carinth. p. 2. fol. 194. scribit, anno 1180. Ottocarum Ducem factum; mox an. 1181. fuisse hoc Chronicon a se finitum testatur: Ex quibus proin colligo in Chronic. Australe, & quædam Diplomata a Prevenhueb. fol. 398. allata errorem irrepsisse, vel Amanuensium incuria, vel certe explicandos esse de

computu

computu veterum annorum, a die nativ. Dominicæ cæptorum, ſicque an. 1179. aſſignatum. P. Frælich porro in Dipl. Garſtenſi corrigit Ludewigium in Diplom. ab hoc num. 13. 14. 15. allatis, aitque in eis, atque omnibus ante an. 1180. occurrentibus nomen Ducis mendoſe intercurriſſe, ut oſtendam in criſi Dipl. meorum in fine. Prevenhcit. ait quidem exſtare Diplomata, quibus ſe an. 1177. & Ottocarus & Leopoldus, qui Styria dein tradita, Duces Styriæ ſcripſerint. De Ottocaro nullum Diploma adducit, quale tamen invenio apud P. Bern. Pez anect. tom. 3. p. 3. cod. Dipl. Admont. col. 750. ſed Diploma id ob omiſſum X ad an. 1186. pertinere oſtendam in fine Diplom. meor. num. 67. Idem ſentiendum de Diplom. Auſtr. Leopoldi, cum conſtet hunc ante mortem Ottocari Dominum Styriæ, non fuiſſe. v. pl. §. 9. & an. 1175.

§. VI.

Difficilior eſt, magisque ardua quæſtio, an Ottocarus VI. & qualem uxorem habuerit? ſunt enim multi, qui ei uxorem adjungant, plures, qui negent, qua in re, ne quid te lateat benevole Lector! eorum primo argumenta, qui ei uxorem Chunegundem attribuunt, Leopoldi Auſtriaci ex Theodora, aliis Helena nepte Regis Hungariæ filiam, adducam, dein eorum, qui uxorem ei abnegant, tandem meam & mediam inter utramque adducam. Primus omnium uxorem Ottocaro VI. tribuens adducitur Thomas Eberndorff de Haſelbach, qui in Chron. ſuo apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 713. de Leopoldo Auſtriaco, & Theodora uxore nepte Regis Græcorum ſic ait: *Ex qua genuit unicam filiam Kunegundem nomine, quam poſt ſociavit conjugio Marchioni Styriæ Otakaro &c.* Tabulæ Clauſtroneob. apud cit. Pez tom. 1. col. 1018. Und Herzog Leopold hat mit der beſtimbten Frau Helena zwen Söhne, Friderichen, und Leopolden, und ain Tochter, genannt Kunigund, die ward vermehlt Herrn Otacher dem jüngern Herzog zu Steyer, und ſy het kein Kind mit ihm. col. 1019. aſſignatur dos ejusdem, Im (Heinrich von Medling dem eltern) ward Gumpoldßkürchen, mit ſeiner Zuegehörung geſchaft von Herrn Otacher dem jingern Herzogen zu Steyer, dem daz bemelt Gut, auch andern Güter in Oeſterreich vermorgengabt worden zu Frau Kunegundem ſeiner Gemahl, des bemelten Herzogen Leopolden Tochter.

An Otto. VI. uxorem habuerit.

Argum. ſententiæ affirmativæ.

Eædem tabulæ col. 1040. eadem repetunt, quæ fol. 1018. & ſupra allata, mox vero ſubjiciunt, Kunegund ain ſchöne wohlgeſtalte Fürſtin ein Tochter ꝛc. die warde durch ihren Vatter Herzog Leopoldum vermählet Herrn Otacher dem jingern Herzogen zu Steyer, und die bemelt Frau Kunigund het nicht Kinder mit dem bemelten Herzog ihren Gemahl, und ſtarb vor ihm. Chron. germ. Auſtr. Matthæi vel Gregorii Hageni apud cit. Pez tom. 1. col. 1063. Leopold ꝛc. er gab ſein Tochter Graf Otachern von Steyer, und gab ihm ſein eigen, waz dez iſt in der Gegend zu Wilhelmſpurg, unz die Pieſtnich darzu Herzogenburch, Chelichdorf, Grünſperg,



Raporenkürchen, Gumpolzkürchen ꝛc. Herzog Leopolz Tochter ſtarb ohne Erben. Vitus Arempeckius Chron. Auſtr. apud cit. Pez col. 1204. *Eodem die Duci desponsata fuit D. Helena filia Geysæ secundi Regis Hungariæ, Belæ tertii sorror &c.* loquitur autem de die Pentec. anni 1174. mox pergens: *Ex qua genuit duos filios, & unam filiam, Fridericum, & Leopoldum, & Chunegundem, quæ desponsata fuit Ottocaro juniori Duci Styriæ a Patre suo, qui ei aliquot districtus, ut a Wilhamspurg usque ad Piesting, Herzogenburg pro dote donavit, mortua ipsa sine liberis &c.* col. 1205. eadem refert; quæ tab. Clauſtroneob. ſupra cit. fol. 1019. Fugger. ſpec. honor. Auſtriaci fol. 176. de Ottoc. VI. der vermählete ſich mit Frau Kunegundem nachſt gedachten Herrn Leopolds 7. Herzog in Oeſterreich Tochter ꝛc.

Prevenhueb. fol. 398. Agnetem uxorem tribuit Ottocaro, filiam ejusdem Leopoldi.

Præterea in hanc ſententiam varia adhuc ex Chronicis & aliis authoribus adferuntur. Sic in Chron. incerti authoris de ſæc. 13. apud cit. Pez tom. 1. col. 567. de Ottocaro VI. dicitur: *Styrensis Dux nepos ejus* (loquitur de Bela Hungariæ Rege) *Ottakerus elephantica ægritudine percussus*, ex quo contendunt, cum Ottocarus nepos Belæ dicatur, Chunegundem, quæ neptis erat Belæ, ei fuiſſe uxorem. Ex Dipl. Garſtenſi num. 16. apud P. Frælich inter mea num. 55. Leopoldus Dux orientis ſeu Auſtriæ ait: *Propter familiarem amicitiam dulcissimi amici & cognati mei Styrensis Ducis Otaker.* Diploma circa an. 1181. vel ſeq. datum videtur. Idem Leopoldus in Diplom. Seccovienſ. an. 1002. dato, in Diplomat. Styr. P. Frælich. part. 1. fol. 184. ait: *juxta donationem ipsius avunculi nostri Domini Otacheri Ducis Styriæ &c.* in Diplom. Garſtenſi num. 11. apud P. Frælich adducit Henrici Ducis Auſtriæ, Filii S. Leopoldi Diploma an. 1171. *Qualiter cognatus noster Marchio de Styra &c.* Prevenhueb. epitaphium jam allatum cap. 6. §. 12. Cuſpinianus in ſua Auſtria fol. 254. id etiam teſtatur: *Ottocarus junior Marchio Styriæ ultra socero suo Leopoldo donavit &c.* & author Fundat. Sancti Lamberti fol. 23. *Post defunctam conjugem Ottocarus partem Styriæ socero suo vendidisse*, ait, cui pro colophone ſubjungo Chronici noſtri Vorav. verba: *Ottachir Dux Styrensis præfati Marchionis Fundatoris filius, & Patri succedens non habens liberos, non longe post uxoris obitum factus leprosus &c.* Hæc ſunt argumenta ſententiæ affirmantis uxorem Ottocari VI.

§. VII.

Sententiæ negativæ argum.

Alii tamen, & plures ſane, Ottocari cum Chunegunde matrimonium fabulas inter reponunt, & quidem ex hiſce rationibus: 1*mo:* quod veterum AA. nemo hujus meminerit, ſed omnes adducti authores annis fere 200. ab Ottocaro remoti fuerint. De authore incerti Chron. Auſtr. ſæc. 13. mox pluribus. 2*do:* Quod Ottocarus VI. in ſuis Diplomat. nuſpiam meminerit uxoris ſuæ, dum tamen aliorum Principum Diplom. varia fere ſemper habeant pro ſalute animæ noſtræ & uxoris noſtræ &c. 3*tio:* Afflicta Principis valetudo obſtare videtur,

cum

cum jam an. 1184. lepra affici cœperit. 4*to*: Plura alia dubia; nam Chunegundis filiæ Leopoldi Ortilo Campililienſis non meminit, bene tamen Agnetis: ab aliis Theodora uxor Leopoldo (v. cod. Dipl. Bern. Pez p. 2. p. 44. ubi Leopoldus VI. matrem ſibi Theodoram fatetur, an. 1188.) ab aliis Helena tribuitur, dos illa Chunegundis Ottocaro data, ſumme dubia &c. maximum tandem, & convincens eſt argumentum 5*tum* deſumptum ex ætate ſponſæ, ſeu Chunegundem ſeu Agnetem dixeris, filiam Leopoldi, nam ex præcit. §. priore authoribus Clauſtroneob. tab. & Arenpeckio, habemus Leopoldum an. 1173. vel ſequenti, cum Helena ſeu Theodora iniiſſe matrimonium, item Chron. Clauſtroneob. ita habet: *MCLXXIII. Luipoldus & Henricus frater ejus filii Heinrici Ducis Auſtriæ accincti ſunt gladio, & eodem die Liupoldo copulata eſt uxor ſua, filia Regis Hungariæ*, proin Helena Geyſæ ſecundi Regis filia, *cum qua*, inquit Ortilo Campililienſis *nuptias celebraverat an.* 1173. Idem tradunt ad an. ſeq. Mellic. Chron. & incerti Authoris Auſtriacum, uti & Auſtrale apud Freherum. Ex his jam ſupponamus, Chunegundam an. 1175. natam (antea enim lucem videre non potuit, cum Fridericus frater ejus, & primogenitus Leopoldi an. 1174. in lucem editus fuerit) proin Chunegundes ante an. 1187. quo 12. ætatis annum agebat, pubes vix dum, ſicque nec matrimonio habilis fuit, eo vero anno Ottocarus jam lepra infectus uxorem non duxerit, nec Leopoldus ei filiam ſuam dediſſet, proin tempus nullum matrimonio huic figendo apparet.

Solvuntur argument. ſententiæ affirmat.

Hoc Achille ſententiæ negativæ expoſito, facile reſpondent ad rationes ſententiæ affirmantis Authores hi; ajunt enim authoritates omnes pro conjugio Ottocari allatas, recentiores eſſe ſæculis fere binis Ottocaro VI. conſtat unum ab altero, præſertim Vitum Arenpeckium eam ſententiam ab Hagenio, Sundheimio tab. Clauſtroneob. authore, ac Haſelbachio deſcripſiſſe. Quod attinet teſtimonium authoris incerti Chron. Auſtr. & ſæc. 13. ſcriptoris, nil probare putant, provocant enim ad totum textum, ex eoque liquere volunt, Ottocarum VI. ibidem, non Belæ Regis Hungariæ, ſed Leopoldi ſolum Auſtriaci nepotem dici; id quod ſequentibus oſtendunt: Chunegundes enim putativa Ottocari uxor, filia erat Helenæ, cujus avus erat Bela II. cœcus, Patet Geyſa II. fratres Stephanus III. & Bela III.; hinc Bela III. (quocum Leopoldo bellum erat) avunculus ſolum, non avus fuit intuitu Chunegundis noſtræ; pro clariori intelligentia ſubjungo textum totum ex Chron. cit. *Bela etiam Rex Hungariæ* (III. nimirum) - - *Imperatorem magnifice receptum* - - *in propria perſona conduxit; erat etiam Liupoldus Dux Auſtriæ ardentiſſimo deſiderio, ut in hac militia Domini contra inimicos crucis Chriſti cum cæteris Principibus ferret, cum tamen inde recenter reverſus fuerit. Sed gravis diſſenſio de terra, quam Styrenſis Dux, nepos ejus Otakerius elephantica ægritudine percuſſus aſſignaverat, & coram imperio ſibi tradiderat, inter ipſum & eundem Regem verſabatur de diſterminio terræ ſuæ.* Patet ex hoc textu 1*mo* Ottocarum nepotem, non Belæ, ſed Leopoldi Auſtriaci dici. 2*do*: Bellum hoc non de integra Styria (quale tamen eſſe debuiſſet, ſi Bela ob neptem ſuam Chunegundem, uxorem Ottocari VI. id moviſſet) ſed de terminis, ſeu *de diſterminio terræ ſuæ*, ſeu Styriæ

fuiſſe,

fuisse, lego enim ex Chron. quodam Hungarico Germ. an. 1534. edito, Belam petiisse, ut sibi Styria a monte Semering usque ad Admont, secundum Anasi fluenta cederetur, doluerat enim Bela, magnam Styriæ portionem, quæ ad orientem est, Pannoniæ dudum decerptam fuisse

Alia argumenta allata facilius solvenda arbitrantur Authores hi, & quidem dos Chunegundis admodum dubia est, nam teste Enenkelio *Wilhamspurgum*, *Cheldorfium*, *Rapatonis*, *ac Gumboldi fana* jam Ottocaro IV. ob Elisabetham Austr. accessisse dixi cap. 4. §. 6. licet & ibi dubius. Præterea Haselbachius matrem Chunegundis Theodoram neptem Regis Græcorum, alii Helenam neptem Regis Hungariæ statuunt; nomina *avunculi*, (quod teste Cangio idem est, ac *le Cousin*, hoc est *patruelis*, vel potius *matruelis*, seu matris frater) *cognati* minus movent; novimus enim his in titulis minus exactos fuisse veteres. Quidquid Henricus Dux Austriæ in Dipl. Garst. 11. supra cit: jam an. 1171. ante natam Chunegundem Ottocarum vocet *cognatum suum*; sane an. 1192. in Diplom. Garst. n. 17. Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ, de Leopoldo forti loquens dicit, *qualiter nos Monasterium Gerstin - - - tanquam plantationem parentum nostrorum, Principum Styriæ &c.* Sane nisi ad Elisabetham Ottoc. IV. uxorem, & Leopoldi fortis matrem respexit, Leopoldus Austriacus, in sensu vere improprio locutus fuit, cum ipse, si Ottocarus VI. Chunegundem ipsius filiam uxorem habuisset, jure meliore Pater, tanquam socer ejusdem Ottocari dicendus foret.

§. VIII.

Statuitur sententia.

Proposui binas de conjuge Ottocari sententias, non tamen inde dubium omne mihi decidit, ita, ut hononymia laborasse Authores sentiam, dum Ottocarum V. & VI., quorum utrique Chunegundis uxor fuit, confundere videntur. Quamvis vero ex adducto §. priore argum. quinto omnino censeam, Ottocaro VI. verum & consummatum non fuisse cum Chunegunde Austriaca matrimonium, inclino tamen in eam opinionem qua eidem Chunegundem Austriacam desponsatam, probabile utcunque videtur, atque antequam matrimonium opere deduceretur, vel Chunegundem mortuam, vel Ottocarum ipsum, ægritudine confectum, matrimonii consummationem distulisse docetur. Chunegundes nimirum, Fundatoris nostri piissima Conjux, & sollicita Ottocari VI. mater, priusquam valedicto mundo Parthenoni Admontensi se manciparet, intenta saluti filii, ac totius Provinciæ id effecisse mihi videtur, ut impuberi filio suo, sponsa etiam impubes, more magnatibus non insolito desponsaretur; egerit eum in finem, cum Leopoldo Austriaco, aliunde consanguineo de nuptiis istis, quibus saluti filii sui, æque ac Provinciarum modo optimo consuleretur, sibique sic liberum fieret, abjectis mundi curis, Deo in Parthenone Admontensi deservire; cum vero Ottocarus dein, & fors jam mortua matre, morbo elephantiaco laboraret, nuptiarum solemnium dilationem factam censeo, donec vi medica tolleretur malum, interim vero sponsa obiit, utpote quam Ottocaro præmortuam, plerique testantur.

Ita

Ita conjicio, verum, ne imprudenter ita conjicere videar, ſequentia in rem meam propono argumenta: 1*mo*: Quia ſtante hac ſententia melius ſalvantur tituli illi, *Soceri nimirum* Leopoldi, reſpectu Ottocari, *generi* in Ottocaro relate ad Leopoldum (uti eum vocat Jacobus Præpoſitus Clauſtroneob.) *avunculi*, *cognati*, *nepotis*: fateor quidem, nepotis titulum Ottocaro, reſpectu Leopoldi proprie non convenire, bene tamen *conſanguinei*, & *cognati*, ut ſequens ſchema habet.

Leopoldus pulcher Marchio Auſtriæ.

S. Leopoldus Marchio Auſtriæ.	Eliſabetha Ottoc. IV. uxor.
Henricus March. & Dux I. Auſtr.	Leopoldus fortis March. Styr.
Leopoldus virtuoſus Dux II. Auſtriæ & Styriæ.	Ottocarus V. March. Styriæ & Fundator Vorav.
Chunegundes ſponſa Ottoc. VI.	Ottoc. VI. Dux ſponſus Chuneg.

Ex quo ſimul patet 1*mo*: Ottocarum VI. fuiſſe ſponſæ ſuæ quarto gradu Conſanguineum. 2*do*: Authorum veterum nullus, quotquot inſpexi, ait Ottocarum VI. cœlibem obiiſſe, immo plerique, tacito licet ſponſæ nomine, ajunt *ſine liberis* obiiſſe (quod ipſum de ſponſa Chunegunde a plerisque affirmatur, ut §. priore oſtendi) ſi jam cælebs obiiſſet Ottocarus non *ſine liberis*, dixiſſent, mortuum, immo omiſſis his vocibus *cælibem defunctum potius* affirmaſſent. 3*tio*: Quamquam adducta ſuper. §. teſtimonia ſint fere 2. ſæc. Ottocaro poſteriora, nullus tamen coævus author allegari poteſt, qui eum *cælibem* mortuum aſſeruerat, & Diplomata Ottocari VI., quamvis uxoris non meminerint, inde tamen etiam contrarium non evincunt, nam Diplomatis his raro uxores, niſi Fundatrices ſimul fuerint, vel in traditionem aut donationem conſenſerint, ſubſcriptæ inveniuntur, unde Ottocari VI. ſponſam citius fors jam ante morbum ejusdem mortuam, vixque peccati capacem, quid mirum, ſi Diplomata ſileant? Sane plura exſtant Leopoldi II. Ducis Styriæ ad an. 1202. 1205. & Ottocari IV. & V. Diplomata, in quibus uxorum nulla fit mentio. Itaque cum in ſuis Diplomatis, Ottocarus VI., plerumque dicat, *pro ſalute animæ noſtræ*, ſequeretur eum, vel non habuiſſe parentes, vel eorum penitus oblitum; cum proinde de parentibus ſuis optime ſenſerit, eos jam dudum cœlo aſſertos, de ſponſa ſua tenella, ac in flore ætatis mortua, quidni ſimilia prudentiſſime judicaverit. 4*to*: Ottocarus VI. ipſe in Diplom. quo Ducatum Styriæ Leopoldo tradit (v. Diplom. mea n. 66.) diſertis verbis ait: *ſi ſine hærede deceſſerimus*, ei Leopoldus Dux Auſtriæ ſuccederet, adjeciſſet vero Ottocarus imprudenter eam conditionem, ſi cælebs obiiſſet, cum inutilis conditio iſthæc fuiſſet in Principe cælibe, & ſpe omni prolis deſtituto, quod omnino de Ottocaro non ſupponendum. Et ſane, cur ipſe in Diplomate ſuo an. 1191. Seccovienſibus dato (v. mea num. 76.) ingeminaſſet his verbis: *Cum hæreditales ſucceſſores - - proh dolor, abeſſe nobis videremus.* Quod utique cælebs Princeps dicere non potuit. 5*to*: Afflicta Ottocari valetudo, licet per me conſummando obſtiterit matrimonio, non tamen

desponsationi: Ottocarus enim VI. an. 1163. natus an. 1184. lepra primum est affectus an. ætatis suæ 21. proin jam anno 1177. nuptiis consummandis par fuisset, si eas ætas sponsæ admisisset, cui proin anno 1182. agens 7. ætatis annum desponsari potuit, & ne dein consummaretur, & per morbum suum, & per mortem sponsæ impediri.

Atque hæc sunt momenta sententiæ meæ; quam tamen nemini efficaciter persuasam velim, sed erudito solum mundo dijudicandam relinquo: Respondi etiam, ut opinor, argumentis sententiæ negativæ §. 7. propositæ, nimirum 1. 2. 3. & 5to. 4tum inibi propositum argumentum difficultatem non habet, nam quæstio mihi non modica est, an plus Ortiloni Campilienſi, Chunegundem ignoranti, quam aliis §. 6. citatis authoribus sit deferendum? dubito itidem, an Enenkelius dotem hanc (quam plerique Chunegundem Ottocaro VI. attulisse docent) Elisabethæ Austr. uxori Ottocari IV. attribuens, majorem præ aliis fidem mereatur, scimus enim, non raro Enenkelium hallucinatum fuisse, sed esto circumstantiæ hæ, uti sententiam negativam non suadent, ita nostram non evertunt. An dos ea extradita jam fuerit Ottocaro? ipse dubito.

§. IX.

Styria an vendita.

Supereſt quæstio de Patria nostra, an ea ab Ottocaro vendita? an donata Leopoldo Austriaco fuerit? qua in re prænotandum censeo, anno 1184. initia morbi, se in Ottocaro prodidisse, quibus, cum medela nulla adveniret, anno tandem 1186. lepra corripi cœpit; hinc primo quidem Styriam vendere meditabatur Princeps piissimus, ne pietati aurum deesset, quod rursus in templa impenderet. Sensum hunc suum patefecit Canonicis Regularibus S. Aug. Voravii, & maturiore horum, aliorumque Styriæ Principum consilio permotus, tabulas confici jussit, quibus hæreditatis instar Leopoldo Duci Austriæ, consanguineo, & probabilius, cum in hunc Juniorem præ Henrico Medlicensi Seniore inclinaverit, socero suo futuro, Styriam an. 1186. transcripsit, amplissimis Comitiis tum simul in monte S. Georgii, non procul vetere Lavreaco habitis, quibus Leopoldum eo invitatum futurum Styriæ Ducem dixit, attamen, ut inquit ipse, *si sine hærede decesserimus.* Tabulas has v. inter Diplom. mea num. 66.

Ex sincero hoc, & minime rejiciendo Ottocari ipsius Diplomate, patet fabellam esse, Styriam venditam, quam quidem Arenpekius, Enenkelius, Cuspinianus, Fuggerus, aliique docent, quamvis enim Styriam vendere intenderit quondam Ottocarus, mentem tamen suam mutavit deinceps in citat. Diplom. his verbis: *Et quia Deus sola dignatione suæ misericordiæ, primo parentibus nostris, deinde nobis magnam contulit in hominibus, & rebus gratiam, solicitudinem habuimus non minimam, cum non haberemus hæredem, cui omnia nostra cederent in hæreditatem; communicato igitur meliorum consilio prudenti, nobilissimum, strenuissimum, fidelissimumque Ducem Austriæ Liupoldum consanguineum nostrum, si sine hærede decesserimus, successorem nobis designavimus &c.* Emptori certe, quæcunque parato pretio exolvit, in hæreditatem non cedunt, neque hic talis in successionem ab altero designatur, qui possessionem quandam per con-

contractum venditionis, ſui pleniſſimi juris effecit. Producat ergo Cuſpinianus litteras Henrici VI. Cæſaris nulla parte ſubleſtas, quibus hic emptionem Styriæ confirmaſſe dicitur.

Superius §. 5. ex Prevenhueb. notavi, exſtare quædam Diplomata, quibus ſe Leopoldus Dux Auſtriæ jam circa an. 1177. Ducem Styriæ ſcripſerit, at cum Prevenhueberus ea Diplomata Garſtenſia mere commemoret, quin ea vel integra, vel excerpta adſcripſerit, aut ſaltem ſubſignationem eorum propriis verbis expreſſerit, ea fallere in epochis, vel plane non exſtare certiſſimum reor, cum etiam Cl. Frælichius rerum Garſtenſium ſolicitus indagator, eadem commemorare omiſerit; Jam enim cit. §. 5. ex genuinis documentis oſtendi, Ottocarum an. 1180. primum Ducem Styriæ factum, certe, ſi ea Diplomata inſpicere daretur, legendæ forent æræ annorum 1197. vel 1193. Novimus enim Diplomata ſæpius deſcriptorum incuria, aut ignorantia male ſignata fuiſſe, uti & illud Diploma Seizenſe apud P. Bern. Pez cod. Diplom. 2. pag. 48. ſubſignatum apud Marchburg an. MCLXXXXV. cum tamen Ottocarus ex omnium ſenſu jam an. 1192. obierit. Apud eundem P. Pez cit. p. 44. habetur Diploma S. Cruci in Auſtria expeditum, an. 1188. quo ita Leopoldus ſcribit: *Luipoldus Divina clementia Dux Auſtriæ & Styriæ &c.* Diploma genuinum eſſe non negabo, illud tamen ex Authore faſt. Campilienſ. tom. 1. fol. 416. obſervo, quod (cum Charta iſta media exiſtat inter duas alias, ab eodem Duce, eodem anno, eidem Monaſterio, traditas, in quorum tamen prima & ultima ſe ſolum Ducem Auſtriæ ſcribit Leopoldus) merito mirandum ſit, cur in ſola media addita ſit vox *& Styriæ.* Suſpicio proin gravis erit tranſcribentem confuſione quadam ſuæ mentis, cui obverſabatur, eundem Leopoldum & Styriæ Ducem fuiſſe, abreptum, acurata ad autographum attentione voculas *& Styriæ*, mero errore in chartam illeviſſe, vel ſupponendum Ottocarum poſt traditionem Styriæ an. 1186. Leopoldo factam, eidem privata authoritate conceſſiſſe, ut ſe abhinc etiam, Ducem Styriæ ſcriberet, quod tamen vix credo, tum quod Ottocarus Ducatum ad ultimum vitæ tempus adminiſtraverit, tum quod alia Diplomata id non oſtendant.

Porro in charta donationis Styriæ, Leopoldo factæ, legitur: *Ad petitionem Provincialium*, quorum etiam privilegiis, ac juribus recenſitis cavet, ut eisdem, qualiter a Principibus Styriæ collata ſunt, poſtea etiam ſub Ducibus Auſtriæ ſalva, & integra permaneant. Ea de cauſa factum arbitror, ut Proceres Styriæ ſanctionem ſuam pragmaticam ſcriptis ſuis an. 1229. inſererent, ſicque inſinuarent, vetera ſibi jura ac privilegia in donatione hac Styriæ reſervata fuiſſe.

§. X.

Tradita ſic quamvis an. 1186. Styria, & Leopoldo Auſtriaco hærede deſignato, ipſe tamen Ottocarus ad extremum uſque vitæ ſpiritum, regimen retinuit, unde piis fabulis annumeramus eorum doctrinam, qui eum Seizenſem Monachum poſt an. 1186. factum contendunt; exſtant enim Diplomata Ottocari Ducis ad an. 1192. quo Seccovienſibus, gubernacula tenens, beneficus exſtitit v. mea Diplom. *Ottoc. VI. non eſt factus Monachus Seizenſ.*

in fine. Sane tabula traditionis id inſinuat his verbis: *Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ſi idem Dux, ac filius ejus Fridericus, quibus noſtra deſignavimus, nos ſupervixerint, noſtra in ſua poteſtate habeant*; quibus proin decernit a morte primum ſua Styriam Leopoldo obventuram, etſi fors ipſe Leopoldum vita ſuperaret, etiam Fridericum filium pro ſucceſſione deſignat.

Ottoc. VI. an. 1192. obiit. Tandem floridiſſimo licet menſe Majo an. 1192. conſumptus tabe diuturna Princeps ad mortem uſque emarcuit, ita Chron. Admontenſe mortem Ottocari VI. his verbis referens: *An. MCXII. Ottacher Dux Styriæ absque liberis decedens Liupoldum Ducem Auſtriæ, terræ ſuæ, ac patrimonii, ex teſtamento hæredem prius inſtitutum reliquit.* Conſonat Chronic. Reicherſperg. Zwetlenſe, Clauſtroneoburg. Paltramus, ſeu Vatzo Conſul Viennenſis Sunthomius, & Jacobus Præp. Clauſtroneob. in tabulis, Haſelbachius, aliique communiter. Chron. tamen Clauſtroneob. & Vatzo apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 448. & 709. eum *Ducem Carinthiæ* appellant, cujus rationem jam dedi cap. 5. §. 5. & cap. 6. §. 1. Tertius enim erat Carinthiæ magnæ partis, qua Styria aucta eſt, Marchio, quamvis ſe nunquam talem ſcripſerit, & quamvis Marchia illa proprie *de Sounec*, vel *de Cileja* dicenda foret.

Dies mortis. Diem mortis Necrolog. Seccov. & Traunkirchenſe 7. Id. Maji ponunt, Seccovienſe apud P. Frælich Diplom. S. Duc. Styr. part. 2. fol. 357. Runenſe ibidem fol. 341. & Admont. apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 203. 8. Idus. Maji. Seizenſe 7. Idus Maji, ſeu nonam ſtatuit, & Necrolog. Campililienſe, 6. Id. Maji. Funeralia ſibi prius in collegiata Eccleſia Seccov. fieri juſſit perennia, aſſignatis in eam rem fundis & redditibus. Sepultum in Seiz oſtendi cap. 6. §. 12. &c.

Extincto itaque Ottocaro, regimen Styriæ ad Auſtriacos gentis Babenbergicæ delatum eſt, ita enim declarat Chronic. Reicherſp. *Mortuus fuit Dux Styrenſis Otachar nomine, qui antea dicebatur Marchio Styrenſis, &, quia hæredem non habebat, Dux Auſtriæ Liupoldus ſucceſſit ei, &* *Leopoldus Dux Auſtriæ factus Dux Styriæ.* *accepit eundem Ducatum de manu Imperatoris valde ſolenniter, apud Wormaciam in proximo Pentecoſtes, quod evenerat tunc in nonis Kal. Junii.* Ex quibus refutatur error Bucelini hiſtor. Agilolfingica Auſtriam ita dilatatam docentis, *ut Leopoldus Auſtriacus tantæ Provinciæ auctus acceſſione, primus quoque Ducis titulum meruerit.* Error hic propalam falſus, ulteriore refutatione non eget, cum conſtet Auſtriam jam an. 1156. Ducatum factam.

Subditi novi a novo Duce Græcii illico in fidem recepti, eademque occaſione Seccovienſi Canoniæ, confirmatio poſſeſſionum, & jurium omnium indulta eſt, *in placito noſtro*, inquit Dux *Græce primum* *Auſtria aucta.* *habito* an. 1192. Hac porro ratione Auſtria egregie dilatata eſt; acceſſit enim integer fere Comitatus Stirenſis, nempe Stira urbs, cum Garſten, Glunico, Aniſio, item Comitatus Styrenſis, Puttenſis, Neoſtadium, Schardinga, Formbacum, Lambacum, quæ omnia Ottocaro V. antea obtigere.

§. XI.

Scutum & inſigne ult. Marchionum Styriæ. De ſcuto & inſigni veterum Marchionum quidpiam ſubjungendum eſt; jam Diſſertatione 1. §. 14. inſinuavi, recentiores quosdam autho-

authores cum Prevenhuebero, Megiſero, Lazio, authore ſpeculi Auſtriaci honoris &c. Cenſere, uti nomen, ita & inſigne Styrorum ab animali Tauro eſſe deſumendum, Taurumque hunc tardius in Pantherem fuiſſe mutatum. Hanc eorum opinionem confirmare videtur & illud, quod in nonnullis ſcutis, Panthera hæc, carnibus ad inſtar Tauri efformata appareat, uti apud Prevenhueberum &c. Quamvis ſimul eadem Panthera in antiquis inſtrumentis nominatim Carinthiæ, apud Cl. Frælich Archontolog. Garinthiæ tom. 2. in tabula Iconiſmorum, ſeu Scutorum Ducum Carinthiæ ſine cornibus videatur, Veriſſimum illud, in vetuſtis Marchionum & Ducum Styriæ & Carinthiæ Scutis, animal quodpiam exſculptum videri, quod neſcio, an Pantheram, Leonem, Gryphem ſine alis, an Draconis quoddam genus dicam. Variationes Scutorum Ducum Styriæ recentiores non attingo; de primo loquor, an Pantherem, an Taurum exhibeat.

An in eo ſit Taurus vel Panthera.

Ottocaros Styriæ Marchiones ac Duces gentilitio ſigno ſuo Pantheram intuliſſe (fortitudinis ſymbolum) nullus ambigo, probant id vetuſta inſignia Marchionum horum, quorum præcipue Ottocari V. & VI. ſeu Ducis I. quæpiam conſervat Archivum Prælaturæ noſtræ Voravienſis, ita tamen vetuſtate deleta, ut etiam auctorio explorata dignoſci non poſſint. In unico, ſed valde obſcure Panthera repræſentari videtur. Plura alia antecedentium Marchionum delineata conſpiciuntur apud Cl. Pushium in collect. MS. Reperitur etiam apud Seccovienſes de an. 1174. ſigillum, cereum flavum, ex rubra viridi & flava zona ſericea pendulum, ejusdem magnitudinis & figuræ, cujus eſt ſigillum Fundatoris Voravienſis, ut teſtatur Frælichius Diplom. Sacr. Duc. Styriæ p. 1. fol. 165.

Ottocari in inſigni ſuo Pantheram habent.

In litteris patentibus, quibus Richerus de Hagenfeldt, Collegio & Eccleſiæ noſtræ Voravienſi quædam prædia contulit (v. inter mea Diplom. num. 67.) affixum eſt ſigillum Ottocari prorſus idem cum eo, quod litteris fundationis noſtræ eſt appenſum, ſed obſcuriſſimum, ut ſupra dixi, uti exhibet Archivum Prælaturæ noſtræ.

Quod ſententiam hanc meam ſecundo confirmat, illud eſt, quod vetus etiam Ducum Carinthiæ Scutum Pantheram præſentet, ex quo Cl. Frælich Archontologia Carinth. p. 1. tab. 3. & p. 2. c. 10. f. 206. haud ex vano ſuſpicatur, veteres Styriæ Marchiones (cum Panthera olim gentilitium fuerit inſigne Comitum de valle Lavanda, nunc Sponheimenſium, ac ſubinde Ortenburgi Comitum dictorum) ex eadem olim ſtirpe deſcendiſſe, quorum poſtremi Bernardus, & Ulricus Duces Carinthiæ ſuis ſigillis Pantheram illam, aut ſimilem feram nobis prodidere.

Panthera hæc in veteri etiam ſcuto Ducum Carinthiæ.

Tertio tandem in hanc ſententiam meam ſubjungo, quod Styra urbs & familiæ a Marchionibus noſtris exortæ Pantheram adhuc conſervent, variis tamen ad diſtinctionem coloribus expreſſam, Styra quidem urbs ſimillimum Marchionibus noſtris ſigillum, nempe Pantherem argenteum in campo viridi, ſub diverſis vero coloribus Comites de Loſenſtein, Wartenberg, Pernegg, Hochenberg &c.

Item in inſigni urbis Styræ & familiar. ab Ottocaris exortar

Quod ſi jam quis quærat, cur Duces Carinthiæ vetus ſuum inſigne gentilitium, Pantheram nempe mutaverint, Styrisque Ducibus reli-

Cur Duces Carinthiæ Pantheram dein reliquerint.

reliquerint? Aventinus Annal. Bojor. lib. 7. pag. 667. edit. Latinæ 1554. Ingolſtadii cauſam aſſignat, quæ, quamvis non placeat, id tamen evincit, Pantheram fuiſſe Scutum veterum Marchionum noſtrorum, ita vero loquitur Aventinus cit. de Friderico bellicoſo: *Ulricum Charionum Ducem, quod Pantheram Styriæ, Ducatus ſui inſigne, uſurparet, capit eundem, poſthac Auſtriacum Scutum tribus Leonibus a dextra diſtinguere jubet, atque his porro pro inſigni Charionum uti præcipit;* Hæc, licet Scutum Styriæ vetus Pantheram fuiſſe, oſtendant, in aliis tamen peccant; nam *1mo:* Bellum illud a. 1244. inter Bohemos & Fridericum bellicoſum Ducem Auſtriæ eſt ortum, Bohemis auxilio miſſus eſt a Bernardo Duce Carinthiæ, filius Ulricus nondum Dux, Fridericus victor fuit, & Ulricus captus eſt, aſt non ideo, quod Pantheram uſurpaſſet, ſed quod Wenceslao Boh. Regi ſuppetias tuliſſet. *2do:* Ulricus tum nondum Dux Carinthiæ fuit, ſed Bernardus Pater, nec Ulricus primus Pantheram uſurpavit, ſed Bernardi Patris viventis Scuto, illo haud dubie avito, uſi veſtigia preſſit. *3tio:* Cur Fridericus ereptam voluiſſet Carinthiis Pantheram? ſimulque iisdem præcipui Ducatus ſui, Auſtriæ nimirum Scutum obtrudiſſet? cum tamen Dux Auſtriæ ſimul & Styriæ fuerit, an pro minoris Ducatus Scuto pugnaverit, & nobilioris, ſeu Auſtriaci Ducatus Scutum hoſti indulſerit? *4to:* Etiamſi hæc pacta de mutando Scuto inita fuiſſent, inter Fridericum, & Ulricum captum, ea tamen, extincto mox Friderico effectum non fuerunt ſortita, cum ſubſequa Ulrici Ducis ſigilla ad an. 1256. & ſeq. vetere Panthera fuerint inſignita, quæ ſe in tabulario Auſtr. Vindob. conſpexiſſe teſtatur Frælichius cit.

Ex his cauſam meliorem longe, ac Aventinus adfert Cl. Frælichius, cur nempe Panthera a Carinthis Ducibus fuerit omiſſa? contigit id nempe Ottocari Boh. Regis tempore, qui cum ſe Ducem Styriæ ſtabiliter ſaltem ab an. 1260. geſſiſſet, Pantheram Styriæ ab eo tempore Scuto ſuo, ſigillisque inſertam geſtavit; quoniam vero ſuæ ſtirpis ultimus, Carinthiæ Dux Ulricus, eandem Pantheram, atque eodem modo effictam, quo Styriæ Duces, præſetulit, velletque Ottocarus, ex Scutorum ſymbolis præcipuas Provincias ſibi ſubjectas, ſingillatim ac diſtincte indicare, Carinthiæ, qua recens potitus eſt, aut cujus antea ſpem devoraverat, inſignia utique immutanda fuere, Ita Frælichius, nec abs re, novimus enim ex Heraldicæ Principis, *Scuta Principum, aut libera eorum voluntate, aut neceſſitate quadam mutari.*

Ex hoc jam principio Heraldicæ contra Prevenhueberum, aliosque ſupra recenſitos authores infero: Taurum nunquam fuiſſe in inſigni Marchionum & Ducum Styriæ repoſitum, authores enim hi, vel liberam noſtrorum Principum voluntatem, vel neceſſitatem probare documentis debent, qua metamorphoſis illa Tauri in Pantheram ſtatuitur, & quamvis adeſſent etiam Scutorum ideæ Pantheram cornutam Tauro ſimilem exhibentes, varietatem ego illam uni ſculptorum aut pictorum ingenio tribuerem, quod, quantum poſſit, & auſum ſit, ſat novimus exemplis aliis, quibus homines hi, Leones in Leopardos mutarunt, atque iisdem duplicem etiam caudam efformarunt, in qua tantumdem latere myſterii arbitror, quantum in aliarum Provinciarum Scutis, quæ bicaudatum Leonem exhibent.

ANNA-

ANNALES DUCATUS STYRIÆ.

Annales Ducat. Styriæ.

LIBER I.

Liber I.

Styria ſub Præfectis Romanorum per quinque prima Sæcula.

Styria ſub Præfectis Romanor. per 5. pr. ſæc.

I.

Sec. I.

Ne rebus extra Styriam poſitis, cupidum rerum Patriarum Lectorem morer, conſtitui ſummaria ſolum, & ſynoptica relatione, primorum ſæculorum acta referrre, ut alienis reſciſſis, ea mox reperire poſſit, quæ legere cupit; novi etenim, quosdam rerum Styriæ compilatores, vel ideo noſtro ævo, modico in pretio eſſe, quod aliena memorent, domeſtica negligant, horumque defectum, documentis & rebus ad Styriam non facientibus, ſupplere ſtudeant; Hic mihi proin ordo, ad Ottocarorum tempora uſque, erit, quibus, dum ſenſim & Styriæ nomen, & acta ejus aliquantum clariora occurrunt, Chronologico ordine Patriæ noſtræ monumenta referre conabor.

Præfatio.

II. Bellicoſus Styrorum animus, in bello Pannoniæ & Dalmatiæ, Ducibus Batone & Pineto, geſto, promicuit; etenim Pannones, interque hos Styri noſtri, cum Dalmatis circa annum Chriſti 6. in ſeditionem verſi, 200. peditum, equitum 9. millibus in arma tractis, eo graviorem Romanis intulere terrorem, quo minus prævisum; *Pars* eorum teſte Vellejo Paterculo lib. 2. cap. 110. *Petere Italiam decreverat, junctam ſibi Nauporti, ac Tergeſtis confinio &c.* Nondum nempe Pannones libertatis ſuæ obliti, adhuc ſervitutem Romanam exoſi erant, utque rem ſuam tuerentur fortius, acceſſere *Norici, quibus animos dabant alpes, atque nives, quo bellum non poſſet aſcendere*, ut ſcribit Florus lib. 4. cap. ultimo, cumque teſte Vellejo cit. *Cum univerſa Pannonia, & adulta viribus Dalmatia, omnibusque ejus tractus gentibus* (utique etiam Noricis, & Illyricis) *in ſocietatem adductis*, bellum hoc gereretur, nemo non erit, qui Styros noſtros in Pannonia, & Norico contentos, ab hoc bello immunes declarabit, illi ſane, quibus animos altitudo alpium, ac nivium denſitas ingeſſerat, *Tauriſci* nomine utcunque obliterato, ſeu Styri noſtri, ad alpes ſummas accolæ fuerint, de quibus Florus loquitur.

Pannon. & Dalmat. bello an. 6. involuti Styri.

III. Tantus vero comperto hoc bello in Italia metus fuit, ut Auguſtus ipſe diceret, *decimo die, ni caveretur, poſſe hoſtem in urbis Romæ venire conſpectum*, ut ait Vellejus, movit tamen in hoſtes, Roma jam vincere gnara, & terror quantuscunque tandem ille fuerit Pannonicus, in magnam gentis etiam noſtræ cladem, majorem Romanis vertit lætitiam, nam & Cæcina Severus, *Sirmium aggreſſuros Pannones, ad Dravum fudit*, & Rhæmetalces Thrax, cum fratre Reſcupore, Macedoniam populantes expulit, & quamvis commiſſo cum Valerio Meſſalino prælio ſuperiores viderentur noſtri, accepta tamen ad volcæas paludes, ab Aulo Cæcina, & Silvano Plautio nova clade, fame tandem, morbisque confecti, prodito Ducum altero, altero ab æmulo necato, ad

Timor hujbelli.

Victi Pannones ad Dravum.

Et volcæas paludes.

pacem

cem adacti ſunt Pannones & Norici, proin quoque Styri noſtri anno Chriſti 8. Dalmatia, quanquam anno adhuc integro reſiſteret, in ſervitutem tamen eſt adducta. Hæc eſt ſumma belli a Dione Caſſio lib. 55. & ſeq. deſcripta, quam pariter ad laudem Tiberii proponit Vellejus hiſce: *At Tiberius Cæſar, quam certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat, partem Illyriis, Dalmatisque. Rhætiam autem & Vindelicos ac Noricos, Pannoniamque novas Imperio noſtro ſubjunxit Provincias.* Sicque Styria noſtra iterum Romana evaſit Provincia.

Pax ſit an. Chriſti 8.

Styria fit Prov. Rom.

Belli cauſa.

IV. Cauſam bello huic dedit, innata illa recipiendæ libertatis avitæ cupiditas; etenim quamvis jam a P. Silio Pannones cum Noricis, ſicque & Styri noſtri, devicti, atque Romanis ante Chriſtum natum ſubjecti fuiſſent, nondum tamen ea libertatis ſuæ cogitatio, apud eosdem evanuit, quin commoda occaſione obtenta, pro libertatis ſuæ aureola, arma ſtringere, ſibi arduum nimis reputarent. Marcomanorum itaque bellum, optima repetendæ ſuæ libertatis videbatur occaſio, ut adeo, dum Romani cum Marcomannis pugnarent, Pannones cum Dalmatis & Noricis ſua ſe ſervitute ſolvi poſſe, eodem tempore arbitrarentur. Acceſſerit etiam Romanorum avaritia ingens & ambitio, quæ a ſubactis populis, non ſolum omnia auferre, ſed jugum etiam importabile imponere conſueverat.

V. Hac itaque Marcomannici belli commoda occaſione, Patres noſtri uti ſibi, juſtiſſimum arbitrabantur, ita armis non ſolum multitudine, ſed diſciplina etiam bellica ſtrenue efformatis, pro Patria libertate certare ſtatuebant, erant enim Patres hi noſtri Pannones ac Norici, ſi tamen omnis Vellejo Tiberium ſuum ultra vires prædicanti fides, erant inquam Patres noſtri, armis Romanorum more exerciti, linguæ Romanæ probe periti, ſtudiorum cupidiſſimi, uti armis corpora, ita animos ſtudiis ac ſcientes excolentes; præterea ad bellum hoc ſedulo erant comparati, non tumultuario, ſed Romanis formidando proprio exercitu, in tres partes diviſo, cujus pars una Italiam, Macedoniam altera peteret, tertia domui ſuæ præſidium præſtaret, Duces exercitus Bato & Pinnetes, id temporis Pannoniæ dominantes.

Pannon. & Noric. fortitudo.

Triplex exercit.

VI. Prima Pannonum, Noricorumque acies, Italiam petitura, res ſuas in confiniis Italiæ, *ad Nauportum*, & *Tergeſtum* moliri capit, *Nauportum* urbem, uti & fluvium cognominem plurimi Labacum ſuperius arbitrantur, *Tergeſte*, olim *Mugia* nomine ſe ſuo prodit, quondam Carniolіæ, hodie Iſtriæ civitas, nomine *Tergeſtum*. His ex locis progreſſi Pannones cumſociis, cives Romanos occiderunt, negotiatores, magnumque vexillariorum Romanorum numerum mactarunt, dum interim pars altera Macedoniæ extremam ferro igneque perniciem afferret.

Prima acies ad Nauport. & Tergeſt.

VII. Sub Tiberio, ſupremo Duce belli, acriter primum pugnabat Cæcina Severus, & Pannones cum ſociis, *Sirmium aggreſſuros ad Dravum fudit*, teſte Dione Caſſio cit. quo vero in loco vel vicinia ea clades facta fuerit? non compertum eſt: ad Dravum cum fuſi fuerint Pannones, Sirmium ad Savum ſitum nondum attigerint, unde ex Pannoniæ ſuperioris locis Petovione vel Stridone acies ſecunda prodiverit, Sirmium oppugnatura. Valerium Meſſalinum, prælio iis inferiorem fuiſſe, Dio Caſſius, apud P. Calles citatus innuit, illuſtriſſimus

Pannones ad Dravum fuſi.

tamen

tamen Valvaſorius tom. 4. lib. 14. fol. 119. ſuperiorem ſcribit ex Vellejo Paterculo, dum tribus ſuorum millibus, ultra viginti Illyriorum rebellium millia in fugam convertiſſe memoratur: præterea eodem teſte Tiberius partem Illyrico-Pannonici exercitus, a reliquo agmine diviſit, qui Claudio monte Pannoniæ, operibus munito, cum Romanis congredi non auſi, *ad exitiabilem famem* ſunt compulſi, ac cedere coacti: eventum rei ulteriorem Vellejus refert.

VIII. Quod res Patriæ noſtræ afflixit plurimum hoc in bello, erat fraus Tiberii, qui Maroboduum Marcomanniæ Regem (in quo Pannonum, Noricorumque omnium ſpes pendere videbatur) muneribus & promiſſis fractum, *pace* ſibi fecit *obſtrictum*, teſte Suetonio in hiſtoria Tiberii, inde etenim omni vi in Pannones, Noricosque actum, nec erat, qui fractas eorum vires reſtituere vellet, vel poſſet, dum Romanorum, Marcomannorum, Thracum, aliorumque arma in exitium Pannoniæ conjurarent. Hiſce confectis Tiberius hyberna *Sciſciæ* adiit, Pannoniæ urbe nobili, & veteri Romanorum colonia in Provincia Savia, quam in Segeſtica inſula ſitam, fluvius Colapis gemino alveo in Savum illabens efficit, & hodie *Siſſegg* dicitur, Romanis tanquam clavis Pannoniæ maximi ſemper habita. Sedem olim habuit Epiſcopalem, nunc Zagrabiam delatam: urbem hanc Julius Cæſar anno ante Chriſtum natum 35. cepit, ac ſibi ſubjecit.

Pannones & Norici ubique victi.

Sciſcia urbs.

IX. Finem belli hujus plerique anno Chriſti 8. Pagius ſequenti tribuit, id in eo bello notabile Valvaſorius tom. 2. lib. 5. fol. 114. refert, fœminas nempe, & mulieres Noricas, maritis ſuis longe fuiſſe fortiores & fæviores, dum enim viri jamjam ad pacem inclinarent, armaque ſua ponerent, fœminæ, ut, quanti libertatem ſuam facerent, oſtenderent, cum ſagittæ & arma, quibus pugnarent, deeſſent, proles ſuas impuberes, humi alliſas, ſicque necatas, victoribus Romanis objecere, crudeli hoc facto indicaturæ; proles ſuas libertate ſpoliatas, vita etiam ipſa indignas eſſe. De Pannoniæ Ducum facto ulteriore variant Authores, *Bato Pannoniæ Dux, inter Dravum & Savum*, ut opinatur Schönlebenius, interrogatus, cur ſui jugum excuſſiſſent? ſcite reſpondit: *Quod lupos, non canes, vel paſtores, ad regendos populares ſuos Romani adhibuiſſent*, proditus & captus cum hoc in bello fuiſſet, teſte Suetonio in vita Tiberii, incolumis evaſit, etenim *Batonem Pannonum Ducem, ingentibus donatum præmiis*, Tiberius, *Ravenam transtulit, gratiam referens, quod ſe quondam, cum exercitu ſuo, iniquitate loci circumcluſum paſſus eſt evadere*, Pinnetum Ducem alterum ab æmulo interfectum Dio Caſſius l. 55. ſcribit. Tandem Auguſtus *limitem inter Barbaros, & Romanos per Vindelicum, per Noricum, per Pannoniam & Mœſiam conſtituit*, Rufo teſte, dein coloniæ ædificatæ, fræna gentium devictarum, & præſidia adverſus hoſtes, in Vindelicis nempe Auguſta, in Pannoniis Carnuntum, in Noricis Laureacum.

Noricarum fœminar. fortitudo.

Batonis Ducis fata.

Et Pinneti.

Limites & coloniæ Romanor.

X. Data eſt ſic pax etiam Styriæ noſtræ, quamvis caro libertatis ſiclo empta, cum enim Norici illi, quibus animos altitudo alpium, & denſitas nivium dabat, Pannoniæ ſocia arma ferrent, & cum hac ſubjugarentur, Styriæ noſtræ ſuperiores incolas, communi cum Pannonibus fato, in ſervitutis Romanæ vincula abreptos opinor, Styriæ vero inferioris cives, eos præſertim, qui ſub Batone regebantur, hoc

Stytia Prov. fit Romana.

bello domitos, ac Romanis denuo ſubjectos, ex hactenus dictis ſat commode eruitur; *Batonem*, Schönlebenius inter Dravum, & Savum, Lazius

Amantini, Amantes, Amanteni populi.

Amantinis præfuiſſe ſcribit, quos inter Savum & Dravum poſitos ex Jornande & Sexto Ruſo oſtendi Differt. I. Plinius hoc populos *Amantes*, Ptolomæus *Amantenos* appellat, quique aliqua ſui parte Styros, majore vero Hungaros attingunt modernos; id certum, Styriam noſtram, Norici & Pannoniæ partem hoc tempore denuo Romanis fuiſſe ſubjectam.

Victoriæ trophæa in Pannon.

XI. Poſtquam anno Chriſti 9. vel 10. *Tiberius Cæſar ſub Auguſto Dalmatas, Sarmatasque ſubegit*, Tiberio & Auguſto tituli *Triumphatoris Pannoniæ* per decretum ſunt adjecti, monumenta etiam bina victoriæ erecta, fornices nempe duo in Pannonia, quibus trophæa inſiſterent, quorum alterius rudera M. Vitruvii inſcripto nomine, extare inſignia extra veteris Carnunti pomæria, Petronellæ in Auſtria creduntur, ita Dio Caſſius lib. 56. Lambeccius in addit. ad lib. 2. Commentar. Biblioth. Cæſar Vindobon. teſtatur; quæ quidem trophæa vix ante annum Chr. XII. impedito antea bello germanico, Tiberio erecta fue-

Romæ triumph.

rint, quo etiam tempore triumphus Romæ habitus eſt ſatis crudelis, quoniam jugulatis Noricæ, Pannonicæ, ac Dalmaticæ nobilitatis membris primariis, reliqui pecorum more, catenas inter & compedes, Romam abducti, ibique nullo habito ſexus ætatis, conditionis diſcrimine in amphitheatro beſtiis in lanienam ſunt objecti; atque ab hoc tempore Noricum & Pannonia, proin etiam Patria noſtra, Provincia Romana evaſit.

Pannon. legion. ſeditio an. XIV.

XII. Non tamen diu pax hæc tenuit, etenim ſub annum Chr. XIV. Pannonicas legiones ſeditio denuo inceſſit, nulla alia de cauſa, niſi quod mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex civili bello ſpem præmiorum oſtenderet Tacito teſte; turbas has, Styriæ etiam noſtræ communes, ſedulo ex Tacito deſcribere ſtatui, ut nil, quod Patriam noſtram, undecunque demum, concerneret, latere Lectorem curioſum poſſet: caſtris æſtivis tres ſimul legiones ſeu circiter 18. millia Pannonum habebantur præſidente Junio Blæſo legionum harum Pannonica-

Junius Blæſus Præf. leg. Pan.

rum Præfecto, qui auditis a morte Auguſti. Tiberii initiis, ſolita diſciplinæ militaris munia his legionibus ad tempus indulſerat, hinc barbari milites, laborem & obedientiam cæteroquin pertæſi, laſcivire, diſcordare, luxum libertatem cupere, diſciplinam aſpernari cœperunt; facem turbis prætulit Percennius quidam, in caſtris exiſtens, Dux olim

Percennius Arbor ſeditionis.

theatralium operarum, gregarius dein miles, procax lingua & ſermone, qui audita Auguſti morte, efferos aliunde animos, ad ſeditionem ſollicitare eſt auſus: conſenſit miles facile, utpote impatiens jugi, verberum notas, canitiem, detrita tegmina, & nudum ſuum corpus exprobrans; poſtremo eo furoris deventum eſt, ut tres commixtæ in unam legiones, extructa ſibi e ceſpite tribunalis conſpicua ſede, Aquilas ſuas, & ſigna cohortium una locarent.

XIII. Blæſus perſuadere rebellibus meliora conſilia voluit, non valuit, clamabant enim omnes, ut filius Blæſi legatione fungeretur,

Acta ad Nauportum.

peteretque a Tiberio Auguſto miſſionem ad 16. annos. Interea manipuli aliquot, ante cœptam ſeditionem, *Nauportum* miſſi, ut pontes ac vias, reliquaque exercitui neceſſaria reficerent, hi turbis caſtrorum auditis,

auditis, vexillis confractis, direptisque proximis vicis, ipſaque *Nauporto, quod municipii inſtar erat*, Centuriones, eorum vim ac audaciam cohibere volentes, riſu, contumeliis, tandem verberibus inſectantur, præcipue vero in Aufidienum caſtrorum Præfectum, eorum ira exarſit, quem direptum vehiculo, ſarcinisque gravatum primo in agmine agunt, per ludibrium rogitantes, an tam immenſa onera, tam longa itinera non gravato animo ferret? ægerrime nempe ferebant milites Aufidianum, quod diu ante manipularis, dein Centurio, mox caſtris Præfectus, antiquam, duramque militiam revocaret. *Aufidieni fata.*

XIV. Adventu manipulorum Nauportinorum redintegratur ſeditio, vagique omnes milites circumjecta populantur, Blæſus reos carcere compeſcit & verberibus, ſed effracto carcere reis vincula ſoluta, fit concurſus utique, nec multum ab exitio legatus aberat Centurione Lucillio interfecto, quin ipſæ inter ſe legiones VIII. & XV. ferrum parabant, dum hæc Centurionem Sirpium tuetur, illa morti depoſcit. Tiberius rerum harum certior factus, Druſum filium cum primoribus civitatis, duabus Prætoriis cohortibus, parte equitum Prætorianorum, & flore Germanorum delegat, res prout poſſet, cum Ælio Sejano, Druſi Directore compoſiturum, variæ in utramque partem, ſed irritæ ſimul conventiones, noctem tandem ultimam, minacem & in ſcelus erupturam, ſors ſuperſtitioſa lenivit, miles enim contumax, & ſuperſtitione addictus, lunæ eclypſim paſſæ omen, ſibi ſiniſtrum ratus, defectionem ſuam Deos lamentari putavit; verbo orto ſe omnes die ſubjecere, ſcelus ſuum deteſtati; ita quoad ſubſtantiam ſed ſtylo fuſiore enarrat Tacitus cit. orationes ſimul in utramque partem habitas recenſens. *Seditio augetur.* *Druſus ad Pannones miſſus.* *Eclypſis lunæ ſeditionem extinq.*

XV. Seditio hæc in Carniolia moderna, ut opinor, inchoata, Styriam quoque noſtram veterem afflavit, cœptam Æmonæ teſtatur Schönlebenius, Tacitus Nauporti magis efferbuiſſe tradit, jam vero Diſſert. 1. §. 19. oſtendi. Æmonam, modernæ urbi Labacenſi reſpondere, Nauportum vero, Labaco ſuperiori, utut ſit, id ſatis Probabile, rebellioni huic in Carniolia & ad terminos modernæ noſtræ Patriæ ad Savum ſitæ propagatæ, obnoxios etiam Styros fuiſſe: id adhuc probe notandum, Junium Blæſum legionum Pannonicarum Præfectum diſtinquendum eſſe a Junio Blæſo, quem Vitellius an. Chr. LXVIII. circiter veneno occidi juſſit, erat vero hic Lugdunenſis Galliæ Rector, ut inſinuat Tacitus lib. 1. & 3. Annal. atque lib. 3. hiſtor. ab exceſſu Neronis; Blæſus vero ille, de quo hoc in bello ſermo, Legatus, ſeu Præfectus Pannonicarum Legionum, dein Proconſul Africæ factus eſt. Teſte Tacito Annal. lib. 3. *An ea etiam Styriam penetraver.* *Junii Blæſi duo.*

XVI. Junium Blæſum, Legionum Pannoniæ Præfectum ſeu Legatum audivimus, at quis Pannoniæ, ac Norici, proin Styriæ noſtræ Præſes exſtitit a Romanis conſtitutus? Megiſerus lib. 3. Annal. cap. 15. varia de his Prætoribus ſcribit, plurimis tamen mendis obvia, primo enim ex Corn. Tacito lib. 1. docet Aufidium Rufum (quem Aufidienum ex Tacito nominare debuiſſet) anno Chriſti 17. a Tiberio miſſum, Noricos & Carinthos edomandi cauſa, cum Lucius Piſo eorum Prætor eosdem, ad Savum præcipue, & Dravum compeſcere non *Prætor Styriæ quis?* *Lucius Piſo non fuit Prætor.*

non potuiſſet; aſt inſpicienti citatum Tacitum patebit, falſa hæc omnia eſſe, etenim anno Chriſti 17. Norici & Pannones jamjam compoſiti, de turbis non cogitabant, nec quod 2do hic refutandum, Lucius Piſo Præfectus olim Noricorum fuit, neque enim Tacitus vel verbum de hoc Piſone memorat; adducit Tacitus plures quidem Piſones, Gn. Piſonem, Piſonis filium, *Syriæ*, non *Styriæ* Præfectum lib. 2. & 3. Annal. ubi ejus fata, mortem, liberos, codicillos enarrat. Alterius Lucii Piſonis Proconſulis Africæ & interfecti meminit lib. 4. hiſtoriarum, Lucium Piſonem Hiſpaniæ citerioris Præfectum lib. 4. Annal. ac lib. 6. Annal. Piſonem Pontificem refert, Piſonem Licinianum a Galba adoptatum, & occiſum lib. 1. hiſt. idem Tacitus inducit, nullo autem horum loco de Prætura Norici vel Pannoniæ mentionem facit, ut adeo Megiſerus non Tacitum, ſed alium ex Tacito hæc male deſcribentem imitatus fuerit; Author MS. Chronici Styriæ tomo 1. cap. 11. ejusdem erroris ſe reum agit, nec mirum, utpote qui in omnibus, ut ſucceſſu temporis videbimus, Megiſerum æmulari, ejusque fabulas ſequi non intermittit, citat in rem ſuam Bonfinium, rerum Hungar. decade 1. pag. 3. apud quem tamen nihil hac de re eſt invenire.

Lucii Piſones varii.

XVII. Secundum itaque Styriæ Prætorem, cum Megiſerus & Author Chron. MS. Styriæ erronee adducant Lucium Piſonem, in primo quoque deſignando eos errare oportuit; MS. Chron. Styriæ cap. 9. & 10. ex Megiſero cap. 11. ait, fuiſſe *M. Claudium Druſum*, quem Suetonius *Germanicum*, Lazius cum aliis, *Ducem Provinciæ Noricæ* appellat, teſte eodem Authore Chron. MS. Styriæ; quantum ex Lazio videre potui, Author hic lib. 4 de migratione gentium, ubi acta Pannoniorum refert, meminit quidem Claudii Druſi, atque ex Oroſio textus adducit, ſed Principem, ſeu *Ducem Noricum* non appellat, at eſto dicat Lazius, aliique, eum Noricæ Provinciæ Ducem fuiſſe, non oberit multum, norunt enim eruditi, quam parum ſibi Lazius conſtet, quam multa perturbate, & ſine ordine referat; certe Lazii authoritas contra veterum ſilentium, aſſenſum non extorquebit, cum Tacitus & Suetonius, Druſi hujus quidem ſæpius meminerint, Germanicum dixerint, nullus tamen horum, vel alius ex vetuſtate ſcriptorum, Druſum Noricæ Provinciæ Ducem appellaverit: innumerus eſſem, ſi cunctas MS. Chron. Styriæ fabellas commemorare vellem, unam præterire nequeo, quam cap. 9. adfert, nempe in bello illo Pannoniæ ad an. Chr. VIII. cum Rex Marcomannorum Maroboduus a Pannoniorum ſocietate recederet, Arminium Regem Cypri, his ſubmiſſiſſe 250. millia ſelectiſſimorum Saxonum, quibuscum Pannones ac Norici, ſub privignis Auguſti, Tiberio ac Druſo ad Savum congreſſi, non procul ab urbe Celeja, in loco hodie Saxonum campo, ſeu Sachſenfeldt, inde dicto, pugnam illam infeliciſſimam commiſere. En! quot verba tot fere fabellæ. Quid enim Arminio Cypri Regi cum Saxonibus rei fuit? ut eos ſubmitteret, Cheruſcorum Principem fuiſſe noverunt omnes, nemo Cyprorum vel Saxonum; præterea Druſum Tiberii fratrem anno Chriſti 8. in Pannones miſſum, nemo hactenus ſomniavit, Saxenfeld nominis originem Diſſert. 1. §. 18. meliore me conjectura aſſe-

M. Claud. Druſus non fuit I. Prætor Norici & Styriæ.

Fabellæ Chron. MS. Styriæ.

Sachſenfeld Styr. loc.

aſſecutum opinor; at ſat de his, plures cum tempore occurrent fabellæ, quæ neſcio, an riſum magis, vel bilem eruditis moveant.

XVIII. Ut autem propoſitæ de primo Styriæ Prætore, quæſtioni, quantum fas eſt, reſpondeam, cenſeo, hoc adhuc tempore, quo Pannonia & Noricum, turbis plurimis involutæ Provinciæ fuerant, vix quemquam Præſidem vel Prætorem datum, ſed Legatum, ſeu Præfectum, Junium Blæſum, res militares æque ac civiles cu aſſe; magis enim de turbis pacandis, & redigendis in ordinem militibus hoc tempore agi debuit; quod ſi fors hiſce ſatisfeciſſe non videar, plura me dicere non poſſe, & ignorare, modeſte fateor. *Junius Blæſus forte I. Prætor Styriæ.*

XIX. Quievit Pannonia ac Noricum, atque cum his etiam Styria, noſtra, ſingulari ſupremi Numinis providentia, ut ſic fidei Chriſtianæ colla ac corda ſubmittere facilius poſſet, quæ hoc primo ſæculo, quamvis tenui ſolum radio Patriam noſtram penetravit; etenim poſt diſperſionem Apoſtolorum in terras omnes horum diſcipuli ex Aquilejenſi Eccleſia prodeuntes, Styriæ noſtræ inferiori ſcintillas quasdam Chriſtianæ fidei miniſtrarunt, quæ cum tempore ingens fidei incrementum præberent, multa quidem inter eruditos agitur quæſtio, quonam Chriſti anno? an ſub Claudio vel Nerone, S. Petrus Apoſtolus Romæ ſedem fixerit? ſequar Euſebium, Hieronymum, Sulpitium, Severum, Oroſium, Iſidorum, ac vetuſtiſſima Roman. Pontificum Chronica cum Pagio, cenſeoque S. Petrum, qui anno Chriſti 42. e carcere Herodis, Angeli ductu mirabiliter eſt ereptus, anno ſeq. Romam veniſſe, ſedemque ibi Pontificiam ad XV. Kal. Februarii fixiſſe. *Fidei primæ ſcintillæ in Styr.* *S. Petrus Romæ ſedem figit anno Chr. 43.*

XX. Erat vero S. Petri diſcipulus inter alios S. Marcus, de cujus in urbem Aquilejenſem (quam Metropoliticam ſacram Styriæ uſque ad Arnonis tempora fuiſſe oſtendi Diſſert. 3.) adventu acris agitur inter eruditos controverſia, Tillemontio præcipue adventum hunc S. Marci eo titulo impugnante, quod ſtante hoc adventu, Eccleſia Aquilejenſis, antiquior Alexandrina cenſenda foret. Ne diutius huic concertationi de Eccleſiarum Aquilejenſis & Alexandrinæ antiquitate immorer, aut alterius antiquitati officere videar, cum P. Joanne Baptiſta Sollerio tom. 5. menſ. Jun. apud Bollandum in hiſtor. Chronolog. Patriarch. Alexandrin. ſentio, antiquitatem utriusque Eccleſiæ ſic rite combinari poſſe dicendo: S. Marcum Evangelii ſemen in Thebaide, Libya, Marmarica, Amoniaca &c. per annos aliquot ſparſiſſe, inde ad S. Petrum anno circiter Chriſti 44. rediiſſe, ibique Evangelium Romanis poſtulantibus ſcripſiſſe, quo elucubrato a S. Petro circa annum 46. Aquilejam miſſus, ibidemque ad. an. 48. commoratus fuiſſe videtur, quo denuo Romam ad S. Petrum, indeque ad Alexandrinos ſuos circa an. 49. regreſſus fuit. Sic nempe antiquitati Eccleſiæ Alexandrinæ conſultum judico, quin Aquilejenſis deferatur, ſic Dandulus conciliatur, aliique, duos Aquilejenſis commorationis annos in S. Marco adnotantes, ſic Alexandrinæ Eccleſiæ antiquitas. præ Aquilejenſi ſtabilitur, dum ea an. 46. circiter fundata a S. Marco, Aquilejenſis vero poſt an. 46. ad 49. ab eodem ſtabilita dicatur, documenta dedi Diſſ. 2. *S. Marci Adventus Aquilejæ an. 46.*

XXI. Ex his ſequentia deduco pro Patria noſtra: 1. S. Marcum a Principe Apoſtolorum Petro circa an. Chriſti 46. Aquilejam miſſum,

S. Marci diſcipuli fidem in Styriam inducunt.

alios atque alios e diſcipulis ſuis, ad ulteriores Provincias deſtinaſſe, quorum opera, Norico mediterraneo, & Pannoniæ ſuperioris parti, proin Styriæ noſtræ veritatem Evangelicam illuxiſſe credibile videtur. 2. Ut obſervat Petrus de Marca lib. 6. c. 1. §. 3. pag. 318. apud Pagium an. Chr. 33. & 332. citatus, Apoſtoli obſervarunt plerumque metropoliticam civilem Provinciarum diſpoſitionem in Eccleſiis diſpertiendis, unde eum Aquilejenſis urbs jam his temporibus, Eccleſiarum, & Provinciarum caput veluti, ac mater fuerit in ſenſu Diſſ. 3. §. 4. 10. & 11. expoſito, ab hac etiam initium fidei pro Styria noſtra quærendum judicavi; ſic teſte Strabone. Aquileja emporium fuit gentium Illyricarum, decimæ quondam Italiæ partis caput, & latinæ coloniæ juribus an. urbis conditæ 573. donata teſte Livio lib. 40. cap. 14. &, ut Suetonius in Auguſto narrat, Auguſtus 8. menſes Aquilejæ manſit, muris urbem cinxit, incolis auxit, Romanæ nobilitatis prærogativas adjecit; Veſpaſiani certe tempore. Aquileja, Roma altera eſt habita, nec mirum, cum Julius Cæſar eam clauſtrum, ac propugnaculum Italiæ vocaverit. 3. nullatenus contendo, Aquilejenſem Eccleſiam, ſtricte metropoliticam fuiſſe, novi enim ad ſæc. 4. uſque in occidente, nullam præter Romanam fuiſſe metropolim: hinc metropoliticam Aquilejenſem Eccleſiam in ſenſu minus ſtricto appello, hoc eſt, matricem Eccleſiam, minus volo evincere, eam ab exordio ſui fuiſſe Patriarchalem, ſentio enim cum Noriſio in Diſſert. hiſt. de 5ta Synodo c. 10. honorarium Patriarchæ titulum, Præſuli huic non innatum, ſed tempore ſchiſmatis fuiſſe adjectum, ac dein ab Apoſtolica ſede approbatum. Plura v. Diſſert. 3.

Aquilejæ urbis prærogativæ.

Eccleſia an metropol.

An, & quando Patriarchalis.

S. Marcus primum dat Epiſc. Aquil. B. Hermagoram.

XXII. Poſtquam vero ab an. Chriſti 46. ad an. 48. Aquilejæ moratus eſt S. Marcus, Eccleſiamque ordinavit, de ſucceſſore ſibi, primoque terris his Epiſcopo conſtituendo ad populi preces deliberare cœpit, animum ſuum in B. Hermagoram civem Aquilejenſem intendit, quem aptiorem præ reliquis ad regendum Dei populum agnoverat, eum itaque in navicula ſecum acceptum, Romam duxit, atque B. Petro ordinandum Epiſcopum præſentavit, nec mora: ordinatur a B. Petro Hermagoras, baculusque ei paſtoralis tribuitur, *qui* teſte Dandulo *uſque in præſentia tempora in præfata Eccleſia* Aquilejenſi *incorruptus perſeverat.* Rediit ſic Aquilejam Hermagoras ordinatus Epiſcopus, atque Eccleſiæ ſuæ ab an. Chriſti 50. vel ſeq. præeſſe cœpit, inde *Eccleſiæ ſuæ moderationem compoſuit, & Seniores ac Levitas ordinavit; poſt hæc ad civitatem Tergeſtinam, Presbyterum & Diaconum direxit, & per alias civitates ſimiliter faciebat;* ex his, cum Tergeſtini, Tridentini, Japides, Pannones, ac Norici, authorem fidei & Apoſtolum ſuum venerentur Hermagoram, id ipſum de Styria ſentiendum arbitror, non quidem quaſi Hermagoras ipſe per ſe id beneficii Styriæ præſtitiſſet, ſed quod diſcipulos ſuos, uti *per alias civitates*, ita etiam in Styriam noſtram demiſerit, ſuadet hoc vicinia terrarum, ſeu Norici mediterranei proin & Styriæ ad Aquilejam, ſuadent Conciliis Aquilejenſibus, præſentes ſemper noſtrates Epiſcopi, ut adeo jure cenſeam, fidem Chriſti Roma Aquilejam, inde in Noricum mediterraneum, mox Ripenſe, ac Pannonios felicibus velis ſuiſſe propagatam.

S. Hermagoras ſuos diſcipulos in Styr. mittit.

XXIII. Non tamen inde inferre malem, a S. Hermagoræ diſcipulis, primas in Styria ſedes Epiſcopales fuiſſe conſtitutas, quin ad ſæculum uſque 3. nullum ſtabilem in Styria Epiſcopum fuiſſe credo, nullum enim rei hujus argumentum ex vetuſtis documentis ſtatui poteſt, immo ſi de ipſa Chriſti fide hoc ſæculo in Styria exorta loquar, fateri cogor, eam admodum teneram, puſillam, atque ad ſæculi 3. finem uſque, gentiliſmo multum infectam fuiſſe, probe enim inter ſe hæc duo diſtinqui debent, *Evangelium in aliqua Provincia prædicare*, & *in illa Sedem Epiſcopalem ſtatuere*. S. Paulus certo diverſis Provinciarum Presbyteris ſcribens, an eos ex mente Ambroſii, Chryſoſtomi, aliorumque, Epiſcopos eſſe judicaverit? an ſedi certæ alligatos? non conſtat. Ex his eorum rejicitur ſententia, qui diſcipulos S. Titi, a S. Paulo in Dalmatiam miſſos, Styriæ noſtræ labores ſuos Apoſtolicos conſecraſſe volunt; ſuſpicor enim in illa Prædicatorum Evangelii paucitate, limites ſuos a ſingulis fuiſſe eo diſtrictius obſervatos, quo major leges, ubique colligenda, & quævis ſuis prædicatoribus abunde ſuffecerit Provincia.

Epiſcopatus primi Styr. quando conſtituti.

S. Titi diſcipuli in Styria non prædicarunt.

XXIV. Nullum ſtabilem in Styria Epiſcopum ad ſæculum 3. uſque fuiſſe dixi, hinc S. Andronicum ſæculo hoc primo Pannoniæ Epiſcopum, inter noſtrates referre nolo, de eo ſynopſis Apoſtol. ac diſcipulorum Chriſti, quæ ſub nomine S. Dorothei Epiſc. & Martyris circumfertur, ſequentia habet, *S. Andronicus, cujus etiam Apoſtolus in ea, quæ ad Romanos eſt, recordatur, Pannoniæ factus eſt Epiſcopus.* S. Pauli conſanguineum fuiſſe volunt, coliturque in faſtis Græcorum 17. Maj. At ubinam locorum Epiſcopus fuerit? an ordinarius, vel Regionarius? fruſtra quæritur, inter noſtros non numero, cum ex dictis de Celejano & Petovienſi Epiſcopatu dubitem, an ſæculo 1. & 2. exſtiterint; partim quod ex veteribus membranis nil lucis affulgeat, partim quod acta nulla Antiſtitum vel Eccleſiarum harum de duobus primis ſæculis exſtent, quæ licet Melchior Inchoffer in ſuo ad Annales Hungar. apparatu inter ſubſequas barbararum gentium procellas periiſſe putet, non tamen vel minimo argumento docet, eas Eccleſias Epiſcopales, hoc jam tempore exſtitiſſe.

S. Andronicus Epiſc. Pannon.

XXV. Interea temporis, & quidem circa an. Chriſti 27. defuncto Lucio Piſoni Norici Præſidi, Megiſerus lib. 3. Annal. Carinth. cap. 17. atque ex eo Author MS. Chron. Styriæ a Tiberio Aug. ſuffectum volunt Flavium Fabianum, quem ambo lepide urbis Viennæ ſeu Fabianæ ſtatuunt conditorem. Flavium hunc Fabianum Vindeliciæ fuiſſe Præfectum, docet quidem Aventinus lib. 2. Annal. Bajoariæ, nil de Norico vel Pannonia memorans; Aſt cum ex regula mea prima pro ſæculo 1. & 2. de Prætoribus ſtatuta conſtet, diſtinctos ex mente Taciti fuiſſe. Norici, Pannoniæ, ac Vindeliciæ Prætores (v. Diſſert. 1. §. 28.) malo potius fateri, me ad annum uſque 64. nec certum Norici vel Pannoniæ Prætorem fuiſſe aſſecutum, quam alienum ſine veterum documento ſtatuere. Velſerus lib. 6. rerum Auguſtan. f. 291. de Aventino Annales ſuos jactante ait: Annales ab Aventino citatos, antiquiſſimos ante aliquot annos centum ab imperitis fuiſſe conſcriptos, nec alia iis ad commentandum potior ratio erat, quam ut rubigo eorum & ſitus detergeretur. Si Tacitum conſulo, invenio in eodem

Flavius Fabianus an Norici & Styr. Præſes.

Aventini Annales cujus author.

Fla-

Flavium Arminii fratrem, Flavium Sabinum, Flavium Veſpaſianum, nullum vero Flavium Fabianum, quod ſi proin etiam evincat Aventinus, Flavium hunc Fabianum fuiſſe Vindeliciæ Præſidem, quod quidem Velſerus negat, mihi tamen non perſuadebit, eum Norico, & Pannoniæ, proin etiam Styriæ noſtræ fuiſſe Præfectum.

Fl. Fabianus an Viennæ conditor a ſe dictæ Fabianæ.

Minus verum cenſeo, quod Viennam urbem condiderit, & de ſe Fabianam dixerit, nam teſte Velſero in ſcholiis ad vitam S. Severini, *in confeſſo eſt, quod pluribus oſtendit Lazius comment. reipubl. Rom. lib. 12. cap. 7. ſect. 3. Fabianis, truncatis extremis ſyllabis, & A in E mutato* Wien *vulgo eſſe Vindobona, alias caſtra Fabiana dicta a cohorte fortaſſis Fabia aut Fabiana, quam ſtativa ibi habuiſſe, antiqua inſcriptio indicio eſt, caſtrorum inde nomine obſoleſcente, quod aſſolebat. Fabianæ, aut Fabianorum verius ſolum nomen manſit.* Ex quo proin conſtat hoc Lazii de Fabianæ ſeu Viennæ nomine inventum, ab iis non bene fuiſſe perpenſum, cum Lazius non ab hoc Flavio Fabiano, ſed vel a cohorte Fabiana, in vicinia Viennæ quondam locata, vel a Tito Ampio Flaviano, quem ad annum Chriſti 68. Procuratorem Pannoniæ oſtendam, hoc nomen deſumptum putaverit; placuit hæc ſententia etiam Ottoni Friſingenſi, aliisque ea præcipue de cauſa, quod ex vita S. Severini adducta videatur; nondum tamen huic aſſerto aſſentior, cum Fabianæ nomen, ante ſæculum 6. iniens, auditum non fuerit, primusque id de Vienna uſurpaverit Eugippius; ſane in itinerario Antonini, tabulis Peutingerianis, cæterisque antiquis monumentis, nunquam Fabianæ, ſed ſemper *Vindobonæ, Vindominæ, Vindomanæ, Vindonianæ* nomen occurrat; fictitiam itaque cenſeo Viennæ modernæ a Flavio Fabiano exſtructionem, novimus enim, quam abſurde, & ad nauſeam ſæpe nominum ethymologias ſectatus fuerit Lazius, ut oſtendi Diſſert. 1. infelicior eſt Authoris MS. Styriæ opinio, qua a Lucio Piſone, ſecundo, ut vult, Romanorum in terris noſtris Præfecto ædificatum fabulatur *Piſonium*, (Preßburg) quod neſcio, an alicubi legerit *Piſonium*, at cum *Poſonium* ad nomen non alluderet, mox *Piſonium* finxit.

Lazii authoritas quæ.

Poſonii origo.

P. Attilius Hiſter Pannoniæ Præfectus proin & partis Styr.

XXVI. Certiorem quendam, partis Styriæ noſtræ ad hæc tempora ex Tacito lib. 12. Annal. cap. 28. & ſequentibus eruo Præfectum ſeu Prætorem P. Attilium Hiſtrum; Vannius Rex Suevorum a Claudio Cæſare datus, Authore Jubillio Hermundorum Rege, & Vangione ac Sidone, ſorore ſua genitis, regno pulſus eſt a ſuis; hac in cauſa Attilio Hiſtro datum eſt negotium, ut legionem, *tutaque ex Provincialibus auxilia, ad oram Danubii* admoveret, ſubſidio victis, & terrori victoribus futura. Vannius prælio victus, vulneribus aliquot, adverſo corpore exceptis debilitatus, *ad claſſem in Danubio* ſe recepit, quem ſecuti ejus clientes *in Pannonia* ſunt locati; ex his colligo, *Attilium Hiſtrum Pannoniæ Præfectum*, proin etiam partis Styriæ noſtræ fuiſſe, cum enim his in locis, quibus Vannii regnum, inter Marum, Cuſumque fluvios, Transdanubianæ Hungariæ ſitum, vigilare contra hoſtiles aſſultus debuerit, & quidem, ut ait Tacitus cit. *legionem tutaque ex Provincialibus auxilia*, ad oram Danubii admovere, cenſeo, tuta hæc ex Provincialibus auxilia, ex modernis Auſtriæ & Styriæ incolis, Pannoniam tum ſuperiorem incolentibus, fuiſſe conflata. Quasnam vero *in*

Panno-

Pannonia Provincias, Suevi clientes Vannii, acceperint incolendas? Tacitus non memorat; ex dicendis ſæculo 5to & alibi ſuppono, *Suevos* hos, quos Jornandes, aliique *Suavos* a Situ, ut opinor, nominant, in Pannoniæ locis ad *fl. Savum* poſitos, indeque nomen *Suevorum*, in *Suavorum*, hoc eſt, fluvii *Savi* accolarum degeneraſſe. Aventinus lib. 2. Annal. Bojor. f. 133. ait eos *in deſertis Bojorum locatos*, de quibus v. Diſſert. 1. §. 26. *Suevi qui Suavi dicti ſint.*

XXVII. Dum anno Chriſti 64. crudeliſſimus æque, ac turpiſſimus Nero, primum in Chriſtianam fidem excitaret perſecutionis incendium, nullum in Patria noſtra ejusdem reperio veſtigium, manifeſto, ut reor indicio, non altas adhuc egiſſe radices in Styria fidem Chriſti, immo forſitan his in terris dominatum adhuc obtinuiſſe, idololatriam, & gentiliſmum. MS. Chron. Styriæ tom. 1. cap. 3. docet quidem Marcum Antonium Norici ab anno Chriſti 44. Præſidem ordine quartum, a S. Hermagora Epiſcopo Aquilejenſi converſum, ac Martyrio ſub Nerone inſignitum fuiſſe; ſed hæc ſine teſte docet; quem enim citat, Aventinus lib. 2. Annal. Bojor. f. 133. ſolum habet: *Claudio Principe legatus Vindelicorum fuit M. Antonius*, nec converſum ait, nec Norici Præſidem, immo eodem loco, de Vannii bello differens, iisdem fere cum Plinio verbis, M. Attilium Hiſtrum Pannoniæ Præſidem appellat. Megiſerus lib. 3. cap. 21. M. Antonium Norici quidem Præſidem fuiſſe docet, converſum vero a S. Hermagora, nec unica littera memorat: M. Antonium Norici Præſidem, non fuiſſe, deduco ex regula de Prætoribus Styriæ tomo hoc. Diſſert. 1. §. 28. data, nec tamen etiam efficaciter pugnabo pro M. Attilio Hiſtro, uti enim num. 18. cenſebam, Junium Blæſum legionibus Præfectum, nonniſi cum dubio inter Prætores Styriæ numerandum, ita quoque de Attilio Hiſtro ſuſpicor, eum hoc temporum curſu res civiles Patriæ, militaribus multum immixtas, ſimul cum Præfecti militaris munere adminiſtraſſe. *I. perſecut. Chr. ſub Nerone.* *M. Antonius an. 4. Præf. Norici.* *An a S. Hermagora converſus & Martyr.*

De converſione ac Martyrio M. Antonii id ſtatuo, malle me pro veritate pugnare, quam fictitiis Patriam meam honorare Sanctis, cum enim nec in actis SS., nec in Martyrologiis M. Antonii occurrat nomen, inſipiens eſſem, ſi Authori Chron. MS. Styriæ illico aſſentirer, præſertim cum ſcriptores vitæ S. Hermagoræ, altum de hac converſione ſileant, quod tamen, tanquam memorabile factum, adferre vix intermiſiſſent.

XXVIII. Idem Chron. MS. Styriæ Author & Megiſerus, ad an. Chriſti 68. quia Neronis ultimum, Sevaſtum Norici, uti Portium Septimium Bajoariæ Præfectum ſtatuunt; Megiſerus nullam ſui aſſerti authoritatem, MS. vero Chron. Styriæ Megiſerum & Aventinum in eam opinionem citat, audiamus Aventinum lib. 2. Annal. Bojor. fol. 137. *Hiſce temporibus*, inquit, *apud Rhætias, Vindeliciamque legatum fuiſſe Portium Septimium, & Sevaſtum reperio*, at an inde Legatus etiam in terris noſtris fuerit? vix conjicio, jam enim teſte Tacito, diſtinctos, alios Norico, Pannoniæ, ac Vindeliciæ Legatos, Præſides fuiſſe oſtendi. Sevaſtum hunc, 20. menſes ſolum præfuiſſe Norico ac Styriæ, mox morte obiiſſe, turbasque in Patria noſtra inde, ob Neronis & ſubſequorum tem- *Sevaſtus v. fuit Sextus Prætor Norici.*

poris breviſſimi Imperatorum fuiſſe obortas, docet MS. Chron. Styriæ cum Megiſero, ſed ambo erronee, nam ut ex Martyrio S. Hermagoræ patebit, Sevaſtus nunquam Styriæ vel Norico, ſed Illyrico ſolum datus eſt Præſes, nec turbæ illæ in Styria ob Sevaſtum, ſed aliis de cauſis exortæ fuerunt.

Styriæ turbæ an. 69. ſub Petronio Norici Protur.

XXIX. Turbas Styriæ alias, aliumque Præſidem nos docet Tacitus ad an. 69. Vitellius enim, dum Galbam æmulum morte ſublatum gaudet, novum ſibi exſurrexiſſe expertus eſt, Ottonem nempe, cujus in partes *Noricum cum Pannonia* inclinabat; *Norico* hoc tempore, teſte Tacito, *præfuit Petronius Procurator*, Ottonis palam ſtudioſus, qui ad primum belli Vitelliani rumorem, dejectis fluminum pontibus, *Noricisque ad arma vocatis*, moram Cæcinnæ, Vitellii primo Duci injecit, ne perrupta Rhætia *in Noricum*, ſeu Auſtriam & Styriam penetraret, itaque Petronius Noricum, Provinciam ſuam, & in hac etiam Styriam noſtram a belli cladibus immunem ſervavit.

Mox ſub Cornelio Fuſco ejusdem Nor. Proc.

Non tamen diu Norico præfuit Petronius, nam ubi Otto Imp. adverſa ad Bedriacum, inter Veronam & Cremonam pugna, res ſuas prolabi advertit, ipſe ſibi manus intulit violentas: Vitellium dum interim ſua ubique vitia exoſum redderent, ad Veſpaſianum, Ægyptus, Syria, Judæa, Illyricum abiere, urgentibus præcipue Antonio primo, legionis ſeptimæ Duce, & *Cornelio Fuſco Norici Procuratore*, ut Tacitus narrat, quem Petronio vel naturali aut violenta morte abrepto, vel alias in terras promoto ſucceſſiſſe opinor. Nec diſſenſit vicina Norico *Pannonia*, poſtquam *Titus Ampius Flavianus*, ejusdem Pannoniæ Rector, militum odia ſua cunctatione incurriſſet; unica Veſpaſiano obſtabat Rhætia ſub Portio Septimio Procuratore Vitellio addictiſſimo, cui tamen ne noceret, oppoſitus Sextilius Felix, qui præter Aurianam equitum alam, ac cohortes octo, *Noricorum* & Jazygum auxilia, ac quos Silo Italicus Quadorum, ac Suevorum Reges miſerunt, copias trahebat, quibus quidem opus non erat, Vitellio Romæ oppreſſo, & Veſpaſiano ex Ducum omnium voluntate, Imperatore facto. Hæc ſumma eſt belli ex Tacito deſumpta, cui Styriam noſtram involutam nemo non videt; falſum tamen eſt, quod num. præcedente ex MS. Chron. Styriæ legimus, nempe Styriam Sevaſti Præſidis ac Neronis Imp. morte turbatam fuiſſe, pacatam vero, cum Vitellius Imperium obtineret; Noricum enim & Pannoniam vel nunquam vel breviſſimo tempore Vitellio adhæſiſſe, ex Tacito conſtat. *T. Ampius Flavianus Pannoniæ Procurator*, clam quidem Vitellio favebat, at cum neutri ſe parti adjungere aperte vellet, militum odia hac cunctatione incurrens, ab Antonio in vincula conjectus, ſeditione militari ereptus denuo fugit, *amiſſa*, ut ſuſpicor ex Tacito, *Pannonia Italiam ingreſſus.*

T. Ampius Flavianus Pannon. Rector.

XXX. *Pannones itaque Noricique*, atque inter hos *Styri noſtri*, Ottoni primum, mox Veſpaſiano contra Vitellium favebant, nam, ut refert idem Tacitus, Vitellii malis id etiam acceſſit, quod claſſis Ravennas, cujus magna pars *Dalmatæ*, *Pannoniique* erant (*quæ Provinciæ*, teſte Tacito, *Veſpaſiano tenebantur*) ad ejus etiam partes abiret, Vitellio relicto: particularia Styriæ noſtræ fata, hiſce in turbis nemo expreſſit, id tamen Tacitus refert, quod, antequam Bedriaci Ottonis,

&

& Vitellii fortuna prælio excuteretur, Flavianarum partium Duces, *Petovionem in hyberna* 13. *legionis convenerint*, ibique agitaverint, *placeretne obſtrui alpes Pannoniæ, donec a tergo vires univerſæ conſurgerent, an ire cominus, & certare pro Italia conſtantius foret.* Dein deciſivo illi ad Bedriacum prælio interfuiſſe Styros ex Tacito colligo, qui in exhortatione Antonii ad milites facta ſequentia, memorat: *Igitur Antonius, ubi noſcere ſuos, noſcique potuit* (nocte nimirum lunæ micantis beneficio) *cur rari ſumpſiſſent* (alii legunt *reſumpſiſſent*) *arma Pannonicas legiones interrogabat? illos eſſe campos, in quibus abolere labem prioris ignominiæ, ubi recuperare gloriam poſſent.* Ex quibus omnibus rite collatis, Styri noſtri tum ex Norico mediterraneo, quam e Pannonia ſuperiore, hiſce bellorum turbis immixti fuiſſe videntur, plura & peculiaria invidioſa vetuſtas non reliquit. *Petovii hybernа 13tia legion.*

XXXI. *Cornelium Fuſcum Norici*, proin etiam partis Styriæ noſtræ *Præſidem* ex Tacito audivimus, eundem vero teſte Suetonio in Domit. lib. 6. Eutropio lib. 7. Oroſio lib. 7. c. 10. Præfectum Prætorio factum, atque circa an. Chriſti 88. a Dacis occiſum fuiſſe conſtat, cum enim primam in Dacos expeditionem Appius Sabinus circa an. 85. Conſul ſuſciperet, morteque ſua & clade exercitus Romani funeſtaret, anno ſeq. *Cornelius Fuſcus ex Prætore Norici, Prætorio Præfectus*, arma in Dacos vertere eſt juſſus, ſed etiam minus æquo marte, nam ſeneſcente anno 88. cæſus, caſtris amiſſis, ac exercitu ſuo deleto finem vitæ & bello Dacico dedit, ita, ut Romani non de limite imperii & ripa, ſed de hybernis legionum & poſſeſſione diſputare cogerentur. *Cornelius Fuſcus ex Præſ. Norici Præfectus Prætorio.*

Quisnam vero in Prætura Norici, Cornelio Fuſco ſucceſſerit? hic inquirendum eſt, Megiſerus lib. 3. cap. 27. & cum eo MS. Chron. Styriæ, omiſſo Petronio, & Cornelio Fuſco, Sevaſto ſucceſſiſſe volunt *Sextilium Felicem* nomine, ſed rebus geſtis infelicem; etenim, ut ait MS. Chron. Styriæ Sextilius hic Portio Septimio, & Appio Sabino in ſuppetias miſſus, infelix ſemper & cæſus fuit, & ni Trajanus ſubveniſſet, Decebalus etiam Patriam noſtram ſubjugaſſet. Dixi jam n. 29. ex Tacito, Petronium, & poſt hunc Cornelium Fuſcum Norico, atque T. Ampium Flavianum Pannoniæ Præſidem datum fuiſſe, præterea ex eodem Tacito oſtendi, Portio Septimio Rhætiæ Procuratori oppoſitum fuiſſe Sextilium Felicem, unde eo, quod Rhætiæ & Vindelicæ præfuerit, minime eſt inferendum, eum Norici etiam Procuratorem fuiſſe; quæ de infelicibus Sextilii Felicis rebus loquitur MS. Chron. Styriæ, contradicit Tacitus hiſt. lib. 4. c. 68. 69. 70. docens, Sextilium hunc circa annum 70. ex Rhætia, in Treviros hoſtili in Romanos animo pugnare auſos, miſſum, traducto per vadum fluminis Romano milite, cuſtodes littoris Treviros in fugam conjeciſſe, unde verum non eſt, Felicem nomine ſolum, rebus vero geſtis infelicem, Sextilium fuiſſe. *Sextilius Felix non fuit VI. Nor. Prætor.*

Sextilius itaque nec adeo infelix, nec Prætor Norici noſtri fuit, potius itaque Claudium Reſtitutum, Cornelii Fuſci ſucceſſorem ac Norici noſtri, proinde etiam partis Patriæ noſtræ Prætorem, quamvis non ſine dubio, ſtatuere vellem; nam ut habent Megiſerus lib. 3. cap. 34. & MS. Styriæ Chron. antiquus Ducum Norici apud Carnos cata- *Claudius Reſtitutus an Prætor Norici.*

logus, & epitaphium Cl. Reſtituti apud Julium Carnicum (nunc Villacum) exſtans teſtatur, Reſtitutum hunc Bojis, Auſtriis, Carinthis ac Styris, Præſidis loco fuiſſe. Dixi, *non ſine dubio*, me hæc ſentire, eo, quod nec catalogum illum (cujus criſim Diſſert. 1. §. 28. dedi) nec lapidem ſepulchralem videre licuerit; quod ſi vero recentia Auſtriorum, Carinthiorum, ac Styrorum nomina lapis ille referret, novitatis damnandus, atque omnis ei antiquitatis fides eſſet neganda.

Styriam an bella Dacica preſſerint.

XXXII. Dacica bella ſuperius commemoravi, ea an primo hoc ſæculo Styriam noſtram attigerint? inquirendum. Author Chron. MS. Styriæ, ex Mauro Orbino de Regibus Sclavoniæ fol. 135. docet, Decebalum Dacum Regem, in circulum ſeu territorium Voravienſe cum ſuis penetraſſe, cui tamen aſſerto non aſſentior, cum bella hæc ad Danubium maxime, Rhenum, ac ſuperiores Germaniæ Provincias habita fuerint, quamvis forte Noricum mediterraneum a prædis & incurſibus Dacum vix immune ex integro fuerit, illud ex Tacito certius ſtatuitur, Pannones pro Romanis contra Decebalum pugnaſſe, nam ut queritur Tacitus, *tot exercitus in Mæſia, Daciaque & Germania, Pannoniaque temeritate, aut per ignaviam Ducum amiſſi, omnæque annus funeribus & cladibus eſt inſignitus*, ſub Domitiano nempe, pt ſe cum Decebalo congredi verito.

S. Hermagoræ & S. Fortunati Martyrium.

XXXIII Ad primi hujus ſæculi finem S. Hermagoras Aquilejæ primus Epiſcopus Martyrium ſubiit, una cum S. Fortunato, *quem ipſe ab infantia cum Dei timore enutrierat*, atque in carcere conſtitutus, Archidiaconum ſuum, ſibi ſucceſſorem nominaverat: epocha Martyrii, uti & acta ejusdem nimia licentia interpolata, ſummam in concertationem adducuntur, quam tamen controverſiam P. Bernardus de Rubeis in monum. Aquilej. erudite æque ac fuſiſſime expendit cap. 1. & 3. id ſolum hic eruditionis cauſa noto, Fortunatum hunc S. Hermagoræ Diaconum & ſucceſſorem probe diſtinguendum eſſe, a Fortunato altero Aquilejenſi Martyre, & Fratre S. Felicis, ejusque in paſſione ſocio, hic enim ſub Diocletiano, ac alio Præſide 11. Junii, Fortunatus vero Epiſcopus ac Succeſſor Hermagoræ, ſub Nerone, vel Domitiano Imp. ac ſub Sevaſto Præſide 12. Julii gladio cædente Martyr occubuit.

Fortunatus alter Mart. Aquil.

Aquil. Eccl. interregnum.

Ab hoc tempore, & anno Chriſti 70. circiter, ad an. 274. neminem Eccleſiæ Aquilejenſi præfuiſſe volunt ex actis S. Hermagoræ, interregnum tamen hoc, ſi etiam admittatur, tam parum antiquitati Eccleſiæ Aquilejenſis oberit, quam illud Turonenſis Eccleſiæ, quo a Gratiano I. ejus urbis Epiſcopo per S. Clementem Papam conſtituto, uſque ad S. Martinum anno 375. unicus ſolum Turonenſi Eccleſiæ Epiſcopus, Lidorius nomine legitur præfuiſſe.

Sec. 2do.

XXXIV. Vix plura ſæculo 2do de Styria noſtra enarranda veniunt; Dacica bella duo denuo commiſſa, Decebalo tamen egregie Trajani virtute mulctato, atque ne manibus victoris ſui vivus obveniret, ſe ipſum interimente; ut Dacia, Romana fieret Provincia, hodie Tranſylvania, effecit cum aliis *Norica Pannoniaque juventus*, nam Tacitus lib. 15. Annal. refert, *alares Pannonios, robur equitatus* circa hæc tempora fuiſſe, quod laudis etiam Styriæ noſtræ tributum velim.

Dacica bella.

Præ-

Prætor novus Styriæ, novo hoc ſæculo quærendus eſt, hunc non ſolum ex catalogo antiquo Ducum Norici, ſed præcipue eruo ex lapide ſepulchrali, quem teſte Lazio comment. reipubl. Rom. lib. 12. cap. 5. exſtare tradunt ad S. Vitum in Carinthia, eſt vero tenoris hujus *Sofius Senecio Prætor Noric. an. Chr. 108.*

D. M.
L. SENECIO. V. P. F. MONIA.
SECVNDINA. MAR. OPT. V. V. F.
Seu
Diis Manibus.
Lucio Senecio unico Præſidis filio, Monia
Secundina, marito optimo viva vovit, fecitque

Erat hic Lucius Senecius, Præſidis noſtri Soſii Senecii unicus filius, maritus Moniæ, e nobiliſſima familia Secundina oriundæ.

Eundem Soſium Senecionem Norici Prætorem fuiſſe opinantur Megiſerus lib. 3. Annal. cap. 37. & Author MS. Chron. Styriæ cap. 17. quem ad an. Chriſti 97. Claudio Reſtituto ſucceſſiſſe volunt, circa annum tamen Authores hi aberrare videntur, nam, ut habet Pagius ad annum Chriſti 107. Soſius Senecio Conſul Romæ fuit annis urbis conditæ 852. 855. 860. proin annis Chriſti 99. 102. 107. cumque apud cit. Pagium anno Chriſti 107. ultimo Conſul Romæ fuiſſe legatur, poſt eum annum, ſeu anno 108. Norico Præſes datus fuiſſe videtur. Exſtant ad Soſium Senecionem Romanum Conſulem, aliquot Plinii junioris epiſtolæ, eique Plutarchus aliquot inſcripſit tractatus: præterea Soſium Senecionem, terris Bojorum præfuiſſe docet Aventinus, & Velſerus rer. Auguſtan. lib. 6. f. 297. eundem a Præſide Vindeliciæ ac Rhætiæ, quem Cæcilium fuiſſe evincit, diſtinguit.

XXXV. In tertia ſub Trajano Imper. Chriſtiani nominis perſecutione (nam ſecundam anno Chriſti 93. excitavit Domitianus) inter varios alios Chriſti pugiles Tergeſti ſupremum agonem pro Chriſto decertarunt SS. Primus Presbyter, Marcus Diaconus, Jaſon, & Celianus. Hunc Sanctum Celianum Styris noſtris annumerare poſſem, ſi certum foret, id nominis velut patrium, ab urbe Celeja ei inditum fuiſſe; ſed quoniam nulla id documenta exhibent, tutius abſtineo, ne dubiis Patriam meam exornem laudibus. Continuata eſt ſub Hadriano Chriſtianorum perſecutio, rabie Præfectorum, ultra voluntatem Imperatorum agente, Hadrianus enim Imperator plus civilia, quam Numinis negotia curabat, *Juvavio* (hodie Salisburgo) *coloniæ Hadrianæ Juvaviæ* nomen ab eo inditum, incerto tempore, ſcriptores rerum Salisburgenſium tradunt eo, quod ſcriptura vetus ſaxo inciſa, quam in æde S. Ruperti Vinandus Pighius vidit, & exſcripſit, id aperte referat, quod pluribus ſtabilit Author Germ. Sacræ tom. 2. in prolegomenis f. 1. & 2. in Auſtria quoque munimentum *Ælium Cetienſe* (Zeiſelmauer) Hadrianalium flaminum dein ſodalitio, ex Hadriani memoria, ab Antonino ornatum fuiſſe, ex inſcriptione lapidis docet Lambecius lib. 2. comment. Biblioth. Vindobon. pag. 661. *2da & 3. Chr. perſecutio.* *S. Celianus M. an Styrus.* *Juvavia ſeu Salisb. colonia Hadriana.* *Ælium Cetienſe ſeu Zeiſſelmauer.*

XXXVI. Ad annum Chriſti 125. Author MS. Chron. Styriæ, Soſio Senecioni podagræ doloribus confecto, ſubſtituit Prætorem Norici Tiberium, hoc unde hauſerit? ignoro, citat quidem catalogum *Tiberius an Prætor Norici.*

Ducum Romanorum Provinciæ Norici, ſed Megiſerus, apud quem catalogum hunc procul dubio viderit, non eodem modo loquitur: nam de 6. annis præfecturæ, quos Soſio tribuit Author Chron. Styriæ, altum tacet Megiſerus, quamvis vero etiam Megiſerus Tiberium inter Prætores Norici referat, argumentum tamen ejus minus convincens videtur, etenim, ut jam ſæpius dictum, ex eo, quod quis Vindelicorum Præfectus fuerit. Non ſequitur, eundem quoque Norico, vel Pannoniæ præfuiſſe: cæterum quamvis Megiſerus & Aventinus, Tiberium inter Vindeliciæ Præſides referat, Velſerus tamen diligentiſſimus rerum Vindelicarum indagator, Tiberium inter Præſides Vindelicorum omittit, ut adeo etiam dubium ſit, an Tiberius Vindeliciæ Prætor fuerit.

Ælius verus Pannoniæ Dux an. 136.

Verior terrarum noſtrarum Dux fuerit Ælius Verus, quem Spartianus cap. 3. in Ælio Vero, Pannoniæ Ducem fuiſſe ait his verbis: *Adoptatus Ælius Verus ab Hadriano, ſtatimque Prætor factus, & Pannoniis Dux ac Rector impoſitus &c.* teſte Pagio hoc anno num. 6. qui putat, Ducem hunc non ante finem hujus vel ſequentis initium ſe in Pannoniam contuliſſe, cum omnes Pannoniæ inſcriptiones, queis *Æli* Veri fit mentio, tribunitiam poteſtatem XXI. anno ſequenti inchoatam præſeferant. Ex his, cum Diſſert. 1. oſtenderim, Noricum tempore Conſtantini M. in plures primum ſectum fuiſſe partes, unicum Norico omni, proin Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, qua ſui parte Norico implexæ erant, Præſidem præfuiſſe cenſeo, alterum Pannoniæ, unde vix aſſentiar Aventino & Megiſero, quorum ille 4. Vindelicorum Duces, hic Ælium Verum Bajoariæ, L. Aurelium Annium Auſtriæ, Italicum Tyroli, Tiberium Carinthiæ ac Styriæ ſuo ex cerebello ſtatuit.

Statuto Pannoniæ Duce, quisnam Norico poſt Soſium Senecium præfuerit ad annum uſque 193.? hactenus non erui. Id adhuc noto: cum Ælius Verus, *Dux & Rector Pannoniæ* dicatur, cenſeo per dicta n. 18. Ælium, ut Ducem rei militaris, ut Rectorem vero, Provinciæ curam in Pannonia geſſiſſe.

Avidius Caſſius non fuit Prætor Norici.

XXXVII. Dixi me ignorare, quis ad an. uſque 193. Norico præfuerit? neque enim cum Megiſero & Authore Chron. MS. Styriæ mox ſubſcribam Aventino, Avidium Caſſium Rhætiarum Legatum, inter Prætores Norici referenti; quæ Aventinus adducit in rem ſuam argumenta, ex Vulcatio Gallicano venatus fuiſſe videtur, cujus de Caſſio hæc verba ſunt: *Cum exercitum duceret, & inſcio ipſo, manus auxiliaria centurionibus ſuis auctoribus tria millia Sarmatarum negligentius agentium, in ripis Danubii occidiſſent &c.* aſt, quid lepidius magis, quam ex eo, quod quis exercitum in ripis Danubii ducat, Rhætiæ mox Legatum ac Norici Præſidem facere? Velſerus certe ipſe ad an. Chriſti 163. non tamen ſine dubio, Q. Cæcilium Ciſiacum Rhætiarum prolegatum, Auguſtanæque ditionis Procuratorem ſtatuit, de Avidio Caſſio ne meminit quidem.

Ælius Baſſus Pannon. Præſes an. 169.

Latet itaque ad annum uſque 193. Norici Præſes, at cum Ælius Verus, teſte Pagio an. 138. Kal. Januarii obierit, quis huic in Prætura ſeu Præfectura Pannoniæ ſucceſſerit? eſt inquirendum. Ælium Baſſum an. 169. Pannoniæ Præſidem fuiſſe, Galenus inferius citandus docet,

docet, hinc cenſeo, cum Hadrianus pro Ælio Vero defuncto, Antoninum pium, ſibi & toti Imperio adſciverit hæredem, ea tamen conditione, ut Annium Verum, & Marcum Antonium ſibi adoptaret, eodem hoc tempore Ælium Baſſum Pannoniæ Præfectum fuiſſe, qui ei Provinciæ ad annum uſque 180. præfuit.

XXXVIII. De rebus Eccleſiaſticis Styriæ pauca omnino referri poſſunt, circa an. Chriſti 141. quo S. Pius I. Papa Aquilejæ natus, Romanam Cathedram conſcendit, Megiſerus lib. 3. cap. 37. ejusque fidelis exſcriptor. Author MS. Chron. Styriæ referunt, Eleutherium S. Titi diſcipulum, ex Illyrico Aquilejam, & inde in Carinthiam ac Styriam veniſſe, fidemque Chriſti, modica ſub favilla gliſcentem reſus, citaſſe. Megiſerus S. Eleutherium Romanum, ex matre Anthia, a S. Paulo converſa natum, ac Martyrio affectum narrat, plura ſine teſte addit Author MS. Chron. Styr. nempe Eleutherium cum aſſeclis, vinculis irretitum, carceri concluſum, cum vero res hæc Hadriano Imper. delata eſſet, hicque Imperator reſcripſiſſet, neminem Chriſtianæ fidei cauſa affligendum eſſe, Eleutherius denuo cum ſuis dimiſſus eſt; hæc aliter narrat Megiſerus ſimul docens, hæc ſub Claudio Reſtituto contigiſſe, cum tamen Author Chron. MS. Styriæ eadem Tiberio Præſidi Norici tribuat. Ego neutri horum deferendum cenſeo, nam 1. nullo legitimo documento hæc ſtabiliuntur. 2. Dubium eſt Hadriani reſcriptum, cum ipſemet Chriſtianorum perſecutionem vel cœperit, vel cœptam a Trajano continuaverit, nullo quidem novo decreto, ſed lege veteri Romana, ne nova religio toleraretur. 3. Quamvis Hadrianus circa an. 124. Quadrati & Ariſtidis libris placatus, reſcripſerit, in Chriſtianos, niſi criminum reos, judicia exerceri non oportere, nemo tamen hactenus id de S. Eleutherio & Sociis reſcriptum fuiſſe probavit. Ex his quartam Chriſtianorum perſecutionem circa annum Chriſti 118. ſub Hadriano ortam volunt, cum Severo Sulpitio, alii tertiam, quibus Trajani perſecutio particularis ſolum fuiſſe videtur, conſequenter, quæ an. Chr. 162. ſub M. Aurelio Antonino cæpta eſt tumultu populi perſecutio, Sulpitio Severo 5ta, aliis vero 4ta ſolum fuit.

S. Eleutherius Titi diſcip. an in Styriam venerit an. 141.

4ta perſec. Chriſtian. aliis 3tia an. 118.

5ta aliis 4ta perſec an. 161.

XXXIX. Ad eundem annum Chriſti 162. Aventinus & Megiſerus, ut catalogos ſuos Prætorum Norici complerent, Aufidium Victorinum an. 165. in Chattos miſſum, Prætorem Norici cum Ælio Pertinace ſtatuerunt, Avidio Caſſio, ut ajunt, Belliduce in Parthos electo; ita vero Aventinus ſcribit lib. 2. Annal. Bojor. in M. Antonino: *Noricorum, Vindelicorumque Duces, Aufidius Victorinus, & P. Ælius Pertinax, poſt Commodum rerum potitus, patrio etiam carmine apud nos celebratus, & boſtili Germanorum incurſatione, Rhætias, Vindeliciam, Noricumque vindicarunt.* Idem docet Megiſerus lib. 3. cap. 13. MS. vero Chron. Styriæ Author cap. 20. tom. 1. Publium Ælium Pertinacem ſolum ſubſtituit. Neutrius mihi ſententia placet; Vindelicis enim teſte Velſero ſupra cit. Cæcilius Ciſiacus hoc tempore præfuit, Aufidium Victorinum, hoc jam anno contra Chattos miſſum teſtatur Julius Capitolinus in M. Aurelio cap. 3. & 8. proin Præſes Norici ac Styriæ eſſe non potuit, Ælius Pertinax vero, licet teſte eodem Capitolino, *Rhætias, & Noricum*

Aufidius Victorinus non fuit Prætor Norici, nec P. Ælius Pertinax dein Imp.

ab ho-

ab hoſtibus vindicaverit. Inde tamen Prætor Norici tam parum dici poterit, quam Avidius Caſſius, de quo num. 37.

2. Legio Italica in Norico.

XL. Rhætiis ac Norico, proin etiam parti Patriæ noſtræ Germani indies magis inhiare cœperunt, his ut reſiſterent M. Aurelius & L. Verus Auguſti, duas inſtituere legiones, ſecundam & tertiam Italicam dictam, quarum prior in Norico (quo tamen ignotum loco) altera in Rhætiis ſtativa haberet, teſte Dione lib. 55. Neque vana erat Auguſtorum ſolicitudo, etenim bellum Parthicum vix cum Vologeſo finitum erat, jam Marcomannicum imminebat, idque acerrimum, quo bellicoſiſſimæ gentes a Gallia ad Illyrici extrema contra Romanos conjurabant, Capitolinus 15. gentes ennumerat belli hujus conſortes, quibus Spartianus, & Eutropius ac Dio, 4. alias adjecere.

Marcom. bello.

An Styri obnox.

An bello huic Pannones & Norici, proin Styri etiam noſtri adfuerint? an defenſores Romanorum? an complices ſupradictarum gentium Marcomannis faventium? inquiri poteſt, omittuntur inter complices Marcomannorum, Norici ac Pannones, a ſupradictis Authoribus, Schönlebenius, Pannones & Japydes excuſſo Romanorum jugo ad Marcomannorum fœdera abiiſſe opinatur circa an. 170. conſonare videtur Pagius an. 169. num. 14. At ex eo, quod Marcomanni & Quadi in Pannoniam penetrantes, ab Antonino Philoſopho, ex ea Provincia fuerint expulſi, nemo certe inferet, Pannones cum Romanorum hoſtibus ſenſiſſe, & quamvis maleſani quidam & perduelles e Pannonia (ut in turbis bellorum fieri amat) contra Romanos conſpiraverint, nemo tamen defectionis notam integræ Pannoniorum genti impinget Certe, ſi Pannonia tota defeciſſet, Antoninus ex Pannonia Aquilejam veniens, ſcelus hoc inultum non reliquiſſet, nec Capitolinus ſilentio eam defectionem præteriiſſet, ait quidem Capitolinus in vita Veri Imper. cap. 9. *Compoſito autem bello in Pannonia, urgente Lucio, Aquilejam ut rediret* Marcus, *in urbem deſtinatus eſt.* Componi vero potuit bellum Marcomannicum in Pannonia, quin incolæ belli hujus cauſa, vel defectionis ſocii fuerint, cum plerumque pacis conſilia extra hoſtiles terras agitari ſoleant. *Alanos* quidem inter gentes complices & Romanis adverſas refert Capitolinus, at hi non Pannones erant, nec Styris modernis accenſendi, cum eos in Norico inter Trunam & Anaſum a Danubio defuſos, vel ad Ænum magis occidentaliorem poſitos, oſtenderim Differt. I. §. 13. 15.

Norici damna in hoc bello.

XLI. Bello huic graviſſimo initium anno 167. datum, quamvis ſimul eodem tempore in orbe ſæviret cæli peſtilentis gravitas, Aquileja obſeſſa, exciſum Opitergium, Noricum obtritum, Pompejanus Gener, cum Helvio Pertinace, hoſtibus oppoſitus eos toto Norico & Rhætia ejecit, ex quibus Chatti, & Chauci *Rhætos Vindelicos Noricum pari ſævitia pervagantur.* Quæ & quanta damna parti Patriæ noſtræ in Norico incluſæ obvenerint? nemo, quod memini, Authorum commemorat, præter incendia, rapinas, exuſtiones villarum, plus actum vix credo, quod in *pervagatione* regionis, obvia ſolum obteri ſoleant, & anno ſequenti arma Romana jam in ipſos hoſtes moverentur, quibus moti Barbari Romanas Provincias deſeruere: vix vero Imperatores ambo Aquilejam venerant, Quadi rejecto Rege ſuo, ſe iisdem

Aquileja peſtis.

ſub-

ſubjecere, peſtis tamen atrociter Aquilejæ ſæviens, ambos Imperatores Romam fugere compulit, nam, ut teſtatur ipſe Gallenus lib. 2. de præcognitione cap. 9. Aquilejam ob peſtis periculum, ut conſuleret Auguſtis, conferre ſe debuit.

Terruit hæc cœli plaga ipſas quoque Barbaras gentes, quæ, antequam Romam abirent Imperatores, Quadorum imitatæ exemplum, de pace cogitare cœperunt, Legatosque per eam occaſionem ad *Ælium Baſſum Pannoniæ Præfectum* de pace miſerunt, eamque obtinuerunt, neceſſitate magis, quam vera unione firmatam. *Ælius Baſſus Pannoniæ Præfectus.*

Recruduit ſedato peſtis malo longe acrius bellum Marcomannorum ſub anno Chriſti 170. unde Marcus Aurelius L. Vero Imp. ſub via Romana extincto, in Pannoniam denuo deſcendere debuit, ubi alternis cladibus res acta. Ad *Carnuntum*, vel certe ad Danubium Romanorum arma dirum vulnus accepere, cæſis circiter 20. millibus, cumque e Carnunto (qui locus teſte Vellejo Paterculo lib. 2. cap. 10. *Norici Regni proximus* eſt) via victoribus *toto Norico* pateret, Imperator Aquilejam fugiens, ægre eam ab invaſoribus Marcomannis retinuit, ea in urbe contra impetum hoſtium, ſervos, gladiatores & latrones Dalmatiæ atque Dardaniæ collegit, & Germanorum auxilia contra Germanos emit, quibus copiis, complura cum Barbaris prælia fecit, & teſte Eutropio lib. 8. *Pannonios*, apud quos Carnunti & Sirmii juge triennium exegit, *ſervitio liberavit*, quod, ut reor, nunquam feciſſet, ſi Pannones cum Marcomannis arma ſocia miſcuiſſent. *Bellum recrudeſcit.* *Rom. caſi.* *Pannones ſervitio liberantur.*

Patriæ noſtræ partem Pannoniæ involutam, utcunque hoc bello, Imperatoris præſentia ſublevatam opinor, hoſtes enim eo auſi non fuerint, ut Provinciam ab Imperatore & copioſo incultam milite multum laceſſerent.

XLII. Victis ſub annum Chriſti 172. Marcomannis & Jazygibus bellum hoc Quadi a Danubio in Moraviam ac Sileſiam protenſi, ſoli jam ſuſtentare videbantur, dumque M. Aurelius Carnunto abiret, finem bello, Germaniæ transdanubianæ ſervitutem impoſiturus, longius in hoſtem progreſſus, a Quadis ſaltus montiumque ſumma obtinentibus, cum exercitu ſuo ita eſt concluſus, ut, cum nec pugnæ copia, nec receptus ob hoſtem circumfuſum daretur, aut aquæ inopia pereundum fuiſſet militi, aut telis hoſtium ſine congreſſu cadendum. Rufus Baſſæus ſaluti fuit, qui Præfectus Prætorio monuit Imperatorem, eſſe in exercitu Chriſtianos, quorum precibus, ut opinio eſſet, omnia a ſuperis tribuerentur, temporis neceſſitas permovit Imperatorem ethnicum, ut eos Deo ſuo ſupplicare juberet; vix effuſi in preces milites Chriſtiani fuerant, illico teſte Oroſio & Xiphilino, tanta vis pluviæ effuſa eſt, ut Romani ea largiſſime, & ſine injuria afficerentur, Barbari vero fulminum terrore fracti fugere compellerentur, unde dein *legio* ea *Fulminatrix* dicta eſt. *Quadi bellum renovant.* *Romani aquæ inopia laborant.* *Fulminatrix legio.*

De Prodigio hoc cum conſtet, de Authore ejus magna obtruditur quæſtio, hæretici noſtri temporis Waltherus, Moyle, Petrus Ring, & Mosheim in ſuo Syntagm. Diſſertationum ad ſanctiores diſciplinas pertinentium, miraculum hoc Chriſtianæ fidei cum ethnicis veteribus abjudicant: rem hanc uberius diſcutere meum non judico, qui ea

regula utor, cum Euſebio in coævis & Romanis rebus credatur, etiam in rebus Eccleſiæ fidem deberi.

An ex Norico v. Pannonia, An ex inſul. Melita.

Undenam vero Legio hæc Fulminatrix petenda ſit? non multum hæreo, nempe cum *Melitena* ab Euſebio vocetur ex inſula Melita, tanquam Patria collectam fuiſſe. Sunt quidem aliqui, qui eam Legionem e *Norico vel Pannonia* deducere velint, eo, quod Aurelius Imp. biennium & ultra in Pannonia exſtiterit, quod e Carnunto in hoſtes moverit, ſed rationes hæ, Legionem Fulminatricem, aliquo tempore in Pannonia commoratam, non vero inde collectam probant. Fructus vero hujus victoriæ, & enatæ inde pacis erat, quod *Noricum & Pannonia*, proin etiam Patria noſtra, jugum jamjam incumbentium Barbarorum evaſerit.

Sept. Severus Pann. Præſes an. 180.

XLIII. Sub Commodo Imperat. ad annum circiter 180. Septimium Severum Pannoniæ Præſidem lego, Xiphilinus enim in Severo, Herodianus in vita Didii Juliani de Severo loquens ita ait: *Pannoniis univerſis (nam unius regebantur imperio) Severus quidam, genere Afer præerat.* Severum hunc Aventinus denuo Vindelicorum Legatum ſub Commodo Imper. fuiſſe ſcribit, jactatque in rem ſuam carmina Patria hiſce verbis: *Canitur adhuc apud nos.* Quæ tamen carmina tunc ſolum retinenda cenſeo, cum aliorum probatorum Authorum non obſtat authoritas, ſane cum Spartianus Severum Carnunti, Capitolinus in Illyrico acclamatum Imperatorem fuiſſe doceant, vix ſibi quis perſuadebit eum Vindeliciæ vel Norici Præſidem fuiſſe. Ubinam vero Præfecti hi Pannoniæ, ſedem ſuam habuerint? non liquet.

S. Julius Senator Rom. & M.

XLIV. Quæ de Lucii Regis Britanniæ converſione & miſſione Ap. paſſim prædicantur, Styriam non concernunt, immo nec Noricum Mediteraneum, ſed ſolum Ripenſe, aliud quidpiam ſubſtituo, Styriam noſtram, & ſitam in ea Canoniam Vorav. concernens, paſſio nempe S. Julii Senatoris Romani, hodie in Baſilica Collegiatæ Eccleſiæ Vorav. publicæ venerationi expoſiti. Commodus Imp. eo amentiæ delapſus eſt, ut ſe Deum Herculem haberi vellet, hanc impietatem cum Senatores Chriſtiani ridentes deteſtarentur interque hos Julius Senator, captus a Commodo excruciandus traditur, Vitellio Tribuno militum, fuſtibus dein cæſus tamdiu, donec efflaret ſpiritum, corpusque ejus in cœmeterio Calepodii a Chriſtianis ſepulturæ mandatum eſt, qui Chriſtiani dein, & ipſi capti, accuſatique, quod bona Julii Senatoris diripuiſſent, equuleo acerbiſſime ſunt torti, uni eorum exſecta lingua, cum tamen hic ſine lingua, verba, ſupplente Deo funderet, Antoninus Carnifex Chriſto credidit, & ipſe capite truncatus, ita Baron. ad hunc ann. num. 3. 4. 5. qui tamen ibidem in dubium trahit, an Julius hic idem ſit cum Julio Proculo Senatore, quem Lampridius narrat a Commodo necatum.

Voraii ejus corpus expoſit.

Ejus martyrium & ſepultura.

Voravium transfertur an 1695.

Sancti hujus Senatoris ac Martyris corpus, in Collegiata Canon. Reg. S. Aug. Eccleſia, Voravii in Styria debito honore aſſervatur, ad Aram S. Auguſtini. Documenta domeſtica deſuper communico ex an. 1695., quo Voravium delata ſunt Sacra Lipſana, ſub Præſule Philippo Leysl, qui hæc ſua manu exarata poſteritati reliquit: *An. Dom. 1695. ego Joannes Philippus Præpoſitus hujus Monaſterii, per Reverendiſſi-*

mum

mum Patrem Bonaventuram Oberhueber Monaſterii Tegernſeenſis Profeſſum, & tunc Congregat. Bavaricæ Benedictinæ agentem Romæ, obtinui Sacrum corpus S. Julii Martyris, cujus translationis authenticum inſtrumentum de verbo ad verbum deſcripſi, ut ſequitur. Ita Philipp. Leisl Præp. Vorav. in Prothocollo veteri ibid. Inſtrumentum autem eſt hoc:

Fr. Joſeph. Euſanius Aquilanus Ord. Eremit. S. Auguſt. Dei & Apoſt. Sedis gratia Epiſcopus Porphyrienſis, & Pontificii Solii Aſſiſtenſ. omnibus & ſingulis præſentes litteras noſtras lecturis, fidem indubiam facimus, qualiter ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Sanctorumque ſuorum venerationem, ſacras reliquias, per nos ex mandato Sanctiſſ. Dom. noſtri Papæ, extractas a Cœmeterio Calepodii, a S. Congregatione indulgentiarum ſacrarum reliquiarum, recognitas & approbatas, in capſula lignea charta depicta, cooperta, vittaque ſerica rubei coloris ligata, bene clauſa, noſtroque parvo ſigillo obſignata, ad effectum apud ſe retinendi, alteri donandi, extra urbem mittendi, & in qualibet Eccleſia vel oratorio publicæ fidelium venerationi collocandi & exponendi, dono dedimus ac conſignavimus Illuſtriſſimæ Dominæ Juliæ Victorinæ de Nobilibus Corpus S. Julii Martyris, nomen proprium repertum cum vaſe ſanguinis. In quorum fidem has præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, & noſtro ſigillo firmatas expediri juſſimus. Datum Romæ ex ædibus noſtris in Vaticano die 28. Jan. 1676.

Joſephus Ep. Porphyrienſ. (L.S.)
Gratis ubique omnia.

Regiſtr. fol. 62.

Sequitur jam donatio Marchioniſſæ prædictæ Collegio Vorav. facta.

Et ego infra ſcripta gratis ex amore, ſupradictum corpus dono Reverendiſſimo Domino Joanni Philippo Præpoſito Can. Reg. Vorav. non ſolum iſto, ſed omni meliori modo hoc, die 14. April. 1696.

Julia Vittoria de Nobilibus.

Damianus Cenſius Secretarius.

XLV. *Accepto S. pignore Roma transmiſſo* (pergit Joan. Philippus Præpoſ. Vorav.) *juxta decretum Urbani VIII., ut exponi poſſit, transmiſſum eſt per Dominum Canonicum Maximilianum Andream Peraith Præfectum Græcenſem, Celſiſſimo Principi Epiſcopo Seccovienſi, Vicario Generali Salisburg. Rudolfo Joſepho e Com. de Thunn &c. qui conceſſit, exponi publico cultui* his verbis:

Intus nominatum Corpus S. Julii Martyris in capſula lignea charta depicta, cooperta juxta deſcriptionem ſuam reperimus, ac, ut venerationi fidelium exponi poſſit, plenam in Domino concedimus facultatem. Græcii in aula Epiſcopali noſtra die 25. Jul. an. 1695.

Rudolfus Joſephus Ep. Seccov.

Hæc ſunt monumenta domeſtica Voravienſium, quibus S. Julii Martyris corpus, in ſua Eccleſia depoſitum affirmant, de quo tamen nil memorant acta SS. Bollandi tom. 3. Aug. fol. 700. &c. ſed ſolum de translat. S. Julii Martyris ſequentia habent: primo enim rejiciunt Tamayum, qui hunc Sanctum non ſolum Hiſpanum fecit, ſed

etiam in Hiſpaniam delatas reliquias contendebat. *Placentiæ in Vertonia Hiſpaniæ, depoſitio S. Julii Senatoris Rom.* (ita inquit Tamayus in ſuo Martyrologio) *qui ſub Vitellio Præfecto imperante Commodo, per fuſtium iterata ſupplicia, Martyrio coronatus occubuit, cujus S. Lipſana Urbano VIII. Pont. Max. concedente translata, ibidem in Sacrario cuſtodiuntur*: in quæ Tamay verba, acta cit. Bollandi fol. 701. ita habent: *Quod de corpore in Hiſpaniam translato, jam Tamayum aſſerentem, vel potius divinantem audivimus, nam etſi ultro admittamus S. Reliquias alicujus S. Julii veri aut nominati, in eas partes absportatas, inde omnino non ſequitur, hodiernum S. Julium intelligendum eſſe, haud dubie & locis aliis ſynonimi Sancti reperiuntur, quos modo quærere nil opus eſt; videor, meminiſſe* (inquit Joannes Bapt. Sollerius in diem 19. Aug. in vita S. Julii) *dum Romæ ſtudiis theologicis vacarem, ſub Innoc. XII. repertum corpus alicujus S. Julii cum inſcriptione, ex qua judicabatur, eſſe corpus S. Julii Senatoris, illud vero depoſitum fuiſſe in Sacrario templi PP. Franciſcanorum, vulgo Ara Cœli, ubi adhuc honorari ſuppono, quidquid in ſuo hemerologio ſcripſerit Piazza, creditum Romæ an. 1690. corpus quieſcere ad S. Pancratii, reliquias vero opinor aliquas aſſervari in SS. Nerei & Achillei.* Ex his proin, cum corpus S. Julii Senatoris Rom. & Martyris, teſte Adone, Vincentio Bellovc. Baronio, aliisque in cœmeterio Calepodii ſepultum fuerit, noſtrum autem Voravienſe e cœmeterio hoc erutum, ac Voravium delatum, omnino id ipſum verum genuinum cenſendum eſſe judico, quamvis Bollandiani de documentis noſtris, ut videtur, nondum edocti de eo ſiluerint.

Sabinus Pannoniæ, Pollenius Sebenus Norici Prætor.

XLVI. Severus, cum antea proconſulari imperio *Pannonias regeret*, de ſubſtituendo ſibi his in terris ſucceſſore cogitare cœpit, an. 193. Carnunti Imperator factus, igitur *Pannoniæ* dedit *Sabinum*, *Norico* vero *Pollenium Sebennum* Præſidem vel Procuratorem hominem dicacem; Styria itaque noſtra hoc tempore utrique paruit, qua parte Norico tenebatur, Pollenio Sebenno, altera ſui in Pannonia parte Sabino. Pollenius Sebennus Provinciales Norici, proin etiam Styriæ noſtræ magnis injuriis, damnisque affecit, unde Sabino Conſuli delatus, Noricis ipſis, in ſatisfactionem traditus eſt ad ſupplicium, nec evaſiſſet commeritas ſceleris pœnas, niſi ad pedes Albini abjectum miſeratus Aſpaces ejus patruus, veniam homini, caſtigata prius tanto dedecore, ejus ſuperbia impetraſſet, ut Dio Caſſius lib. 76. pag. 864. refert. Ambos hos Styriæ noſtræ Præfectos, Aventinus, Megiſerus & MS. Chron. Styriæ ſiluerunt. Megiſerus quidem ipſe teſtatur, ſeriem Præfectorum hoc tempore mendoſam eſſe, atque interruptam, unde etiam eorum loco, Imperatores tanquam Præfectos, ac Procuratores harum terrarum impoſuit lib. 3. a cap. 50. ad 54. MS. Chron. Styriæ, cum Lazio ad tempora Antonini Eliogaboli uſque profert Valerium Catullinum Norici Præſidem, ſed donec veriora ſuppetant documenta, Præfecturam Norici, & Pannoniæ, ſicque etiam Patriæ noſtræ Pollenio Sebenno, & Sabino relinquendum cenſeo.

Hujus in Styros crudelitas.

Valerius Catullinus an Norici Præſes.

6ta aliis 5ta perſecutio.

XLVII. Altum præter 6tam aliis 5tam perſecutionem de rebus Styriæ ſub Severo reperitur ſilentium, eo quod omnis ejus imperii ætas in opprimendis Peſcenio Nigro, & Clodio Albino æmulis fuerit

tranſa-

tranſacta, Severum tamen in Pannoniam Saviam, proin Styriæ infer. partem deveniſſe ſæpius, Illuſtriſſimus Valvaſorius lib. 14. Annal. Carniol. tom. 4. fol. 129. ex vet. inſcript. probat, quarum unam an. 1676. Gurckfeldæ, urbe in Styriæ & Carnioliæ finibus ad fluvium Savum ſita, inventam huc adfero: *Severus Imp. in Styr. inſer.* *Gurckfeld.*

IMP. CÆS. SE
PTIMVS. SEVER.
PIUS. PERTINAX.
ARAB. ADIAB. PART.
MAX. FONT. MAX. TRI.
POTEST. V. INI. L. M. P.
COSMI. PROCOS. P.
ET. IMP. CÆ. M. AVRE
US. ANTONINIVS. P.
AVG. FELIX. TRIB. P-
OTES. III. PROC.
CÆS. VIAS. ET. P.
ES. VETVSTATE
N. RVPTAS. RESTITVE
RVNT.
CVRANTE. FABIO. CR. C.
LEGA. AVG. PR. PR.

Lapis hic indicat 5tum annum tribunitiæ poteſtatis in Severo, ac in ejusdem filio M. Aureo Antoninio annum tertium ejusdem tribunitiæ poteſtatis.

XLVIII. Eodem hoc tempore populus Petovienſis in eadem urbe, ſuperſtitione gentili adhuc dominante, Jovi columnam votivam erexit, ex qua tamen nolim inferre, his in terris nullam Chriſtianæ fidei viguiſſe ſcintillam; quamvis etenim hoc & priore ſæculo tenuis fuerit in Styria fides Chriſti, non tamen inde omnes gentiliſmo deditos fuiſſe arbitror; fragmentum columnæ dictæ ſuperſtes, his verbis deſcribitur: *Petovii ſuperſtitio.*

I. O. M.
PRO. SALVTE. ET. VICTORIA.
IMP. CÆS. L.
SETIMII. SEVERI. PERTINACIS.
AVG. DOM. INDVLGENTISS.
P. P. S. EX. VOTO.

Columna hæc ante annum Chriſti 195. erecta fuerit, cum enim hoc anno Severus Adiabenos, & anno 199. Arabes devicerit, hæcque nomina omiſſa ſint, credibile eſt, columnam eam ob Peſcenium Nigrum, Severi in imperio æmulum fuiſſe locatam, altera vero Gurckfeldæ repertæ an. 199. vel poſtea poſita fuerit, cum in ea Parthicus appelletur Severus.

Marmor aliud terminus ſit ſæculi hujus, quod indicabit, hoc ævo uſitatam etiam in fœminas Auguſtas, quæ cum ſuis maritis, ut antea Fauſtina cum Antonino Pio in ſtativis erant, fuiſſe adulationem, eisque lapides fuiſſe poſitos: talis erat alter Petovienſis lapis hujus inſcriptionis.

IVLIÆ. AVG.
MATRI. CASTROR.
PETOVIENS.

Ita nempe Petovienſes plurima ex parte gentiles, Juliam Auguſtam velut matrem caſtrorum Petovienſium venerebantur, adulati ſic Imperatoribus, dum horum uxores Auguſtas perenni memoria dignas haberent.

Sæc. III. res. XLIX. Sæculum jam tertium ingredimur majore & politicarum, & Eccleſiaſticarum rerum ubertate fæcundum, etenim præter Epiſcopales quasdam Styriæ noſtræ Sedes, continua etiam invenitur Metropolitarum noſtrorum, ſeu Aquilejenſium ſucceſſio, & complures bellorum, turbarumque motus in Pannonia, & Norico obſervantur. Sæculi hujus initium deturpavit Caracalla Imp. & moribus, & perſecutione in Chriſtianos recepta, qua quidem perſecutione, quid in terris noſtris contigerit? non invenio, niſi quod fors, ea etiam de cauſa *Norici*, cum Italis, Gallis, Hiſpanis a Prætoriana cohorte fuerint excluſi, ut habet Dionis fragm. lib. 78. pag. 891. Movit dein an. Chriſti 214 Caracalla *in Pannoniam & Noricum*, & quidem ſecundo Danubio, non quidem hoſtis, ſed nec amicus, loca tamen, in quæ devenerit, Authorum diligentia non expreſſit.

Norici a Prætor. cohorte exclusi.

Alexander Imp. favet. Chriſtian. L. Alexander Imp. Chriſtianis addictus, non tamen Chriſtianus fuit, cum enim a matre Mammæa, Chriſtianis non inviſa, educatus fuerit, Chriſtum Deum cum gentilibus ſuis idolis coluiſſe refertur, Lampridio teſte, popinam publicam conceſſit Chriſticolis dicens, melius eſſe, ut Deus inibi quomodocunque colatur, quam popinariis detur; teſtatur etiam Hieronymus de viris illuſtr. cap. 54. a Mammæa, Origenem an. 218. Antiochiam vocatum, eique acceptiſſimum fuiſſe, & Euſebius hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 28. tradit, Chriſti Religionem in Alexandri domo utcunque profeciſſe, eo, quod Maximinus Succeſſor, odio domus Alexandri, in qua multi Chriſtiani erant, perſecutionem in Chriſtianos reduxerit.

Petovii gentiliſſimus. Petovium interim, tenax adhuc gentiliſmi manſit, vetus id ſaxum Petovii repertum palam loquitur hujus tenoris:

SERAPI. AVG.
SACRVM. EPAPHRODITVS.
ALEXANDRI. AVG. DISP.
ET. TABVL. V. S. L. M.
Seu
Serapi Auguſto ſacrum, Epaphroditus
Alexandri Auguſti Diſpenſator, &
Tabularius, votum ſolvit, lubens meritoque.

Alexander an Petovii fuerit.

Epaphroditus hic, cum Petovii ſtatuam Serapi poſuerit, ſuſpicionem movet, an non ſimul cum Alexandro Petovii fuerit, anno circiter 229. quo Pannonia a Quadis & Alemannis turbabatur, qua occaſione Epaphroditus hic vel ſolus, vel cum Alexandro Imp. eo venerit, ut tumultus hos componeret.

Forſitan eodem tempore Iſidi etiam columna ſurrexit, cujus mentionem alius in eadem Petovienſi urbe lapis ſuppeditat, ſimulque

mulque cæcitatem Patriæ noſtræ exhibet, quæ ex Ægypto accitis tenebris, ſolem & lunam ſub Serapis, ac Iſidis nomine colere non verebatur, inſcriptio lapidis hæc eſt:

ISIDI. AVG.
SIGNVM. CVM. BASI.
VICTORINVS.
EX. VOTO POSVIT.

LI. Neque hoc ſatis cæcæ Patriæ noſtræ fuerat, ritu etiam Perſico, haud diſpari tamen inſania, ſub encomio *invicti Mithræ*, lunæ templa, & ſpelæa ſacravit; Ragandone (v. Diſſert. 1.) medio inter Celejam & Petovionem itinere (quod teſte Schönlebenio in ſuo Annal. Carniol. apparatu vicum Rochitſch plurimi putant, Cellarius vero periiſſe opinatur) exiſtens quondam tabula lapidea, dein Petovionem translata id teſtatur, ab Aurelio Juſtiniano utriusque Pannoniæ Duce, incertum quo ævo, inſtaurata hiſce verbis: *Ragandone ſeu Rochitſch idolol. viget.*

TEMPLVM.
DEI. SOL. INV. MIT.
AVREL. IVSTINIANVS.
V. P. DVX.
LABEFACTATVM. RESTITVIT.

Quis hic Aurelius Juſtinianus Pannoniarum hoc ævo Dux fuerit? reperire hactenus non poteram; ad annum 250. lego Aurelium, ſine addito Juſtiniani, Proconſulem Africæ fuiſſe, qui cœptam Chriſtianorum in Africa perſecutionem, cum ſat jam ſanguinis fuſum putaret, cohibuit; forſan hic Aurelius ſimul Juſtinianus dictus, antequam Africæ Proconſul fieret, utramque Pannoniam regebat. *Aurelius Juſtinian. Pan. Dux.*

Opportune, dum de Ragandone, quem locum Rochitſio noſtro convenire arbitror, hæcce ſecundis curis revolvo, opportune inquam, aliud de Ragandone, ſeu Rochitſio documentum ſubmiſit Reverendiſſimus Dom. Dom. Paulus Hieron. Schmutz. Decan. Weizenſis, & Archidiac. diſtrictus Neoſtadienſis &c. fragmentum eſt litterarum ad ſe, dum ſtuderet Græcii an. 1743. a Parocho loci in Rochitſch, ut arbritror patruo ſuo, transmiſſum, in quo ſequentia lego:

Ut aliquid novi R. Dominationi veſtræ Rochitſio tranſcriberem, notum reddere placuit; tertia currentis Maji quemdam lapicidam bujatem, montem S. Donati aſcendiſſe ad eruendos aliquot lapides, ſuæ arti neceſſarios, cumque vix non ad medietatem montis perveniſſet, ac incepiſſet lapides eruere, pervenit ad monumentum, ex lapide ordinario exſtructum, nec non variis ipſi lapidi inciſis figuris artificioſe exornatum, in quo oſſa unius hominis carioſa quidem, una cum calvaria, in ſuo ordine jacentia inventa ſunt, ad caput ſepulti ſequentes invenimus litteras latinas: *Lapis & inſcr. antiqua Rochit. an. 1743. inven.*

AI. MASCVLVS. AI. AVITA. C. PIA.

Quæ autem harum litterarum interpretatio ſit? ſciet ille, qui in antiquitatibus enodandis verſatus eſt, nos judicamus quandam fœminam, una cum prole ſua, adhuc tempore gentilitatis in tam remoto loco ſepultam fuiſſe, quia figuræ gentilitatem ſpirant. Ita fragm. mihi a Rev. Schmutzio transmiſſum, de quo bonarum artium ſtudioſiſſimo promotore plura ad ſæc. 11. an. 1065. &c. in Eccleſia Weizenſi.

Quænam

Quænam hæc fœmina fuerit hicce ſepulta? ægre eruo, etenim obſcura eſt illa vox *AI.* bis repetita, nec ex Aviti Imp. familia oriundam, in loco tam obſcuro ſepultam fuiſſe credere poſſum. Cæterum ad hæc gentilitatis Rochitſchii florentis tempora referenda videtur hæc inſcriptio.

LII. Quoniam in lapides veteres firma rerum geſtarum monumenta, filum deduxi, meminiſſe ſub hæc tempora cogor lapidis cujusdam in agro Celejano reperti; plura Celejana marmora jam Diſſert. 1. adduxi, teſtaturque Poppovizius in notis ad diſquiſitiones de mari, ac columnis Herculis in Præfat. fol. 6. de muris Celejæ urbis ad meridiem, eos ad normam veterum Romanorum mœnium eſſe ſtructos, hujusque urbis magnitudinem determinat, cum Celeja, municipium Romanum ad orientem a fluvio Kötting, ad occidentem a Sana fluvio cingatur: plurima hic igitur antiquitatis monumenta reperiuntur, lapidis citati epigraphe hæc eſt:

Celejæ antiq. & marmora.

MARCO. VLPIO. RVTILIANO.
MELLÆI. FILIO. PRÆFECTO. SVO.
AVSPICIIS.
DIVI. ALEXANDRI. IMPERAT.
IN. PERSIA. FELICITER. PVGNANTI.
COHORS. TAVRISCORVM.
HÆC. POSVIT.

M. Ulpius Rutilianus an Prætor Norici.

Ex hoc lapide Author MS. Chronici Styriæ tom. 1. cap. 23. concludit, hunc Rutilianum Prætorem Norici fuiſſe, utpote cujus inſignia, aliquot abhinc annis, in quadam Carinthiæ arce, prope Clagenfurtum effoſſa fuerunt; referentia de ſurſum iridem, ab infra vero Leonem cum tribus globis: ait præterea idem Author, Rutilianum hunc, cum Styris ſuis, egregiam Alexandro operam locaſſe in bello Perſico, citatque pro ſe Chronicon Godefr. Schulzii pag. 39. & Lazium *lib.* 12. comment. Reipubl. Rom. pag. 1011. tandem tradit, eundem *Rutilianum* circa an. 237. mortuum, & extra Celejam, in loco a Rutiliano, hodie Rudt dicto, ſepulturæ mandatum fuiſſe.

Lubens aſſentirer opinioni huic, niſi quædam contrarium ſuaderent; etenim 1. Megiſerus, & Aventinus, Rutiliani hujus inter Præfectos Norici non meminerunt. 2. Megiſerus certo referre non omiſiſſet, inſignia ejus in quadam Carinthiæ arce reperta fuiſſe, cum itaque nil referat, dubium horum inſignium non leve oritur. 3. Megiſerus idem teſtatur catalogum antiquum Prætorum Norici mancum eſſe, atque mendoſum, uſque ad Philippum. 4. Voces illæ *cohors Tauriſcorum* maxime dubiæ ſunt; uti enim Diſſert. 1. oſtendi ex Plinio dicente, *juxta Carnos quondam Tauriſci appellati, nunc Norici*, ex quibus proin cenſeo, Tauriſcorum nomen, non amplius hoc ævo in uſu fuiſſe.

Coccejus ſeu Dio Caſſius Pan. ſup. Præſes.

LIII. Quidam Pannoniæ ſup. proin Styriæ noſtræ ex parte Præſes, ſe ipſum prodit, *Dio* nempe *Caſſius*, ſeu *Coccejus*, qui de ſe lib. 49. pag. 413. ita ſcribit: *Pannoniæ ſuperioris Præſes conſtitutus fui*, quo vero anno? ignotum, ante annum certe 235., quo Pannones cum aliis, Alexandro Imp. obſequium detrectabant, cauſa iſthæc erat: dum circa an. 229. Noricum & Illyricum a germanis turbaretur, Alexander ipſe

Impera-

Imperator in eosdem movit, aſt videns Gallicanam militiam a ſua ſeveritate abhorrere, de pace cum Germanis egit, aurum ingens pollicitus, ut id negotii eo citius tranſigeret; inde miles Romanus inique tulit, pœnas audaciæ a Germanis non exigi, factumque eſt, ut tyrones militiæ, Maximino Thraci, ni diſciplinam ab Alexandro dati, *quorum bona pars ex Pannonia erat*, Alexandro obtrectarent, tanquam omnia ex matris arbitrio ſegnius agenti, moxque eo audaciæ prorumpebant, ut Alexandrum obtruncarent, & Maximinum, Gotho Patre, Alana Matre natum, Auguſtum proclamarent, qui bellum in Germanos proſpere egit, eosque in paludes, & ſylvas fugere compulit, vicis 4. mille exuſtis. Inde Maximinus inſtante hyeme in Pannoniam reverſus Sirmii hyberna egit, atque ad vernam expeditionem ſe accinxit.

Pannones Alexandro rebelles an. 235.

Eumque necant.

Quid cauſæ fuerit, quod *Pannones* tyrones militiæ obedientiam Alexandro negarent, & mortem inferrent? deſcriptum non invenitur, credibile eſt, ſeveritatem Alexandri, ad Chriſti leges fere accedentem, eosdem moviſſe primum, quam cum ſubſequerentur minus proſpere in Germanos geſta, & Maximini ad ſolium Romanum ambitio, ac privatum in domum Alexandri odium, facile perſpicitur, extremam Alexandro intentari oportuiſſe perniciem, ut Maximini ambitio promoveretur, qui mox perſecutionem ſeptimam, aliis ſextam Chriſtianis in odium domus Alexandri, in qua multi degebant Chriſtiani, movit, quam tamen Pagius particularem ſolum ac localem in Cappadocia, ac in Africam non penetraſſe, nec ultra tres annos duraſſe ſcribit.

Perſec. 7. aliis 6ta Chriſtian.

LIV. Aventino teſte, adhuc ſub Alexandro Severo, Vindelicis præfuiſſet, *Marcus Julius Philippus, natione Noricus Arabone natus, qui urbem Bojodurum, primus Patavii vel Pataviæ nomine inſignivit.* Ita Aventinus, ſed ſubleſta omnino fide, quem citato greſſu inſequuntur Megiſerus, & Author Chron. MS. Styriæ, qui Philippum hunc ex antiquo Ducum Norici Catalogo, etiam Præfectum Norici ſtatuunt. Hæc tamen omnia tam parum veroſimilia mihi videntur, quam quæ de Tiberio Aug. loco Styriæ Tifer a ſe nomen indente, & de Piſone, Poſonium, Flaviano Fabianam ſeu Viennam, de Valerio Catulino, campum Tulnenſem in Auſtria, nominante gratis adferuntur; experiamur ſingula, ex regula mea 2. de Prætoribus Norici Diſſert. 1. ſtatuta conficitur quidem, hoc ævo, eosdem, qui Vindelicis, præfuiſſe & Noricis, at, cum Velſerus ipſe Philippum inter Vindeliciæ Prætores non adducat, non eſt, cur Aventino credam, præterea falſum eſt, Philippum Noricum fuiſſe, Arabone infra Viennam natum, nam veteres omnes cum Zonara Eutropio Philippum Arabem fuiſſe teſtantur, itaque Præfectura Norici, cum ſolo natali in Philippo non tenet.

Philippus non fuit Prætor Norici.

Non fuit Noricus & Arabone natus, ſed Arabs.

Ejusdem furfuris eſt opinio illa recentiorum, quæ hunc Philippum, dein Auguſtum, Chriſtianum fuiſſe, & ingentem Eccleſiæ Laureacenſi donationem feciſſe tradit, nec Euſebius lib. 6. cap. 27. ejusdem mentis fuit, ait enim, ſolum *famam fuiſſe*, de Philippo Chriſtiano, utpote moribus modeſto, & Chriſtianis utcunque benigno, unde cum Patres, & Authores Euſebio coævi uno omnes ore docuerint, Conſtantinum, primum Chriſtianum Imperatorem fuiſſe, admitti nequit Philippum Imperatorem, ſacra Chriſtiana coluiſſe.

Neque fuit Chriſtianus Imperat.

Donatio ejus Eccl. Laureacenſi falſitia.

LV. Donatio illa a Philippo Eccleſiæ Laureac. facta conſequenter corruit, pro ea pugnarunt, Velſerus, Hundius, Gewoldus, Aventinus, aliique: Author MS. Chron. Styriæ in tom. 3. de rebus Celejæ ennumerat 22. civitates magnas eidem Eccleſiæ Laureacenſi ſubjectas, quas hic verbis ejusdem Chronici ſubjungo:

Nahmen obgedachter 22. Städte:

1. Cilly.
2. Tanina, hat weiſe Stadt geheißen, bey Petau gelegen.
3. Etranding.
4. *Gradiſolium*, das iſt Zoll, und heißt man noch heutiges Tags, nach dem Ort das Zollfeld, iſt eine gewaltige Stadt geweſen, das man anjetzo noch gar wohl erkennen kan, auch noch bisweilen Stück von eiſernen Thurn, auch Stücke von Marmorſtein groß und mächtig gefunden werden, liget zwiſchen Clagenfurth, und der Stadt St. Veit in Kärnthen. Vertilgt.
5. *Liburina.*
6. *Sabaria.*
7. *Fabia.*
8. *Prittina.*

} Vertilgt.

9. Oeſſereich, welche der Zeit, da jezt Wien ſtehet.
10. *Stanimana*, vertilgt.
11. Enns, iſt noch vorhanden.
12. Valenz, vertilgt.
13. Paſſau, wird das heutige ſeyn.
14. Freiſing, iſt noch.
15. Regenſpurg, hat ehe Pripolitz geheißen.
16. Warn.
17. *Tyranna.*
18. *Netrabia*, Neitra in Hungarn.
19. *Sedama.*
20. *Vetronia.*
21. *Cortuna.*

} Vertilget.

22. *Viſchograd*, jetzo Prag.

En! prope tot fabellæ, quot verba, quis enim credat Laureacenſi Archiepiſcopatui, ſi etiam ſubſtitiſſet tunc temporis, tamque tot diſſitas, ac excellentes urbes fuiſſe donatas, cum plerique Laureac. rerum defenſores Pannoniam ſolam & utramque, eidem Epiſcopatui ſubjectam contendant. Catalogus hic urbium deſumptus eſt ex vita S. Maximiliani apud P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 23. &c. Refutandis his fabellis immorari nolo, cum jam abunde, acerrimus licet jurium Laureacenſium vindex Hanſizius tom. 1. cap. 2. easdem erudite confixerit; conferenti porro hunc Catalogum urbium, cum illo in vita S. Maximiliani citata relato patebit, mendis ſimul novis Authorem Chronici cit. ſuum Catalogum infeciſſe. Tandem & ipſa ratio donationis hujus fatiſcit de Quirino Epiſc. Laureac. Philippi Imp. filio, nam Philippo nemo veterum, duos filios adſcripſit, ſed ſolum Cajum Julium Saturninum Philippum Juniorem dictum; certe Prudentius Poeta, &

Qui-

Quirini encomiaſtes, ætate non multum inferior, ſtirpis Imperatoriæ in Quirino oblitus non fuiſſet, ſi de ea progenitus fuiſſet, ſic etiam acta S. Quirini Mart. & S. Hieronymus altum de ea ſilent: Quidquod, non Laureacenſis, ſed Sciſcianenſis ſolum Epiſcopus fuerit Quirinus.

LVI. Maximinus Reipublicæ hoſtis an. 238. Romæ declaratus, iter in Italiam properavit, Sirmio itaque profectus *per Pannoniam*, quadrato agmine *Æmonam*, hodie Labacum venit, quæ urbs Imperatori Maximum Ducem cum exercitu oppoſuit; cum vero maturandum iter eſſet Maximino, ea relicta Aquilejam obſedit, ad eamque *Pannonios, quorum fidei plurimum tribuebat*, præmiſit, teſte Herodiano lib. 8. cap. 2. & 4. Reſtiterant egregie Aquilejenſes, atque Pannonios repulerant, quibus auditis Maximinus, *exprobrata Pannoniis vecordia*, exercitum ad urbem rapuit, ſed nec ipſe Imperator quidquam profecit, unde ira ferociens in Duces ac milites a Præfectis, & Ducum majoribus occiſus eſt, ſicque finis obſidioni, ac vitæ Maximini acceſſit.

Maximini iter per Pannoniam.

Aquilejæ obſidio.

Quæ his in turbis Styriæ facies fuerit? pauliſper conſiderare oportet; & *primo* quidem, utcunque credibile eſt, Maximini copias etiam per Styriam inferiorem migraſſe, cum enim, *Sirmio* quadrato agmine *per Pannonias* Æmonam ſit profectus teſte Capitolino & Herodiano, iter hoc ſecundum Savi fluenta ſuſceptum, Celejam, terrasque conterminas, furoris ſui vix expertes reliquerit. 2. An Styria his in turbis Maximino, an Romanis adhæſerit? quæſtio eſt non levis; cenſeo Patriam noſtram Romanis contra Maximinum adſtitiſſe, tum quod Celeja Æmonæ utcunque vicina, urbiumque Patriæ noſtræ hoc tempore clariſſima, tanquam Romanum municipium, Æmonæ conſenſerit, tum etiam quod Aquileja Metropolis noſtra Eccleſiaſtica Romanis faverit, unde arguo, *agreſtem multitudinem*, teſte Herodiano, *ex vicinis agris & vicis intra mœnia Aquilejæ* collectam & receptam, ex Carniolis, Styrisque conſtitiſſe. Porro Pannones illos, quorum fidei plurimum, tribuebat Maximinus, ex Pannoniæ inferioris locis Cibali, Sirmio &c. ubi Maximinus hyberna agebat, delectos fuiſſe opinor.

Maximinus per agrum Celej. tranſit.

Styria favet Romanis cont. Maximinum.

Ex relatione Herodiani habemus, ſuperſtitionem Aquilejæ adhuc viguiſſe, cum teſte Herodiano & Capitolino *Belenus eo loci pro Apolline eſſet*, id quod inſcriptiones veteres apud Illuſtriſſ. Valvaſor. extantes detegunt, & memoria Beleni adhuc ſuperſit in antiqua Abbatia Aquilejenſi S. Marco quidem ſacrata, hodie tamen adhuc Belino dicta. Erat vero *Belenus* idolum ſeu Apollo, numen etiam vanum Noricorum teſte Tertull. lib. 2. contra gentes cap. 8. ſic loquente: *Quanti ſunt, qui norunt viſum vel auditum Ardagatim Syrorum - - Belenum Noricorum*, & in Apologet. cap. 24. *Unicuique Provinciæ & Civitati ſuus eſt Deus, ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Dyſares, ut Norici Belenus.*

Belenus ſeu Apollo Deus Noricorum.

LVII. Philippo Arabi circa an. 242. Præfecto Prætorio facto Aventinus Valerianum Norici Prætorem ſubſtituit; quia, ut ait, Præfidem egit, *in regionibus, quas Boji tenent*, quemque etiam Ducem factum docet. Conſentiunt Megiſerus, & Author MS. Chron. Styriæ, & quamvis Philippo Arabi munus Prætoris Norici non tribuendum cenſuerim, Valerianum tamen Norici ſicque etiam partis Styriæ noſtræ Præſidem lubens admitto; rationem deſumo ex Eutropio lib. 9. ita loquente: *Li-*

Valerianus Norici Præſes an. 242.

tinius Valerianus in Rhætia & Norico agens ab exercitu Imperator, & mox Auguſtus eſt factus, verba hæc: *in Rhætia & Norico agens*, nil aliud teſte Velſero lib. 7. rer. Aug. Vindel. fol. 308. indicant, quam eum his terris præfuiſſe, cum uni hoc tempore plures demandarentur Provinciæ, viris præſertim primariis, qualis Senatus-Conſulti authoritate, Pollione teſte, Valerianus erat, *primus genere, nobilis ſanguine, emendatus vita, clarus doctrina moribus ſingularis, exemplum antiquitatis.* Sane Valerianus ipſe, Ragonium Clarum, Illyrici, & Galliarum ſimul Prætorem conſtituit eodem Pollione teſte; unde cum Diſſert. 1. regula 2. de Prætoribus Styriæ oſtenderim non raro hoc ſæculo, Norico ſimul & Vindeliciæ, unum eundemque præfuiſſe Prætorem, idem de Valeriano hoc ſentio.

8va aliis 7ma perſecutio Chriſt.

LVIII. Decio Romano Imperatori e Pannonia orto, qui octavam, aliis 7mam in Chriſtianos perſecutionem adornavit, ad annum 251. Gallus & Voluſianus ſucceſſere Auguſti, ſub quibus bellum Gothicum abrùptum videtur; plura de hoc bello narrant Aventinus, Megiſerus, Bonfinius, aliique, fuſiſſime Illuſtriſſimus Valvaſorius, etenim Gothi jam ſub Philippo Danubium ſupergreſſi, fœdere cum Gordiano facto rediere quidem, aſt cum pacta non ſolveretur pecunia, *Provincias infra & ſub Savum*, hoſtiliter habuerunt, Megiſerus Chinivam Gothorum Regem, Neoſtadium ſub Savo ſitam in Carniolia verſus Medlingam, hodie, ut opinor, Rudolphswertam obſediſſe ſcribit, & hac relicta Nicopolim, &c. ex quibus cum Gothi *Provincias ſub & infra Savum ſitas* hoſtiliter aggreſſi ſunt, Styria noſtra inferior in circulo Celejenſi a damno immunis vix fuerit; quale vero damnum illatum ſit; nemo, quod memini, expreſſit.

Styria infer. in bello Goth. paſſa.

Gothos, aliosque *Barbaros* ſub Gallo & Voluſiano Auguſtis teſte Zoſimo, *Æmilianus legionum Pannoniæ Dux - - præter exſpectationem, iis in locis repertos, aggreſſus eſt*, & devicit, dein Imperator trium ſolum menſium acclamatus. Æmilianum hunc Pannonicarum legionum Præfectum, a Præſide ſeu Præfecto Pannoniæ diſcernendum opinor, quanquam quis Pannoniæ hoc tempore præfuerit? ægre aſſequar, Dionem Pannoniæ Præfectum ſuperius dixi, an hoc adhuc tempore præfuerit? ignoro, id ex Pagio lego, eum an. 229. ſecundo, Romanum Conſulem fuiſſe: Præfectus, inquam, Pannoniæ legionum Æmilianus erat, non ipſius Provinciæ, cum hoc tempore non iidem rei militari, qui Provinciæ præfuerint, ut aliarum Provinciarum exemplis notum eſt.

Æmilianus Dux Pannon. legion.

Valerianus e Norici Præfect. Imperator.

LIX. Æmiliano hoc, ut dixi, trium ſolum menſium Auguſto e vivis ſublato, *Valerianus in Rhætia & Norico agens*, ſeu ut ait Velſerus lib. 7. rer. Vindel. fol. 308. *Rhætiis & Norico Præfectus* Imperator eſt acclamatus, Eutropio & Oroſio teſtibus, cujus initia hoſtilibus motibus erant formidoloſa; Barbari enim undique Romanas Provincias, *Marcomanni Noricum ac Pannoniam* infeſtabant, teſtibus Zoſimo & Oroſio, quas vero Norici ac Pannoniæ, proin Styriæ noſtræ partes Marcomanni ſubierint? Authores non deſignant, quibus ſatis viſum, Provinciarum, quæ bello preſſæ ſunt, nomina texere, non urbes, aliaque minora loca adferre.

Marcomanni Styriam infeſtant.

Vale-

Valeriano in officio Præſidis Norici ſucceſſit T. Varius Clemens, Vindeliciæ, ut arbitror, ſimul Præſes, ita ex antiquo marmore Celejæ reperto infert Author MS. Chron. Styr. nec huic ſententiæ contradico; Nam 1. Velſerus lib. 6. f. 307. eundem Vindeliciæ Prætorem ſtatuit, & quidem jam ſub Philippis. 2. Hunc Norici Prætorem fuiſſe oſtendunt antiqua Celejæ marmora, quæ jam Diſſert. 1. in urbe Celeja adduxi, uti & in Græcio, & Petovio, ex quibus eum in noſtris terris floruiſſe vel nativitate, vel geſta Prætura patet. 3. Difficultatem non habent ea, quæ de bello ſub Alex. Severo in Mauritania Tingitana, Duce Furio Celſo an. 228. geſto, in iis inſcriptionibus referuntur; potuit enim Varius Clemens eſſe eo in bello Præfectus auxiliariorum in Mauritaniam miſſorum, & an. 253. Norici Præſes. Cæterum præclaram Varii Clementis indolem, & munia geſta legere licet ex lapidibus ſupra citatis, in quibus, quamvis nihil occurrat de Norici Præfectura, tamen id muneris geſſiſſe eundem colligo, eo quod hoc ſæculo plerumque Prætores Vindeliciæ ſimul præficerentur Norico. Sane, cur lapides hi in Norico & Styria noſtra poſiti? niſi ſedem ſuam inibi habuiſſet Varius Clemens; natum ſi cum Velſero in Styria evincas, dabo manus, ſi alium præter hunc, Prætorem Norici legitimis documentis quis oſtenderit. Interim ſeu natus fuerit in Styria noſtra, ſeu eidem præfuerit, honor tamen Patriæ noſtræ non minuitur, ſed potius augetur, ideoque Clemens Varius omittendus non erat. Varium hunc Clementem an. 265. defunctum, & ſepulchro lapidem fuiſſe additum docet Author MS. Chron. Styriæ teſte Lazio de Republ. Rom. lib. 12. cap. 6. fol. 995.

T. Varius Clemens Præf. Norici.

LX. Dum Valerianus Imperator, initio Chriſtianis addictiſſimus, ſub an. 257. inſtinctu Macrini Principis imperii, belli artibus fortiſſimi nonam, aliis octavam in Chriſtianos exorſus eſt perſecutionem, ſubmiſit Deus Styriæ noſtræ, athletam fortiſſimum, S. Maximilianum, non natali tantum ſolo, ſed laboribus etiam Apoſtolicis Patriæ noſtræ ſumme proficuum; Celeja urbs eum terris & cœlo genuit, vitam ejus Diſſert. 2. dedi, an vero Laureaci Ordinarius, vel Regionarius Epiſcopus fuerit? non definiam, ſua cuilibet Eccleſiæ jura intacta relicturus. Quo vero anno Romam pietatis cauſa veniens, a Sixto poteſtatem Apoſtolicam prædicandi Evangelii *omni loco* (quæ verba Regionarium potius indicant Epiſcopum) obtinuerit? Author Germaniæ Sacræ tom. 1. cap. 5. pro an. 257. pronunciat, cum teſte Pagio an. 258. Romana ſedes vacaverit.

una, aliis octava perſecut.

S. Maximilianus Epiſc. Laur.

Celejæ natus.

In Styriæ prædicat.

Roma redux S. Maximilianus in Styria etiam noſtra prædicare cœpit, & quidem ea de cauſa, quod *Pannonia ſuperior & Noricum*, ſicque Styria noſtra, præter perſecutionis rabiem, aliud fidei amittendæ ſubiret periculum: Gallienus enim cum Valeriano Patre, bellis undique cinctus, cum arctiora ſibi indies omnia fieri videret, *inito fœdere, cum quodam de gentis Germanicæ Principibus, ex aliqua parte periculum minuiſſe viſus eſt*, teſte Zoſimo lib. 1. cap. 30. Hunc Germaniæ Principem, *Attalum* Marcomannorum Regem plerique arbitrantur, quod *Piparam* (*Pipam* vel *Biparam Saloniam* vocant alii) ejus filiam, Gallienus haberet conjugem, *quam per pactionem conceſſa parte ſuperioris Pan-*

Pannonia ſuper. & Noricum cedunt Marcomannis.

noniæ a Patre Marcomannorum Rege, matrimonii ſpecie ſuſceperat, ut inquit Aurelius Victor in Cæſaribus & epitome Aventinus addit, *partem* etiam *Norici* eidem fuiſſe datam, de qua tamen veterum nemo quid memorat.

Uti & pars Styriæ. Nullibi exprimunt Authores, quas Pannoniæ ſuperioris partes Gallienus Attalo Regi ceſſerit, Megiſerus lib. 3. cap. 65. infert Marcomannis datas fuiſſe *terras trans Danubium inter Ænum & Dravum, nunc Auſtriam & partem Hungariæ, tum Noricum & Pannoniam ſuperiorem appellatas*, ſi terræ *trans Danubium, inter Ænum*, vel ſi mavis etiam Anaſum, *& Dravum* datæ ſunt Marcomannis, pars utique magna Styriæ noſtræ ceſſerit Marcomannis, ut chartas inſpicienti patebit.

Cum itaque pars Styriæ ſub Rege Ethnico gemeret, in omni vero Styria perſecutio cæteroquin Imperatorum ferveret, juſtiſſimum arbitrabatur Maximilianus Patriæ ſuæ, non ordinarii Epiſcopi officio, ſed concivis affectu ſuccurrere, fidem preſſam erigere, nutantes inibi confirmare, præſertim cum atrocius Celejæ, quam Romæ fuerit in Chriſtianos ſævitum, ut inferius dicetur.

Ingenuus Dux legion. Pannon. LXI. Capto a Perſis Valeriano, nec a vinculis liberato, Gallienus pacem Eccleſiæ reddidit, cui negligentius agenti, varii oppoſiti ſunt Imperatores, Macrianus in Oriente, Aureolus in Illyrico, Valens in Achaja, Ingenuus, *qui tunc Pannonias regebat*, militari, ut opinor, imperio, in Pannonia & Mæſia, qui tamen mox occiſus eſt.

Fulvius Bojus an Prætor Norici an. 258. Ingenuum Ducem militarem Pannoniæ, Præfectum hujus Provinciæ non cenſeo, partem Pannoniæ ſuperioris Marcomannis non ſubjectæ, hoc tempore Prætori Norici paruiſſe opinor.

Quis porro poſt T. Varium Clementem Norico præfuerit? non conveniunt Authores; Author MS. Chron. Styr. Aurelianum ſucceſſorem ſtatuit, Aventinus omiſſo T. Vario Clemente, Fulvium Bojum & Aurelianum, hæreo de Fulvio Bojo quidquam ſtatuere. Vapiſcus quidem in Aureliano, *Fulvium Bojum Rhætici limitis Ducem.* Memmio Fuſco vel Tuſco Conſule fuiſſe aſſerit, proin non anno 261. ut Velſerus putat, ſed anno 258. quo teſte Pagio Memmius Fuſcus Romæ Conſul factus eſt, præterea, ut jam dictum, *Ducis* nomine, ſolum Præfectus rei militaris veniebat, qui ſupremum in milites Magiſtratum gerere ſolebat, diſtinctus a Præſide vel Prætore, res Provinciæ adminiſtrante; hæc teſte Velſero lib. 6. rer. Auguſt. ideo facta, *ut vel ambitio, qua Magiſtratus & honores ad plures pertingerent, vel Imperatorum cautio, ut vires immodicæ Præſidibus acciderentur, in tuto eſſet*, fatetur tamen idem Velſerus, voluntate Imperatorum, eosdem ſubin fuiſſe Præſides Provinciarum, & Duces copiarum, cum tamen id diſerte de Fulvio Bojo nemo aſſerat, nec ego pro eo contendam; non tamen diffiteor, Fulvium Bojum fuiſſe *Norici & Rhætici limitis Ducem*, eo quod hoc tempore plures uni eidemque commiſſæ fuerint Provinciæ. Unde, ſi efficaciter probatum fuerit, hoc tempore Fulvium Bojum, Imperatorum voluntate, fuiſſe ſimul Rhætiæ Ducem, & Prætorem, concedam, eundem quoque Norici Ducem & Præſidem fuiſſe.

Suevor. in Styr. irrupt. LXII. Inter varias Imperii Rom. ſub Gallieno turbas, ad an. Chriſti 263. Aventinus etiam ſequentes refert: *Suevorum gentes, Pannonias, Noricum, a quibus tum Danubio ſeparabantur, occupant.* Petitam hiſce gentibus

tibus Patriam noſtram, nemo non videt, at qui fuerint hi Suevi, & quæ Styriæ partes ab iis tentatæ? hic declarandum eſt. Suevorum nomine, Velſerus lib. 6. fol. 290. Alemanos intelligit, Vetterus, Lazius, & Aventinus Marcomannos, Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. Diſſert. 3. fol. 59. Quados, & Sarmatas, eo quod Marcomanni cæteroquin Pannoniæ incolæ fuerint, conſentiunt dicta num. 26. ubi Vannio Suevorum Regi, ditionem inter Marum, Cuſumque fluvios, nunc Hungariæ transdanubianæ propriam fuiſſe dixi, quæ Quadis quam optime convenit. Porro *Quadi hi & Sarmatæ*, Euſebio teſte, *Pannonias*, proin infer. & ſuperiorem, etiam a Marcomannis incultam *occupaverunt*, Gothosque Megiſerus ad fluvium Savum, Norico utcunque vicinos hoc in bello docet, ita armatos, *ut Rhætias, Noricum, Pannonias, omnesque a lacu Bodamico ad Savum terras, Romanum amiſerit Imperium*, immo ex ſuo Catal. Norico deducit, Gothos Carinthiam ingreſſos, ab Aureliano ad Clagenfurtum, prælio fuiſſe devictos, has tamen Megiſeri fabellas acerrime refutat Schönlebenius inter alia ſequentia addens: *ſed nihil ab illo Authore*, Megiſero, *qui Aventinum imitatus, dum ſibi in multis credi vult, in omnibus fidem perdit.* Styriæ in hoc bello damna nemo denuo commemoravit, ut vel adeo divinare quidpiam nolim. *Megiſeri authoritas, & Aventini.*

LXIII. Aurelianum anno 270. Imperatorem factum, Prætorem antea Norici & Vindeliciæ fuiſſe docet Aventinus & MS. Chron. Styriæ Author, natum in Carinthia propugnat Megiſerus. Quod Norici Præturam in Aureliano attinet, non invenio tempus, quo eam gerere potuiſſet Aurelianus; nam an. 258. Ulpio Crinito in Illyrico adjunctus eſt Vicarius teſte Vapeſco, dein ipſe Vicarius Illyrici & Thraciæ fuit. An. 258. in Syriam & Thraciam evocatus eſt cum Valeriano Imperatore, eodemque anno Byzantii Conſul Romanus fuit Pag. teſte num. 10. quo in munere etiam an. 259. perſtitit. An. 262. bello Gothico implicitus fuit, itaque ante annum 263. Aurelianus Præſes Vindeliciæ & Norici eſſe non potuit, ſed nec eo anno fuerit, vereor enim vehementer cum Aventino, Aurelianum ea de cauſa aſſerere Vindelicorum Præſidem, quod *Vindelicos obſidione Barbarorum liberaverit.* *Aurelianus Imp. an Præf. Norici.*

Aurelianum in Carinthia natum docet Megiſerus, ut gloriam Patriæ ſuæ, qua veris non poteſt, fictis illuſtret ornamentis, contrarium tamen ex aliis probatis elicio Authoribus. Fleurii lib. 8. hiſtor. Eccleſ. §. 92. *Obſcuro in Pannonia genere natum* teſtatur, alii e *Sirmii vicinia.* At an ideo Carinthus dicendus eſt? non video; *obſcuro genere natum* omnes affirmant, Megiſerus ſolus, neſcio, quo Thaſſilone Bojorum Duce, ac filia Ducis Pannoniæ, natum propugnat, fratremque ei Theodonem Bojorum Ducem jungit, cujus tamen Bojorum Scriptores nuſpiam meminere: Nauclerum in hanc ſententiam citat Megiſerus, ſatis de veritate ſuſpectum. *An in Carinthia natus.*

Satis itaque Patriæ noſtræ honori conſultum cenſeo, ſi Aurelianum hunc e Pannonia natum, concedam, neque illud pro Styriæ noſtræ gloria deciſum velim, quod magis illuſtris temporis noſtri Scriptor Philippus a Turre apud P. Puſch Chronol. S. Ducatus Styriæ part. 1. §. 61. concludit in ſuo veteri Antio cap. ultimo, *Aurelianum in Pannonia* *An in Styria.*

nonia ad Petovionem, quæ Pannoniæ urbs eſt, vel *ad Ragandonem vicum*, natale ſolum accepiſſe.

Petovii varia nomina.

LXIV. Opportune Petovionis incidit mentio, de quo loco erudito Lectori quæpiam adhuc ſubjungo, variam nempe ſynonimiam loci Petovienſis: Sic *Poetovio. Lap. Rom. item Antonini Cellario. Poetovii Antonini Launoio Diſſ. de Victorino opp. p.* 640. *Æthici Simlero p.* 116. *Launoio p.* 640. *Taciti & Marcellini Lazio in Rep. Rom. Petavio tabulæ, Taciti & Æthici Launoio L. L. Antonini Cellario Antonini, Marcellini, Ambroſii, Aventin. lib.* 2. *Annal. p.* 192. *edit. Ingolſtad. &c. Petabio, Marcellini Launoio opp. p.* 640. *ſeq. Hieron. Sophronii & in membranis Juvav. Aventin. apud Launoium L. L. Hier. in ſcript. Eccleſ. opp. edit. Pariſ.* 1706. *fol. tom. IV. part.* 2. *col.* 120. *item col.* 141. *v. Comment. Martianæi a bb. PP. Petabion, Græcorum Launoio p.* 641. *Pitabion Sophronii eidem p.* 637. *Pitabio Bibl. max. vet. PP. Lugduni* 1677. *Patavio S. Ambroſii opp. edit. Pariſ.* 1690. *fol. tom. II. col.* 809. *Petovio Taciti hiſt. III.* 1. *Bernegger. Cellar. & itin. Hieroſ. primæ edition. Petobio Marcellini XIV.* 37. *Cellar. Vetovio, quorundam Laz. R. R. p.* 985. *Poetovium, & frequentius Poetovia Lazio in Rep. Rom. paſſim Petovium, nunc vulgo, aliquando etiam Lazio dictum.* Enurbis celeberrimæ mentionem creberrimam & ſynonimiam, quam autem Bertius ſcribit ΠΑΤΑΥΟΝ. cum Ptolomæo II. 15. non eſt urbs Petovienſis Styriæ, ſed urbs *Patavium*, quarum una in Italia, hodie Padua, altera in Bithynia, ambæ hæ urbes diſtinguendæ denuo a Patavia, ſeu Paſſau, & a vico Patavicenſium in Dacia (v. lib. 1. §. 9. ff. de Cenſibus) qui vicus etiam dictus eſt *Petovium Daciæ*, & in Romanis lapidibus, etiam nomen urbis obtinuit.

Petovium Daciæ.

Ex his genuinum Petovii urbis in Styria nomen erit *Poetovio*, hoc etenim præfert Romana inſcriptio, a temporibus Auguſti non multum abludens, quamvis nomen uxoris lapidi inſculptum tardius tempus prodere videatur; inſcriptio hæc nomen Poetovionis exprimit. Dum ex Decania Petovienſi deſcenditur per aliquot gradus in cœmeterium ejusdem Eccleſiæ, a ſiniſtra parte in polito marmore albo ſequens legitur inſcriptio:

C. CÆSIVS. C. F. PAPIRIA.
INGENVVS. POETOVIONE.
V. F. SIBI. ET. VLPIÆ. ADIVTÆ.
CONIVGI. ET. CÆSIÆ.

Refert inſcriptionem hanc Lazius de Rep. Rom. pag. 987.

Bonoſus non fuit Norici Præf.

LXV. Redeat denuo narratio mea Prætores Styriæ, Aventinus, Megiſerus & Author Chron. MS. Styriæ ab Aureliano Bonoſum Norico Præfectum docent Aventini verbis ita loquentis: *Dux fuit, & Legatus Bonoſus Hiſpanienſis, origine Britannus.* Sed conjectura eſt ſolum Aventini, Bonoſum Rhætiæ Ducem fuiſſe, Vapiſcus enim in Aureliano de Bonoſo ait: *Duxit ordines, tribunatus egit, Dux limitis Rhætici fuit*, quod vero Aventinus Bonoſum Ducem, Legatumque dicat, imperitia eſt, inquit Velſerus, in eaque ſæpius peccat Aventinus, quod Duces, Legatos, rei militaris curam habentes, eosdem, quos Præſides, & Procuratores Provinciarum eſſe velit. Unde ut num. 61. dixi de Fulvio Bojo, ita de Bonoſo loquor, niſi quis oſtendat Bonoſum, Aureliani

volun-

voluntate, Ducem ſimul, & Præſidem Vindeliciæ, ac Norici fuiſſe, vix, ut credam, adducar.

LXVI. Petovio noſtro, cujus ſupra meminimus, non levis uti & toti Styriæ acceſſit gloria a S. Victorino urbis ejusdem laudatiſſimo Epiſcopo ſub tempora Aureliani florente; hoc enim & ſubſequo tempore ad firmandam, latiusque promovendam fidem Chriſti lingua laboravit & calamo, dum egregios illos, in Sacra utriusque teſtamenti Commentarios, a D. Hieronymo dilaudatos elucubravit, donec ſub initium ſequentis ſæculi triumphum Martyrii ſub Diocletiano meruit obtinere. *S. Victorinus Ep. Petov.*

Jam Diſſert. 2. & 3. quæpiam de eodem commemoravi, & primo quidem eum male Pictavienſem dici Epiſcopum, ut contra Gallos ſuos, hunc S. Victorinum, ſuis Sanctis & Lytaniis inſerentes, & feſto duplici honorantes ſingulari Diſſert. oſtendit Launoius de Victorino Epiſc. & Mart. opp. tom. II. part. 1. pag. 634. Victorinus hic itaque Petovienſis in Styria Epiſcopus, ultimis vitæ ſuæ temporibus, cum Eccleſia aliunde fere per 19. annos exquiſita pace frueretur, Petovienſi in urbe, templum ſibi & Cathedralem ſedem conſtituit, ubi & muneri ſuo Epiſcopali ſatisfecit, atque ut teſtatur S. Hier. ſui memoriam erudito orbi tranſcripſit, editis commentariis præclaris in Geneſim, Exodum, Leviticum, Iſaiam, Ezechielem, Cantica, Apocalypſim, quos adverſus hæreſes ejus temporis adornavit. Sixtus Senenſis lib. 4. Bibl. SS. PP. eidem etiam tribuit Commentarium in Matthæum, ex Caſſiodoro lib. de Divin. Lection. cap. 7. ubi Victorinum ex oratore Epiſcopum factum ſcribit, appendix vero S. Iſidori apud Miræum de Script. Eccleſ. opuſcula duo verſibus conſcripta, quorum uno Marcionitas, altero Manichæos impugnat, eidem Victorino tribuit, in quibus tamen ob inopiam linguæ latinæ, ut queritur S. Hier. vix inter Poetas relinquitur. Idem S. Hier. jam uno loco eloquentiam, eruditionem profanam altero deſiderat, hiſce ad Paulinum verbis: *Inclyto Victorinus Martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non poteſt.* Et in epiſtola ad Magnum Oratorem, *Victorino Martyri, licet in libris ſuis deſit eruditio, non tamen deeſt eruditionis voluntas.* *Non fuit Pictav. Epiſc.* *Ejus libri.*

LXVII. De libro ejusdem in Apocalypſim major volvitur quæſtio, an non idem Chiliaſtarum errore infectus fuerit? notat enim S. Hieronymus, Victorinum cum Papia Jeroſol. & cum Nepote Epiſcopo in partibus Ægypti, de mille annorum regno ſenſiſſe, proin liber hic in Apocalypſim, non fuiſſet Victorini noſtri partus, utpote in quo error Millenariorum impugnatur. Variæ ſunt hac de re Authorum ſententiæ, plerique tamen librum illum, Divo Victorino abjudicant, moti authoritate S. Hieronymi docentis, Victorinum errori de mille annorum regno, antequam confixus eſſet, adhæſiſſe, commentarius vero ille in Apocalypſim ab eo errore longiſſime abeſſe videtur, niſi fors cum Braſichellenſi dicatur commentarius ille, *detractionibus, additionibus mutilationibus alicujus audacia variatus.* *An Chiliaſtes fuerit?*

S Hieronymus non obſtante, quod Victorinum Chiliaſtem putet, librum tamen illum in Apocalypſim Victorino non abjudicat; extat enim inter SS. PP. opera in Bibliotheca maxima ſub Victorini nomi-

ne, & Bellarmino teſte, diſerte Hieronymus affirmat, Victorinum eo in opere errorem Millenariorum tueri.

Cenſeo tamen dubium omnino eſſe, an liber ille in Apocalypſim Victorini noſtri fuerit, tum quia, ut obſervat Magiſter S. Palatii in Biblioth. SS. PP. tom. 3. pag. 421. in eo citatur epitome Theodori de numero librorum S. Scripturæ, qui Theodorus tamen ſub Juſtiniano vivens, 200. fere annis junior erat Victorino noſtro, tum quia in eodem libro Apocalypſis, hæc verba extrema ſunt, *ergo audiendi non ſunt, qui mille annorum regnum terrenum eſſe confirmant, qui cum Cerintho hæretico ſentiunt;* hinc licet Gelaſius Papa diſt. 15. Victorini ſcripta, inter apocrypha rejecerit, veluti errore Chiliaſtarum infecta, id tamen exinde contingere potuit, quod eo temporis Apocalypſis dicta, Victorini partus crederetur.

At ſi ita, nodus tamen Gordius nondum eſt ſolutus, quomodo enim liber Victorini citans epitomen Theodori ſæculo 6. ſub Juſtiniano viventis rejici potuit a Gelaſio Papa jam an. 496. defuncto? unde dicendum, vel reliqua Victorini ſcripta Chiliaſtarum errore fuiſſe infecta, præſertim, cum Hieronymus doceat, Victorinum ei dogmati adhæſiſſe, vel, ut ſupra obſervavi, commentarium illum Victorini noſtri variis additionibus, præſertim citatione epitomes dictæ, tempore longe poſterioris fuiſſe variatum, hæc enim citatio S. Hieronymo ſæculo 4. florenti nota eſſe non potuit.

Salvatur vero ſic S. Hieronymi ſententia, tradentis, Victorinum Chiliaſtarum, nondum ab Eccleſia rejecto errore fuiſſe imbutum, & commentarium illum, Victorini partum fuiſſe, ſi commentarius ille, qui nunc exſtat, non integer, ſed aſſutis aliorum mutatus dicatur additionibus, unde vero concluſerit Hieronymus commentarium illum eidem errori faviſſe, judico ex Authore ejus Victorino, & quod forſitan tempore Hieronymi commentarius eum errorem diſerte continuerit, qui dein additione, & correctione alterius cujusdam, poſt S. Hieronymi tempora deletus, ejusque loco extrema verba ſuperius citata, addita fuerint.

LXVIII. Ex his tamen Victorini noſtri laudi nihil decedit, licet enim errorem Chiliaſtarum ita foverit, ut ejus opera inter apocrypha recenſerentur a Gelaſio Papa, error tamen is, tempore Victorini nondum ab Eccleſia eſt rejectus; præterea duplex erat Chiliaſtarum dogma, unum, terrenum Chriſti regnum per mille annos futurum, cum Chriſto hic in terris converſante, & ſuis delicias ſpirituales concedente aſſerebat, alterum vero regnum Chriſti millenarium turpiſſimis voluptatibus conſecrabat, hoc ſecundum dogma nullus SS. PP. nec Victorinus defendit, teſte eodem S. Hieronymo in proemio ad Victorini expoſitionem in Apocalypſim ad Anatolium docente, Papiam Jeroſolymitanum, & Nepotem Ægypti Epiſcopum de mille annorum regno ſenſiſſe, ut Victorinum, conſtat autem Papiam nil docuiſſe honeſtati contrarium, proinde nec Victorinum; atque hoc primum dogma, in Concilio primum Florentino eſt proſcriptum, cum altera Millenariorum ſententia, tanquam Cerinthi propria, ſemper ab Eccleſia Catholica hæretica haberetur.

Aliam

Aliam rationem, cur Victorini noſtri opus in Apocalypſim apocryphum a Gelaſio ſit declaratum, aſſignat Baronius ad an. 303. num. 127. quia nempe, ut de eo teſtatur Hieronymus epiſt. 35. in explanatione S. Scripturæ Origenem eſt ſecutus.

LXIX. Decimam, aliis nonam, in Chriſtianos fovit perſecutionem Aurelianus Imperator, quod ſi tamen ea, quæ ſub Trajano fuit, ut particularis, cum illa ſub Decio inſtituta, omittatur, hæc Aureliani perſecutio nona, illa Diocletiani decima, & ultima erit reputanda. Aurelianus itaque de variis in Pannonia Barbaris Victor, antequam in Daciam abiret, Romæ triumphum ſibi de victis hoſtibus, & perſecutionem Chriſtianis movit, morte tamen ejus mox ſopitam, teſte enim Lactantio, *nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam cruentus ipſe humi jacebat.* Unde S. Hilarium Epiſc. Aquilej. ſub Aureliano Martyrium ſubiiſſe vix eſt credendum, ſub Numeriano paſſum, acta ejusdem apud Bollandum docent, alii cum P. de Rubeis ejus paſſionem ad an. 170. vel cum P. Calles ad an. 190. reponunt, ut ſic interregnum Aquilejenſis Eccleſiæ moderatius faciant, de quibus non litigo, ſed lectorem curioſum ad P. de Rubeis monum. Aquilej. cap. 4. num. 5. remitto. Succeſſor ejus, noſterque in Styria Epiſcopus Ordinarius factus eſt S. *Chryſogonus I. origine Thracius, de civitate Biſantio*, teſte Ughello, qui ita pergit, *is non eſt idem cum Chryſogono Martyre, cujus feſtum celebrat Eccleſia 24. Nov. hic enim non fuit Epiſcopus Aquilejenſis, ſed Aquilejam perductus fuit juſſu Diocletiani Imp. ut ibi Martyrium conſummaret pro Chriſto.*

10. aliis 9. perſecutio Chriſtian.

S. Hilarius Ep. Aquil. & Mart.

S. Chryſogonus I. Epiſc. Aquil. Diſtinctus a S. Chryſog. M. Aq.

LXX. Poſt varios breviſſimi temporis Imperatores, ex quibus Probus ob varias victorias, & cultum vitium in Pannoniam, prope Sirmium in monte Almo inductum, eſt commemorandus, anno 284. regimen Romani imperii capeſſivit Diocletianus, qui quamvis an. 303. ſæviſſime in Chriſtianos ſæviret, initio tamen teſte Euſebio lib. 8. cap. 1. vel maxime iisdem favebat: Eodem vero hoc anno, non quidem ſub Diocletiano, ſed ſub Imper. Numeriano, mortuo jam, at in Chriſtianos per Præfectos furente S. Maximilianus Epiſc. Laureac. Martyrium ſubiiſſe refertur.

Diocletianus Imp. initio Chriſt. favet.

Dubium de S. Maximil. Martyrio an. 284.

De hujus ſancti Concivis noſtri Martyrio non modicum premit variantes inter ſe Authorum ſententias dubium, ſi enim hoc anno paſſus dicatur, quomodo ſub Numeriano jam defuncto laureolam Martyrii obtinuiſſe dicendus eſt? quod ſi id Martyrium ad an. 283. removeatur, quomodo ſalvabitur eum ſub Cajo Papa paſſum 4. Idus Octobris, cum Cajus eo anno die 15. Decembris primum Cathedram Petri conſcenderit Eutychiano prædeceſſore 7. Dec. ejus an. extincto? ut Pagius oſtendit.

Sequor ſententiam communiorem, Martyrium S. Maximiliani ad an. 284. & quidem ſub Numeriano ſtatuentem; quamvis enim Numerianus Imp. an. 283. acclamatus, anni 284. die 17. Sept. quo Diocletianus Auguſtus factus eſt, non amplius viveret, perſecutionis flammam tamen per Præfectos, etiam morte Numeriani ſubſecuta continuatam fuiſſe, plura alia SS. Martyrum acta declarant, quoniam vero quæ Præfectorum licentia contingebant, edicto Numeriani tribue-

rentur, etam ii Martyres, qui defuncto jam Numeriano, passi sunt ex ejus edicto, communiter sub Numeriano Martyres fuisse sunt dicti. Diocletianus Imperator, initio licet Christianis addictissimus, cum 17. Sept. solium Romanum conscenderit, ob intercurrentia alia negotia edictum cassandæ persecutionis tam cito ferre non potuit, ut adeo S. Maximilianus, die 12. Octobris antea sit passus, quam decretum Diocletiani de tollenda persecutione, ad Præfectos magis dissitos perferretur.

Martyrium describitur.

LXXI. Acta prævia S. Maximiliani, & vitam ejusdem jam dedi Differt. 2. uti & num. 60. nunc de palma Martyrii plura sunt explananda: in Martyrol. Romano legitur: *Celennæ in Pannonia S. Maximiliani Episc. Laureac.* acta ejus licet recentia & manu sæculi 13. scripta, in iis tamen, quæ ad res hujus Sancti proprie pertinent, fidem jam multorum sæculorum usu obtinuerunt, quæ de Martyrio sequentia habent. Celejam, arcano haud dubie Numinis vocatu accessit S. Maximilianus, qua in urbe *Evilasius Norici Præses* agebat, is, cum ingruente super Sarmaticum bello Persico, propitiandos sibi Deos putaret, cives omnes Celejæ in templum Martis convocavit. Eam ob rem, cum Evilasium S. Maximilianus libere reprehenderet, actus in furorem Præses, Sanctum Antistitem lictoribus continuo tradit ad ædem Martis, & impium sacrificium adducendum, quod cum libera voce detestaretur, extra muros oppidi, Præsidis mandato raptus, & in confessione, unius Summi, verique Dei capite imminutus est 4. Idus Octob. B. Cajo Pontif. Caro. Carino. Numeriano Imperatoribus, ita acta ex MS. Codice Viennensi & rubeæ vallis, uti & apud Hier. Pez tom. 1. script. Austriac. col. 22. &c.

Ecclesia cum fonte S. Maxim. Celejæ.

Antiquissima est apud Noricos, ac præcipue Styros, hujus S. Martyris memoria, nam & locus hodiedum Celejæ, ubi obtruncatus, & humatus est, ostenditur, existitque ibidem testibus Cuspiniano, Megisero, Lazio, aliisque, ejusdem nomini sacrata Ecclesia. Doctor Schönlebenius part. 3. Annal. pag. 201. ait se Celejæ vidisse quoque fontem, miraculo inibi exortum, ubi caput S. Martyris resectum decidit, eumque ex antiqua incolarum traditione plurimis morbis mederi ait. Extra Capellam, ut refert Illustr. Valvasorius, ad eum fontem sub ara existentem accessus patet, superius legitur inscriptum: *Fons decollationis S. Maximiliani.*

Prima sepultura.

LXXII. Translationes hujus Sacri Corporis, suis annis adducentur, nunc solum de ejus sepultura prima loquendum; eam acta apud cit. Hier. Pezium ita tradunt: *Venientes enim Christiani, nocte tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud extra civitatem, humili quidem sepultura, propter metum Paganorum, ubi Dominus plurima signa & miracula, per merita ipsius, sicut in vita, sic & post mortem ostendere dignatus est.*

Frid. IV. Imp. ope S. Maxim. Celej. liberatus.

Inter miracula post mortem S. Maximiliani ejusdem ope obtenta, non immerito recensetur, & illud Friderici IV. Imp. Celejæ a S. Maximiliano liberati; erat hic Imperator illustris ejusdem cultor, ideoque non immerito ejus opem & protectionem expertus; dum enim anno 1457. Celejæ capturus possessionem, noctem ibi ageret, nox ea in ejusdem malum comparata erat insidiis uxoris relictæ Udalrici Comitis de Celeja, concubia enim nocte immissus est in urbem Joannes

Vita-

Vitavizius cum 800. equitibus, qui Fridericum Imp. procul dubio cepiſſent, niſi, ut ſcribit Æneas Sylvius, adfuiſſet divina pietas, quæ ei præter conſuetudinem, in ſuperiore arce, natura & arte munita, dormiendum ſuaſiſſet, Proceres in oppido omnes capti, Cæſar cum ſuorum manipulo aliquot dies in arce obſeſſus, ad Sancti Maximiliani opem confugit, vovens, ſe filium ſuum ejus nomine inſigniturum; unde & liberatus eſt, & filium ſuum Maximilianum dein dixit. Sed hac ſuper re pluribus ad eum annum.

Illud tandem notandum adhuc, quatuor occurrere Maximilianos in Rom. Martyrologio; primus eſt noſter 12. Octobris Epiſcopus Laur. & Martyr, alter colitur 29. Oct. incertæ ſedis Epiſcopus, tertium exhibent Mabillonius tom. 4. vet. Annal. pag. 567. & Illuſtriſſ. Valvaſorius lib. 8. fol. 537. hunc putat fuiſſe Diaconum S. Nicephori Epiſcopi, & ſecundum Epiſcopum Juſtinopolitanum, cujus corpus in Pyrrhan requieſcit. Quartus erat Fabii Victoris filius, in Numidia paſſus, quem adfert Fleury hiſt. Eccleſ. lib. 8. §. 113. *S. Maximiliani in Rom. Martyrolog.*

LXXIII. Ex actis S. Maximiliani Epiſc. Laureac. & Martyris, ſequentia adhuc colligo: 1. In Pannonia utraque & Norico hoc circiter tempore, inter alias Eccleſias Epiſcopales, ſua obtinuiſſe initia Petovienſem & Celejanam, licet ſimul adhuc ſuperſtitio & idololatria vigeret, non quidem volentibus incolis, ſed urgentibus Præfectis & Sacrificulis; etenim Celejam an. 284. Marti addictam, teſtatur Cippus, incertum, quo tempore conſecratus, hiſce injectis verbis: *Celej. & Petov. Epiſc. initia ad Jac. 3.* *Celejæ Mars colitur.*

MARTI. HERCVLI.
VICTORIÆ. NOREIÆ.

2. Evilaſium, ſeu Ejulalium hoc tempore Norici Prætorem fuiſſe, & quidem Norici Mediterranei. Megiſerus lib. 3. cap. 76. docet, eum Salonæ in Dalmatia natum, Bonoſo circa an. 282. ſucceſſiſſe, idem habet author MS. Chron. Styr. cap. 29. ex eod. Catalogo Ducum Norici utriusque, Aventinus ita ſcribit: *Ejulaſius hoc tempore præſedit Vindelicis & Noricis*, in quæ verba Velſerus rer. Auguſt. lib. 7. fol. 311. ait: *Sub iis* (nempe Caro. Carino. Numeriano) *Ejulaſium Vindelicis & Noricis præſediſſe tradit Aventinus, quoniam ſcilicet in actis S. Maximiliani Martyris nomen Ejulaſii, qui Celejam - - præfectus a Numeriano miſſus eſt, ſed id ad Vindeliciam quid pertinet? niſi quod Aventino familiare, Rhæticis, & Vindelicis Norica, interdum quoque Pannonia miſcere.* Neſcio tamen, an non injuſte Aventinus hic vapulet a Velſero, quamvis enim Aventinus Norica ſæpe miſceat Vindelicis, ipſe tamen etiam Velſerus citatus fol. 308. ſæpius uni plures Provincias demandatas, & ipſi Valeriano cum Rhætia Noricum attributum ſcribit; ſed de his alii, mihi ſufficiat, Ejulaſium Prætorem Norici, ac Styriæ noſtræ hoc tempore oſtendiſſe. *Evilaſius Prætor Norici.*

Sejungi a S. Maximiliano M. non debet, Coævus & Sodalis ejus S. Pelagius Martyr, eodem cum Maximiliano, Magiſtro Uranio Presbytero, ad excellentis virtutis gradum promotus, eodem Ejulaſio Præſide, ſed gravioribus longe ſuppliciis pro Chriſto interfectus, Emonæ an Conſtantiæ? litigatur, qua de controverſia, cum Styriam non concernat, videri poteſt Illuſtriſſimus Valvaſorius lib. 8. fol. 552. acta Bol- *S. Pelagius M. Emon.*

landi tom. 7. Maji fol. 15. Author Germaniæ Sacræ tom. 1. cap. 5. p. 36. aliique, id ægrius concipio, quomodo, ſi S. Pelagius Conſtantiæ ad Rhenum 28. Aug. ejusdem anni 284. quo S. Maximilianus Celejæ 12. Octobris ſub eodem Evilaſio Martyrium ſubiit, Evilaſius ſub paucorum menſium decurſu, Conſtantiæ ad Rhenum, & Celejæ in Styria ſententiam capitalem ferre potuerit.

Fl. Munatius Pan. Præſ. an. 286.

LXXIV. Maximiano ſimul cum Diocletiano Romanum Imperium regente ad an. 286. *Flavium Munatium Præſidem Pannoniæ*, ſicque partis Styriæ noſtræ lego; hac Pannoniæ Præfectura olim inſignem Munatium, abavum Amantii cujusdam fuiſſe, invenio apud Reineſium Claſſe 6. num. 71. ex veteri inſcriptione ſic habente:

MVNATIO. PLANCO.
PAVLINO. V. C. PRÆSIDI.
PANNON. PER. ANNOS. XVII.
CREPERIVS. AMANTIVS. V. C.
ABAVO. SVO.

Amantius Præſ. Pan.

Obſcura eſt utcunque inſcriptio, Amantius ille Præfectus erat Pannoniæ, & Sabariæ, ſummæ authoritatis, utpote, a quo aliorum locorum Præſides ſupremam ſententiam petere debebant, ut patet ex actis S. Quirini Epiſc. Sciſcianenſis & Martyris. Ad eundem Amantium, Diocletianus & Maximianus Aug. & Conſules an. 285. ſcripſere Singiduno & Serdica, ſub hoc titulo: *Flavio Munatio.* Aſt an Fl. Munatius, cum Munatio Planco Pauliſio? an item Flavius Munatius, cum Amantio? an tandem Amantius S. Quirini tortor, cum Creperio Amantio idem fuerit? & ægrum eſt, & inutile, multum ruminari, Amantium certe abnepotem Munatii Flavii vix fuiſſe ex eo colligo, quod hic an. 285. &c. Amantius vero an. 294. & 303. jam Pannoniæ Præfectus fuerit. *Creperianam* familiam equeſtrem acerrimam fuiſſe teſtatur Cicero in Verrem 1.

Diviſio orbis Rom. in 4. part.

LXXV. An. 292. dum præter Diocletianum, & Maximianum, Conſtantius Chlorus, & Galerianus Maximianus, Cæſarum nomine, cum Auguſtis, Romanum Imperium regere juberentur, diviſio orbis Romani in quatuor partes contigit, qua in ſectione & partitione Imperii, Styriam noſtram Galerio Maximiano cum Norico & Pannonia ſuperiore, attributam judico, Muratorius quidem in Annal. Ital. ad an. 299. docet, *Noricum & Pannoniam ſuperiorem* Maximiano Auguſto obveniſſe cum Italia, eo, quod poſt id tempus hæ Provinciæ ad Præfectum Prætorio Italiæ pertinuerint. At contrarium ex hiſce rationibus eruo: 1. teſte Victore in Cæſaribus cap. 39. docente Galerio *Illyrici ora ad uſque Ponti fretum commiſſa* fuiſſe, nomine vero Illyrici: Noricum cum Pannonia hoc tempore veniebat, etenim, quemadmodum Præfectura Prætorii ſerius in 4. partes eſt diviſa, ita *Illyricum Occidentale* (ſub quo Pannonia ſuperior & Noricum numerabatur) poſtea primum Præfecto Prætorio Italiæ eſt adjectum, ut oſtendit Pagius an. 365. num. 11. Zoſimus lib. 2. cap. 33. 2. teſte Prudentio hymno 7. conſtat, *Galerium* tempore S. Quirini Sciſcian. initio ſæc. 4. Martyrio affecti *Illyricos ſinus ditione urſiſſe*, in notitia etiam Imperii eædem Provinciæ ſemper Illyrico ſunt annumeratæ, cum itaque Galerio hac

Styria cum Norico & Pan. ſup. Galerio Maximiano data.

Cum & ſub Illyrico comprehenſ.

in

in diviſione Illyricum obtigerit, idem de Norico, & Pannonia ſuperiore, proin integra Styria noſtra ſentiendum arbitror.

LXXVI. Ad eundem an. 292. Megiſerus, & Author MS. Chron. Styriæ cum Aventino Norici Præſidem ſtatuunt Cajum Aquilinum, ita enim habet Aventinus in Diocletiano, *Carus Aquilinus Vir conſularis, biſce temporibus Vindelici limitis Dux fuit* Megiſerus lib. 3. cap. 8. ex Catal. Ducum Norici idipſum firmans Ejulaſium per 22. annos Carinthiæ præfuiſſe, Celeja perſequendi Chriſtiani nominis cauſa Clagenfurtum, inde Judenburgum, tandem in Auſtriam abiiſſe, atque dum in Ælio Cetienſi, Zeiſelmauer ſæviret, fulmine tactum periiſſe teſtatur, ſub cujus perſecutione S. Florianum cum Sociis paſſum, etiam Prevenhueberus tradidit: ſuperaddit Author MS. Chron. Styriæ tom. 1. c. 30. ab Aquilino hoc anno 326. Dravo pontem impoſitum (ubi nunc Villacum) ad repellendos Gothos, aſt eodem in prælio obiiſſe Aquilinum. Velſerus lib. 7. rer. Aug. Vindel. fol. 313. ad an. 303. ita ſcribit: *Gajus Præſes, vel utriusque Rhætiæ vel ſecundæ tantum, Auguſtæ jurisdictionem exercuit, & cum in Chriſtianos acerbam quæſtionem haberet, Afram &c. vivam exuri præcepit.* *Cajus Aquilinus an Norici Præſ. an. 292.*

Inſiſtendo regulæ 2. de Prætoribus Styriæ datæ, dici quidem poſſet, Aquilinum Præſidem Norico ſimul & Vindeliciæ præfuiſſe, obſtat tamen unica difficultas, cum enim in diviſione Imperii, hoc vel an. 304. ut vult Velſerus, facta, *Conſtantio Italia, qua utraque Rhætia comprehenſa, Galerio vero Illyricum*, atque cum hoc ſimul *Noricum & Pannonia* obtigerit, adduci non poſſum, ut credam, Cajum, qui Rhætiæ ſub Conſtantio præfuit, ſimul Illyrico, proin terris noſtris Galerio parentibus, jus dixiſſe; unde pro hoc diviſi in quatuor partes Romani Imperii ſtatu regulam aliam tenendam cenſeo, quam num. 87. ſtatuam. Id mihi certiſſimum, Cajum Aquilinum in duos eſſe Prætores diſſecandum, quorum Cajus Rhætiæ, Aquilinus Norico præfuit; nam ex actis S. Floriani conſtat, Aquilinum Præſidem Norici fuiſſe, & acta SS. Afræ & Sociarum, Caji ſeu Gaji Rhætiæ Præfecti mentionem faciunt, nec unquam acta hæc vel Velſerus, aliique probati Authores, Cajum hunc, ſimul Aquilinum nominant, & viciſſim Norici Præſes Aquilinus, nullibi Cajus vocatur. *Prætores Norici non amplius ſimul Vindeliciæ erant.* *Cajus Rhætiæ Aquilinus Norici Præſes.*

An vero Aquilinus hic, Norici non ſolum Ripenſis, ſed etiam Mediterranei Præſes fuerit? necdum ſatis dignoſco; ſi acta S. Victorini Martyris & Epiſcopi Petov. nomen Præſidis, ſub quo paſſus erat, pronuntiarent, concluſio inde ferri poſſet, hoc proin deficiente decidi nihil poteſt. *An etiam Norici Mediterr.*

LXXVII. Quoniam vero, ſi Aquilinus Præſes noſter fuit, ab Ejulaſii morte ſuccedere debuit, de morte jam Ejulaſii quædam audire libeat; quæ Megiſerus, & Author MS. Chron. Styr. adferunt de morte Ejulaſii, parum firma videntur, illud fors magis probabile, quod ex actis S. Fauſtæ legitur apud Author. Germ. Sacræ tom. 1. cap. 5. Ejulaſium nempe, ſub Maximiano primum Palatii, miſſum ad quæſtiones de Chriſtianis habendas Cyzicum ad Propontidem, a Fauſta Virgine, quam illæſam ex tormentis evaſiſſe ſtupebat, converſum, & Martyrio cum eadem coronatum fuiſſe, quod circa an. 305. contin- *Ejulaſii mors.* *An Martyr Chriſti.*

gere

gere potuit, nec id nimium ad ætatem Ejulaſii, nam ſe 80. annis vixiſſe ipſe teſtatur, ut habent acta S. Fauſtæ his verbis: *O Mulier! me ſtupore affeciſti, faciens opera mirabilia, ſum 80. annos natus,* & nunquam vidi talia. De hac S. Fauſta M. nec in Baronio, Pagio, Fleury, quidquam invenire poteram, colitur tamen 20. Septembris, & Martyrologium Romanum a Benedicto XIV. P. M. editum, ſequentia ad 20. Sept. habent. *Cyzici in Propontide natalis SS. Martyrum Fauſtæ V. & Evilaſii ſub Maximiano Imper. quorum Fauſta ab eodem Evilaſio idolorum Sacerdote decalvata, & ad turpitudinem raſa, ſuſpenſa & torta eſt, deinde, cum vellet eam mediam ſecare, & carnifices lædere non valerent, ſtupens Evilaſius in Chriſtum credidit, & dum ipſe Imperatoris juſſu fortiter torqueretur, Fauſta capite terebrata, clavis toto corpore confixa, & Sartagini ignitæ impoſita, cum eodem voce de cælo vocata, tranſivit ad Dominum;* Hæc Evilaſio Præſidi noſtro vix convenire videntur; quis enim eum e primo Palatii, idolorum Sacrificulum factum arbitretur.

Non tamen inde omnis probabilitas decedit docentibus Evilaſium Præſidem noſtrum, Martyrem ac Socium paſſionis S. Fauſtæ fuiſſe; contradicunt enim Martyrologio Romano Benedicti XIV. Papæ, quoad munus Sacrificuli in Evilaſio, quamplurima documenta in actis SS. Bollandi 20. Sept. fol. 140. &c. allata; nam 1. Beda & Florus habent de Ejulaſio: *Quam idem Evilaſius, cum eſſet primus Palatii, decalvari juſſit, & radi ad turpitudinem, erat autem Fauſta annorum 13. Evilaſius 80.* Subjungit his Joannes Cleo, *ubi juverit notaſſe, codices aliquot S. Fauſtæ 16. Evilaſio 70. annos tribuere, nec in metrico Acheriano eorum fieri memoriam.* Bedæ ſententiæ ſubſcribunt Rhabanus & Ado, parcius Uſuardus addens: *Quam idem Evilaſius, cum eſſet primus Palatii* - - Rhabanus ad 7. Jan. *Paſſio S. Fauſtæ V. ſub Maximiano Imp. qui Evilaſium, primum Palatii tortorem ſuum &c.* Ita etiam habent Notkerus ad diem 7. Jan. Martyrologium S. Maximini Trevirenſis, & Cartuſiæ colon. Menæum Græcorum & Baſilianum, ac Mombritius &c. 3. Acta ipſa horum Martyrum 20. Sept. apud Bollandum fol. 144. adducta *Evilaſium primum Palatii* ajunt, ad torquendam S. Fauſtam miſſum, cum itaque in Evilaſio, *primi Palatii munus*, non vero *Sacrificuli* agnoſcant Beda & alia documenta allata, probabilius mihi videtur, Evilaſium Martyrem, quam fulmine demiſſo exuſtum fuiſſe, cineribus per aera diſperſis; ut Megiſerus & Author Chron. Styriæ habent. Certe nec vita S. Maximiliani M. apud Pezium, nec aliud documentum, de hac cœleſti Nemeſi in Ejulaſium exercita quidpiam memorat: minime tamen inde Martyrologium Benedicti XIV. (cum idem ſit cum Baronii Martyrologio, aliqua ſolum ex parte auctum) acrem Tillemontii cenſuram meretur, quoniam acta Surii, & Mombritii, Evilaſium etiam idolorum Sacerdotem ſtatuunt; unde Joannes Cleo editor vitæ S. Fauſtæ apud Bollandum 20. Sept. fol. 142. ita de his ſententiam pronuntiat: *Atque ita quidem de edendis actis ego judico, eſſe veris aliqua ex commentis adjecta, quæ cum ſecerni omnino non poſſint, ſuſpecta reddunt quidem omnia, ſed non omnia fabuloſa & falſa, atque adeo de ſingulis judicium Lectori relinquo, certe quæ cum iis, quæ Beda & Florus narrat, conveniunt, videntur cæteris tutiora.*

LXXVIII. An. 294. cum nuptiæ Galerii, cum Valeria Diocletiani filia an. 292. celebratæ fuiſſent, diviſionem *Pannoniæ in Saviam, & Valeram* factam opinor, atque ex *Norico* hactenus unico, prodiiſſe *Ripenſi*, & *Mediterraneum*. Valeriam Styriæ noſtræ non convenire oſtenli Diſſert. 1. ejusdem vero Valeriæ nomine, civitatem inſtitutam fuiſſe, docent Ammianus, Marcellinus, Zoſimus lib. 2. & S. Ambroſius lib 2. cap. 4. in fine. Valeriam hanc Galerii uxorem pro fide paſſa fuiſſe ſub Diocletiano ſæculo 4. oſtendam, ex quo cadit Baronii ſententia hoc an. num. 2. docentis, eam non diu poſt hunc annum fuiſſe ſuperſtitem, Lactantius enim eam an. 313. adhuc vixiſſe docet lib. 50. *Pannonia, Savia, & Valeria Noricum Ripenſe, & Mediter. Valeria civitat.*

Antequam vero ulterius progrediar, regulis duabus, de Styriæ Prætoribus datis, tertiam ſuperaddere cogor, nempe hanc: *A tempore diviſi inter 4. Monarchas Romani Imperii, circa annum 292. non amplius iidem erant Vindeliciæ, ſeu Rhætiæ & Norici Prætores.* Ratio regulæ hujus petitur ex n. 76. cum enim Noricum & Pannonia ſuperior, proin omnis Styria, ſub nomine Illyrici Galerio ſubmiſſa fuerit, Rhætia vero, ſeu Vindelicia Maximiano Herculio, credibile non eſt, diverſas diverſorum Principum Provincias, unum eundemque Prætorem obtinuiſſe. *Regula 3. de Styriæ Pratoribus ſæc. 3. & 4.*

Inde ſequitur regula 4. *Tempore hoc, quo Pannonia ſuperior & utrumque Noricum, proin etiam Styria omnis, Illyrico eſt attributa, regebatur Styria noſtra primario per Præfectum Pannoniæ ſuperioris, teſte Pancirolo, proconſularem, qui tamen tempore perſecutionis ſæculi 4. initio cæptæ, varios alios ſub ſe Præſides & Capitalium rerum judices habuit.* Hanc regulam deduco ex Pancirolo Diſſert. 3. citato, & ex actis SS. Martyrum harum terrarum, non coram Præſide ſeu Vicario Sirmii, nec ſub Correctore Saviæ, ſed vel in *Pannonia ſuperiore*, coram *Præfecto ejus proconſulari* vel coram particularibus locorum Præſidibus & Judicibus Capitalibus paſſorum. Tandem notandum, Auguſtos, in Provinciis Cæſarum, ſummo tamen jure uſos fuiſſe, ut patet ex eorum legibus hiſce in terris ſtatutis. *Regula 4.*

LXXIX. S. Chryſogono I. Aquilejenſi Epiſcopo (de quo dubium, an Martyr fuerit) ſucceſſit ex mente Cl. de Rubeis, Chryſogonus II. ex calculo Danduli, nec enim Quirinus unquam Aquilej. vel Laureacenſis, ſed Sciſcianenſis ſolum fuit Epiſcopus. *Chriſogon. 2. Eq. Aquil.*

Pro Coronide ſæculi hujus, denuo marmor vetuſtum adfero, quod teſte Auth. German. Sacræ, in refodiendis veteris Coloniæ Apulenſis in Tranſylvania ruderibus inventum eſt, occaſione novi operis in muniendo Carloburgo, ſeu Carlſtadt ſuſcepti, inſcriptio ea an. 1723. juſſu Caroli VI. per Joſephum Arioſti centurionem Legionis Gejerianæ Viennam delata, hujus tenoris legitur;

SOLI.
Q. MARCIVS. VI
CTOR. FELIX. MA
XIMILIANVS. LEG.
AVGG. LEG. XIII. GEM.
PVLLA. IENÆ. CÆL

C. FACIVS.
ET. P. MARCIVS. VI
CTOR. MAXIMILI
ANVS. C. P. FILIVS.
VOTO.

Legio 13. gemina Caliana.

Ex qua inſcriptione cit. Author Germaniæ Sacræ colligit, *Legioni* 13. *geminæ* cognomen fuiſſe *Cælianæ*. At an a Celeja? denuo incertum. Dixi quidem num. 30. ex Tacito, hyberna 13. *Legionis* eo tempore *Petovione* fuiſſe an. nempe 69. inde tamen non confici poteſt, an a Celeja nomen habuerit. Nomen Maximiliani tempore Trajani jam viguiſſe, tuto concluditur, deſumptum fors ex nomine matris Maximillæ, uti a Poſthumia Poſthumiani, a Numeria Numeriani &c. ita Reineſius.

Sæc. 4. decima & ultima Chriſt. perſecutio.

LXXX. Initio ſæculi 4. Imperatores compoſitis bellorum externorum turbis, ad exſcindendam Chriſti legem, omnibus viribus conjurabant, Maximiano Herculio, & Galerio aliunde Chriſtianis infenſo, hic Diocletiani ſenis animum Criminationibus Chriſtianorum tamdiu pulſavit, ut moroſus tandem ſenex furori eorum conſentiret. Itaque 7. Kal. Martias perſecutio decima & ultima in Chriſtianos eſt decreta per omnem orbem Romanum, quæ in Italia mitior Conſantio ſatis in noſtros benigno, in terris vero noſtris, ſeu Styria, Norico ac Pannonia graviſſima exſtitit ſub Galerio impio homine, qui in uxorem propriam Valeriam furere, atque Diocletianum, ut ſimilia in Priſcam uxorem tentaret, concitare veritus non eſt, ambæ itaque fœminæ nobiliſſimæ, Priſca & Valeria, cum teſte Lactantio, Chriſtianorum ſacra colerent, ſacrificio pollui ſunt coactæ, quibus tamen invitis pollutio ea minime obfuit; Valeria, cum anno 311. atris adhuc ob mortem Galerii veſtibus induta, a Maximino ad matrimonium depoſceretur, ejecturo uxorem propriam, ſi Valeriam impetraſſet, cum conſtantiſſime renueret, a Maximino in furorem converſo, proſcripta bonis privata, cum matre Priſca in exilium eſt relegata, *cumque per varias Provincias is menſibus, plebejo cultu pervagata Theſſalonicæ tandem* cognita *& comprehenſa cum matre Priſca pœnas dedit*, teſte Lactantio cap. 51. *abſciſſis* nempe *capitibus, & corporibus in mare abjectis.* Hæc pro iis adduxi, quibus Valeria Provincia eadem cum Styria eſt.

Priſca & Valeria in eadem paſſa.

S. Victorinus Epiſc. Petov. Martyr.

LXXXI. Complures Chriſti Martyres, ea perſecutionis procella cœlo donavit, quos inter, præter Chryſogonum Aquilejæ & S. Florianum cum 40. ſociis ad Anaſum Martyres, etiam S. Victorinus Epiſcopus Petovienſis Martyrio glorioſo, vitam Sanctam coronavit 4. nonas Novembris, ut poſt Bedam Ado, Uſuardus, & Wandelbertus in Martyrologio verbis his memorat: *Quartis* (hoc eſt quarto nonas Novembris, ſeu 2. ejusdem Novembris) *Victorine ſacer, Martyrque beatis.* At quo certamine, pro Chriſto pugnaverit, ferro an fuſte, igne an unda? quinam glorioſi agonis teſtes, ſocii, æmuli, præcurſores, quos plurimos fuiſſe dubium non eſt, ignorare cogor, donec ejus acta in lucem prodeant. Ignotus pariter eſt Præſes, ſub quo Martyr vitam finiit; ſuſpicor tamen, vel ſub Martiniano, quem Norici Mediterranei Præſidem fuiſſe an. 314. dicam, vel ſub Amantio Pannoniæ ſuperioris Proconſulari, paſſum fuiſſe: pendet quæſtionis hujus deciſio multum

tum ex eo, an Petovium hoc tempore Norico an Pannoniæ ſuperiori fuerit adjudicatum.

Præterea S. Quirinus Epiſcopus Sciſcianenſis, S. Irenæus Epiſc. Sirmienſis, aliique plurimi pro Chriſto vitam dedere, quos enumerare, meum non eſt; varios tamen ex actis Martyrum horum, Præſides eruere licet, ſic Amantius ſuperioris Pannoniæ Præſes, Aquilinus Norici Ripenſis, Martinianus Mediterranei, Maximus Sciſciæ, Monatius Tergeſti, Dulcidius Aquilejæ erat Præfectus.

LXXXII. Irenæi Epiſcopi Sirmienſis Martyrium breviter attingo, ut ea, quæ de Eccleſiæ Sirmienſis per noſtras terras dignitate Metropolitica jactantur argumenta, facilius evaneſcant; Probus Præſes, poſtquam Montanum Presbyterum Eccleſiæ Singidunenſis morte mulctaſſet, in Irenæum quoque Epiſcopum Sirmienſem animadvertere ſtatuit. Tortus primo ac in carcerem detruſus, tandem capite plexus, in fluvium *Savum*, ſeu *Bozzetam* præcipitatus eſt. Quanquam vero S. Irenæus Sirmii paſſus fuerit (quod alii controvertunt) inde tamen pro Sirmienſi Metropoli nil concluditur, nam 1. acta S. Irenæi *prærogativam dignitatis ſuper cæteras Illyrici totius etiam Pannoniæ urbes complectentis* diſertis verbis ajunt, *poſtea additam fuiſſe*, ergo tempore S. Irenæi non fuit faſtigium Norici, Pannoniæ, & Illyrici. V. acta SS. 25. Martii. 2. Si Sirmium fuiſſet Metropolis, cur S. Irenæus e Sirmio in Pannoniam abductus fuiſſet, ut habent acta hujus Sancti 25. Martii apud Bollandum f. 555. quamvis vero MS. latina de hoc abductione in Pannoniam nil memorent, tamen in iisdem *Probus Pannoniæ* Præſes dicitur, nempe *inferioris* (nam ſuperioris Præſes erat Amantius) non vero Sirmii, vel Illyrici, ergone Sirmium Metropolis Præſidem proprium non habuit ibidem reſidentem? conſtat etiam ex actis Ruinarti apud Fleury, Probum Præſidem, nec in Illyrico, nec Sirmii reſediſſe, ſed ab uno in alium locum migraſſe. Singiduno, Sirmium, inde Cybalim &c. ex quibus proin concludo, Sirmium hoc tempore nec civilem, nec Eccleſiaſticam Metropolim fuiſſe, ſed ſolum urbem, & Comitatum Pannoniæ inferioris, ita habent acta SS. citata num. 1. *Sirmienſem Comitatum inferioris Pannoniæ, quam Raſciam dicimus*, appellantia, & P. Timon antiq. Hungar. imagine part. 1. cap. 8. ita ſcribit: *Socrates enim anno poſt Chriſti ortum 379. quo Theodoſius a Gratiano Imp. dictus eſt Auguſtus, vicitque Gothos, Sirmium Illyrico adſcribit*, atque eo an. Sirmium Pannoniæ ablatum, Illyrico adſcriptum hujus caput, non antea eſſe potuit.

S. Irenæus Ep. Sirm. Martyr.

Sirmium n. fuit h. temp. metrop.

LXXXIII. An. 305. dum Diocletianus & Maximianus Imperium abdicant, Conſtantium & Galerium Auguſtos, Severum, & Dajam Maximinum Cæſares, excluſo Conſtantino M. pronunciant, nova Imperii Romani diviſio facta eſt, qua Noricum, & Pannonia, proin Styria noſtra, cum Illyrico, ſub Galerio quidem permanſit, eo tamen diſcrimine, ut Galerius antea Cæſar, Dux Illyrici & Pannoniorum, modo Auguſtus, ſui loco, Prætorem Proconſularem Amantium, Pannoniæ ſuperiori præficeret, eique minores alios Præſides ſubordinaret; denuo ſæviſſime cum Chriſtianis actum, immo a Galerio ipſi Conſtantino inſidiæ ita ſtructæ, ut fugere compelleretur, qui dein an. 306. Conſtantio Chloro patre mortuo Cæſar & Auguſtus a militibus eſt ac-

Imperii nova diviſio an. 305. Styria ſub Galerio, & Amantio Pann. Proconſulari.

Fides Christi sub Constantino.

clamatus, sub quo mox alia rerum facies occidenti inducta est, nam teste Lactantio: *Constantinus nihil egit prius, quam Christianos cultui, ac Deo suo reddere;* blanditus inde Constantino, & populo Maxentius, Christianos persequi, & cultu suo prohibere noluit. Tandem Imperio Romano sub annum 307. sex Imperatores præfuere, nempe Galerius, Licinius, Maximinus, Constantinus, Herculius, & Maxentius, ut testantur Pagius & Fleury. Quid mirum, si Imperium sexticeps, sexcentis involveretur turbis!

Sex Imper.

Magnentius non fuit Nor. Præt.

LXXXIV. Corrigendi ad hunc annum veniunt errores Megiseri, aliorumque circa Prætores Styriæ; statuit Megiserus lib. 4. cap. 2. Cajo Aquilino succesisse Magnentium Norici Prætorem, cæsos ad Villacum ab Aquilino Gothos, eumque navi mersum somniat, sicque ei a Constantino in terris nostris (quæ tamen Galerio solum parebant) Magnentium suffectum narrat, ex Catalogo Ducum Norici idem statuit Illustrissimus Valvasorius lib. 14. fol. 175. sed ad epocham tardiorem, Aventinus Magnentium, Ducem Rhætici & Vindelici limitis scribit in Constantio lib. 2. Annal. Bojor. fol. 197. Velserus tamen lib. 7. rer. Augustan. fol. 317. longe aliter rem narrat: *Magnentium*, inquiens, *Rhætici, Vindelicique limitis Ducem appellat Aventinus, sequutus hoc unum, quod homines nonnulli docti, errore nominis decepti, Augustæ purpuram sumpsisse prodidere, cum Augustoduni sumpserit.*

Minus verum est, Magnentium Norici Prætorem fuisse, licet enim id Catalogus Ducum Norici adstruat, nuspiam tamen id probari satis potest, tum quod non Constantinus, sed Galerius Noricum regeret, proin Magnentius a Constantino Prætor decerni non potuerit: tum quod constet Martinianum terris nostris Præfectum fuisse; bellum illud Gothicum, quo obiisse Aquilinus dicitur, nemo refert, ex eo autem, quod Magnentius in Illyrico pugnaverit, ut suo loco pandetur, ex eo autem, quod Magnentius dein in Illyrico pugnaverit, Ducem *Illyrici* vix quisquam inferet, cum Imperium in Galliis solum attentaverit.

Nec Decentius ejus frater.

Errori novo materiam substravit in Prætoribus Styriæ MS. Chron. Styriæ Author, dum Magnentii loco, Decentium fratrem statuit Styriæ Præsidem, asserti testem assignat Aventinum, in quo tamen de Decentio terrarum nostrarum Præside nihil invenio, sententiam itaque hanc, undique destitutam facile prætereo.

Agapetus, & Theodorus Ep. Aquilej.

LXXXV. Dum post Chrysogonum II. distinctum ab illo Chrysogono Monacho Aquilejæ, cui sub Chromatio Episc. Aquilej. scripsit S. Hieronymus, Agapetus, ac posthac Theodorus Aquilejensem regeret Ecclesiam, Galerio, morbus ulceris pessimi in parte inferiori genitalium insanabilis, a Deo in pœnam odii in Christianos est immissus, dum illico alter Christianorum hostis Maximianus Herculius eliso superbissimo gutture, in pœnam intentatæ Constantino necis, vitam finivit, quibus pœnis fractus Maxentius loca Sacra Christianis reddidit, ut testatur, Chirographum Maxentii Melchiadi Papæ datum.

Styria sub Licinio.

Absumpto fœda morte Galerio, *Noricum* cum *Pannonia utraque*, sicque *Styria nostra*, ad Licinium, Christianis nondum infestum pervenit, Constantinus devictis Germanis, Maximino bellum denuntianti, in Italiam obviam se fudit, cui se mox Italia tota cum Aquileja subjecit,

Romæ

Romæ exercitus Conſtantini dum eſſet adhibitus, Crucis ſignum in cœlo radioſa ex luce figuratum aſpectabile fuit, legebantur & hæ voces: *In hoc ſigno vinces*, vel ut alii, *vince*, exorto 6ta ante Kal. Nov. die prælio Maxentii equites fuſi, pedites obtriti, cæteri fuga præcipiti per pontem fluvii Milvii contendebant, Maxentius ipſe, & ſuo & ſuorum timore pavidus, fugiens, e ponte fugientium multitudine preſſus, in fluvium deturbatus periit, ſicque pax Eccleſiæ Chriſti data eſt emiſſis. in orbem omnem Romanum decretis de Chriſtianæ Religionis libertate, quibus collega Licinius repugnare non potuit. *Pax Eccleſiæ an. 312.*

Inito ſic inter Conſtantinum & Licinium fœdere, nuptiis Conſtantiæ ſororis Conſtantini firmato, *Noricum & Pannonia* ſicque Styria quoque noſtra Religionis libertate frui cœpit. *In Styria.*

LXXXVI. Non tamen diu licuit Patriæ noſtræ, ſua Sacra colere, nam anno 314. dum Concilium Arelatenſe, cui *Theodorus Epiſcopus, & Agathon Diaconus, de civitate Aquileja* etiam aderant, celebraretur, rupta eſt concordia inter Licinium & Conſtantinum, & Conſtantini ſtatuæ Æmonæ ſeu Labaci dejectæ. Cauſam refert Euſebius, malum nempe Licinii in Chriſtianos animum, initio quidem Conſtantini metu ſimulatum: Inde apertum tandem prorupit bellum, quo Conſtantinus collecto 20. militum peditatu, & adjunctis equitum copiis, per *Noricum & Pannoniam*, Cibalim uſque inoffenſo pede pervenit, quo in loco prælio acri conſerto Licinius victus, Sirmium inde in Daciam fugiens ægre evaſit, Conſtantinus veſtigia premens fugientis, Cibali & Sirmio captis, denuo in campo Mardienſi, ſecundo victum Licinium ad pacem adegit, Valentemque Mæſiæ limitis Ducem a Licinio, Cæſarem factum depoſuit. *Concordia inter Licin. & Conſt. M. rupta a. 314.* *Licinij victi.*

Plura hic de Styria enodanda ſunt: 1. an Styri pro Licinio contra Conſtantinum pugnaverint? vix hæreo, cum enim Licinius Styriæ Dominus, hoc tempore fuerit, etiam reluctantes Styros noſtros, pro ſe ut pugnarent, adegerit, patet id magis ex eo, quod Conſtantinus per *Noricum & Pannoniam* proin *Styriam noſtram*, exercitum ſuum inoffenſo pede in Illyricum duxerit, cum enim Licinius terras ſuas omni milite ſpoliaret, ac vires omnes ad Cibalim & in Mæſia contraheret, terra noſtra, in parte præſertim ad Savum ſita, per quam Mediolano in Illyricum copias ſuas Conſtantinus duxiſſe videtur, omni milite vacua & exhauſta fuerit. 2. Forſitan hoc in bello, ſi tamen Megiſero fidendum, Aquilinus Norici Præſes pontem vicino Dravo imponens obierit, certe combinari ægre poteſt, quomodo Aquilinus in bello illo contra Germanos & Gothos ſuſcepto, in vicinia Villaci, mari merſus fuerit, quid enim Germanis & Gothis in Dalmatia & mari Adriatico hoc tempore agendum erat? 3. Pacis novæ inter Conſtantinum M. & Licinium factæ, hæ conditiones erant. *Licinius Orientem, Aſiam, Thraciam, Mæſiam minorem, Scythiam poſſideret, Conſtantinus imperaret Illyriis & nationibus cæteris, quotquot ulterius eſſent porrectæ, filii Conſtantini Criſpus & Conſtantinus, filius etiam Licinii, Licinius aliis Licinianus, Cæſares fierent.* Ita Zoſimus lib. 2. cap. 19. Conſtantini cæteroquin hoſtis & calumniator acerrimus. *Styri pro Licinio pugnant.* *Conſtantini exercitus per Styriam ad Savum progreditur.* *Aquilinus Nor. Præſ. mari an merſus.* *Condit. pacis.*

Styria ſub Conſtant. M.

LXXXVII. Ex his pacis conditionibus perſpicuum fit cum *Illyrico*, *Noricum*, *Pannonias*, & *Dalmatiam*, ſicque etiam *Styriam noſtram*, a Licinio ad Conſtantinum M. fuiſſe translatam. Rem hanc geſtam, magnis lætitiæ ſignis per urbes Styriæ fuiſſe celebratam, docent marmora plura Conſtantino M. poſita, quorum nonnulla ad ætatem noſtram uſque perſtitere, primum eorum viſitur in caſtro Leibnizenſi, Epiſcopi, & Principis Seccov. palatio his verbis:

D. N. FL. CONSTANTINO.
MAXIMO. BEATISSIMO.
AC. SVPRA. OMNES. RETRO.
PRINCIPES. PIISSIMO.
SEMPER. AVGVSTO.
BONO. REIPVBLICÆ. NATO.

Aliud marmor Celejæ, intra urbis pomœria hanc inſcriptionem habet:

D. N. FL. CONSTANTINO.
CLEMENTISSIMO. ATQVE.
VICTORI. AVG.
MARTINIANVS. V. P. PRÆSES.
PROVINCIÆ. NORICI. MEDITERRANEI.
D. N. M. Q. EIVS.

Martinian. Styr. Præſes Celejæ reſid.

Marmor hoc ex Grutero erutum, invicte nobis Præſidem terrarum noſtrarum exhibet *Martinianum*, ſeu ut Illuſtr. Valvaſorius lib. 14. fol. 172. ait *Martianum*, Celejæ, ut ex antiquis aliis marmoribus conſtare docet, reſidentem, cujus tamen Aventinus Megiſerus & Author MS. Chron. Styriæ non meminere, aliosque incertos, dubios, uti Magnentium Decentium &c. inſeruere; ego certe plus antiquis his marmoribus, quam Catalogo Ducum Norici tribuo, nec mirari multum oportet, quod diſtinctos Norici Ripenſis & Mediterranei Præſides hoc tempore legamus; nam eodem hoc ſæculo etiam Pannonia inferior, Illyricum &c. ſuos habuit Præſides, omnes tamen, ut dixi, Præfecto Proconſulari ſuperioris Pannoniæ ſubordinatos: quo vero tempore, tot & diſtincti Præſides ſingulis Provinciis dati fuerint? non conſtat certo, judico tamen, id vel tempore diviſi inter 4. Imperatores imperii, vel tempore perſecutionis ultimæ & ſæviſſimæ factum, ut ſic tortores, magno jam Chriſtianorum numero indies aucto ſuppeterent plures.

In Styria fides Chriſti floret.

LXXXVIII. Latis ſic in Styria Chriſtianæ fidei cum regimine Conſtantini incrementis, religioſæ pacis quies, ſub Licinio ambigua, reflorere ſecure cœpit, indeque tanti Principis benevolentia, uſi Aquilejenſes Præſules ad reſtituendas Eccleſias, & firmandam Chriſti fidem animum adjecere; dum interim Licinius Chriſtianos in Orientis partibus exagitaret, ſub quo tamen Theodorum Epiſc. Aquilejenſem paſſum fuiſſe non eſt credibile, tum quod Aquileja Licinio non pareret, tum quod Conſtantinus M. anno 319. & ſequentibus tribus annis in Pannonia, Sirmii, vel Sabariæ aut in Dacia Serdicæ, Naiſſo ferme ſemper conſiſteret, ut oſtendit Pagius hoc an. 319. num. 10. contra Baron. num. 28., illud cum de Rubeis tutiſſime ſentiendum arbitror, Theo-

S. Theodoro Ep. Aquil. ſucc. Benedictus.

doro

doro circa hoc tempus in Cathedra Aquilejenſi ſucceſſiſſe Benedictum: Interim circa an. 324. dum Licinius Conſtantinum bello Gothico in Pannonia occupatum videret, aggredi eundem ſtatuit, belli initia circa an. 322. jacta, quæ ſeq. an. in bellum erupere, quo, an. 324. Licinius terra, marique victus, una cum Martiniano a ſe Cæſare facto, debitas mortis pœnas deprecante Conſtantia uxore, Conſtantini ſorore evaſit, vitam dein privatam agere juſſus, quod, cum non faceret, resque novas moliretur laqueo præfocante occiſus eſt, Martiniano militibus ad necem tradito.

LXXXIX. Martinianum audivimus a Licinio Cæſarem factum, & dein cum eodem occiſum. Pagius an. 324. num. 7. eum Auguſtum factum probat ex nummo apud Mediobarbum hujus inſcriptionis: *D. N. Martinianus P. F. Aug.* quæritur jam, an Martinianus hic idem fuerit, quem ſuperius Styriæ & Norici Mediterranei Præſidem fuiſſe oſtendi. Martinianum a Licinio Cæſarem factum, *Ordinum Palatinorum Ducem* (quem *Romani Magiſtrum officiorum* vocant) fuiſſe, teſtatur Zoſimus, plura de eo non inveni, non fuiſſe autem Licinii ex Conſtantia filium, hoc an. juvenem 11. annorum (Conſtantia enim Licinio anno 313. nupſerat) ex eo colligo, quod in tenella ætate, licet Cæſar & Auguſtus eſſe potuerit, nondum tamen *Dux Ordinum Palatinorum*, vel *Magiſter officiorum* conſtitutus fuerit, nec ei Licinius, rebus jam ſuis diffiſus hoc in bello confidere potuiſſe videatur, præterea nemo, quod memini, præter Licinium juniorem, Martinianum, Licinio Auguſto filium tribuit. *Martinianus Cæſar an Præſes Styriæ.*

An itaque Martinianus hic Cæſar & cum Licinio cæſus, ille ipſe fuerit, qui Præſes olim noſter, præter conjecturam nominis, argumenta alia probantia non adſunt, quod ſi ita, Martinianus jam ſub Licinio Norici Mediter. Præſes eique addictiſſimus, occaſione commoda obtenta, a Conſtantino deſciſcere debuit, atque Licinio adhærere.

XC. Celebrato ſub an. 325. celeberrimo 318. Patrum Nicæno Concilio I. generali, quinam ex noſtris adfuerint Epiſcopis? inquirendum judico. *Domnum Pannoniæ*, ſeu *Stridonienſem Epiſcopum* acta plurima præſentem fuiſſe docent, ſed is, uti & alii plures Styriam non concernunt, neque vero etiam Aquilejenſem Epiſcopum Benedictum, nec Petovienſem, vel Celejenſem adfuiſſe ex actis lego. V. acta Conc. apud Labbæum Harduinum, & Baronium &c. Suſpicor tamen plures non ſolum e Germania, ſed etiam ex partibus noſtris adfuiſſe Epiſcopos, quamvis eorum nomina non ſint in actis expreſſa, *quia*, ut inquit Harduinus, *occidentalium nomina ideo non ſunt ſcripta, quia nulla apud eos de hæreſi ſuſpicio fuit*; Arii nempe, quæ hoc in Concilio confixa eſt. Petovienſi Eccleſiæ quis poſt S. Victorinum Martyrem ſucceſſerit? nondum ſum aſſecutus, cum S. Marci Epiſc. Petov. ætas ad finem ſæculi hujus florentis nimium extendi videatur, Aprianus forte præfuerit Epiſcopus, de quo plura ſuo loco. Celejæ an jam reſederit Epiſcopus? obſcurum quoque eſt. Tenacem Epiſc. Celej. Inchofferus quidem Conc. Aquilejæ an. 381. habito præſentem facit, qui tamen in tota ſerie illorum Epiſcoporum non invenitur apud Harduinum tom. 1. col. 834. Joannes Celejanus Epiſc. quem Ughellus male Clariſſimum vocat, *Nicænum I. Æcumen. Conc. an. 325.* *An ei Epiſcopi Styri adfuerint.* *Tenax an Epiſc. Celej.*

Conc.

Conc. Gradenſi ſæc. 6. præſens, nondum lucem communem aſpexit, ut adeo, ſi etiam præſentes fuiſſent Epiſcopi noſtri, eorum nomina tamen, quia non ſcripta in ſerie Episcop. Nicæni Concilii, hactenus lateant.

Præfecti 4. Prætorio inſtituti an. 332,

XCI. Poſt Sarmatas, Germanos, Gothosque a Conſtantino M. devictos, mutatio rei civilis & militaris ſub eodem eſt facta circa an. 332. nam, cum teſte Zoſimo, duo antea eſſent Præfecti Prætorio, Conſtantinus quatuor eſſe voluit, qui proin non amplius Duces militiæ, ſed rei ſolum publicæ adminiſtri, & ſuprémi cauſarum pro Principe erant arbitri, & ſic etiam Romanum Imperium in 4. Præfecturas eſt diviſum, primus horum erat *Præfectus Prætorio Orientis*, a morte Licinii, Conſtantino quoque ſubjecti, alter *Prætorio Illyrici*, tertius *Prætorio Italiæ*, & quartus *Prætorio Galliarum.*

Styria ſub Præf. Prætorio Italiæ.

Styria noſtra ſub Præfecto Prætorio Italiæ conſtituebatur, huic enim *tres Diœceſes* parebant, *Italiæ*, *Illyrici*, & *Africæ*, cumque Styria noſtra hoc tempore ſub Illyrico comprehenderetur, neceſſario eodem Præfecto Prætorio Italiæ ſubeſſe debuit, ſub quo Illyricum, ſicque *Pannonia prima*, *ſecunda*, *Savia*, *Dalmatia*, cum utroque Norico audebat; patet hoc ex notitia imperii, quæ exſtat in legibus ab Imper. Theodoſio jun. ſuo codici inſertis, atque in corpore juris univ. edit. Gothofredi apud Labb. in act. Concil. Velſero pag. 351. ex qua inter Duces, ſub Præfecto Prætorio Italiæ conſtitutos leguntur: *Duces Pannoniæ primæ*, *Norici Ripenſis*, *Pannoniæ ſecundæ*, *Valeriæ Ripenſis* lege ſeu *Ripenſis Pannoniæ*, ut v. Diſſert. 1. §. 8. dein *Præſides per Illyricum 4. Dalmatiarum*, *Pannoniæ primæ*, *Norici Mediterranei*, *Norici Ripenſis.* Unde Styriam ſub Præfecto Prætorio Italiæ paruiſſe nemo non videt.

Imperii diviſio inter Conſtantin. M. filios an. 335.

XCII. An. 335. dum Conſtantinus a Tyrienſis Conciliabuli Epiſcopis, Valente præſertim & Urſacio, Murſenſis & Singidun. Eccleſ. Præſulibus deceptus, S. Athanaſium Treviros in exilium ablegaret, ſimul Provincias inter filios ſuos dividere cœpit, ut ſaluti regnorum ſuorum conſuleret, Conſtantino filio natu maximo, Hiſpania, Gallia, Germania trans Rhenana, & Britannia ceſſit, Conſtantio Oriens, Aſia, Syria, & Ægyptus, Conſtanti, Africa, Italia & Illyricum, proinde etiam *Styria noſtra*; Dalmatio fratris filio attribuit ripam Gothicam, ſeu, ut Victor in epitome, Thraciam, Macedoniam, & Achajam, Annibaliano vero gentes Pontices, Armeniam minorem & Cappadociam, hunc que *Regem Regum*, *Cæſarem* illum appellavit, ita Anonym. Valeſianus, aliique.

Styria ſub Conſtante.

Wandali in Pannonia.

Eodem hoc vel ſeq. anno Wandalos a Gothis devictos recepit *in Pannoniam* Conſtantinus, in qua dein per 40. annos circiter Imperatorum decretis, ut incolæ vixerunt; quæ vero in loca Pannoniæ locati fuerint? non concordant Authores, Hier. Pez Diſſert. 3. §. 21. tom. 1. Script. Auſtr. in Auſtria transcetiana Illuſtr. Valvaſorius tom. 2. lib. 5. fol. 133. in ſuperiore Pannonia & Valeria. Proin ut ſentit idem, in Auſtriæ & Styriæ infer. partibus reponit. Si vetera marmora Celejæ, & infer. Styriæ exſtarent omnia, forſitan receptus eorum facile dignoſci poſſet, ſed his vel deperditis, vel mala mente deſtructis, plura nobis Styriæ monumenta deſunt, Poppovich in notis ad diſquiſitiones

risam

maris refert ſimiles caſus incuriæ & ignorantiæ vix tolerandæ, nam an. 1715. in circulo Celejenſi ad locum Reinitz, non procul a regio Oppido Hocheneck, in agro cujusdam ruſtici, columna pulcherrima, & poſt 10. annos in reparatione viæ regiæ, 5. lapides ſtadiorum Romanorum, eruti fuerunt, lapides hi an. 1728. Viennam abducti, in atrio Cæſareæ Vindobon. Bibliothecæ repoſiti ſunt, tanquam teſtes Romanæ viæ ex tabula Theodoſiana Celeja Petovium directæ; pejus fatum ſubiit columna ſupra nominata, in loco Reinitz, vindico idiomate *Jivonza*, nam, cum huic columnæ ſcalpro inciſa eſſet integra notitia (forte fœderum, victoriarum) cum numero VI. in ſignum diſtantiæ 6. milliarium Italicarum, ſeu VI. M. P. ſex mille paſſuum, a Celeja Petovium verſus, ruſticus, e cujus agro eruta eſt, avaritia ductus eam, ſculptori Labacenſi tribus florenis vendidit, filius quidem ejus patri perſuadere voluit, ut columnam eam in medio vici, in perpetuam antiquitatis memoriam erigi curaret, ſed prævaluit avaritia ſeniculi patris; qua in re magis culpandam cenſeo vicinorum plebanorum incuriam: qui eam ſæpius prætereuntes, & a ruſticis rogitati, ut, quidnam columnæ hujus inſcriptio contineret, eisdem exponerent, cum forte nec legere litteras antiquas noſſent, minus adhuc ejusdem deſcriptionem curarunt.

Celej. marmora varia.

In loco Reinitz.

Alius quidam ejusdem loci Plebanus, poſt aliquot annos, antiquitates & monumenta Styriæ noſtræ amplius neglexit, immo penitus delevit. Eccleſia S. Margarethæ in via Celejenſi Petovium verſus ſita, atque a Celeja vix II. M. P. ſeu duobus millibus paſſuum diſtans lapidibus noviter ſternenda erat, cum lapides deeſſent, marmora antiqua adhibuit, ex quibus antiquitates Celejæ præſertim, eruditi haurire potuiſſent; plurima ſimilia marmora videntur in molendino vicino, ac in Cathedra hujus Eccleſiæ, e ſimilibus Quadris lapidibus conflata, in quibus Plebanus dictus, velut hoſtis Patriæ & eruditi orbis, ſcripturas veteres ſcalpro, data opera, deleri juſſerat: ita nempe ethnicorum memoriam proſtravit Deus, ut in pœnam talionis eraderetur e terra viventium, & nomen ejus non memoraretur amplius, Jerem. 11. verſ. 19.

In Eccleſ. S. Margaretæ.

XCIII. Altero a Conſtantini M. morte anno nempe 338. nova quidem Provinciarum partitio in Pannonia facta eſt, quæ tamen Styriam noſtram, ſub Conſtante rite Catholico intactam reliquit, ſatisque felicem, niſi ex parte turbas moviſſent Valens, & Urſacius Murſenſis & Singidunenſis Eccleſiarum Epiſcopi peſſimi, etenim, cum urgente Conſtantino juniore, unanimi fratrum conſenſu S. Athanaſius exilio ſuo liber, redire ad ſedem permitteretur, Benedictus interim Aquilejæ Epiſcopus an. 339. vel 343. diem ſupremum obiit, ſucceſſit Fortunatianus aliis Fortunatus, ſcriptis in Evangelia commentariis celebris, at non ſine turbis electus, cum Valens & Urſacius Ariani Epiſcopi, eum ſibi honorem prenſare attentarent, & quidem ſeditione commota, qua, ut ait epiſtola Synodica PP. Sardicenſium ad Julium Papam, *unus ex fratribus noſtris, qui fugere non potuit, Viator*, aliis *Victor*, *obrutus & conculcatus in eadem Aquilejenſium civitate die tertia defecit*, ſeu mortuus

Conſtantini M. mors an. 337.

S. Athanaſius ab exil. liber a. 338

Bened. Ep. Aquilej. moritur.

Fortunatianus ſucceſſ.

eſt, Valens tamen ſua *relicta Eccleſia aliam invadere* volens, repulſus eſt, & Fortunatiani electio prævaluit;

Conſtantino II. dein an. 340. non longe ab Aquileja interfecto Conſtans, terrarum noſtrarum Dominus, pacem cum Francis, quos *de Pannonia digreſſos*, ex traditione multorum Gregorius Turon. docuit, fecit, ut terras ſuas hoſtibus liberaret; hoſtes tamen fidei, hæreticos Arianos ſatis cohibere non potuit Conſtans, licet fidei Catholicæ egregius cultor, nam dum Photinus impius Sirmii Epiſcopus, cum Valente & Urſacio paris furfuris ſociis primis Arii diſcipulis, terras Conſtantis, Styriæque noſtræ vicinas contagione Magiſtri ſui inficerent, ne Patria virus hoc combiberet, effeciſſe videntur, Fortunatianus Aquilejenſis, cæterique Styriæ Epiſcopi Romanæ fidei devotiſſimi.

Arii hæreſis Styriæ ſat vicina.

Apriauus Epiſc. Petov. an. 347.

XCIV. Quemdam Styriæ noſtræ Præſulem, *Aprianum Petovienſem Epiſcopum* (quem num. 90. S. Victorino Martyri, ea in ſede ſucceſſiſſe ſuſpicabar) detegit epiſtola 2. Sancti Athanaſii ad Mareoticam Eccleſiam e Sardicenſi Synodo Gener. hujus anni nempe 347. data, in qua meminit *Apriani de Petabione Pannoniæ & Marci Sciſcianenſis Saviæ Epiſcopi*, qui quoniam cum Athanaſio ſalutem Eccleſiæ Mareoticæ ab Arianis preſſæ apprecentur, recte de Orthodoxa fide ſenſiſſe ſunt credendi. Adfuiſſe hunc Epiſcopum ſtrenuum Conc. Generali Sardicenſi, cum Fortunatiano Aquilejenſi aliisque, non dubito, quamvis inter ſubſcriptos terrarum noſtrarum Epiſcopos non legatur, etenim, cum antea pro grege ſuo laboraverit, ne virus Arii eundem inficeret, Concilio huic, damnandis denuo Arianis, ac Sanctis Canonibus conſtituendis, indicto, præſentiam ſuam exhibuiſſe procul dubio opinor.

Sardicenſe Oecumen. Conc.

S. Athanaſius Styriæ multum prodeſt.

Plurimum conſervandæ in Styria Orthodoxæ fidei contulerit his temporibus S. Athanaſius per itinera ſua in terris noſtris ſuſcepta, etenim jam an. 338. per *Pannoniam*, *Noricum*, & *Rhætias* pedeſtri itinere in Gallias abiens, Styriæ noſtræ terminos ex parte attigiſſe videtur, dein an. 346. Mediolanenſi 1. Concilio, mox Sardicenſi Oecumenico præſens, an. 349. acceptis a Conſtante Imper. litteris, Aquilejam ſe contulit, exceptusque ibidem hoſpitio a Fortunatiano Aquilejenſi Epiſc. hoc Comite Valentem allocutum ſe fuiſſe teſtatur, aderant vero ſimul Aquilejæ Valens & Urſacius Pſeudo-Epiſcopi, Arii hæreſim ſimulate proſcribentes, a quibus, ne perverteretur Fortunatianus, ſolicite cavit Athanaſius, tandem, ubi Conſtantem ultimo ſalutavit Aquilejæ, ſecundo Danubio *per Vindeliciam*, *Noricum*, & *Pannoniam* in Mæſiam, ac Thraciam eſt profectus, magnoque ſic Patriæ noſtræ bono factum opinor, ut Athanaſius non ſolum terras *Norici & Pannoniæ* tranſierit, ſed etiam Aquilejæ hæſerit, Diœceſis enim hæc inde, cum omnibus membris ſuis illibata ab Arianæ pravitatis veneno remanſit, licet circa terminos ejus, Ariani non pauci, Photinus Sirmii, Valens Murſæ, Urſacius Singiduni contra fidem Orthodoxam conjurarent.

Conſtans Imper. necatur 350. Conſtantius Imp. Dom. Styriæ.

XCV. Peſſimo Styriæ & fidei Orthodoxæ fato an. 350. Conſtans Imp. Catholicus, & Styriæ noſtræ Dominus in Galliis occiſus eſt a Magnentio, cui proin frater Conſtantius omnia permiſcens, & Princeps Arianus ſucceſſit, ſub quo Arii impietas in Occidentem, terrasque noſtras eſt diffuſa; interim vero in Galliis Magnentius Conſtantis

parrici-

parricida, purpuram ſumpſit, & fratrem ſuum Decentium Cæſarem dixit, nec terra noſtra his ſub turbis tyranno caruit, nam *Vetranio Dux Pannonicarum legionum* Kal. Martii *ſuarum legionum ſuffragio dictus eſt Imperator, & apud Murſam, Pannoniæ Oppidum ſubſtitit;* ſed callidus, ut erat Conſtantius, Vetranionem hunc, virum ſimplicem, ac bonum ſibi contra Magnentium devinxit, atque ad ſe 8. Kal. Decembr. invitatum per milites purpura exutum, privatam in Bithynia vitam ducere juſſit, & ſic Styria, cum Norico & Pannonia, ſine gutta ſanguinis ad Conſtantium eſt devoluta. *Vetranio Dux Pannon. Imp. deponitur.*

Magnentii potentia Conſtantio adhuc reſtiterat, qui, ut Conſtantium præveniret, copiis ſuis Aquilejam obſedit, alpes præſidiis munivit, tractisque poſt ſe numeroſis Celtarum auxiliis bellum inferre videbatur, non defendere; primum prope Sciſciam a Magnentianis petiti milites Conſtantii, & lapidibus fere obruti, dein Magnentius fraudem oblatæ pacis veritus ex Italiæ & Carniæ finibus educto exercitu, & *per agrum Petovionenſem Pannoniæ* infuſo, Sciſcia capta, omnia prope Savum loca invaſit, maximaque præda collecta Sirmium abiit, ubi fortuna invita pugnavit Magnentius, repulſus enim, Murſæ cum prælium ſubiret, cæſis ſuorum 24. millibus victas dare manus debuit an. dein 353. cum fratre necatus. *Magnentius Aquilejam obſidet,* *Per agrum Petovienſ. venit.*

XCVI. Clades hæc Magnentio illata Styriæ & Orthodoxæ fidei damno fuit, Styriæ, cum ea bello hoc petita fuerit inferiore ſui parte, agro nempe Petovienſi ac Celejenſi, qui procul dubio injurias belli ſenſerit, rapinis militum in tranſitu ſaltem expoſitus, Orthodoxæ vero fidei pene exitio ea clades fuit teſte Sulpitio Severo lib. 2. pag. 345. nam, quo tempore Murſæ dimicabatur, Conſtantius in Baſilica Martyrum extra Oppidum ſita cum Valente Epiſc. Murſenſi morabatur, Valens callide rem per ſuos diſpoſuerat, ut prælii eventum primus cognoſceret, accepto itaque nuntio primus hoſtes fugere narrat, cum Conſtantius nuntium admitti peteret, Valens reverentiam ſibi & ſectæ ſuæ facturus, Angelum ſibi fuiſſe nuntium reſpondit, ut adeo male credulus Imperator palam dein diceret, ſe Valentis meritis, non virtute exercitus viciſſe, atque ab hoc tempore extulere animos Ariani, probe gnari, ſe poſthac poteſtate Regis uſuros, ubi authoritate partim valuiſſent. Mox itaque prima Sirmienſis Synodus hoc an. 351. habita eſt, in qua quidem formula probe Catholica edita, Photinus jam antea Mediolani & Romæ damnatus, ac exauthoratus, denuo depoſitus eſt ſuffecto Germinio Epiſcopo, a fide Orthodoxa alieno, in S. Athanaſium quidem aperte nil ſtatutum, tacite tamen inſurrexiſſe in eum PP. Sirmienſes, docet S. Hilarius, eo, quod Marcellum Photini Magiſtrum, tanquam aliud quid agendo, cauſæ Photini immiſcuiſſent, qui tamen cum Athanaſio in Conc. Sardicenſi fuerat abſolutus. De Epocha Concilii non diſputo, ante an. 357. habitum quam plurima perſuadent. *Styriæ damna hoc in bello.* *Et fidei Cathol.* *Sirmienſ. 1. Concil. & formula an. 351.*

XCVII. Atque hoc tempore contigiſſe reor, quod ſcribit Severus, *ut omnes fere duarum Pannoniarum Epiſcopi in perfidiam Arianorum conjurarent*, cum enim an. 352. Sirmii hyemem exigeret Conſtantius, cum Valenti omnem reverentiam ſe debere arbitraretur, obſeſſus veluti ab Arianis, fidei Catholicæ, ac avitæ obeſſe nil verebatur;

batur; obſtitit tamen ex parte Magnentius, qui Aquilejam, ut rite muniret, ſex montibus caſtella impoſuit, at ubi Italiam a ſe deſciſcere advertit, pacem ſupplex a Conſtantio petiit, qui tamen parricidæ veniam, tyrano pacem indulgere fas eſſe non arbitrabatur, inde Magnentius Aquilejam & Italiam deſerens intra alpes Cottias perfugium quæſivit, ſed tertia denuo clade a Conſtantii militibus illata, Lugduni, primum matri, dein ſibi violentas manus intulit 3. Idus Auguſt. an. 353. Decentius ejus frater, obtorta laqueo cervice 15. Kal. Sept. vita humana exceſſit.

Magnentius & Decentius victi & caſi an. 353.

Avus & Nevitan. fuere Prætores Styriæ.

Jam ſupra num. 84. oſtendi, Magnentium & Decentium non fuiſſe Styriæ noſtræ Prætores, novos his ſubſtituunt Megiſerus, Author MS. Chron. Styriæ & Aventinus, hic quidem lib. 2. Annal. Bojor. Avum, & Nevitam, illi Nevitam ſolum; *Nevitam*, an. 361. *Judicem* a Juliano electum, atque, ut Ammianus habet, *equeſtri Præpoſitum turbæ*, dein *Conſulem* fuiſſe lego, *Avum* vero *virum eximium*, ex quibus nollem concludere eos Styriæ vel Norici Præſides fuiſſe; Velſerus ſane neutrius meminit; quinam ergo fuerint Præſides Norici ac Styriæ hoc tempore? ſi quæratur, reſpondebo, eos æque ac alia plura monumenta latere, etenim non video cauſam, cur ſi alia antiqua documenta nobis vetuſtas temporum invidit, Præſides in aprico ponere debuiſſet.

Conſtantius Imp. perſequitur Catholi. an. 353.

XCVIII. Conſtantius interea bello civili per Magnentium & aſſeclas geſto coronidem impoſuit, ſed Eccleſiæ Dei, & viris ſanæ fidei bellum novum indixit; fortuna enim Conſtantii animati Ariani in Orthodoxos inſurrexere, quibuscum dein arma ſua in Eccleſiam Catholicam ſtrinxit Conſtantius, hos inter Valens Murſenſis, & Urſacius Singidunenſis ad Arii vomitum rediere, mentiti, ſe a Conſtante ad Arii dogma fuiſſe compulſos; Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Catholicus juſſu Conſtantii ſede motus, Athanaſius in Conciliabulo Arelat. depoſitus fracto minis Liberii Papæ Legato, Vincentio Capuano: hæc præludia erant incendii Ariani fere totum orbem abſumentis.

Galli Cæſaris fata.

Galli Cæſaris mors quædam de Styriæ rebus continet, Gallus hic antea a Conſtantio Cæſar factus, domitis Judæis, Conſtantii invidiam ſubiit, augebatque malam Galli ſortem Thalaſſus Præfectus Prætorio, Gallo, neſcio, qua de cauſa iratus: itaque ex Oriente in Occidentem

Petovii capitur.

inſidiis pellectus eſt, dumque veniret *Petovionem Styriæ urbem*, ibidem per Barbationem Comitem, & Apodemium in rebus agentem, captus, purpura privatus, vilique carpento abductus Polam Iſtriæ urbem, non

In Iſtria necat.

procul inde in inſula Flanona, colligatis latronum more manibus, capite truncatus, aulicæ fortunæ ludibria experiri debuit, tota ejus familia exciſa, ut refert Zoſimus lib. 3. cap. 2. iniquos ejus delatores, mala morte periiſſe, docet Ammianus, Marcellinus apud Illuſtr. Valvaſor. lib. 14. fol. 187.

Petovii gentiliſſimus.

Petovii gentiliſſimum hoc tempore, inter milites ſaltem viguiſſe teſtatur ara ibidem, ſeu in urbe, ſeu in agro Petovienſi a tribunis Prætorianorum militum erecta, eodem hoc tempore, quo Galli factio opprimebatur, ut ait inſcriptio ſequens:

RPÆ-

PRÆSTITI. IOVI. S. TRIB. COH. X. PRÆTOR.
CVLTOR. NVMINIS. IPSIVS. PROFICISCENS
AD. OPPRIMENDAM. FACTIONEM. GALLI.
ARAM. ISTAM. POSVIT.

Ex qua inſcriptione proin patet, Gallum res novas molitum, & forſitan imperium ipſum meditatum fuiſſe, ad cujus factionem cohibendam milites Prætoriani Petovium ſunt miſſi; erat vero Gallus annorum 29. ab an. 351. Cæſar, tertium Conſul, Ario addictus.

Sabaria Styriæ noſtræ vicina, binos nobis Martinos dedit, Sanctum utrumque, Martinum nempe Bracarenſem Archiep. de quo ſæc. 6. & S. Martinum Turon. in Galliis Præſulem, Sabariæ gentilibus, ſtatu non infimis parentibus natum, Pater enim ejus Tribunus ordines ducebat, a primis annis ſanctitatem, cum ſpiraret Martinus, anno ætatis 10. Catechumenus fieri petiit parentibus invitis, ex eremo ad militiam raptus, cum pauperi dimidiatam veſtem dediſſet, Domini voce recreatus, ad Baptiſmum convolavit depoſita militia, ſecumque Tribunum ſuum ad ſacrum Chriſti vexillum pertraxit. *S. Martin. Turon. nat. Sabar. baptiſm.*

XCIX. An. 355. Fortunatianus Epiſcopus Aquilejenſis, Conſtantii minis a fide Catholica, ad dogma Arii eſt delapſus, nam dum in Conc. Mediolanenſi hujus anni *omnia*, ut ait S. Athanaſius *ex hæreticorum Conſilio & cohortatu agerentur*, exortis inter Catholicos, & Arii ſectatores turbis, Concilium ex Eccleſia in palatium Imperatoris Conſtantii eſt translatum, *metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio ſtudio conſervabat*; in palatio itaque epiſtola lecta eſt omni pravitate plena, quam populus in Eccleſia averſabatur, Imperator dein præcepit, ut damnationi Athanaſii omnes Epiſcopi ſubſcriberent, immo eosdem renuentes diſtricto gladio urgebat, quosdamque ad ſupplicium abripi ſinebat, quam tamen ſententiam dein mutabat. Dionyſius Mediolan., Euſebius Vercellenſis, Lucifer Coloritanus, aliique in exilium acti, Hilarius Legatus Rom. Eccleſiæ, nudus virgis cæſus & illuſus eſt a Valente, Urſacio, & Eunuchis aulæ. *Mediolan. Conc. 355.* *Fortunatianus Ep. Aquilej. a ſide lapſus.*

Submotis his columnis, proruit etiam Eccleſiæ Aquilejenſis, & Styriæ noſtræ Primas Fortunatianus Epiſcopus, & quidem tam inſanabili errore, ut non ſolum ipſe Arii dogma amplecteretur, ſed etiam Liberium Romanum Pontificem (quod dire queritur S. Hieron. de Script. Eccl.) *pro fide ad exilium pergentem primus ſolicitare* fuerit auſus; an Aprianus Petov. Epiſcopus his erroribus conſenſerit, vel pro fide Catholica ſteterit? omnino ignotum eſt. Atque hoc erat initium perſecutionis a Conſtantio urgentibus Valente, & Urſacio, in Orthodoxos motæ.

C. Annis ſequentibus 357. & 358. Sirmienſe 2. & 3. Conciliabulum eſt conflatum, & in ſecundo quidem omni ex parte hæretico formula 2. Sirmienſis blaſphema & Ariana, Authore Potamio Epiſc. Ulyſſiponenſi, ad Arianos transfuga eſt confecta, in tertio Conciliabulo mutata eſt formula Sirmienſis, & ex modulo Arianorum, in Semi-Arianorum placita a Marco Arethuſio eſt transfuſa: ſecundæ ac impiæ formulæ Sirmienſi Oſius Cordubenſ. Epiſc. tormentis fractus an. 358. ſubſcripſit; Liberius vero Papa tertiæ ſemi-Arianæ formulæ *Sirmienſ. 2. Concil. & formula an. 357.* *Sirm. 3. Concil. & formula an. 358.*

ſubſcripſiſſe videtur, tum quod ea Ariana non fuerit, tum quod Athanaſium damnaverit, & cum ſemi-Arianis communicaverit, qua de cauſa Sanctus Hilarius aliique anathema Liberio Papæ dixerunt, eo quod plurimis ſcandalum & anſa erroris ac defectionis fuerit.

Fortunatiani Aquil. perverſitas ſeducit P. Liberium.

Ingentis hujus ſcandali in Liberio cauſa unica Fortunatianus Epiſc. Aquilejenſis fuit, etenim non ſolum Liberium *ſollicitavit, fregit, atque ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit*, teſte S. Hier. ſed eo etiam progreſſus eſt audaciæ, ut malo cœpto pergens, confictas perferre, & mittere epiſtolas ad Epiſcopos præſumeret, in quibus fingebatur, Liberium initio Pontificatus dediſſe Athanaſio litteras, ut Romam veniret, eumque mandatis Papæ obtrectaſſe, indeque datas alias a Liberio litteras ad Orientis Epiſcopos, quibus Athanaſius alienus a conſortio Romanæ Eccleſiæ declarabatur: litteræ hæ habentur in fragmento 4. apud Hilarium.

Styria Arianiſmo involuta.

Hæc ubi Fortunatianus cum Liberio Papa eſt auſus, ſimilia in abſtrahendis a fide Orthodoxa *Norici*, *Pannoniæque* Epiſcopis eum tentaſſe, mihi minime dubium eſt, præſertim, ubi Valentis & Urſacii clientelam jam erat profeſſus, quorum artibus, ut ſcribit Severus, *omnes fere duarum Pannoniarum Epiſcopi*, cum Illyrico & Oriente, in fraudem ſunt pellecti; Styriam itaque noſtram, Arianorum communione infectam; ſuſpicor, cum omnes circum circa Epiſcopos corruptos, cum primo paſtore Aquilejenſi conſtet, quanquam, quid de Celejenſi & Petovienſi Epiſcopis ſentiam? vix ſuppetat; Sulpitius Severus certe in vita S. Martini Turon. teſtatur, *hæreſim Arianam per totum orbem, & maxime circa Illyricum pullulaſſe, & eum*, nempe S. Martinum, *adverſus perfidiam Sacerdotum, ſolum pene acerrime pugnaſſe*, qui proin Styriam ab hac labe immunem fuiſſe contenderit, ſatis diſpiciet, eam ſibi extra orbem conſtituendam eſſe.

Ariminenſe Conc. 359.

CI. Perduravit hæc Catholicorum perſecutio dira ad mortem uſque Conſtantii Imperatoris an. 361. conſecutam, nam poſt Concilium Ariminenſe an. 359. coactum, initio quidem Catholicum, turpi tamen fine corruptum, divina tandem ultio in Conſtantium exarſit, dum Julianus Apoſtata an. 360. Auguſtus dictus Conſtantium præventurus, *per Rhætias & Noricum, Danubio ſecundo devectus Pannoniam*, tandemque *Sirmium* cum 20. millium exercitu devenit, ſed brevi poſt 3. Nonas Novembr. an. 361. ad tribunal Dei evocatus eſt Conſtantius fidei & vitæ ſuæ rationem redditurus: Conſtantii funere curato, ubi regimen adiit Julianus, ut Chriſtianos, quos publice non audebat, clam perſequeretur, omnes æqualiter Orthodoxæ, & Arianæ fidei Epiſcopos ſuis locis reſtituit, ſperans fore, ut hi ſe invicem exagitarent; edictum tamen illud maxime in perniciem veræ fidei vergebat, quo noſtri a tradendis Grammaticæ & Rhætoricæ diſciplinis extorres ſunt facti, ita enim juventus Chriſtiana vel ſcholis abeſſe, vel ſub ethnicis præceptoribus erudiri debuit.

Julianus Apoſt. Aug.

Conſtantius Imp. obit 361.

Julianus Apoſt. obit 363. Jovianus Imper.

Sed etiam his malis, vindicis Supremi dextera, brevi populum Chriſtianum redemit, Juliano bello Perſico extincto, & Joviano egregie Catholico, Imperatore acclamato ſub an. 363. qui, ſua ut Chriſtianis redderentur templa, cum aliis favoribus, dato decreto cavit.

CII.

CII. Joviano poſt 8. regiminis menſes, e vivis ſublato an. 364., ſucceſſere militum ſuffragiis Valentinianus & Valens fratres, ambo e *Pannonia*, ut Jovianus, orti; Valentinianus Occidentem omnem, excepta Thracia, ſibi reſervavit, hanc vero cum Ægypto & Aſia Valenti ceſſit: *Styria* proin, pars Norici & Pannoniæ, ſub Illyrico Valentiniano paruit. Aquilejæ etiam Epiſcopalis ſedes per mortem Fortunatiani vacare cœpit, qui an in fide Catholica obierit? an Arianus, vel ſemi-Arianus fuerit? fuſe diſcutit P. de Rubeis *Valerianus Epiſcopus factus*, Dandulo teſte, *ſua doctrina & exemplo Arianam perfidiam fugavit, & ſubditum ſibi populum in agnitionem puræ fidei non ſolum induxit, ſed & in perſeverantia ſolidavit.*

Styria ſub Valentiniano anno 364.

Fortunatiano Epiſc. Aquilej. ſucc. Valeriano.

Teſte Ammiano Marcellino lib. 26. cap. 4. Valenti ianus Imperator, ordinatis Illyrici rebus, *Sirmio per Pannoniam, Noricumque in Carnos movit*, indeque in Italiam celerrimo itinere contendit, ut Alemannorum in Gallias ac Rhætias, Quadorum & Sarmatarum in Pannonias motibus reſiſteret, iter hoc Valentiniani *per Pannoniam, Noricumque in Carnos*, omnino per *Styriam inferiorem ad Dravum & Savum* ſitam factum fuiſſe videtur, at quinam fuerint *Carni?* quorum hic mentio fit, non eſt adeo clarum. Schönlebenius apparatu Carniol. antiq. pag. 35. §. 8. eos, olim incolas alpium, & oræ ad mare Adriat cum ſitæ accolas fuiſſe judicat ex textu Strabonis lib. 5. dicentis, *quæ trans Padum ſunt, Veneti incolunt, & Iſtri ad Polam uſque, ſupra Venetos ſunt Carni*, limites antiquæ Carniæ, confuſi admodum ſunt & incerti, illud certius, tardiore ævo, nomen Carnorum, Carinthis æque ac Carniolis fuiſſe adjectum.

Valentinianus Imper. per Styr. infer. movet.

Carni qui?

CIII. Poſt Conciliabulum Singiduni an. 366. ac Romanam primam ſub Damaſo Synodum, ad erigendos in Arii dogma lapſorum Epiſcoporum animos celebratam eodem anno, Valerianus Epiſcopus Aquilejenſis, Illyricum omne, ac Diœceſim ſuam proin etiam Styriam noſtram ab hæreſi purgare cœpit circa an. 369. id quod per præſtantiſſimos Eccleſiæ Aquilejenſis viros, feliciſſime perfecit; erant hi Chromatius Presbyter, dein Epiſcopus, Jovinus Archidiaconus, Euſebius Diaconus, Monaſterium etiam Aquilejenſe ad debitum virtutis religioſæ tramitem ordinatum, ex quo dein prodiere, Heliodorus Epiſcopus, Nepotianus ejusdem patruelis, Nicæas Subdiaconus Chryſogonus Monachus, Bonoſus, Florentinus, omnes Valeriani diſcipuli, quo in Monaſterio Rufinus ille notiſſimus Presbyter Aquilejenſis, poſt baptiſmum vixit; hiſce armis inſtructus Valerianus, facili opera Arii hæreſim e Diœceſi ſua expulit, ita, ut epiſtola Catholica Epiſcoporum Italiæ ad Epiſcopos Illyrici hoc tempore circiter data jam præferret titulum, *dilectiſſimis fratribus per Illyricum, fidem paternam retinentibus.* Refloruiſſe ſic in Styria noſtra, Illyrico adhuc contenta, veram Chriſti fidem, ſpeciali Supremi Numinis providentia, & Valeriani Paſtoris vigilantia, eo facilius colligo, quod Styria ſi quam etiam fidei maculam contraxit, eam ad aliorum vicinorum exempla ſubito depoſuerit, nec pertinax unquam fidei paternæ exſtiterit, niſi ſæcula duo poſtrema, Lutheri veneno infecta demamus. An vero in Styria, uti in Carniolia hocce tempore jam exſtiterint Monaſteria? documenta, quæ probent,

Valerianus Ep. Aquil. diœceſim ſuam, proin Styr. ab hæreſi Arii purgat.

Styria ab hæreſi Arii purgatur.

bent, non adſunt, Æmonæ exſtitiſſe Monaſterium virorum, & virginum, manifeſto docet S. Hier. in epiſt. ad *Antonium Monachum Hemonæ & Virgines Hemonenſes* ſcripta tom. 4. oper. edit. Pariſ. epiſt. 11. & 12. pag. 17.

CIV. Plura adſunt documenta, quæ Styriam noſtram cum Illyrico ab omni Arianæ labis impuritate reductam oſtendunt, favente præſertim Valentiniano Imperatore Catholicæ fidei ſtudioſo, muniendis interim contra hoſtes, novis operibus, Laureaco, Comorræ aliisque locis intento. Valerianus nempe Epiſcopus Aquilejenſis, dum initium converſioni ſuæ Diœceſeos prioribus annis fecerat, an. 372. a Synodo Romana 2. ſub Damaſo Papa celebrata redux, ut in Illyrico Synodus pro Orthodoxa fide, contra Arianam pravitatem haberetur, mandatis Valentiniani & Gratiani Augg effecit: Styriam noſtram cum Illyrico ab hæreſi jam repurgatam comprobat epiſtola Epiſcoporum Italiæ ad Illyricos data, proſtans apud Harduinum tom. 1. Conc. col. 772. &c. item col. 746. in qua ſic habetur: *Illyricum etiam Deum clementi nutu reſpexiſſe gaudemus, & conſortio infidelitatis, quo gravabatur, abjecto, ea, quæ ſunt rectæ ſententiæ, probare cæpiſſe, gaudemus*, & in Synodo Illyrici, hoc anno, incertum, quo loco, coacta, ajunt Patres collecti: *Cum in unum eſſemus coacti, & diu multumque de ſalutari verbo diſceptatum eſſet, tandem confirmavimus Trinitatem conſubſtantialem eſſe, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum &c.* V. Harduinum Conc. collect. tom. 1. col. 794. Labb. tom. 2. pag. 974. Gaviſus eſt deſuper, gratulatusque Valeriano Aquilejenſi Præſuli S. Baſilius binis epiſtolis, quas videre licet tom. 3. epiſt. S. Baſilii Epiſc. pag. 181. epiſt. 40. & 41.

Æquitius Com. Illyr.

CV. Liceat a rebus ſacris ad profanas Patriæ noſtræ aliquantulum mentem convertere; an. 364. Æquitio Comiti cura exercitus Illyriciani eſt commiſſa, an. 370. munitio Laureaci, Comorræ an. ſeq. demandata eidem, tandem Comes Illyrici cum eſſet, Provinciasque iniquis & acerbis exactionibus vexaret, Quados & Sarmatas rebelles fecit an. 373., quod ubi advertit, bellicoſæ genti dandum quidpiam arbitrabatur, ne importuno tempore tumultus cieret, ſed *Maximinus Præfectus Prætorio, homo Pannonius*, & faſtu plenus effecit, ut Marcellino, vel Marcelliano filio, tum *Pannoniæ Valeriæ* Duci rei ſumma committeretur, qui juventute ferax, non modo opus intermiſſum urgebat, ſed Gabinium etiam Quadorum Regem, modeſte deprecantem, nefaria officii ſimulatione ad cœnam adhibitum hoſpitales inter epulas obtruncari juſſit, ut refert Ammianus Marcellinus lib. 29. cap. 6. quæ res Pannoniæ & terris noſtris terrori fuit; nam Quadi iniquiſſima Regis ſui nece efferati, vires univerſæ Germaniæ collegerunt, meſſeque inſtante anni 374. utramque Pannoniam incurſabant, favebant Quadis omnia, rarus in his terris miles Romanus, utpote in Africam abductus, Creuſa ipſa Conſtantii filia, Gratiani ſponſa, hoſtibus prope ſpolium ceſſiſſet, ni *Meſſala Pannoniæ Rector*, carpento impoſitam, citatis equis in tutiora abduxiſſet, verbo, lacerata omnis regio, *legiones Mæſica, ac Pannonica* turpiter victæ a Sarmatis Quadorum ſociis, omnia oppida Pannoniæ terrore fracta.

Maximinus Præf. Prætor.

Marcellinus Valeriæ Dux.

Gabinium Quador. Reg. necat.

Bellum ingens in Pannon.

Meſſala Pannoniæ Rector.

Quid

Quid *Styriæ noſtræ* his in turbis acciderit? ægerrime divinandum eſt, terrore repletam, cum reliquis Pannoniæ locis nil dubito, damni tamen non multum ſubiiſſe, ex eo colligo, tum quod Quadi trans Danubium locati, Auſtriæ & Hungariæ vicini fuerint, ut patet ex monumentis Laureaco, Comorra &c. contra eos an. 370. erectis, tum quod hoc in bello omnes ſuas vires in Pannoniam Valeriam converterint, quam non eſſe eandem cum Styria oſtendi. Differt. 1. audientes enim Quadi Æquitium, quem cauſam munimentorum contra ſe erigendorum arbitrabantur, *in Pannonia Valeria* morari, eam terram præcipue hoſtiliter petebant: tandem cum inter exciſa & obſeſſa a Quadis oppida, nullum Styriæ, ſed *Sirmium*, *Opitergium*, *Aquileja* memorentur, conjicio eos intra anni terminum, Styriam ultra terminos forte Saviæ non attigiſſe; victi enim ſunt an. 375. Quadi ad *Aciucum* (hodie *Budam*) *Bregetione*, & *Sabariæ* hyberna ſtatuta, quæ loca omnia Hungariæ, non Styriæ noſtræ propria ſunt. *Styriæ in hoc bello damna.*

Ex his corruit omnis illa Authoris MS. Chron. Styr. narratio & fides, qui, quæ de Quadis ex Ammiano Marcellino allata ſunt, Marcomannis Sueviæ populis ſub Rege Gabinio refert, atque dein Patriam noſtram primum in ſuperiorem & inferiorem diviſam ſcribit ita ut ſuperior ſub Præfectis Romanis, inferior ſub Marcomannis deinceps regeretur, cum enim hæc omnia Ammianus ignoraverit, cum Valeria diſtincta a Styria Provincia fuerit, hiſce refutandis minime immoror, idque ſolum cenſeo, defuncto ſub hoc anno Valentiniano I. Auguſto *Bregetione* (quem locum Aventinus Strigonium vel Poſonium, alii Comorram appellant, Idatius in faſtis Coſſ. *Caſtellum Virgitionem* nominat) cum Gratianus & Valentinianus II. puer quadrimulus patri ſucceſſiſſent, huic a Gratiano cum Africa tota & Italia, Illyricum proin Styriam noſtram fuiſſe relictam. *Styria ſub Valentiniano II. an. 375.*

CVI. Gothicum Bellum an. 376. & ſeq. Styriam noſtram non parum commovit, Gothi Ario dediti, Pannoniam & Europam omnem penetraturi videbantur, Oriens primum ſub Valente tentatus, qui abſoluto bello Perſico mox aderat eorum potentiam cohibiturus, quoniam vero ſolus non ſufficeret tantæ multitudini, ſubmiſit Gratianus *Frigeridum Ducem cum Pannonicis & transalpinis auxiliis*, proin e *Styria etiam noſtra* petitis; cui, cum articulorum morbo retineretur, *Richomeres* Dux ſubſtitutus eſt, non multum tamen in Gothos multitudine ſuperiores proficiens. Anno ſeq. Gratianus Imp. cum exercitu *in Pannoniam & Noricum* venit, Valens non exſpectato Gratiano, Gothos Hadrianopoli aggreſſus, victus vulnere accepto, in Caſa ruſtica exuſtus eſt dirus Chriſtianorum perſecutor. *Gothicum bellum an. 377.* *Frigeridus Dux leg. Pannon. & Richomeres.*

Gothicum hoc bellum extremum Pannoniæ, proin etiam Patriæ noſtræ fatum attulit, quamvis enim Gothos hoc tempore Pannoniam nondum incoluiſſe credam, Pannoniæ ſe tamen hoc bello infudere, ultima certe Stridonio, teſte Hieronymo, ab iis illata eſt clades, qua cum reliquis urbibus everſum pariter S. Hieronymus in ſua ad Heliodorum epiſt. declarat; Petovio quoque nocuiſſe Gothos, ex actis Conc. Aquilej. ad an. 381. apud Harduinum tom. 1. col. 836. eruo; præerat Eccleſiæ Petovienſi *S. Marcus* Epiſcopus, Apriani, ut col- *Petovium urbs a Gothis cingit.* *S. Marcus Ep. Petov. expellit.*

ligo, ſucceſſor, dum itaque Gothi Petovium obſiderent Ariani dogmatis cultores, Juliani Valentis Pſeudo-Epiſcopi Ariani ſcelere factum eſt, ut S. Marcus Epiſcopus Petovienſis, Homouſion profeſſus, ſua ſede a Gothis pelleretur, eique Julianus Valens Arianus Præſul Gothorum favore ſuccederet; non tulit plebs Catholica Petovienſis, hanc Præſulis ſui dejectionem, moxque Juliano Valente exauthorato, Paſtorem ſuum Sanctum & Catholicum Marcum reduxit, Julianus Valens inuſtum ſibi dedecus ulturus, urbem Petovionem Gothis prodidit; ita docent litteræ Conc. Aquilej. citatæ ad Auguſtos datæ his verbis: *Moveat pietatem veſtram ſacerdotale nomen, quod ille ſacrilegus* (Julianus Valens) *infamat, qui etiam ſuorum vocibus, ſiqui tamen ſupereſſe poſſunt, arguitur nefandi ſceleris - - - nam primo Petavione ſuperpoſitus fuerat S. Viro Marco, admirabilis memoriæ Sacerdoti, ſed poſteaquam deformiter a plebe ejectus eſt, qui Petavione eſſe non poterat, is nunc Mediolani poſt everſionem Patriæ, ne dicamus, proditionem latet.* Antecedentia epiſtolæ verba plura pandunt, *nam quidem de ejus* (Attali Presbyteri Ariani) *Magiſtro Juliano Valente dicemus? qui cum eſſet proximus, declinavit Sacerdotale concilium, ne everſæ Patriæ, perditorumque civium præſtare cauſas, Sacerdotibus cogeretur, qui etiam torquem, ut aſſerit, & brachiales* (aliis brachiale) *Gothica impietate profanatas, more indutus gentilium, auſus ſit in conſpectum exercitus Romani prodire, quod ſine dubio non ſolum in Sacerdote, ſacrilegium, ſed etiam in quocunque eſt Chriſtiano, etenim abhorret a more Romano, niſi forte ſic ſolent, idololatræ Sacerdotes prodire Gothorum.*

Julianus Valens Petov. Pſeudo-Epiſcop.

Ejectus urbem Gothis prodit.

CVII. Ex hac epiſtola colligo ſequentia: 1. Urbem Petovionem a peſſimo hoc Chriſtianorum flamine, Juliano Valente, Gothis prodi. tam, ab iisque everſam, ita enim indicant verba hæc: *poſt everſionem Patriæ.* 2. Julianum hunc Valentem, fuiſſe Arianæ impietatis profeſſum, magiſtrum ac ſeductorem Palladii, Attali in Concil. Aquil. convictorum ac damnatorum. 3. Eum poſt everſionem Petovii in Italiam abiiſſe, ſimilesque ſibi ſocios, Epiſcopos, & Presbyteros, Arianos nempe impia temeritate ordinaſſe, *certe* verba ſunt epiſtolæ citatæ, *domum repetat ſuam, non contaminet florentiſſimas Italiæ civitates, qui nunc illicitis ordinationibus, conſimiles ſui ſociat ſibi, & ſeminarium quærit impietatis novæ atque perfidiæ, per quosque perditos derelinquere, qui Epiſcopus eſſe nec cœpit*, per quæ ultima verba Julianus Valens diſtinguitur a Valente Murſenſi Epiſcopo, cujus in eodem Concilio fit mentio his verbis: *Qui jam dudum Epiſcopus eſſe cœpit.*

Petovium a Gothis everſum an. 378.

Juliani Valent. Petov. Pſeudo-Epiſc. crimina.

Diſtinctus a Valente Murſ. Epiſc.

At cur Julianus Valens a PP. Concilii Aquilejenſis *domum repetere ſuam*, Mediolano nempe, jubetur? cur de eo dicitur, *ne everſæ Patriæ &c. cauſas præſtare cogeretur?* an forte in Styria & quidem Petovii natus eſt? cenſeo, quod ita, etenim PP. Aquilejenſes everſum ope ejus Petovium, nunquam ejusdem *Patriam* dixiſſent, ni inde quoque oriundus fuiſſet, ſedes enim Epiſcopi, ejus Patria dici nequit, niſi verbis ludere placeat, quod de Conc. Aquilejenſis PP. ſupponendum non eſt;

Julianus Valens natus Petov.

CVIII. Gratianus, extincto Valente patruo, *relicta Pannonia* eodem hoc an. 378. Conſtantinopolim abire debuit, Orientis poſſeſſionem

Imperii nova diviſio an. 378.

nem aditurus, mox tamen ob turbas temporis hujus Sirmium rediit ibique Theodoſium ad 14. Kal Febr. in conſortium Imperii adſcivit, traditis ei Aſia, Thracia, Ægypto, Mæſia, utraque Macedonia & Græcia, cum *Illyrico Orientali* (quod Græciam totam, cujus caput Theſſalonica erat, complectebatur) Gratianus vero cum Valentiniano, Occidentem inter ſe diviſere, nempe Gratianus Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam, Valentinianus vero Italiam, Africam, & *Illyricum Occidentale* obtinuit. *Illyrici diviſio prima in Orient. & Occident.*

Ante hæc itaque tempora, teſte Pagio ad an. 380. num. 4. &c. nunquam diviſum Illyricum apud probatos Authores invenietur, etenim ſub Conſtantino & Conſtante totum Illyricum Occidentali Imperio eſt aſſertum, Valentinianus ſenior eodem modo Illyricum cum Occidente ſibi reſervavit, an. 368. dum Probus Illyrici Præfectus eſſet, Diœceſis Macedoniæ ſub Occidente fuiſſe probatur ex lib. 7. Theodoſ. de Metall. Valentiniano II. etiam primis temporibus integrum Illyricum cum Occidente paruit, hoc vero anno, dum Theodoſio relictus eſt Oriens, diviſum eſt quoque Illyricum, & Orientale, cum Oriente Theodoſio, Occidentale vero Valentiniano II. relictum.

Illyricum porro *Orientale*, duas Diœceſes habuit, Macedoniam & Daciam, ac Diœceſis Macedoniæ Metropolis Theſſalonica erat, cujus Epiſcopus totius Illyrici Primatem agebat; continebat vero Macedoniæ Diœceſis, Macedoniam primam, & ſecundam, Theſſaliam, Achajam, atque utramque Epirum, parebatque Illyricum Orientale Præfecto Prætorio Illyrici, *Occidentale* vero *Illyricum* ſubſe habebat Pannonias duas, utrumque Noricum, & cæteras Provincias ſub Præfecto Prætorio Italiæ conſtitutas, ſicque *Styria noſtra* utraque ſui parte ſub Illyrico Occidentali eſſe cœpit, ac Valentiniani II. imperio paruit: & ab hoc tempore Sirmium Metropolis Provinciæ Illyricianæ Sirmienſis evaſit, ut ad an. 381. in Conc. Aquilej. pluribus oſtendam. *Utriusque Provinciæ Metropoles.* *Styria ſub Illyrico Occident. & Valent. II.*

CIX. Diviſo ſic Illyrico, de Gothis Patriæ noſtræ hoſtibus reliqua ſunt expendenda: partem Gothorum, ſeu *Weſegothorum* Occidentis incolarum. ad diſtinctionem *Oſtrogothorum* in Oriente, Patriæ noſtræ ad Dravum amnem ſe inſudiſſe, ex dictis de Petovio conſtat, Duces eorum Alatheus, & Saphrax ad alpes uſque Julias ſe extenderunt, immo, ut ait S. Ambroſius in epiſt. ad Gratianum: *Omnem Valeriam, Pannoniorum totum illum limitem ſacrilegis pariter, & barbaris vocibus, audivimus inhorrentem*, ex quibus, quamvis particularia Gothorum in Styria geſta nulla inveniam, eosdem tamen Pannoniam, ac terras noſtras, barbaros ſpoliatores magis, quam incolas ſubiiſſe conjicio. *Gothorum in Styria res.*

Turbato ſic regimine Styriæ politico, Eccleſiaſticum etiam ex parte tentatum eſt, obierat Sirmii an. 380. vel præcedenti Germinius Epiſcopus ſemi-Arianus, urbs Catholico egebat paſtore, Valentinianus Imp. ut rite novi Epiſcopi electio procederet, eo miſit S. Ambroſium Mediolani Epiſcopum, non quaſi Sirmium Epiſcopo Mediolan. ſubjectum eſſet, ſed ut laboranti Eccleſiæ ad preces Epiſcoporum Comprovincialium ſuccurreret; Ambroſius, cui Eccleſia noſtra Aquilejenſis ac Pannonia, ſuppreſſum Valentis, Urſicini & Photini dogma debet, Mediolano *per Noricum & Pannoniam*, ſicque forte per Styriæ in- *Germinius Ep. Sirm. obit 380.*

Anemius Episc. Sirm. ferioris ad Savum angulum profectus Sirmium venit, eique urbi Anemium Episc. Catholicum dedit, nequidquam fremente, Juſtina vidua, Valentiniani II. matre, fœmina Ariana; plura Juſtinæ hujus, tum per ſe, tum per ſanctimonialem arianam ob contumeliam morte punitam, facinora in aliis legi poſſunt; hæc adduxi, ut ea, quæ de Sirmienſi Eccleſia, quam Styriæ Metropolim jactant hoc tempore, dicentur, facilius advertantur.

Aquil. Conc. 381. CX. Cum in Illyrici partibus Palladius, & Secundianus, Ariani, in Dacia & Mæſia Epiſcopi, ſe Catholos haberi vellent, Aquilejæ indictum eſt Concilium ex vicinarum Italiæ urbium Epiſcopis conflatum, aderant huic Concilio S. Ambroſius Mediolan. Valerianus Aquilej. aliique Epiſcopi circiter 25. S. Marcum Petov. Epiſcopum; quamvis acta nomen taceant, præſentem ſuſpicor fuiſſe, tum quod ab his PP. tanquam *admirandæ memoriæ Sacerdos* ſit dilaudatus, tum quod Eccleſiæ ſuæ negotia ibidem fuerint contra Julianum Valentem expenſa; Concilium hoc generale non fuit, neque ei Legati Romanæ ſedis aderant, Præſes Concilii Valerianus Aquil. vel ſolus, vel cum S. Ambroſio Mediolan. Epiſcopo, primus enim ſemper refertur Valerianus: auditi in Concilio hoc Palladius, & Secundianus, & tanquam Ariani damnati, cum Attalo Presbytero per Julianum Valentem depravato, præterea examinata cauſa S. Marci Epiſc. Petovienſis, & Juliani Valentis Pſeudo-Epiſcopi ibidem, rogaruntque PP. Auguſtos, ut eum Mediolani degentem cohiberent. Tandem iidem PP. ſupplicarunt Auguſtis, ut Photinianorum Conventus in urbe Sirmienſi contra edicta Cæſarea celebrati interdicerentur. V. pl. Harduinum tom. 1. col. 835. &c. de Rubeis, aliosque.

S. Marcus Ep. Petov.

Valerianus Ep. Aquil.

Sirmienſ. Eccl. non eſt Styr. Metrop. Ex hoc Concilio quidam Sirmienſem Eccleſiam etiam per Styriam noſtram Metropolim fuiſſe contendunt; etenim ajunt, cum Styria hoc tempore ſub Illyrico fuerit Occidentali, Sirmium autem caput ejus, neceſſario conſequi putant, & caput Styriæ in rebus Eccleſiaſticis fuiſſe Sirmium; in hanc rem adferunt verba Anemii Epiſc. Sirmienſ. hoc in Concilio, quibus judicium ſibi deberi in Palladium & Secundianum hiſce expoſuit: *Caput Illyrici nonniſi civitas eſt Sirmienſis, ego Epiſcopus civitatis illius ſum.* Nondum his a mea ſententia moveor, nunquam enim mihi oſtendet quispiam Sirmium per totum Illyricum Occidentale fuiſſe Metropolim, ſed ſolum in Provincia Illyriciana Sirmienſi, prout diſertis verbis teſtatur Noriſius Diſſert. de quinta Synodo, cap. 10. pag. 70. *Anemius*, inquiens, *erat Illyricorum, Pannoniæ ſecundæ Epiſcoporum Metropolitanus.* Dum itaque Anemius pro ſua Metropoli ita peroravit, non aliud intendiſſe videtur, quam anathemati in Palladium lato, vim ac pondus addere, cum hic Epiſcoporum Aquilejæ judicium, ob eorum paucitatem reſpueret; unde ajebant Epiſcopi, Anemium Palladii Metropolitam, ſuo, & ſuæ nationis Epiſcoporum nomine ſententiam ferre; nil ſimile delatum Anemio, vel ab eo poſtulatum, dum Marci Ep. Petov. ac Juliani Valentis in eodem Concilio cauſa agitaretur, manifeſto nempe indicio, *Norici & Pannoniæ ſuper.* Eccleſias, nullo jure fuiſſe Sirmienſi obnoxias.

CXI. Gothis in Illyrico victis, atque an. 382. ad pacem & concordiam Romanorum admiſſis, ut non nocerent terris imperii, præſertim

ſertim Styriæ noſtræ, Aventinus ad tempora Gratiani, Styriæ Præſidem, quia Vindeliciæ Præfectum fuiſſe docuit Majorianum, eo quod Sidonius ſcripſerit, eundem *Illyricum rexiſſe ſolum, cum partibus Iſtri*, ſecuti ſunt Aventinum, Megiſerus lib. 4. cap. 10. Author MS. Chron. Styr. tom. 1. cap. 33. Res tamen hæc obſervatione majori indiget, cum enim hoc tempore Illyricum jam fuerit diviſum, ſtatuere etiam oporteret, cujusnam Illyrici, an Orientalis, an Occidentalis, an utriusque Præſes fuerit Majorianus? certe, cum hic ſub Theodoſio, cui Oriens parebat, militiæ Magiſter fuerit, colligerem potius, eum Illyrici ſolum Orientalis Præfectum egiſſe, non vero Occidentalis, proin nec Styriæ noſtræ. *Majorianus an Styriæ Præſes.*

CXII. Gratiano Aug. an. 383., occiſo Maximus tyrannus rerum potiri cœpit, Valentiniano etiam imperium adempturus, niſi Ambroſius hujus Legatus moram primo, dein metum Maximo injeciſſet, & revera inſidias ſtruxit Valentiniano, dum an. 387. per obtentum Religionis tutandæ, Maximus Italiam invaſit, & Valentinianum cum matre ad Theodoſium fugere compulit. Aquilejam itaque veniens, hoſte vacuus, Italiam omnem ſub poteſtate habuit Maximus: Movit anno inſequente in Maximum Theodoſius ex Oriente tripartito itinere & exercitu, dum interim Maximus, *Æmonam* obſidione cinctam relinquens, *Petovionem urbem*, vix a clade Gothica utcunque reſtauratam, mox etiam *Sciſciam* capit, ad quam urbem primus, ac ad *Petovium* ſecundus Theodoſii fuit cum Maximo conflictus, felix uterque, & magna Maximi ſtrage cruentus. *Gratianus Imp. necat. an. 383.* *Maximus Tyrannus.* *Petovium capit* *Prælium ibidem an. 388.*

Ad Sciſciam fuſus primum cum eſſet Maximi exercitus, reliquiæ ejus fugam capientes, vel in foſſis ad urbem, vel *ad Savum* præcipites perierunt, *ad Petovionem*, ubi ventum eſt, novæ ſub Marcellino, Maximi copiæ apparebant, uterque exercitus ad occaſum ſolis, mutuo ſe aſpectui objiciens, nil attentare eſt auſus, at altera vix orta luce prælium utrimque acerrimum commiſſum eſt, ſiniſtra tamen adeo Maximi ſorte, ut parte exercitus ſui cæſa, parte altera Theodoſium ſequente, cum exiguo manipulo reſiduo ægre Aquilejam pervenerit Maximus, in qua moratus, cum Æmonam Italiæ clauſtrum munire negligeret, ſibi ipſi mortem acceleravit; etenim Theodoſius Æmonæ maxima inter tripudia receptus, dum Aquilejam movere conatur, captus ei adductus eſt Maximus, quem exprobratis prius facinoribus, militibus reliquit Theodoſius, tertio ab urbe milliario 6. Kal. Sept. ab iisdem interfectum. Theodoſius recte factorum gloria contentus regnum Valentiniano II. ut prius habuit, aſſeruit. *Maximus ad Aquil. necatur.*

CXIII. S. Ambroſius anno 389. *Aquilejam* denuo abiit, tum, ut cum Theodoſio inibi leges contra Arianos ferenti, & Callinices Epiſcopo reædificationem Synagogæ imponenti pacifice colloqueretur, tum, ut Chromatium, novum Aquilejenſium Epiſcopum, Valeriani ſucceſſorem ordinaret; non conſtat quidem, quo anno Valerianus obierit, attamen ſi ſupponatur Valerianus an. 386. defunctus, electio novi Præſulis, Aquilejæ facile in hunc annum, ob turbas Maximi differri potuit, unde aſſentior Baronio ad an. 388. num. 84. dicenti: *Quod autem detineretur Ambroſius Aquileæ, cum nullum hoc tempore memoria ſit,* *Valeriano Epiſc. Aquil. ſuc. Chromatius.*

ibi celebratum fuiſſe Concilium, equidem exiſtimo, illuc eſſe profectum ex mo-re ad novi creationem Antiſtitis, cum defuncto Valeriano, ejus civitatis Epi-ſcopo, in locum ejus ſubrogatus eſt Sanctus Chromatius; accedit in hujus ſententiæ ſubſidium reciprocus inter Mediolanenſes & Aquilejenſes Epiſcopos ordinationis ritus, quo unus alterum conſecrare conſuevit ob longinquitatem vel difficultatem itineris Romani, ut v. fragm. epiſt. 1. Pelagii 1. P. an. 557. ad Narſetem datæ.

Chromatius hic Aquilej. Epiſcopus bene diſtinquendus erit, a Chromatio aliis Promachio, Alindorum Epiſcopo, & Chromatio Romano, lege Cumano Epiſcopo, quam ultimam vocem, alii omittunt. De Chromatii Aquilej. operibus. v. plura in de Rubeis.

Valentinianus occatus an. 392.

CXIV. An. 392. Styria denuo noſtra, turbis novis involuta eſt, cum enim Valentinianus II. Arbogaſtis dolo necaretur, Eugenius conſors necis illico purpuram in Occidente ſumpſit atque ea de cauſa Legatos ad Theodoſium de purpuræ confirmatione miſit, quos benevole quidem dimiſit Theodoſius, clam tamen omnia ad bellum apparavit, quod ad an. 394. pleno marte prorupit.

Eugenius tyrannus an in Styria receptus.

An *Pannonia & Noricum* (proin *Styria* etiam *noſtra*) poſt necem Valentiniani II. Eugenium tyrannum receperit? admodum dubium eſt, nuſquam enim *tota Pannonia & Norico*, Eugenii copiæ ſe Theodoſio objeciſſe memorantur; Eugenius & Arbogaſtes, cognita Theodoſii profectione, non Savum, nec Dravum, ſed *alpes* ſolum *Julias*, *Noricas*, *Carnicasque*, muniendas ſibi putarunt, relictis, ut inde conjicio, ſuæ fortunæ *Styris*, reliquisque *Noricis*, *ac Pannoniis*.

Styria hoc in bello fata.

Bellum hoc nihilominus, non ſine gravi *Styrorum*, reliquorumque *Noricorum*, *ac Pannoniorum* incomodo eſt geſtum, cum enim ſuum exercitum Theodoſius, terreſtri itinere, ex Thracia, *in Pannoniam ſuperiorem*, ubi ſe auxiliares Gothi, Hunnique conjunxerant, duxiſſet, annonæque difficultas indies aucta fuiſſet, magno quidem, ſed tolerabili adhuc, ob cauſæ æquitatem, rerumque magnitudinem, detrimento afflicta eſt Patria noſtra, quod conſecutum eſt breve, at cruentum ſimul bellum, cujus victoriam jam antea Joannes pius quidam Monachus, vel Eremicola Theodoſio prædixit.

Belli initia.

CXV. Dum itaque Theodoſius copias ſuas per Pannoniam ſuperiorem deducit, Eugenius quoque, alio tamen modo, ſe bello huic accinxit; ethnicis enim, ut plurimum ſtipatus, his quoque maxima privilegia indulſit, alpibus Juliis, & vexillo primario, Jovis effigiem inſeruit, teſte Auguſtino de Civit. Dei lib. 5. cap. 26. Romæ etiam aream, Deæ Fortunæ erigi conceſſit, Theodoſius viciſſim ante hoc bellum in hebdamon Eccleſia S. Joan. Bapt. a ſe erecta, baptiſmum ſuſcepit, ut tanto ſibi magis Deum redderet propitium, quanto Eugenius offenſum. Inde Theodoſius in Italiam abiens, & alpium aditu, & Aquileja urbe præter ſpem potitus, barbaros ſub Gaina Duce auxiliares Eugenio objecit, pugna tamen ita pertinace, & Theodoſio adverſa, *ut eo die*, teſte Zoſimo lib. 4. cap. 58. pars major auxiliarium *copiarum Theodoſii Principis interficerentur*, & ſi Oroſio lib. 7. cap. 35. credimus, *decem millia Gothorum Arbogaſtes deleſſe* diceretur. Theodoſius nocte tota, ad ſolita precum auxilia converſus, die mox orto,

Prælium unum infelix.

prælium

prælium novis animis inſtaurat, & caſtrorum primos aditus, ſecus *amnem frigidum*, hodie *Vipacum*, facta quorundam Ducum Eugenii, qui montis verticem obtinebant, tranſitione perrupit, quo facto iter per millia ruentium ad ipſum tyrannum patuit; fruſtra fuere adverſæ partis jacula in Theodoſianos vibrata, continuo enim ingens procella, ventorumque turbo in ora ac hoſtium oculos ſæviit, haud dubie a cœleſtibus belli Imperatoribus, Joanne, & Philippo Apoſtolis, quos Theodoreto teſte lib. 5. cap. 24. vi lerat Theodoſius, excitatus. Venti hujus prodigioſi meminere etiam Claudianus Poeta ethnicus, Rufinus, Auguſtinus, Theodoretus, Ambroſius, aliique: his fatis involuti Eugeniani, Ducem ſuum Eugenium, vinctum Theodoſio ſtiterunt, eique mox a militibus Theodoſii caput deſectum eſt. *Prælium idem felix.* *Eugenius necatur.*

CXVI. Theodoſio victori ſic totum imperium Romanum ceſſit, qui Aquilejæ aliquantum cum S. Ambroſio moratus, Mediolanum inde abiit, ac Honorium decennem filium an. 395. Occidentis Imperatorem renunciavit, Stilicone Duce ei adjuncto, novam vero ſimul Imperii diviſionem adornavit, qua Honorio, Hiſpania, Italia, Africa, Gallia, cum Illyrico Occidentali, proin etiam Styria noſtra, Arcadio vero Oriens cum Illyrico Orientali ceſſit, ipſe vero Theodoſius eodem anno 17. Februarii ex morbo interiit. *Honorius Imp. 395. & Dominus Styriæ Arcadius Imp. Or*

Cum Theodoſio Aug. interiiſſe videtur felicitas Romani Imperii etenim S. Hier. epiſt. 3. ad Heliodorum ita ſcribit: *Viginti, & eo amplius anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim, ad alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achajam, & Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alani, Hunni, Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt; quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua, nobiliaque corpora, his belluis fuere ludibrio? capti Epiſcopi, interfecti Presbyteri, & diverſorum officia Clericorum, ſubverſæ Eccleſiæ, ad altaria ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ, ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago.* Cum itaque Gothi Iſtrum circa an. 376. tranſierint, viginti illi anni ab Hieronymo enumerati, 396. anno terminarentur.

CXVII. Marcomannorum converſio ſub hæc tempora contigit; eis jam ſub Gallieno ſuperioris Pannoniæ partem conceſſam ſuo loco dixi; ſub Valente iidem Ammiano teſte lib. 31. cum Quadis *omnem late Pannoniam*, ſibi uſurpare tentarunt, Romanosque, quos defenſum venerant, novi ipſi accolæ, reliquis avitis agris exuere, urbibus pellere inſtiterunt; hoc tamen anno, quo converſi ſunt, transactio ſimul pactorum inter eos & Romanos evenit; perſtitiſſe dein in ſuſcepta fide, & pace cum Romanis Marcomannos, illud argumento eſt Baronio, quod inter Barbaros, qui Honorii tempore in Gallias irrupere, ab Hieronymo enumeratos, Marcomanni non memorentur. *Marcoman. converſio an. 396.* *Eorum in Styria acta.*

Præerat vero his Fridigildes Regina, quæ *audita fama de Ambroſio in Chriſtum credidit*, teſte Paulino, immo eadem Mediolanum profecta eſt, ut a S. Ambroſio inſtitueretur, aſt ubi Mediolanum venit, S. Ambroſius jam de hac vita migravit. Quæ de laude Aquilejenſ. Eccleſiæ, ejusque viris doctrina & ſanctitate florentibus, de Rufini Aquilej. libris, & diſcordia cum Hieronymo dicenda forent, prætereo, ut citius rebus Patriæ noſtræ enarrandis Lectori cupido ſatisfaciam.

ANNA-

Annal. Ducat. Styriæ.

ANNALES DUCATUS STYRIÆ.

Lib. II.

LIBER II.

Styria sub Barb.

Styria sub Barbaris ab anno Christi 400. ad an. 791.

I.

Sæcul. V. Præfatio de statu Styr. & Rom. Imp.

Si ullo unquam sæculo, certe hoc, misera, & perturbata erat tum Styriæ, cum totius Romani Imperii conditio; Honorii enim, & Arcadii ætas, nondum Imperio apta, tutoribus prædæ expositа fuit, Respublica orba & lacerata, indies majoribus defecit incrementis, simplicia juvenum ingenia, omnia suis moribus metientium a Proceribus divendita, qui & ipsos inter fratres discordias seminare cœperunt, pecuniæ, opum, dominandique furiosa libido invaluit, Provinciæ fuere venales, privatis æraria creverunt damnis, Provincialium divitiis insidiati sunt Rectores, dona plus æquo valuerunt, Provinciæ an magis ab hostibus, an magistratibus exhaustæ? dubium, novis vectigalibus attriti populi, militia neglecta, disciplina bellica spreta, abjectisque cassidibus nudati, pectoribus detectis ac capitibus, congressi sunt Romani cum Gothis, Hunnis, Alanis; castrorum quoque muniendorum scientia intercidit, &, quod maximum in his malum, Imperatores neglecta Roma, locis in obscurioribus voluptati operam dabant. Accessit his malis discordi civilis & rabies tyrannorum, quæ plus hostium armis, Romanas inclinabant vires, Romani insuper Senatus superbia, & impietas non minima fuere causa harum omnium calamitatum, si divis Hieronymo, & Augustino eadem expertis credimus, prostrata sic Romana potentia, Provinciæ ereptæ, Styriaque nostra etiam Barbaris, quatuor fere sæculis subesse debuit.

Regula 5. de Prætoribus Styriæ.

II. Hisce in turbis temporum, quibus Styriæ nostræ, varii dominabantur Heruli, a traditis hactenus regulis, de Præfectis Styriæ recedendum arbitror, novamque hanc, & ordine quintam statuo: *Sæculo quinto perturbatissimo, nulla certa Præfectorum Norici & Pannoniæ successio, nec subordinatio fuit, videturque non improbabile, paucos solum fuisse in Styria nostra Romanos Præsides, sed, qui rei militaris curam gessere, eos etiam Provinciam direxisse.* Regula hæc probatione alia non indiget, quam elucidatione rerum hujus sæculi, ex quibus eadem stabilietur. V. num. 8.

Gothor. in Ital. irruptio an. 400.

III. Annus 400. Gothis primum, dein Hunnis, Wandalis, Alanis, ostium aperuit ad Romanum Imperium convellendum, etenim teste Prospero in Chron. *Consulibus Stilicone, & Aureliano*, proin hoc anno, *Gothi Italiam Alarico & Rhadagaiso Ducibus ingressi sunt*; Alaricus dein migravit cum suis *in Pannonias.* De causa belli hujus variant Authores, Olympiodorus ait: *Stilico evocavit Alaricum, ut Honorio Illyricum asseret*, nempe Orientale, Occidentale enim cæteroquin ejus imperio tributum erat; Iter hoc Alarici per Pannonias in Italiam refert Jornandes Geticus cap. 29. *Per Pannonias*, inquit, *& per Sirmium dextro latere, quasi*

Alaricus pervadit Styriam.

viris

viris vacuam intravit Italiam, unde dextro latere per Sirmium procedens, per Pannoniæ ſuperioris, & Norici, ſicque *Styriæ inferioris* loca circa Celejam & Petovium digreſſus videtur Alaricus; damni tamen nihil inde ſenſiſſe Patriam noſtram ex eo colligo, quod Jornande teſte, iter hoc *celeriter*, & *nullo penitus obſiſtente*, fuerit geſtum, interim verum eſt ex S. Hieron. textu ſupra num. 114. citato, continenti hac per 20. annos, Barbarorum incurſione, *Pannoniæ & Norici Provincias*, hasque inter Styriam noſtram, pro deploratis fuiſſe habitas.

Quorundam opinio habet, Gothos a Theodoſii morte, *Pannoniam Saviam* incoluiſſe ſub Alarico, Gaina aliisque ſuæ gentis Ducibus, quod ſi ita, vix benigne cum Pannoniis, Noricis, & Styris fuerit actum, erat enim Alaricus Ariana infectus perfidia, copias ſuapte natura feroces, per terras noſtras ducebat; quæ militis ſit in alienis Provinciis licentia, novimus; quod ſi vero ex mente aliquorum *Alaricus obſeſſa incaſſum Aquileja, occupata Æmona*, Italia hoſtiliter evacuata, copias denuo reduxit per Styriam, facilis eſt conjectura, eum, qui biennio poſt Italiam cum exercitu eſt aggreſſus, *in Norico & Pannonia* interea benevolum vix reſediſſe; id unum dolendum, quod res & fata Patriæ noſtræ, conjicere ſolum, nunquam aperte eloqui, documentis deficientibus ſit neceſſe. *Gothi in Pannonia Savia.*

Obiit vero Pannoniæ civis S. Martinus Epiſc. Turon. ut ſic pro Patria ſua interceſſor fieret in cœlis, qui eidem antea contra Arium Prædicator exiſtebat in terris. *S. Martin. Ep. Tur. obit.*

IV. Chromatius Epiſc. Aquilej. an. 401. ad errores Origenis damnandos Concilium Aquilejæ convocavit, in quo tamen contra Rufinum eorundem errorum a quibusdam reum nil ſtatuit, acta Synodi hujus periere, adfuiſſe etiam Epiſcopos noſtros, dubium non eſt, cum Metropolitæ ſui ad evocationem comparere tenerentur: aſt cur Aquilejenſis & Mediolanenſis Epiſcopi *Metropolitæ Italiæ* teſte Pagio num. 9. dicuntur? an Aquilejenſis extra Italiam jus ſacrum non dixit? rem hanc ſat feliciter evolvet, qui ex dictis Illyricum Occidentale ſub Præfecto Prætorio Italiæ conſtitutum noverit, erat itaque Aquileja Metropolis Italiæ, quia Illyrici Occidentalis ſub Præfecto Prætorio Italiæ conſtituti, ſicque Norici & Pannoniæ utriusque, proin Styriæ quoque noſtræ caput, atque eodem hoc ſenſu Aquilejæ Epiſcopus, Italiæ Metropolita, in ſenſu Diſſert. 3. expoſito. *Aquilej. Synod. 401.* *Epiſc. Aquil. cur Italiæ Metropolita dictus.*

Regula hic illuſtriſſimi de Marca lib. 5. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. 30. num. 6. explicanda eſt, quæ aſſerto huic repugnare videtur, ea vero ſic habet: *Itaque per univerſum orbem, ſi Africam excipias, ea fuit conſtans regula priſcis temporibus, illum debere eſſe Metropolitanum, qui Epiſcopus erat in civitate Metropoli Provinciæ;* regulam hanc non ubique, neque extra Aſiam tenuiſſe, oſtendi jam Diſſert. 3. ſequentia adhuc addo: 1. In Conc. Taurinenſi hujus anni lis acta eſt de jure Metropolitico inter Epiſcopos Arelatenſem & Viennenſem, & Canone 2. deciſum, ut qui probaret ſuam civitatem eſſe Metropolim, totius Provinciæ honorem primatus haberet; in probatione cum non convenirent, B. Leo P. an. 450. diviſit Provinciam Viennenſem in duas, & *Non ſemper Metropoles civ. ſimul & Eccleſiaſtica.*

licet Arelatenſis civitas non gauderet jure Metropolitico, tamen id Epiſcopatui datum eſt ex S. Trophimi miſſione. 2. Licet Pontifices Innocentius, Bonifacius, Cœleſtinus, Leo ſtatuerint, ut unaquæque Provincia ſuo Metropolitæ pareret, id tamen non ubique ſervatum eſt, cum teſte Pagio num. 44. ex Conc. Taurin. Canone 1. conſtaret, Aquenſem civitatem tunc Metropolim civilem fuiſſe, & tamen ejus Epiſcopum jura Metropolitæ non obtinuiſſe. 3. Ex Conc. Nicæno ſolum ſtatutum eſt, ut antiquæ conſuetudines circa Metropoles ſervarentur, in Conc. vero Antiocheno an. 341. Can. 9. decretum, *quia ad Metropolim undique, qui negotia videntur habere, concurrunt, unde placuit eum & honore præcellere &c.* Hæc tamen jurisdictio Metropolitica hoc in Conc. non fuit ultra limites ab antiquis PP. conſcriptos extenſa, & diverſæ conſuetudines ſolum in eo abolitæ, ut Metropoles civiles, poſthac ſemper eſſent etiam Eccleſiaſticæ, *antiquioribus tamen non abrogatis*, unde Conc. Chalcedon. an. 451. diſerte ſtatuit, ut novarum Metropoleon Epiſcopi nullam impoſterum haberent jurisdictionem, & Juſtinianus ipſe in novellis ſuis, inſtituens quatuor Armeniarum Provincias, voluit, ut Eccleſiarum regimen, in eo, quo prius erat, ſtatu remaneret.

Styriæ Eccleſ. Metrop. Aquil. non Sirmium.

V. Ex his pro Styriæ noſtræ Metropoli, Aquilejenſi nimirum præ Sirmienſi ſequentia pugnare videntur; cum Sirmium primo poſt Conſtantinum facta fuerit Metropolis, oportet, *Norici, Pannoniæque*, proin *Styriæ etiam noſtræ* Eccleſias, jam prius alicui paruiſſe Metropolitæ, cumque a Chriſti nativitate, ſeu ſæculo 1. Aquileja inter præcipuas urbes Romanas numerata, fidem Chriſti in Noricum, & Pannonias promoverit, terris his etiam jus ſacrum dixerit, & licet dein Sirmium fieret Metropolis Eccleſiaſtica, Provinciæ, ut dixi Illyricianæ Sirmienſis, ex Conc. tamen Nicæno (ante quod jam Metropoliticæ honore gaviſa eſt Eccleſia Aquilejenſis) nil innovatum, ſed antiquæ conſuetudines caute ſemper ſunt cuſtoditæ: præterea in obſcura de hiſce Eccleſiis notitia, plus ſemper pro Aquilejenſi, quam pro Sirmienſi erui poterit, tum quod Conc. Provinciale an. 381. Aquilejæ, non Sirmii haberetur, cum quod teſte ipſo de Marca de Concord. Sacerd. & Imperii lib. 6. cap. 4. num. 7. ex epiſtola Pelagii an. 555. Epiſcopi Aquilejenſis, & Mediolanenſis manus ſibi imponerent dicente de Marca: *Primatis vero Mediolanenſis ordinatio ad Aquilejenſem Epiſcopum pertinebat, quod primus eſſet inter Metropolitanos Synodi generalis Diœceſeos Italiæ.* Simile quod de Diœceſi & Epiſcopo Sirmienſi nuſpiam legi, immo Chiffletius apud de Marca cit. lib. 5. cap. 19. num. 4. docet: *Sirmium nunquam fuiſſe caput Illyrici, niſi fortaſſe per illud triennium, quod in ea urbe Conſtantius Imp. exegit, per annum nimirum 357. & ſequentes.* Hæc pro notitia Styriæ Eccleſiaſticæ.

Gothi in Styriam veniunt an. 401.

VI. Alaricum Gothorum Regem tentata anno 400. Italia, denuo in *Noricum, Pannonias*, terrasque noſtras receſſiſſe, probabile facit Concilium Taurinenſe an. 401. in quiete, ac abſentia hoſtium Gothorum celebratum, cum enim hoc anno Gothis res in Italia ex votis non ceſſiſſent, Alaricus etiam Rex ad Veronam cæſus, ne in Gallias vel Rhætias abire poſſet, prohibitus eſſet, in Noricum & Pannoniam ſe vertere debuit, non tamen diu in noſtris terris moratus

eſt,

eſt, etenim vel neceſſitate, vel occultis cum Stilicone pactis in Epirum abiit, bellum interim Italiæ, ſi res viresque matureſcerent, animo meditans, Bonfinius decade 1. lib. 2. pag. 31. narrat, Stiliconem coacta e Thracia ingenti multitudine, per Macedoniam, *Illyricum ac Noricos* in Italiam properaſſe, præter *Aquilejam* & Altinum, etiam per agrum Venetum & Ravennatem iter feciſſe, ex quibus proin patet, Styriam noſtram & Romano & Gothico exercitui fuiſſe expoſitam, damna, quæ inde & vulnera tulerit? nemo hactenus Authorum expreſſit.

VII. Dum quietus ſederet in Epiri & Norici finibus Alaricus, reparandis damnis, quæ acceperat, intentus, Rhadagaiſus collecta 200. vel ut alii 400. millium multitudine, ut opinor, *per Noricum & Pannoniam*, ſicque etiam Patriam noſtram, ſe trepidanti Italiæ infudit; & quamvis terras has tranſierit ſolum, quia tamen eædem multorum cæteroquin annorum bellis & fatis exhauſtæ fuerant, non levibus eas denuo damnis afflixit, ſed mala ſorte ſua, nam diſperſis per Stiliconem copiis, captus ipſe & interfectus eſt anno ſeq. *Rhadagaiſus per eandem tranſit 404.*

Re Romanorum ſic indies magis nutante, cum terræ noſtræ Barbarorum incurſionibus continuo eſſent expoſitæ, *Wandali*, Gothis inimici, *ſedes ſuas in Pannonia reliquere*, veriti nempe reduces ex Italia Gothos, veteres hoſtes ſuos, unde adjunctis ſibi Quadis, Sarmatis, Alanis Gepidis per Norici Ripenſis fines, Rhenum petunt, & an. 406. plurimas in Germania, & Gallia clades perpetrant, quæ omnia fuſe deſcribunt S. Hieron. ad Agerruchium Oroſius lib. 7. cap. 38. Marcellinus & Jornandes: quas in Pannonia terras Wandali incoluerint? incertum dixi lib. 1. num. 92. Interim eodem tempore, Chromatius Epiſc. Aquilejenſis, qui an. 405. Concilio Romano aderat, altero an. vel an. 407. obiit. Vir libris, geſtisque rebus clariſſimus ſanctitatis nota inſignis, cui ex communi prope omnium ſententia non Nicetas vel Nicæas ſucceſſit, ſed Auguſtinus ut per decurſum pluribus oſtendam. *Wandali e Pannonia migrant.* *S. Chromat. Ep. Aquil. obit. an. 406. ſucc. Auguſtinus.*

VIII. Stilico, miniſtris Arcadii infeſtus, Alaricum Gothorum Regem ſibi ſocium adjunxit, ut cunctas in Illyrico gentes Honorii regno aſſereret, ut ait Zoſimus lib. 5. cap. 26. evocatus ſic Alaricus transcenſa *Pannonia ac Norico*, ſeu Æmonæ, ſeu ad fauces alpium hæſit, cumque ob novos in Britannia per Conſtantinum tyrannum motus, diu & fruſtra Stiliconis adventum exſpectaret, Alaricus moræ impatiens, pecunias tum moræ hujus nomine, tum profectionis Italicæ cauſa popoſcit; Romæ Alarico 4000. libræ Senatus nomine promiſſæ ſunt. Hac in mora Alaricum ejusque copias per *Styriam inferiorem* Æmonæ vicinam, diffuſas, facile conjicio, damni quid illatum ſit? nullibi lego. Stilicone dein cum filio Eucherio cæſo, Alaricus pacem fieri poſtulavit, atque promiſſa ſumma ſoluta, copias ſe ex Norico in Pannonias abducturum eſt pollicitus, at Honorius non ſat providus bellum inſtauravit, quo comperto, ut inquit Zoſimus lib. 5. cap. 37. Alaricus, *Ataulfum conjugis ſuæ fratrem, ex Pannonia ſuperiore arceſſit, ut eum rei ſibi gerendæ ſocium adjungeret, qui Hunnorum, Gothorumque copias haud aſpernandas haberet.* *Alaricus in Styria an. 408.*

Ex his varia eruo: 1. *Gothos & Hunnos*, quos *hoſtes Pannonios* S. Hieronymus appellavit, *in Pannonia ſuperiore*, forſitan etiam parte Styriæ *Hunni an. in Pannonia.*

tiæ noſtræ, per id tempus, ſedes habuiſſe, an ſtabiliter? an ad tempus ſolum? ſuperius exponetur. 2. Confirmatur hiſce regula 5. de Prætoribus Styriæ num. 2. ſtatuta, nempe, cum Styria noſtra turbata admodum, Gothisque fuerit obnoxia, his in terris Præfectos alios, quam militares non eſſe quærendos, cum modica, vel plane nulla Pannoniarum portio, Romanis pareret, Noricum turbatiſſimum eſſet.

Marc. Aurel. non fuit Styr. Prætor, ſed Generidus Præf. milit. Styr. 409.

IX. Hinc aſſentiri non poſſum Aventino, qui Annal. Boicor. lib. 2. fol. 225. ſub Honorio, *Marcum Aurelium Vindelicis*, conſequenter etiam Styris *præfediſſe*, ſcribit; nemo enim veterum hujus Marci Aurelii ad hæc tempora meminit, ejusque regimen Megiſerus, & Author MS. Chron. Styriæ, nimio calculo ad an. 453. extendunt. Magis aſſentirer dicentibus Generidum *Ducem Norici, Pannoniæ, ac Rhætiæ*, per Styriam etiam noſtram Præfectum militarem fuiſſe, quem teſte Zoſimo lib. 5. cap. 46. gentilem licet, ſtrenuum tamen Dalmaticæ militiæ & copiarum, quotquot per Pannoniam ſuperiorem, Noricum & Rhætiam erant, Præfectum & Ducem fuiſſe conſtat; & quamvis Patria noſtra circa an. 409. emigrantibus in Italiam Hunnis & Gothis vacua fieret, Romanæque eam ſenſim ſubirent copiæ, rei tamen militaris ac Provincialis curam ſub uno, eodemque hæſiſſe ſuſpicor, quod magis de copiarum turbis, quam Provinciarum commodis hoc tempore cogitaretur.

Alaricus Romam capit.

X. Alaricus interim Gothorum Rex, cum pactam auri ſummam ab Honorio impetrare non poſſet, non exſpectato Ataulfi adventu Romam properavit, eamque cepit, ac numeratis ſibi 5. mille auri pondo, ac 30. mille argenti in Hetruriam abiit, Nobilium Romanorum filiis, obſidibus ſecum raptis. Honorius pace ſic, caro quidem lytro empta, frui potuiſſet, ſed recenti Conſtantini tyranni reconciliatione animoſior, bellum in Alaricum apparavit, Dalmatasque ſub Valente accivit, ita tamen ab Alarico interceptos, ut Valens Dux eorum ægre cum 100. militibus evaderet; cum vero eodem tempore Ataulfus ab Alarico *e ſuperiore Pannonia* vocatus, per Olybrii Rom. Ducis copias ingenti ad Piſam clade afficeretur, ope Jovii Præfecti Prætorio colloquium pacis Arimini cum Alarico habitum eſt, in quo cum Gothus Rex, certam in ſingulos annos auri copiam ac annonæ menſuram, cum *Venetia, Norico & Dalmatia* peteret, Honorius minime, fruſtra urgente & ſuadente Jovio, conſenſit, cumque Alaricus a petita auri & annonæ maſſa diſcedens, ſibi *ambos* ſolum *Noricos* ſubjici poſtularet ſpondens ſimul fidelem contra omnes Romani nominis hoſtes aſſiſtentiam, denuo non auditus, Romam ſecundo cepit, & Attalum urbis Præfectum Honorio Imperatorem oppoſuit, quem tamen gradu iterum movit, miſſis ad Honorium Legatis, Ariminum digreſſus, & pacis fœdera denuo offerens, cumque nil apud Honorium valeret oblatæ pacis conditio, Roma tertium capta, miſere direpta eſt, poſt quam Romæ direptionem Alaricus defunctus, Ataulfum conjugis fratrem ſucceſſorem habuit.

Alaricus 2do Romam capit a. 409.

Uti & 3tio.

Styriæ Pax an. 418.

XI. Has inter bellum turbas, reſpirare aliquantum licuit Styriæ noſtræ ad an. 418. cum Gothi, Wandali, Hunni, relictis *Norico*, & *Pannonia*, Galliam, Italiam, & Hiſpaniam ſubirent, quæ tamen his in

terris

terris geſta ſint? ignorare cogor, ſi quædam Eccleſiaſtica negotia demantur, ſilentibus nempe bellorum civilium, externorumque turbis, pax Eccleſiæ turbari cæpit, Pelagii, Cœleſtii, aliorumque ſequacium improbitate, qui novam de gratia, & libertate arbitrii hæreſim in vulgus ſparſere, uti refert Proſper in Chron. ad an. 413.

Error hic maleſanus, *Aquilejenſem*, quæ per Styriam etiam noſtram diffuſa eſt, Diœceſim invaſit, hoc de errore, Zoſimus Papa, epiſtolam ſuam tractoriam miſit *ad Aquilejenſem & Mediolanenſem Primates* teſte Pagio, ut eam ſuis in Diœceſibus promulgarent; Auguſtinus Aquilejæ Antiſtes, ubi hanc ſuarum provinciarum Epiſcopis miſerat, nonnulli horum Pelagio clam addicti, fidei ſuæ libellos remiſere, quibus clam hos errores foventes, eos nonniſi in Concilio plenario condemnare ſe velle aſſerebant: incertum putant quidam, an hi Epiſcopi fuerint, an inferioris Cleri Miniſtri? ſed cum *dictare ſententiam* (quod Epiſcoporum eſt in Conciliis officium) cum de regula Epiſcopis ex S. Paulo data loquantur, cum Auguſtinum, non ſolum *Patrem*, tanquam Primatem ſuum, ſed etiam *fratrem* tanquam Coepiſcopum vocent, vix hæreo, eos Epiſcopos fuiſſe. *Pelagianiſmus in Diœc. Aquil.*

Hos inter Pelagianarum partium Epiſcopos, an Celejanus, Petovienſis, vel alii vicinarum terrarum Præſules fuerint? quid ſentiam, non habeo, cum nec certi ſciatur quidpiam, an & qui his terris præfuerint Epiſcopi, Hunnorum enim, Gothorumque turbæ, ac incurſiones mirum in modum res Styriæ turbabant. *An in Styria.*

XII. Honorii Aug. mors & Joannis Ravennæ tyrannis an. 423. epocham Styriæ quamdam faciunt celebrem, volunt enim nonnulli, hocce ævo Hunnos in Pannonia fuiſſe locatos; ubi enim Joannis hujus Legatos cum contumelia rejecit Theodoſius II. Joannes ad Hunnos Aetium miſit auxilia poſtulatum, *ii in Pannonia ſedes habebant*, teſte Marcellino, & quidem, ut putat, jam ab an. 378. a Valentis morte, vix tamen Marcellino fidem habeo; nam licet Gothis an. 376. Pannoniam primum incolentibus, ac dein in Gallias, Italiam, Hiſpanias abeuntibus, ſenſim ſuccederent Hunni, non tamen ſtabiliter, & decreto Principis, ſed vi & uſurpatione id factum credo, vel ad ſummum, ut obſervat Bonfinius, Pannoniam ſolum illam, quæ Daciæ finitima Danubio adjacet, & Styriam non concernit, incoluerunt, dum Styria interim noſtra, Gothis egreſſis, cum reliquo Norico, Romanis ſub Honorio, mox Theodoſio II. & Valentiniano III. &c. ſerviret Aquilis. *Hunni an in Pannonia an. 423. ſixi.*

Joanne tyranno infelice, & an. 424. Aquilejæ capto, ac necato, Valentinianus III. an. ſequent. Auguſtus eſt declaratus ſeptennis adhuc puerulus, ſub quo circa an. 425. *Pæoniam*, ſeu *regionem Pannoniam ad Savum ſitam, ex fœdere inito cum Aetio Romanorum Occidentalium Duce, Hunnis paruiſſe*, Priſcus de legationibus p. 25. teſtatur, qui Aetius in gratiam Auguſtorum receptus, in Galliam contra Gothos, ſub Theoderico Rege, miſſus eſt. Hæc initia Hunnorum in terris circiter noſtris judico, non vero anteriora, quomodo enim an. 424. Ardaburius, Aſpar, & Candidianus Belliduces, *Placidiam, & Valentinianum ſecum ducentes, Pannoniam & Illyricum pertranſire* tuto potuiſſent? ut ſcribit Philoſtorgius lib. 12. vel ſi Hunni jam eo tempore Pannoniam incoluiſſent, quod *In Pannonia Styria an. 425. locati.*

ſi gratis etiam detur Hunnos cum Aetio Joanni tyranno opem tuliſſe, & Italiam ex Pannonia ingreſſos fuiſſe, quomodo accidiſſet? ut Aſpar Aquileja potitus, nullo incommodo, per tot Hunnorum Myriades, & Phalanges Ravennam uſque penetraret, ſi Hunni Pannonia relicta Italiam occupaſſent;

Eam an. 427. relinquunt.

XIII. Marcellinus in Chronico, Hunnorum in Pannoniam migrationi dubium ingens movet ita ad an. 427. ſcribens; *Pannoniæ, quæ per 50. annos ab Hunnis retinebantur, a Romanis ſunt receptæ.* Idem habet Jornandes de rebus Geticis cap. 33. &c. docens, Hunnos e Pannonia, per Romanos & Gothos fuiſſe ejectos, qui Gothi Norici incolæ, & ſocii Romanorum erant. Hæc quomodo contigerint? nemo ſatis explicabit. Hunnos an. 376. in irruptione prima Scythica Europæa ſub Valente, tentaſſe Pannonias, Authores non pauci tradunt, ſi jam ab an. 376. ad 426. numerentur anni, evenient omnino legitimo calculo 50. anni, quibus Hunni Pannonias *ex parte*, & uſurpatione retinebant, cum vero an. 426. Pannoniam Saviam Priſco teſte receperint, contingere potuit, ut ii Aetii ſuaſu ea etiam relicta, ad ſocios ſuos ultra Danubium abierint; in rebus enim obſcuris, quaqua poteſt, conciliatio textuum fieri debet.

Pannonia ſub Romanis.

Atque hoc tempore, Romanis præſidiis Danubii limes communitus videtur, cujus diſpoſitionis notitiam exhibent tabulæ veteres, hoc, ut reor, ævo diſpoſitæ, in quibus ita legitur: *In Pannonia*

Præfectus legionis decimæ Vindomanæ
Præfectus claſſis Hiſtricæ Carnunto, ſive
Vindomanæ a Carnunto translatæ.

Præſes Styriæ quis?

XIV. Pannoniæ ſic a Romanis receptæ, & Norico cæteroquin iisdem ſubjecto, quis Prætor & Præſes datus fuerit? non immerito quæri poteſt. Inhæreo regulæ quintæ ſuperius datæ, atque *contra* varias Aventini, Megiſeri, aliorumque narrationes, probabilius *judico*, Romanos hoc tempore, muniendis contra Barbarorum *incurſus Norici utriusque & Pannoniarum* locis, proin & Patriæ noſtræ intentis, pauca de ſtatu Provinciali, plura de militari ſanxiſſe, ſicque diſtinctos a Præfectis militaribus, Præſides Provinciales terris his non dediſſe; quæ Author MS. Chron. Styriæ, ejusque exſcriptor Compilator Germannicus hiſtoriæ Styriæ in Calendariis Græcenſ. ab an. 1762. inchoatæ, de diſtinctis ſuperioris & inferioris Styriæ Præfectis, de Valeria aliisque adferunt, adducere otioſum duco, cum malo, ut ajunt Philoſophi, ſuppoſito laborent; neque enim Valeria eadem cum Styria, neque Styria moderna ſuperior dicta, hoc tempore Styriæ noſtræ aſſerta erat, ut Diſſert. 1. & 4. oſtenſum.

Auguſtin. Aquil. Ep. obit a. 427. Succ. Adelphus ſeu Delphinus.

Auguſtino circa hæc tempora Aquilejæ Epiſcopo, ſucceſſit Adelphus, aliis Delphinus Aetini natus.

Norici rebelles a. 430. compoſit.

XV. Ad an. 430. Noricos rebelles compoſuit Aetius, ita enim ait Idatius in Chronico ad an. hunc: *Per Aetium Comitem - - debellantur Juthungi, ſimiliter & Nori*, & Sidonius in panegyri Aviti num. 230. *Nam poſt Juthungos, & Norica bella, ſubacto Victor Vindelico, Belgam Burgundio, quem Thrax preſſerat, abſolvit &c.*

Aper-

Apertius loquitur Idatius cit. num. ſeq. *Aetius Dux utriusque militiæ, Noros edomat rebellantes.* Norici nempe & Vindelici tot Barbarorum incurrentium calamitatibus fracti, cum lenta & invalida Romani ſubmitterent auxilia, quarundam Provinciarum exemplo, ſibi ſua ſponte conſuluere, nec conſulto Imperatore cum Barbaris fœdera pepigere, quæ proin Aetius clade utriusque gentis irrita fecit; non itaque aſſentior Rheno German. lib. 1. docenti ab Avito (qui expoſt Auguſtus, nunc Comes Aetio hac in expeditione datus eſt) Juthungos, e Norico & Vindelicia fuiſſe expulſos, ſic enim Avitus, non Vindelici ſubacti *Victor*, ſed ſolum Liberator appellandus foret.

Quæ fuerint circumſtantiæ hujus tumultu? an eidem implexi incolæ *Norici Mediterranei*, proin Styri etiam noſtri? nil conſtat, antiquos Norici incolas fuiſſe compoſitos liquet, de quibus S. Hieronymus ait: quod *manus calloſa, tenendo capulum, & digiti tractandis ſagittis aptiores ſint*, quam mentes eorum Religioni.

An. 436. Adelpho Epiſcopo, Aquilejæ defuncto, ſucceſſit Maximus a Dandulo prætermiſſus, ex aliis vero MS. Chron. Aquil ſuppletus. *Adelph. Ep. Aq. obit an. 436. ſuc. Maximus.*

XVI. Valentinianus III. an. 437. Eudoxiam Theodoſii II. filiam, uxorem duxit, *dataque pro munere ſocero ſuo tota Illyria, nuptiis celebratis, ad ſua regna cum uxore receſſit.* Ita Marcellinus, Proſper in Chron. ad hunc an. & Jornandes de ſucceſſione regnorum pag. 239. dolebat hanc Illyrici amiſſionem graviter Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 1. dicens: *Nurum ſibi amiſſione Illyrici comparavit, factaque eſt conjuratio regnanti, diviſio dolenda Provinciis.* *Valentiniani 3. nuptiæ an. 437.*

Quamvis autem Proſper & Marcellinus dicant, *totam Illyriam* a Valentiniano III. datam fuiſſe Theodoſio II., de Marca tamen Diſſert. Eccleſ. de Primatibus num. 38. putat *Illyricum ſolum Occidentale*, in ſocerum Theodoſium II. fuiſſe translatum, eo, quod id ægre ab inſultibus Barbarorum tueretur Valentinianus, & quidem *exceptis a donatione, Norico, Dalmatia, & Valeria, finitimis Italiæ Provinciis.* Unde id deſumpſerit de Marca? ignoro, veram tamen ejusdem contra Pagium cenſeo ſententiam, nam, ut ex infra dicendis patebit, *Romulus Comes Petovione ortus, & Primutus Noricæ regionis Præfectus*, Valentiniani III. anno 447. Legati, proin eidem ſubjecti fuere; nec miror, cum enim hæ Provinciæ, Italiæ fuerint vicinæ, Valentinianus III. Occidentis & Italiæ Imperator, has ſibi velut antemurale reſervavit, ex quibus Styriam noſtram plurima ſui parte in Norico contentam, ſub Valentiniano III. remanſiſſe reor. *Illyricum quale datum Theodoſio.* *Styria ſub Valentiniano III.*

XVII. Attilæ initia communiter ad an. 441. referentur, quo Hunnorum Reges ambo Bleda & Attila, in Illyricum Orientale infuſi Naiſſum, Singidunum, ac an. ſeq. inter complures urbes *Sirmium* quoque exciderunt, a quo tempore Theſſalonica Sirmio ſucceſſit. Attila, occiſo ſub annum 444. Bleda fratre, Monarchiam inſtituit, pacemque non duraturam cum Romanis fecit. *Attilæ initia 441.*

Januarius Epiſcopus Aquilej. circa an. 443. Maximi Succeſſor, magno in pretio & veneratione S. Leoni Papæ fuit, etenim tot inter belli, gentiumque Barbararum terrores, nil a priſtina contumacia hæretici receſſerant, & Diœceſim Aquilejenſem denuo Pelagianorum *Maximus Epiſc. Aquil. obit an. 443. ſucc. Januarius.*

fraudes

fraudes invaſerant, radice nondum penitus, ut arbitror, an. 418. ſublata. Rem hanc, ubi ex epiſtola Septimii Altinenſis Epiſcopi accepit S. Leo Papa, Januario Epiſcopo Aquil. ſcripſit, ut congregata Synodo Provincialium Sacerdotum infecti ea hæreſi Clerici, non prius in Catholicorum communionem reciperentur, quam damnent apertis verbis erroris hujus Authores & dogmata, ſanctiones Cathol. recipiant, hæcque propria manu ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur. Solicitudini Papæ, ſuam quoque junxit operam, Paſtor Januarius, ſerpentemque luem validiſſime repreſſit, errantes ad viam ſalutis reduxit, indeque encomium inſigne a S. Leone Papa retulit in epiſtola 2. in qua idem Papa etiam Donatiſtarum ſchiſma, inibi latens, per pœnam omnis ſpei promotionis, puniendum cenſet.

Pelagianiſmus in Diœc. Aquil. an. 446. ſuppreſſus, uti & Donatiſtarum ſchiſma.

An etiam in Styr.

Bina hic oritur quæſtio: 1. An Pelagianiſmus & ſchiſma Donatiſtarum Styriam quoque noſtram. 2. An Epiſcopos, vel minores his Clericos infecerit? ad primam quæſtionis partem, deficientibus documentis nil ſtatui poteſt, ad ſecundam vero cenſeo reſpondendum potiſſimam partem infecti his erroribus Cleri fuiſſe ex Presbyteris, Diaconis, aliisque minoribus Eccleſiæ Miniſtris; hos enim ſolos nominat epiſtola S. Leonis.

Romulus Com. Petov.

Primutus Præf. Norici.

Romanus milit. ord. Ductor.

XVIII. Attila, everſis 70. Orientis civitatibus, cum jam Thermopylas veniret, Valentinianus Imperator, Occidenti conſulturus, Legatos miſit ad Attilam, qui erant *Romulus Comitis dignitate auctus, Petovione oriundus*, *Primutus Noricæ regionis Præfectus*, & *Romanus militaris ordinis Ductor*, ut loquitur Priſcus Rhetor, de Legat. pag. 56. &c. Legationis ea cauſa fuit; Sylvanus argentarius Romanus, vaſa quædam aurea, a Conſtantio Sirmii Epiſcopo, & Bledæ ac Attilæ ab epiſtolis, Sirmio capto, permutavit ea lege, ut, ſi Sirmio capto, Epiſcopus ſuperſtes eſſet, eo lytro ipſe, ſin, alii Sirmienſes e captivitate liberarentur; hoc ubi Attilæ a Conſtantio Epiſcopo relatum eſt, Sylvanus argentarius ab Attila tanquam ipſe vaſa illa, capto Sirmio, ſui juris feciſſet, ac furto ſubduxiſſet, ad pœnam eſt depoſtulatus: Legati hi Valentiniani, adhibita licet omni opera, nil apud Attillam profecerunt, bellum enim Romanis, ni Sylvanum vel pocula ſiſterent, eſt denunciatum. V. Fleury lib. 27. edit. & verſ. Lipſ. §. 458.

Styria ſub Valentiniano III.

Styriam noſtram Valentiniano III. ſubjectam, legatio hæc ſat clare teſtatur, cum membra legationis hujus Romulus Comes, e Styriæ urbe Petovio ortus, & Primutus Norici (an Ripenſis, an Mediterranei) Præfectus fuerint teſte Priſco, qui ipſe Legatis his, forte ex mandato Theodoſii legatione functus, ſe obviam factum teſtatur.

Primutus an Styriæ Præfectus, & Romanus Præf. mil. ibid.

Erroris proin ſe denuo reos agunt Aventinus & Megiſerus, qui neſcio, quos nobis Præſides obtrudunt, cum apertiſſime ex Priſco coævo conſtet *Primutum Norici Præfectum* fuiſſe: Primutum hunc *Norico mediterraneo*, & *Styriæ Præfectum* fuiſſe ſuſpicor, uti & *Romanum militiæ* in iisdem terris Præpoſitum, eo quod Romulo Petovii Comiti, juncti ex iisdem etiam terris dimiſſi videantur; neque inde labat regula 5. de Prætoribus Styriæ num. 2. data, cum ea non habeat, nullum hoc ſæculo, ſed *paucos ſolum Romanos* in terris noſtris *Præſides* fuiſſe; præterea cum hoc tempore Noricum denuo Romanis ex integro paruerit,

ſuerit, probabilius eidem diſtinctos & rei militaris, & civilis Præſides conſtitutos arbitror.

Romulus Comes, Petovione oriundus, an urbis hujus etiam Dynaſta fuerit? non credo, Petovium enim urbs, colonia Romanorum celebris, Romanis hactenus ſemper paruit, nec Romulus hic inter Mareſchallos Petovienſes recenſendus erit, cum Lazius aliique eorum Geneſim, a ſæculo 13. primum ordiantur; præterea Priſcus Romulum hunc, non *Comitem Petovienſem*, ſed *Petovione oriundum* ſolum, ac dein ob merita *Comitis dignitate auctum* ſcribit. *Romulus Com. Petov. quis.*

XIX. Impotens fœminæ unius ambitio, luxuriæ juncta, malorum omnium Iliadem Occidenti induxit; ea erat Honoria, ſoror Valentiniani, quæ teſtibus Priſco, Marcellino, & Jornande, Attilæ nuptias & regnum concupivit, eumque clam miſſo clientulo in Italiam invitavit, cumque veniente Attila ei carnaliter commiſceri non poſſet, cum Eugenio Procuratore ſuo id facinus commiſit, inde Conſtantinopolim deſtinata, unde dein an. 451. belli illius cruenti Attiliani exordium ſumptum eſt. *Honoriæ facinus.*

Antea vero ſeu an. 450. Pannonia ſuperior Oſtrogothis a Martiano Imper. Orientis, hoc anno Theodoſii def. Succeſſore data eſt teſte Jornando Getico cap. 50. difficultas rei hujus in eo verſatur, quomodo Oſtrogothi a Martiano Imper. Orientis admitti potuerint in *Pannoniam ſuperiorem*, quæ Valentiniano parebat; ſuſpicor in re hac admodum dubia dici poſſe, poſt motus Hunnorum, undique jam fulgurantes, *Pannoniam utramque* a Valentiniano relictam eſſe Martiano, tanquam propugnaculum Orientis, præſertim cum belli artibus præſtare, & Hunnorum motus repreſſurus videretur. Quas vero Pannoniarum (quas *proprias Gothorum ſedes* appellat Jornandes) terras ſubierint Oſtrogothi, commemorat Jornandes citatus his verbis: *Nam Wallemir* Rex *inter Scarniungam & aquam nigram fluvios, Theodemis juxta lacum Pelſodis. Widemir inter utrosque manebat.* Ex quibus verbis videre licet, eos in confiniis Styriæ inter Arabonem & Dravum fluvios fuiſſe locatos: Tributarii tamen fuere Gothi hi Romanis, cum eas terras non armis, ſed precibus obtinuerint, annoque ſequenti Romanis contra Hunnos adſtiterint. *Pannon. ſup. Oſtrogothis datur an. 450.* *In confin. Styr.*

XX. Attila an. 451. bellum ſuum vi omni comparavit, cum ingenti 700. vel ut mitius alii 500. millium multitudine, per utrumque Danubii littus, ad Rhenum tendens, dolis egit præterea, nam Romanis per Legatos denuntians, ſe Theodorico ſolum & Francis arma inferre, viciſſim Theodorico mentiebatur, non Francos, ſed Romanos a ſe impugnatum iri: ab excidiis abſtinuiſſe per terras noſtras (licet Illyricum ſuccenſum doceat Bonfinius) inde auguror, quod ſumma in itinere feſtinatione uſus fuerit, & Eugippius in vita S. Severini cap. 11. commemoret, a S. Severino poſt aliquot annos, in has terras veniente, complura adhuc Norici oppida, ac caſtella viſa fuiſſe. Belli hujus & itineris Attiliani cædes & ſtrages, in exteris Provinciis perpetratas prætereo, ſat enim Noricum & Pannonia, laceratæ ſub Attila Provinciæ, loquendi campum faciunt: variant quidem in tractu belli hujus Authores, Megiſerus ab Attila primum *Styriam*, dein Carinthiam, Carnio- *Attilæ an. 451. belli initia.* *In Styria quæ damna.*

liam, Liburniam &c. vaſtatas docet, Bonfinius Attilam exercitum ſuum primo Adriatico mari, inde per Pannoniæ inferioris loca in Italiam promoviſſe, Valvaſorius lib. 14. fol. 219. inter alias urbes *Æmonam*, ſeu Labacum dirutum ab Attila probat; ex quibus omnibus colligo, Attilam, cum *per Pannonias* in Italiam digreſſus, Labacum vaſtaverit, *Celejæ & Petovio*, ejusque viciniæ locis vix peperciſſe, de quibus tamen nec Chron. MS. Celejanum, nec alii Authores quidquam memorant, probabilius, præter villarum incendia, in itinere ſumme properato, a milite efferato aliud quidpiam vix perpetrari potuerit.

Attila Aquilejam diruit 452.

XXI. Aquilejæ excidium memorari meretur; hæc enim Attilæ auſibus moras injecerat, cum Aquilejæ cives, fortunas, liberos, uxores, in proximas inſulas expellerent, ut urbem fortiſſime tuerentur, & ſane diu adeo ante ejus muros excubare debuit Attila, ut jam exercitus ejus in murmura ſolveretur; Attila de more, urbis mœnia luſtrans, videt Ciconiam cum pullis fugam meditantem, quo augurio, animos ſuorum ad Aquilejæ oppugnationem inflammans, effecit, ut Aquileja capta ita crudeliter ſpoliaretur, ut vix veſtigia ejus apparuerint. *Memorabile fœmineæ pudicitiæ exemplum hac in obſidione præbuit digna nomine*, matrona Aquilejenſis, formæ eximiæ, ſed pudicitiæ longe nobilioris, hæc *habitacula ſupra ipſa urbis mœnia habens, turrimque excelſam ſuæ domui imminentem*, ut ingreſſum hoſtium Barbarorum eam in urbem vidit, a ſumma ſe turri obvoluto capite in Natiſſam fluvium, præcipitem dedit, malens aquis ſuffocari, quam fœdari, ita Author miſcellæ in additam: apud Muratorium, quem Paulum Diaconum fuiſſe credo.

Pudicitia fœm. exemp.

Atque ex hoc tempore Aquileja, licet opera Narſetis reſtituta, & a Poppone Patriarcha deinceps etiam mœnibus, & 30. officinis in foro inſtructa, nil fere ex veteri ſua celebritate, præter nomen retinuit, ejus tamen loco Venetiæ exſurrexere, mirabili nempe Dei nutu, ne Italia republica careret; id adhuc commemoro, falſum eſſe, quod tradit Chronicon tabularii Capit. Civitatenſis apud de Rubeis append. 3. fol. 8. his verbis: *Aquileja poſt 3. annos capta eſt, & deſtructa per dictum Attilam, dicto Niceta Patriarcha ab infidelibus crudeliter interfecto*; nam præterquam, quod de triennali obſidione, omnes prope jam dubitent, Nicetam Patriarcham an. 458. adhuc vixiſſe, eique Papam Leonem ſcripſiſſe, certe conſtat. Unde an. 451. def. Januario ſucceſſit Secundus, deſtructionem urbis ſuæ expertus, cui an. 454. Nicetas ſubſtitutus eſt vir Catholicus, & multas tribulationes expertus, ut ſuis locis dicetur, & epiſtolis S. Leonis probabitur.

Venetiar. origo.

Januarius Ep. Aquil. an. 451. Secundus a 454. obit. ſuc. Niceta.

Attilæ mors.

XXII. Vaſtatis Italiæ urbibus, ſola Roma intacta, Attila an. 453. reverſus eſt, in *Pannoniam & Daciam*, & pacis impatiens, in Martianum Orientis Imperatorem arma vertit, ſed repulſus in Daciam brevi poſt tempore, hoc vel ſeq. anno, vivere deſiit; teſte Jornande Geti-co cap. 43. in Gallia contra *Alanos* pugnaſſe, legitur Attila, Alanos Diſſ. 1. §. 11. a Danubio intra Trunam & Anaſum habitaſſe oſtendi, aſt cum Jornandes eos in Gallia Ligeris accolas nominet, cenſeo eos vel fuiſſe diverſos, vel eorum partem in migratione gentium Barbarorum in Galliam abiiſſe.

Alani qui.

Extincto

Extincto Attila, concidit Regnum Hunnicum, diſcordia filiorum ſuorum, cum enim gentes ſibi dividi æqua ſorte depoſcerent, Ardericus Gepidarum Rex ea occaſione uſus, arma corripuit, Ellacum natu majorem, cum 30. Hunnorum millibus delevit, reliquos ad Pontici maris littora ejecit, ſicque poſt commiſſum *inter Pannonias*, incerto loco prælium, Gepidas, Oſtrogothos Herulos, primus libertate donavit, ex quibus conjicio, Oſtrogothos, ut num. 19. dicebam, in *Pannonia ſuperiore*, Herulos & Rugos, ut ex vita S. Severini pateſcit, *in Norico*, atque, ut quidam volunt, Gothos *in Norico Mediterraneo* conſediſſe. En ſortem *Styriæ noſtræ!* quæ Romanis ſenſim erepta, hiſce Barbaris incolis habitari cœpit. *Hunn. regni excidium.* *Styriæ incolæ varii.*

XXIII. Nicetam Patriarcham Aquilejæ, magnas tribulationes perpeſſum dixi n. 21. etenim circa an. 454. cum teſte Dandulo plurimi profugorum ex Aquileja, aliisque etiam Styriæ noſtræ locis, ad priora domicilia redirent, factum eſt, ut plurimæ mulieres, credentes veriſimiliter, viros ſuos in hac perſecutione fuiſſe occiſos, cum aliis matrimonia contraherent, redeuntibus vero viris, coram Niceta Epiſcopo Diœceſano quæſtio eſt agitata, cuinam virorum cohabitare deberent: Nicetas ex reſponſo S. Leonis Papæ, quem conſuluerat, litem terminavit decidens, ad priores viros, relictis ſecundis, eis eſſe ſalubriter redeundum. *Fata ſubſequa ex bello Attilæ.* *De matrimoniis in Diœc. Aquil.*

Opportune his Patriæ etiam noſtræ turbis ſubmiſſus eſt a Deo, S. Severinus Abbas, Noricorum Apoſtolus, de quo plura Diſſert. 2. in Auſtriæ noſtræ partibus ſedem potiſſimam ſibi elegit, & *Aſturis* oppido (hodie plerisque Stockerau) morabatur, vivens juxta Apoſtolicam, & Evangelicam cum ſuis doctrinam. *S. Severinus Noric. Apoſt.*

XXIV. Valentinianus III. Aug. dum an. 455. irreparabili damno, læva ſua, dexteram ſibi, ſeu Aetium Ducem præſtantiſſimum, reſecaret, & occideret, ipſemet Petronio Maximo Authore necatus eſt, ſed cum impius hic parricida Valentiniani viduam, ad nuptias ſecum celebrandas cogeret, eique ſe cauſam & Authorem necis, mariti fuiſſe fateretur, Eudoxia furiis impotentibus abrepta, Geiſericum ex Africa invitavit, qui Romam præſidio vacuam, ſine negotio obtinuit, eamque ab igne, cæde, incendiis ad preces S. Leonis P. abſtinens, prædæ tamen per dies 14. expoſuit, dein millenis, & ultra ſecum abductis captivis, interque hos Eudoxia matre, ac filiabus Eudoxia & Placidia, Carthaginem abiit. *Valentinian. 3. an. 455. cæſus.* *Roma capta a Genſerico.*

Petronio in fruſtra conciſo, ac in Tiberim abjecto. Avitus Imperator Occidentis eſt acclamatus, qui inter innumeras Barbarorum in Romanum Imperium irruptiones, Theoderici Viſigothorum Regis amicitia ac fide obtenta, *Pannonias* denuo Romano adjunxit Imperio, Sidonio teſte in Panegyr. Aviti: *Avitus Imper. Occid.*

Et cujus ſolum, ammiſſas poſt ſæcula multa Pannonias, revocavit iter &c. Conſonat Aventinus docens de eodem: *Pannonias ammiſſas reſtituit, poſt multa ſæcula Romano Imperio.* *Pannonias Imp. Rom. reſtituit.*

XXV. Obſcura ſunt hæc, fateor, teſtimonia, nec morarer Aventino contradicere, ni Sidonius obſtaret; quomodo enim Avitus ſolo itinere *Pannonias*, & quidem, *poſt multa ſæcula ammiſſas* recuperavit? Ida- *Quo modo.*

tius in Chron. ad annum 1. Aviti Imp. ait: eum miſſa ad Martianum ex itinere legatione, eas recuperaſſe; dixi num. 19. *Pannoniam utramque* an. 450. a Valentiniano III. Occid. Imperatore tanquam propugnaculum Orientis Martiano relictam eſſe, inde in Pannonias Oſtrogothos locatos, qui ad an. 457. ibidem perſtitere: vix etiam capio, verba illa *poſt multa ſæcula ammiſſas* fuiſſe *Pannonias*, quæ vix ante 70. annos, Romanis ademptæ, ab Hunnis & Gothis fuere occupatæ; in re hac ſatis ardua, ita dici poſſet: Pannoniæ an. 450. Martiano datæ ſunt a Valentiniano III. inde conceſſu Martiani eas ſubierunt Oſtrogothi, ſupremo tamen jure, Martiano relicto. Hoc anno Avitus Imper. Occidentis, ſupremum hoc jus & titulum inanem Pannoniarum, ab Orientali Imperio, ad Occidentale transtulit; *inanem*, inquam, *titulum Pannoniarum*, nam ex vita S. Severini conſtat, Pannonias variis a Barbaris fuiſſe incultas. Quid vero ſignificent illa verba: *poſt ſæcula multa ammiſſas Pannonias*, facilius explicantem audiam, quam ipſe ſententiam feram, cum neminem hactenus Authorum videre licuerit, huic ſe difficultati enodandæ ingerentem.

Styria ſub Avito Imp. Occid. XXVI. Quamvis vero n. 16. ex Petro de Marca ſtatuerim, Valentinianum III. in donatione Illyrici, Theodoſio facta, ſibi reſervaſſe, *Noricum*, *Pannonias*, & *Dalmatiam*, potuit tamen 1. Valentinianus an. 450. ob terribiles Hunnorum irruptiones, Martiano belli ſtudiis clariſſimo, Pannonias relinquere, easque Avitus veteri jure ſibi denuo hoc anno vindicare. 2. Hac etiam expoſitione ſtante, *Styria*, plurima ſui parte, Norico concluſa, penes Avitum, & Occidentale Imperium remanſit; unde non ſubſcribo, Megiſero, & Aventino ex Cantal. Ducum Norici, Trigetium Carinthiæ & Styriæ Præfectum fuiſſe, quomodo enim ex his verbis Aventini: *Trigetius tractui Danubiano, contra incurſantes Maſſagethas præficitur*, inferri poteſt, eum quoque Norico Mediterraneo, & Pannoniæ ſuperiori, a limite Danubii ſatis remotis, Præſidem fuiſſe datum; conſtat etiam, Pannonias hoc tempore ab Oſtrogothis incultas, ſolo ſupremi juris titulo paruiſſe Romanis, Noricum etiam, Rugis, Herulis ſubjectum, in quibus proin terris, fruſtra, ut opinor, Romani Præfecti quæruntur.

** Trigetius an Præf. Styr.*

Fames in Styr. XXVII. Præter hoſtes Barbaros, premebat *Styriam noſtram cum Norico & Pannonia*, famis acerbæ malum, eo quod nec ſeri quidpiam an. 456. ob hoſtiles metus, nec quod terræ etiam timide commiſſum, ob aeris inclementiam importari poſſet; Vindobona urbs maximum annonæ defectum patiebatur; hoc malo aliquantum, forte S. Severini ejusque diſcipulorum, ope ſublevata, mox alteri procellæ expoſita eſt Styria, circa an. 460. dum enim an. 457. Avitus Imper. Occid. a Ricimere captus, in prælio, cum Majorano ſucceſſore, vitam privatam & teſte Fleury lib. 28. Epiſcopum Placentinum agere juberetur, Gothi Pannoniæ incolæ, indigne ferebant Aviti depoſitionem, ad arma itaque converſi, a Majoranno tamen cum Rege ſuo compreſſi, contra Wandalos in Africa pugnare cœperunt; hoc in bello, cum Majorannum juvarent etiam Suevi, Pannonii, Oſtrogothi, Rugi, aliique Occidentalium Barbarorum plures, Rugi ſub Flaccitheo Rege tranſitum in Italiam *ab Oſtrogothis Pannoniæ ſuperioris* incolis petierunt, qui cum negare-

Oſtrogothi Pan. ſup. relinquunt.

garetur, Rex eorum ad S. Severinum confugit, qui eum ſecurum eſſe juſſit, eo quod Gothi brevi, his ex terris ſint diſceſſuri. Oſtrogothi hoc tempore in Italiam non movere, quo an. 423. abiiſſe dicam, ſed iter eorum, relicta Pannonia ſuperiore vel contra *Satagas infer. Pannoniæ incolas*, vel contra Ulzingures, Angiſivos, aliasque Hunnorum reliquias directum, varia dein cum Scyris, Alanis, Suevis, ſeu Suavis prælia geſſerunt, dum interim *Noricum Mediterraneum* cum Ripenſi, paulatim defluentibus ad extrema Romanorum præſidiis ad exitium properaret; his itaque Styria procellis plurimum conturbata eſt, Romani Norico Mediterraneo ſuccurrere non poterant, Pannoniam Oſtrogothi Romano nomini devoti deſerebant, ſicque Styria undique deſerta cuivis Barbararum gentium prædæ expoſita erat. *Styriæ turbæ an. 460.*

XXVIII. Oſtrogothorum cum Suevis in *Pannonia Savia* bellum, res noſtras concernens, aliquantulum attingendum videtur. De Suevis in Pannonia locatis lib. 1. num. 62. quædam dixi, *Suevos* hos *Pannoniæ Saviæ* incolas, Jornandes Geticus, non Suevos, ſed *Suavos*, quia *Saviæ Pannoniæ* incolas vocat: Oſtrogothi enim, ubi viderunt, veteres Pannoniæ ſuperioris ſedes ſibi non ſufficere, nec ſubſidia ſibi a Romanis valida præſtari poſſe, relicta Pannonia ſuperiore, vicinas gentes prædari cœperunt, varia cum *Scyris* (quos frigido ſoni argumento, Aventinus & Lazius Styros faciunt) Alanis, Sarmatis, aliisque inferioris Pannoniæ incolis prælia gerunt, maxime vero cum *Suavis* Pannoniam, ut dixi, ad Savum, proin *Celejenſem agrum* incolentibus, quibuscum bellum hoc an. cœptum, anno 473. plene confectum oſtendam, cum hoc anno contra Hunnos ſibi reſiſtentes agere, eosque ex omni Pannonia ejicere conarentur. *Pannoniæ Saviæ bellum an. 460. cœptum.*

Styriæ noſtræ ſub Majoranno Imp. Præſidem datum *Burdonem* Megiſerus & Author MS. Chron. Styr. docuere, ex Aventino dicente: *Majorannus Burdonem Rhætiæ præfecit*, nullo tamen alio argumento Prætor Burdo impugnandus eſt, quam quo de Trigetio num. 26. utebar. *Burdo an Prætor Styr.*

XXIX. Eccleſiaſticæ Styriæ notio ex actis S. Leonis P. cum Niceta Aquilej. Epiſcopo deſumi poteſt, ex iis enim patebit, quanta Styriam noſtram cum Diœceſi Aquilej. mala inundaverint, ex continuo, cum Hunnis, Barbaris aliis, præſertim Gothis, ac hæreticis commercio. Nicetas Epiſcopus, Adeodato Legato Diac. a S. Leone ſibi cum litteris miſſo, quædam dubia Leoni Papæ communicanda, commiſit perferenda, ad quæ S. Leo P. reſpondit epiſtola in 7. capita diſtincta: 1mum erat: *De fœminis, quæ occaſione captivitatis virorum ſuorum aliis nupſerunt.* 2. *An culpabilis ſit, qui locum captivi mariti aſſumpſit.* 3. *Reſtituendam eſſe uxorem primo marito.* 4. *Excommunicandas eſſe mulieres, ad primum maritum redire nolentes.* 5. *De his, qui captivi cum eſſent, idolothyta fame, vel metu compellente comederunt.* 6. *De his, qui errore, vel metu rebaptizati ſunt.* 7. *De his, qui ſemel baptizati ſunt, ſed ab hæredicis.* Ex quibus capitulis videmus, in Diœceſi Aquilejenſi, proin etiam Patria noſtra, perverſos & ſeductos plures fuiſſe per Barbaros, hisque commixtos hæreticos ac ſchiſmaticos Donatiſtas, ut iterato baptiſmate tingi, vel more hæreticorum baptiſmum ſuſcipere cogerentur; ſane his etiam in terris, ac in Norico Ripenſi, ſuperſtitioſos, & hæretico- *De fide Chriſti in Styria.*

rum errores, deprehenſos a S. Severino teſtatur Eugippius in vita ejusdem.

Noricum ſub Romanis.

XXX. *Noricum*, hoc tempore Pannonia & Dalmatia clauſum, in fide quidem, & obſequio Romani Imperii agebat, tametſi ab omni fere parte, frequentibus Gothorum, Suavorum, Alemannorum, Herulorumque incurſibus laceſſeretur; Noricum Ripenſe ſæpius, Mediterraneum tamen, etiam crebro viſitabat S. Severinus Abbas, & hoc quidem anno 467. *Jubam Norici Mediterranei oppidum*, vel ut alii, *Jovavum*, hodie Salisburgum, venit, atque ad veſpertina officia, cum ignis ad accendenda lumina deeſſet, ea fuſis precibus accendit, plura alia in Rhætia, ac Auſtria patrata a S. Severino miracula aliis enarranda relinquo, id ſolum ex ejusdem vita eruo, Barbaros, quamvis in *Norici & Pannoniæ confinio*, multa patrarent incommoda, a cædibus tamen & excidiis oppidorum hoc tempore, ſuas manus continuiſſe. Ripenſe Noricum ab Alemannis peſſime habitum eſt, cui, ut ſuccurreret S. Severinus, ex ſuis diſcipulis *Maximum Noricenſem*, in *Noricum Mediterraneum* (quod ſine addito, *Ripenſis*, in Eugippio, ſimpliciter Noricum vocatur, ut Diſſert. 2. dixi) miſit, veſtes pro Noricis Ripenſibus collecturum, & vero, ubi collecta veſtium ſat magna copia, per medias hyemis nives redire ad S. Severinum Maximus voluit, cum ſociis, nivium multitudine prope circumvallatus, de vita deſperare cœpit, at ecce! adeſt S. Severinus adſtans, eumque ac ſocios in ſopore his verbis animans, *Nolite timere! pergite, quo cœpiſtis*, evigilantibus, ſubito ingens urſus dux viæ adeſt, per 12. milliaria eos viam rectam edocens. Miraculum hoc, *ob ſumma alpium cacumina*, & *immenſam nivium copiam*, in confiniis Styriæ modernæ ſuperioris, & ditionis Salisburg. contigiſſe opinor.

S. Severinus Salisburgi.

Suavorum bellum cum Gothis an. 470.

XXXI. Annus 470. inter alios, *Pannoniæ Noricique* faſtis memorabilis fuit, cauſam *Suevi* (quos alii cum Alemannis confundunt alii cum Jornande Getico cap. 53. a *Suavis* ſeu *Pannoniæ Saviæ* incolis diverſos non habent) dederunt. Hunimundus enim eorum Rex, dum ad populandam Dalmatiam erumpit, Gothorum armenta in campis oberrantia, abegit; id ægrius tulere Gothi, quare Suavis redeuntibus ſub Theodemire Duce, *ad lacum Pelſonis*, hodie *Neoſolienſem*, cum magno præſidio inſidias locant, non tam hujus prædæ dolore, quam majoris licentiæ metu ducti, nocte intempeſta aggrediuntur *Suavos*, eosque ita opprimunt, ut Hunimundo Rege capto, omnis exercitus, qui ferrum evaſit, compedes Gothorum induere cogeretur; mox vero Theodemirus Rex Gothorum miſericors, frater Wallemiris, facta ultione veniam Suevis condonavit, & Hunimundum eorum Regem, filium ſibi adoptans, cum ſuis in Suaviam remiſit, ita Jornandes Geticus cap. 53.

Jam ſæpius dixi, me cum Jornande Getico cit. Suevos hos, ſeu *Suavos*, *Pannoniæ Saviæ* incolas, cenſere, confirmat eam ſententiam Procopius de bello Goth. lib. 1. cap. 15. his verbis: *Hinc ſe aperit Prebalis regio, ſequitur, cui nomen Dalmatiæ eſt - - - proxima Liburnia, huic Iſtria, deinde regio Venetorum ad Ravennam urbem porrecta; atque hi ſunt maris accolæ, ſupra quos Siſcii & Suabi, non illi, qui Francis parent, ſed ab iis*

Suevos hos a Suevis Franciæ ubjectis diſtinctos eſſe probat.

iis

iis diverſi inferiores terræ tractus obtinent, ultra hos Carni ſiti ſunt, Noricique. Ex his itaque verbis & inſpectione Chartarum Geograph. veterum, patet: 1. *Suabos* Procopii, eosdem cum *Suavis* Jornandis Getici, diſtinctos fuiſſe ab illis Suevis, *qui Francis parent*, quos alii Alemannos volunt. 2. Eosdem *Suabos* ſeu *Suavos* fuiſſe Pannoniæ Saviæ incolas, hi enim fuere *Sciſciis contermini ultra hos* erant *Carni*, *Noricique*. *Suavia* certe, ſeu *Pannonia Savia*, Dalmatiis vicina, nec ab aliis Pannoniis diſtabat multum. 3. Inter Reges Suevorum, ſub Francis ſervientium, ſeu extra Pannoniam ſitorum, nullus hoc tempore apparet Rex Hunimundus, ſed Reſmiſmundus, poſt hunc Hermericus, Rechila, Reciarius, Meldra, Frumarius, Remiſmundus, Theodemundus, ut videre eſt apud Iſidorum in hiſtoria Suevorum, in Pagio num. 7. & anno 456. num. 4. anno 460. num. 11. anno 465. num. 9. 4. Lazius ipſe de migrat. gentium lib. 8. adfert diverſos in Norico Mediterraneo, ac Liburnia Reges, ab iis, qui in Hiſpania regebant. 5. Sedes Suevorum a Suavis diſtinctas narrat Jornandes Geticus cap. 55. hiſce: *Regio illa Suevorum*, nempe Francis parentium, *ab Oriente habet Bajobaros, ab Occidente Francos, a Meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos.* Neque hi Suevi cum Gothis bellum geſſere, cum ad populandam Dalmatiam, a ſe ſat diſſitam, excurrere non potuerint, & Hunimundus Rex, ex Dalmatia in Sueviam reverſurus, iter ſecus *lacum Pelſodis*, ſeu Neiſidienſem feciſſe non videatur.

XXXII. Styriam noſtram, *ad agrum Celejenſem* ſitam, huic bello fuiſſe expoſitam, nihil dubito, tum quod plures ſcriptores *Pannoniæ, Saviæ* attribuant *territorium Celejenſe* cum *Marchia Vindica*, tum quod excurſus hic Suavorum, ad fines hodiernæ Styriæ, & in *Pannoniam ſuperiorem*, quæ *Petovio* in ortum, uſque ad Arabonem fluvium procurrebat, factus fuerit, quibus in locis Suavi, armenta Gothorum cepere, ac in reditu ſuo, ad lacum Pelſonis oppreſſi, cæſique fuere. *Styria huic bello obnoxia.*

Poſt hos motus, etiam Suevi alii, ſeu Alemanni, *Norico Mediterraneo*, proin Patriæ noſtræ parti majori exitium meditabantur, S. Severinus, Noricos deſuper admonuit, per *Maximum Noricenſem*, datisque ad *S. Paulinum Tiburniæ Epiſcopum* litteris, eundem dimiſit; S. Paulinus triduano jejunio indicto ſuos ad preces eſt cohortatus, moxque completo jejunio adeſt immenſa Alemannorum multitudo, omnia feraliter vaſtans, caſtellis tamen parcens. *Noricum Med. & pars Styr. ab Alem. vaſtatur.*

XXXIII. Hunimundus Suavorum Rex, accepta nuper clade, multoque magis, captivitatis ignominia provocatus, Theodemirum Oſtrogothorum Regem, quem patris loco habere debuiſſet, hoſtili perſequi bello juveniliter ſtatuit, *Scyros* itaque *ſupra Danubium e Regione Gothorum conſidentes*, Gothorum antea ſocios, ad fœdus rumpendum permovit; Gothi cognita Scyrorum perfidia, ad novum ſe bellum comparant, vixque coorto prælio, Wallemir Gothorum Rex, equo prolapſus, ab irruente hoſte lanceis eſt confoſſus, caſus hic iram Gothis bilemque movit, tantoque in adverſam partem impetu ſunt delati, ut de Scyrorum gente pene nullus evaſerit Jornande teſte. Suavi, Gothis, deleta auxiliariorum gente, impares, nova ſibi a Sarmatis, ſub Beuga & Bagai Regibus ſubſidia, uti & a Scyrorum reliquiis expetierunt, *Suavorum cum Gothis bellum contin. 471.* *Scyrorum ſedes.* *Suavi denuo caſ.*

runt, quibus etiam hi cum Gepidis & Rugis ſuccurrebant; caſtra ad amnem *Bolliam in Pannonia* locata a Suavis, ad pugnam ubi deventum eſt, Gothi, Theodemiro & Walemiro Ducibus denuo Victores facti ſunt, Suavis deletis ad 10. circiter millia.

Ad fl. Polan Styr. infer. In Styriæ vicinia prælium hoc geſtum fuiſſe, indicat *amnis Bolliam in Pannonia*, quem fluvium Megiſerus aliique fluvium *Polan*, inferiorem Styriam cum Carniolia rigantem credunt.

Non tamen adhuc quievere Suavi, licet jam ſatis contriti, unde an. 473. teſte Jornande Getico cap. 55. Theodemirus Gothorum Rex, hyemis tempore, per congelatum Danubium *Suevis improviſus a tergo apparuit*, & *tam Suevorum gentem, quam etiam Alemannorum, utrasque ad invicem fœderatas devicit, vaſtavit, ac pene ſubegit.* At quomodo Gothi in Pannonia reſidentes repente Suevis a tergo eſſe potuerunt per congelatum Danubium, cum Suevi illi, non *Suavi* ultra Lycum fluvium eſſent extenſi; P. Sigiſm. Calles ad hunc annum, varias viarum explicationes adfert. Tandem valde probabiliter concludit, Jornandem hoc loco *Suevos* ſupra Lycum habitantes, confudiſſe cum Suavis, Pannoniæ Saviæ incolis, atque de ſuo addidiſſe, quæ de congelato Danubii tranſitu adjunxit.

XXXIV. Sarmatis devictis, Singiduno capto, Suevisque etiam ad Lycum cæſis, cum Gothis finitimarum ſpolia gentium deeſſent, mox velut ad arma nati, & rapto vivere aſſueti, Theodemirum Regem ſuum exorant, ad nova ſe bella accingeret. Theodemirus conſilio cum fratre Widemiro habito, ſtatuit, ne gens bellicoſiſſima Gothorum, *otio* tabeſceret, ac fame laboraret, *e Pannoniis* migrandum eſſe, relicto tamen his in terris Præſide de ſua gente; mox fratres ambo Reges, miſſa ſorte, Theodemirus orientale, Widemirus occidentale regnum ſibi expugnandum aſſumunt, atque *ex Pannonia* migrant.

Gothi ex Pannonia migrant an. 473.

Præfectum ex ſuis in Pannonia relinquunt. Antequam vero *Pannoniam* deſererent, e ſua gente ſtatuerunt *Pannoniæ Præſidem*, cujus nomen ignotum, nē novis obtentis terris, veteres ſpreviſſe viderentur; Theodemirus dein transmiſſo *Savo flumine*, occupat Naiſſum aliasque urbes, nec antea deſtitit, donec Pautalia Provincia, Thraciam inter ac Illyricum media, Gothis habitanda daretur, Widemirus frater Italiam quidem petiit, ſed rebus ſimul abſceſſit humanis, cujus filium Widemirum, Glycerius Imp. Occidentis, muneribus donatum, in Gallias dimiſit, ubi renovata cum Viſigothis amicitia, per Gallias & Hiſpanias, nullo ſibi hoſte ſufficiente regnarunt.

S. Severinus Tiburniæ oppugnat, prædicit. Hac in Oſtrogothorum e Pannoniis migratione factum eſt, quod refert Eugippius de Tibornienſibus cap. 17. in vita S. Severini, cum enim *Norici Mediterranei*, hosque inter Styri noſtri, Tiburniæ vicini, veſtium collationem elargirentur, Sanctoque deferrent Severino, interrogavit nuntios, an etiam *ex oppido Tiburniæ* ſimilis veſtium collatio adeſſet, reſpondentibus, protinus ſubmittendam, repoſuit Vir Sanctus: *Dilatam eorum oblationem Barbaris eſſe offerendam*, quod etiam contigit, nam *Gothis* in Italiam abituris, & eam urbem obſidentibus, *obtulerunt largitionem jam in unum collatam, quam mittere Dei famulo diſtulerant.*

Pannon. & Nor. ſub Rugis 473. XXXV. Pannoniam ab Oſtrogothis relictam, uti & Noricum, Rugi ſub Feletheo Rege occupaſſe videntur; circa an. 475. Feletheo

huic

huic Rugorum in Auſtria Regi, Gothos ſibi infeſtos timenti prædixerat S. Severinus, nil ſibi a Gothis timendum eſſe: oraculo reſpondit eventus, *Oſtrogothis enim e Pannonia excedentibus*, occaſione uſus Feletheus, *Pannoniam fere omnem cum Norico* ſibi ſubjecit, teſte Eugippio; hæ nempe terræ ab Oſtrogothis jam vacuæ, ob aſſiduas Alemannorum & Thuringorum incurſiones, militia Romana in his terris defluente, ne eſſent inermes, & quibusvis armis obnoxiæ, Rugorum & Herulorum auxilia imploravere, unde quoque factum, ut *Faviana urbs*, quæ cum ea Pannoniæ parte, cui inerat, uſque ad lacum Peiſonis, in Romanorum poteſtate ab an. 454. manebat, hoc circiter tempore, Feletheo, Rugisque ſubeſſe cœperit; id certum, omne Noricum ſuperius, cum magna etiam Pannoniæ ſuperioris parte jam expoſita, Feletheo & Rugis ceſſiſſe.

Styria tamen ſub Oſtrogothis.

An vero etiam *Noricum Mediterraneum*, proin *Styriæ noſtræ pars maxima*, Rugis ceſſerit? dubito vehementer, non enim Gothos, quos infeſtos Feletheus timuit, aggreſſus fuiſſe videtur, ſed ſolum in vacuas horum, Romanorumque ſedes ſucceſſit, ut adeo terras has, quas Præfectis ſuis relictis, ſibi Gothi reſervaverant, ſicque *Styriam noſtram*, etiam ſub Præfectis Gothorum remanſiſſe arbitrer.

Occid. Imp. caſus 476.

XXXVI. Herulis an. 476. Salisburgi ſævientibus, & S. Maximum Presb. ſuſpendio necantibus, triſtiſſimus ſimul Occidentalis Imperii caſus contigit, Auguſtulo depoſito, & Odoacre Auguſti titulum deprecante; inde Africa ſub Wandalis, Hiſpania, & magna pars Galliæ ſub Gothis, reliquapars Galliæ ſub Burgundis & Francis, M. Britanniæ pars, ſub Anglo-Saxonibus, Auſtria, *Styria*, & conterminæ Provinciæ, ſub Rugis, Herulis, Oſtrogothis gemere cœperunt; obierant ſimul Provinciarum noſtrarum incommodo S. Severinus Abbas an. 482. atque Nicetas Aquilejæ Epiſcopus an. 485. cui ſucceſſit Marcellianus, Belinenſis Monaſterii Fundator, mox commiſſo inter Odoacrem & Feletheum acerrimo bello, cum Rugi victi eſſent, Odoacer Rex *Noricum omne*, & quod vicinum eſt, in ſolitudinem dare decrevit; quod etiam an. 488. ſub Friderico Feletheï filio factum, Romani omnes e *Norico* abducti ſicque id non ſolum ſuis incolis privatum, ſed oppidis etiam omnibus vaſtitas inducta eſt, ne monumentis quidem parcitum, atque hoc tempore Juvavia, Tiburnia, Laureacum, aliæque urbes Norici exciſæ, & S. Severini corpus e tumulo Favianenſi ad montem Feletum (fors Montefeldre, Picæni, Umbriæque oppidum) a Lucillo Presbytero eſt deportatum.

S. Severin. obit an. 482.
Nicetæ Aquilej. Marcellianus ſucc. an. 485.
Norici vaſtatio an. 488.
S. Severini tr. translat.

Longobardi in Auſtr. veniunt transdanub.

In Auſtriam transdanubianam, Rugorum cæde exhauſtam, & incolis vacuam, teſte Paulo Diac. cap. 19. lib. 1. *Longobardi de ſuis regionibus egreſſi venerunt*, nempe *in Rugiland, quæ latino eloquio Patria Rugorum dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis.* Idem tradit Lazius de migrat. gent. lib. 12. col. 642. Quid vero in citeriore Auſtria, Norico reliquo ac Pannonia factum ſit? ægre diſpicitur: Herulos in reliqua Auſtria, Oſtrogothos in utraque Pannonia, proin contermino etiam Norico Mediterraneo, Styriaque noſtra remanſiſſe opinor; concidiſſe in his terris multum fidem Chriſti, tam ob Aquilejenſis ſedis inopiam ac vaſtitatem, quam ob mortem

Styria ſub Oſtrogothis remanſit.

Conſtantii Epiſc. Laureac. ſcribit Ennodius in vita B. Antonii Leri-
Viri SS. e Norico & Pannon. nenſis apud Sirmondum tom. 1. quo S. Viro, uti & Lucillo, S. Leoniano e Sabaria Pannoniæ oriundo, Silvino, Paulino, Marciano, Maximiano, Bonoſo, Maximo Noricenſi, merito Noricum, & Pannonia, ſæculi unius dimidio gloriari potuit.

Theoderico cum Gothis e Pannonia & Norico Italiam ſubit an. 489. XXXVII. Fridericus Felethei Rugorum Regis filius, ad Theodericum Gothorum Regem ab Odoacre profugus effecit, ut Theodericus a Zenone Imp. Orientis poteſtatem occupandæ Italiæ peteret, & obtineret; hinc Theodericus Rex *ad ſuos* (Oſtrogothos in Pannonia, Norico Mediterraneo & circumſitis locis, ſub Præfectis conſtitutos) *revertens, omnem gentem Gothorum - - aſſumens, Heſperiam tendit, rectoque itinere per Sirmas aſcendit vicinas Pannoniæ indeque Venetiarum fines ingreſſus &c.* Italiam ſubiit, Odoacer Rex ad Aquilejam victus eſt primo, ſimulque in gradum inſulam Marcellianus Epiſc. Aquil. fugit, ut Theoderici Ariani Regis, minas vitaret. In campis Veronenſibus prælio renovato, denuo victus Odoacer, ac tertio ad Adduam fluvium, Ravennæ, cum quartum palmam cedere debuiſſet, pacem cum Theoderico Rege an. 493. iniit, moxque eodem an. in epulis eſt occiſus.

Odoacer Aquilejæ victus.

Theoder. Rex Ital. Theodericus, ſublato Regni æmulo, Rex Italiæ confirmatus, Auguſti titulum a ſe quidem deprecatus eſt, diverſum ſe tamen ab Auguſto non geſſit, moxque *Pannoniam omnem, & Illyricum* ſuæ ditioni adjunxit.

Pannon. omnem & Illyricum ſibi ſubjicit.

Styria ſub Theoder. Rege. Theodorico itaque cum Italia omni, etiam *Styria noſtra* paruit, ejusque imperia & leges eſt venerata, eoque magis, quod teſte Procopio, Theodericus *Provincias ſuas e vicinis Barbaris intactas cuſtodierit.* Ita Procopius lib. 1. cap. 1. docet vero idem Procopius cap. 15. Theodericum, *Carnios, Noricos, Pannones* ita in ditione habuiſſe, *ut ſimul adventum* Barbarorum *junxerit & exitum*, quemadmodum etiam Ennodius ait.

S. Severini 2. translatio. Atque hujus ſæculi fine an. 496. ſecunda S. Severini translatio contigit, e monte Fellete nimirum ad caſtrum Lucullanum.

Sæc. VI. XXXVIII. Ad res Styriæ noſtræ ſæculo 6. geſtas dilabor, quo, quoniam crebrior occurret Bajorum mentio, quædam de iis præfari
Bojorum nomen. oportet. Bajorum nomen jam ante Chriſti tempora occurriſſe, dein in Noricorum vocabulo ad tempus conſepultum, mox Noricis perpetua oblivione deletis, varia ſub nomenclatura prodiiſſe oſtendi Diſſ. 1. Hoc ſæculo, immo ad an. 470. ſatis inſigne fuit Bojorum nomen, uti Jornandes teſtatur, quo Authore vix vetuſtiorem, poſt priſca Romanorum Imperatorum tempora, eſt reperire, qui Boici nominis liquido, & diſerte meminerit. Varie quidem efferebatur hoc nomen,
Varium. *Bajobari, Boibari, Bajoarii*, & corruptiſſime *Waivvari, Bauvvarii, Baugarii, &c.* ſunt appellati, ut pluribus, Baronius, Pagius, Velſerus habent, id interim conjicio, *Bojos* vel tardius has in Bavariæ modernæ terras veniſſe, vel ſe Theoderici legibus & imperio ſubjeciſſe; falſum enim mihi videtur, quod referunt Aventinus, Megiſerus, & rerum Boicarum Scriptores, Theodonem conflato ex Hunnis, Avaribus Carinthis &c. exercitu, Romanis Pannoniam eripere voluiſſe, & quæ ſunt aliæ hujus generis fabellæ; cum ex prædictis conſtet Pannoniam jam diu, ante hæc tempora, Romanis abſtractam, Gothis fuiſſe ſubjectam.

Fabula de Theodone & Bojis expenditur.

Præte-

Præterea quis credet, Bojorum manum modicam parem fuiſſe debellando toties, & expellendo variis e terris Theoderico, qui ſolus unus tot Regibus, toti imperio Romano formidabilis erat; hæc proin jure inter fabulas refero, cum nec Jornandes, nec Caſſiodorus, nec quisquam veterum eorum meminerit, immo Velſerus gloriæ Bojorum propagandæ ſolertiſſimus, hæc Theodonis, Bojorumque in Theodericum geſta, nunquam reticuiſſet, ſi veritati conſona comperiſſet, ita vero e contrario lib. 1. rer. Boicarum ſcribit: *Puerile eſt, quod Palatini Comites, in Caroli Majoribus numerentur, id de Bojis interpretari, Theodonem magnum inter populares pro Patre regnaſſe, Legatos Anaſtaſii Imp. ad eum veniſſe, tentaturos adoleſcentis animum, ut quem armis minus poſſent, callida oratione circumventum Romanis ſubjicerent, ſed irrito conatu domum reverſos eſſe; Theodonem reliqua Provinciæ perrexiſſe debellare, pontes Oeni cepiſſe, plerasque urbes evertiſſe, Romanos multis præliis conciſos deſperatione rerum ſuarum actos in Italiam rediiſſe - - - ipſum ſedem Reginoburgam habuiſſe, fato functum, poſtquam ſex & viginto poteſtatis annos explevit, imperio æquis portionibus inter tres ſuperſtites filios diviſo, Theodonem III. Utonem, & Theodovaldum &c.* Plura adhuc habet Velſerus cit. nullum proin horum Ducem Bavariæ fuiſſe, ſed Garibaldum primum Ducem ad an. 556. inferius dicam.

XXXIX. Marcelliano Epiſcopo Aquilej. ſub an. 500. defuncto ſucceſſit Marcellinus natione Romanus, qui e Grado Aquilejam denuo abiit, eamque urbem cum Eccleſia reformavit, ac Synodo 4. Romanæ ſeu Palmari, in cauſa Symmachi Papæ an. 503. adfuit. Anno ſeq. *Cethego Conſule*, inquit Caſſiodorus, variar. lib. 8. epiſt. 10. *Virtute Domini noſtri Regis Theoderici, victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia*, cui Rex illico Coloſſæum Præfectum dedit, inde ut quieti terrarum ſuarum conſuleret, *Rhætiæ Servatum Ducem*, ſeu *Præſidem*, *Pannoniæ Saviæ Fridiladum* (aliis Fridabantum, vel Friduladum dictum) præfecit, uti ex Caſſiodori lib. 1. epiſt. 11. & 49. videri poteſt. Noricis, qualem Præfectum dederit? compertum non eſt, eos ſub Theoderico paruiſſe ejusdem Regis epiſtola, apud Caſſiodor. cit. lib. 3. epiſt. 50. probat: quæ data legitur *Noricis Provincialibus*. Severinum quoque *univerſis poſſeſſoribus in Suavia conſtitutis*, Judicem delegatum attribuit, quem ideo opinione mea Velſerus cum Aventino non recte Præſidem dixit. Ex quibus invictis teſtimoniis Caſſiodori, aliisque motivis n. 38. adductis erroris arguuntur, plurimi Authores & Chronica, uti Salisburgenſe, Admontenſe vita S. Maximiliani, MS. Chron. Salisburg. Biblioth. Vorav. Chron. Bavar. Laureac. & Patav. Bernardi Norici &c quæ Bojos, ſub nomine Noricorum, in Bavariam reverſos, Latinis ſeu Romanis ejectis, atque ad Oetingen a Theodone proſtratis teſtantur; nam fabulas has omnes, illuſtres Duumviri hiſtor. Bavar. M. Velſerus & Andreas Brunnerus, jam dudum confixerunt; Bojos itaque, nomine Noricorum comprehenſos, Theoderico Regi ſubjectos, in Vindelicia ac Norico Ripenſi receptos cum eodem Velſero & Brunnero ſentio.

Marcelliano Ep. Aquil. ſuc. 500. Marcellinus.

Pannonia Sirm. fit Theoderici.

Coloſſæus ejus Præfectus Servatus Rhæt. Præſes. Fridiladus Pan. Saviæ.

Severinus ibid. Jud. deleg.

XL. Ad an. Chriſti 515. dum Marcellino Epiſc. Aquilej. ſuccederet Stephanus, eodem circiter tempore Theodericus Rex Catholicis jam infenſus, cum Arianis Stephano huic gravis, & moleſtus

Marcellino Ep. Aquil. an. 515. vel 521. ſucc. Stephanus.

ſtus eſſe cœpit. Cauſam dederit ſchiſma Illyrici, hoc circiter ævo compoſitum, cum antea Illyrici Epiſcopi Acacii partes tuerentur; intacta ab hoc ſchiſmate Styria videtur, cum Aquilejenſis Eccleſia, cum ſuffraganeis ſuis, ſicque etiam cum Petovienſi & Celejano Epiſcopis, contra Acacium pro veritate Catholica ſentiret, ſeque Anaſtaſio Orientis Imperatori, Acacii, & Theoderico Arii, defenſoribus firmiter opponeret, qua de cauſa Stephanum Epiſc. Aquil. plura ab Arianis, & Theoderico paſſum, judico.

Illyrici ſchiſm. Styria intacta.

Theoderic. Rex obit an. 526. Athalaric. ſucc. Oſoinus vel Oſus Pan. Suav. Præf.

An. 526. in Theoderici Regis imperium, non fortunam ſucceſſit Athalaricus Rex Gothorum, ſub quo Styria noſtra novos dominos obtinuit. Sub regni initia Athalaricus hic, *Oſum*, vel *Oſivvinum Comitem*, Dalmatiæ ſimul & *Suaviæ* præfecit teſte Caſſiodoro variar. lib. 9. epiſt. 8. 9. mox vero, ubi Theoderici mortem Longobardi vicini in Auſtria transdanubiana poſiti audierant, dum ante aliquot annos in Hungariam etiam ſuperiorem commigrarent, ex adverſo Danubii littore, hoc vel ſeq. anno, ſub Audoino Rege ſuo *in Pannoniam* abierunt, eamque *cum Norico*, Gothis in Italiam feſtinantibus, bona Juſtiniani Orientis Imp. pace, inhabitandam ſuſceperunt; ita ajunt Paul. Diac. hiſt. Longob. lib. 1. cap. 22. & Sigebertus ad eundem annum: *Audoin Longobardos in Pannoniam duxit, in qua habitaverunt annis* 42. anno namque 568. in Italiam migrarunt; Styria itaque noſtra, ab Oſtrogothis ad Longobardos eſt devoluta, itidem Arianos, a quibus non modica fidei Cath. damna acceſſiſſe oſtendam.

Longobardi in Pann. & Noric. migrant, & in Styriam.

XLI. Operæ pretium erit, novorum Styriæ noſtræ incolarum, deſcriptionem ex Paulo Diac. lib. 1. cap. 9. & lib. 4. cap. 23. adducere; nomen eorum a lang Baert derivat, dein ita proſequitur, *ibi etiam præfata Regina* (in palatio nempe Modicienſi, & pictura inibi a Theodelinda adornata) *ſuum palatium condit, in quo aliquid & de Longobardorum geſtis depingi fecit. In qua pictura manifeſte oſtenditur, quomodo Longobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis veſtitus, qualisve habitus erat. Siquidem cervicem uſque ad occiputium radentes, nudabant capillos a facie uſque ad os demiſſos habentes, quos in utramque partem in frontis diſcrimine dividebant. Veſtimenta autem eis erant laxa, & maxime linea, qualia Angli-Saxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis, calcei vero eis erant uſque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœperunt boſis uti, ſuper quas equitantes, Tubrugos birreos mittebant, ſed hæc de Romanorum conſuetudine traxerunt.* Ita cit. Paulus Diac. olim Eccleſ. Aquil. Diaconus, & ſæc. 8. Clericus, mox Caſſin. Monachus.

Noric. Ripenſ. Rhætia & Vindelicia ſub Francis uti & Bav.

XLII. Longobardis ſic terram Pannoniæ & Norici, atque etiam Styriæ obtinentibus, Athalaricus Gothorum Rex, Francis *Rhætiam*, *Vindeliciam*, & *Norici Ripenſis* partem reliquit, quapropter credibile videtur, *Norici Ripenſis partem ad Anaſum uſque*, ſeu Bavariam Regis Auſtraſiæ in poteſtatem veniſſe, partem vero alteram ad montem Cetium, cum Norico Mediterraneo, & Pannonia a Longobardis occupatam: reſervavit ſibi tamen Athalaricus Rex Gothorum *Pannoniam Saviam*, admittente Juſtiniano Imp. Orientis, eamque Longobardi intactam relinquere debuerunt, cum Athalaricus cum matre ſua in tutellam Ju-

Pannon. Savia relicta eſt Athal.

ſtiniani

ſtiniani confugeret, & ideo, ut num. 40. dixi, Oſvinus Pannoniæ Saviæ Præfectus ſub Athalarico fuit; conſuliſſe videtur Athalaricus ſuæ & Italiæ quieti, dum Pannoniam Saviam Italiæ conterminam ſibi reſervaret: ex his facile conficitur Aventinus tabulas & verſus ſuos jactans, dum erronee ad hæc tempora ſcribit: *Veneti, Cariones proprie dicti, eam Norici portionem, quæ infra Taurum montem, Orientem ſpectat, inter fontes Muræ, Dravi, Savi includitur, uſque Aquilejenſem agrum occuparunt, & adhuc poſſident;* nemo enim Authorum, de occupata a Venetis Pannonia & Norico, hoc tempore ſomniavit, & valde ignotum eſt, ex antiquis Authoribus, qui & quo tempore Veneti dicti fuerint Cariones. *Veneti Cariones an Styr. ſubier.*

XLIII. Dixi ſuperius, *Bavariam* ſub Auſtraſios hoc tempore veniſſe, evincunt id leges, *Ripuariis, Alemannis, Bajuvariis*, a Theoderico Auſtraſiæ Rege circa an. 527. datæ apud Frider. Lindenbrogium in legg. antiq. Paluzium Capitul. Reg. tom. 1. pag. 26. obſervat vero Pagius an. 556. Bajoarios primum poſt Attalarici & Amalaſunthæ mortem, ſedes fixiſſe in Vindelicia, & Rhætia, quo dein tempore ea pars, *Bajoaria* dici cœpit, ex quibus denuo juvantur, & confirmantur ea, quæ num. 38. ſunt dicta. *Bavaria ſub Regibus Auſtraſiæ an. 527.* *Bajoariæ origo.*

Stephano Aquilejæ Epiſcopo, an circa an. 533. Laurentius vel Macedonius ſucceſſerit? non conveniunt Authores, Dandulus nulla Laurentii ſucceſſoris geſta refert, & Chronicis reliquis Aquilejenſibus ignotus eſt, unum concludi debet, vel Laurentium e ſerie expungendum, vel annos Stephani ad an. 539. extendendos, hoc enim anno, unanimi omnium calculo, ſedere Aquilejæ cœpit Macedonius, pluraque Totilæ tempore incommoda ſubire. *Stephano Ep. Aquil. ſucc. Macedonius vel Laurentius.*

XLIV. Etenim ubi Totila res Gothorum prope collapſas an. 540. reſtituere cœpit, Aquilejam, ab eodem an. 545. dirutam fuiſſe, Illuſtriſſimus Valvaſorius lib. 14. ſcribit, hoc, ubi certo, deficientibus veterum monumentis affirmare non auſim, illud mihi certius, Aquilejenſium Sacram jurisdictionem in Noricum valde fuiſſe imminutam; etenim Theodebertus Auſtraſiæ Rex pro Gothis ſub Totila, contra Beliſarium Juſtiniani Imp. Orientalis Ducem pugnans, *per Rhætos ac Noricum* in agrum Venetum excurrit, Procopio teſte bello Gothico lib. 3. cap. 33. hac vero occaſione Galliarum ſeu Auſtraſiæ Archi-Epiſcopi, partem Aquilejenſis Diœceſis ſibi attrahere, in eaque Epiſcopos ac Sacerdotes ſtatuere præſumpſerunt, ita enim Aquilejenſes Schiſmatici apud Mauritium Imp. deinceps ſunt Conqueſti his verbis: *Ante annos jam fieri cœperat, & in tribus Eccleſiis noſtri Concilii, id eſt, Beconenſi, Tiburnienſi, & Auguſtana Galliarum Epiſcopi, conſtituerant Sacerdotes &c.* V. Diſſ. 3. & ad an. 590. de Synodo Maranenſi. Cauſam, quod hoc attentaverint Galliarum Epiſcopi, binam reddo, primo quod Auſtraſii, ſeu Franci in Norico jam dominarentur, ſecundo quod iidem Galliarum Epiſcopi Catholici, videntes, Aquilejenſem Diœceſim Schiſmate 3. capitulorum ſenſim infici, ſpirituali Norici neceſſitate moti, Catholicos præficere Sacerdotes laborarent, cum itaque ad annum 553. & ſequentes Schiſma 3. capitulorum in Aquilej. Diœc. jamjam totis viribus efferveſceret, hoc vero anno arma Francorum jam Norico inferrentur, *Totila Rex Goth. 540.* *Aquil. S. jurisdictio in Noricum minuitur an. 545. &c.* *Et cur?*

mirum nihil, ſi Religioſiſſimi Epiſcopi Gallorum, ex præſumpta Pontificis Summi voluntate, rejectis Schiſmaticis, paſtores præficerent Catholicos, terris illis, quas arma ſuorum Principum occupabant.

Tibornienſ. Ep. ad Laureac. devolutus.

XLV. Ereptas ſibi tres Eccleſias, Schiſmatici Aquilejenſes an. 590. in Synodo Maranenſi collecti, nominant, *Beconenſem*, *Tibornienſem*, & *Auguſtanam*. *Tibornienſis* nota eſt ex Diſſert. 1. ea ad Laureacenſem Archiepiſcopum ſub Francis Auſtraſiæ Regibus tranſiiſſe videtur Authori Germ. Sacræ tom. 1. pag. 94. quod ſi ita dicendum ſimul, eam Juſtiniani juſſu iterum Diœceſi Aquilejenſi redditam fuiſſe, cum an 579. Leonianus Epiſcopus Tibornienſis Conc. Gradenſi ſubſcripſerit, & ipſi Schiſmatici, jurisdictionem ſibi ſuam redditam fuiſſe a Juſtiniano, dixerint. *Auguſtana Eccleſia*, jurisdictioni Aquilejenſi ſubtracta, an ea fuerit, quæ in Vindelicia ad Lycum amnem ſita eſt? omnino obſcurum, nam Auguſtana, nec in Rhætia 2., nec in Venetiis, quorum tamen Epiſcopi querelas movebant, nec in vicino Venetiis Norico fuerat; Author Germaniæ Sacræ, *Celejanam* in Styria fuiſſe opinatur, eo quod *Celeja* olim *Auguſta* diceretur, forteque inde Epiſcopatus nomen Eccleſiæ Auguſtanæ obtinuerit, in Corollariis vero ſuis, mentem mutavit denuo, ego *Segeſtanam ad Savum*, ubi Sciſcia olim Epiſcopatu nobilis urbs, donec clariora ſuppetant argumenta, intelligendam opinor. Beconenſis tandem, quæ fuerit illa Eccleſia? litigant iterum Authores, Baronius *Bremenſem*, Bollandus 5. Febr. in vita S. Ingenuini, *Breonenſem*, ſeu *Breunenſem*, vel *Brennenſem* legendum arbitratur, ac populos *Brennos*, ſeu *Breones* utrumque Æni latus incolentes intelligendos eſſe, Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 94. *Pro Petovienſi in Styria* diſputat, revocat tamen ſententiam ſuam in Corollariis ejusdem tomi, docens, *Bernenſem* eam Eccleſiam fuiſſe, cum Verona latine, Germanice dicta ſit Bern, & ob aulam Theoderici ibidem Dietrichs-Bern. Malim cum prima hujus Authoris ſententia pro *Petovienſi* Styriæ Eccleſia pugnare, tum quod voces *Beconenſis*, & *Petovienſis* non multum abludant, cum quod locorum vicinia faveat, eſt enim *Petovium* inter Celejam & Tiborniam, quæ ambæ olim jurisdictionis Aquilejenſis erant, media. Neque obeſt, quod Epiſcopus Petovienſis Synodo Gradenſi ſeu Aquilejenſi dein adfuerit; nam, quamvis hos Epiſcopos, Franci adjudicaverint ſedi Laureacenſi, eos tamen a Juſtiniano denuo Aquilejenſi Diœceſi ſubjectos, litteræ ipſæ Schiſmaticorum fatentur.

Auguſtan. Ep. an Celejanus, aut Segeſtanus.

Beconenſ. Eccl. an ead. cum Petovienſi.

Schiſma 3. capitulor. an. 547.

XLVI. Opportuna ſchiſmatis trium capitulorum occurrit mentio, id, quale fuerit, ac an Styriam noſtram penetraverit? videndum eſt. Juſtinianum Imp. cognitio cauſarum Eccleſiaſticarum maxime delectabat, malo proin ei dolo perſuaſum, poſſe Catholicos cum Eutychianis facile conciliari, modo tria capitula Conc. Chalcedonenſis, quod Eutychiani ideo reprobabant, corrigerentur, & damnarentur, erant vero hæc *tria illa capitula*: 1. *Theodorum Mopſueſtæ Epiſcopum, jam defunctum, damnandum eſſe.* 2. *Configendos libros Theodereti Cyri Epiſc. contra Cyrilli Alexandrini anathemata confectos.* 3. *Rejiciendam Ibæ epiſtolam, in qua Præſul hic Edeſſenus, Theodorum Mopſueſtanum laudat, Cyrillum accuſat, ac Synodi Epheſinæ contra Neſtorium ſententiam veluti præcipitem fugillat.* Hæc ubi Juſtinianus Imp. urgebat, reſtitere PP. Occidentales, aſſerentes,

tribus

tribus his capitulis rejectis, Synodum quoque Chalcedonenſem fractum iri. Nil motus Juſtinianus, edicto promulgato tria capitula proſcribit, atque Concilium Generale Conſtantinopoli indictum, invito Vigilio Papa coegit, in quo etiam capitula illa ſunt damnata. Vigilius Papa has inter turbas non uni hæſit conſilio, Romæ & in Occidente ea defendit, in Oriente Byzantii nempe Mennam Epiſcopum Conſtantinopolitanum imperiali edicto ſubſcribentem, a communione ſuſpendit, fractus nempe diuturna mora, & violentiis Juſtiniani Mennam abſolvit, & edicto ſuo, damnari poſſe tria capitula, quin Synodus Chalcedonenſis infringeretur, ſtatuit.

Infremuit Occidens ad factum Vigilii, unde an. 550. ſuum ſibi libellum reſtitui juſſit, ac quæſtionem omnem de tribus capitulis, ad futurum uſque Concilium, ſub pœna anathematis prohibuit, hæc ſcitu neceſſaria erant pro Patria noſtra, etenim pernicioſum hoc ſchiſma, Illyricum, diſtrictum Aquilejenſem, & Styriam etiam noſtram invaſit, atque, a communione Rom. Eccleſiæ abjunxit, nam anno 549. Synodus in Illyrico celebrata, defenſionem trium capitulorum, contra judicatum Papæ Vigilii in ſe aſſumpſit. *In Styria etiam invaleſcit.*

XLVII. Interea temporis circa an. 552. Macedonius Epiſc. Aquil. a Narſete Juſtiniani Duce, Gothorum victore, Totilæ occiſſore Ravennam abductus eſt, ut de more novo Eccleſiæ Mediol. Epiſcopo Vitali nempe, non Honorato, manus imponeret: Macedonius hic, an Paulinus ſeu Paulus ſucceſſor, primus fuerit ſchiſmatis Aquilejenſis Author? controvertitur, Dandulus Dux Venetus in Chron. ſuo pro Macedonio pugnat, ſed in narratione ſua omnia ſusque deque miſcet, de Rubeis majore robore argumentorum id quoque contra Cardin. Noriſium, Paulino eam maculam inurentem probat, quiscunque Author fuerit, id omnino certum, an. 553. Conc. Gener. 5. Conſtantinopolitanum 2. habitum, in quo, cum Occidentales Epiſcopi metu Juſtiniani non comparerent, Vigilius Papa, ſe ob inæqualem Orientalium & Occidentalium numerum non venturum, aſt ſententiam ſuam ſubmiſſurum, reſpondit; ea vero erat, 1. querebatur Synodum contra pactas conditiones habitam. 2. Theodori Mopſueſteni 60. propoſitiones, non vero perſonam damnat. 3. Theodoreti ſcripta non eſſe damnanda ait, cum in Synodo Chalcedon. Neſtorio anathema dixerit. 4. Ibæ epiſtolam, non tamen ſub ejus nomine, cum Catholicus fuerit, damnandam. 5. Neminem quid contrarium iis, quæ de tribus capitulis ſtatuerat, docere debere ſanxit. Hanc Vigilii ſententiam ſuppreſſit Juſtinianus, eamque ſatis ex præcedentibus conſtare in Conc. dixit, quare damnata ſunt tria capitula in Conc. hoc Generali, repugnantes omnes cum Vigilio, in exilium miſſi, fractus exilio Papa conſenſit damnationi trium capitulorum, & revocatus an. 554. fine, vel ſeq. initio, calculi doloribus obiit. *Macedon. Aquil. an author Aquil. ſchiſmatis.* *Conc. gener. 5. Conſtant. 2. an. 553.* *Vigilii P. res.*

XLVIII. Perſtitere interim etiam defuncto ſub an. 557. Macedonio Epiſc. Aquilejenſes Patres & Epiſcopi, trium capitulorum defenſores acerrimi, Paulinus enim ſeu Paulus ſucceſſor, id ſchiſma, ſi Aquilejenſi Diœceſi non induxit, certo promovit; Paulino huic plura Pelagius Papa objecit, etenim eum *invaſorem Eccleſiæ Aquilejenſis, in diviſione*; *Macedonius Ep. Aquil. obit 557.* *ſucc. Paulinus.*

viſione, pudenda quadam rapina, non conſecratum, ſed execratum Epiſcopum vocat. Conſecrator Paulini, non Auxianus an. 566. nec S. Honoratus an. primum 568. Epiſcopus Mediolan. conſecratus, fuerat. Unde vel Vitalis (quem tamnn jam an. 556. defunctum volunt) vel alius Anonymus Epiſcopus. Id certum, in diviſione, ſeu ſchiſmate ordinatum fuiſſe Paulinum, atque ſine conſenſu Papæ, Eccieſiæ capitis, & Occidentis Patriarchæ.

Concilium Aquil. an. 558. Paulinus itaque Schiſmaticus Epiſc. an. 558. Concilium Aquil. convocavit, & quidem ut exponit, & queritur Pelagius ei illicitum fuiſſe, *ſed nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum ad dijudicandam Synodum generalem congregari.* Schiſmatici enim Aquilej. Diœceſis Epiſcopi putabant labefactari Synodum Chalcedonenſem, damnatione trium capitulorum, proin Synodum 5. in qua damnatio trium capitulorum conclamata erat, rejiciendam cenſebant; unde, cum ſedem Apoſt. interpellare pro eo, quod non intelligebant, renuerent, privata authoritate Synodum 5. Generalem dijudicare ſunt auſi, ita Pagius, Baronius, aliique, nec repugno, Synodum hanc in cauſa ordinationis Paulini anno priori cœptam, hoc anno turpi fine fuiſſe coronatam.

Joannes Epiſc. Celej. præſens. Quinam ex Styriæ noſtræ Epiſcopis adfuerint? nemo expreſſit, *Ligures, Venetos, Iſtrios Epiſcopos* nominat Pelagius, nomine vero Iſtriorum Epiſcoporum, veniſſe etiam noſtros in Styria dixi Diſſert. 3. §. 9. acta Synodi ad an, 579. attingentur num. 53. ex quibus Joannes Epiſc. Celej. præſens fuiſſe legitur.

Venantius Fortunatus Ep. Pictav. Styr. tranſit an. 566. XLIX. Paulo antequam Longobardi terras noſtras relinquerent, nempe circa an. 566. Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis, qui ad S. Gregorium, libros 11. carminum ſcripſit, per Styriam noſtram profectus fuiſſe videtur; ita enim ſcribit Paulus Diaconus lib. 2. cap. 13. *Paulo antequam Longobardi Italiam invaderent, Noricum & Pannoniam inviſit*, iter ejus quale fuerit? idem Paulus exponit hiſce verbis: *Per Aguntum caſtrum, Dravumque & Byrrum fluvios* (quem Aventinus lib. 3. Bojor. Annal. fol. 271. *Muram* indigitat) iter vero hoc ſuſcepit ex Italia in Galliam, ad S. Martini tumulum Turonis.

Hunni in Pannonia a Longobardis relicta anno 567. L. Novos, eosque ſæviſſimos Pannonia recepit hoſpites, & incolas Hunnos, etenim Longobardi hoc vel ſequenti anno e Pannonia migrarunt: docente Paulo Diac. lib. 2. cap. 7. *Alboin ſedes proprias, hoc eſt Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit eo ſcilicet ordine, ut, ſi quo tempore Longobardis neceſſe foret reverti, rurſus ſua arva repeterent.* Aſſentitur Velſerus rer. Boicar. lib. 4. ad an. 568. ita tradens: *Hunni ſeu Avares (nam duo ſunt unius gentis vocabula) Anaſſo deinde tenus coluere, & quod fluminis tantum alveus diſtineret, occaſionem ſecuti, Boicam multis ſæculis, qua juſto bello, qua perpetuis excurſionibus & latrociniis, per omnia barbaræ & immanis crudelitatis exempla infeſtam habuere, &c.* ex quibus proin patet, Hunnos non per Pannoniam ſolum, ſed etiam Noricum, ad fl. Anaſum uſque ſe extendiſſe.

Forojul. Ducat9 epocha, Giſulf9 1. Præfect. ſeu Dux Forojul. Ubi itaque Alboinus Longobardorum Rex, cum amicis ſuis vetulis Saxonibus, ſociisque Gepidis, Bulgaris, Pannoniis, Sarmatis, Suavis, & Noricis Italiam abiit, Forojulium ingreſſus, nepotem ſuum *Giſulphum* Forojulio toti Præfectum dedit, impetratis ad hoc munus obeundum,

præci-

præcipuis Longobardici generis familiis, & generoſarum equarum numeroſis gregibus, ut ait Paulus Diac. lib. 2. cap. 9.

LI. Hiſce prævie & rite intellectis examinandum eſt, an Styria noſtra ſub Hunnis, an ſub Forojulienſibus Ducibus paruerit? Hunnos Noricum utrumque tenuiſſe eo tempore, quo dein a Sclavis, Samone Duce ejecti ſunt, mihi dubium non eſt, non autem ita certum eſt, an etiam illud hoc tempore poſſederint? P. Hier. Pez tom. 1. Script. Auſtriac. Diſſert. 3. §. 11. intrepide quidem pronuntiat, Hunnos utramque Pannoniam hocce ævo obtinuiſſe; hæſitant tamen alii non ſolum *de Pannonia ſuperiore*, ſed etiam *de Norico Mediterraneo*, cum quibus & ego ſentio hiſce rationibus allectus: 1. Suſpicari licet, an non Longobardi ſibi retinuerint *Noricum Mediterraneum, & Pannoniæ ſuperioris partem*, ſub Ducis Forojulienſis jurisdictione, eo quod, ut ſæc. ſeq. ad an. 610. & 622. oſtendam, Thaſo & Caco Duces Forojulienſes, Sclavorum regionem Celejam, uſque ad locum Medaria poſſederint, Sclavis penſionem Duci Forojulienſi perſolventibus. 2. Dum Hunni hoc tempore Pannoniam occuparent, & Ripenſe Noricum incurſarent, etiam Sclavini per Illyricum & Pannoniam inferiorem jam potentes, Noricum Mediterraneum vaſtaverunt, quam irruptionem quidam eruditi poſt Longobardorum in Italiam migrationem differunt ea de cauſa, quod *Noricum Ripenſe*, tunc Sigeberto Auſtraſiæ Regi, *Noricum Mediterraneum* vero Forojulienſi Duci paruiſſe exiſtiment, eo, quod Sclavos hic tumultuantes Longobardi ex Forojulio repreſſerint. 3. Cum ad Synodum Gradenſem an. 579. veniſſe dicantur Epiſcopi, Tibornienſis, Celejanus, & Petovienſis ſub præſidio probabilius Longobardorum Forojulienſium, hæ terræ etiam Longobardis ſubjectæ fuiſſe videntur.

Hunni an utrumque Noricum obtinuerint & Pannon. utramque.

Cenſeo itaque, non ſolum *Styriæ inferioris partem, inter Dravum, & Savum ſitam, Celejam uſque excurrentem*, ſed omnem fere Patriam noſtram, Ducis Forojulienſis, ac Longobardorum jurisdictionem agnoviſſe, ut pluribus poſthac oſtendam, Hunnos vero a diſceſſu Longobardorum, Pannonia non contentos, Norico etiam Ripenſi ſe infudiſſe, ultra Cetium montem ex utraque Danubii ripa, quæ a Cetio ad Anaſum fluvium, & a Morava ad Iſperam rivulum porrigitur, ſe extendiſſe, ibique uſque ad Caroli M. tempora manſiſſe, ut docet Eginhardus Notarius Caroli M. ad an. 791. apud Cheſnium tom. 2. Script. rer. Franc. atque inde Auſtria, parsque Styriæ ad Anaſum extenſa, nomen Hunniæ ſeu Avariæ tulit, ut V. Diſſert. 1.

Styria ſub Longob. & Forojul. Duce.

Hunni Noricæ Rip. & Auſtriæ ſe infundunt, & Styriæ ad Anaſ. extenſæ.

LII. Paulino Aquilej. Patriarchæ, in inſula Grado, ad quam metu Longobardorum confugerat, an. 569. defuncto, ſucceſſit Probinus Epiſcopus etiam Schiſmaticus, atque huic an 571. Elias. Bina hic obiter, de Aquilejenſibus Epiſcopis eruditionis cauſa ſubjungo: 1. eos, quamvis ſæpius ante hujus temporis ſchiſma, Patriarchæ vocentur, tales non fuiſſe, ſed originem Patriarchatus Aquilejenſis a ſchiſmate trium capitulorum eſſe repetendam: nam *Patriarchæ* nomen a Gothis Occidenti eſt invectum, qui Metropolitas ſuos Patriarchas, Papam vero Patriarcharum Epiſcopum vocabant, ut v. ex epiſt. Athalarici ad Joan. Papam inter an. 526. & 534. apud Caſſiodor. lib. 9. variarum

Paulin. Aquil. an. 569. def. ſuc. Probinus, & an. 571. Elias.

Patriarch. Aquilej. origo.

num. 15. &c. jam vero ante tempus ſchiſmatis hujus apud veteres & probatos Authores exempla non proſtant, quibus Epiſcopi Aquilejæ, nomen Patriarchæ obtinuerint. Dein nomen Patriarchæ, ſchiſmati fovendo fuit peraccomodum, eo quod ſe ſic nulli, ne quidem Romano Pontifici obnoxios crederent, confirmat hoc Paulus Diac. de tempore ſchiſmatis hujus dicens: *Ex illo tempore cœperunt eſſe duo Patriarchæ*, nempe Aquilejæ Schiſmaticus, & in inſula Grado Catholicus.

Gradenſis ſed. initia. De Gradenſi quoque ſede ſequentia breviter ſunt notanda: quanquam jam Paulinus in inſulam Gradum fugeret, Elias tamen Patriarcha ei ſedi initium dediſſe videtur, qui a Pelagio II. obtinuit, ut Metropolitica ſedes, Aquileja Gradum ad Eccleſiam S. Euphemiæ transferretur; fecit hanc gratiam Pelagius, ut ea Eliam Schiſmaticorum Principem ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ revocaret, ſicque Gradum translatus Elias, & ſub Romano Imperio vivens, facilius ad obedientiam Rom. Eccleſiæ rediret, quamvis has Pelagii litteras, & indultum de translatione ſedis Muratorius & de Rubeis in dubium vocent.

Gradenſ. Synod. an. 579. LIII. Eodem modo dubitant Viri docti de Synodo Gradenſi an. 579. juſtas dubitandi cauſas dant inſignia diverſorum codicum diſcrimina, ſimiles vulgatæ id genus fabellæ, Schiſmaticorum conditio, ſchiſmatis in ea Synodo confirmatio, plures circumſtantiæ temporis repugnantes, uti & Pelagii II. denique Scriptorum ſilentium, unde quæ ad hunc annum jactatur Synodus Gradenſis, talis non erat, ſed pars prior ejusdem ſuppoſitia, pars altera ad Synodum Aquilejenſem an. 558. ſpectare videtur; hiſce deducendis & ex æquo probandis non immoror, ſed Lectorem cupidum ad Cl. P. de Rubeis monum. Aquil. dimitto, qui ea eruditiſſime & fuſiſſime perſtringit; ex actis hujus *Joan. Ep. Celej.* Synodi, & ejus ſecunda parte patefit *Joannes Epiſcopus Eccleſiæ Celejanæ*, qui proin Synodo Aquilejenſi an. 558. interfuit, unde Ughellus & Noriſius male Clariſſimum Eccleſiæ Celejanæ præfuiſſe putant, nam Concordienſem Epiſcopum fuiſſe, & Joannem Celejanum, exhibent Chron. Danduli edit. Mediolan. Chron. Gradenſe, ac Synodus Mantuana.

Joan. Ep. Celej. Schiſmat. LIV. *Joannem Celejæ urbis Styriæ Epiſc.* eodem cum Elia ſuo Patriarcha ſchiſmate involutum, vix non certum puto, utpote Synodo illi Aquilejenſi, ad dijudicandam generalem quintam convocatæ præſentem, cujus proinde placitis cum reliquis Iſtriæ Epiſcopis conſenſiſſe vide- *Pelagius P. Iſtr. Ep. vult reducer.* tur, hos itaque, ut reduceret, omnem lapidem movit Pelagius, eaque de cauſa, Italia jam bellis libera, ad eosdem, Legatos ſuos miſit Redemptum Epiſcopum Ferentinum, & Quodvultdeum Abbatem, rogans, ut ad Eccleſiæ communionem redirent; tres vero ad eoſdem direxit epiſtolas, quarum primæ titulus erat: *Dilectiſſimis fratribus, Eliæ, aliisque Epiſcopis, univerſis filiis in Iſtriæ partibus conſtitutis*; Qua oſtendit, Synodum Chalcedonenſem, trium capitulorum damnatione non labefactari, paratumque ſe, ad eorum dubia ſolvenda. Secunda inſcripta eſt iisdem, cum ad primam non reſponderent, denuo monet, rogat, ut Ravennam conveniant, quo ſuos quoque Legatos ſe miſſurum pollicetur. Tertia ad eosdem directa, apologiam eorum refutat, ſed acta erant omnia, pertinaces in ſchiſmate ſuo remanſerunt. Smaragdus dein Exarchus Imper. Græci contra eosdem miſſus eſt, vi

eosdem

eosdem compoſiturus, at Elias cum ſuis apud Mauritium Imperatorem præcavit, ut eis triſte nihil inferret Smaragdus.

Libellus a ſchiſmaticis ad Mauritium Imperatorem datus, Synodum hoc an. 579. aliam, a conficta illa diſtinctam, coaluiſſe innuit; ajunt enim in libello hoc: *Cum noſtrum omnium Conſilio, atque conſenſu direxit Elias ad pia veſtigia Principatus veſtri preces ſupplicans &c.* meminit Synodi hujus Noriſius apud Ughellum citatus. *Synodus Grad. ad an. 579.*

LV. At eodem hoc an. obiit Elias Patriarcha Aquil. an *Schiſmaticus an pœnitens*, teſte Noriſio, *lis adhuc ex diverſorum opinione, ſub judice eſt.* Succeſſit Severus, nihilo melior Elia, quia Schiſmaticus a Schiſmaticis electus, eorumque veſtigia per omnia ſecutus, quem an. 586. Smaragdus Exarchus, diſſimulato Imperatoris decreto de non inquietandis Schiſmaticis, in Grado inſula captum, Ravennam duxit cum Joanne Parentino, Severo Tergeſtino, & Vindemio Ceſſenſi Epiſcopis, quos omnes communicare coegit Joanni Raven. Ep. trium capitulorum damnatori, quamvis an. 591. denuo deſciſceret Severus: redeuntibus Severo & 3. Epiſc. in inſulam Gradum eo quod damnaſſent tria capitula, *nec plebs communicare voluit, nec cæteri Epiſcopi eos receperunt.* Ex quibus verbis, Styriæ noſtr. plebem, errore ſuorum Paſtorum deceptam, ſciſmati huic faviſſe infero, quamvisenim hæc verba, de plebe Gradenſi ſolum intelligenda videantur, quia tamen & Joannem Celejanum Epiſcopum Schiſmaticum oſtendi, nil cunctor dicere, & ejus plebem, reliquamque Styriæ, cum Epiſcopis ſuis huic ſchiſmati fuiſſe addictam, præſertim ubi Patriarcharum Aquilejenſium exemplo, facillime in errore detineri potuerunt; fucum præterea fecerit plebi inſciæ Synodus Marianenſis an. 587. coacta, ut Severus & reliqui Epiſcopi, damnatores capitulorum, reciperentur, quaſi nempe a Doctrina Eccleſiæ antea defeciſſent. *Eliæ Patr. an. 579. def. ſucc. Severus.* *Redit ad Eccleſ. Cath. an. 586.* *Marianenſ. 1. Conc. an. 587.*

LVI. Initium Ducatus Bajoarii, ſub quo Styria quoque noſtra aliquando paruit, ſub an. 556. & Garibaldo, I. Duce cœpit, teſte Pagio eo anno num. 15. ex Henrico Valeſio lib. 24. rer. Francicar. pag. 465. Gregor. Turon. lib. 4. cap. 9. Paulo Diacono lib. 3. cap. 10. Garibaldi hujus filiam unam ex Waldetrada Theobaldi Franc. Regis Vidua, Evin Dux Tridentinorum alteram Theodelindam, Autharis Longobardorum Rex uxorem duxit circa an. 588. ſed nuptiæ hæ, uti Longobardis proficuæ, ita Garibaldo Patri pernicioſæ erant; Childebertus enim Auſtraſiæ Rex (cui Bajoaria parebat) novam cum Rege Longobardo affinitatem, perduellionis ſpeciem eſt arbitratus, ſicque Garibaldum ducatu movit, eique Taſſilonem I. hujus nominis, Ducem II. Bajoariæ ſubſtituit, Garibaldo cum filio ſuo ad Autharium Regem confugiente. Hæc pro futura Styriæ notitia commemoranda erant. *Bajoar. Ducat 9.* *Taſſilo 1. Dux 2. Bav.*

LVII. Gregorius M. P. an. 590. Cathedram Petri adeptus, illico Romæ Synodum in cauſa trium capitulorum celebravit, atque ad eam Severum Aquilejenſem Patriarcham cum ſuis ſequacibus vocavit. Schiſmatici Suffraganei, quibus dubia videbatur Severi fides, certiores facti, eum ad Rom. Synodum vocatum, mox Severo ſcripſere, ne quid ſe abſentibus de communi Eccleſiæ cauſa definiret. Inde Marianenſe 2. conflatum eſt concilium an. 591. in quo, viſa Gregorii M. ad Severum epiſtola, qua juſſione Mauritii Imp. ad Romanam Synodum vocaban- *Severus Patr. Aquil. an. 590. ad Syn. Rom. vocatur.* *Marianenſe 2. Conc. an. 591.*

cabantur, decrevere inter ſe, ne ullus eorum ad Romanum iret Pontificem, & ut Mauritii gratiam alia ſibi via conciliarent, libellum itaque ſupplicem ex hac Synodo, Mauritio Imper. miſerunt, in quo ſe & de abſentia ſua e Synodo Rom. excuſant, & ſchiſma ſuum pertinaciſſime defendunt. Inter hos ſubſcriptos Epiſcopos nec *Joannes Celejanus*, nec alius Styriæ Epiſcopus reperitur; forte Joannes jam defunctus, vel re alia impeditus non comparuit. Cæterum cum duo libelli Severi & Epiſcoporum Iſtriæ perierint, ſolumque exſtet datus a Venetis & Rhætis Epiſcopis exhibitus libellus, ſciri nequit, an ex noſtris Epiſcopis aliqui adfuerint.

Joan. Cel. Ep. an præſens.

Fovit quidem Schiſmaticis Mauritius Imp. non tamen Deus, nam Mauritius ob Italiæ perturbationem & vicinos nimium Galliarum Epiſcopos Gregorio M. inhibuit ullam Schiſmaticis inferre injuriam, Deus tamen inguinaria lue. ac Avarorum metu Diœceſim Aquilejenſem, urbem vero ac cives incendiis Longobardorum afflixit.

Longobardi an. 592. converſi.

LVIII. Quamvis vero S. Gregorius M. contra Schiſmaticos Iſtriæ, Mauritii Imp. authoritate ſuffultos nil proficeret, Theodelindam tamen (quæ an. 592. Agilulfum novum maritum cum omni gente Longobardorum, ab Ario ad Catholicam fidem perduxit) ut a ſchiſmate trium capitulorum recederet, an. 595. permovit, quo etiam tempore Avaribus, ſeu Hunnis Pannoniæ incubantibus, juncti ſunt *Sclavini*, teſte Nicephoro lib. 18. cap. 28. *Sclavi* hi, aliis *Vindi* in occiduos Pannoniæ ſuperioris & Norici Mediterranei tractus ex Illyrico ſeſe ingerebant, potiſſimam Carinthiæ modernæ, & Styriæ inferioris partem ſibi vendicantes; ad uſque Styræ in Anaſum decurrentis fontes, eos habitaſſe, *Garſtenſis vicus* cognomine *Vindicus*, ſeu Windiſch-Gärſten, oſtendit, ut ſic a Garſtenſi Bojorum vico, nomine differret: inde quoque derivata opinor nomina Windiſch-Grätz, Windiſch-Feiſtritz, Windiſch-Pölla, Windiſch-Bichel, & alia Styriæ loca. Plura de his ſæc. 7. ad an. 622. Interim vero ſæculum hoc defluxit, inter mutua Hunnorum & Vindorum, in ſe invicem converſa arma, quibus, dum Bojos etiam affligunt, datis & acceptis cladibus lucri eis nil acceſſit.

Sclavini, ſeu Vindi in Styr. irruunt.

LIX. Sclavis quidem his latius evagantibus ſtragem intulit Taſſilo Bajoariæ Dux ad an. 595. quam Paulus Diac. lib. 4. cap. 7. ita depingit: *Taſſilo a Childeberto Rege Francorum apud Bajoariam Rex ordinatus eſt, qui mox exercitu, in Sclavorum Provinciam intrans, patrata victoria, ad ſolum patrium, cum maxima præda remeavit.* Idem ad hunc annum narrat Sigebertus in Chronico. Hermannus contractus exedit. Caniſiana aliique plures, qui Sclavos hos vocant *Carantanos*, quaſi Carinthiam jam poſſidentes; Victoria tamen hæc Bojorum mox in ſtragem eſt verſa, etenim vel hoc eodem anno, vel certe an. 598. teſte Paulo Diacono lib. 4. cap. 11. *iisdem diebus* (ante Hunnorum in Thuringiam inter an. 596.) *Bajoarii uſque ad 2. millia virorum ſuper Sclavos irruunt, ſuperveniente Cacanno omnes interficiuntur.* Quæ Velſerus, aliique Bav. hiſtorici ad an. 600. reponunt.

Sclavi a Taſſilone an. 595. victi in Carinthia.

Mox Boji victi.

LX. Inter hos ſæculi 6. prope emorituri motus, illud tamen Styriæ noſtræ utcunque proficuum fuit, quod ſchiſma maleſanum Iſtriæ opera S. Greg. M. ſenſim deficere inciperet, etenim poſt Theodelin-

Iſtria ſchiſma deficit.

dam

dam Longobardorum Reginam, etiam an. 595. S. Ingenuinus Epiſc. Sabionenſis, ad partes Catholicas, relicto infelici ſchiſmate, rediit, cujus exemplum ſecuti videntur Petrus, & Providentius Iſtriæ Epiſcopi. Commoverit procul dubio hoſce Epiſcopos Iſtriæ vaſtatio, de qua Paulus Diac. lib. 4. cap. 25. ita ſcribit: *Longobardi cum Avaribus & Sclavis, Hiſtrorum fines ingreſſi, ignibus & rapina vaſtaverunt.*

LXI. Quoniam hoc ſæculo 7. ſæpius occurret *Hunnorum, Avarumque* nomen, de eodem paucis edocendus eſt Lector benevolus. Non laboro, ut vim vocis, unde *Avares* dicti fuerint, pluribus perſcruter, cum id abunde præſtiterit Otrocatſius in origine Hungar. Bonfinius, aliique. Sufficiat dixiſſe, Avares fuiſſe populum Hunnicum, cum nec Germanicæ, nec Sclavonicæ genti, ſed Hunnis Daciæ, ſe adjunxerint. *Hunno-Avares*, gens utraque dicta, ſubin *Hunni*, vel *Avares*, interdum ex Sclavonica appellatione *Ugori*, vel *Unoguri*, Græcis etiam *Turci*, quæ omnia varios Annales pervolventi patebunt. Evagrius lib. 5. cap. 1. *Abaros*, nationem Scythicam *Amaxobiorum*, quæ in Sarracis vitam agens, ultra Caucaſum habitaſſet, ſed a proximis Turcis male mulctatam, primum ad Boſphorum, dein ad oram Euxini multorum dierum viam fuiſſe progreſſam ſcribit, atque, dum cum populis occurrentibus pugnaret, Iſtri ripam attigiſſe; Menander vero in excerptis legationum addit, a Juſtiniano Imp. pacem nunciis Abarum depoſcentibus, collatam fuiſſe, Evagrius præterea *Maſſagetas*, Patres Hunnorum, Avarumque ſtatuit.

Sæc. 7. Hunnor. Avar. nomen.

Hunno-Avares. Ugori, Unogori, Turci, Abari, Amaxobii.

Maſſagetæ.

Principes porro ſuos, Avares, *Chaganos, Chajanos, Bajanos*, dixerunt, uti Romani, *Cæſares & Auguſtos*, Turcæ *Sultanos*. Hæc prælibanda erant, ut res ſæculi hujus expeditius enarrentur.

Chagani, Chajani, Bajani.

LXII. Rediit an. 602. a ſchiſmate Iſtriæ Firminus Epiſcopus Tergeſtinus teſte S. Gregorio M. in epiſt. 33. lib. 12. de data indict. 5. proin hoc an. *ad Firminum Epiſcopum Iſtriæ*, vexatus eſt inde Firminus validiſſime a Severo Aquilejenſi, at non diu, nam an. 606. obiit Severus Patriarcha Aquilejenſis, a quo tempore ſciſſa eſt Metropolis Aquilejenſis, nam ut narrat Paulus Diac. lib. 4. cap. 34. *Defuncto Severo Patriarcha, ordinatur Joannes Abbas in Aquileja vetere, cum conſenſu Regis & Giſulphi Ducis* Forojulenſis. *In Grado quoque ordinatus eſt a Romanis*, ſeu Catholicis *Candidianus Antiſtes*, quem Joannes Diaconus, & Maxentius in Synodo Mantuana, communi Schiſmaticorum voce *hæreticum* appellabant. En! miſerandam adhuc Diœceſis noſtræ & Styriæ ſortem; ex qua, quid Patriæ noſtræ evenerit? non obſcure colligimus; Giſulphus Dux Forojulii & Styriæ, Schiſmaticis favebat, Agilulfus Rex Longobard. Catholicus quidem, hærebat tamen de ſchiſmate dubius cum familia ſua, Epiſcoporum Styriæ nullum rediiſſe ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem, hoc tempore lego, ut adeo pronum ſit judicare, nullum noſtrorum Epiſcoporum cum plebe ſua adhæſiſſe Eccleſiæ Romanæ.

Firminus Epiſc. Tergeſt. a ſchiſmate redit 602.

Severus Patr. Aquil. an. 606. obit.

Sciſſio Aquilej. Metrop. Joan. Metrop. Aquil. Candidianus Gradenſis.

Styria an adhuc ſchiſma alucrit.

LXIII. Avares ſeu Hunni an. 610. utcunque Styriæ jam vicini ſunt facti cum Sclavis, cum enim Taſſiloni I. Duci II. Bavariæ def. ſuccederet Garibaldus II. Dux III. hic ſub ipſa Principatus principia, gravem *a Sclavis Carentanis*, in Tyrolim irrumpentibus cladem accepit,

Taſſilo I. Dux II. Bav. obit an 610. ſucc. Garibaldus II.

qui dein perruptis iis montium faucibus ſe in Bavariam infuderunt, finesque ejus regionis dira populatione vaſtarunt; collegere tamen animos Bajoarii, capta manibus Sclavorum, præda excuſſa, eos de ſuis finibus expulerunt, uti Paulus Diac. lib. 4. cap. 41. docet, ante hanc vero cladem, proin forte anno priore refert idem Paulus Forojulienſium cædem cruentam, Avares enim, violata pactorum cum Agilulfo initorum fide, totis viribus Illyricum & Forojulium incurſant, Giſulphus Dux collecta ſuorum Longobardorum multitudine, impar tamen, circumventus occubuit, cæteri deſperatis rebus in finitima ſe oppida conjecerunt; Romilda impudica Giſulphi conjux caſtrum Forojulium prodidit; hæc enim Chagani amoribus capta, caſtrum ei cum civitate tradit, petens conjugium ejusdem, obtinuit caſtrum Chaganus, & Romilda matrimonium, ſed una ſolum nocte thalamus hic ſocialis erat, nam dein impudicam lenam Chaganus 12. Avarum libidini expoſuit, ac in palo vivam ſpirantemque in proditionis pœnam defixit; filiæ Romildæ matre caſtiores erant, nam pullorum carnes mamillis ſuppoſuere, quæ calore contabeſcentes teterrimum ſparſere odorem, irruentesque procos fætorem abominatos avertere; præmium pudicitiæ ſic ſervatæ erat, quod una Alemannorum, altera Bajoariorum Ducis facta ſit uxor.

Sclavinor. & Bajoar. clades.

Avarum in Forojul. irruptio. Giſulphus Dux I. cæſus.

Romildæ laſciuia.

Filiæ ejus caſtiſſimæ.

Taſo & Caco duces Forojul.

LXIV. Urbs ac caſtrum Forojulii, ubi ſic præter pacta, flammis ſubjecta, incolæ cæſi, communem tamen hanc calamitatem, equorum ſuorum pernicitate elapſi ſunt 4. Giſulphi filii, Taſo, & Caco, Rodoaldus, & Grimoaldus, quorum primi duo Taſo & Caco patris defuncti Ducatum obtinuere, ita vero de iis ait Paulus Diac. lib. 4. cap. 40. *Hi ſuo tempore Sclavorum Regionem, quæ Zellia dicitur, uſque ad locum, qui Medaria appellatur, poſſederunt; unde uſque ad tempora Rachis Ducis, iidem Sclavi penſionem Forojulianis Ducibus perſolverunt.* Perquam probabile mihi eſt, *Zelliæ* nomine Paulum intellexiſſe *Celejam*, quæ poſtea Celejenſis Comitatus nomine inſignita eſt, jam enim ſub Elia in Synodo altera Gradenſi, & Aquilejenſi anno 558. ſubſcriptus invenitur *Joannes S. Celejanæ Eccleſiæ Epiſcopus.* Ptolomæus ipſe teſte Illuſtriſſ. Valvaſorio tom. 3. fol. 138. incolas tractus Celejani *Azalos* appellavit, indeque nomen *Azellejæ* ſeu *Zelliæ* fluxerit. *Medariæ* nomine Lazius comment. Reipubl. Romanæ lib. 12. cap. 7. *vallem Mednicenſem* intellexit, id ex his certum eruo, cum Sclavi in tractu Celejenſi, & vicinis Patriæ noſtræ terris habitantes, penſionem Ducibus Forojulianis præſtiterint, eos non Bojis, ſed Longobardis potius paruiſſe, Taſonemque & Cacum, Styriæ etiam noſtræ præfuiſſe.

Celeja Sclavor. Regio.

Ejus incolæ Azali.

Medaria vel Mednicenſ. vall.

Candidiano def. an. 612. Epiph. & huic Cyprian. Grad. ſucc.

LXV. An. 612. Candidiano Gradenſi Catholico Patriarchæ mortuo, Epiphanius, & huic anno ſeq. etiam defuncto ſucceſſit Cyprianus Antiſtes, quo eodem tempore Joannes Aquilej. Schiſmaticus Patriarcha, S. Columbanum, qui in has terras ob Sclavorum converſionem tentandam venerat, familiari Agilulfi Regis conſuetudine fruitum, in ſui ſchiſmatis partes propemodum pertraxerat, ita quidem, ut vir ſimplex & pius Columbanus Bonifacio Papæ ſub an. 614. ſcriberet, ac moneret, quatenus *caligo ſuſpicionis de Cathedra S. Petri* tolleretur. Idem ſchiſma promovit adhuc Agreſtinus Monachus Luxovienſis, olim

S. Columbanus mult. Sclavos convertere.

Theo-

Theoderici Regis Gothorum Notarius, inconſulti ardoris homo, cum an. 616. SS. Euſtaſius & Agilus Bajos, adhuc ut opinor, reliquiis idolatriæ deditos, vel nova hæreſi, aut ſchiſmatis errore deceptos magno cum fructu & labore converterent, Agreſtinus hic ab iis in Bojorum terris relictus vide ur; Agreſtinus itaque Aquilejam venit, atque uti invito Abbate ſuo miſſionem obtinuerat, ita in hoc labore a Deo non benedictus ſed maledictus fuit; in ſchiſma enim Aquilejæ prolapſus, multum dein negotii Attalæ Bobienſi, & S. Euſtaſio Luxovienſi Abbatibus faceſſivit, ſed firmum in contumacia, Divino Judicio an. 623. a ſervo ſuo, quem redemerat, ſecuri percuſſum, mala morte periiſſe, paſſim Authores habent. *Bojorum converſio an. 616.*

LXVI. Eodem an. 616. perempti ſunt Forojulienſium Duces Taſo & Caco, dolo Gregorii Patricii, Opitergium & alia loca Imperii Græci adminiſtrantis, ſucceſſit Graſulphus, germanus Giſulphi, unde patrui imperium dedignati Rodoaldus, & Grimoaldus, ad Arichim Ducem Beneventanum, nutritium ſuum ſe contulere; an. dein 619. Joanni Schiſmatico Patr. Aquil. Marcianus ſeu Martenianus, non vero Maximus vel Poppo ſucceſſit, hic enim ſæc. 11. Aquilejæ ſedit, illius vero in antiquis & ſinceris Catalogis nulla fit mentio. *Taſo & Caco a 616. caſi ſucc. Graſſulphus Dux III. Foroj.*

LXVII. Annus 622. rebus Styriæ memorabilis exſtitit, nam dum hoc anno Mahometes primum peſtilentis ſuæ doctrinæ virus evomere cœpit, apud Sclavos Carentaniæ populos, magna rerum confuſio, & converſio eſt facta. Sclavi Avarum jugo graviſſimo, & iniquiſſimo jam dudum opprimebantur, nam ut Author eſt Fredegarius, Hunni ſeu Avares in bellis, pro caſtris ſtabant, Sclavi manu certare debebant, ſi horum acies victa cederet, tum primo Avares arma capiebant; ad hæc ſingulis annis Hunni apud Sclavos hyberna faciebant, eorumque uxoribus ac filiabus veluti jure quodam abutebantur, tributa nihilominus, ac ſervilia opera Hunnis velut dominis præſtare cogebantur. *Sclavi jugum Avarum excutiunt an. 622.*

Quod vero Sclavi non audebant, tentaverunt Hunnorum ex Sclavicis uxoribus filii; commodam libertatis recuperandæ occaſionem ſuppeditavit egregius quidam mercator Francus, Samo nomine, qui ad eos ex pago Senonico, ſeu Senegau, negotiationis cauſa veniens, vafroque pollens ingenio, Hunnos cum Sclavis, ſibi tanquam Regi ſubjectis debellavit; credibile eſt, hominem hunc, apud Sclavos gratioſum, adſciſcentibus ultro Venetis, ultra Danubium ad Sorabes uſque extendiſſe, id quod bella ſubſequa, contra Auſtraſiæ Reges geſta, ſatis indicant. Nova poteſtas hæc, regnique firmandi cupido, Samonem a fide Chriſti avertit, qua ejurata, 12. ſibi ex genere Sclavico uxores ſumpſit, ex quibus 22. filios, & 15. filias procreavit, atque imperium 35. annis feliciter geſſit. Ita Fredegarius in Chron. c. 48. *Samo Rex I. Sclav. ſeu Vind.*

LXVIII. Ab hac de Hunnis relata victoria, Sclavi ſub Samone, Auditionem ſuam, *ultra alpes Noricas*, in Aquilonem late propagarunt, certum enim eſt, circa ſuperiores Anaſi Traunique partes habitaſſe Sclavinos ſeu Vinidos, ab iisque veniſſe nomina variorum locorum, uti Windiſch-Gärſten, ꝛc. diſerte etiam in Diplomatis fundationis Cremifan. a Taſſilone & Carolo M. conſcriptis nominantur *Sclavini & Decania Sclavorum* infra locum, qui vocatur *Forſt ad Todicha & ad Sirnicha*, *quam* *Sclavini in Auſtriam penetrant.*

terram

terram *Sclavi cultam fecerunt;* in Diplomate Ludovici Pii an. 825. Patagero cuidam *villa prope fluvium Eniſa, quæ dicitur* Granesdorf, *quæ eſt ſita in parte Sclavinorum.* Plura in hanc rem argumenta adfert Hier. Pez tom. 1. Script. Auſtr. Diſſert. 3. §. 24. 25. 26. & 12., ex quibus tuto inferre licet, Sclavos quandam Styriæ veteris partem ad Anaſum uſque deductam inhabitaſſe, ſed nec hanc ſolum, cùm Styriæ modernæ pars ad Celejam, Sclavinorum Patriam, uti & plura alia infer. Styriæ loca ab eisdem fuerint inculta, ut ex dictis num. 58. patet.

Et Styr. vet. partem.

Carentaniæ nomen, unde & cui terræ proprium.

Quoniam vero Sclavi hi potiſſimam Carinthiæ, ſeu Carentaniæ partem ſibi ſubjectam habebant, inde factum, ut *a Sclavis Carentanis* Regio ea omnis, quam poſſidebant, *Carentania* diceretur, ita docent vetuſtæ litteræ Carolomanni de an. 878. *quorum* (SS. Maximiliani & Felicitatis) *corpora ad Otingas in novam Baſilicam collocare curavimus - quasdam res proprietarias in partibus Carentaniæ, Sclaviniæque Regionis ſuas, nempe Curtem ad Trebinam & alia, quæ tendunt in partes Occidentales ſurſum per fluvium Traun, uſque ad Bouchun in Aquilone inter 2. lacus, qui ibi ſunt &c.* Et in litteris Fundat. Gotwicenſis, ſit mentio fluvii *Traſamæ*, quod *oriatur in Carinthia* ad Occidentem, cum tamen certum ſit, eum in Styrenſi marcha, non procul ab Hochenbergo provenire; ex his itaque judico, nomen *Carentaniæ* olim, non ſolum modernæ Carinthiæ, ſed omni Sclavorum Carentanorum in Auſtria etiam & Styria ditioni fuiſſe proprium, quamvis ſimul probabile cenſeam *Sclaviniæ* nomen, olim maxime tractui Celejenſi tanquam veræ Sclavorum Patriæ inditum fuiſſe, ſicque verum videtur, quod Aventinus lib. 3. Annal. Bojor. refert, *Muram nempe, & Dravum olim Bojos a Vindis diſcriminaſſe.*

Sclavinia Regio quæ Mura & Dravus Bojos a Sclavis disjung.

S. Amandus Ep. Traj. an. 627. in Styr. venit.

LXIX. An. circiter 627. S. Amandus Trajectenſis Epiſcopus, *in Noricum* (proin Styriam, Carinthiam, aliasque a Sclavinis terras inhabitatas) venit *intelligens, Sclavos diaboli laqueis implicatos, ſimul accenſus Martyrii ſpe, transfretato Danubio* (ut Baudemundus in vita ejusdem docet) *eadem circumveniens loca, libera voce Evangelium Chriſti gentibus prædicabat, videns etiam ſibi non ſatis accreſcere fructum, & Martyrium, quod ſemper quærebat, nondum ſe adepturum, ad proprias iterum reverſus eſt oves.* Sclavorum Religionem Procopius in hiſt. Gothica refert his verbis: *Sylvanos, & Nymphas colebant, & dæmones alios, iisque ſacrificia faciebant, & inter ſacrificandum vaticinabantur; habebant præterea lege cautum a Majoribus traditum, ut inter numerum Deorum illud unum, quod ſit fulminis fabricator, Dominum omnium rerum ac ſolum Deum eſſe credant, illique boves & boſtias ejus generis alias mactent.* Parum, aut nihil omnino apud Barbaros hos populos profeciſſe S. Amandum, reditus illius ex terris hiſce ſatis indicat, cauſa hujus non una erat, gens enim hæc cum Rege ſuo Paganiſmo dedita, vicini mali Chriſtiani & Schiſmatici cum Patriarcha ſuo Aquilejenſi, proin nec ipſe, nec Clerus ejus ſaluti veræ invigilabant. Sclavi vero, quibus S. Amandus prædicabat, alii non fuiſſe videntur, quam qui Carinthiam, Styriam, Auſtriam modernæ partem incolebant.

Sclavor. Religio.

Cyprianus Grad. an. 628. obit ſuc. Fortunatus & Primigenius.

LXX. Cyprianus Patriarcha Gradenſis an. 628. humanæ ſortis tributum ſolvit, cui ſucceſſit Fortunatus, atque eo rejecto Primigenius, ſub

ſub quo ſchiſma in Eccleſia Gradenſi extinctum eſt, mox an. 630. Sclavi ſub Samone Duce Francos negotiatores ſpoliatos occiderunt, res in belli aleam deducta: Samo enim ablatorum reſtitutionem negans, Sicharium Dagoberti Francorum Regis Legatum, verbis forte audacioribus uſum, e conſpectu ſuo ejici juſſit, quod ſuam interpretatus calumniam Dagobertus in Sclavos movit: Longobardi & Alemanni victores, non ſine modico captivorum numero rediere, aſt Franci Auſtraſii, dum *ad caſtrum Vogaſtenſe* (quod *Voitſpergam* in Styria opinantur Lazius Comment. Reip. Rom. lib. 12. ſect. 6. cap. 4. Eccard. rer. Francicar. lib. 12. cap. 11.) relictis non ſine dedecore rebus, ac tentoriis ſuis receſſere: aucti hac fuga Sclavis animi, repetitis ſubſequo tempore irruptionibus in Thuringiam, & alias Auſtraſii Regni Provincias prædas egerunt, populosque in ſuas partes pertrahere ſunt conati.

Sclavorum cum Francis an. 630 bellum.

Ad Voitſperg Sclavi victores.

Bojos hac in pugna, Francis permixtos, militaſſe, utpote his ſubjectos, non abnuo, ea tamen, quæ de Bojis ſub Ducibus Taſſilone, & Thietberto refert Megiſerus lib. 5. cap. 32. ex Ammonio Salaſſo in farragine rer. Vindic. penitus fabuloſa cenſeo, neque enim hoc tempore Bojis Taſſilo vel Thietbertus, ſed Garibaldus II. præfuit, cui dein circa an. 649. Theodo I. ſucceſſit: Sane relatio illa de pugna ad Aguntum, non huic anno, ſed 610. affigenda eſt, quo tempore Samo nondum Rex Sclavorum erat; minus verum, quod tradit Megiſerus cit. Samonem hoc in prælio fuiſſe necatum, cum annis 35. rexerit, ut V. ſub an. 657.

LXXI. Ad eundem annum 630. pertinet cruenta inter Avares Hunnos & Bulgaros contentio de Regni cauſa orta, quod Hunno Avares, & Bulgari Bulgaro detulere; victi Bulgari, cum quieti inter Avares eſſe non poſſent, ad novem millia virorum, cum uxoribus & liberis *de Pannonia* expulſi, ad Dagobertum Regem confugiunt, qui eos hyberna inter Bojos agere juſſit, ſed cum a Sclavorum moribus non multum abeſſent Bulgari: non multo poſt vel Rege jubente, vel non ignaro, omnes fere una nocte ſunt trucidati, ex his *Alticeus cum 700. viris, uxoribus, & liberis in Marchia Vinidorum ſalvatus eſt, poſt hæc cum Valduco Duce Vinidorum annis plurimis vixit cum ſuis.* Ita Fredegarius in Chron. cap. 72. Bulgaros hos, hiſtorici quidam, eosdem cum Sclavis, ego commixtos eisdem, & eodem Duce Regi ſolitos, ſociosque invicem fuiſſe opinor; ſane nomen Bulgarorum, in hiſtoria noſtra prius, quam Sclavorum apparet.

Bulgari e Pannonia an. 630. pulſi.

In Bajoariaſere 9000. cæſi.

Reliqui in Marchia Vinidorum ſalvati.

LXXII. Winidi ſeu Sclavi dum ab an. 630. Thuringiam ſæpius tentarent, tandem a Rudolfo Thuringiæ Duce per Dagobertum Regem in eos an. 634. miſſo, victi, fugatique intra fines ſe ſuos deinceps continuerunt, teſte Pagio ad an. 640. ac trans Danubium defixi, Marchiam Vinidorum, Carinthiam, & Sclavoniam, ſicque etiam Patriam noſtram incoluere. Eodem hoc anno Marteniano vel Marciano Aquil. Patriarchæ defuncto, Fortunatus a Schiſmaticis ſuffectus eſt, nuper a ſede Gradenſi rejectus, cui denuo poſt tres annos Felix ſucceſſit, non vero Maximus, qui an. 648. Primigenio in ſede Gradenſi eſt ſubrogatus; error & confuſio Cathedræ utriusque inde eſt orta, quod Maximus Gardenſis Metropolita ſe in Conc. Romano an. 649. Aquilejenſem

Sclavi victi an. 634.

Marteniau. obit ſucc. Fortunat. dein Felix Aquil Pat.

Maximus Pat. Grad. an. 648. lejenſem ſcripſerit Epiſcopum, cujus vero teſte de Rubeis ea cauſa fuit, quod, cum hoc tempore, authoritate Papali, Diœceſis Aquilej. nondum diſſecta fuerit, ſed privato ſolum arbitrio, uterque Antiſtes Aquilejenſis & Gradenſis ſe Metropolitam ferret, hic authoritate Roman. Pontif. ille favore Longobardorum, inde factum eſt, ut Maximus velut Antiſtes Catholicus, ſe verum etiam Aquilejenſem Epiſcopum ſcriberet: Eodem an. 680. de Agathone Gradenſi ſunt dicenda; erravit etiam Bail in ſumma Concil. Maximum hunc Monothelitarum Patronum fuiſſe? nam ex actis Concil. Lateran. apud Harduinum tom. 3. Collect. Concil. pag. 909. habemus, eum inter alios etiam contra Monothelitas pronunciaſſe, atque in actis Lateran. cit. Conc. *Sanctiſſimum* Epiſcopum dici, quem honoris titulum, Concilium Catholicum, hæretico non tribuerit.

Theodo I. Dux IV. Bav. a. 649. LXXIII. Garibaldo II. Bajoariæ Duci an. 649. ſuffectus eſt Theodo I. Dux Bavariæ IV., ſub quo S. Emerammus in Bavariam venit, ea mente, ut inde in Pannoniam ad Hunnorum converſionem excurrere poſſit. Theodo hoc conſilium edoctus, negabat tranſitum afferens, ex *Bajoaria in Pannoniam iter* non patere, *propter diſcordiam ſcilicet & longam inter ſe & Avares bellorum controverſiam, fines in utroque latere deſertos adeo, ut circa Anaſim fluvium, urbes & loca olim cultiſſima, tantis beſtiarum immanitatibus horrerent, ne viatoribus ullus tranſeundi locus pateret.*

Auſtr. ſuper. & Styria deſerta. Ita Meginfred. in vita S. Emerammi cap. 5. 6. En deſertum partis Styriæ, hodie Auſtriæ ſuperioris ſtatum! ita, ut ob continuos Hunnorum motus & irruptiones, loca etiam florentiſſima fierent ſpelæa ferarum. Ex his Meginfredi verbis patere videtur S. Rupertum tempore Theodonis I. Juvavium non veniſſe, ſed ſub *Theodone alio*, ſeu ſecundo ut diſertis verbis Arnolfus docet.

Felix Patr. Aq. obit an. 652. ſuc. Joan. II. dein Joan. III. LXXIV. An. 652. Felici Aquilej. Patriarchæ Joannes II. & huic an. 661. Joannes III. ſucceſſit, quo etiam tempore, an. nempe 559. Samo Dux ſeu Rex Sclavorum Carentanorum dies ſuos clauſit. De ſucceſſore ejus dubium eſt, communiter quidem ei Boruthus, dein Caraſtus ſucceſſor ſtatuitur, ſed fieri non potuit, ut ab an. 622. vel etiam 630. quo Samo præeſſe cœpit, ad Pippini tempora ſeu an. 747. vel 752. præter Samonem, & Boruthum nemo Sclavis imperaverit, quod tamen legitime infertur, cum Boruthi Sclavorum Ducis meminerit Author Anon. de converſione Bajoar. & Carent. an. 756. &c. hac in difficultate vel dicendum, Sclavos Carentanos poſt Samonis mortem ſui juris fuiſſe, vel per Duces alios inter Samonem & Boruthum gubernatos, etenim non deſunt Authores, qui poſt Samonem, *Marothum*, vel *Maravodum*, alium ſic a Borutho expreſſuri, Ducem ſtatuunt, eumque Veſprinii ſedem habuiſſe dicunt, cui dein *Svatbes*, ſeu *Svatoſus* circa an. 720. & Boruthus an. 732. ſucceſſit.

Samo Rex Sclav. obit.

Succeſſor quis.

Sclavi Carentani ſui juris fiunt. Mallem ego Sclavos in Styria, Auſtria, Carinthia &c. diffuſos, ſui juris dicere, eorumque Principum Chronotaxim hoc ordine ſtatuere: Anno 622. Samo primus Princeps Sclavis præfuit. Anno 659. eodefuncto Sclavi ſui juris erant, ad annum uſque 737. quo Bajoariis ſe ſubjecere. Anno 747. Bajoariorum annutu ſibi Boruthum Ducem ſtatuiſſe videntur, cui anno 762. Caraſtus

raſtus an. 765. Chetumarus Dux IV. ſucceſſit, quæ pluribus per decurſum oſtendam.

LXXV. Inter hæc vices ſuas paſſus eſt etiam Ducatus Forojulianus, ſub cujus Ducibus etiam Styria noſtra parebat, nam an. 661. Graſulpho, III. Duci Forojul. & Styriæ Ago, & huic an. 663. Lupus Dux V. ſucceſſit, qui ſe a Grimoaldi Longob. Regis obſequio avertit. ubi enim Bertaridus æmulus Grimoaldi ad Francos fugit, ab iisque defenſus eſt, Grimoaldus Rex palatium Ticinenſe, Lupi Forojuliani Ducis fidei commiſit; ex averſione hac bellum civile veritus, Rex Avares in vindictam evocat, quibuscum per quatuor dies Lupus pugnavit, tribus diebus, non quarto felix, quo peremptus eſt, & copiæ ejus diſperſæ totumque Forojulium exciſum, ut narrat Paulus Diac. lib. 5. cap. 19. 20. Lupo ab Hunnis cæſo, Warnefridus filius, Sclavis, terrarum noſtrarum incolis in auxilium vocatis, Ducatum Patris occupare tentavit, ſed Forojulienſes offendit Sclavorum invocatio, unde teſte Paulo Diac. cit. cap. 22. *Apud Nemas caſtrum, quod non longe a Forojulii diſtat, iruentibus ſuper ſe Forojulianis exſtinctus eſt*: ex hiſce firmor in ſententia mea num. præced. data, Sclavos nempe ſui juris fuiſſe, cum enim Sclavi contra Regis Longobardorum voluntatem, nil timentes Avarum, Francorumque potentiam, Warnefrido adſtiterint, nemini per hæc tempora ſubjectos fuiſſe arbitror: præterea ſuſpicor, Avares *ex Pannonia per Carnioliam, & Styriæ etiam noſtræ partem* in Forojulienſem Ducatum involaſſe.

Graſulphus Dux Foroj. & Styr. obit 661. ſucc. Ago dein Lupus.

Warnefridus Dux 6. Foroj. & Styr.

Sclavi ſui juris.

Grimoaldus audita Warnefridi nece, Vectarium Vicentinum, Forojulio Ducem dedit, ſed ubi hunc Ducem conſtitutum Sclavi intellexerant, voluerunt Forojulium capere, & non longe inde caſtra ſunt metati. Vectaris Dux, veſpere priore, neſcientibus Sclavis a Ticino revertebatur, quem, cum paucis venientem, nec agnitum, riſere Sclavi dicentes, Patriarcham contra ſe, cum Clericis adventare, ſed Vectaris ad poſtem Natiſſonis fluminis veniens, Caſſide detracta, & vultu, Calvoque capite Sclavis oſtenſo, illico eos in fugam compulit, eosque inſecutus ita delevit, ut ex 5000. viris pauci evaſerint. Ita Paul. Diac. lib. 5. cap. 23.

Vectaris Dux 7. Foroj. & Styr.

Sclavos cadit.

LXXVI. Maximo Patriarchæ Cath. Gradenſi an. 668. Stephanus II. & huic an. 673. Agatho ſucceſſit. Agatho hic an. 679. Concilio Romano ſub Agathone Papa adfuit, ſeque etiam *Epiſcopum S. Eccleſiæ Aquilejenſis* ſcripſit, eadem de cauſa, quam num. 72. de Maximo Gradenſi ſtatui. Idem Agatho Gradenſis an. 680. Concilio Oecumen. Conſtantinopolitano 3. adfuit, atque eodem modo *Epiſcopus S. Eccleſiæ Aquilejenſis Provinciæ Iſtriæ ſubſcriptus eſt* cum Suffraganeis ſuis. Hi bis adferuntur, in Collect. Concil. Harduini, & dein in correctione ejusdem Harduini in margine, reliquos extra Styriam Suffraganeos prætereo, noſtrates adfero: *Petovienſis* Epiſcopus non refertur, ſed poſt Agathonem Aquilejenſem quartus ordine legitur *Andreas Epiſcopus S. Eccleſiæ Vejentanæ Provinciæ Iſtriæ*, de hac ſubſcriptione de Rubeis monum. Aquilej. cap. 35. ita habet: *Andreas non Vejentanæ, ſed Celejanæ Eccleſiæ Epiſcopus nominandus, in textu enim græco:* Εκκλησίας Κελαιάνης. *Sed omnino legendum Veglentanæ, & in græco* Βεγλιάνης *adnotat Lucas Holſteinius;*

Maximus Grad. obit an. 668. ſuc. Steph. dein Agat.

Conc. Oecumen. Conſtantinop. 3. an. 680.

Andreas an Ep. Celej. an præſ.

ita de Rubeis in monum. Aquil. an. 1740. editis in Diſſertatione tamen de Schiſmate Eccl. Aquil. an. 1733. edita, idem de Rubeis ita docet: *Andreas non Vejentanæ, ſed Celejanæ Eccleſiæ appellatur Epiſcopus in textu græco:* Εκκλησίας Κελαιάνης. *Neutram, ſi placuerit, lectionem improbo.* Unde correxiſſe mentem ſuam videtur de Rubeis in monum. Aquilej. an. 1740. poſt Diſſert. dictam an. 1733. editam, videturque ſentire cum Holſteinio, Andream hunc non Celejanum, ſed Veglentanum Epiſcopum fuiſſe, quæ ſi ita, ſubſiſteret conjectura Auth. Chronol. Sacr. Ducat. Styr. ſæc. 7. pag. 171. docentis, *Petovienſem & Celejanum Epiſcopatum*, cum nulla amplius horum memoria occurrat, per Sclavos & Hunnos fuiſſe everſum.

Epiſcopat9 Pet. & Celej. everſi.

Theodo II. Dux B. Bavar. a. 680

LXXVII. Theodo II. nomine, Dux ordine V. Bavaris circa an. 680. præeſſe cœpit, ſub quo S. Ruperti in Bajoariam adventus a communiore jam ſententia figi ſolet, & Bajoarii cum aliis gentibus, Francorum Dominium a ſe avertere conabantur, aucti nempe utcunque & potentia, & viribus Bojorum Duces, cum alios jamjam vel ſub ſe, vel ſibi addictos cernerent Comites & Duces, eo facilius in libertatem ſe reddere poſſe arbitrabantur, quo magis eodem tempore, Saxones, Friſii, Alemanni contumaces a Francorum ſe dominio abſtrahere laborabant, ſed compreſſi omnes, Francisque denuo ſubeſſe coacti ſunt, ut inquit Author Annal. Metenſ. an. 691. hos inter Comites, qui Bajoariorum dominium hoc tempore venerabatur, fuiſſe videtur Comes Tyrolenſis, de quo Paulus Diac. lib. 5. cap. 36. teſtatur, eum cum Alachiſio Duce Trident. armis congreſſum, atque devictum fuiſſe, Comitem hunc Tyrolenſem Paulus vocat, *Comitem Bajoariorum, quem illi Gravionem dicunt, qui Bauzanum, & reliqua caſtella regebat;* Marchio itaque hic Tyrolenſis fuerit, *Comes Bajoariorum* dictus, quia eis ſubjectus. Forojulio an. 695. Styriæque noſtræ datus eſt Dux Laudaris, dum an. 683. Agathoni Gradenſi, Chriſtophorus Præſul ſuccederet.

Sub quo Bajoar. a Francis victi.

Tyrolen. Comit. ſub Bajoariis.

Laudaris Dux datus Forojul.

S. Ruperti in Bavar. prædic. an. 696.

LXXVIII. Anno itaque 696. S. Rupertus in Bajoaria fidem Chriſti prædicare cœpit ſub Theodone II. Duce Bavariæ quinto, quis tunc fidei rerumque ſtatus in Bajoaria & vicino Norico Mediterraneo fuerit? refert Arnulphus Vochburgenſis lib. 1. de miraculis S. Emerammi cap. 1. Conqueſtus: *Eccleſias in Bajoaria absque certis Epiſcopis fuiſſe, & Noricis, qui nuper Chriſtianitatem acceperant, miſcuiſſe ſe hæreticos, qui fas ibi nefasque confuderint, quorum alii ſe dicebant Epiſcopos, alii Presbyteros, alii diverſi Ordinis Clericos - - - ſicque populum cum Principibus ſeducebant.* Hac præſuppoſita de Bajoaria notitia, mira mihi adeo non videtur ſententia docentium ex vita S. Ruperti, Theodonem II. a S. Ruperto baptizatum fuiſſe, tum quod teſte Pagio hoc an. num. 7. *Non eſſet inſuetum eo tempore*, baptiſmum differre, tum quod ſupponi etiam poſſit Theodonem paganum fuiſſe, eo quod teſte Mabillonio: *Facile potuit gentis mobilis pars, ad dæmonum cultum, aut ſuperſtitiones relabi, deficientibus Epiſcopis & Eccleſiæ Miniſtris, qui rem Chriſtianam in illis partibus procurarent.* Plura addit Arnulphus Vochburgenſis ſupra cit. ajens *in Bajoaria obtinuiſſe, quod alii Chriſtum quidem, ſed fide non integra, & ab hæreticis corrupta ſequerentur, baptiſmum alii ſuſciperent, plures negligerent, paganarum denique conſuetudinum reliquias, cum Chriſtianis inſtitutis retinerent.*

Bajoariæ ſtatus quoad fidem.

rent. Hic Bajoariæ & terrarum noſtrarum miſer Religionis ſtatus S. Rupertum permoverit, ut e Bajoaria in terras etiam noſtras prædicationis cauſa perveniret. *Uti & Styriæ.*

LXXIX. Etenim an. 698. in Auſtriæ & Styriæ terminos deſcendiſſe S. Rupertum, indicat vita ejusdem apud Caniſium tom. 3. pag. 282. in qua ita lego: *Per alveum Danubii, uſque ad fines Pannoniæ inferioris, ſpargendo ſemina vitæ, navigando iter arripuit, ſicque tandem revertens, ad Laureacenſem pervenit civitatem, multosque infirmos, variis languoribus oppreſſos orando per virtutem Domini ſanavit, & veræ fidei plures inibi ſociavit.* Iter hoc S. Ruperti mirum in modum Authores excruciat, quomodo enim, inquiunt, fieri potuit, ut S. Rupertus, Danubio prætervectus, *Laureacum*, in Auſtria ſuperiore, ad *Arrabonem uſque fluvium*, vel ſi *Pannoniæ infer.* fines ad Orientem ſpectentur, ad Savi, Iſtrique confluentem, medios inter Hunnos deſcenderit? Hunnos hoc tempore in Pannonia conſediſſe, immo eos uſque ad Anaſum terminos ſuos protuliſſe conſtat ex Pagio an. 568. num. 8. Eccard. rer. Francic. lib. 8. cap. 17. Velſero rerum Boicar. lib. 3. pag. 98. aliisque docentibus deſertas circa Anaſum terras fuiſſe, ob Bajoariorum & Avarum continua bella. V. dicta num. 73. *S. Rupertus in Pannon. infer. venit an. 698.* *Laureaci præ dicat.* *In Pannon. Hunni uſque ad Anaſ.*

Dubium hoc iter ſatis apte reſolvit P. Sigiſmundus Calles tom. 2. Annal. German. Eccleſ. lib. 3. num. 39. docens *Pannoniæ infer.* nomine, non eam, quæ Romanorum ævo ita vocata eſt, & quæ Arrabonem inter Savumque ſita erat, Provinciam, ſed quæ ſæc. 9. Pannonia inferior dici cœpit, & nunc *Styriam*, *Carinthiam*, Savo, Dravoque viciniorem complectitur, intelligendam eſſe; deſumit id ex Annal. Laurisham. Fuldenſ. Bertinianis, & quod longo tempore, ea majore ſui parte immo fere omni ad ſacram Eccleſiæ Salisburgenſis jurisdictionem pertinebat; vita alia S. Ruperti ex MS. rubeæ vallis apud Henſchenium, & Papeprochium id plane innuere videtur, ea enim nihil de Pannonia inferiore, nihil de difficili, & incredibili pene itinere ex Pannonia inferiore, adverſo Danubio in Laureacenſem civitatem ſuſcepto, ſed ſolum *de alpinis Regionibus & Carentania* luſtrata meminit. V. acta Sanctorum Martii 27. num. 23. pag. 705. apud Bolland. *Pann. infer. nomine venit Prov. Dravo & Savo vicina ſeu Styr. & Carinth.* *S. Rupertus in Carinthia & Styr. fidem Chriſti prædicat.*

LXXX. Uſitatum hodiedum eſt iter in hac vita ita deſcriptum: *Tunc Vir Dei, accepta licentia, per alveum Danubii navigando, iter arripuit, & tandem ad Laureacenſem urbem pervenit, prædicando ibidem doctrinam ſanctæ vitæ &c. pertranſiens vero omnem alpiarum* (fors *alpinam*) *regionem ad Carentanorum Regnum pervenit - - cujus rogatu regnum illud convertens, Chriſti baptiſmate purgavit, tranſcenſoque monte altiſſimo Mons Durus appellato, prædicavit Wandalis &c.* Unde S. Rupertus uſitato itinere per alveum Danubii pervenit Laureacum, inde vero non ultra deſcendit navali itinere, ſed inde in Styriam, moderna ſui ſuperiore parte Carinthiæ implexam, alpiumque ea parte ſuperata delapſus eſt per montes, in locum *Montis Duri*, ſeu Hartberg jam Auſtriæ & Styriæ terminum; qui diſtrictus integer modernæ Auſtriæ, adhuc hodie ſub Diœceſi Salisburgenſi paret, atque Canonicis Regul. S. Auguſt. de Reicherſperga quoad omnes fere Parochias conceſſus eſt, ſpecialemque habet Archidiaconum per diſtrictum Neoſtadienſem dictum. *In Hartberg Auſtriæ monte advenit.*

Wandalos, quibus hoc in itinere prædicavit S. Rupertus, eosdem cum *Vindis* ſeu *Sclavis* puto, per Styriam, Carinthiam & modernam Auſtriam ſuperiorem etiam diffuſos, cum teſte Pagio, Biographus S. Rupertinus: non infrequenti ea ætate more, *Sclavos*, etiam *Wandalos* appellet.

An Celejæ prædicaverit.

Celejam veniſſe S. Rupertum, facile ex dictis colligimus, plura ad an. 713. ea de re occurrent, ubi etiam de corpore S. Maximiliani Celeja Pataviam vel in Pongav delato ſermo erit; quamvis, ſi etiam S. Rupertus Celejæ Eccleſiam in honorem S. Maximiliani dedicaſſe ſtatuatur, inde inferri non poſſit ab eodem corpus S. Maximiliani Celeja Pataviam, vel in Pongav delatum fuiſſe.

Aquil. Schiſma tollitur a. 698.

LXXXI. Forſitan ejusdem S. Ruperti in terris noſtris, Iſtriæ vicinis, præſentia, antequam an. hoc 698. in Bajoariam rediret, effecerit, ut ſchiſma diuturnum Aquilejenſe, ſeu Iſtriæ e radice tolleretur Sergio III. Rom. Pontif. potiſſimum collaborante. Joanni III. Aquilej. Patriarchæ circa hoc tempus ſucceſſerat Petrus, ſub quo Aquilejæ hoc anno habitum concilium, quod Beda Abbas, qui res hujus temporis optime noſſe debuit, & Anaſtaſius Bibliothecarius ita deſcribit: *Hujus* (Sergii P.) *temporibus Aquilejenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus* (Chron. Civitat. apud de Rubeis monum. Aguil. appendice parte 3. *Petrum Patriarcham* nominat) *& Synodus, quæ ſub eo congregata eſt, qui Sanctum quintum Concilium univerſale, utpote errantes, ſuſcipere diffidebant, ejusdem Beatiſſimi Papæ monitis atque doctrinis inſtructi converſi ſunt, iidemque Venerabile Concilium, cum ſatisfactione ſuſceperunt.* Acta reliqua hujus Conc. quinam ei Legati Apoſt. adfuerint? quinam Suffraganei? nondum inveni.

Aquilej. Conc.

Sæc. 8. Tetrarchia Bavariæ ſub Theod. filiis an. 702.

LXXXII. Ad ſæculi 8vi ingreſſum, quædam de rebus Bojorum & Longobardorum, pro majore Styriæ noſtræ notitia prænotanda videntur: & quidem in Bajoaria an. circiter 702. Theodo II. Dux Bavariæ V. inaudito hactenus exemplo, in tres filios ſuos, Theodebertum, Grimoaldum, & Theodebaldum, ſui Principatus curas transtulit, eosque in communionem regni ſuſcepit; ex quibus *Theodebertus*, partem Italiæ propiorem, ubi *Bauzanum*, hodie Tyrolis caput, *Grimoaldus* Bajoariam in Auſtrum magis depreſſam cum Friſinga, Theodebaldus denique partem Septentrioni viciniorem accepit, *Theodone Patre* Bajoariam Orientalem, cum Ratisbona Metropoli ſibi retinente. Rem hanc ab hiſtoricis omiſſam refert Arbo in vita S. Corbiniani cap. 3. num. 19. apud Bolland. 8. Sept. Arnulphus Vochburgicus de mirac. S. Emerammi lib. 1. cap. 1. hæc Tetrarchia Bajoariæ multos errores detexit, nempe inter Theodonem, qui S. Emerammum ſuſcepit, & qui Romam abiit, non interceſſiſſe Theodebertum, ſed eundem fuiſſe Theodonem, qui S. Emerammo ſuſcepto, Romam abiit, dein evaneſcunt illi fictitii Duces Bajoariæ, Theodo IV. V. &c. patetque Theodonem II. ad an. uſque 722. vixiſſe, & Theodebertum ejus filium partem ſolum Bajoariæ ad an. 702. adminiſtraſſe.

Rodoaldus IX. Dux Forojul. & Styriæ.

Longobardis hoc tempore Aripertus Rex præfuit, qui an. 705. Laudari Forojul. 8vo Duci ſubſtituit Rodoaldum Ducem nonum, de quo præter nomen vix quidquam proſtat.

LXXXIII. Eiſenärzenſes in Styria noſtra, fodinæ ferri celeberrimæ an. 712. repertæ dicuntur a Prevenhuebero, & Authore topograph. Auſtr. Ducat. Styriæ. Teſtatur id etiam inſcriptio in Eccleſia Parochiali ad S. Oſwaldum hujus tenoris: *Hæc celebris & nominata ferrifodina reperta eſt anno Chriſti 712. cui in perpetuam memoriam an. 1632. hæc renovatio facta, anno inventionis 920. Deo pro liberali dono, ac gratia ſit honor, gloria, ac gratiarum actio. Amen.* Meminit hujus inſcriptionis Prevenhueberus, eam nempe & in Eccleſia S. Oſwaldi ibidem, & in Regiſtratura civitatis Styræ de an. 1495. reperiri. Si Lazio credimus, hæ fodinæ Eiſenarzenſes, cum Leobienſibus eædem fuere, ferrique hujus meminiſſe putat Homerum tempore belli Trojani annis circiter 1180. ante Chriſtum natum, ſub nomine *Chalybis Norici*, quo Homeri interpretem intellexiſſe chalybem, cum ait Lazius, *qui hodie in Styria apud Leubnam præſtantiſſimus conflatur, & paratur*; Quidquid de hac Lazii opinione diſſeratur, illud omnino conſtat, has ſodinas celeberrimas, licet jam per mille & ultra annos, indefeſſo labore effodiantur, nullum pati defectum, cum uberem ſemper materiam vel pariant, vel provida diſtributione poſteris reſervent; cœleſtis ſane benedictionis non leve argumentum videtur mira Deiparæ icon, quæ an. 1668. dum ferrea gleba in binas partes fortuito ſecaretur, ſola naturæ vi impreſſa apparuit, atque ad Auguſtiſſimum Leopoldum delata, Gazaphylacei pretium adauxit.

Eiſenärcenſ. ferrifodina a. 712.

Deiparæ icon ib. a. 1668. repert.

Eiſenarzii nomen, hoc quidem tempore, Hunnos inter ac Sclavos, Patriam noſtram incolentes, nondum apparuit, locus tamen ipſe jamjam exſtitit; nunc Eiſenarzium oppidum eſt, Styriæ ſuperioris, ad Auſtriæ ſuperioris terminos, 10. circiter milliaribus Græcio diſſitum: innumera ibi ſudat operarum caterva, nam primo lapides ferro prægnantes, ex dura rupe exciduntur, ex his ferrum potenti igne liquatum in quasdam informes confluit maſſas, quæ Vulcanis denuo commiſſæ, & novo igne excoctæ, humanis uſibus ultimo adaptantur; multi præterea officiales opus dirigunt, quibus præeſt Præfectus Cæſareus, vulgo Cammer-Graf appellatus. Sylvarum abunde montes, dorſo ferunt hæ fodinæ, unde æs liquantibus ligna ſuppetunt. Seriis ſuos luſus natura addidit, & utilibus pompam.

Deſcriptio loci.

Emicat in oppido dicto, Parochiale templum, ſolido muro ad inſtar arcis circumdatum, D. Oſwaldo Sacrum, poſt cujus feſtum ſolemnes ibi nundinæ celebrantur. Templum hoc an. circiter 1462. ædificatum eſt teſte Prevenhuebero Annal. Styr. fol. 154. Georgius Nördlinger circa eum an. Judex loci legata quædam ad ſtructuram fecit. In altero montis latere, plures patent cavernæ, ex quibus Vordernbergenſes oppidani magna etiam contentione ferrum extrahunt, variisque Provinciis diſpenſant. An. 1618. die 18. Maji ingens incendium exortum, non leve Eiſenarzio damnum intulit, quod penes hoſpitale cœptum, & vento accedente dilatatum, 80. circiter domos, cum curia & domo Cæſarei officii, Capella oppidi, domo Parochiali, & Scholaſtica in favillas, multosque homines ad incitas redegit; nec mirum, ni ſpecialis haberetur cura, ſi crebriora adhuc inibi contingerent incendia.

Vordernb. fodinæ

Hæc

Hæc fusius, quoniam Styriam concernebant, nec in Differt. 1. quidpiam de hoc loco dictum, cum mens ibi fuerit, vetera Styriæ loca solum commemorare, non omnia, ne ea Dissertatio nimium excresceret.

Pongav Monast. S. Maximiliani an. 713.

LXXXIV. Monasterii *S. Maximiliani in Pongav.* fundatio an. 713 facta, quædam de rebus Styriæ suppeditat; etenim S. Rupertus auditis ejus loci prodigiis, accedens, *parvam Ecclesiam cæteraque servorum Dei habitacula ædificare* cœpit: loco huic ac Monasterio, cur nomen S. Maximiliani adjectum fuerit? non adeo liquet; titulus capitis 2. donat. Salisburg. fere innuere videtur, quod S. Maximilianus ibidem fuerit sepultus, alii opinantur, quod per id tempus, corpus S. Maximiliani Celeja translatum, ac Laureaci tantisper depositum occasionem dederit, & huic Monasterio, & Templo alteri Burg-Kirchii erecto, silentium Authorum de hac S. Maximiliani translatione non imprudens du-

An ibid. S. Maximil. sepultus.

De translat. S. Maximil.

bitandi argumentum præbet, MS. Chron. Celejæ nil de hac translatione memorat, sed solum ait S. Rupertum Celejæ simplicem Ecclesiam, cum aliis in honorem S. Maximiliani dedicasse, ex quo minime inferri potest, S. Rupertum corpus S. Maximiliani Celeja transtulisse; neminem ego certe Scriptorum, quantumvis oscitantem, silentio prætetisse id opinor, si ossa S. Maximiliani eo loco vel a S. Ruperto inventa, vel eo delata fuissent; forte is loco Pongav titulus de S. Maximiliano datus est, quod ejus opem sibi conciliare voluerit S. Rupertus pro conversione Sclavorum. Titulus quidem cap. 2. in libello donat. Salisburg. sic habet: *De visione luminis, in loco, ubi S. Maximilianus sepultus esse dignoscitur*, sed titulus hic non exprimit, an S. Maximilianus prius, an postea ibi sepultus fuerit? nec, a quo Celeja huc translatus, ut adeo nil certi hac super re constet. Corpus itaque S. Maximiliani, ut posthac dicetur, sub Carolomanno Rege anno circiter 878. Oetingam in novam Basilicam ab eodem conditam translatum censeo, sed ex quo loco, an ex Pongav., an ex Burg-Kirchen? denuo hæreo, verosimilior conjectura pro Burg-Kirchio pugnat, cum non satis erui possit, an Monasterium S. Maximiliani in Pongav ad Carolomanni Regis ætatem perduraverit, ut v. Diplom. Carolomanni Reg. apud Hund. Metrop. tom. 3. pag. 42. ex historia enim S. Ruperti cap. 16. apud Henric. Canisium tom. 3. pag. 325. aliud non habemus, quam Monasterium id post mortem S. Ruperti a Sclavis Carentanis spoliatum, & destructum, sub S. Virgilio iterum restauratum, a Clericis datum fuisse, dein incertum, quo casu & tempore in solitudinem abiisse.

Aquil. Diæc. divisio an. 716.

LXXXV. Anno 716. dum Donatus Gradensem post Christophorum regeret Ecclesiam, Serenus Patriarcha Aquilejensis pallium annutu sedis Romanæ obtinuit sub Gregorio II. Papa, dumque sic & Gradensis & Aquilejensis Episcopus, pallii, & Metropolitæ honore gauderet, Diœcesis Aquilejensis necessario scindi debuit, Istria & Venetiæ maritimæ sub Gradensi, Venetia vero & Mediterranea, seu Longobardia, hoc ævo, Noricum & Pannoniam comprehendens, sub Aquile-

Styria sub Aquil. Diœcesi.

jensi remansit, sicque Styria nostra, uti quoad regimen politicum sub Ducibus Forojulianis, ita quoad regimen Ecclesiasticum Aquilejensi, etiam Episcopo Forojulienſi, denominatione hac a Provincia vel ci-

vitate

vitate Forojulii deſumpta, relicta eſt, atque ab hoc tempore continuæ inter Metropolitas Aquilejæ & Gradenſes lites exarſerunt.

Eodem hoc anno Theodo II. Dux Bavariæ, pietatis cauſa Romam abiit teſte Paulo Diac. lib. 6. cap. 44. cujus dein opera procurata videtur legatio Pontificia in Bajoariam dimiſſa, vi cujus, cum Papa Greg. II. vellet *juxta gebennationem*, ſeu diſtrictum *uniuscujusque Ducis*, ſedes 3. vel 4. Epiſcopales inſtituere, atque Archi-Epiſcopum in Bajoaria collocare, tetrarchia Bajoariæ adhuc uſuveniſſe videtur, qui proin annus primus inſtituti Epiſcopatus Salisburg. ſeu ut Brunnerus ait: *natalis converſæ Bajoariæ* eſt dicendus, quo nempe, erecta cum initio ſæculi hujus ſedes Salisburgenſis, Pontificia authoritate eſt confirmata: ſeq. an. Theodoni defuncto, Teodebertus filius ſucceſſit Dux 6. Bajoarior.

Theodo II. Romam abit.

Epiſcopat. Salisb. origo.

Theodo II. obit ſuc. Teodebert. Dux VI. Bav.

LXXXVI. Obſcura eſt hoc tempore ſucceſſio Ducum Forojulii, & Styriæ noſtræ, Rodoaldum an. 705. Laudari ſucceſſiſſe dixi; de Rubeis cæteris attentior, ab hoc an. 705. ſequentes ordine ſtatuit Duces: Rodoaldum, Ansfritum de Reuina, Adonem, ſeu Aldonem, Ferdulphum, Corvulum, ac Pemmonem: quo quivis anno ſucceſſerit? incompertum, acta eorum, quæ Styriam non concernunt referre ommitto, uti Pemmonis an. 717. de Sclavis Carentanis victoriam, ac pacem initam.

Chronotaxis Ducum Forojulii & Styriæ.

Magis ex parte ad res noſtras faciet referre obitum S. Ruperti Ep. I. Salisburg. qui an. 718. obiit, ſucceſſitque ei S. Vitalis, *Vir Sanctus & omni populo acceptus*: pro legitima Epiſcoporum Salisburg. ſerie retinenda adnoto verba Mabillonii, qui ſæc. 3. Benedictino, de Vitale quidem hæſerat, ſed ſuſcepto in Germaniam itinere, dum in Monaſterio S. Emerammi, antiquiſſimum ſæc. 9. codicem inveniret, ſententiam ſuam tom. 4. analect. his verbis correxit: *Primo quidem ex claſſe Salisburgenſium Epiſcoporum expungendi ſunt, Anſalogus, Savolus, Ezzius, qui poſt Vitalem apud Hundium recenſetur, deinde poſt Virgilium Bertricus quoque removendus*; cui effato a viris doctis jam undique ſtabilito, deinceps velut regulæ inhærebo.

S. Rupertus Ep. Salisb. obit ſuc. S. Vitalis.

Abbates S. Petri e claſſe Epiſc. Salisb. expungendi.

LXXXVII. Prima vice S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus an. 719. Bajoariam luſtravit, ſed pertranſeundo ſolum, cum ad alias terras abierit. Paulo poſt annum 725. Carolus Martellus primo in Bajoarios pugnans, eosdem ſibi ſubjecit. Grimoaldus & Theodebaldus filii, Theodonis II. jam ante Theodebertum defuncti videntur, neque Theodebertus ultra hunc annum ſuperſtes, cum anno 726. Huebertus Dux VII. Bojis imperarit, a Carolo Martello præpoſitus, unde etiam Diarchia Bavariæ extincta, Monarchia incepit.

Carolus Mart. Bajoariam ſubjugat 725.

Huebertus Dux VII. Bav. 726.

Bajoarii vero ſub novo Duce, neſcio an invito? an conſentiente? an. 728. *rurſum a Francis ſeceſſionem cum facerent, bellum exarſit, quo per Carolum Martellum impetiti, debellatique denuo ſunt.* Ita Author German. Sacr. tom. 1. cap. 21. quo in bello, an Carolus Martellus ob Eccleſias expilatas, & fæde habitas, ex æquo a Pagio excuſatus fuerit? alii viderint; id verum, Carolum reſipuiſſe, & Eccleſiis dein plus beneficum quam antea moleſtum fuiſſe.

Bajoarii denuo an. 728. victi.

Eodem hoc circiter tempore S. Vitali defuncto Salisburgi Epiſcopus ſucceſſit Flobargiſus.

S. Vitali Epiſc. Salisb. ſuc. Flobargiſus.

Aquil. & Grad. Eccl. lites 734.

LXXXVIII. Sereni Aquilej. Succeſſor Caliſtus, Antonium Gradenſem Patriarcham Donati Succeſſorem dire exagitavit, etenim an. 734. loca Gradenſis Eccleſiæ invadens ſibi uſurpavit, admonitione tamen Greg. III. Papæ iterum reſtituit, turbis his involutus eſt Pemmo Dux noſter, & Forojulienſium, qui Caliſtum ad Caſtellum Pontium deductum in mare præcipitare voluit; indignitate rei motus Luitprandus Rex Longobardorum piiſſimus, ademptum Pemmoni Ducatum, Ratchiſio filio contulit, cujus etiam precibus mitigatus Rex Pemmoni Patri indulſit, quod ad Sclavos fugere, & ſui depoſitionem armis ulciſci voluerit.

Pemmoni Duci Foroj. & Styr. ſucc. Ratchiſius Dux 15.

Inter Sclavos quidpiam rebellionis animadverſum fuiſſe, ex eo probabile eſt, quod anno hoc vel ſeq. Ratchiſius Dux novus in *Carnioliam Sclavorum Patriam*, teſte Paulo Diac. lib. 6. cap. 52. cum ſuis ingreſſus, magna eorum multitudine interfecta, omnia inibi vaſtaverit; patet ex his 1mo Carnioliam Longobardicum jugum excuſſiſſe, & cum *Celeja*, quam alio loco, ut dictum, Sclavorum Patriam Paulus nominat, ſub Sclavis ſuo jure viventibus fuiſſe. 2do quod jam alibi inſinuatum, nomine *Carantani*, non ſolum Carinthiam, ſed omnem eam regionem dictam, quæ ſub Sclavis conſtituta erat, veniſſe; cum enim Sclavi primo *Carantanum* occuparent, inde factum eſt, ut omnes *Carantani* dicerentur.

Sclavorum res in Carniolia. Celeja ſub Sclav.

S. Bonifacii acta in Bav. an. 736.

LXXXIX. Bonifacii in Bajoariam iter an. 719. factum, communiter non reputatur ab Authoribus, unde an. 736. primo in Bajoariam veniſſe refertur ſub Hueberto Duce, ibique Eremwolfum hæreticum & Schiſmaticum damnaſſe; inde an. 737. Hueberto def. ſucceſſit Odilo Dux Bavariæ VIII. ſub quo triſtis Laureaci ſtrages contigit, cum enim Hunni mortem Hueberti audirent, ſubitanea irruptione limitem Anaſinum transcendentes; tantam toti regioni ſupra Anaſum cubanti cladem intulere, ut non ſolum evaſtato, qui circa Laureacum eſt, agro, ferro & igne ſævirent, ſed etiam civitatem Laureacenſem, quæ una munimenti vicem in limite obtinebat, funditus everterent, ita, ut ne veſtigium ejus remaneret, præter Baſilicam S. Laurentii M. quam olim Archi-Epiſcopalem, intraque mœnia ſitam volunt: quo forte tempore Vivilo ſedem ſuam Pataviam transtulerit.

Hueberto ſucc. Odilo Dux VIII Bav. Laureaci excidium. Laur. ſedes Patav. transfertur

Deſolatam hoc in Laureaci excidio, etiam Patriæ noſtræ partem ad Anaſum uſque extenſam, nunc Auſtriæ unitam, non eſt, quod dubitem, quibus tamen damnis, & ruinis, quove effuſo ſanguine? minime conſignatum reperio.

Flobargiſ. Ep. Salisb. obit 737. ſuc. Joan. 739.

Flobargiſo Epiſc. III. Salisburg. defuncto circa an. 737. quodpiam interregnum in Eccleſia Salisburgenſi fuiſſe, ex eo conjicio, quod an. 739. dum Bajoaria a S. Bonifacio in 4. Epiſcopatus Salisburgenſem, Friſingenſem, Ratisbonenſem, & Paſſavienſem divideretur, Joannes Eccleſiæ Salisburg. quartus Epiſcopus fuerit præfectus.

Bajoar. a Franc. victi an. 743.

XC. An. 743. Bajoarii denuo ſub Odilone Duce, Franciæ jugum excuſſuri, Saxonibus licet Alemannis, & Sclavis ſibi adunatis, victi tamen fugatique ad Francorum ſe pertinere imperium, ſunt edocti, Duce Odilone ægre fuga dilapſo. Interim ſeq. an. Luitprando Longobard. Regi defuncto, non filius Hildebrandus, jam 9. annis cum Patre

tre regnans, ſed Ratchiſius Dux Forojulii & Styriæ electus eſt teſte Paulo Diac. lib. 6. cap. 58. Sigebert. in Chron. Muratorio Annal. Italiæ ad an. 744. De Succeſſore in Ducatu Forojul. litigatur, confuſaque eorum ſeries apud Authores reperitur; Irprandum Ducem, nulla veterum documenta loquuntur, uti & Aiſtulfum, cenſeoque cum de Rubeis, ſucceſſiſſe Ratchiſio in Ducatu Forojulii Anſelmum Ducem 16. dein Monachum factum. *Ratchiſ. Dux Rex Longob.* *Anſelmus Dux 16. Forojul.*

XCI. Joannis Epiſc. Salisburg. mors, quo anno evenerit? multum cruciat Authores, quidam, qui S. Virgilium an. 767. primo conſecratum volunt, Joannem an. 744. vel 746. obiiſſe putant. Mabillonius ſæculo 3. Benedictino Joannem non ultra 7. annos præfuiſſe putat, ſibi tamen ipſi in Annal. Bened. lib. 23. contradicit, aſſerens eum an. 756. defunctum. Mezgerus an. 754. Velſerus tardius mortem ejus conſignavit opinatus, epiſtolas Alcuini, quibus *Aquilam Antiſtitem nidi Juvavenſis*, appellat, ad Joannem Salisburg. Epiſcopum pertinere. Ego, ſalvo meliori judicio Joannis mortem an. 745. affigo etenim anno 745. Virgilius Presbyter a Pippino Majore domus ad ſedem Salisburgenſem fuit commendatus, & an. 744. vixiſſe Joannem Epiſcopum Salisburg. docet relatio antiqua apud Browerum lib. 3. cap. 11. qua *ſub indictione* 12. correſpondente anno 754. *Primum Salzburgenſis Eccleſia obtulit per Johannem Epiſcopum ſuum, matri ſuæ Fuldenſi Eccleſiæ in oppido ſuo Halla nuncupato domum & pontem ſalis &c.* *Joan. Epiſc. Salisb. mors a. 745*

Unde hoc eodem anno Virgilium Epiſcopum Salisburgi factum concludo ex Poeta Anonymo in Epitaphio S. Virgilii apud Mabillonium analect. tom. 4. pag. 347. ubi ait: *Quique regebat ovans præſentis culmina ſedis, ferme quater denos charis cum fratribus annos*; cum vero S. Virgilius mortuus fuerit an. 784. initium Epiſcopatus ab hoc anno 745. tuto ſumi poterit. *S. Virgilius Epiſc. Salisb.*

XCII. Multa ſunt tamen, eaque non levia argumenta, quæ Virgilium multo ſerius ad Epiſcopatum Salisburg. promotum ſuadent; Chron. Salisburg. Caniſianum apud Caniſium parte 9. tom. 3. pag. 748. an. 764. Epiſcopum factum, & 21. annis ſediſſe docet, Salisburg. Chron. alterum apud Hier. Pez an. 764. Epiſcopum factum, & an. 767. conſecratum Virgilium ſtatuit, Author de converſione Bajoar. & Carant. S. Virgilio nec integro ſæculo inferior, & ex eo S. Eberhardi diſcipulus in vita S. Virgilii litem hanc litterariam mirum augent, prior enim fol. 15. ita habet: *Iisdem temporibus, ſcilicet Ottilonis Ducis Bavariorum, venit quidam vir ſapiens, & bene doctus de Hybernia inſula nomine Virgilius ad prædictum Regem in Francia, loco vocato Kariſiaco, qui propter Dei timorem, retinuit eum ſecum fere 2. annis & comperto eo bene docto, miſit eum præfato Duci Ottiloni, ac conceſſit ei Epiſcopatum Salisburgenſem, qui diſſimulavit ordinationem ferme 2. annorum ſpatio, habens proprium Epiſcopum ſecum comitantem de Patria, Dabda græcum, ad perſolvendum Epiſcopale officium; poſtea vero petentibus populis & Epiſcopis illius regionis, conſenſit Virgilius, conſecrationem accipere, ac ordinatus eſt a comprovincialibus ad Epiſcopum, anno ſcilicet nativ. Domini 767. 17. Cal. Julii.* Eadem habet Eberhardi diſcipulus apud Caniſium tom. 3. part. 2. pag. 287. & alter *Dubia de epocha S. Virgil. Ep.* *Argumenta probantia S. Virgilium an. 764. Ep. factum.*

Biographus S. Virgilii poſterior apud eundem Caniſium tom. 3. part. 5. pag. 396. niſi quod hic eum an. 766. conſecratum ſcribat.

Præterea S. Virgilium anno 745. nondum Epiſcopum fuiſſe, ſequentia probare videntur, 1. Inter Friſing. Eccl. donationes ſub Taſſilone Duce factas, eſt una villæ in Haſelbach donatio, cui ſignum *Virgilius Abba* appreſſit, diu poſt Odilonis mortem, nec multo ante obitum Joſephi Epiſc. Friſing. an. 764. defuncti. V. hiſtor. Friſing. Meichelböck tom. 1. p. 2. num. 11. pag. 30. proin ante hunc an. Virgilius Abbas, non Epiſcopus fuit. 2. S. Bonifacius ſæpius cum Virgilio colliſus, ejusdem ſemper, ut Presbyteri meminit, nunquam Epiſcopum vocat, v. epiſt. Zachariæ Papæ Indict. 1. ſeu an. 748. ad S. Bonifacium data, apud Labbeum Concil. tom. 8. col. 256.

Argum. probantia Virgilium jam anno 745. Epiſcop. factum.

Sed nec deſunt argumenta, quæ Virgilium jam an. 745. Epiſcopum factum probant; & 1. quidem Odilonis mors anno 748. ſub quo Odilone tamen vivente Virgilius Epiſcopatum ſuſcepiſſe dicitur ex libello donat. ſupra allegato. 2. S. Virgilius ſub primordiis Taſſilonis Ducis Epiſcopus fuiſſe refertur ab Annal. Tilianis, Loiſelianis, Bertinianis, Metenſibus, & Laurishamenſibus ad an. 748. &c. uti & ab Eginharto. 3. Vix in dubium revocari poteſt fides Poetæ vetuſtiſſimi, qui Virgilium fere per 40. annos præfuiſſe docet, ut ſupra expoſui.

Sententia ſtatuitur.

XCIII. Hæc itaque S. Virgilii epocha, Scriptoribus fere omnibus crucem fixit; ut brevibus mentem meam deſuper aperiam, cenſeo, S. Virgilium an. circiter 745. electum, anno 766. vel ſeq. conſecratum Epiſcopum fuiſſe, atque ad an. 766. vel ſeq. titulum ſolius Presbyteri vel Abbatis, non vero Epiſcopi geſſiſſe. Argumenta hujus ſententiæ num. præced. allata ſunt, contraria ſolum ſolvenda, & quidem illud præcipue, quo ita ajunt: S. Virgilius an. 745. deſignatus eſt, & electus Epiſcopus, quomodo vero an primum 767. conſecrari potuit, cum ex Anonymo de converſ. Bajoar. & Carant. dicatur *ordinationem diſſimulaſſe fere 2. annorum ſpatio.* Author Germaniæ Sacræ, aliique Anonymum hunc, in hac narratione quorundam mendorum reum agunt, ut v. tom. 2. German. Sacr. in S. Virgilio num. 17. & 18. P. Calles tom. 2. Annal. Eccleſ. German. tom. 2. lib. 5. num. 53.

Solvitur Achilles object.

Ego ſine errore hac in re commiſſo, Anonymum dictum intelligendum opinor, mutatione tantum commatis interjecti, ita, ut ſic legatur: *Qui diſſimulavit ordinationem* (hic comma interponatur) *ferme duorum annorum ſpatio* (hic vero comma omittatur) *habens proprium Epiſcopum ſecum &c.* En! quomodo facta commatis immutatione verba hæc: *ferme duorum annorum ſpatio*, non ad diſſimulationem conſecrationis Epiſcopalis, ſed ad ſibi adjunctum Epiſcopum Dabdam vel Dobdam commode referantur. Rationes a congruo addo ſequentes: 1. interpunctio illa, ſeu comma dictum non eſt primogenium, ſed per deſcriptores, vel typi mandatores adjectum cum medio ævo, aliæ præter punctum interpunctiones non eſſent veteribus conſuetæ. 2. Quia ex ipſis actis Biographi patet, S. Virgilium non duobus ſolum, ſed multis annis Epiſcopatum diſtuliſſe, quamdiu enim Bonifacius vixerat, facile potuit conſecrationem differre, & Eccleſiam Salisburgenſem, ut Presbyter regere Virgilius, Bonifacius vero an. 755. obiit. 3.

S. Vir-

6. Virgilius conſecrationem diſtulerit, non ſolum ex humilitate, ſed etiam ut a ſe averteret ſuſpicionem & commentum arrogati Epiſcopatus. 4. Sic facile ſtatui poteſt, diſtuliſſe conſecrationem ad an. 755. cum eo uſque viveret Bonifacius, ab hujus morte pro muniis Epiſcopalibus Virgilius aſſumpſit Dobdam Epiſcopum græcum, ſicut olim S. Bonifacius Lullum. 5. Si etiam gratis detur *duorum ferme annorum ſpatium*, quo ſecum habuit Dobdam, jam an. 747. fuiſſe finitum, potuit tamen Epiſcopale officium ab an. 745. ad 747. a Dobda, ab an. 747. ad 755. a S. Bonifacio, & ab an. 755. ad 766. vel ſequentem an. a reliquis comprovincialibus Epiſcopis, præſertim a S. Modeſto, dein in Carinthiam deſtinato exerceri; poſtquam vero S. Modeſtus anno 765. vel ſequenti in Carinthiam juſſu Virgilii abiit, illico S. Virgilius in conſecrationem Epiſcopalem conſenſit, neque, ſi Modeſtus abfuiſſet, Epiſcopi defuiſſent, qui Virgilii munus Epiſcopale exercerent, ii nempe, qui an. 766. vel ſeq. Virgilium Epiſcopum conſecrabant. 6. Nil obeſt, quod hoc modo Virgilius non 40. fere, ſed 18. ſolum annis, ab an. 766. ad 784. fuerit Epiſcopus, nam anni Epiſcoporum, non a conſecratione, ſed a ſuſcepta prædicatione & electione Epiſcopali deſumuntur: ſic Willibaldus, & Othlonus, Epiſcopatum S. Bonifacii, non a conſecratione an. 723. ſuſcepta, ſed a prædicationis munere an. 719. cœpto deſumunt, tribuentes ei annos 36. qui ab anno 719. ad 755. quo obiit, rite complentur.

Epiſcoporum anni, non a conſecr. ſed ab elect. deſumuntur.

XCIV. Vivente itaque adhuc Odilone, atque ſub primordiis Taſſilonis Virgilius electus eſt Epiſcopus Salisburg. nam an. 748. Odiloni Duci Bavariæ defuncto ſucceſſit Taſſilo II. Dux IX. Bavariæ, puer adhuc, plures in calamitates natus, ut pluribus probant Pagius, Calles, Author Germ. Sacræ, aliique; quo eodem anno lis exarſit ſacra inter SS. Virgilium & Sidonium, ac S. Bonifacium, qui Virgilium Zachariæ Papæ detulit novarum doctrinarum, novi mundi, aliorumque hominum (antipodum nempe) Authorem, de quibus plura habet Author Germaniæ Sacræ. Quidam hæc de alio Virgilio interpretantur, ſed cum Mabillonio, Eccardo, Velſero, aliisque hæc de Virgilio noſtro intelligo, ea de cauſa Romam profecto, nec obſunt hæc Virgilii & Bonifacii notæ ſanctitati, cum etiam inter SS. Joannem Chryſoſt. & Epiphanium, Cyprianum, & Stephanum I. Papam, Leonem M. & Cæſarium Arelatenſem diſſidia fuiſſe conſtet; rediiſſe dein Bonifacium & Virgilium in amicitiam, agnitamque fuiſſe Virgilii innocentiam, illud argumento eſt, quod nulla dein per ſeptem annos a Bonifacio mota ſit querela, & S. Virgilius ſummo Zelo Carentanis prædicaverit.

Odiloni ſucc. Taſſilo II. Dux IX. Bav. a. 748

Lis S. Virgilii cum Bonifacio.

An. 749. Anſelmi Ducis Forojulii & Styriæ, Monachi facti atque Monaſterii Nonantulani Authoris exemplum ſecutus eſt Ratchiſius Rex Longobard. olim Dux noſter, Romæ Clericus factus, cui in Regno Longobard. Aiſtulfus frater, & Anſelmo in Ducatu Forojulii, Petrus ſucceſſit Dux 17. quo eodem circiter tempore Gradenſem Cathedram poſt Antonium, Æmilianus, & Aquilejenſem poſt Caliſtum conſcendit Sigualdus.

Anſelmus Dux Foroj. Monach. ſuc. Petrus Dux 17. an. 749.

XCV. Sub Deſiderio Longobardorum Rege, an. circiter 756. res Sclavorum Carentanorum immutatæ videntur: dixi num. 90. ad

Sclavi ſub Francis an. 743.

annum 743. Bajoarios, cum Sclavis ſibi adunatis, victos, & Francorum imperio ſubjectos fuiſſe; exploratum mihi non eſt, quo tempore Hunni Sclavos Carentanos adeo preſſerint, ut Bajoarios ſibi in auxilium advocaverint, quorum quidem ope Hunnos repulere, ſed ſimul cum Bajoariis in Francorum Regum dominium abiere; anno itaque 743. Sclavi Carentani cum Bajoariis per Francos ſubacti, obſides, ſuæ gentis dare debuerunt, hos inter Caraſtus, Boruthi Sclavorum in Carentania Ducis filius; una cum Chetumaro patruele Chriſtianam edoctus fidem hoc tempore videtur. Sub Duce Borutho id factum teſtatur Anonymus de converſione Bajoariorum & Carentanorum ſub an. 865. vivens & ſcribens ita: *Non multo poſt tempore* (egit prius de Samone Duce) *cœperunt Hunni eosdem Carentanos hoſtili ſeditione graviter affligere, fuitque Dux eorum nomine Boruth, qui Hunnorum exercitus contra eos videns, Bajoarios nuntiari fecit, eosque rogavit ſibi in auxilium venire, illi quoque feſtini venientes expugnaverunt Hunnos, & obfirmaverunt Carentanos, ſervitutique eos Regum* (Franciæ) *ſubjecerunt, ſimiliterque confines eorum, duxeruntque inde obſides in Bajoariam, inter quos erant filius Boruth, nomine Cacatius* (vita S. Virgilii apud Henr. Caniſ. tom. 3. habet *Caraſtus*) *quem Pater ejus, more Chriſtiano nutrire rogavit, & Chriſtianum facere, ſicut & factum eſt, & de Chetumaro filio fratris ſui ſimiliter poſtulavit.* Ita Anonym. cit. pag. 16.

Caraſtus Boruthi Sclav. Duc. filius fit Chriſtia.

Sclavi Carent. quo an. Francis tributarii a. 757

XCVI. Plura hic non leves pariunt difficultates. 1. Quo tempore Sclavi Carentani ab Hunnis preſſi, Bajoariis ac dein Francis tributarii fuerint facti? Cenſeo, Sclavos Carentanos cum Bajoariis an. 743. jam primum devictos, an. 757. cum eisdem tributarios Francis fuiſſe factos, nam eo anno teſte Velſero Taſſilo Dux cum primoribus ſuæ gentis in manus Regis Franciæ *in Vaſſaticum*, ſeu Clientelam ſe commendavit, idem ergo hoc an. Sclavis factum opinor, utpote qui antea ob Hunnos Clientelam Bajoaricam fuerant profeſſi. 2. Quæri poteſt, an ſub nomine *Confinium* Carentaniæ Sclavorum, qui ſervituti Regum Franciæ ſubjecti erant, etiam Styri noſtri veniant. Cenſeo, quod non: cum enim, ut hactenus oſtendi, Styria noſtra fere plurima ſub Ducibus Forojulii, ac Regibus Longobardorum conſtiterit, ea, antequam Regnum Longobardicum a Carolo M. exſtingueretur, Francis nondum parebat. *Carniolos* nomine horum *confinium* intelligendos arbitror cum Illuſtriſſ. Valvaſorio tom. 3. fol. 175. &c. eosque ſimul Francorum Regum ſervitutem cum Bajoariis ſubiiſſe opinor. 3. Major eſt difficultas, cur Anonymus ſupra citatus, *Boruthi Principatum* Samonis Regno ſubjungat his verbis: *Non multo poſt tempore*, cum tamen Samo obierit an. 659. circiter, & Boruthus ſub Pippino, circa an. 752. Sclavis Carentanis præfuerit.

Styria an hoc temp. ſub Reg. Franc.

Carniolia ſub Francis.

Huic dubio ut reſpondeam, recolenda ſunt ea, quæ de Sclavis, ſui juris exiſtentibus, poſt Samonem dicta fuerunt, cum enim ab an. 659. quo Samo obiit, ad an. 731. & 737. quo ſub Bojorum præſidium confugerunt, Principem, præter Belliduces non habuerint, eisque Reges Franciæ Boruthum 2. Ducem conſtituerint, hinc Anonymus cit. per verba illa: *Non multo poſt tempore*, non ſolum Samonis obitum, ſed renovatum etiam ſub Borutho Sclavorum Principatum intellexiſſe videtur.

XCVI.

XCVII. Hæc magis patent ex narrat. ejusdem Anonymi ad an. 762. ita enim narrat: *Mortuo autem Boruth per juſſionem Francorum, Bajoarii Cacatium* (ſeu *Caraſtum*, antea in Bajoaria obſidem) *jam Chriſtianum factum, petentibus eisdem Sclavis remiſerunt, & illum Ducem fecerunt. Sed ille tertio poſt anno defunctus eſt, iterum autem per miſſionem Domini Pippini Regis ipſis populis petentibus redditus eſt eis Chetumarus Chriſtianus factus.* Verba hæc manifeſtum faciunt 1. Bajoarios & Sclavos Carentanos Regibus Francis ſubjectos. 2. Ab his etiam Duces Sclavorum fuiſſe confirmatos. 3. Cum Pippinus regium titulum an. 752. aſſumeret. Chetumarus Chriſtianus jam ſub S. Virgilio an. 765. Dux Sclavorum eſſe potuit. *Boruthо II. Duci Sclav. ſuc. Caraſtus III. Dux an. 762.*

De Caraſto hoc, ſcriptus quidam Codex Monaſterii S. Lamberti in Styria, olim in Carinthia teſtatur, eundem extruxiſſe Eccleſiam S. Lamberti, eo forte conſilio, ut, cum ab eis ſanguinem duceret, qui oblatæ S. Lamberto necis Authores fuere, ſacra hac in æde ſcelus Majorum perpetuis religionibus expiaretur. Ita monum. ejusd. Monaſt. ſed oppido mihi obſcurum eſt, an cæſi S. Lamberti Authores, Caraſto huic ſanguinis vel affinitatis vinculo juncti fuerint? *Caraſtus Dux Sclav. an Eccl. S. Lamberti in Styr. ædificarit.*

XCVIII. An Taſſilonis a Francis defectioni an. 763. Sclavi quoque conſenſerint? haud diſpicio, id certius ad an. 765. Carentaniæ converſionem omni niſu tentatam, & feliciter conſummatam fuiſſe, nempe, ut mox dictum, Caraſto Duci jam Chriſtiano hoc anno defuncto, ſucceſſit voluntate populi, & annutu Regum Franciæ Chetumarus Dux IV., de quo Anonymus de converſ. Bajoar. & Carent. ita habet: *Chetumarus Dux Carentanorum petiit Virgilium Epiſcopum, viſitare populum gentis illius, illosque in fide firmiter confortare, quod ille tunc minime voluit adimplere* (utpote nondum conſecratus) *ſua vice miſſo Epiſcopo nomine Modeſto;* ait quidem Author Anonymus S. Eberhardi diſcipulus de S. Virgilio cap. 1. *Primus ipſe in Carinthia Eccleſiam verbo prædicationis excoluit.* Quo id tempore factum ſit? non liquet, immo vereor dicere, S. Virgilium per ſe luſtraſſe Carinthiam, id certum, eum per ſuos Carinthiæ converſionem perfeciſſe: occaſionem rei dederat Chetumarus, in Bajoaria Religionem Chriſti edoctus, ſicque, ut opinor, S. Virgilio familiaris factus, eo præſertim tempore, quo *Majorannum nepotem ſuum* Chetumarus, *in Juvavenſi Monaſterio Presbyterum ordinatum*, induxit, ut more ejus ſæculi caput, manusque altari S. Petri Salisburgi imponeret, ſeque cenſualem perpetuum profiteretur, ut docet Anonym. cit. & Arnulphus Vochburg. aliique. *Taſſilo a Franc. deficit an 763.* *Chetumarq Dux 4. Sclav. a. 765.* *Carentaniæ converſio.*

S. Modeſtus itaque cum ſociis a S. Virgilio in Carinthiam miſſus eſt ad docendam plebem, obtenta ſimul licentia Eccleſias conſecrandi, & Clericos ordinandi, nondum erat Virgilius Epiſcopus conſecratus, cum teſte Anonymo cit. *Minime adhuc adimplere* poſſet, viſitationem Carinthiæ, ita ut conſecratum Epiſcopum deceret, dimiſit ergo in Carinthiam Vicarium & Chor-Epiſcopum ſuum Modeſtum coævo exemplo forte S. Gregorii ultrajectinæ Eccl. Epiſcopi ductus, qui quamvis ei Eccleſiæ multis annis præeſſet, adduci tamen non potuit, ut conſecrationem ſuſciperet, ſed Presbyteri gradu contentus, omnia Epiſcopi munia per Chor-Epiſcopum explevit; neque obeſt, quod Anonymus alter, Biographus S. Virgilii dicat, Majorannum a S. Virgilio

gilio in Monaſterio Juvav. manus impoſitionem accepiſſe; credo enim antiquiori Biographo id nuſpiam aſſerenti, cui proin major fides debetur, eo præſertim, quod S. Eberhardi diſcipulus, ſua ex eo deſcribens, hoc addidiſſe perperam videatur.

Solienſis Eccl. in Carinth. XCIX. Fauſtis avibus Carinthiæ converſio ſub S. Modeſto proceſſit, nam *Eccleſiam S. Mariæ in Solio* (hodie Præpoſituram ſæcularem in Solfeld dictam, ubi adhuc hodie ſepulchrum S. Modeſti ad latus ſiniſtrum oſtenditur) mox *aliam in Liburnia civitate ſua, Adundrinos & in aliis quamplurimis locis dedicavit, ibique permanſit uſque ad vitæ ſuæ finem.*

S. Modeſtus ibi ſepultus.

An ibi ſedem fixerit. Teſte Anonym. cit. an vero S. Modeſtus in Solienſi hac Eccleſia, an in Tibornienſi, ubi jam olim S. Paulinus Epiſcopus ſedem habebat, ſuam Cathedram ſtatuerit? Carinthi differant.

S. Virgilius Ep. conſecr. an. 766 &c. Modeſto in Carinthiam migrante conſenſit S. Virgilius in conſecrationem Epiſcopalem, eamque per manus comprovincialium Epiſcoporum, hoc vel ſeq. an. obtinuit, moxque Eccleſiam S. Ruperti an. 767. ædificavit, eodemque anno, primo ordinationis ſuæ, Oetingenſem Eccleſiam conſecravit.

Rogatur, ut in Carinth. veniret; An. 769. Modeſto e vivis ſublato, cum Sclavorum animi nondum jugo fidei Chriſtianæ ſe ſubdidiſſent, Chetumarus Dux eorum rogavit S. Virgilium, ut gregem ſuum inviſere, paſtore providere, atque in fide Chriſti informare dignaretur. S. Virgilius, cui probe noti erant, Sclavorum proni ad ſeditionem animi, nec ipſe venit, nec Epiſcopum miſit, ſed Latinum Presbyterum, qui facilius latere, fugere citius poſſet, ſeditione extincta plures alios ſubmiſit miniſtros, nullum tamen Epiſcopali ordine inſignem.

Chetumaro ſucc. Walduncus Dux V. Sclav. C. Nec fefellit ſua Virgilium opinio, nam Chetumaro eodem an. adhuc mortuo, nominatus quidem a patre Walduncus filius, a Francis Regibus confirmatus, regimen tamen ob turbas, ante an. 772. adire non potuit. Turbæ hæ, ſub Chetumaro cœptæ, & a morte ejus acrius continuatæ quæ fuerint? Illuſtriſſimus Valvaſorius tom. 2. f. 386. & tom. 3. f. 175. deſcribit, Chetumarus Dux, dum fidem Chriſti inter ſuos urget, nobiles eam averſati, rebellioni initium dedere, hæc lenta ſub Chetumaro, efferbuit ab ejus morte, præſertim cum juventus Waldunci omnibus eſſet perſpecta; neque volebant amplius Duces ſibi a Bojis vel Francis præfici, ut ſuæ libertati redditi eo audacius reſiſtere poſſent Religioni Chriſtianæ; itaque a morte Chetumari ejecerunt Sacerdotes, Clerumque omnem, in Chriſtianos Herode ſævius irruerunt, abreptas ab uberibus matrum ſacro baptiſmate tinctas proles mactabant, ignibus ſacrabant, in flore ſuo ſic fidem Chriſti ſuffocaturi; nec mitius in virgines & matronas Chriſtianas actum, quas arboribus nudas alligabant, ventres diſſecabant, viſcera eruebant, omneque genus petulantiæ exercebant.

Turbæ Sclavor. ob fidem Chriſti.

Seditionem hanc primam docet Author Anonym. de converſione Carent. cit. his verbis: *Eo ergo* Modeſto *Epiſcopo defuncto poſtulavit iterum idem Chetumarus Dux Virgilium Epiſcopum, ſi fieri poſſet, ut ad ſe veniret, quod ille renuit orta ſeditione, quod Carmula dicimus, ſed inito conſilio miſit ibidem Latinum Presbyterum.*

CI.

CI. Neſcio omnino, an non plures *Styriæ* noſtræ modernæ, præſertim *inferioris* incolæ, *circa Celejam*, & *in Marchia Vinidorum* poſiti, turbis his fuerint involuti, nobiles præſertim, quibus ſuave Chriſti pauperis jugum minime arridebat, hujus enim Chetumari tempore, ut teſtatur MS. Chron. Styriæ Author tom. 1. fol. 145. nobiles quidam in Carinthia, ac *Styria circa Mahrburgum*, colonos ſuos Chriſticolas dure adeo habebant, ut hi ad Principem Chetumarum confugere debuerint, oratione per Antonium quemdam Legatum propoſita, atque loco cit. allata. Chetumarus probe Chriſtianus, rebelles armis petiit, primipilos carceribus concluſit, morte mulctandos, ni aliorum interceſſio obſtitiſſet, & quamvis, ut idem Chronicon refert S. Modeſtus e ſola Styria plus ſeptendecim millibus ſub vexillum Chriſti coegiſſe ex Ammonio Salaſſo dicatur, plures tamen, ſi verbis fides, metu Principis, non Religionis amore, fidem Chriſti ſuſcepiſſe videntur, qui proin ſimulationem a morte Principis ſui, palam oſtendere, & jugum Chriſti abjicere præſumebant. *In Styria etiam Circa Mahrburgum.* *S. Modeſtus in Styria 17000. converſos dicit.*

Eo in Chetumari prælio, ope Petri Munichis filio, & Ducis Forojulii, Pagani 6. mille cæſi, 900. capti dicuntur a Megiſero lib. 5. cap. 51. & Valvaſorio cit. Taſſilo an Chetumaro hoc tempore? vel an. 772. quo turbæ hæ ſopitæ Waldunco adſtiterit? probabilius pro an. 772. pronuntiandum, quo Walduncus regni poſſeſſionem eſt adeptus.

CII. Prima ſub Chetumaro ſeditio hæc non fuit, ſed alia eo vivente adhuc compoſita, prima enim mox ab obitu Modeſti contigit, & poſtquam Latinum Presbyterum S. Virgilius in Carinthiam miſit, ita docet Anonymus de converſ. Carent. ſupra citatus & ita pergens: *Et non multo poſt alia ſeditione orta exivit, inde Latinus Presbyter.* Poſt primam ſeditionem venit, & poſt alteram iterum Carinthiam reliquit Latinus Presbyter, utraque ſub Chetumaro adhuc orta: binas ſub Chetumaro ſeditiones Aventinus, Valvaſorius, & Megiſerus neglexerunt, Author MS. Chron. Styr. duas quidem adfert, ſed alteram fabuloſam, in qua Ratchiſius a Chetumaro ſagitta in dextera percuſſus obiiſſe refertur, qui tamen e Duce Forojulii Rex, e Rege Clericus an. 749. Romæ factus eſt, ſicque an. 765. cum Sclavis pugnare non potuit. *Duæ erant ſedit. Sclav. ob fidem Chriſti ſub Chet.*

Poſtquam Latinus Presbyter ſecundæ ſeditionis latebras fugiendo quæreret, *ſedata* ea ſecunda *Cormula* teſte Anonymo cit. *Miſit iterum Virgilius Epiſcopus Madalbohum Presbyterum & poſt eum Warmannum Presbyterum.* Hi venerunt adhuc vivente Duce Chetumaro, *mortuo autem Chetumaro & orta ſeditione* (ſeu ut reor, ſecunda poſt Chetumari mortem continuata) *aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, uſque dum Walinch*, ſeu Waltuncus, *Dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum*, itaque ſub interregno Sclavorum, Walduncum non agnoſcentium, ad an. uſque 772. fides Chriſti denuo collabi cœpit, tum Sclavorum ferocia, tum miniſtrorum Chriſti defectu.

CIII. An. 772. Carinthia nova converſione egebat; cum enim turbæ & ſeditiones non componi poſſent, ſed indies augerentur, *Taſſilo* malis finem facturus, teſte Chron. Salisburg. Peziano, *Carentanos id eſt, Karinthiam vicit.* Taſſilo itaque ſeditioni huic finem & regimini *Sclavi Carent. a Taſſilone victi an. 772. Walduncus Dux V. conſtituitur.*

Waldunci initium dediſſe videtur, dum juſſu Francorum, repugnantibus licet Sclavis, Walduncum Ducem conſtituit.

Carentaniæ nova converſio.

Walduncus regimen adeptus, illico ad S. Virgilium miſit, qui ad preces ejusdem Waldunci, *Heimonem*, *Dupliterum*, *Majorannum*, *Presbyteros*, & *alios Clericos*, & mox *Gozarium*, *Majorannum*, *Erchenbertum*, *Reginbaldum*, *Reginbardum*, & *iterum Majorannum*, *Auguſtinum*, *Reginbaldum*, & *Guntharium Presbyteros* miſit, ut Anonymus cit. teſtatur; Paraphraſtes Caniſianus tom. 2. pag. 262. & tom. 6. pag. 1176. item Codex MS. characteris recentioris apud Auth. German. Sacræ tom. 2. pag. 92. putant quidem, S. Virgilium, ad eum uſque locum, *ubi Dravus influit Danubium*, perveniſſe, ſed hæc vix fidem merentur, cum veteres Codices & Biographi ejus rei non meminerint, nec propter Hunnos Pannoniam inundantes via pateret S. Virgilio; translata ergo illa viſitatio Carinthiæ ex vita Arnonis videtur: certior eſt ad an. 773. Salzburgi novæ S. Ruperti Eccleſiæ dedicatio, & corporis translatio, quo etiam anno, & occaſione S. Virgilii ſedem Cathedralem e Monaſterio S. Petri ad novam hanc detulit Eccleſiam.

S. Virgilio nunquam in Carinthiam venit.

Seditio Carent. an. 773.

CLV. Obtentis novis Presbyteris Walduncus Carentanorum Sclavorum Dux, dum an. 773. Religionem Chriſti etiam inter nobiles urget, novas denuo turbarum flammas ibidem excitat. Author MS. Chron. Styr. adfert nomina nobilium in furias actorum, nempe *Deodorum*, *Drochum Samonem*, *Aurelium*, *tunc Vindogræcii habitantes*, qui *Mahrburgi* iterum rebellionem cœperunt, immo Waldunco copias ſuas opponere tentarunt; Walduncus 12. ſuorum millibus Chriſtum profeſſis eis *ad urbem Juliam* (teſte Aventino *Villacum*) obviam factus fundere rebelles ſtatuit, qui ſibi male conſcii, ſuaſu Aurelii, ſubordinarunt nuncium Waldunco relaturum, rebelles cæſos jam eſſe, nec opus, ut ipſe veniret; non credidit Dux perfidis, ſed in eos ad Sciſciam uſque progreſſus, manipulum 4000. ſub Hermanno Aurelio læte convivantem aggreſſus, 600. proſtratis, reliquis in fugam actis, Aurelium cum aliis 400. captum reduxit. Inde rebelles Duce Drocho duos ſicarios Waldunco immittunt, ſed Dei providentia factum eſt, ut ſicarius, Waldunci non agniti loco, eidem proximum in convivio, impacto in caput lethali vulnere proſternet: inde vero nobilibus cecidit animus, cumque Chriſtum colere promitterent, veniam cum vita impetrarunt, Drochus cum primipilis reſiſtens adhuc, Juliæ amputatis brachiis, abſciſſis auribus & naribus, confractis cruribus pœnam talionis ob crudelitatem & perfidiam accepit. Ita Illuſtr. Valvaſorius & Megiſerus ex collectaneis Ammonii Salaſſi, unde vero deſumpſerit Author Chron. MS. Styr. eos rebellionem *Vindogræcii* cœpiſſe, & *Mahrburgi*, ex conjectura deductum arbitror, cum enim Celeja Sclavorum Patria, & Vindogræcium in eodem circulo ſitum fuerit, Mahrburgum non uſque adeo diſtans, inde Styriæ inferiori Sclavi rebelles velut Domini imperitaſſe videntur, eaque cauſa fuerit, cur Chetumaro adſtiterit contra Sclavos Petrus Dux 17. Forojulii, ut num. 101. oſtendi.

Vindogræcii & Mahrburgi, Villaci.

Styria ſub Carolo M. an. 774.

CV. Annus 774. novam Styriæ & regno Longobardico epocham fixit, hoc enim an. Carolus M. Longobardico regno extincto, horum Provincias, ſicque Forojulium & Styriam obtinuit, cui poſt Petrum,

Rot-

Rotgaudum Ducem 18. præfecit, & confirmavit, ſed dum hic mox ſe Carolo opponeret, an 776. devictus, deinde necatus eſt, cui Marcarius ſucceſſit; cujus nomen an proprium, an officii? alii diſceptent. *Rotgaud. Dux 18. Foroj. Styr. rebellis Marcar. 19.*

Taſſilonis & Bavarorum res Caroli M. potentia indies magis aucta, integræ adhuc fuerant; aſt quamvis an. 775. pacem cum Taſſilone firmaret Carolus, in hunc tamen alieniore erat animo Bavarus, eo quod ſocerum ſuum Deſiderium nuper captum abduxiſſet in Italiam, ejusque regnum occupaſſet, nil tamen hoſtile ad an. uſque 787. actum eſt, nam an. 777. Cremiſanenſe Monaſterium, occaſione Guntheri filii ſui ab apro occiſi fundavit Taſſilo. *Taſſilonis & Bavar. pax cum Carolo M.* *Cremiſan. Monaſt. 777.*

Theodonem III. filium a Taſſilone in ſocietatem regiminis adſcitum non nego, Ducem vero Styriæ & Carinthiæ factum nunquam credam, Megiſerus in eam rem orationem Theodonis ad Carentanos horumque a Legato Richardo reſponſionem integram attexit, non tamen inde moveor; nam 1. Carinthia Duci Sclavorum Waldunco paruit ad an. uſque 783. cui dein an. 788. a Carolo M. Inguo Francus ſuffectus eſt teſte Valvaſ. Illuſtr. tom. 3. lib. 10. fol. 176. 2. Styria cum regno Longobardorum & Ducatu Forojulii ad Carolum M. devoluta, adhuc ſub Præfectis Forojulienſium hæſit. 3. Credibile non videtur, Carolum M. cui alienus Taſſilonis animus indies magis patere cœpit, Theodoni Styriam & Carinthiam commiſiſſe, cum enim Sclavi hoc tempore, ad ſeditiones eſſent proniſſimi, Theodo cum Sclavis facili negotio, res patris ſuosque contra Carolum M. tueri potuiſſet, præſertim, ubi Forojulienſium turbæ ſenſim jam erumpebant. *Theodo III. non fuit Dux Carinthiæ vel Styriæ.*

CVI. Defuncto anno 784. S. Virgilio Epiſc. Salisburg. anno ſeq. Arno Epiſcopus ordinatus eſt, quo eodem tempore fines Eccleſiæ Salisburg. ad Dravum uſque, qua Carinthiam ſecat, diffuſos fuiſſe opinor, & quidem non contradicente S. Paulino Patr. Aquilejenſi, quem negotia Eccleſiæ Gradenſis, ne obſtaret, impediiſſe videntur. Nonnulli quidem fines Eccleſiæ Salisburgenſis jam ſub Virgilio ad Dravi Danubiique confluentem infra Eſſekinum protenſos docent, authoritate S. Eberhardi diſcipuli & Virgilii Biographi apud Caniſium cit. docentis S. Virgilium *per Carinthiam, abiiſſe ſenſim transeundo ad fines Hunnorum*, ubi Dravus influit Danubium, ſed ex dictis num. 98. ſubſcribere huic ſententiæ vereor, eo præſertim capite, quod S. Virgilio cum Hunnis nihil rei fuerit, qui tamen hoc tempore, Pannoniam, ſi non omnem, ſaltem Saviam obtinuere. *S. Virgil. Epiſc. obit an. 784. Arno ſucc. an. 785.* *Fines Eccl. Salisburg.*

CVII. Taſſilonis Bajoariæ Ducis perfidia ſub an. 788. prorupit, cum enim an. 781. Legatis Hadriani Papæ, & Caroli M. pacem ſe ſancte ſervaturum promitteret, eamque Wormatiæ datis 12. obſidibus renovaret, promiſſa hæc an. 787. infringere cœpit, nam a Carolo M. vocatus ad Comitia Wormatiæ, atque implenda promiſſa, mandata renuit, & venire contempſit, unde Rex Carolus congregato ingenti exercitu in tres partes diviſo, Bajoariam abiit, quibus viſis Taſſilo ſe in Vaſſaticum tradidit, Sacramenta renovavit, & 12. obſides miſit cum Theodone filio ſuo; an. 788. Luitburgæ conjugis ambitioſæ, Deſiderii filiæ ſtimulis actus Hunnos & Avares in fœdus contra Francos pelle- *Taſſilon. perfidia an. 788.* *Accuſatur a Boſ.* *Fertur in eum ſententia capitis.*

pellexit, unde in Conventu Ingelheimenſi, crimine læſæ Majeſtatis a Bajoariis accuſatus, capitali ſententia feriendus eſt declaratus.

Taſſilo & Theodo Monachi fiunt

Motus tamen miſericordia Rex Carolus, ob amorem Dei, & quia ejus conſanguineus erat, eundem Taſſilonem cum filio Theodone Monachum fecit; vix vero in ordinem reductus erat Taſſilo, cum Avares Hunnique, gemino exercitu in Forum Julium & Bajoariam irrupere, ſed ubique victi fugatique, multos cum ſuorum amitterent, reduces denuo ad vindicandam injuriam in Bajoaria primo congreſſu pulſi, cæſi, in fugam ſunt conjecti, pluribus gurgite Danubii abſorptis.

Hunni in Bav. & Foroj. caſi.

Bajoaria ſub Carol. M.

Bajoaria ſic in poteſtatem Caroli M. tranſiit, in quam, ut marcas & fines ordinaret contra Hunnos, ipſemet abiit, quæ fuerit harum marcarum diſpoſitio? liquido non conſtat, id ex Eginhardo certum, Bajoariam non amplius Duci, ſed Comitibus ſubjectam; Comitum horum nomina frequentia occurrunt in tabulis Friſing. Eccleſiæ, an ad certi moram temporis? an jure dein perpetuo? ignoratur. Eadem hac occaſione marchia Forojulienſis conſtituta videtur.

Comites Bajoar.

Marchia Foroj.

ANNALES DUCATUS STYRIÆ.

Annal. Duc. Styr.

LIBER III.

Lib. III. Sæc. VIII. cont. Styr.

Styria Barbaris erepta, & Rom. Imperio a Carolo M. vindicata ab an. 791. ad 958. Sæc. VIII. contin.

Styr. Barb. erepta sub Rom. Imperio.

I.

Annus 790. præter morem a bellorum motibus quietus fuit, quem Carolus Rex apud Wormatiam transegit; in Wormatia vero residens, Legatos Hunnorum audivit, suosque vicissim ad eorum Principes misit, agebatur de confiniis inter eos, test. Annal. Laurishamensi, sed contentio & altercatio hæc de finibus, quibus in locis esse deberent, belli, quod postea cum Hunnis gestum est, origo fuit; nam an. 791. bellum per 8. annos in Hunnos susceptum, initium sumpsit, tripartito enim exercitu in eosdem movit, ipse per Australem Danubii ripam cum Francis & Suevis, Comes Theodericus, & Meginfredus cubicularius cum Saxonibus & Frisiis per adversam seu Aquilonarem fluminis ripam, Pippinus cum Bojis & Epibatis annonam devehentibus, instructa, infestaque acie, proturbatis ubique hostium excubiis, ac minoribus præsidiis, usque ad gemina Avarorum valla, pleno gradu incedebat. Eginhardus omnissa Pippini acie bipartitum tantum exercitum fuisse docet, prima castra, teste Eginhardo *ad Anasum posita, (nam is fluvius inter Bojorum, atque Hunnorum terminos currens, certus duorum regnorum limes habebatur)* supplicatione sacra per biduum facta, in Hunnos est motum.

Occasio belli Hunn. an. 790.

Hunnici belli an. 1. an. 791.

Castra 1ma ad Anasum.

II. Carolum Patrem comitatus est Ludovicus filius, Ratisbonæ omni cum solemnitate, gladio accinctus, ut habet Anonymus in vita Ludov. Pii. Pippinus filiorum alter, patrem ipsum, alio tamen itinere, *in Hunnos Savi, Dravique accolas* prævertit, cum Italicis nempe copiis, Henrico Duce per Forum Julium profectus 10. Cal. Sept. bellum hoc memorabili Hunnorum clade cœptum, ut testatur epist. Caroli M. ad Fastradam Reginam apud Chesne & Baluzium capit: tom. 1. cap. 255. Laudat in hac epistola Carolus eos, qui strenue decertarunt, omnisso licet nomine his verbis: *Fideles Dei ac nostri, qui hoc egerunt, fuerunt Illustr. Episcopus, Ill. Dux, Ill. & Ill. Comites, Ill. Dux de Istria, ut dictum est nobis, ibidem bene fecit cum nostris hominibus, vassi vero nostri fuerunt.* Bern. de Rubeis monum. Aquilej. cap. 41. num. 5. *Paulinum Aquilejæ Episcopum, Ericum seu Henricum Ducem Forojul.* & *Joannem Ducem Istriæ* nominat, ex quibus proin concludo, Marcario an. 776. Duci Forojulienſi, hoc jam anno suffectum fuisse Henricum vel Ericum, de quo plura anno 796. & 799. occurrent. Marcarius quidem non Dux, sed Marchio potius fuit, nam Carolus M. extincto Ducatu Forojulienſi, ne amplius rebelles fierent, Marcham Forojulii instituisse videtur, an. 776. vel an. 788. cum eodem modo in Bajoaria suppressis Ducibus, Marchiones esse posthac constituerit, hinc Hen-

Hunni ad Sav. & Drav. cæsi.

A Pippino.

Paulinus Aquil. Ep. adest prælio. Henricus vel Ericus Dux 20. Forojul.

Forojul. marcha a Car. M. instit.

ricum hunc ſeu Ericum Marchionem ſolum cenſeo, limitaneæ nempe regionis, *Pannoniæ & Sclaviæ* conterminæ.

Lytaniæ ad Anaſum in caſtris.

III. Ante hanc tamen Pippini victoriam, *in caſtris ad Anaſum ſeu Laureacum*, triduana ſupplicatio decreta erat, Lytaniæ ibi cum jejunio ad felices progreſſus obtinendos inſtitutæ ac habitæ, tribus diebus, nonis Septemb. die Lunæ, Martis, & Mercurii, jejunium etiam a vino & carne, Sacerdos quivis unam miſſam, Clericorum ſinguli 50. Pſalmos orare debebant, ac tempore Lytaniarum diſcalceati ambulabant; hiſce nempe modis, victores de hoſtibus olim ſe reputabant Principes.

Supplicatione finita arma contra hoſtes promota, iter æquato fere militum, naviumque curſu ex utraque Danubii ripa factum, ſic ut eodem pene tempore Theodericus & Meginfredus, *ad Cambium fluvium*, Carolus cum ſuis *Comagenum* accederet; Hunnorum his locis munimenta erant, primum *ad Cambum, non procul diſtans Crembſio*, alterum *ad* Kaumburg in Auſtrali parte; viſo tanto Caroli apparatu, Avares relictis his ſuis monumentis, in fugam ſunt dilapſi, uti docent Annal. Bertiniani & Loiſeliani. Chronicon Maſciaſcenſe pugnæ quidem meminit his verbis: *Dominus Carolus moto magno exercitu perrexit in Hunnia, ibique habuit conflictum magnum cum Hunnis, & vaſtavit Hunniam* plaga *magna uſque ad flumen Rapha* (ſeu *Raba*) Hunniæ nomine hic partem Styriæ veteris, modernæ Auſtriæ ad Anaſum ſitæ, intelligi, jam Diſſert. 1. oſtendi; cæteri tamen Scriptores prælii hujus ad fluvium Arabonem non meminerunt, quamvis cæſos alios, alios captos de Hunnis fateantur. Annales Laurishamenſes cæteroquin accuratiſſimi, *præter* dictas Hunnorum munitiones occupatas, addunt ſolum, *ferro & igne cuncta vaſtantur.*

Hunnorum munimenta exciſa, primum ad Cambum, non procul a Crembſio, alterum ad Kaumburg.

Hunni cæſi in Styr. veteri nunc Auſtria.

Caroli exercitus in Pannon. ſup. venit ad Rabam uſque.

IV. *A monte Comageno*, qui Cetio, Norici & Pannoniæ limiti, proximus fuit, in planiora loca ductus eſt exercitus, & ager ille latiſſimus, qui montem Cetium inter & Pannoniæ inferioris principium interjacet, *ad Arabonem uſque ſeu Rabam*, arma Caroli ſuſtinuit, ita docent Annales Laurisham. *Cum Rex cum eo, quem ducebat, exercitu, uſque ad Arabonis fluenta veniſſet, transmiſſo eodem fluvio, per ripam ejus uſque ad locum, quo is Danubio miſcetur, acceſſit, ubi cum nullus Avarum ei poſſet reſiſtere, circuivit terram illam per dies 52. incendendo, & vaſtando, cum præda ſine menſura & numero, & captivos, & mulieres & parvulos, innumerabilis inde multitudinis ducebat.* Annaliſta Bertinianus ita hunc annum concludit: *Exinde uterque exercitus de ambabus ripis ad propria ſunt reverſi.*

Styria fere tota Hunnis erepta.

Hoc erat felix belli Hunnici exordium, quo *Auſtria inferior & Pannonia ſuperior* Hunnis eſt erepta, & in ulteriora Hungariæ uſque ad Vagi oſtium eſt penetratum. Hoc felici exordio Patria noſtra, ſeu *Styria fere tota*, reſpirare a jugo Hunnorum cœpit, Franciſque ſub Carolo M. eſt aſſerta; dixi, *Styriam fere totam* Carolo M. & Francis aſſertam fuiſſe, cum Auſtria, modo ſuperior, & Pannonia etiam ſuperior uſque ad Arabonem fluvium ſubjugata fuerit, pars enim illa, Styriæ modernæ ad Celejam & vicinos agros, hodie *Styria inferior* jam an. 776. cum Ducatu Forojulienſi, cui ſub Longobardis adjecta eſt, Caroli imperium recepit; Carolusdein ſtativis per aliquot dies habitis per Bajoariam, aliæ vero copiæ ſub Theoderico & Meginfredo per Bohemiam ſunt reverſæ.

V. Pri-

V. Prima vero Carolo M. cura fuit, de regendis novæ Provinciæ finibus & limitibus, ut eos nempe ſedulo contra hoſtem communiret. Legimus apud Eginhardum & Anonym. Engoliſm. in vita Caroli M. *Geroldum Comitem*, Hildegardis quondam Reginæ fratrem, ac *Bajoariæ Præfectum*, obtinuiſſe militare imperium *in milite Pannonico*, eumque poſt annos aliquot in ejusdem defenſione vitam poſuiſſe; ſed vetuſtiſſimus Author de Converſ. Carent. & Bajoariorum, ommiſſo Geroldo Bajoariæ Præfecto, primum & ſolius confinii hujus Comitem *Goterammum* vocat, cui alios 4. ſubjungit orientalem plagam curantes his verbis apud Freherum in ſcript. Bohem. & Cheſnium tom. 2. *Tunc primus ab Imperatore conſtitutus eſt confinii Comes Goteramus*, alias *Goterammus*, *II. Wernharius*, *III. Albericus*, *IV. Godefridus*, *V. Geroldus*, diſtinctus a Geroldo aliis primo, & Bajoariæ Præfecto. *An Geroldus vel Goterammus limiti Pan. Præfectus.*

Uni vero tantum, non pluribus, datam limitis curam, aperte fatetur Monachus S. Galli in vita Caroli M. lib. 1. cap. 14. cui adjunctos regios, uti in Bajoaria, Judices fuiſſe, qui prætorium certis locis ad dirimendas cauſas erigerent, nullus dubito.

His non obſtantibus, probabilius cenſeo, Geroldum Bajoariæ Præfectum, ſimul limitis hujus Pannonici, Styriæ etiam noſtræ fuiſſe Comitem, quamvis enim Norici & Pannoniæ limites confuſi admodum fuerint, ſuſpicor tamen, Præfectos hos Bajoariæ, ac Pannonici limitis Comites, Styriam etiam ſub ſe habuiſſe, tum quod proxima eſſet Styria Hungariæ, & proximior Styriæ Præfectus Bajoariæ, quam Marchio Forojulienſis, cum quod Marcha Forojulii aliunde ampliſſima fuerit, conſtans Ducatu Forojulii & Tarviſino. Nullum tamen jus altum Bajoariis inde in Duces ac Machiones noſtros accreviſſe, dixi Diſſert. 1. & 4. *Styria ſub Præfectis Bajoar. & limit. Pannon. Geroldo I. Styriæ Præfect.*

VI. Expeditionem hanc Caroli M. in Hunnos ſecutus videtur etiam Arno Epiſc. Salisburg. cum aliis Præſulibus, qui Arno, teſte Authore German. Sacræ tom. 2. in Arnone num. 10. & 11. Carolum e caſtris Arabonenſibus reducem, per Carentanos Juvavium deduxit, quo ex loco anno ſeq. Ratisbonam abiit, dum autem Salisburgi, & Ratisbonæ ageret Carolus, factum fuiſſe cenſeo, ut prædam de Sclavis & Hunnis obtentam, inter Epiſcopatus & Monaſteria divideret, fundos nempe agrosque bello occupatos, uti docent tabularia Salisburg. Paſſav. Friſing. apud Monachum S. Galli cap. & lib. 2. & Monaſt. Cremiſan. Altahenſis &c. Chronica, poſt hæc ait Anonym. de converſ. Carent. & Bajoar. *terram illam, unde expulſi ſunt Hunni, cœperunt populi ſive Sclavi, ſive Bajoarii inhabitare, & multiplicare*, a quibus originem vel reſtaurationem Græcii Bavarici & Vindici deductam oſtendi Diſſ. 1. & pluribus dicam ad an. 798. *Arno Ep. Salisb. Car. M. Salisb. ducit.* *Prædæ belli data Ep. & Mon.*

VII. An. 792. Dum Ratisbonæ in Concilio, præſente Carolo M. & Paulino Aquilej. Patriarcha, aliisque Præſulibus Felicis Urgellitani hæreſis damnaretur, teſte Valvaſorio Illuſtr. lib. 14. tom. 3. *Dravus & Savus* fluvii immenſis pluviis aucti maximum ſegetibus, etiam in Styria infer. damnum intulere, merſi homines quamplures, agri vaſtati, jumenta abducta, & quamquam dein conſiderent aquæ, humiditas tamen in Styria, Carinthia, Carniolia, Dalmatia, & Illyrico perduravit, *Styriæ inf. inundat. & fames an. 792.*

cum

cum nebulæ ex aquis illis productæ denuo in pluvias ſolverentur, unde dein fames maxima exorta, cui peſtilentia & terræ motus ſucceſſerunt. Ita Valvaſorius Illuſtr. Unde hæc hauſerit? ignoro, illud magis miror, eum authoritate Opizii Poetæ, omnium horum malorum cometam accuſaſſe.

Hun. victi Chriſtiani fiunt 795.

VIII. Quieto ab Hunnis Carolo, cum Saxonibus agendum erat, ea de cauſa, quod ſibi contra Hunnorum, Sclavorumque gentes, auxilium præſtare noluiſſent. Hunnis interim quietis cogitatio ſalubris recipiendæ Catholicæ fidei an. 795. obvenit, etenim Alcuino teſte in epiſt. 112. ad Paulinum Aquilej. ait: *Quorum*, ſeu Hunnorum, *miſſi ad Dominum Regem directi, ſubjectionem pacificam & Chriſtianitatis fidem promittentes*, horum unus *Tuduin* Coganus, *qui in gente Avarorum magnam poteſtatem habebat.* Legatos ad Carolum ea de cauſa miſit, ac

Expeditio 2. in Hunnos an. 796.

ad natale Domini baptizatus eſt Aquisgrani, reliquis interim Hunnis, bello inteſtino ad proprium exitium colliſis; nam duplex an. 796. in Hunnos denuo expeditio ſuſcepta eſt, una ab Erico ſeu Henrico Duce Forojulienſi, ſeu Marchione, altera a Pippino Caroli M. filio, victi in utraque expeditione Hunni, & trans Tibiſcum fugati, theſauri eorum ablati, atque Carolo miſſi, Ringus ſeu Hringe eorum ab utroque captus, quem locum rotundum, munitum, Regi eorum pro ſede deſtinatum opinor.

Arnoni Ep. Sal. datur Pan. ſuppars an. 796.

IX. Antequam *e Pannonia* cum exercitu moveret Pippinus, eam Hunnis ejectis vel perdomitis, Arnoni Epiſc. Salisburg. in Sacris procurandam dedit, ita nos docet Anonymus de converſ. Bajoar. & Carentan. pag. 17. apud Caniſium tom. 6. *Qui* Pippinus *inde revertens, partem Pannoniæ circa lacum Peliſſæ inferioris, ultra fluvium, qui dicitur Rapa* (Arabo ſeu *Raba*) *& ſic uſque ad Dravum fluvium, & eo uſque, ubi Dravus fluit in Danubium, prout poteſtatem habuit, prænominavit cum doctrina & Eccleſiaſtico officio procurare populum, qui remanſit de Hunnis & Sclavis in illis partibus Arnoni Juvavenſi Epiſcopo, uſque ad præſentiam genitoris ſui Caroli Imp. &c. Lacus Peliſſæ* eſt Neoſolienſis, *Arabo & Dravus* fluvii noti, limites erant Hunnorum & Francorum, Dravus enim medius inter Francos & Hunnos currebat ab an. 757. ſeu ex quo Carentani, quos meridiem verſus Longobardi, ad ſeptentrionem Hunni cingebant, ſponte Pippino ſe ſubdidere. Arabo vero Francorum limes eſſe cœpit, orientem verſus an. 791. quo Carolus M. expulſis Hunnis ad illum uſque amnem victor penetravit.

Arabo & Dravus limit. Hun. & Francorum.

Ampla jam Sal. Diœceſis.

Hoc itaque anno, uti Francorum ditionibus, ita Salisburgenſi Eccleſiæ adjectus eſt terrarum tractus, qui uſque Dravi in Danubii confluentem, ſeu ad Murſam uſque extenditur, atque qui fluvios Dravum, Danubium & Arabonem interjacet, ex quo paulo poſt ampliſſimus cœpit eſſe Epiſcopatus Salisburgenſis, cui præter hos antiquos fines, ſub Pippino adhuc tota Carentania, dein ſub Carolo pars Hunniæ non exigua eſt adjecta.

Styria fere tota ſub Diœc. Aquil.

X. Auſtriæ itaque pars omnis cis Danubium ſita, Styria fere tota, ea ſolum parte excepta, quæ ultra Dravum in agrum Celejenſem excurrit, Arnoni Salisburgenſi ceſſit, Paulino Aquilejenſi vel non invito, vel Arnoni, Pippino ac Carolo reſiſtere nolente.

Dubium

Dubium tamen non leve manet, quomodo Pippinus Arnoni partem Pannoniæ inferioris uſque ad Dravi cum Danubio confluentem, ſeu uſque ad urbem Murſam aſſignare potuerit, cum nec Carolus M. anno 791. ultra Rabam ſeu Arabonem progreſſus fuerit, nec Pippinus filius ultra hunc fluvium caſtra promoverit, ſed trajecto ſolum Danubio, in hodiernæ Hungariæ parte Jazygibus proxima, ac ſæculo 9. ad Moraviam magnam pertinente, Hunnos ultra Tizzam, ſeu Tibiſcum rejeciſſe legatur. Dubio huic reſponderi poteſt dicendo, Arnoni partem Pannoniæ a Raba fluvio ad Dravum, meridiem & occidentem verſus contributam eſſe, quibus locis pars *Styriæ inferioris*, uſque adhuc Salisburgenſi infulæ obnoxia, & *pars Pannoniæ veteris, quæ olim ſuperioris ſæculo dein 9. inferioris Pannoniæ* nomen obtinuit, continetur; cum vero præterea Anonymus cit. doceat, *partem Pannoniæ a Raba uſque ad Dravum, & eo uſque, ubi Dravus influit in Danubium*, Arnoni datam, dicendum, vel Annales non omnia loca memoraſſe, quæ Pippinus percurrit, vel denique loca hæc, ne arma Pippini ſuſtinere cogerentur, ſe ſponte ſua ſine prælio Pippino victori ſubjeciſſe, & ab hoc Arnoni addita fuiſſe.

XI. Hiſce res Eccleſiæ in Pannonia ſat acriter ſunt promotæ, ut teſtantur ædes quædam ſacræ in Pannonia ad Patrum memoriam perſiſtentes, quas Carolum M. exſtruxiſſe vetus traditio eſt. Sane Ludovicus Pius, in Diplomate Reginario Epiſc. Patav. dato teſtatur, Carolum Patrem in regno Hunnorum a ſe ſubacto, multas Eccleſias exſtrui feciſſe, quas inter, ſi Lazio fides, Eccleſia una in Fabiana (cujus ruinas in Divi Petri olim antiquiſſimo templo, Viennæ ſat magnifico, exſtare ait) altera Carnunti, nunc S. Petronellæ ſacrata, tandem *in Artagrum Baſilicæ duæ, uti & duæ in Saxinia* viſuntur. Multa alia Scriptores Hungari, e domeſticis Annalibus referunt apud Authorem Germaniæ Sacræ tom. 1. in Walderico num. 4. & apud Bonfinium; id tamen Authori Germaniæ Sacræ vix crediderim, Pannoniam nempe, ſupra Arabonem hoc ævo Patavienſis Epiſc. jurisdictioni obnoxiam fuiſſe, nam, ut ſæc. ſeq. ex lite Arnonis cum Paulino Aquil. perſpicietur, ea etiam Pannonia antea Aquilejenſibus paruit.

Res Eccleſ. in Pannon.

Eccleſ. a Carolo M. ſtructæ.

S. Petri Vienn. Carnunti, in Artagger in Saxin.

XII. An. 797. *Pippinum transmiſit* Rex Carolus *cum hoſte* (ſeu exercitu, hac enim vocabuli notione non raro hoc tempore utuntur Annales Nazar. Lambecciani. Moiſſiacenſes) *inter Wenedum, & alium hoſtem in Hunnia & Hludovicum in Spania*; ita Annal. Nazariani, cenſeo Pippinum per Bajoariam & Carentaniam in Italiam miſſum, atque, ne quid hoſtile ſub via per Carentaniam ingrueret, triplicem ei e Francis Bajoariis, & Sclavis commeatum adjunctum fuiſſe, quo eodem anno Arno Salisburgenſis Romæ moratus pallium cum Archi-Epiſcopi honore obtinuit, redux inde anno ſeq. e Caroli M. litteris intellexit, recta ſibi in Carentaniam eundum eſſe, ut Verbum Dei inibi prædicaret; aſt, quia legationis ſuæ reſponſum Carolo M. referre debuit, prius feſtino itinere perrexit ad Carolum Regem.

Pippinus in Italiam abit.

Arno fit Archi-Epiſc. Salisb.

Non tamen ante Junii principium in meſſem Apoſtolicam Carentaniæ abiit Arno, ibique teſte Alcuino *conſecravit Eccleſias, ordinavit Presbyteros, populumque prædicando docuit.* Labor is totam æſtatem tenuit,

Carentanos & Sclavos convertere jubetur an. 798.

ſub cujus exitum, collecta jam meſſe ſacra, rediens Carolo nunciavit, magnam utilitatem hiſce terris accreſcere poſſe, ſi paſtorem quendam haberent, qui lucra animarum ibidem perficeret, cumque Arno mentem ſuam de paſtore idoneo aperuiſſet; *Tunc juſſu Imperatoris*, verba ſunt Anonymi prioris de converſ. Carentan. & Bajoar. apud Freherum pag. 18. *ordinatus eſt Theodericus Epiſcopus ab Arnone Epiſcopo Juvavenſium, quem ipſe Arnon, & Geroldus Comes, perducentes in Sclaviniam dederunt in manus Principum, commendantes illi Epiſcopo regionem Carentanorum, & confines eorum, occidentali parte Dravi fluminis, uſque dum Dravus influit in amnem Danubii, ut poteſtative populum regeret ſua prædicatione, & Evangelica doctrina doceret ſervire Deo, & ut Eccleſias conſtructas dedicaſſet, Presbyteros ordinando conſtituiſſet, totumque Eccleſiaſticum officium, cunctis partibus, prout ordo Canonicus expoſcit, perficeret, dominationem & ſubjectionem habens Juvavenſium Rectori, ſicut ille fecit, quamdiu vixit.*

Theoderico Ep. Sclav. in Carint.

XIII. Ex his Anonymi verbis, quædam enucleatius penſanda ſunt. 1. Theodericus Ep. Carentaniæ ordinatus ab Arnone Epiſcopo nondum Archiep. conſecrato, nec id novi quidpiam hiſce temporibus, cum enim ex ſupradictis ab an. 660. in univerſa Francia orientali nullus fuerit Archi-Epiſcopus, neceſſe erat, ut Epiſcopi ſibi invicem manus imponerent. Cum vero Carentania ab an. 791. & 796. ſubjecta eſſet Salisburgenſi infulæ, Arno in ea ordinarius erat, nec ſententiam hanc infirmat, quod Arno Archi-Epiſcopale pallium anno 800. a Leone obtinuerit; nam ut ex Anonymo cit. oſtendi, pallii honorem hoc jam anno adeptus eſt Arno, proin etiam plenitudinem officii Pontificalis, licet vero nondum conſecratus fuerit, ordinare tamen Theodericum ſibi ſubjectum potuit, uti antea, dum eum honorem nondum habuit, nam Thomaſſino teſte quamplurima de veteri pallio, ejusque uſu ac poteſtate obſcura ſunt.

Geroldus I. Com. limit. Pannon.

2. *Geroldus Comes*, qui cum Arnone Theodericum in Sclaviniam perduxit, probabilius, Hildegardis quondam Reginæ frater, Præfectus Bajoariæ, ſimulque *Pannonici limitis tutor ac Comes* fuiſſe videtur, de quo plur. num. 5. 3. Quinam fuerint *Principes Sclavorum*, in quorum manus, Teodericus Epiſcopus datus eſt? cenſeo fuiſſe Duces veteres Sclavorum in Carentania, quorum primos Samonem, Boruthum, Caraſtum, Chetumarum libro 2. præced. ennumeravi: hoc vero tempore teſte Anonymo ſæpius citato *Ingo* præerat, *multum clarus & populis amabilis propter ſuam prudentiam*, de quo & id memorabile refert, eum nempe ſervis ſuis credentibus, ſeu Chriſtianis opiparam ſtruxiſſe menſam, cumque illis manducaſſe, nobilibus vero infidelibus mandaſſe, ut foris quaſi canes ſederent, ponendo ante illos, panem, & carnem, & fuſca vaſa cum vino, eoque facto mirabili nobiles ſibi & Chriſto lucri fecit Ingo: inde natum opinantur plerique, morem illum jam ſublatum, quo in Carinthia longis temporibus ritus inaugurandi Principes, plebi ruſticæ obvenit.

Ingo Dux Sclavor. in Carentan.

Convertit plures ad fidem.

An idem cum S. Domitiano.

XIV. Ab Ingo hic idem cum S. Domitiano fuerit? res eſt Scriptores Carinthiæ potiſſimum concernens, quæque non longe ab hoc anno ſtudio cujusdam e S. J. Patris penitius examinata eſt; & ſane non video, in quem aptius ſupramemorati gloria facti cadere poſſit, quam in S. Domitianum, cujus memoria 5. Februarii inter Sanctos populi

puli voce recolitur, cuique epitaphium Milleſtadienſe, tumbæ lapideæ inſcriptum Carentanorum converſionem præcipue attribuit his apud Bollandum 5. Febr. *Hic requieſcit B. Domitianus Dux, primus Fundator hujus Eccleſiæ, qui convertit iſtum populum ad Chriſtianitatem ab infidelitate*; nam Ingonem hoc anno, ſacro fonte ablutum, atque ex occaſione S. Domitiani Tungrorum quondam Epiſcopi, Calendis Julii in Auyum oppidum translati, Chriſtiano nomine Domitianum nuncupatum arbitratur Author Germaniæ Sacræ tom. 2. pag. 104.

Succeſſores Ingonis, ſeu Domitiani; Duces Sclavorum ennumerat Author Anonym. de converſ. Bajoar. & Carentan. nempe *Privvizblauga*, vel *Prinniblauuga*, *Cemicas*, aliis *Zeincias*, *Zbtoymar*, ſeu *Hroymar*. *Etgar*, & alii, de quibus inferius plura. *Sclavorum varii Duces.*

XV. Theodericum Epiſcopum vidimus, Carentanorum Doctorem, & Epiſcopum ab Arnone ſtatutum, quomodo vero ſalvari poſſint verba illa Anonymi cit. (*Commendantes illi Epiſcopo regionem Carentanorum & confines eorum occidentali parte Dravi fluminis, uſque dum Dravus influit in amnem Danubii*) cum verbis his Ferrerii in Catal. SS. de Paulino Aquilej. (*prædicationi quoque Evangelicæ vacabat, qua Carinthiæ populos, & nationes finitimas ad fidem Chriſti perduxit*) hic paulo eſt diſcutiendum. De Rubeis accuratus ac diligens rerum Aquilej. ſcrutator & vindex, prædicationem Paulini in Carinthia dubiam reddit; & certe, ſi res Carinthiæ brevi compendio repetantur, contrarium patebit, Carinthiæ enim converſio nova, opera S. Virgilii cœpta, licet dein Sclavorum turbis rupta, denuo tamen Arnoni Salisburgenſi, non Paulino Aquilejenſi delata eſt, qua de cauſa? ignoro, forte, quia jam olim in Carinthia laboraverat S. Virgilius, ex hac ipſa paſtorali ſolicitudine argumentum ſumebat Arno, ſunm jus Metropoliticum in Carinthiam protendendi, licet jura vetera faverent Præſulibus Aquilejæ, orta dein lis inter Arnonem & Maxentium Paulini poſt Urſum ſucceſſorem, de finibus utriusque Diœceſis in favorem Salisburgenſium a Carolo M. eſt dirempta. *Paulinus Patr. Aquilej. an in Carinthia prædicaverit.*

Confines porro *eorum*, ſeu Carentanorum, *occidentali parte Dravi fluminis*, fuerint Styri noſtri inferiores, Dravi accolæ, agri Petovienſis, non tamen Celejenſis incolæ, nam licet Clar. Author Chronologiæ Ducatus Styriæ ſæc. 8. pag. 138. doceat: *Etiam confines trans occidentalia Dravi littora regiones & inter has Celejanum, nunc Cilienſem Comitatum, ſacro Arnonis imperio auſcultaſſe*, vix tamen id crediderim, cum Celejam ad noviſſima uſque tempora ſub Aquilejenſi Diœceſi fuiſſe conſtet. V. plura num. 25. *Styria infer. ſub Theoderico Ep. Carent.* *Vix tamen Celeja.*

An. 799. bello Hunnico optata coronis impoſita eſt, Avares enim ſeu Hunni denuo a fide defecerunt ægre ferentes, ſe an. 791. ab Anaſo, proin Auſtria inferiore ac Styria remotos, atque ultra Arabonem rejectos fuiſſe, nec concoquere poterant regiam ſuam, Rhinge, ſeu Rhingum dictam an. 796. Caroli armis everſam, ſeque ad fidem Chriſti adactos; ſed petulantes perfidiæ ſuæ pœnas dedere, cum completa Caroli victoria, vires eorum exciſæ, ipſique ſub jugum ſint miſſi: victoria tamen hæc Caroli Henrico Duci Forojulienſi, & Geroldo Bajoariæ præfecto, terrarum noſtrarum Comiti limitaneo mortem attulit, *Hunnici belli finis an. 799.* *Henricus Foroj. & Geroldus March. Styr. cæſi.*

lit, uti habent Annal. Laurishamenſes, *quorum alter* (Geroldus nempe) *commiſſo cum Hunnis prælio cecidit.* Magna erat Geroldi noſtri pietas, a Waldfrido Strab. Herm. Contracto aliisque dilaudata; exſtat in Augia, quod ille Monaſterium magnis beneficiis ornavit, præclarum religioſi militis, Ducisque Epitaphium hoc tenore:

Ejus ſepul. & Epitaph.

Mole ſub hac magni ſervantur membra Geroldi,
Hujus jura loci, cunctis qui viribus auxit,
Pannoniis vera Eccleſiæ pro pace peremptus,
Oppetiit ſævo ſeptembribus enſe Calendis,
Sideribusque animam dedit, artus ſaxo fidelis
Abſtulit, huc retulit, dignoque hic clauſit honore.

Cadaloo Marcb. Foroj. 21. Goteramm. Com. limit. Pannon.

XVI. Quemadmodum Henrico Forojulii Duci, Cadalous Dux ſeu Marchio 21. ita Geroldo noſtro *Goterammus* ſucceſſit *Comes limitis Pannonici*, ſicque etiam Styriæ noſtræ Marchio; Goterammus hic Præfectus Bajoariæ non fuit, ſed ſolum Comes confinii Pannoniæ; unde factum arbitror, ut Anonymus de converſ. Bajoar. & Carentanorum ſupra citatus, Geroldum inter Comites limitis Pannonici ommitteret, ſolumque inter Bajoariæ Præfectos referret, ſicque Goterammum primum limitis Pannonici Comitem vocaret.

Hunni totaliter cæſi, Boji & Selavi in Styr. locati.

Bello Hunnico completo, *tota Hunnorum nobilitas in hoc bello periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congeſti longo tempore theſauri direpti ſunt*, inquit Eginhardus in vita Caroli M. in vacuam Hunnis regionem, novæ Bojorum, Sclavorumque coloniæ ſunt translatæ, atque ab *his* ſæculi noni initio *Græcium Styrorum* Metropolis reſtaurata, inde *Bavaricum* in tabulis etiam publicis audiit, ut hac nota characteriſtica a *Vindogræcio* Sclavorum oppido differret, ut dixi Diſſert. 1. §. 21. & 25. Inde etiam factum opinor, quod etiamnum in Styriæ Ducatu, *quidquid* cis Dravum habitat, Germano, quod ultra porrigitur, ore *vindico* loquatur, utque proin Styri moderni, etſi multum nationibus aucti, potiſſima tamen ſui parte, ex Bojorum ſanguine oriundi cenſeantur.

Græcium Bavar. & Vindicum.

Styri a Bojis deſcendunt.

Carolus M. Imp. Rom. an. 800. Pipinus Rex Italiæ Arno Archi-Epiſc.

Tandem compoſitis ſic Hunnis Carolus M. an. 800. ipſo ſacro Natalis Domini die, acclamante univerſo populo, Romanorum Imperator & Auguſtus coronatus eſt a Leone III. ſicque regnum & imperium occidentale denuo reſtauratum; qua eadem occaſione Pippinus Caroli M. filius Rex Italiæ declaratus eſt, atque Arno Salisburgenſis conſecrationem Archi-Epiſcopalem e manibus Leonis III. P. ſuſcepit; Regiones Caroli M. hoc tempore refert Pagius hoc an. n. 12. atque inter eas *Rhætiam, Vindeliciam, Noricum, & quidquid Danubium, & alpes interjacet, & ultra Danubium, partem non modicam Pannoniæ.* ſicque Styria noſtra, manibus barbarorum erepta, Rom. Imperio per Carolum M. eſt adjecta.

Lis de limit. Diœc. Salisb. & Aquilej.

XVII. Poſt conſecrationem Arnonis Archiep. Salisb. litem cœptam eſſe ob Diœceſis novæ Salisburg. limites, obſervat Chriſtoph. Jordanus Cancellarius Salisburg. in Chron. Salisburg. ad an. 1560. perducto. Aquilejenſes nempe Pontifices jus Metropolitanum per Noricum etiam Mediterraneum exercebant, eisque inter alios, *Epiſcopi Tiburnienſis, Celejanus & Petovienſis* obediebant, ſed Francis invaleſcentibus, Gallicani Epiſcopi, eisdem Eccleſiis curam ſuam addicebant; ſucceſſe-

re Scla-

re Sclavi gentiles, ſub quibus Chriſtiani Paſtores, fere per duo ſæcula exules, nuper S. Virgilii, noviſſime Arnonis opera ſunt reducti, inde vero lis orta eſt, Aquilejenſes jus ſuum vetus a primæva horum locorum converſione & ſubjectione, Salisburgenſes jus novum per S. Virgilium cæptum urgebant, cui Pippinus & Carolus ipſe favebant; tardius tandem a Carolo M. ſopita eſt, ita *ut limes Diœceſium Aquilej. & Juvavienſis eſſet flumen Dravus*, de quo mox pluribus.

Obiit vero ante litis finem anno circiter 802. Paulinus Patriarcha Aquilejæ celeberrimus, multis dimicationibus adverſus Elipandum & Felicem Urgellitanum, qua voce, qua ſcriptis inſignis, & nota ſanctitatis fulgens, ſucceſſorem nactus eſt Urſum, aliis Urbanum, libros Paulini collegit nuper Madruſius, de quibus v. de Rubeis. Poſt mortem Paulini, Carolus M. meritiſſimum hunc Antiſtitem offendere nolens, Salzburgenſem in Pannonia Diœceſim illico confirmavit; cum Pippinus eam Diœceſim anno 796. Arnoni ſubjiceret, ſolicite cavit, ſtatutum hoc ſuum, *uſque ad præſentiam Genitoris ſui Caroli* valiturum, *poſtmodum ergo*, ait Anonym. de converſ. Bajoar. & Carentan. *an.* 803. *Carolus Imp. Bajoariam intravit, & menſe Octobris Salzburch venit, & præfatam conceſſionem filii ſui iterans poteſtative, multis adſtantibus fidelibus ſuis affirmavit, & in ævum inconvulſam fieri conceſſit.*

Paulinus Aquil. obit an. 802. ſuc. Urſus vel Urbanus.

Salzb. Diœc. in Pannonia confirmatur a Car. M.

XVIII. Adventum Caroli M. in Salzburg memorat etiam Chron. Salisburg. P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 335. qua occaſione teſte Ciaconio in vita Leon. III. P. *Synodus Bavarica Salisburgi an.* 802. (ego ſequentem annum ſtatuere malo) celebrata eſt; cauſam Synodo huic dediſſe lis videtur nuper exorta de Diœceſi Pannonica, inter Aquilejenſes & Salisburg. Præſules, quæ ſatis quoad terminos nondum deciſa eſt, varias cauſas hac in Synodo agitatas probabile eſt, quæ vero illæ fuerint? acta Synodi deperdita inſinuare nequeunt.

Car. M. in Salzburg Synodi ibid. an. 803.

Salisburgo brevi itinere Ratisbonam ad Synodum digreſſus Carolus M. Imp. menſe Octobri denuo rediit, quo tempore Zodan Dux Pannoniæ converſus, cum aliis multis Hunnis, & Sclavis ſe dominio Imperatoris ſubjecit; pacatis ſic Hunnorum rebus, Hunnia ſeu Avaria inter Eccleſias Bavariæ diviſa eſt, e quibus Altahenſis Eccleſia ſub Orulfo Abbate, locum quemdam *ad oſtia Bielabæ* fluvii, paulo infra Monaſterium Mellicenſe defluentis, & e regione municipii Emmerſtorf Danubio commixti, obtinuit.

Avariæ hic & Hunniæ diſtinctio, obiter inſinuanda eſt, Avariam enim inter Cetium montem, Hunniam vero ſupra Cetium extenſam communiter Authores volunt, id, quod ex pluribus Diplomatibus, in quibus loca Hunniæ & Avariæ recenſentur, ſatis aperte colligi poteſt, quorum quædam adfert Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 144.

Avariæ & Hun. diſtinctio.

XIX. An. 804. Carolus M. bello Saxoniæ finem facturus, integras eorum colonias in Galliam & Germaniam abduxit. Cardinalis Baronius opinatur, ex his quandam Coloniam Romam eſſe directam, aſſignato loco, prope Baſilicam S. Petri, qui inde nomen *vici Saxonum*, ſeu corrupte *Saxiæ* obtinuit, ubi nunc *hoſpitale S. Spiritus in Saxia exiſtit*; de quo non contendo. An vero non quædam Saxonum horum coloniæ in Auſtriam ac Styriam deductæ fuerint? quæſtio alia eſt res noſtras

Saxones victi an. 804.

An in Auſtriam & Styriam deducti.

concernens, in qua tamen etiam nil certi ſtatui poteſt, vocabula ſane & loca in Auſtria & Styria Sarendorf, Sarenegg, Sarenfeld, non imprudens conjiciendi dant fundamentum, Saxones forte hoc tempore in terris hiſce locatos, iisdem nomen de ſuo impoſuiſſe, quamvis & alii caſus Saxonum gentem in Auſtriam, Styriam, Tranſylvaniam excire potuerint. Potius tamen hoc tempore a Saxonibus, Styriæ oppido Sarenfeld nomen adhæſiſſe crederem, quam ab illa fabuloſa ſub Sylla Romano, Saxonum pugna, de qua dixi Diſſert. 1. §. 18.

Urolphus Epiſc. Patav. in Pannon. abit a. 805.

XX. Walderici Patav. Epiſc. Succeſſor Urolphus, ad recuperandas Laureacenſis Eccleſiæ Provincias an. 805. animum adjecit, etenim *juſtitia & lege credebat* ſe teneri, *ut illi terræ prius Chriſticolæ, atque ſuorum antiquitus anteceſſorum creditæ providentiæ, quam nunc Hunni & Sclavi velut hæreditariam poſſidebant, ipſe Evangelicus agricola, diu negata cœleſtis ſpargeret ſemina vitæ, atque in lucrandis Chriſti animabus redivivam nutriret ſegetem*, ita verba litter. ad Eugen. Papam. Opus igitur Apoſtolicum apud Hunnos exorſus eſt illos, qui Carnuntum inter & Sabariam habitandi a Carolo M. veniam acceperant, dein ad Moravos ad fluvium Marum degentes, iter facere inſtituit. Operæ hujus Apoſtolicæ fructus erant duo Cagani Hunnorum. Theodori nomen uni erat, Abrahami alteri, quorum prior ob infeſtationem Sclavorum a Carolo M. ſedem inter Carnuntum & Sabariam obtinuerat; Abraham Caganus alter *baptizatus eſt ſuper Fiskaba*, ſeu *Viſcba*, ajunt Annal. Wirzburg. & Ratisbon. congruit locus *Viſcha*, ſeu *ad amnem Viſchacham*, qui inter Viennam & Leytham medius, Danubio *ad Viſchamundam* miſcetur, atque Diœceſi Patavienſi ſubjectus eſt.

Inter Carnuntum & Sabar. prædicat.

Caroli M. teſtamentum an. 806.

XXI. Dum an 806. ſolenni teſtamento regna inter filios ſuos dividere Carolus M. Imp. & Ludovico *Aquitaniam*, *Galliam Lugdunenſem*, & *Narbonenſem*, Pippino *Italiam* ſeu *Longobardiam*, ac *Bajoariam*, cum *parte Alemanniæ*, Carolo denique *Belgicam Galliam*, ac *Germaniæ partem magnam* tribueret, quæſtio non levis oritur, cuinam ex Caroli M. filiis *Noricum & Pannonia* ceſſerit? quidam eas terras ſub Bajoaria comprehenſas opinantur, attamen cum Carolus M. Bajoariam Pippino attribuerit, *ſicut quondam Taſſilo tenebat*, Taſſilo vero nec Pannoniam, nec eam Norici partem, quæ ab Anaſo ad Cetium montem patuit, ſub ſe haberet, hæc Ratio mihi minus convincens videtur, quamvis vero & ipſe ſentiam, Pannoniam cum ea Norici parte, quæ ab Anaſo ad Cetium extenſa viſitur, proin etiam Styriam noſtram Pippino fuiſſe collatam, id tamen inde concludo, quod quemadmodum Pippinus in occupandis his terris operam ſuam præcipue contulit, ita quoque eædem velut præmium ſudoris bellici Pippino, ob Bajoariam aliunde proximo obtigerint.

Pannoniæ & Noricum cum Styr. Pippino cedit.

Arno Salisb. Urolph. Patav. deponit.

XXII. Cum in Theodonvillana hujus anni Synodo, capitulari 3. ſtatueretur, *ut nequaquam inter duos Metropolitanos Provincia dividatur*, Arno Archiep. Salisburg. Urolphum, ne in ſua perſona Laureacenſem Archi-Epiſcopum excitaret, ſede movit, eique Hattonem, ab Attone Friſing. diſtinguendum ſubſtituit; nil his motus Urolphus, prædicationi Apoſtolicæ in Pannonia & Moravia inſtitit, multorumque facta converſione eo animum intendit, ut ſeptem Eccleſias Epiſcopales, quæ

olim

olim Eccleſiæ Laureacenſi ſubjectæ dicebantur, repararet: hinc Faviaenſem, & Vetuarienſem in Pannonia, ac Speculunenſem, & Nitravienſem in Moravia Epiſopatus hoc anno fundare cœpit. *Urolphus inſtit. 4. Epiſcopatus.*

Urolpho ſede moto an. ſeq. 807. Synodum Salisburgi celebravit Arno, in qua decimarum partes 4. ſtatutæ, quarum prima Epiſcopo altera Clericis, tertia pauperibus, quarta Eccleſiæ fabricæ obveniret; expoſt an. 809. corpus S. Amandi Epiſcopi Trajectenſis elevavit in Monaſterio Elnonenſi, cujus olim Abbas Arno fuerat; diſtinguendus hic S. Amandus eſt ab illo Epiſcopo Wormatienſi, de cujus corpore Salisburgi condito, alibi erit copia loquendi. *Salisb. Synod. an. 807.*

XXIII. Pippinus Italiæ Rex, Norici, Pannoniæ, Styriæque Dominus 8. Idus Julii an. 810. obierat, integra proin hæreditatis Carolinæ portio vacare cœpit. In teſtamento Caroli M. an. 806. facto in caſu mortis Pippini, nova quidem partitio & ſubſtitutio eſt proviſa, in qua tamen ipſa Bajoaria etiam ommiſſa eſt. Bernardus Pippini filius, Rex Italiæ a Carolo M. declaratus adjuncto ſibi Adalhardo Abbate Corbejenſi ad conſilia ineunda uti debuit, an vero Noricum, Pannonia, & Styria Præfectis Bernardi Italiæ Regis, an Comitibus limitaneis Caroli M. regenda fuerit commiſſa? vix certi quidquam erui poteſt; conjicio ex Anonymo de converſ. Bajoar. & Carentan. Styriam cum Norico & Pannonia ſub Comitibus limitum a Carolo M. conſtitutis fuiſſe relictam, cum enim citatus Author poſt Goterammum, Werenharium, Albricum, Gotofredum, ac Geroldum Comites limitis Pannonici fuiſſe referat, cum eis etiam Carentanorum Duces ſubjectos ex voluntate Imp. doceat, cum nulla Præfectorum Bernardi occurrat mentio, cenſeo, Carolum has ſibi terras vacantes reſervaſſe, donec novam deſuper diſpoſitionem faceret. *Pippinus Ital. Rex obit an. 810. Bernard. fil. ſuc. Styr. ſub Comit. Caroli M.*

XXIV. An. 811. Carolus M. exercitum in Pannoniam mittere debuit ad controverſias Hunnorum & Sclavorum finiendas, inter quos teſte Annal. Laurisham. Authore variæ ex convictu turbæ fuerant exortæ, quidnam vero in Pannonia geſtum ſit? an ſolius adventantis exercitus timore? an præclara Comitum limitaneorum ſolertia res fuerint combinatæ? ignoramus, nec tamen eæ turbæ multum Styriam vexabant, cum *circa Danubium* teſte Annal. Laurisham. exortæ fuerint. Pannonico limiti hoc tempore Goterammus non amplius præfuit, ut judico, jam defunctus, Geroldum II. & diſtinctum ab illo, qui an. 799. cæſus erat, huic limiti Præfectum, complura documenta docent; ſic teſtamento Caroli M. an. 806. confecto ſubnotatus eſt Geroldus, & Diploma aliud Caroli M. Altahenſi Monaſt. hoc an. vel ſeq. datum diſertis verbis *ad deprecationem Comitis Geroldi*, hunc Comitem limitis Pannonici, atque etiam Bajoariæ fuiſſe indicat, eundem Bajoariæ ſimul ac limiti Pannonico a Carolo M. præpoſitum docet Vitus Arenpeckius Chron. Bajoar. lib. 8. cap. 3. ubi eum Gerhardum, & cap. 4. ubi eum Geroldum nominat. *Pannoniæ turbæ ab Hunnis & Sclavis an. 811. Goterammo def. ſuc. Gerold. II. Dux limit. Pan. & Styriæ.*

Quamvis vero Geroldus II. ab Anonymo de converſ. Carent. & Bajoar. loco quinto recenſeatur (vide num. 5.) non tamen id ab Authore citato ita dictum opinor, ac ſi ordine quintus poſt reliquos primo præfuiſſet, ſed quod aliis intermediis, ad diverſa Dravi oſtia poſitis,

tis, Goterammo ſucceſſerit Geroldus, ſic ad an. 806. in judicio Oetingenſi ab Arnone Salisburg. & Hattone Patav. habito ſubſcripti leguntur *Werinharius & Gotefredus Comites*, Albrici loco nominatur *Audulfus*, idem tamen *Albricus* an. 804. pro judicio cum Arnone ſedit: hos itaque Comites limiti Pannonico Bajoariam & Auſtriam verſus, Goterammum vero & Geroldum in terris noſtris præfuiſſe opinor.

Aquil. & Salisb. lis de ſedibus.

XXV. Plerique, qui res Aquilejenſes & Salisb. tractant, annoſam utriusque Eccleſiæ litem, Caroli M. judicio terminatam eſſe volunt ſub Maxentio Aquil. Patriarcha, Carolus M. ſpectatis utriusque ſedis argumentis num. 17. allatis, edito Diplomate, quod referunt Valvaſorius Illuſtr. de Rubeis, P. Calles, & Author Germaniæ Sacræ, litem ita decidit, ut Dravus fluvius utriusque Diœceſis poſthac limes eſſet, quidquid a ripa ejus Auſtrali eſſet, Aquilejenſi, quidquid a ripa Aquilonari, Salisburgenſi poſthac pareret jurisdictioni, quæ diviſio tenuit ad noviſſima uſque tempora, quibus pars Aquilejenſis, Goritienſi Archi-Epiſcopo eſt ſubjecta, dum antea an. 1750. die 29. Julii Patriarchatus Aquilejenſis Domui Auſtriacæ adjudicatus eſt.

Celej. Com. nunquam ſub Diœc. Salisburg.

Ager ſic Petovienſis omniaque trans Dravum loca, Diœceſi Aquilejenſi ſunt reddita. Comitatum Celejanum ſemper ſub Aquilejenſi, nunquam ſub Salisburgenſi ſacro diſtrictu fuiſſe, dixi num. 15. neque enim aſſentior Cl. Authori Chronol. S. Ducatus Styriæ docenti circa an. 796. &c. etiam eum Comitatum Salisburgenſium imperio auſcultaſſe. Rationem reddo ſequentem, Pippinus Caroli M. filius an. 796. Salisburgenſi Diœceſi ſubjecit ea loca, quæ in hoc bello Hunnico an. 791. incepto, anno 799. finito, expulſis Hunnis, Caroli M. imperio ſubjiciebantur, atqui Celeja non hoc bello Hunnico, ſed jam an. 776. cum Ducatu Forojulienſi Caroli imperia ſuſcepit, proin ditioni Salisburgenſi annumerata non eſt.

Hæc inter negotia, 2. Nonis Decembris Carolus filius natu minor obiit, ſolusque ex Caroli M. filiis ſuperfuit Ludovicus.

Caroli. M. mors an. 814.

XXVI. Annus 814. Carolo M. ſupremus illuxit, quinto enim Cal. Febr. an. ætatis 70. eodem, quo natus, die obiit febri continuo invaleſcente, ſepultus eſt in Cathedrali Aquiſgranenſi S. Mariæ a ſe exſtructa, variis dein miraculis inſignis, Sanctorum ſyllabo adſcriptus quidem ab Antipapa Paſchali, cultu tamen publico, in Eccleſia primum Aquiſgranenſi, mox aliis Galliæ & Germaniæ Eccleſiis, honoratus eſt, conſequentium Pontificum nullo renitente: ſucceſſit filius unicus Ludovicus pius, paternarum hæres virtutum, qui mox Lotharium filium ſuum in Bajoariam, Pippinum in Aquitaniam dimiſit. Ludovicum vero puerum ſecum adhuc retinuit.

Suc. Lud. pius.

Sclavor. turbæ ſub Cadaloo Foroj. March. 815.

Tertio inde anno turbæ ob fines ortæ ſunt inter Dalmatas, Sclavos & Romanos, Cadalohus Marchio Forojulii, quem eæ reſpiciebant, miſſus eſt cum Legato Leonis Armeni in Dalmatiam, eique adjunctus *Albigarius Unrochi nepos*, is, ut opinor, qui teſte Anonymo de converſione Bajoar. & Carentanorum, *partem Carentaniæ cum Hebvvino & Pabone, dato Regum in Comitatum habuit*, hi ergo Comites limitanei in Carinthia erant; turbas has utcunque compoſitas inde ſuſpicor, quod nil ſiniſtri deinceps evenerit. Turbæ hæ a Styria ſatis remotæ fuiſſe viden-

Albigarius Hebvvinus Pabo Duc. Carent. limitan.

videtur, cum Geroldus limitis Pannonici in Styria Præſes an. 815. cum Bernardo Italiæ Rege, Legatus Romam dirigeretur, turbas ibidem ob Leonem III. Papam exortas compoſiturus; cæterum an. 817. in Conventu Aquiſgranenſi, Lotharius conſors imperii, Pippinus Rex Aquitaniæ, & Ludovicus Bajoariæ Rex eſt declaratus, huicque *Carentani, Beheimi*, ſeu Bohemi, *Avares & Sclavi* etiam ſubjecti, *Noricum* vero & *Pannonia*, proin Styria etiam noſtra, licet an. 814. Lothario, hoc vero anno cum Bajoaria Ludovico filio ſubjiceretur, deinceps tamen adhuc per Comites limitaneos, Imperatori ipſi obnoxios gubernata eſt, ut patebit ex turbis Pannoniæ ſub Luidewito, quas omnes per Comites ſuos compeſcuit Ludovicus Imp. & Pater, niſi fors dicere placeat, Ludovicum id curæ, ob filii ſui Ludovici pueritiam in ſe ſuſcepiſſe.

Styria an. 814. ſub Lothario an. 817. ſub Ludovico, gubernata tamen per Comit. limit.

XXVII. Plures hic Authoris MS. Chronici Styriæ, ejusque deſcriptoris compilatoris Hiſt. Germ. Ducatus Styr. in Calendar. Græc. ad an. 1762. &c. errores referre cogor; Author ille MS. Chron. Styriæ cum ſequace ſuo, Megiſerum aliosque minoris notæ Authores ſecutus, ſub Carolo M. eosdem Styriæ, quos Carinthiæ Comites ſtatuit. At jam num. 5. oſtendi, Carinthiam licet ac Carnioliam Forojulienſes direxerint Marchiones, Styriam tamen noſtram & partem Auſtriæ modernæ ſub Pannonici limitis Comite (qui plerumque ſimul Præfectus Bajoariæ erat) & contradiſtincto ab orientalis Marcæ Præfecto paruiſſe; idem MS. Chron. Styriæ Author annos Comitum horum erronee & perturbate profert, plura fabuloſa adjicit, Annalibus vetuſtis, omni fide digniſſimis repugnantia, ſic cap. 51. Ingonis mortem & Cadalohum Succeſſorem anno Chriſti 792. allegat, quæ tamen ante an. 799. contingere non potuerunt, ibidem ſub Ingone luem pecorum in Styria vigentem, indeque conſecutam hominum mortalitatem ita depingit, ut in Styria ultra 30000. hominum eadem conſumerentur; de qua tamen mortalitate nemo veterum ſomniavit, Poeta Saxo an. 809. luem pecorum ab oriente in occidentem diffuſam refert, de mortalitate hominum conſecuta, cum omnibus domeſticis & vetuſtis Scriptoribus altum ſilet. Ingonis ſucceſſores (quem Francum fuiſſe docet) ſtatuit Cadaloum, Waldericum, Domitianum, Carolomannum, aſt Author vetuſtiſſimus de converſ. Bajoar. & Carentanor. longe alios recenſet, ut v. lib. hoc num. 14. præterea non Ingoni, ſed Henrico Forojulii Duci, ſeu Marchioni, Cadaloum ſucceſſiſſe oſtendi num. 15. ſtabilitque hunc ſucceſſionis ordinem Vir clariſſimus Ord. Prædic. Bernardus de Rubeis monum. Aquilejenſ. & Forojul. indefeſſus ſcrutator, hinc poſt Ingonis mortem non Cadalous Sclavos in Carentania rexit, ſed Albigarius, uti num. ſuper. ex Auth. Anonymo de converſ. Carentan. & Bajoar. exhibui.

Errores varii Auth. MS. Chronic. Styriæ.

De lue pecorum & peſte in Styr. an. 809.

XXVIII. Præterea Author Chron. MS. Styriæ fingit, eidem Cadaloo an. 796. ab Hungariæ Rege Tallmann bellum indictum fuiſſe, dumque Rex hic impetum in Styriam faceret, ad Judenburgum, vel ſupra fuiſſe ita devictum, ut plurimis centurionibus & 20. vexillis captis, millia Hunnorum viginti perierint; citat eam in rem Bonfinium lib. 9. decade 1. qui tamen nec belli hujus, nec Tallmani inter Duces

Hunni an. Judenburgi a. 796. cæſi.

vel Reges Hungariæ meminit; & ſane ſomnium dixeris bellum hoc Hungariæ an. 796. quo novimus Hunnis bellum a Carolo M. illatum non ad Judenburgum, ſed in Pannonia ac Styriæ noſtræ parte ad Arabonem fluvium ſita. Confuſio belli hujus attento lectori inde facile patebit, quod an. 818. Cadalous Marchio contra Luidewitum Pannoniæ inferioris Regulum miſſus fuerit, in eoque anno 819. obierit ſucceſſorem nactus Baldericum Forojulii, & Carentaniæ Marchionem, ut mox fide dignis documentis oſtendam; hæc interim, plura per decurſum.

Luidewiti Pan. Duc. turbæ 818.

XXIX. Urolpho Patavienſi rerum ſuæ domus prope oblito, & in Avaria ac Moravia fidem Chriſti prædicante, in Pannonia incendium ſub favilla latebat; advenerunt enim *Luidewiti Ducis Pannoniæ inferioris* Legati ad Ludovicum Imp. an. 818. Heriſtallii degentem, Cadaloum Marcæ Forojul. Præfectum crudelitatis & inſolentiæ accuſantes, in apertam perduellionem erupere res Luidewiti, ad quam proin comprimendam, copiæ ſubmiſſæ ſunt Cadaloo, cujus Præfecturam Carentaniæ ambiebat Luidewitus. Copiæ ſubmiſſæ infelici fato vel intercluſo alpium tranſitu inter fauces montium hærere coactæ ſunt, vel numero ac viribus impares, redire compulſæ menſe Septembri, ut colligo ex codice vetuſto in Münichs & Münſter Bavariæ Cœnobio aſſervato, qui in calce ſequentia habet: *Hic liber fuit inchoatus in Hunnia* (ſeu ut alias dictum, Auſtria ſupra Cetium extenſa) *in exercitu anno Dom. DCCCXIX. 3. non. Junii, & perfinitus apud S. Florianum pridie Idus Septembr. in hebdomada quinta decima.*

Cadalous a. 819. obit, ſuc. Baldericus Marcb. Foroj. & Caren.

Luidewitus ob copias Ludovici rejectas, ſuperbior, Legatos quidem ad Ludovicum miſit, ſed iis conditionibus, quæ acceptari non poſſent, dumque ei aliæ præſcriberentur leges, perfidus ille gentes Timotianorum & Bulgarorum in ſocietatem vocavit; obiit interea Cadalous, ſuffectusque ei Baldericus, in Carentania *juxta Dravum fluvium*, Luidewitum aggreſſus, parva manu pluribus interfectis de illa Provincia fugavit. Borna Dux Dalmatiæ ad Colapim ſeu Culpam fluvium ſuppetias Luidewito laturus a ſuis deſertus, ægre evaſit, uti habent Annal. Laurisham. Fuldenſ. & Bertiniani.

Luidewito cæſ.

Carinth. & Carniol. ſub March. Forojul.

Ex hiſce teſtimoniis non rejiciendis patet, Carentaniam ad curam Marchionis Forojulienſis pertinuiſſe, atque ea de cauſa, in hujus ævi Annalibus, *Baldricus Marcæ Sclavicæ Præfectus* dicitur, non, quod antea Comes limitaneus ad Savum fuerit, ut ſcribit Author MS. Chron. Styriæ, ſed quod Carentaniam, & Carnioliam, Sclavis inhabitatam Marcam, direxerit cum Forojulienſi.

Luidewito oppoſiti tres exercitus an. 820.

XXX. Quamvis vero Bajoaria & limes Pannonicus cum Styria noſtra Geroldi Præfecti maturis conſiliis a graſſationibus Luidewiti immunes manſerint, conſilia tamen inquieta Reguli hujus Pannoniæ, eo majorem Ludovico Imp. curam afferebant, quo minus Ludovici Bajoariæ Regis & filii adoleſcentia iis extinquendis par eſſe videretur, hinc an. 820. in Conventu Aquiſgranenſi decretum, ut tres exercitus, *unus de Italia per alpes Noricas, alter per Carentanorum Provinciam, tertius per Bajoariam & Pannoniam ſuperiorem* contra Luidewitum moverent. Medius exercitus per Carentaniam ingreſſus, ter hoſte ſuperato, Dravo

Tertius Luidewitus.

etiam

etiam transmiſſo, celerius advenit, duo reliqui, ubi ſubſecuti, tota Luidewiti regione vaſtata, haud ullo gravi damno accepto, domum denuo ſunt reverſi, & mox *Carniolenſes, qui circa Savum fluvium habitant* (quibus commixtos ſuſpicor Celejenſes noſtros) *& Forojulienſibus contigui ſunt, Baldrico ſe ſubjecerunt, item & pars Carentanorum, quæ ad Luidewiti partes defecerat.* Ita docent Annal. Laurisham. Fuldenſ. & Bert. *Carniolia, & pars Carinth. a Luidewito defic.*

Ex his colligo Luidewiti Provinciam *inter Savum & Dravum* fuiſſe ſitam, Carentanis & Carniolis vicinam, Bornæ vero Ducis Dalmatiæ terram ad Colapim uſque extenſam, ut adeo ambo hi partem hodiernæ Croatiæ tenuerint: præterea auguror, Styriam noſtram, præter tranſitum unius ex his tribus exercitibus nil damni ex hoc bello tuliſſe, præſertim cum nulla Geroldi Comitis noſtri occurrat mentio, ut adeo ultra Dravum arma in Styriam prolata non fuerint. *Luidewiti Provincia inter Savum & Drav.* *Styriæ damna in hoc bello.*

XXXI. Senſit tamen alia damna Patria noſtra, nam præter luem exercitus, ſoluti ventris incommodo ſeu dyſenteria in Pannonia ſuperiore proin Patriæ noſtræ etiam parte, affecti, plura alia incommoda acceſſere, quæ ennarrant Annales ſupra citati, hominum enim & boum peſtilentia tam immaniter, longe lateque graſſata eſt, ut vix ulla pars Regni Francorum immunis fuerit, frumenta imbrium aſſiduitate correpta vel colligi non poterant, vel collecta putreſcebant, vinum idque modicum, caloris defectu acerbum, & inſuave fiebat, ſeminatio autumnalis, aquis ſua loca egreſſis, impedita annonæ inopiam futuro anno procurabat. Chronica domeſtica de his quidem modica habent, cum vero mala hæc, vix ullam Regni Francorum partem intacta reliquerint, hærendum non opinor, præſertim cum ad an. 821. Chron. Mellic. habeat, *nix magna a 10. Kal. Octobris uſque in 2. Idus Aprilis permanſit*, & interpolator ejusd. Chron. ad an. 820. eo *etiam tempore in Gallia ante feſtum Joan. Bapt. cum grandine cecidit fragmentum glacici, cujus longitudo 15. pedum, latitudo 6. ſpiſſitudo 2. &c.* *Styriæ varia damna.*

XXXII. Inter has Luidewitici turbas belli nonniſi morte ejus an. 823. ſopitas, Arno Salisburgenſis Archimyſtes, & Theodericus Sclavorum in Carentania Epiſcopus obiere, Arnoni Adelramus, Theoderico Otto ſucceſſit. Contra Luidewitum vero an. 821. in Conventu Aquiſgranenſi, denuo tres exercitus ſunt decreti, qui anni ſequentis æſtate hoſtilem agrum evaſtarent; exercitus hi, ubi in terras hoſtiles devenerunt, Luidewitus Sciſcia civitate relicta ad Sorabos ſeu Servios fugiens, interfecto eorum Duce, civitatem ejus in ſuam redegit ditionem, moxque Legatos ad Ludovicum Imp. miſit, qui referrent eum ad præſentiam Imper. venire velle; adventum hunc Luidewiti mors violenta an. 823. a Luidemuslo Bornæ avunculo illata impedivit, bellumque Pannonicum ſuſtulit, dum infelix Siſara Luidewitus, per fidelem Jahel ſeu Luidemuslum, perfidiæ infidelitatis ac violati hoſpitii pœnas dedit. *Arno Salisburg. obit 821. Adelram. ſucc. Theoderico Ep. Carent. Otto ſucc.* *Luidewitus an. 823. occiſus.*

Dixi num. 29. Bulgaros a Luidewito in ſocietatem belli vocatos, hos Author MS. Chron. Styr. ad Palatinatum uſque & Franconiam graſſatos docet, ſed ſine teſte, Bulgaros enim ultra Pannoniam ſuperiorem non veniſſe, jam ſupra oſtendi, neque Ludovicus trinum exercitum in regiones hoſtiles deſtinaſſet, ſi ſuperioribus locis ab his hoſpitibus

dum fuiſſet, unde ruit & illud aſſertum, Bulgaros e Franconia per 2. Comites Rabatonem, & Domitianum fuiſſe ejectos.

Geroldus II. Com. limit. Styr. XXXIII. Geroldi II. Bajoariæ Præfecti, & terrarum noſtrarum Comitis limitanei mentio recurrit ad an. 821. in Diplom. Ludov. Imp. & Lotharii Monaſterio Cremiſſa, ſeu Cremiſanenſi dato, quo huic Monaſterio prædia *in pago* Trungaw, olim Styriæ, hodie Auſtriæ confert, & quidem *intuitu Ludovici Regis Bajoariorum, & Geroldi Comitis*, unde quemadmodum Ludovicus terrarum noſtrarum dominus, ita Geroldus earundem Comes limitaneus fuiſſe conficitur. Diploma refert Avent. lib. 4. Annal. Bajor.

Theodericus & Godefrid. Auſtr. Præterea Comites limitanei modernæ Auſtriæ ex aliis documentis deteguntur, nam Reginharius Epiſc. Patav. ſedi ſuæ, neglecto Baturico, ſibi ab Arnone ſuffecto, per Paſchalem Papam reſtitutus, Ludovici ejusdem Diplomate, donata a Carolo M. Eccleſiæ ſuæ bona, a Marchionibus Theoderico & Godefrido ablata, obtinuit, Godefridi mentio apud Anonym. de converſ. Bajoar. & Carent. occurrit num. 5. hujus libri. Anteceſſor ejus Theodericus erat, ex Diplom. Ludov. in quo dicitur, Ludovicus Marcam ita definiviſſe, *ut a Lytaha juxta Schömbrun Auſtr. fontem, qui vocatur Schömbruno, cum omni integritate, ut Theodericus habebat, in Godefridi jurisdictionem tranſiret quidem, Eccleſiæ vero ablatæ, redderentur Eccleſiæ Patavienſi. Dat. an. DCCCXXIII. Indict. 1. 4. Kal. Jul. Francofurt. regnante Ludov. annos* 10. Theodericus vero idem ipſe fuiſſe videtur, qui an. 791. cum Meginfredo cubiculario partem tripartiti exercitus contra Hunnos duxit, ut v. num. 1. Ex quibus ſatis aperte conſtare arbitror, diverſos diverſis ad Savi uſque oſtia limitibus, proin Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ præfuiſſe Comites limitaneos.

Urolphus Arch. fit Laur. a. 824. XXXIV. Ad an. 824. uſque dilata eſt miſſio pallii pro Adelramo Salisb. Archiep. non alia, ut reor, ex cauſa, quam quod Urolphus Romæ cauſam Eccleſiæ Laureacenſis ageret, nec defuit Eugenius II. Papa votis Urolphi, ſed eodem hoc anno, dato Diplomate eundem *Archi-Epiſcopum Laureacenſem* declaravit, ſimulque *Vicarium Apoſtolicum per Moraviam ac Pannoniam*, cum *pallii honore* conſtituit.

Pannonia ſub Salisb. adhuc permanſit. Res hæc pupillam Adelramo Salisburg. tangebat, qui inde ſolicitior, ſuam ut Provinciam conſervaret, Lotharii opera uſus eſt, jusque ſuum intactum conſervavit, nam quamvis Urolpho ab Eugenio II. Papa data fuerit Pannonia, id tamen decretum, quoad Pannoniam ulteriorem, executioni non fuiſſe datum, colligo ex Anonymo de converſ. Bajoar. & Carent. claris verbis docente, a Caroli M. temporibus, uſque ad Methodium Philoſophum, orientalis Pannoniæ populos, ad nullum alium, quam Salisburg. Epiſcopum pertinuiſſe, unde hoc tempore nondum diviſa erat Pannonia inter Salisburgenſes & Laureac. ſed ea diviſio ab Agapeto II. & Benedicto VII. facta, tardius obtinuit. Unde licet Eugenius II. P. Urolphum Laureacenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum decerneret, licet eidem pallium mitteret, non tamen adhuc Eccleſia Laureac. Metropolis erat, ſed omnis poteſtas collata, Urolphi perſonæ inhæſiſſe videbatur.

XXXV.

XXXV. Geroldum II. adhuc Comitem limitaneum Patriæ noſtræ fuiſſe Diploma Ludov. pii Monaſt. Altahæ infer. an. 825. datum oſtendit, adfert id Wiguleus Hundius Metropol. Salisburg. tom. 2. fol. 8. & ita habet: *Conceſſimus - - quandam villam juris noſtri, prope fluvium Enſia in Comitatu Geroldi Comitis, quæ dicitur* Granesdorf, *quæ eſt ſita in parte Sclavanorum*; ex hoc Diplomate ſequentia infero, 1. Geroldum Comitem Avarici ſeu Pannonici limitis, eas ſub ſe terras habuiſſe, quas dein Ottocari Marchiones Styriæ tenebant, nempe tractum ad Anaſum, & Styram urbem ab Ottocaro I. ædificatam, cujus vicinia antea *Trungovienſis* tractus appellatus eſt. 2. Diſtinctum fuiſſe Auſtriæ ſeu Marcæ orientalis Comitem, ut num. 33. de Godefredo & Theoderico dictum. 3. Partes has ad Anaſum, *Sclavaniæ*, *Sclaviniæ* nomen, ab incolis eo poſitis, tuliſſe. *Gerold. II. Com. limit. Pannon. a. 825.*

An. 826. fama erat de Bulgarorum variis motibus, ſimulque de Rege eorum necato vel expulſo, hinc Ludov. Imp. *Berticum Palatii Comitem*, inquiunt Annal. Laurisham. *ad Baldricum & Geroldum Comites, & Avarici limites cuſtodes in Carentanorum provinciam miſit, qui, cum nil certi ſuper his, quæ fama vulgaverat, reportaſſet &c.* Jam lib. 2. obſervavi, nomine Carentaniæ, non modernam ſolum Carinthiam, ſed omnes alias a Sclavis habitatas terras veniſſe, quare Baldericus & Geroldus non ambo Carinthiæ Marchiones, nec in ea reſediſſe ſunt putandi, niſi fors communem pro ea munienda operam contuliſſent, utque eam a flamma & ruinis belli Luitewitici repararent: Conventu dein Ingelheimii ſoluto, *affuerunt Baldericus & Gerboldus Comites, ac Pannonici limitis Præfecti*, teſt. Annal. Laurisham. *& adhuc de motu Bulgarorum adverſum nos, nihil ſe ſentire poſſe ſunt teſtati.* *Baldericus March. Carinth. & Forojul.*

Anno tamen 827. Bulgari *Sclavos in Pannonia ſedentes miſſo per Dravum navali exercitu, ferro & igne vaſtaverunt, & expulſis eorum Ducibus, Bulgaricos eis Rectores conſtituerunt*, ut Annales Bertin. teſtantur. Styriæ partem ad Dravum vaſtatam, nemo non videt, quo tamen damno, quibus excidiis? nemo etiam expreſſit. Bulgaros, cum *navali exercitu per Dravum*, qui paulo infra Eſſeckium Danubio miſcetur, venerint, ultra Serviam in Sirmium progreſſos, ſedes intra Dravum, Savum, ac Danubium habuiſſe conjicio. *Res Styriæ ad Dravum a. 827.*

XXXVI. Motus hi Bulgarorum, licet minus prævisi, Balderico exitium attulere, etenim in Conventu Aquiſgran. anni 828. etiam *Baldericus Dux Forojulienſis*, & Marchio Carinthiæ, *cum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ ſuperioris impune vaſtaſſent, honoribus privatus, & Marca* Forojulienſis, & Carentana *in quatuor diviſa eſt*, ajunt Annal. Francici, Pithæus vero legit, *inter quatuor diviſa eſt*, ex quibus verbis male inter quatuor lectis Adelmus, Sigonius, Lazius, aliique Marcam hanc inter 12. Comites diviſam volunt. Author Germ. Sacræ tom. 1. in Luipramo Archiep. novam Marcæ diviſionem ſequentem ſtatuit: *Carinthiam, Pannoniam inferiorem, Forojulium cum Iſtria, & Carnioliam cum Liburnia*, addit ſimul *Pannoniæ inferioris nomine* hoc tempore veniſſe, *Provinciam inter Savum & Dravum*, ſicque modernæ Styriæ partem, *agrum Celejenſem*, cum reliqua Styria inferiore, infra Dravum & Mahrburgum ſita. *Balderic. March Foroj. & Carent. deponitur a. 828.* *Pannoniæ Marcæ diviſio nova.* *Pan. inf. dicta Prov. inter Savum & Dravum*

Hebnwinus March. Carinth. Novis quatuor Marcis ſequentes Comites dati, *Hebnvvinus Francus* Carentanis, & poſt eum *Albigarius & Pabo*, ita Anonymus de converſ. Bajoar. & Carent. num. 26. *Pannonia inferior* cum Celejenſi & Dravenſi agro ſub *Salachone Comite* conſtituta eſt, aliorum duorum Comitum nomina non exſtant, *Eberardum* Forojulienſem Marcam obtinuiſſe docet de Rubeis monum. Aquil. cap. 48. *Brynonem* ſeu *Brunonem*, Præpoſitum *Carnioliæ & Liburniæ* opinatur Illuſtr. Valvaſor. lib. 7. fol. 403. & lib. 10. fol. 182. Ex hoc tempore Carinthia ſpecialem Marchionem habuit. Author MS. Chron. Styr. Domitianum Sanctum Ducem, Balderici ſucceſſorem ſtatuit, qui Carinthiam convertit, Milleſtadium fundavit, atque an. 853. obiit. In rem ſuam adducit Lazium de migr. gent. lib. 6. fol. 160. qui tamen inter Baldericum & Domitianum, medium ſtatuit Ludovicum, ſeu Luidewitum Pannoniæ infer. Regulum; nec huic Lazii, nec Authoris MS. Chron. Styriæ ſubſcribo ſententiæ, Ingonem cum S. Domitiano eundem fuiſſe num. 13. oſtendi, neque credo, ſæc. 8vi fine, & noni medio in Carinthia idololatriam adeo viguiſſe, ut 1000. circiter idola ad villacum direpta, & in lacum proximum ſint demerſa, ut habet Auth. cit. Chron. MS. Styriæ.

Salacho infer. Pannon. March. Eberhard Foroj. Bryno Carniol. March.

S. Domitianus non fuit ſuc. Baldericii.

Geroldus II. Com. Pan. limit. depositur. XXXVII. Quid vero de Geroldo II. Comite altero limitis Pannonici ſentiendum? Megiſerus eum depoſitum, & in Gaſconiam cum Balderico relegatum ſcribit, non contendo de relegatione Geroldi, depoſitum cum Balderico opinor, cum enim & ipſe minus obſervans circa motus Bulgariæ fuerit, ut ex relatione ejusdem ad Ludov. Imp. data, num. 35. patet, pari pœna correctum arbitror, præſertim cum Bulgari etiam terras Pannoniæ ſuperioris ſub ipſo poſitas pervaſerint. Succeſſorem Geroldi adfert Anonymus ſæpe laudatus de converſ. Bajoar. & Carentan. qui poſtquam recenſuiſſet Carentanorum Duces ad Etgarum uſque, ita ſubdit: *Poſt iſtos vero Duces, Bajoarii cœperunt prædictam terram habere in Comitatum, Hebnvvinus, Albigarius, & Pabo. His ita peractis Ratbodus ſuſcepit defenſionem termini*, illius nempe, cui noviſſime Geroldus præerat, Pannoniæ ſuper. ſupra Dravum.

Ratbodus ſucc.

Wilhelmus & Engelſcalcus Auſtr. March. an. 843. Nec movet quorundam ſententia Ratbodum Auſtriaci, ſeu orientalis termini Præfectum hoc tempore aſſerentium, nam ex Chron. Mellic. apud Hier. Pez tom. 1. col. 213. *An.* 843. *Wilhelmus & Engelſcalcus fratres, fuerunt Marchiones Auſtriæ*, nempe modernæ, ante quos Theodericus & Godefredus eam ſpartam tenebant.

Hic motus Marcæ in quatuor partes diviſæ duravit ad an. uſque 861. quo Carolomannus *Duces limitis Pannonici & Carentani expulit, atque per ſuos Marcam ordinavit*, unde Chron. Salisburg. ad eundem annum habet: *Pabonem a Carinthia per Carolomannum ejectum Salzburgæ conſediſſe.*

Ratbodus Bulgar. vincit. XXXVIII. Marcis ſic contra Bulgaros firmatis, Ludovicus filius contra eosdem miſſus eſt una cum Ratbodo Duce noſtro, quid vero hoc in bello actum ſit? nemo prodidit; Author German. Sacræ tom. 1. fol. 157. ait quidem *Bulgaros per Ludovicum Regem, immiſſo Duce Ratbodo, non magno negotio propulſos eſſe*; an Regi Ludovico Comes etiam additus fuerit Adelramus Archiep. Salisb. eaque occaſione Eccleſiam Nitravienſem in territorio Priwinæ conſecraverit? vix certo ſtatuere poſſum,

ſum, probabilius cenſeo, Adelramum ad Priwinam Moravorum Ducem, Legatum miſſum, ut eum a Bulgaris averteret.

Priwina hic orientalis Moraviæ Dux erat, Moymarus occidentalis, hic Urolpho, ille ſavebat Adelramo, accidit vero, ut Moymarus Priwinam Ducatu privaret, quæ res ei occaſio fuit, baptiſmum jam diu dilatum ſuſcipiendi; Priwina itaque expulſus, ad Ratbodum Ducem noſtrum limitaneum fugit, a quo Regi Ludovico præſentatus, mox *fide inſtructus*, ut inquit Anonym. de converſ. Bajoar. & Carent. *Baptizatus eſt in Eccleſia B. Martini, loco Treiſma vocato, curte videlicet pertinente ad ſedem Salisburgenſem.* Lazius *Ottonem Sclavorum in Carentania Epiſcopum*, miniſtrum baptiſmi fuiſſe ait, quod ſuo loco relinquo, cum nec ſatis probari, nec ſatis refelli poſſit.

Ejusd. cum Priwina res.

Baptizat. Treiſmæ Priwina.

An ab Ottone Epiſc. Carent.

Bulgari inter hæc an. 829. *navibus per Dravum fluvium venientes, quasdam villas noſtrorum flumini vicinas incenderunt*, ut memorant Annal. Fuldenſes. Id impune auſos inde credibile eſt, quod Ludovicus Rex Bajoariæ diu abſens, Wormatiæ egerit, & ſuſpenſa ex inteſtinis ſeditionibus omnium conſilia, privatorum damna ad animum non admitterent; damni tamen aliquid ſubiiſſe Styros noſtros, *ad Mahrburgum, Petovium, Dravique viciniam* opinor, cum Annales citati de Dravi fluminis vicinia loquantur. Quid dein cum Bulgaris actum ſit? non refertur, credibile eſt, eos quietos deinceps reſediſſe.

Bulgari Styr. infer. vaſtant an. 829.

XXXIX. Geroldum II. Comitem limitis Pannonici depoſitum, Eckartus *Monachum Corbejæ* factum fuiſſe contendit, eo quod in Dipl. Warino Corbejæ novæ Authori dato, apud Schaten, in Annalibus Paderborn. pag. 98. Geroldus, tanquam Author fundorum Corbejæ, *Illuſtri Francorum ſtirpe ortus, Palatinus inclytus officiis* referatur, aſſerto clariſſimi viri, ut penitus ſubſcriberem, noſſe me oporteret, an Geroldus noſter in Saxoniam devenerit? an cum honoribus, non ſimul fortunas amiſerit, aliaque? certe Geroldi plures hoc tempore exſtiterunt, utpote cum an. 852. apud Anamadum in traditionibus S. Emerammi lib. 1. cap. 39. legatur, *Kerolt Comes & ejus filius Kerolt.*

Gerold II. Com. limit. an Corbejæ Monachus.

Contra Rathodum Comitem Pannonici limitis & Styriæ egit an. circiter 836. Reginharius Epiſc. Paſſav. cui nuper ex Ludov. Regis Diplomate in lite illa cum Salisburg. Eccleſia acta, regio ultra Comagenos montes ſita, quoad Aquilonarem & occidentalem oram, qua Spiraza amnis oritur, & cum altera Spiraza & Arabone confluit, adjecta eſt, ut fundos quosdam apud Chierchbach in Auſtria, a Ratbodo alienatos, & alteri cuidam Eccleſiæ attributos reſtitueret, quod etiam factum, quo eodem tempore Luipramus Adelramo Archiep. Salisburg. ſucceſſit, cui antea Ludovicus pius Imp. *Gurcam in Carentania*, & *Diemudingam in Chiemgovia*, cum aliis locis donavit.

Ratbodi Duc. limit. Pannon. res 836.

Gurca & Diemuding. Adelr. Salzb. donantur.

XL. De Ratbodo noſtro plura refert Anonymus de converſ. Bajoar. & Carentan. poſtquam enim antea docuiſſet: *Carentani limitis Præfecturam ad Bajoarios Comites translatam, & Ratbodum Pannonici termini defenſionem ſuſcepiſſe*, refert de Ratbodo & Priwina ea, quæ ſupra num. 38. narravi, dein addit: *Qui* Priwina *poſtea Ratbodo commiſſus, aliquod cum illo tempus fuit*, quæ poſtea contigerint, ſupplet Author Germ. Sacræ tom. 2. pag. 128. ex per antiquo codice his verbis: *Interim exorta eſt*

Marca Carent. ſub Bajoariis.

Ratbodi cum Priwina acta.

ta eſt inter illos antiqua diſſenſio, quam Privvina timens, fugam iniit in regionem Wegariam cum ſuis, & Chozil ejus filius cum eo, & non multo poſt de Wegariis Ratimari Ducis adiit regionem. Priwina itaque fugit ad Ratimarum, ſeu ut opinatur Author Germ. Sacr. cit. ad Tirpimirum Croatarum Ducem; diſplicuit hæc Priwinæ fuga ita Ludovico Regi, ut mitteret *Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum Ducem*, hic rebus ſuis diffiſus in fugam abiit cum ſuis, *Privvina ſubſtitit, & cum ſuis pertranſivit ad Sauva fluvium, ibique ſuſceptus a Salachone Comite* limitis Pannoniæ infer. ut n. 36. dictum eſt, *pacificatus eſt cum Ratbodo*, ac dein Regi Ludovico oblatus, a quo deprecantibus Regis fidelibus *aliquam inferioris Pannon. partem inter Dravum & Savum*, in beneficium *circa fluvium Saana accepit*, in Celejenſi infer. Styriæ Comitatu, ita Anonymus cit.

In Croatas mittitur.

Eos fugat.

Priwina in Styria ad Celejam locatur.

De Priwinæ loco multum diſceptant Authores; Scriptores Boici locum Priwinæ datum *in ulteriore ſeu orientali Pannonia* ſitum arbitrantur, ac pro fluvio *Saana* ſcripſerunt *Savum*, decepti verbis *Pannoniæ inferioris*; aſt, uti jam num. 36. obſervavi, hoc tempore *Pannonia inferior* aliter, ut olim apud Romanos, nimirum *pro tota regione interamnenſi*, ſeu *Dravum inter & Savum* ſita, ſumpta eſt, cujus argumentum deſumo ex Annal. Francic. qui *Luidevvitum Pannoniæ inferioris Ducem* appellant, qui tamen Pannoniam ſolum Carentanis & Carniolis vicinam, inter Dravum & Savum, cum Sciſcia civitate poſſedit, ut num. 30. oſtendi. Ex quibus proinde concludo, *Privvinæ regionem*, fuiſſe *partem Styriæ inferioris, circa fluvium Sanam*, non procul a muris vetuſtæ Celejæ manantem; nolo enim ſine ratione textum Anonymi cit. *corrigere*, & *Saanæ*, *Savum* ſubſtituere.

Pannonia inferior eadem cum Provincia int. Dravum & Savum ſita.

Priwin. ædificat Mosburch inter Celej. & Petov.

XLI. Ulteriora Priwinæ in tractu Celejenſi acta exponit idem Anonymus his verbis: *Ibi cœpit ædificare munimen in quodam nemore & palu Sellede fluminis, & circumquaque populos congregare, ac multum ampliari in terra illa &c.* Munimen hoc in nemore exſtructum, ac *in palu Sellede fluminis* ſitum, oppidum erat **Mosburch**, Celejam inter, & Petovium ſitum, ac a palu Sellede fluminis, nomen **Mosburch** obtinens, nam Anonymus ſæpe laudatus, *Petoviæ* tanquam loci vicini ſæpius mentionem facit, Megiſerus quidem Mosburchum hoc in Carinthia locat, ſed licet in Carinthia exſtet caſtrum **Mosburch**, una fere leuca germanica ab Offiacenſi Monaſterio ad orientem ſitum, diſtinctum tamen a Moſburgo Styriæ fuerit, tum quod Mosburgum Carinthiæ Petovio non vicinum, tum quod ea regia Carolomanni, ac Arnulphi fuerit, non vero Mosburgum Celejæ.

Mosburch aliud caſtr. Carinthiæ.

Priwina ibidem Eccleſ. exſtruit.

Exſtructo Mosburgenſi monumento, *Privvina*, ut Anonymi cit. verbis utar, *conſtruxit infra*, id eſt intra, *primitus Eccleſiam*, quam *Luipramus Archi-Epiſcopus, cum in illa regione Miniſterium ſacerdotale poteſtative exercuit, in illud veniens caſtrum in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ conſecravit anno videlicet DCCCL.* (lege XL. quo dies 9. Cal. Febr. in Dominicam incidit, qua dedicationes Eccleſiarum fieri ſolebant) *IX. Kal. Februarii.* Præſens erat dedicationi *Chezil*, *Chozil*, ſeu melius *Hezil* Priwinæ filius. V. num. 40.

Eam dedicat Luipramus Archiep. Salisburg. an. 840.

Dedicata ſic Eccleſia *dedit Privvina Presbyterum ſuum in manus, & in poteſtatem Luiprami Archi-Epiſcopi*, pergit idem Anonymus cit. &

Luipra-

Luipramus illi Presbytero licentiam conceſſit in ſua Diœceſi miſſam canendi, commendans illi Eccleſiam illam & populum illum procurandum, ſicut ordo Presbyteratus expoſcit, ex quibus Anonymi verbis ortus Parochiæ Mosburgenſis conſpicitur. Redux ex Mosburch Luipramus Archi-Epiſcopus Comitem itineris habuit *Hezil* filium Priwinæ, atque, ubi idem Luipramus *conſecravit Eccleſiam Sandrati Presbyteri, Hezil territorium, & ſylvam, ac pratum in præſentia præfatorum virorum tradidit, & circumduxit hoc ipſum termino: tunc quoque ad Eccleſiam Erenberti Presbyteri, quam memoratus Præſul conſecravit, tradidit Hezil, ſicut Engeldich, & filii ejus duo, & Erembertus Presbyter ibi habuerunt, & circumduxit præfatos viros ipſum terminum.* Eccleſiæ hæ Sandrati, & Eremberti &c. quæ fuerint? latet, in Styria inferiori, vel ſaltem ejus terminis extitiſſe inde colligo, quod ſub jurisdictione ſæculari Priwinæ & Hezilonis, ac Eccleſiaſtica Luiprami fuerint? præterea Pater Priwina cum filio Hezilone Provinciam partitus fuiſſe videtur, cum hic etiam fundos & agros neoconſecratis a Luipramo Archiep. Salisburgenſi Eccleſiis adderet.

Mosburch ſit Parochia.

Hezil vel Chezil fil. Priwinæ.

Ejus territor.

Variæ Styr. inf Eccleſ. conſecrantur.

XLII. Plura Priwinæ & Luiprami Salisburgenſis acta, idem Anonymus ad annos etiam conſequentes refert hiſce verbis: *Transactis igitur fere duorum aut trium ſpatiis annorum ad Saloburgin conſecravit in honore S. Rudberti Eccleſiam, quam Privvina cum omni ſuprapoſito tradidit Deo, & S. Petro, atque S. Rudberto, perpetuo in uſumfructuarium, viris Dei Salisburgenſium habendi.* Nemo hactenus divinavit, quænam hæc fuerit *S. Rudberti ad Saloburgim Eccleſia?* forte in Sclavonia moderna, ſita fuerit, in qua plurima pars, cum illa Styriæ ad Celejam & Saanam parte ditionis Priwinæ inter Savum & Dravum extenſæ continebatur: *Poſtmodum*, pergit idem Anonymus, *roganti Privvinæ miſit Luipramus Archi-Epiſcopus Magiſtros de Salzburch, murarios & pictores, fabros & lignarios, qui intra civitatem Privvinæ honorabilem Eccleſiam conſtruxerunt, quam ipſe Luipramus ædificari fecit, officiumque Eccleſiaſticum ibidem colere peregit, in qua Eccleſia S. Hadrianus Martyr humatus pauſat.* Eccleſia hæc, a priori & Parochiali Mosburgenſi diſtincta videtur, atque intra urbem, in qua morabatur Priwina, tanquam aulica & collegiata conſtituta, an in eam Priwina? an Hezilo filius & ſucceſſor corpus S. Hadriani intulerit? denuo latet. *Item*, continuat narrationem ſuam Anonymus, *in eadem civitate S. Johannis Baptiſtæ conſtat dedicata, & foris civitatem in Dudleipin in Uſitin, ad Buſiniza, ad Pettobiam, ad Stepileberck ad Lindolveschirchen, ad Keiſi, ad Wilidhereschürchen ad Iſangrimeschürchen, ad Beatuschirchen, ad V. Baſilicas temporibus Luiprami, Eccleſiæ dedicatæ ſunt, & ad Otocherschürchen, & ad Palmunteschürchen, cæterisque locis.* Oedipo ſane opus erit, ut loca iſta detegantur, illud tamen ſatis pronum eſt colligere, & civilem Priwinæ, & Eccleſiaſticam Luiprami jurisdictionem, ultra Dravum extenſam fuiſſe in Pannoniam ſeu Hungariam modernam, cum inter has Eccleſias conſecratas referatur una *ad Petoviam* & altera *ad V. Baſilicas*, ſeu Eccleſias, quæ in Comitatu Hungariæ Toinenſi ſita eſt, ſicque & Priwinæ dominium præter Styriæ inferioris partem & Sclavoniam, etiam de Hungaria quidpiam continuiſſe, & jurisdictionem ſuam Luipramum, ultra Celejam hoc tempore pro-

Salaburgenſ. S. Rudberti Eccl. an. 843. quæ.

Eccleſiæ S. Adriani.

Et S. Joan. Bapt. &c.

Priwinæ Dominium & Luipramijurisdictio in Hung. extenſa.

 tendiſſe,

tendiſſe, Aquilejenſibus Patriarchis in Gradenſi plebe noviter adjecta ordinanda occupatis.

Priwinæ civitas an Celeja.

Civitas Priwinæ, de qua mox ſermo, an Celeja fuerit? ægerrime, ut credam, adducar, tum quod Celeja jam dudum antea ſteterit & nomine ſuo nota fuerit, tum quod eam Anonymus uti Petoviam indigitare vix ommiſiſſet. Civitas itaque illa, *caſtrum* Mosburch, aliæque nominatæ Eccleſiæ quænam fuerint? ubi ſitum obtinuerint? non conſtat, id credibile Priwinæ Provinciam in Styria cœptam, in Hungariam ſecundum oram Dravi fluminis fuiſſe extentam, hoc enim in diſtrictu & *Petovium* Styriæ, & *V. Eccleſiæ* in Hungaria occurrent.

Ratbodus S. Emerammi Monaſt. beneficus.

XLIII. Ratbodus inter hæc Comes limitis noſtri, qui Priwinæ ad hæc commoda obtinenda ſubſidio erat, circa an. 837. Monaſterio S. Emerammi, *quidquid proprietatis ad Tullinam habere videbatur*, donavit, uti docet Anamodus Subdiac. Ratisbon. lib. 1. tradit. Emeram. apud Bern. Pez tom. 1. theſauri anecdot. noviſſ. parte 3. col. 245. &c. ex hac donatione nemo, ut opinor, inferet, Ratbodum orientalis ſeu Auſtriacæ Marcæ Præfectum fuiſſe, cum enim proprietates ſuas *ſolum* ad Tulnam Auſtriæ eidem Monaſterio donaverit, potuit in Auſtria alteri Præfecto ſubjecta poſſeſſiones habere, quin ei præfectus fuerit; forſitan in Auſtria natus, ibidemque diutius moratus, poſſeſſiones has hæreditatis, emptionis alterove titulo obtinuit.

Gratia Regis Ludovici excidit an. 844.

Iniquior erat Ratbodo noſtro annus 844. quo, neſcio, qua de cauſa? gratia Ludovici Regis excidit, id inſinuat Diploma Ludovici Regis Monachis S. Emerammi datum *indictione 7. Kal. Maji an. XXVII. Regni Ludvvici* in Bajoaria, hoc in Diplom. apud Bern. Pezium cit. col. 24. crimen Ratbodi ita narratur: *Sed quia ipſe a nobis totis viribus ſe alienavit, & fidem atque jusjurandum omni infidelitate privavit* &c. an itaque Ratbodus, & ad quos Ludovici hoſtes abierit? incertum, illud omnino liquet, Ratbodum ab hoc tempore non amplius occurrere in geſtis & actis publicis, uſque ad annum 871. de quo ſuo loco. Porro pro crimine perfidiæ, Ludovicus Bajoariæ Rex *medietatem unius fiſci, qui vocatur Tullina* ad ſuam dominationem recepit, & eodem Diplomate *ad menſam Monachorum* S. Emerammi *domino famulantium* tradidit

Styr. turbæ 845.

XLIV. Non diu vacare potuit limes Pannonicus, ob ingruentes undique Moravorum, Bulgarorumque motus, quorum hi Styriæ inferiori & limiti Pannonico, illi Diœceſi Laureacenſi ſatis moleſti erant.

Erneſtus Com. an Ratbodi ſucceſſor.

Aventinus lib. 4. Annal. Bajor. meminit *Erneſti Ducis limitis Noriſcorum*, ſeu *Noricorum*, quem dein fol. 412. *Ducem limitis ſeptentrionalis Bajoariæ* nominat. *Erneſtus* hic, aliis *Ernuſtus*, ut anni conſeq. docebunt, Dux Bajoaricæ militiæ copias in Bohemias duxit an. 855. anno dein 860. *Bajoaricæ Princeps militiæ* fuit, infidelitatis dein cauſa an. 861. exauthoratus; privata in vita miſer obiit an. 865. licet Carolomanni ſocer eſſet. Hunc Erneſtum alii Auſtriaci limitis Præfectum volunt, quod tamen acta ejus non oſtendunt, præterquam quod Wilhelmus & Engelſcalcus adhuc limiti orientali præfuerint: fieri tamen potuit, ut Erneſtus hic, Ratbodo in limitis Pannonici cura ſucceſſerit, utpote cum eo jam antea his in confiniis uſus fuerit Rex Ludovicus, ut ex Diplom. Cremifan. apud Rettenbacher pag. 32. conſpicitur, ubi Erneſtus

ſtus hic & Hratbodus territorium quoddam ad confluentes utriusque fluvii Spirazæ circumequitaſſe dicitur.

XLV. Dum an. 845. circiter Baſilicam S. Ruperti Salisburgenſem & an. 847. Baſilicam S. Petri, ignis conſumeret, ſævius incendium an. 848. terris noſtris imminere videbatur, Godeſcalcus Monachus Orbacenſis & Presbyter male de prædeſtinatione ſentiens, ſua e Diœceſi abiens, Aquilejam venit, atque in domo Eberardi Marchionis ſeu Comitis Forojulienſis diu verſatus, ſemina hæreſeos ſuæ ſpargere, Noricum, Sueviam inficere cœpit; monitus deſuper Eberardus per Rhabanum Moguntinum, dum operi manum admovere voluit, Godeſcalcum e domo ſua fugiſſe, atque ut habent Annal. Bertin. *Dalmatiam, Pannoniam, & Noricum* turpiter evertere animadvertit. Haud ſcio, an Ludovici regionibus Bajoariæ, Auſtriæ, & Styriæ, &c. dogmatis hujus quædam fibræ hæſerint, caverit ſolicite Luipramus, & infra Dravum Theutmarus Aquilej. Patriarcha, ut Diœceſes ſuas immunes conſervarent.

Incend. Eccleſ. Salisb. 845. S. Petri 847.

Godeſcalci hæreſis per Pannon. & Noricum 848

Illud certius judico, Ludovicum Bajoariæ Regem, audita Priwinæ in ſervos Dei benevolentia, in ſe fidelitate, eidem diſtrictum ſupra memoratum, quem antea in beneficium ſolum habuerat, in proprium conceſſiſſe. Eodem forſitan tempore, *poſt obitum Dominici Presbyteri* (v. num. 41.) *Svvarnagel Presbyter ac præclarus Doctor illuc* ad Priwinam, nempe *miſſus eſt cum Diacono & Clericis*, inquit Anonymus de converſione Bajoar. & Carentan. *poſt illum vero, Altfridum Presbyterum ac Magiſtrum cujusque artis Luipramus direxit, quem Adalvvinus ſucceſſor Luipramı, Archi-Presbyterum ibi conſtituit.* De quibus ſub Adalwino plura.

Priwina Provinciam ſuam in proprium recip.

Dominicus Parroch. Mosburg. obit. ſucc. Swarnagel, dein Altfridus.

XLVI. An. 849. *Erneſtus Dux* limitis Pannonici, ſimulque *militiæ Bajoaricæ* contra Bohemos fidem mentitos miſſus, victus, fugatusque eſt, quo eodem circiter tempore *Osbaldus* Epiſcopus erat Carentanorum, quem Luipramus *poſt Ottonem eorum Epiſcopum conſecravit;* ad hunc Osbaldum Jordano teſte exſtant duæ epiſtolæ a Papa Nicolao, qui ab an. 858. ad 867. Romanam Eccleſiam rexit, in priore præcipit Papa, ut Sacerdotem cum egeſtate luctantem, & Laici cujusdam occiſorem, in numero Laicorum habeat, in altera jubet Sacerdotem gradu dejici, quod luſum, quo corpora reciproco libramento tolluntur, ac ſubſidunt, cum Diacono quodam inceſto exercuerit cervicis noxa e caſu contracta. Viſitur in cod. MS. Cæſareo opuſculum, *de origine Bavarorum, Authore Bernardo Monacho in* **Crembsmünſter** *ſub Friderico*, in quo legitur: *Poſt Ottonem Hosbaldus Epiſcopus ſub Luipramo & Adelvvino Archi-Epiſcopis: huic Osbaldo ſcripſit Nicolaus Papa, duos Canones, qui in corpore decretorum inveniuntur.*

Erneſtus Com. limit. Pan. victus.

Orbaldus Epiſc. Carinth.

Cui Nicolaus Papa ſcripſit.

XLVII. Luipramo Archiep. Salisburg. antequam obiret, incerto anno, Ludovicus Rex, *Rain Styriæ urbeculam*, ac **Lichtenwald** in Carniolia ad fluvium Ipuſa donavit, obiit vero Luipramus an. 859. ſucceſſorem nactus *Adalvvinum, quem ipſe nutrivit, qui pallio honoratus eſt a Nicolao Papa*, teſte Anonymo cit. de converſione Bajoari. & Carentan. qui ſub iisdem Adalbini temporibus ſequentia refert; *Osbaldus Epiſcopus Sclavorum regebat gentem, prout jam priſcis temporibus dicti Epiſcopi fecerunt, ſubjecti Epiſcopis Juvavenſium & adhuc ipſe Adalvvinus Archi-Epiſcopus per*

Rain Styr. urbec. fit Salisb. Luipramo Arch. Salisb. obit. 859 Adalbinus ſuccedit.

ſemetipſum regere ſtudet illam gentem in nomine Domini, ſicut jam multis, in illis regionibus claret locis. Hactenus, ut dictum eſt, Carentaniam ſui regebant Epiſcopi, poſiti a Salisburgenſibus, hisque ſubjecti, ſic S. Virgilius Modeſtum, Arno Ottonem, Luipramus Oſwaldum conſtituit Carentaniæ paſtorem, at ſub Adalbino Epiſcopi hi Carinthiæ defecerunt, cauſam lego in vita S. Gebhardi Ep. Salisb. & Fundat. Gurcenſis an. 1072. ex vete i notitiarum codice reperto in Camera libr. Salzb. *Repertæ ſunt in eodem libello crebræ diſcordiarum cauſæ inter ipſos Archi Epiſcopos, & ſub Epiſcopos illos, propter quos conjicitur, & æſtimatur vicem illam tunc ceſſaviſſe, & morientibus aliis, alios non fuiſſe ſubſtitutos, & quia hujusmodi ancboras non babebant, ſedem videlicet Epiſcopalem, & Clerum, ac plebem, in ſeparatis ſibi Parochiæ terminis cum qualibet, ſupradicta reſtauratio renovata eſt & ſtabilita;* ſub Gebhardo nimirum, qui ſedem Gurcenſem primus erexit.

Epiſc. ſedes in Carinth. tollitur circa 860.

Et cur?

Altfridus Styr. Cel. Archipresb. XLVIII. Quonam anno Epiſcopatus Carinthiæ ſublatus fuerit? non conſtat, poſt Osbaldi mortem, atque ſub Adalbino ceſſaſſe omnino certum eſt; ne tamen poſt Osbaldi mortem Styriæ Celejenſi, reliquæque Priwinæ Provinciæ Rector & Paſtor deeſſet animarum, Adalwinus, *Altfridum Presbyterum, nuper a Luipramo directum, Archi-Presbyterum ibi conſtituit, commendans illi claves Eccleſiæ, curamque poſt illum totius populi gerendam, ſimiliterque eo defuncto Richpaldum conſtituit Archi-Presbyterum, qui multum temporis ibi demoratus eſt, exercens ſuum poteſtative officium, ſicut illi injunxit Archi-Epiſcopus ſuus, uſque dum Græcus quidam Methodius nomine &c.* Unde Altfridus & Richpaldus non ſolum Hungariæ, ſed etiam partis Styriæ ſub Priwina conſtitutæ Archi-Presbyteri fuerunt.

Deiu Richpald.

Albricus Chor-Epiſc. Patav. obtinet in Styria bona inter Rab & Chumberg. In eadem Styria noſtra Albrico Suffraganeo ſeu Chor-Epiſcopo Patav. an. 860. manſos & prædia a Ludovico II. Aug. data fuiſſe insinuat ejusdem Diploma, quo *Albrico Chor-Epiſcopo ſuo dono dedit manſos proprietatis ſuæ conſiſtentes inter Raba & Cumberch.* Rabam fluvium & Chumbergenſe dominium, cum Eccleſia, nondum, quod ſcio, in Parochialem erecta, in Styria ſitum noverunt omnes, quomodo vero dein hi manſi in aliorum manus devenerint, an permutatione, venditione, aliove titulo? ignoro. Indictio 8. Diplomatis, & annus 28. regni Domini Ludovici in Bajoaria, jam Auguſti annum 860. indicat.

Caroloman. an Styriæ Domin. an. 861. XLIX. An. 861. magnam rerum in Styria & vicinis terris converſionem effecit; Ill. Valvaſorius, Megiſerus & Author MS. Chron. Styriæ, Carolomannum Ludovici II. Aug. filium, a Patre, Carinthiæ, Styriæ, ac Carnioliæ Præfectum fuiſſe a morte Domitiani cenſent, & quidem Ratisbonenſi in conventu, in quo præter aliarum Provinciarum Legatos, etiam Ottocarum Styrenſem terræ ſupra Anaſum Prætorem, Legati Styriæ munere perfunctum docet cit. Author MS. Chron. Styriæ, multa ſuperaddens de privilegiis variis, Provinciis collatis &c. ut v. tom. 1. cap. 54. fol. 176. &c. quæ omnia jam an. 854. contigiſſent, citat eam in rem Lazium lib. 6. de migrat. gentium, qui tamen ſolum ait, Carolomannum *Carnis* Ducem a Patre datum fuiſſe. Non nego, Carolomannum Styriæ noſtræ Præfectum, at hoc anno, ac poſt mortem Domitiani non an. 854. ſed 798. defuncti, eundem Sty-

Ottocarus an Styriæ Prætor.

Carolom. Dux Carinthiæ.

riæ

riæ Ducem, nunquam admittam; ad vetuſtos & legitimos hac in re provoco Annales, nempe Bertinianos, qui ad an. 862. ſolum habent, Carolomanno a patre conceſſam regni portionem, quam pridem invaſerat, nempe Carentaniam, hanc enim terram, non patris voluntate primum, ſed invaſione obtinuit, quam dein pater benevolus eidem confirmavit: ex his erui poteſt, quid ſentiendum de Ottocaro Styrenſi ſupra Anaſum Prætore, Legati Styriæ munus obeunte in Conventu Ratisbonenſi, nam & ipſe Lazius ſeriem Ottocarorum Styriæ Dynaſtarum, ab Ottocaro mihi ſecundo orditur.

L. Carolomannus Carinthiæ portione non contentus, *cum Raſticio,* ſeu Raſtice, *Winidorum Regulo fœderatur, a patre deficit, & Raſticii auxilio magnam ſibi partem uſque ad Hin* (Ænum) *fluvium paterni regni præſumit.* Ita Annales Bertiniani, liberius dein ut defectionem ſuam perficeret, teſtantibus Annal. Fuldenſ. *Expulit Duces, quibus cuſtodia commiſſa erat limitis Pannonici & Carentani, atque per ſuos marcam ordinavit, quod Regis animum, rebellionem ſuſpicantis non parum commovit.* Pannonici limitis cuſtodem Erneſtum ſuſpicabar ſuperius, orientali ſeu Auſtriaco præerant *Wilhelmus & Engilſcalcus Germani fratres, Comites quondam ſtrenui terminales,* uti eos vocat Arnulfus Imp. in Diplom. an. 883. eadem habent Annal. Fuld. ad an. 884. *Pabonem a Carolomanno ejectum e Carinthia* hoc anno *Salzburgæ reſediſſe,* docet Chron. Salisb. apud Hier. Pez tom. 1.

Ad Ænum uſque graſſatur.

Expellit Duces limit.

Quinam vero fuerint illi, per quos Marcas has ordinavit Carolomannus? Scriptorum diligentia non expreſſit, de Utone & Sigihardo Comite conjectura eſſe poteſt, quos gradu ſuo hoc anno a Ludovico Rege motos narrant Annal. Fuldenſ. ita vero ajunt: *Hludovicus Rex Conventum habuit in Reganesburch, tertia ſeptimana poſt S. Paſcha, in quo Ernuſtum, ſummatem inter omnes optimates ſuos, quaſi infidelitatis reum publicis privavit honoribus. Utonem quoque & Berengarium fratrem ejus, atque Sigibardum Comites Waldonemque Abbatem cum aliis nonnullis, quaſi complices infidelitatis ejus exautoravit. Ex quibus Uto & Berengarius cum Waldone fratre ſuo in Gallias ad Carolum Regem abierunt, reliquis intra Patriam in proprietate ſua remanentibus.* Erneſtus Carolomanni ſocer, an non perduellionis in Ludovicum Regem cæptæ complex fuerit? vel fidentius partes Carolomanni amplexi fuerit? omnino dubitatur, inde forte ulterius conjici poſſet, Utonem & Berengarium Erneſti ex fratre vel ſorore nepotes, cum Sigihardo Comite amico, Marcis his per Carolomannum fuiſſe præfectos, quæ tamen ultra conjecturam dicta nolim.

Ratisbon. Conv.

Erneſtus Com. Pan. limit. deponitur.

Carolomannus hiſce patratis an. 862. Patri reconciliatus, ab eodem Dux Carentaniæ eſt confirmatus.

LI. Suſpicio de pravis Carolomanni conſiliis, Ludovicum Patrem in Bajoariam ſub anni 862. exitum revocavit, atque, ut Paſcha hoc an. nempe 863. Salzburgæ celebraret, occaſionem dedit. Suſpicio vero Ludovici Patris de filio ita malevolorum obtrectationibus invaluit, ut jam animum obfirmaret, & Carolomannum, quoad viveret, nullam in partem reip. ſe admiſſurum juraret; & vero Carolomannus non de paucis aut mediocribus criminibus deferebatur, ſed de culpis tam atrocibus, ut ſi idoneis teſtibus probarentur, reus Majeſtatis haberi poſſet.

Lud. Rex Salzburgæ an. 863.

Carolomannus denuo defertur.

Veritus iram Patris Carolomannus denuo iter Ratisbonam ſuſcepit, ut de ingeſtis ſibi ſuſpicionibus ſe Patri purgaret, aſt ubi certa amicorum fide compertum habuit, nullum ſibi veniæ locum fore apud iratum Patrem, in Carentaniam ocyus rediit perfugium apud ſuos habiturus, donec dies melior mitigaret odium, aditumque molliorem ſibi apud Patrem concederet. Sed id conſilii vanum erat, *Ludovicus* enim *Rex*, ut habent Annal. Fuldenſes, *collecto exercitu, ſpecie quidem, quaſi Raſticen Margenſium Sclavorum Ducem cum auxilio Bulgarorum ab oriente venientium, ut fama fuit, domaturus, re autem vera ad Carentanos filium expugnaturus acceſſit.*

Impugnatur in Carinthia a Pat.

Facile turbas has evaſiſſet Carolomannus, *niſi proditione Gundacbari Comitis ſui deciperetur incautus*, pergunt referre Annal. cit. *qui totum pene robur exercitus ſecum habens, quaſi vadum fluminis N. hoſtibus probibiturus, cum omnibus copiis tranſivit ad Regem, & prælatus eſt Carentanis, ſicut ei prius occulte promiſſum eſt, ſi Dominum ſuum fraude decepiſſet.* Carolomannum dein aliquo tempore in Carinthia latitantem, *non longo poſt tempore deceptum, atque deſertum a ſuis, ſub conditione Sacramenti, Pater ſuus Ludovicus recepit, & ſecum libera in cuſtodia tenuit.* Ita Annal. Bertin. & Fuldenſ.

Proditur a Gundaccaro Com. & exercitus ejus Regi traditur.

Gundaccar ſit Com. lim. Carent.

Carolomannus includitur.

LII. Ex his genuinis documentis ſequentia eruo: 1. Nec Carolomannum hoc tempore, nec Gundaccarum Styriæ noſtræ (excepta ea Styriæ ſuperioris modernæ portione, hoc ævo Carinthiæ accenſa) fuiſſe Præfectum, ſed Carinthiæ ſolum & Carnioliæ, ut bene obſervat Illuſtr. Valvaſ. Chron. Carnioliæ lib. 10. fol. 184. contra Megiſerum aliosque; cur vero hæc fuſius adducam, cauſa eſt, quod Carolomannus ad an. ſaltem 872. Styriæ noſtræ Dominus fuerit, ejus proin actanon negligenda videantur. 2. Vix credibile apparet, quod refert Megiſerus, & alii poſt eum, Gundaccarum Comitem copias Carolomanni, Ludovico Regi *ad Muram & Dravum* tradidiſſe, bellum enim *hoc in* Carinthia, non in Styria parabatur, cumque exercitus Ludovici Ratisbonæ & in Bajoaria collectus, per & a Bajoaria in Carolomannum ductus fuerit, ut habent Annal. Fuldenſes ſupra citati, probabilius mihi videtur, deditionem hanc per Gundaccarum, ad Anaſum fluvium ab Annal. Fuldenſ. littera N. expreſſum, factam fuiſſe, præſertim cum Carinthia hoc ævo modernam Styriam ſuperiorem complexa, ad Anaſum uſque pertigerit.

Gundaccar non fuit Com. limit. Styr. vel Pann.

LIII. Carolomannus liberam quidem ſed diuturnam in palatio cuſtodiam pertæſus, fuga ſibi viam aperuit, ad libertatem priorem obtinendam, unde an. 864. *Simulans ſe venatum ire, a Patre fuga labitur, & marcas ſibi a genitore ablatas, cum conſenſu Marchionum, qui eum tradiderant, reoccupat.* Retraxit filium ſuum fugitivum benignus Pater Ludovicus propoſitis conditionibus non ſpernendis, eumque honoribus ac Ducatui ſuo inſuper reſtituit.

Caroloman. e cuſtodia fugit 864.

Redit e fuga & reſtituitur Carentaniæ.

Marchiones illi, qui fuerint, quorum conſenſu Carolomannus marcas ablatas obtinuit? inquirendum eſt, Gundaccarum Carentaniæ Marchionem novimus, Wilhelmum, & Engelſcalcum orientali denuo limiti a Ludovico Rege præfectos ob ſingularem ſuam fidelitatem nullus dubito, hos tamen conſenſiſſe Carolomanno ad marcas a Patre ablatas recuperandas, vix eſt credibile, niſi ſupponamus, eos fugæ inſcios fuiſ-

ſe, ac

ſe, ac perſuaſos, quaſi Patris voluntate id fieret a Carolomanno. Marchio porro limitis Pannonici & Styriæ noſtræ hoc tempore quis fuerit? nihil fere ex coævis Scriptoribus deduci poteſt, lego quidem *Werinharium* quemdam Comitem, inter Marchiones hujus temporis; an. 803. cum Arnone Friſingæ, atque anno 805. Lauriaci præſedit Werenharius quidam, atque exercitum cum Audulfo duxit, ſed hic inter vivos vix amplius an. 864. fuerit. Alius quidam ad annum 865. Werenharius Comes apparet, nam, ut ait Codex vetuſtiſſ. MS. Bibl. Cæſareæ apud Lambecium obſervat. ad Annal. Franc. Pithæan. pag. 91. *Werinharius Comes ex primoribus Francorum, qui apud Hludovicum Regem accuſatus, quaſi Raſticen ſuis adhortationibus adverſus eum incitaſſet, publicis privatus eſt honoribus*, an hic pro Comite limitis Pannonici conſtitui debeat, eo quod Raſtici ex limite ſuo, utcunque vicinus videatur, ſat firmum argumentum inde deſumi non poſſe arbitror. *Werinharius an Marchio limit. Pann.*

LIV. Ad an. 865. SS. Cyrillus & Methodius, antea in ditione Raſticis Moraviæ Ducis morati, res Styriæ & Salisburgenſium turbare cœperunt; rem omnem ex Anonymo de converſione Bajoar. & Carentanorum adfero; Adalbinus hoc tempore Pannoniam luſtravit, & Pontificale officium in Provincia Priwinæ exercuit, contigit vero, ut Priwina in bello Moravico partes Ludovici Regis ſecutus obiret, cæſus a Moravis, eique Hezilo filius ſuccederet, anno igitur DCCCLXV. inquit Anonymus cit. *Venerabilis Archi Epiſcopus Juvavenſium Adalvvinus Chriſti nativitatem* (a qua annum orditur Anonymus) *celebravit in caſtro Hezilonis noviter Moſeburch vocato, quod illi ſucceſſit moriente Patre ſuo Privvina, quem Moravi occiderunt, illaque die ibi officium celebravit Eccleſiaſticum; ſequenti die in proprietate Wittimari Eccleſiam in hon. S. Stephani Proto-Martyris Kal. Jan. ad Orteabu Eccleſiam in hon. S. Michaelis Archangeli in proprietate Hezilonis, item ad Werde in hon. S. Pauli Apoſtoli Id. Jan. & 19. Kal. Febr. ad Spizzum in hon. S. Margarethæ Virginis, ad Tremberch in hon. S. Laurentii*, aliamque *ad Fiskere, & ſingulis proprium dedit Presbyterum Eccleſiis*, ſeu ut judico, ſingulis ſuum dedit Plebanum, ſicque Parochias eſſe voluit. *SS. Cyrill. & Method. res in Pannon. an. 865* *Priwina obit ſucc. Hezilo fil.* *Mosburgi in Styria Adalbino agit.* *Varias Eccl. dedicat.*

Sequenti quoque tempore, pergit idem Author, *veniens iterum in illam partem cauſa confirmationis & prædicationis*, venit etiam *in locum, qui dicitur Cella, proprium videlicet Unzatonis, ubi conſecravit Eccleſiam in hon. S. Petri Apoſt. Principis, conſtituitque ibi proprium Sacerdotem, Eccleſiam Ztradachi dedicavit in hon S. Stephani, item in Werde - - - in hon. S. Petri Principis Apoſt. poſtea vero tres Eccleſias conſecravit unam ad Quartinacha in hon. S. Johan. Evang. alteram ad Muzzilichescḧirchen tertiam ad Ablanza, quibus conſtituit proprios Sacerdotes.* Tandem Author hic an. 873. totum opus ſuum finit dicendo, a tempore Caroli M. per 75. annos, nullum Epiſcopum, in Pannoniæ populum ex præcepto Caroli M. Juvavenſibus Rectoribus ſubjectum, poteſtatem habuiſſe Eccleſiaſticam, *uſque dum nova orta eſt doctrina Methodii Philoſophi.* *Ibidem prædicat & confirmat.* *Varias Eccl. conſecrat.*

LV. Ex his Anonymi verbis plura conjicio, & 1. quidem, cum per Pannoniam per 75. annos teſte Anonymo, Juvavenſes Præſules, jus ſacrum dictaverint, Pannoniæ vero Eccleſiaſtica cura jam anno 796. Arnoni data fuerit, cenſeo in numero annorum 75. intercurriſſe *Methodii lis cum Salisb. de Pann.*

curriſſe errorem, & deeſſe fors duos annos, vel Methodium, cum ſolus nominetur ſine Cyrillo, turbas Salisburgenſibus moviſſe primum annum 871. vel denique ſi jam anno 864. vel ſequenti eæ turbæ ortæ ſint, abundare num. V. conſtat vero, jam anno 867. SS. Cyrillum & Methodium Papæ delatos ab Adalwino, non alia de cauſa, quam quod jurisdictionem Salisburgenſem in Pannonia attentarent; Author Germaniæ Sacr. tom. 2. fol. 136. annos illos 75. inchoat ab an. 798. quo a Carolo M. Arnoni Eccleſiaſtica poteſtas in Pannoniam eſt confirmata, ſicque an. 872. eos 75. annos finitos putat, ſed difficultatem illam non ſolvit, quod jam ante an. 867. quo ab Adalwino Romæ accuſati ſunt Cyrillus & Methodius, ſe jurisdictioni Salisburgenſi ingeſſiſſe videantur. 2. Hoc anno Adalwinum nil obſtante Methodio & Cyrillo, officium Eccleſiaſticum in Priwinæ Provincia peregiſſe, nominatim in Styriæ infer. parte, ubi caſtrum Mosburch conſtructum fuiſſe oſtendi; *Eccleſia* illa *S. Stephani in proprietate Witeimari* non procul diſſita *a Mosburch* fuiſſe videtur, cum eam altero a Nativitate Domini, quam Mosburgi celebravit, die conſecraverit. Idem eſt de Eccleſia ad *Ortcabu*, aliisque, quarum ignota nomina, utinam ſatis erui poſſent, multum utique ad Patriæ noſtræ hiſtoriam, luminis adferrent. 3. Eccleſiaſticam Salisburgenſium jurisdictionem turbatam videri a morte Priwinæ circa an. 865. dum enim Hezilo filius Patri ſuccederet, duo Moraviæ Apoſtoli Cyrillus & Methodius ſenſim ritus ſuos ad Pannoniam, & conterminas Styriæ inferioris partes extenderunt, populosque, novitate linguæ Sclavicæ in officio Divino inducta, ſibi attraxerunt.

Adalbinus in Styria inf. moratur.

Cyrillus & Methodius in Styriam infer. ritus ſuos extendunt.

LVI. Interea vero Richpaldus Presbyter ab Adalbino in Provinciam Priwinæ miſſus, Osbaldo Epiſcopo Carentano an. 860. circiter mortuo, Archi-Presbyter ibidem eſt conſtitutus, *qui multum tempus*, teſte Anonymo cit. *ibi demoratus eſt, exercens ſuum poteſtative officium, ſicut illi injunxit Archi-Epiſcopus ſuus, uſque dum Græcus, Methodius nomine, noviter inventis Sclavinis litteris, linguam latinam, doctrinamque Romanam, atque litteras octorabiles latinas philoſophice ſuperinducens, vileſcere fecit cuncto populo ex parte Miſſas & Evangelia, Eccleſiaſticumque officium illorum, qui hoc latine celebraverunt, quod ille* Richpaldus *ferre non valens ſedem repetivit Juvavenſem circa annum* 869. Antequam vero Salisburgum an. 869 rediret Richpaldus, eosdem Cyrillum & Methodium antea Archi-Epiſcopo ſuo Adalbino detulit, qui novitatem hanc de ſacris in idiomate Sclavico perſolvendis Nicolao Papæ perſcripſit, a quo hi Doctores Romam citati appulerunt quidem, ſed Nicolaum vivum amplius non viderunt.

Richpaldus Archi-Presb. ibid. eos defert Adalbino.

Qui eos Romæ accuſat.

Obtinent tamen uſum ling. Sclav. in divino officio an. 868.

Romæ Cyrillus & Methodius in Conventu Patrum ab Hadriano II. redarguti quidem ſunt, mox tamen obtinuerunt, ut etiam in lingua Sclavica Miſſas & Divinum officium celebrare poſſent, immo ambo Epiſcopi, eorum vero diſcipuli Presbyteri, & Diaconi ſunt ordinati, S. Cyrillus, antea Conſtantinus dictus, Romæ diem ſupremum obiit, & ſolus Methodius an. 868. in Moraviam abiit, ubi ſedem ſibi Epiſcopalem in Welehradi urbe ſtatuit, poteſtatemque Eccleſiaſticam in omnem Sclavorum gentem *per Pannoniam*, ad fines uſque Bulgariæ

exer-

exercuit, fruſtra obniteptibus Adalbino & Ermenrico Paſſav. Epiſcopo, cum Methodius Papali ſe authoritate tueretur.

LVII. Penetraſſe Methodii ritum in Hezilonis etiam Provinciam proin Styriæ infer. partem, ex eo credibile apparet, quod Richpaldus Archi-Presbyter Salisburgenſis in Hezilonis Provincia, officium latinum contemni videns, ſuaque Adalbino facta horum accuſatione nil proficiens, tandem tædio victus an. 869. Salisburgum redierit; colligo enim inde ritum linguæ Sclavicæ in Divino officio, a Sclavis Moraviæ, ad Sclavos in Priwinæ Provincia, & Dravi accolas tranſiiſſe; nullatenus tamen veroſimile mihi videtur, quod refert Aventinus lib. 4. Annal. Boicor. fol. 434. Methodium circa hoc tempus in Bajoariam veniſſe, ibique linguam ac ritus Romanorum exploſiſſe, indeque in Moraviam fuiſſe depulſum; neque credo Methodium *in Styriam* deſcendiſſe, quamvis Illuſtr. Valvaſor. lib. 7. fol. 404. id ex Aventino deducere videatur, nam Doctor Schenlebenius & Author MS. Chron. Styr. non ſolum de his tacent, ſed prior, hunc Methodii in Styriam adventum omnino negat. De quibus plura ad annum 880.

Richpaldus Archi-Presb. Salisburg. redit 869.

Methodius non venit in Styr.

LVIII. Turbis hiſce Eccleſiaſticis acceſſerunt etiam tumultus Sclavorum quos inter & frequentes, & Ludovico ſatis moleſtos, procul dubio referendus eſt exortus an. 869. a Raſtice & Zwentiboldo nepote, miſſus in eos Carolomannus, hoſtes compeſcuit, & prædam non modicam reportavit, ut habent Annal. Fuldenſes, bellum hoc perfido Gundaccaro Carentaniæ Præfecto, exitio fuit, nam, ut habent Annales Fuldenſes, *Gundaccarus Vaſallus Carolomanni, qui multis perjuriis, & doloſis machinationibus Hludovico Regi, ejusque filiis ſæpenumero exſtitit infidelis, & proprium Dominum relinquens ad Raſticen defecerat, contra patriam more Catilino dimicare volens eſt occiſus.*

Sclavi Morav. a Carolom. compoſiti an. 869.

Gundaccar Carentaniæ Præf. cæſus.

Quamvis vero Sclavi Moravenſes continuo vincerentur, quieti tamen eſſe non poterant, atque an. 871. Raſtice excæcato, & Zwentiboldo in vincula dato, Sclagamarum Ducem ſibi ſtatuentes, contra Engilſcalcum & Wilhelmum Carolomanni Duces, & Auſtriæ Marchiones pugnaverunt, ab iisdem rejecti; mox tamen fortuna variavit, nam Zwentiboldus e cuſtodia dimiſſus, illico in Bajoarios irruit, eosque nil mali ſuſpicantes magna internecione delevit; quo in prælio teſt. Annal. Fuldenſ. Engelſcalcus & Wilhelmus fratres, ac *Comites termini Bajoariorum in oriente* occiſi ſunt; iidem Annales ſequentia habent: *Carolomannus de exercitus ſui interitu nimium conſternatus eſt, & neceſſitate compulſus omnes obſides, qui in ſuo regno erant, juſſit colligi, & Zventiboldo reddi, vixque unum virum nomine Radbodonem inde ſeminecem recepit.* Ratbodo hic an Marchio limitis Pannonici & Styriæ ab an. 828. ad 844. quo gradu ſuo motus eſt, ſit cenſendus? non ſatis conſtat, ætas certe matura, cum an. 828. jam Marchio factus eſt, hoc tempore ſat fracta, & militiæ vix apta amplius fuiſſe videtur. Sed demus unum eundemque fuiſſe, nil obſtabit, quo minus anno 844. depoſitus, militare officium geſſerit ſub Carolomanno, ad diluendam maculam antea contractam. An his ex vulneribus obierit? ſupponi facile poteſt, cum vires ſenio utcunque fractæ, malo tanto ex vulneribus ad necem fere ſuſceptis, ſuccubuiſſe videantur.

Engelſcalc. & Wilhelm. Auſtr. March. Morav. vincunt.

Mox caſi a. 871.

Ratbod. March. Pann. graviter vulneratus.

Styria ſub Carolomanno a. 872.

LIX. An. 872. Styria noſtra ſub Carolomannum conceſſit; etenim menſe Martio conventum generalem Forchemii celebravit Ludovicus ibique *ſublatis odiorum cauſis filios ſuos de regni partitione inter ſe diſſidentes pacificavit* Quæ hæc regnorum partitio fuerit? non exprimitur, ex actis tamen Carolomanni colligitur, quod eidem *Bajoaria*, *Noricum*, *Pannonia*, *Bohemia*, *Moravia*, Ludovico Germania ad Rhenum, Francia orientalis, Thuringia, Saxonia, Carolo vero Alemannia cum Rhætiæ parte poſtea ſit relicta. Patria itaque noſtra hac in partitione, Carolomanno adjecta eſt, an etiam pars illa, quam Hezilo filius Priwinæ ad Dravum & Celejam in Styria inferiore tenuit? omnino dubito, cenſeoque a Carolomanno Heziloni, uti quondam a Ludovico Priwinæ, eum tractum relictum fuiſſe, in præmium fidelitatis ſuæ: Author MS. Chron. Styr. part. 1. cap. 54. docet, a Ludovico Rege eam Carolomanno poſitam conditionem, ut Heziloni, quem e ſacro fonte levatum in ſuam protectionem ſuſceperat Ludovicus, *Styriæ adminiſtrationem*, atque *Comitatum Celejenſem* ad dies vitæ relinqueret; nec contrarium ſentirem, niſi de integræ Styriæ adminiſtratione, loqueretur Author citatus, cum utique conſtet, ſolum *Styriam inferiorem ad Dravum & Sarum*, fuiſſe Priwinæ conceſſam; neque Heziloni ſolum ad dies vitæ, ſed ejus etiam deſcendentibus id favoris exhibitum opinor, cum Bratislaus Hezilonis filius, Carolo Regi homagium de ea Provincia an. 884. exhibuerit. Hezilo, quo tempore obierit? hactenus non inveni.

Styr. infer. pars ſub Hezilone non tamen Styriæ adminiſtratio.

Locuſtæ in Styr. an. 873.

LX. Alia pœna an. 873. Styriam afflixit ab hoſtibus ſecuram, locuſtarum ingentia agmina, teſtibus Aventino, Valvaſorio & Megiſero, anno jam priore in Styria & Carinthia, vicinisque terris exorta, hoc anno, vento Aquilonari ſubito exorto in Franciam, ſeu Galliam, Germaniam & Hiſpaniam ſunt delata, animalia hæc deſcribunt Annales Fuldenſes his verbis: *Quatuor pennis volantes, & ſex pedes habentes, ab oriente venerunt, & univerſam ſuperficiem terræ inſtar nivis operuerunt, cunctaque in agris, & in pratis viridia devaſtabant. Erant autem ore lato, & extenſo inteſtino, duosque habebant dentes lapide duriores, quibus tenaciſſimas arborum cortices corrodere valebant. Longitudo & craſſitudo illarum, quaſi pollex viri, tantæque erant multitudinis, ut una hora diei, centum jugera frugum prope urbem Moguntiam conſummerent. Quando autem volabant, ita totum aerem per unius milliarii ſpatium velabant, ut ſplendor ſolis in terra poſitus vix appareret. Quarum nonnullæ occiſæ ſpicas integras, cum granis & ariſtis in ſe habuiſſe ſunt repertæ &c.* Locuſtas has terris noſtris damno fuiſſe nemo narrat, Galliam afflixiſſe docet Interpolator Chron. Mellic. ad an. 857. id certum, famem, quæ alioquin graviſſima per univerſam Italiam, ac Germaniam graſſabatur, multum auctam, ſicque mortalium animos, ſi non peſte, fame ſaltem ac inedia fuiſſe conſumptos.

Adalbino Sileb. ſucc. Adelbert. huic Theotmarg

Adalbino Salisburgenſi Archi-Epiſcopo, Styriæque cis Dravum Metropolitæ, ſucceſſiſſe volunt hoc an. Adalbertum vix trium menſium Præſulem, vel a Rege, in cujus abſentia electus erat, rejectum, vel morte conſumptum, cui dein Theotmarus eſt ſuffectus, qui antea *Abba iam Chiemenſem* ad Metenſem Eccleſiam tunc pertinentem, ex beneficio Arnulphi habebat; *Theotmarus* hic, teſte Chron. Salisburg. Pezia-

no,

no, ad an. ſeq. quo nempe *Ludovicus Imp. obiit, Eccleſiam ad Petovve Goezvvizi Comitis conſecravit*, hæc quæ fuerit? ignotum. *Conſecr. Eccl. ad Petav. an. 874.*

LXI. Metropolitarum noſtrorum trans Dravum, ſeu Patriarcharum Aquilejenſium, a Paulino fere ad hæc uſque tempora prope oblitus eram; ei ſucceſſiſſe Urſum aliis Urbanum, huicque Maxentium, ſub quo lis de Diœceſi utraque a Carolo M. finita eſt, obſervavi num. 17. & 25. Exſtat *Maxentii Patriarchæ Aquilejenſis epiſtola ad Carolum M. Imper. de ſignificatu rituum & cæremoniarum baptiſmi*, apud Bernard. Pezium tom. 2. anecdot. Theſauri noviſſimi. Sub eodem Maxentio lis vetus exarſit cum Gradenſibus, in Synodo tamen Mantuana an. 827. ſopita, in qua Iſtria tota Aquilejenſi Diœceſi adjudicata eſt. Lis hæc ex integro ante an. 1180. componi non potuit, quo tandem Henricus Gradenſis, collaborante Alexandro III. P. Udalrico Aquilejenſi jus Metropoliticum in omnes Iſtriæ Eccleſias ceſſit, ſibi ſolum Patriarchatum, inſulam Gradum cum 3. in Oſtuariis, ſuffraganeis Eccleſiis reſervavit. *Aquilejenſ. Patr. ſeries continuat. Maxentii acta. Gradenſ. & Aquil. lis a. 1180. finita.*

Maxentio circa an. 833. in ſede Aquilejenſi ſucceſſit Andreas, cui Sergius Papa ſcripſit, cuique in Synodo gener. Aquilejenſi per Leonem P. & Lotharium Imp. plebs Gradenſis attributa eſt, Andreæ circa an. 844. Venantius, & huic ad an. 847. Theotmarus eſt ſubſtitutus, qui an. 850. Concilio Ticinenſi ſubſcriptus legitur, in quo denuo Gradenſem plebem obtinuit, an. 872. Theotmari defuncti ſedem occupavit Lupo vel Lupus, ſub quo coram Papa & Ludovico Imp. definitum eſt iterum, plebem Gradenſem eſſe Diœceſis Aquilejenſis. Id ſolum doleo, eorum trans Dravum, ſeu in Styria inferiore acta vel non annotata, vel barbarorum incurſu fuiſſe deperdita. *Andreæ acta. Venantii & Theotmari res, & Luponis ſeu Lupi.*

LXII. De rebus Pannoniæ & Methodii ad an. 875. quæpiam adnotanda veniunt; P. Timon imagine Hung. antiq. part. 1. lib. 2. fol. 163. &c. ait, in Bibliotheca vaticana exſtare codicem ſub num. 4886. in quo fol. 102. inter alia legitur Joannes VIII. Papa an. 874. dediſſe litteras ad Ludov. Regem, quibus ait: *Pannonicam Diœceſim deputatam eſſe privilegiis Apoſt. ſedis*, atque *quia quibusdam hoſtilium ſimultatibus turbationum impedientibus illuc ab Apoſt. ſede diu, non eſt directus Antiſtes, hoc apud ignaros venit in dubium.* Ita pars prima epiſtolæ in cit. cod. lib. 4. cap. 46. fol. 86. codex hic vocatur *Collectiones decretales.* Alteram hujus epiſtolæ partem ait cit. Author inveniri apud Gratianum cauſa 16. q. 3. cap. 17. in quo Papa contra præſcriptionem proteſtatur, utpote quæ contra Eccleſiam Romanam ſpatio ſolum 100. annorum abſolvatur. Hoc vero anno idem Joannes VIII. P. pro Methodio ſcripſiſſe dicitur ad Carolomannum, in qua epiſt. ita ait: *Reddito, ac reſtituto nobis Pannonienſium Epiſcopatu &c.* volebat nempe Joannes VIII. prætendere, Pannoniam ab antiquo fuiſſe proviſionis Apoſtolicæ, hinc idem ad Montemerum Sclavoniæ Ducem ſcripſiſſe fertur, *ut ad Pannonienſem ſtudeat reverti Diœceſim, & quia illic Deogratias a ſede Apoſt. B. Petri Epiſcopus ordinatus eſt, ad ipſius paſtoralem recurras ſolicitudinem.* *Pannonia an ſedi Apoſt. reſervata an. 875.*

Dubiæ mihi & ſuſpectæ omnes hæ videntur epiſtolæ, nec a Labbeo, nec ab Harduino, vel alio quopiam editæ, & 1. quidem nullus Epiſcopus Deogratias in Pannonia, tempore Joannis VIII. fuit, ſed

Methodius Archiep. & Wichingus Episc. Nitrienſis. 2. Neſcio, quis ſit ille Sclavoniæ Dux Montemerus? Aventinus Maymarum 2. filium Zwentiboldi fuiſſe opinatur, at hic præeſſe cœpit an. 898. quo Joannes VIII. jam dudum cum patribus ſuis dormiit. 3. Contrarium de proviſione Apoſt. Pannoniæ docemur ex genuinis actis Aquilejenſium, uti ex actis, quibus ſub Carolo M. & Pippino, Arnoni & Salisburgenſibus ſubjecta eſt Pannonia confirmante Leone III. Papa, & nullo unquam Papa contradicente, etiam poſtquam diviſa eſt inter Aquilej. & Salisburgenſes.

Lupo Aquilej. Walpertus ſuc. an. 875.

LXIII. Lupo Aquilej. Patriarchæ an. circiter 875. ſucceſſit Walpertus, qui *Carolum II.* ſeu Calvum *a Joanne VIII. coronatum, Romam ſociavit*, ut inquit Chronic. Aquilejenſe, id quod an. 877. factum; interea Ludovicus Rex Germaniæ Francofurti an. 876. obiit, nova inde regnorum inter fratres diviſio facta eſt, qua Carolomanno noſtro Auſtria, & *Styria* denuo ſub nomine Pannoniæ confirmata eſt; regni Longobardici portionem hæreditariam ut obtineret, piis operibus, & armis ſibi providit, ſi forte Carolus frater & Imperator an. 877. coronatus ſe opponeret, etenim an. 876. Oetingenſe Monaſterium magnificum extruxit, liberaliter dotavit, & reliquiis plurimis brachio S. Philippi, corpore S. Maximiliani & Felicitatis decoravit, ſi Hundio fides, ac an. 877. *cum valida manu Noricorum* (ſeu Bajoariorum, Auſtriacorum, Styrorum, ac Carentanorum) *diverſorumque Sclavorum* Italiam eſt ingreſſus. Carolo Calvo Imp. eodem anno defuncto, illico, Carolomannus Dominus Italiæ & Rex Longobardiæ agnitus eſt, ſicque glorioſe in Bajoariam rediit, ſed *pene ad mortem infirmatus & lectica delatus* Aimonio teſte, qua in infirmitate *per annum ita jacuit, ut a multis fuerit deſperatus*, pulmonum ulcere correptum plerique ſcribunt.

Caroloman. cum Styris in Italiam abit an. 877.

Fit Dominus Italiæ & Rex Longobardiæ.

Dixi modo, teſte Hundio, a Carolomanno Oetingenſi Monaſterio datum fuiſſe *corpus S. Maximiliani*, rem eam donationes aliæ firmare videntur, quæ Monaſterio Oetingenſi a Carolomanno factæ ſunt ſub his verbis, & formulis: *Ad S. Maximilianum Confeſſorem Chriſti, & S. Felicitatem*, unde Sacrum hoc Corpus Oetingam translatum videtur. Plura ſed admodum dubia de translatione hujus S. Corporis jam Diſſert. 2. ſtatui, etenim, ſi etiam detur, corpus S. Maximiliani, a S. Ruperto Celeja Laureacum vel in Pongav locum telatum, dubium tamen eſt, an hæ ſacræ exuviæ a Carolomanno, ex loco Pongav, vel ex loco Purgkirchio in Oetingenſem Baſilicam fuerint translatæ, eo quod Pongav Monaſterium non amplius extiterit; illud in tanta Scriptorum diſſenſione tuto teneri poteſt, corpus S. Maximiliani a Carolomanno Oetingam devectum, an. vero 907. ob irruptiones Sclavorum, Hunnorumque Pataviam translatum, ubi adhuc hodie in Baſilica nova & nobiliore requieſcit.

S. Maximil. corpus an in Oeting. Monaſt.

Caroloman. grav. agrotat an. 879. Arnulfus fil. vices obit.

LXIV. Carolomannus paralyſi an. 879. correptus, etiam loquelæ uſum amiſit, cujus interea vices Arnulfus ejusdem ex Luiſwinda nobili Carentana pellice filius obivit, cui Carentanum jam an. 877. commiſſum a patre volunt Regino, & Albericus trium fontium Monachus, acta tamen & litteræ publicæ id nullibi inſinuant.

Ante-

Antequam ſic infirmaretur Carolomannus, Walperto Aquilejæ Patriarchæ omnia prædeceſſorum privilegia confirmavit, & inſuper Clero ac populo Aquilejenſi liberam Patriarchæ ſui electionem contulit, ut v. de Rubeis monum. Aquil. cap. 50. Methodius iterum Romæ accuſatus, ſimulque abſolutus ac Moraviæ Archi-Epiſcopus confirmatus, magnis privilegiis auctus, domum rediit, inter quæ ſane illud, quod admiſſa denuo fuerit lingua Sclavica in Sacris, ea de cauſa, tum ut Zwentiboldi Principis ferocis, & Neophyti animus confoveretur, tum ut herbeſcens in gente barbara Chriſti Religio, gratiarum rore nutriretur. *Aquil. lib. electio.*

Quæſtio hic oritur, an conceſſio linguæ Sclavicæ in Sacris ſolam Moraviam? an Pannoniam omnem proin Styriam etiam noſtram ex parte reſpexerit? rationes conceſſionis allatæ pro Moravia ſola pugnare videntur, & Papa in litteris conceſſionis ad Zwentiboldum datis diſerte ait, *pro omnibus Eccleſiis terræ veſtræ.* Nihilominus cenſeo, conceſſionem eam, univerſam Pannoniam, proin etiam Styriam inferiorem Sclavis præcipue habitatam reſpexiſſe; rationes do ſequentes: 1. Romæ actum de Sclavis in genere eo privilegio donandis, non de Moravis ſolum, hinc licet Papa in litteris adjecerit, *pro omnibus Eccleſiis terræ veſtræ*, id tamen non eo ſenſu accipiendum, quaſi reliquas Eccleſias excludere ab hoc privilegio voluerit, ſed id privilegium ſpecialiter & primario Eccleſiis Zwentiboldi dederit. 2. *Styria ad Dravum* poſt mortem Carolomanni per aliquot tempus Zwentiboldo paruit, ut an. 883. videbimus, proin eo privilegio id temporis uti, & dein illud non amplius dimittere potuit, præſertim cum lingua Sclavica, Dravi accolis jam antea ita placuerit, ut Richpaldus Archi Presbyter ea de cauſa Salisburgum redierit. 3. Obſervat Pagius, Moraviæ Principatum, & Metropoliticam dignitatem fuiſſe complexam *Pannoniam uſque ad Dravum*, unde Styri, Dravi accolæ, videntes linguam ſuam adeo honorari per officia divina, ritum eum proniſſime fuerunt ſecuti, etiam antequam conceſſio Romana adveniret, ut num. 56. ex Auth. Anonymo oſtendi. 4. Ex ritu hodierno, quo in Styria inferiore ad & infra Dravum, excepta Miſſa, conciones, & alia divina lingua Sclavica perſolvuntur. V. pl. Æneam Sylvium & Cromerum. *Conceſſio ling. Sclav. in Sacris an etiam pro Styr. infer. data.*

LXV. Obiit tandem ægrotus & miſer jam diu Carolomannus Styriæ noſtræ Dominus an. 880. Oetingæ ſepultus, qua morte audita Ludovicus ejus frater Ratisbonam venit, ubi optimates regni, ejus ditioni ſe ſubjecerunt: ita docent Annal. Metenſes & Regino: *Arnulfo autem idem Rex conceſſit Carentanum, quod ei Pater jam pridem conceſſerat, in quo ſitum eſt caſtrum munitiſſimum, quod Moſeburch nuncupatur, eo quod palude impenetrabili locus vallatus difficillimum adeuntibus præbeat acceſſum.* Unde Carentania ſola Arnulfo data eſt, reliquæ vero Provinciæ, cum Bajoaria, proin etiam *Styria noſtra*, Ludovico Regi Homagium fecerunt, quæ novarum terrarum acceſſio Ludovico Regi, caro admodum ſtetit; vix vero novum Dominum obtinuit Styria noſtra, eum denuo ſummo cum dolore amiſit, nam dum an. 881. & 2. ſequentibus mortalitas ſeu lues graviſſima per Noricum, & Styriam noſtram teſte Illuſtr. Valvaſor. & Annal. Fuldenſ. graſſaretur, duoque ſubin & plura funera *Carolman. obit an. 880. Ludov. frater Styr. Dom. Arnulfus Dux Carint.* *Peſtis in Styr. an. 881.*

Ludov. Rex obit an. 882.

eidem ſepulchro immergerentur, an. 882. Ludovicus Rex & Dominus Styriæ ad ſummam deſperationis obiit.

Styria ſub Carolo Craſſo Imp.

Ludovico Rege ſine hærede defuncto, frater Carolus Craſſus Imper. longe in Italia aberat, unde ne copiæ & terræ Principe ſuo deſtitutæ in gravis diſpendii periculum abirent, Germani miſſis in Italiam Legatis, Carolum Craſſum ad Capeſſenda Franciæ orientalis ac Bajoariæ, proin & Auſtriæ ac Styriæ regna evocarunt; Carolus Italiæ curis detentus, ſerius ac res poſcebat, in Germaniam venit; ubi vero in conventu Wormatiæ habito, *receptis primoribus ſuis & regno fratris ſui*, regimen harum terrarum adiit, illico exercitum contra Normannos *ex Francicis Noricis, Alemannis, Thuringis, Saxonibus*, ut habent Annal. Fuld. atque *ex Longobarticis, Bajoariis, Friſiis*, ut Annal. Metenſes collegit.

Styri contra Normannos pugnant.

Hos *inter Noricos & Bajoarios* pro Carolo Craſſo pugnaſſe Styros noſtros cenſeo, quem exercitum teſte Megiſero & Illuſtr. Valvaſor. Arnulpho Carinthiæ Duci a Carolo Craſſo concreditum, illud probabile reddit, quod Arnulpho eodem contra Zwentiboldum uſus dein fuerit Carolus Craſſus.

Arbo Marcb. Auſtr.

Turbas Auſtriæ Carolus Craſſus componere debuit, e quibus moleſtum illud cum Zwentiboldo bellum erupit; Wilhelmo & Engilſcalco Auſtriæ Marchionibus ad an. 871. cæſis, Ludovicus Rex Arbonem quemdam Comitem, *illuſtri apud Noricos domo* natum, Auſtriæ præfecit, res ea filios & propinquos defunctorum Marchionum graviter uſſit, adeo, ut Arboni mortem minaretur, ni honore obtento cederet, hic veritus eorum inſidias, cum Zwentiboldo fœdus iniit Iſingrino filio obſidis loco dato, quod audientes Marchionum filii & Bajoariæ Principes, Arbonem expulerunt, quem tamen Carolus Craſſus reſtituit; non expectata Caroli ſententia, Zwentiboldus Arbonis expulſionem ulturus, Auſtriam ſubit, eamque ultra Danubium vaſtat, ac omne genus crudelitatis in eadem exercet.

Turb. inde ortæ.

Zwentibold in Auſtriam irrumpit.

Zwentibold Pannoniam.

LXVI. Calamitas hæc Auſtriæ, etiam Pannoniam ac Styriam noſtram involvit; nam Wilhelmi & Engelſcalci defunctorum Marchionum filii, *Megingaudus & Pabo*, aliis *Megingor*, & *Papo*, ſuis rebus diffiſi, ſub Arnolfi præſidium confugere, *ſtatueruntque homines fieri Arnolfi Carolomanni Regis filii, qui tunc Pannoniam tenuit*, ut ajunt Annal. Fuldenſes ad an. 884. injuriam ſuam interpretatus eſt Zwentiboldus, quod hi *in fidem & clientelam Arnulfi Ducis Carinthiæ, ac tum Pannoniæ Præfecti ſe tradidiſſent*, quos cum Arnulfus reddere nollet, Zwentiboldus *Pannoniam invaſit*, eamque igne ferroque maximam partem, unius anni ſpatio vaſtavit.

Auſtriæ & Styriæ partem vaſtat an. 884.

Non conſtat quidem, qua parte procella hæc deſævierit, *Auſtriam* tamen *inferiorem*, quæ Pannoniæ tum nomine, a monte Cetio, ad Rabam fluvium pertinebat, proin etiam partem *Styriæ noſtræ*, immani ſtrage, cum parte *Auſtriæ ulterioris* Pannoniæ e regione oppoſitæ, afflictam fuiſſe opinor; ſane teſtantur Annales Fuldenſes, quod *tota Pannonia a Hrapa*, ſeu Raba, vel Arabone, *ad orientem ſit deleta*, proin Styria quoque noſtra multum his turbis fuerit perpeſſa.

Aſt

Aſt cur Arnulphus *Pannoniæ Præfectus* ab Annal. Fuldenſ. vocatur? cenſeo eundem aCarolo Craſſo Imp. ſemper abſente Pannoniæ, proin Auſtriæ, Styriæ, aliorumque locorum Carolo Craſſo ſubjectorum Præfectum juſſum, Noricique ei Præturam adjectam, cum Norici hoc tempore non raro ſub Bajoariorum nomine, & viciſſim comprehendantur. Ex quo ruit illa quorundam ſententia docentium, Arnulfum Patri Carolomanno, in omnibus regnis, proin Bajoaria, Auſtria, Styria, ſucceſſiſſe, ſic enim non *Pannoniæ Præfectus*, ſed Dominus foret dicendus. *Arnulphus Styr. Præfectus.*

LXVII. Baronius a Walperto Aquilejenſi, noſtro infra Dravum Metropolita, decretam ſcribit legationem ad Photium Conſtantinopolitanum, atque ut ait *a Schiſmatico ad Schiſmaticum, & perfidum a perfido.* Photium Schiſmaticum, non ritus ſolum latinos averſatum, ſed etiam proceſſionem S. Spiritus impugnaſſe novimus. An vero Walpertus etiam ei ſchiſmati faverit? negat de Rubeis, nec concedit a Walperto legationem Photio fuiſſe miſſam, eo quidem capite, quod Walperto, nec a Petro, & Victore Gradenſibus Epiſcopis & æmulis, nec a Clero Aquilejenſi fuerit objectum. *Walpert. Aquil. an cum Photio Schiſmaticus.*

Alterius Styriæ cis Dravum Metropolitæ, Theotmari Salisburg. Archi-Epiſcopi jurisdictionem imminuere utcunque viſus eſt Methodius, cauſam tamen Salisburgenſium per Pannoniam tuebatur acriter *Arnulphus Pannoniæ*, ut dixi *Præfectus*, interim Pannoniam cum vaſtaret Zwentiboldus, in hujus partes abiit *Bratislaus* (*Braxlavo* ex Annal. Fuld.) Hezilonis filius Priwinæ nepos, Pannoniæ infer. & *Styriæ inter Savum & Dravum* ſitæ Princeps, ex quibus quam late ſe in Styriam extenderint arma Zwentiboldi abunde patet, omnia proin in Pannonia poterat Methodius, & periiſſet hoc tempore jurisdictio Salisburgenſis, ni Arnulphus eam ſuccollaſſet. *Salzb. Eccl. jus in Pan. tuetur Arnulfus.* *Bratislaus Dux infer. Styr. ſe ſubjicit Zwentiboldo an. 883.*

LXVIII. Carolus Imperator Italiæ unice intentus, parum de Germania cogitabat, immo ut Widonem æmulum in Italia everteret, *Bajoarios* etiam contra eundem evocavit. Auſtrios, *Styros* non evocatos reor, eo quod hi cum Arnulpho Pannoniæ Præfecto ſatis contra Zwentiboldum vigilare debuerint, etenim jam tertium annum ſua ſigna per Pannoniam vaſtabundus circumtulit Zwentiboldus, atque hoc anno 884. per 12. dies exſpoliando in Pannonia verſabatur, quin ei reſiſteretur. Megingor & Pabo, de quibus num 66. Zwentiboldo trans Danubium digreſſo reſiſtere volentes, victi & fugitivi *in flumine Hrapa*, ſeu Raba vitam finierunt, ut habet ſupplem. Annal. Fuldenſ. ex quibus, & dictis num. 66. de Pannonia a Raba ad orientem uſque deleta, facile infero, Styriam noſtram a Rabæ fluminis ortu ad S. Ruperti, in Hungariam uſque, ſicque totum fere diſtrictum ſeu circulum Voravienſem peſſime hoc bello fuiſſe habitum. *Zwentibold Pan. vaſtat an. 884.* *Uti & Styria ad Rabam in circ. mod. Vorau*

His auditis evigilavit ad damna Pannoniæ Carolus Imperator, atque an. 884. autumno ineunte in Pannoniam venit, ibi prope *Tulnam* non longe a Langenleber, Zwentiboldum obvium habuit, & omni injuriarum deleta memoria in fidem & clientelam recepit, teſte Anonymo Freher. qui ſequentia pro Styriæ noſtræ notitia ſubjungit: *Poſtea veniente Brazlauorum* (lege Brazlavone ſeu Bratislao) *Duce, qui in* *Carolus Craſſ. in Pan. ven. Zwentiboldo reconciliatur.* *Bratisl. Dux infer. Pan. & Styr. ſe Carolo ſubjic*

id

id tempus regnum inter Dravo & Savo flumina tenuit, ſuique militiæ ſubditus adjungitur. Rex per Carentam ſeu Carentaniam in Italiæ perrexit, proſpere Papia natalem Chriſti celebravit, atque ex his habemus Bratislaum, qui anno priore circiter armis Zwentiboldi territus, huic ſe ſubjecerat, hoc anno denuo Dominum ſuum legitimum Carolum Craſſum agnoviſſe. Dum per decurſum ſæpius Priwinam, Hezilonem, & hunc Bratislaum *Styriæ inferioris Ducem* dixi, id eo me ſenſu locutum nolo intelligi, ac ſi ſolam Styriam inferiorem, vel omnem hanc ſub ſe habuiſſent Principes iſti, ſed quod magnam Styriæ inferioris partem, Dravo & Savo clauſam poſſederint.

Zwentiboldo non te data Pannonia an. 884.

LXIX. Pace cum Zwentiboldo facta, huic *Pannoniam*, dein *Moraviam magnam* dictam, fuiſſe datam docuit Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 165. idque ex eo probat, quod Arnulfus, Legatos ſuos ad Bulgaros terreſtri itinere mittere non potuerit ob inſidias Zwentiboldi, ſed per regnum Bratislai inter Dravum & Savum ſitum, nempe per Odagram ad Culpam, inde per Savum; aſt hanc viri docti conjecturam revellere videntur ſupplem. Annal. Fuldenſ. Freher. & Hermanni Contracti, ita enim ad an. 885. ajunt: *Pax in oriente inter Arnulfum & Zventiboldum, præſentibus Bajovvariorum Principibus jurejurando* firmata, pacem vero hanc, ubi dein Zwentiboldus fregit, Arnulfus arma ſua non in Pannoniam, ſed in Moraviam vertit, ut ex iisdem Annal. Fuld. ad an. 892. ita loquentibus patet: *Aſſumptis ſecum Francis, Bajoariis, Alemannis Rex*, nempe Arnulphus *menſe Julio Maravam venit, ibi - - omnem illam Regionem devaſtandam verſabatur.* Quod ſi Zwentiboldo Pannonia data fuiſſet, eam certe Arnulpho, utpote ſibi ex Carentania propiorem tentaſſet, nec Arnulphus cum Bratislao in Pannonia conventum contra Zwentiboldum habere potuiſſet; inſidiæ porro Zwentiboldi ad fraudes gnaviſſimi, cauſa fuerant, cur Legatos ad Bulgaros, terreſtri itinere mittere non potuerit. V. num. 73.

Auſtriæ & Styriæ damna ab aquis an. 886.

LXX. Flumina varia, hæcque inter Danubius, multum increſcentia non modicum damni anno 886. attulerunt; *nam in oriente* (ita hoc tempore vocitabatur Auſtria) *erumpentibus per littus fluctibus, villæ inopinate circumdatæ ſubito feruntur, ita cum habitantibus viris, fœminis, ac infantibus uſque in abyſſum delatæ cernuntur; inter alpes vero* (Styriæ, Carinthiæ, Tyrolis) *talis rapacitas aquarum, & colliſio lapidum fuit, ut flexuræ & veſtigia viarum per devexa montis latera, nullo modo proſpici potuerint.* Ita ſupplem Annal. Freher. & Fuldenſium. Hæc recenſere ſubin juvat, ne de temporum noſtrorum calamitatibus nimium conqueramur; Abbo in fine ſui Poematis, malorum cauſam, in laſciviam & luxum veſtium confert. Ungarorum præterea primi motus ad Danubium obſervabantur.

Ungarorum motus ad Danub.

Theodmarus Salisburg. Archiep. interim ad Carolum Graſſum, a quo Proceres Germaniæ jamjam abhorrebant, Legatus miſſus eſt, ut hos male affectorum Procerum ſenſus ei indicaret; Theodmaro huic per omnia addictus erat Arnulfus, contulit enim ei Eccleſiam Ratenhaslacenſem, hodie Abbatiam Ord. Ciſterc. & Chiemenſem, ac *Abbatiam Moſaburch, ubi S. Hadrianus requieſcit*, in Styria ſitam, ut v. num. 41. & 42. pluresque alias Eccleſias regionis illius, quam quondam Luiprammus

Moſburch Abb. S. Hadr. in Styr. donatur Theodmaro Salzburg.

prammus circuierat. Eccleſiam item *ad Turnavva, item ad Pettovva Eccleſiam cum tota civitate*, de quibus Diploma extitiſſe docet Megiſerus, ejus defectum vero ſupplet præceptum Regis Philippi II. Rom. Regis, qui ea loca Salisburgenſi ſedi confirmat, *vallem Lavantinam* etiam facta cum Adaloldo quodam Clerico permutatione, ditioni Juvavenſium adjecit Arnulfus. *Item Eccleſ. ad Petav. cum civ. tota & vallis Lavantina.*

LXXI. *Abbatiam Mosburch, ubi S. Hadrianus requieſcit*, in Styria noſtra ſitam, jam ſupra dixi, cum eo in loco exſtiterit, quo Priwina, Hezilo, Bratislaus dominabantur, cumque eum lacum Luiprammus circumiiſſe referatur, omnino convincor, eam in regione inter Dravum & Savum reponendam eſſe; nec obſtat, quod an. 836. legatur, ædificatum fuiſſe munimen, ſeu arx Mosburch, nam an. 840. eadem Eccleſia jam Parochialis fuit, ut num. 41. obſervavi, quo tempore Abbatia evaſerit? ignoro, verum eſt in Carinthia etiam exiſtere Abbatiam Mosburch, ſed ea S. Caſtulo, non S. Hadriano dicata erat, uti ſuo tempore dicetur. *Eccleſiam illam ad Turnavva*, an ad hodiernam arcem Turnav inferioris Styriæ ſitum habuerit? non equidem pro certo affirmaverim. *Petovienſem vero Eccleſiam, & urbem totam*, ſub Theodmaro, ceſſiſſe Salisburgenſibus *cum valle Lavantina*, eadem documenta habent, quomodo vero an. 950. circiter Otto II. Imp. Friderico Archi-Epiſcopo omnes prædeceſſorum donationes Eccleſiæ Salisburg. factas confirmans, ſolum *de Eccleſia Petavienſi & 2. ejusdem civitatis partibus*, non vero *de urbe tota* loquatur? haud pronum eſt dicere, fors pars alia civitatis alio contractu interim abalienata eſt a Salisburg. v. Diſſert. 1. §. 22. *Eccleſia* vero illa *ad Petovve Comitis Goezvvizi* diſtincta a Petovienſi videtur (v. num. 60.) cum ad ſeu prope Petav ſita fuerit, Comes vero ille Goezwizus urbis Petovienſis Dominus non fuerit, cum hoc an. 886. Arnulphus urbem eam Salisburgenſibus donaverit. *Mosburch Abb. in Styria infer. fuiſſe probatur.* *Turnav. Eccl. quæ.* *Petov. Eccl. & civitas quomodo donata.*

LXXII. Arnulfus an. 887. Rex Germaniæ contra Carolum Craſſum ſtatutus, ut a Zwentiboldi turbis liberior, res ſuas contra Carolum Craſſum tueretur, non ſolum filio ſuo Notho, Zwentiboldum patrinum voluit, ejusque nomine appellavit, ſed etiam eidem Bohemiam contulit, qua conceſſione Zwentiboldo cauſa ſuperbiæ, Bohemis anſa defectionis data eſt. Inde an. 892. in orientem, ſeu Auſtriam inferiorem venit Arnulfus, ubi de rebellione Zwentiboldi audiens flexo itinere in Pannoniam abiit, atque *Hengſtfeldæ* cum Brazlavone ſeu Bratislao, partis *Styriæ infer. Principe* de bello in Zwentiboldum apparando colloquium habuit, cui conventui Caſſalem Ungar. Regis nuncium adfuiſſe, atque contra Zwentiboldum opes & arma ferociſſimæ gentis promiſiſſe ſcribit P. Timon imagine antiq. Hungar. part. 1. lib. 2. cap. 17. fol. 174. confirmant hæc omnia Annales Fuldenſ. in ſupplem. his verbis: *Aſſumptis ſecum Francis, Bajoariis, Alemannis Rex menſe Julio Moravam venit, ibi per quatuor hebdomades cum tanta multitudine, Ungaris etiam ibidem ad ſe cum expeditione venientibus, omnem illam regionem devaſtandam verſabatur.* Inconſulto magis, quam pravitate animi, in evocandis Ungaris peccaſſe Principem noſtrum contra Luitprandum Ticinenſem cenſeo, inſignis enim ejusdem pietas id ſuadet, nam Arnolphus Vochburgicus de miraculis S. Emerammi lib. 1. cap. *Arnulfus Rex Germ. an. 887.* *Bratislaus cum Arnulf. in Zwentibold. pugnat.* *Arnulphus Rex Germ. per S. Emeram. ſalvatur.*

5. narrat, Principem noſtrum primo cum Moravis congreſſu, inter hoſtiles cuneos ope S. Emerammi ſervatum fuiſſe, unde dein *per cuncta Noricæ Monaſteria*, præſertim ad S. Emerammum, donaria oblata narrat.

Styri in Zwentibold. pugnant an. 892.

LXXIII. *Styros quoque noſtros* tum ſub Bratislao in Styria infer. locatos, tum alios, cum cæteris *Pannoniæ ac Norici* populis, expeditioni huic Moravicæ adfuiſſe, omnino credibile eſt; an vero *Leopoldus Comes de Langfeld*, Styris Præfectus ab Arnulfo fuerit? ut ſcribit Author MS. Chron. Styr. tom. 1. cap. 55. in alio Authorum non inveni. Zwentiboldus, ubi hac devaſtatione debilitatus aliquantum, non vero fractus erat, Arnulfus contra eum, ſibi de aliis etiam ſuppetiis providere debuit, itaque ad Bulgaros miſit Legatos, Moravis commercium ſalis impedituros, Legati ob inſidias Zwentiboldi, terreſtri itinere per Pannoniam eo venire non poterant, hinc teſte ſupplem. Annal. Fuldenſ. *de regno Brazlavonis per fluvium Odagra, uſque ad Gulpam, dein per fluentes Save, fluminis navigio in Bulgaria perducti, ibi a Rege honorifice ſuſcepti eadem via, qua venerant, cum muneribus, menſe Majo* anni ſeq. *ſunt reverſi.* Difficultatem movet ratio itineris hujus, ut jam ex parte num. 69. obſervavi, Bratislaum regnum ſuum in Dravum & Savum habuiſſe conſtat, *Gulpa* vero, ſeu *Colapis* fluvius, Carnioliam a Liburnia diſterminat, & *ad Siſſeckum in Savum* ſe præcipitat, nemo vero *Odagram*, vel alium fluvium, navium patientem eliciet, per quem Legatis his navale iter in Gulpam eſſe potuiſſet. Eckartus rer. Wirzburg. lib. 31. pag. 403. *Gurcam infer. Carnioliæ* fluvium *Gulpæ* ſubſtituit, aſt Gurca navigiis impar Savo ſe infundit, ex quo cur ad Culpam potius, *quam* Savum Culpa propiorem iter terra facerent hi Legati? ratio non occurrit; P. Calles ſuſpicatur, populos Sclavicos omnes, *inter Saniam & Lobniam* fluvios, in *Celejenſi*, Varasdinenſi, Zagrabienſi agro habitantes, propter ritus & linguæ Illyricæ communionem, a Zwentiboldo ſtetiſſe; ſed nec hoc credibile apparet, cum Bratislaus an. 884. Zwentiboldi partes jam reliquerit, atque hoc anno cum Arnulfo bellica in Zwentiboldum conſilia contulerit, ut num. priore dictum. Obſcura ergo manet ratio itineris hujus, nec eidem enodandæ diutius immorari volo.

Langfeld de Com. Leopold. an Styr. Præf.

Arnulfus Legatos ad Wulgaros mittit.

Iter eorum obſcurum.

Styriæ Dominij fit Arnulf. 887.

Eodem vero 887. anno, quo Arnulfus Germaniæ Rex a Proceribus eſt ſalutatus, Styros quoque noſtros, relicto Carolo Craſſo, eidem adhæſiſſe cum aliis, acta jam ennarrata ſuadent.

Zwentibold Dux Moraviobit. 894

Hungaror. in Pannonia damna

LXXIV. Pannonia ab uno hoſte, Zwentiboldo Moraviæ Duce an. 894. defuncto libera, alterum in Ungaris periclitari debuit, ita enim habet ſupplementum Annal. Fuldenſ. *Avari, qui dicuntur Ungari, in his temporibus ultra Danubium peragrantes, multa miſerabilia perpetravere. Nam homines & vetulas matronas penitus occidendo, juvenculas tantum, ut jumenta, pro libidine exercenda, ſecum trahentes, totam Pannoniam uſque ad internecionem deleverunt.* Unde arguo, Ungaros hoc tempore Pannoniam nondum poſſediſſe, neque enim alias ſuam adeo dure exhauſiſſent provinciam.

Auſtriac. Marchiones ſeries.

Auſtriacorum ſeu orientalium Marchionum confuſa eſt hoc tempore, utcunque ſeries; inter variantes ſententias cenſeo, Arboni an. 882. depulſo, & an. 884. reſtituto, circa an. 893. Engelſcalcum II. adjunctum

junctum fuiſſe, qui cum Notham Arnulphi raperet, & per judicia ſua, non pro ratione, ſed impetu & libitu exercita, Bajoarios offenderet, an. 895. depoſitus luminibusque eſt orbatus, ſicque Arboni, Luitpoldus Regis nepos, Engelſcalco ſubrogatus, additus fuit. Quo eodem anno, ut habet MS. Cæſareæ Bibl. Vindobon. Codex: *Fames valida per univerſam Bajoariam Provinciam excrevit, ita ut per plurima loca* (forte deeſt: mortales multi) *inedia conſummerentur.* Malum hoc in Styriam quoque, hoc jam tempore plerumque Bajoariæ accenſam, penetraſſe opinor, quamvis Annales domeſtici nil referant præter Mellicenſes dicentes an. *DCCXCVII. magna fames, homines ſe invicem comedere perſuaſit.*

Arbo & Luitpoldus March. 895.

Fames per Styr.

LXXV. Arnulfus Rex Ratisbona *Moſaburgum* digreſſus, ad preces Waldonis Epiſc. Friſingenſis, huic Eccleſiæ *Monaſterium* Mosburch *in hon. B. Caſtuli Martyris conſtructum* in perpetuum donavit 14. Kal. Aug. indict. 13. proinde hoc an. ut v. Meichelbeck hiſtor. Friſing. tom. 1. pag. 145. Hund. tom. 1. pag. 68. & tom. 2. pag. 348. ex his infero Monaſteria fuiſſe duo Mosburch dicta, unum in Carinthia, alterum in Styria, præter caſtra duo ejusdem nominis, nam primum caſtrum Styriæ Mosburch a Priwina anno circiter 840. vel antea ædificatum, ut num. 41. oſtendi, caſtrum vero Mosburch Carinthiæ a Carolomanno, cujus villa regia erat, vel certe ab Arnulfo, in formam arcis eſt ſtructum. 2. Eccleſia Parochialis Mosburgenſis Styriæ eod. circiter an. effecta eſt, de Monaſterio adjecto non conſtat, an vero Eccleſia Mosburg. & Abbatia in Carinthia, Parochialis fuerit, & quo anno ſurrexerit? etiam ignotum. 3. Abbatia Mosburch in Styria an. 886. Theodmaro Salisburgenſi donata eſt, Abbatia Mosburch in Carinthia an. 895. Waldoni & Eccleſiæ Friſigenſi. 4. Abbatia Mosburch in Styria S. Hadriano Martyri, altera in Carinthia S. Caſtulo M. ſacra fuit. 5. Credibile eſt Luitswindam Arnulfi matrem, in Monaſterio Styriæ Mosburch, Bratislai Dominio ſubjecto, dies egiſſe, ac obiiſſe, ſed in illa Carinthiæ Abbatia, cui adjecta villa regia & caſtrum ejusdem nominis, ut adeo hanc Carinthiæ Abbatiam poſt mortem matris ſuæ, Eccleſiæ Friſing. donaverit Arnulfus. Hæc pro illis, qui Abbatiam Mosburch in Styria ignorare volunt.

Mosburch 1. *Monaſt. Styriæ & Carinth. 895.*

Et caſtra duo.

LXXVI. Arnulfus an. 896. Imperator Romæ factus, auditis crebrioribus Hunnorum turbis, cum præſens adeſſe, & loca ſua tueri non poſſet, *Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Brazlavani Duci ſuo in id tempus commendavit*, ut docet ſupplem. Annal. Fuldenſ. *urbs* hæc *Paludarum* quæ fuerit? omnino obſcurum eſt. *Mosburgum Carinthiæ* non fuiſſe arbitror, cum ea a Dravo longius remota, palatii, arcis, ac regiæ potius nomen quam urbis habuerit. *De Mosburgo Styriæ* etiam dubito, cum licet ea in palude ædificata, inde nomen ſortita videatur, aliunde Bratislao ſubjecta, fruſtra ab Arnulfo eidem commendata fuiſſet. P. Calles tom. 3. Annal. Eccleſ. Germaniæ lib. 10. §. 124. ſat probabiliter conjicit fuiſſe Caniſcham, eo quod inter paludes ſita, nomen hoc facile tum obtinuerit, Muræ, Dravaque vicina, ac Bratislai principatui proxima in Pannonia ſita fuerit, ſicque cum hac Bratislao contra Hungarorum, Bulgarorumque motus commendata.

Aratislaus Pannoniæ Præfectus an. 896.

Paludarum urbs an Mosburgum.

Turbæ Styr. inf. In Styria noſtra inferiore, vel ejus confiniis non longe *a Drave, & Save*, Erembertum e Bajoariæ primoribus, ſeditioſa cum hoſtibus miſcuiſſe conſilia, ex eo conjicio, quod an. 898. Erembertus hic a Bratislao Styr. inferior. partis Principe, & Pannoniæ Præfecto captus. Luitboldo Auſtriæ Marchioni ſubmiſſus, atque ab hoc, Arnulfo ſub vinculis fuerit traditus; quid ei pœnæ inflictum fuerit? vel quæ ejus cum hoſtibus Arnulfi conſilia? non memorant authores:

Et Auſtriæ. turbas undique exſtitiſſe docent res Auſtriæ, nam Arbo Marchio ejus, cum Iſanrico filio Moravis favens, gradu motus eſt, mox tamen iterum reſtitutus, & Iſanricus ejus filius obſequia Arnulfo detrectans, expugnata urbe *Mutara*, ſeu Mautern, ad compedes damnatus, fuga inde ad Moymarum Moraviæ Ducem delapſus, ibidem exul delituit, dum Arnulfus viveret.

Arnulf. Imp. an. 899. obit ſucc. Ludov. filius fit Styr. Domin. LXXVII. An. 899. Arnulfus Imp. & Styriæ noſtræ Princeps obiit, cui in regno Germaniæ Ludovicus ſeptennis filius a. 900. ſucceſſit, Italia inter Berengarium & Ludov. Boſonidem diſtracta. Styria noſtra Ludovicum Arnulfi filium, Dominum ſuum illico agnovit, ſub quo Bratislao *Styr.* inf. Priucipi, Pannoniæ Præfecturam, fors morituri Patris voluntate relictam ſuiſſe ominor, quo eodem tempore *Norici nomen* paulatim in nomen *Boicæ* migravit, ſuperatis æni ripis, ita ut eandem paſſim ſcriptores ſubſequi *Noricorum Provinciam* appellarent, limitesque ejus ab æno ducerent.

Norici nom. pro Bajoar. & viciſſim uſurpatum.

Pannoniæ & Norici fines mutati. Nec Pannonia priſtinos inter terminos conſtitit, ſed ultra Cetii montis juga & Danubii littora, cum orientalium Marchionum faſcibus cœpit propagari; ita nempe regnorum, provinciarumque fines, non natura, ſed gladius, belli, calamus vero, pacis jure deſignat. Unde quæ de Bajoaria, Pannonia ſæpius dicta ſunt, & dicentur, de Styria quoque noſtra, peculiari nondum Provincia intelligenda veniunt, ut v. ex litt. Theodmari Salisb. ad Joan. 9. P. in quibus *Noricæ* nomen diſertis verbis pro *Bavaria*, ſeu Bajoaria uſurpatur.

Styr. ab Hung. damna an. 900. LXXVIII. Peſſimi terrarum graſſatores Hungari an. 900. Italiam petentes, ac per Styriæ etiam noſtræ loca pertranſeuntes Immanius in reditu per Pannoniam ſunt debachati, nam *Bajoariæ regnum ultra Anaſum*, inquit ſupplem. Annal. Fuld. ita invadunt, *ut per 50. milliaria in longum, & in transverſum, igne & gladio cuncta cædendo, & devaſtando, jam una die proſtraverint.* Principium hoſtilitatis, a tranſitu Anaſi factum, Auſtria enim inferior, jam Pannoniæ ſuperioris nomine comprehenſa, in reditu Hungarorum ex Italia, vel ſaltem in acceſſu vaſtata & obtrita fuit. Luitprandus Ticin: ait eos *Bajoariorum etiam fines* (quales erant Auſtria inferior & pars Styriæ) *occupaſſe*, Hermann. contractus *circa Anaſum fluvium plurimas prædas abduxiſſe, & Pannonias depopulatas* memorat, & Epiſcopi Bajoariæ in litter. ad Joan. 9. ingeminant, extremam certe *Auſtriæ partem infra montem Cetium devaſtatam* fuiſſe.

Hungari a Luitpoldo Auſtr. March. Inde Bajoarii ad arma converſi ſunt, horumque pars ſub Luitpoldo Auſtriæ Marchione, & Richario Epiſcopo Patav. in Aquilonari Danubii parte, 1200. Hungarorum vel occidit, vel flumine merſit, vix uno Chriſtianorum occiſo, ut habet ſupplem. Annal. Fuldenſium. Inde tamen damnum his terris illatum, longe graviſſimum erat, uti enim ajunt Epiſc. Bajoar. in litter. ad Joan. 9. ita vaſtata eſt Patria,

ut

ut in tota Pannonia noſtra, maxima provincia, tantum una non appareat Eccleſia, quæ nempe non eſſet deſolata.

LXXIX. Ulteriorem miſeræ Auſtriæ & Styriæ ſortem commemorat Vir Clar. Leibnitius tom. 1. pag. 192. in ſupplem. annal. Fuldenſ. his verbis: *Tandem læti* (Bajoarii nuper victores) *ad ſocios, unde venerunt, regreſſi ſunt, & citiſſime in id ipſum tempus, pro tuitione illorum regni, validiſſimam urbem, in littore Anaſi fluminis muro* (alii legunt *nunc*) *oppoſuerunt.* Ex his patet, 1. Auſtriam ſub Anaſo, ſicque veteris Styriæ noſtræ partem ab Hungaris oppreſſam fuiſſe, cur enim alias in littore Anaſi ad regni Bajoariæ præſidium urbs muniretur. 2. Apparet urbis Anaſinæ initium, jam enim Diſſert. 1. §. 6. contra Cl. Puſchium ſentiebam, urbis hujus Aniſiæ, ſeu Aneſinæ nomine, non venire Styram, utpote nimis recentem. 3. Aniſiam ſtructam eſſe, non procul a ruderibus urbis Laureacenſis, *in ripa fluminis Aneſi, in proprio jam dicti Martyris* Floriani, *partimque in terra Præfecturæ terminalis*, ut ait Dipl. Ludov. Regis an. 901. quo eam urbem Monaſterio S. Floriani donat. 4. Urbs hæc denuo vaſtata, *fori* nomine venit, in donat. Ottoc. 6. an. 1190. & Leopoldi Auſtr. an. 1212. ævo tamen ſubſequo ex pecuniis a Richardo Angliæ Rege in Auſtria capto extortis, muro iterum cincta eſt, ut ſuo loco.

An iſta, ſeu Anebarch conditur.

Innumeram Auſtriæ, ejusque Monaſteriorum ſtragem deſcribunt Auth. Auſtriaci; quæ Styria damna ſubierit? nemo attingit, Styriam, præſertim inferiorem, cum Carinthia, Carniolia, Pannonia Sciſcienſi, per quas terras iter Hungaris in Italiam fuit, protritam & fœde habitam, facile perſuadeor, tametſi notitiam ulteriorem, temporis calamitas, & ætas vetuſtior ſubtraxerit. Styriæ inferioris partem illam *Dravum inter & Savum*, Hungaris dein paruiſſe, inferius dicam, unde ſuſpicor, Bratislaum cujus nulla amplius mentio occurrit, forte his turbis necatum fuiſſe.

Styriæ damna ab Hungaris.

LXXX. Walpertum Aquilejæ Patriarcham eodem hoc an. 900. defunctum colligo ex verbis Palatii Utinenſis hujus tenoris: *Fridericus Patriarchali amplitudine, Unnica rabie ſæviente, forti comparato exercitu, patriæ atque Italiæ liberator, victricem palmam eduxit*, quæ proin, ſi vera ſunt, Walpertus hoc tempore defunctus eſſe debuit, & Fridericus ſucceſſiſſe, de cujus progenie plura de Rubeis cap. 51. tractat.

Walpert9 Patt. Aquil. obit. ſucc. Fridericus.

Sæculi 10. anno primo ſeu 901. teſte Continuatore Annal. Fuldenſ. *Ungari auſtralem partem regni illorum* (Bajoariorum nempe) *Carentanum devaſtando invaſerunt.* Nomine *Carentani & auſtralis partis regni Bajoariorum* Styriam venire, non ſolum ſuperiorem, hoc tempore cæteroquin Carinthiæ partem, ſed etiam aliam ſitus loci, & effecta inde ſecuta indicant; nam teſte Megiſero lib 6. cap. 71. Bajoariam, Styriam, Carinthiam, ac Carnioliam, prædam Hungaris factam legimus, & locorum horum incolæ, in Styria, ac Carinthia, dum in ſylvas & montes ſe abdiderunt, damno ſuo effecerunt, ut rapinis, non exſatiati Hungari an. ſeq. ad prædas denuo redirent; annui nempe hoſtes anno altero a Moravis cæſi, in Carentaniam ſe iterum infuderunt; ipſa S. Paſchatis vigilia pugnatum eſt, cæſis magna parte Hungaris, & Cuſſole eorum Duce interfecto, ita docet præter alios Annal. Saxo: *Un-*

Sæc. X. Styria vaſtatur ab Hungaris an. 901.

An. 902. cæſi in Carentania.

gari Carentaniam invadunt, & commissi in Sabbato Paschæ prælio occiduntur, eadem habent Chron. Mellic. Salisburg. quamvis diversis annis. Megiserus cit. a Savo ad Anasum populationis Hungaricæ aream statuit, sed ea ad an. 900. spectare videntur. P. Timon imag. antiq. Hungar. lib. 3. cap. 3. fol. 194. Cussolem eorum Regem ad amnem modernæ Austriæ Fischam in prælio occubuisse refert. Ill. Valvasor lib. 10. Chron. Carnioliæ uti & Megiser. cit. cap. 73. ex Nicol. claudian. farragine scribunt, a Ludovico Rege *in campo* **Crapp**, *seu* **Crapfeld**, ultra 18000. Hungarorum deleta fuisse sub Eberhardo March. Carinthiæ sentit, quæ tamen omnia incerta, & veteribus sunt incognita.

Arbo vel Arpo, seu Aribo Com. Leob. Styr. 904.

LXXXI. Memorabilis stropha de Styriæ rebus se ad an. 904 pandit; in charta enim regia Gössensis in Styria Parthenonis, in Diplom. P. Frælich part. 1. fol. 3. mentio fit cujusdam *Arbonis*, *Arponis*, vel *Aribonis*, Comitis Leobiensis, & distincti ab Arbone Austriaco hisce verbis: *Noverint omnes fideles &c. quod nos rogatu & consulatu fidelium nostrorum Othonis, videlicet Episcopi, Luitpoldi, Aribonis, Eringi, Kumpoldi, & Puponis Comitum, Orthacari dilecti Comitis nostri filio, cui Arpo nomen, in valle, quæ dicitur Leubna, in dominio ejusdem Orthacari, huebas 20. cum omnibus rebus &c. in proprium donavimus in loco Leubna dicta, ubi rivus ejusdem nominis & Leubna in flumine* (forte flumen) *Muera dictum* (supple influit) *in area illa Göstem Muera circumdato & illic sive in villa Göstaris, vel illis locis in utraque parte illius fluminis &c.*

Leubna seu Leobium Styr. sup.

Göß locus Styr. dein Monast.

Göstem, Göstaris, Gössia, seu **Göß**, locus est, paulo supra Leobium Styriæ superioris urbem, Muræ fluvio adsitus. *Leobium*, olim *Liuben, Luiben, Leubna, Leuben*, hodie vulgo **Leiben**, caput olim *Comitatus Leobiensis* uti & *vallis Liubenæ*, ubi fundos Aribo hic, forte avus proavus Aribonis Fundatoris possidebat.

Arbo Leob. distinctus ab Arbone Austriaco March. Austr.

Dixi *Arbonem* hunc *Leobiensem*, bene distinquendum esse, ab *Arbone Austriaco*, id evincit hæc ipsa Ludovici III. charta, in qua *Arboni Leobiensi*, ad interceſſionem *Arbonis Austriaci*, ut judico, fundi prædicti donantur, cujus Arbonis Austriaci memoria ad annum usque 908. continuatur.

Orthacar. Com. Leob. ejusd. Pat.

Arbonem Leobiensem, Orthacari Comitis Leobiensis filium, non fuisse Ottocari I. Styriæ Marchionis seu Comitis Patrem ostendi Dissert. 4. cap. 1. §. 2. firmiora enim hac de re requiruntur argumenta, quamvis ætas concordaret utcunque. Minus adhuc probabile ibidem esse dixi, Arbonem hunc Ottocari I. Styr. Marchionis filium fuisse, cum hic circiter 957. Marcam Styriæ adierit, ac circa an. 991. obierit, sicque Arbo hic an. 904. florens ejus filius esse non potuerit, id, quod Dissert. 4. cit. argumento ad hominem dicto ostendi.

Arbo Leob. non fuit Ottocar. I. Styr. March. Pater, minus filius.

Convent. ad S. Florian. an. 907.

LXXXII. Saxonia nuper ab Hungaris barbare direpta, an. 907. denuo Bajoarios inter ac Hungaros dimicatum est. Rex Ludovicus cum Proceribus & Episcopis Conventum ad S. Florianum prope Anasum egit, in quo de castris in Hungaros promovendis, ex omnique Bojorum terra ejiciendis actum est, inde in tres partes exercitus est divisus, Luitpoldus Marchio cum suis Danubium transmittere jussus, navales copias *Sigehardus*, Isengrinus Comites duxerunt, quorum ille

Comes

Comes de Sempto fuit, de quo pluribus inferius, citerior ripa Dietmaro Salisburg. aliisque Epiſcopis ac Abbatibus tuenda eſt relicta. *Sempta de Com. Sighard.*

Omnibus ſic apparatis, caſtrisque jam in Auſtriam inferiorem promotis, Hungari 5. Id. Aug. incredibili equorum pernicitate, in antiſtites progreſſi, terrore, ſagittarum torrente, cædibusque omnia implent, Luitpoldum Marchionem, magna exercitus parte deleta, necant, antequam impetus in Epiſcopos facti certior eſſet. Undeviginti Bajoariæ Primates occiſi, Epiſcoporum vero plures etiam interierunt, quos inter Dietmarus Salisburg. Zacharias Sabionenſis, Atto vel Utto Friſingenſis, aliique duo ut docet Chron. Admont. inde vaſtata ſunt celeberrima Auſtriæ & Bavariæ Cœnobia, *SS. Floriani, & Hyppoliti, Matſee Oetinga* (unde cives & S. Miniſtri, cum corpore S. Maximiliani, aliisque reliquiis Paſſavium fugiſſe dicuntur) Schlierſee, Pölſingen, Weſſenbrunn, Tegernſee, *Cremifanum*, Manſee, aliaque longe plura. *Oetinganum Monaſterium* divinitus ab hoſte ſervatum Hundius teſtatur, quod ſi ita, reliquiæ S. Maximiliani Oetinga, Paſſavium translatæ non fuerint, ſicque vetus traditio Paſſavienſis obtinebit, qua corpus S. Maximiliani ab Henr. II. non Imperatore, ſed Bavariæ Duce circa an. 985. Paſſavium delatum dicitur. *Bajoar. ab Hungaris cæſi. Luitpold. Mar. necatur. Et Dietmarus Arcb. Salisb. Oeting. Monaſter. ſervatur cum corpore S. Maximil.*

LXXXIII. Aſt quæ in bello hoc Styriæ noſtræ fata fuerint? nil prope exaratum invenitur; de illa, hodie Auſtriæ ad Anaſum parte, ex dictis conſtat: Aventinus, Ill. Valvaſor, & Megiſerus, reliqua omnia ſilent, niſi quod hic lib. 6. cap. 74. doceat, a Bulgoto, & Durſaco, poſt Chuſſolem cæſum, Hungariæ Ducibus ſeu Regibus, *Provinvincias infra Arabonem uſque ad Savum ad Noricum Mediterraneum pertinentes* fuiſſe occupatas. Nec multum hac in narratione hæreō, cum Conventus ille S. Florianenſis, ad hoſtes terris his extrudendos habitus fuerit, & caſtra *ultra Anaſum* in hoſtem a Bajoariis ſint promota, præterea cum poſt infelicem pugnam Hungari fugitivos Bajoarios ad Aniſiam uſque fuerint perſecuti, terris noſtris non pepercisſe, ſatis credibile redditur. *Styria fata in hoc bello.*

Atque ab hoc infelici tempore Patria noſtra, ſub Hungaris oppreſſa jacuit, immo anno ſeq. 908. cum Bajoaria, Auſtria, Carinthia, Carniolia, vicinisque terris tributaria fuit, teſtante Sigeberto ad an. 905. *Hungari ſuperioris anni victoria elati, Regnum Ludovici* (non omne, ſed ejusdem hæreditarium, Bajoariam, cum Provinciis eidem annumeratis) *ſub tributo redigunt.* *Styria Hungaris tributaria an. 908.*

LXXXIV. Dietmaro Salisburg. Archiep. in illo Hungarorum prælio occiſo, ſucceſſit Pilgrinus I. & Luitpoldo Marchioni Auſtriæ, Arnolphus Marchio, ejusque filius, ut habet Annal. Saxo. un. de Styria illa ad Anaſum uſque protenſa, hodie Auſtriæ aſſerta, ſub hoc Marchione ſtetit, reliqua ſub Hungaris gemuit. Megiſerus Præfectum Carinthiæ ſtatuit *Sigebertum Comitem de Sempta*, Prætorem novalem in prælio Hungarico mox nominato, ſed & Carinthia plurima ſui parte ſub Hungaris fuit. Author MS. Chron. Styriæ, Eberhardum Imp. Arnulphi filium cum Rapatone Comite de Sempta Styriæ Præfectum arbitratur, qua de ſententia ad an. 916. pluribus loquendi occaſio erit. Quamvis vero Styria tributaria cum Bajoaria, Auſtria &c. Hungaris fue- *Pilgrinus I. Archiep. Salisburg. Sempta de Sigbard. an Carinth. Præt. Arnolpho Marc. Auſtr. & part. Styr. Eberhard. an Styr. Præf.*

fuerit, ejusdem tamen uti & Auſtriæ ac Bajoariæ etiam curam geſſiſſe hoc tempore credo Arnulphum, quem quidem Ducem appellant Reginonis Continuator, Annal. Saxo Marianus Scotus, Otto Friſing. aliique, non tamen alio modo, quam ut ſub ſchemate Ducis, armorum, vel limitum Præfectum intelligant, nam etiam Luitpoldus Marchio ab his Dux dictus eſt, qui tamen in regiis litteris, cæteris Comitibus permiſtus Comes ſolum appellatur, ut v. diverſ. litter. regias apud Hund. tom. 1. pag. 199. Schannat. tradit. Fuldenſ. pag. 223. &c.

Dux limit. quid hoc tempore.

Ludov. Rex cæſus ab Hung. an. 910.

LXXXV. Poſtquam Bajoaria cum ſuis Provinciis Hungaris tributum ſolvere debuit, hi in reliquam germaniam excurrere cœperunt, ad Auguſtam an. 910. pugnatum eſt, & Rex Ludovicus denuo cæſus; reditus germanis aliquantum proſperior fuit, nam teſte Hepidanno S'Gallenſi, *Norici partem ex eis*, ſeu Hungaris redeuntibus, *occiderunt;* Noricos hos ex Auſtriacis, Styris, Bajoariis, Carinthis, collectos opinor, multitudine, & vix etiam animo Hungaris comparandos.

Styri in Hung. felices,

Ludov. III. Rex ob. ſucc. Conrad.

An. 911. defuncto Ludov. III. Germ. Rege, & ſepulta cum eo Carolingica ſtirpe, res Germaniæ & terrarum noſtrarum, ſub Conrado novo Rege electo, reſpirare cœperunt, nam dum Conradus rerum potiri cœpit, tributum Hungaris ſolutum non eſt, unde illi per Tyrolim Alemanniæ ſe immiſerunt, ſed malo ſuo, ob copias enim in Alemannia objectas fugitivi, breviſſimo itinere per Bajoariam redire volentes, tanta ad ænum clade affecti ſunt, ut de toto exercitu vix 30. ſalvi ad ſuos evaſerint, ut ad an. 913. narrant Chron. breve S. Galli Hepidannus, Regino &c. Hæc victoria, Arnolpho Bavar. & Auſtr. limitis cuſtodi arrogantiam peperit, cum id genus victoriæ ſibi tribuendum eſſe cenſeret. An. 915. Conrado Regi contrarius, eo progreſſus eſt audaciæ, ut Burchardo omnia in Alemannia permiſcente, Hungaros ad ambitionem ſuam promovendam ſuis partibus adjungere non vereretur, qui ſeq. anno Alemaniam, Thuringiam, Saxoniam, Fuldam uſque excurrerunt.

Hungari ad ænum total. cæſi an. 913.

Arnolphus Com. limit. Bavar. & Auſtr. a Conrado Rege deficit.

Altheim. Conv. in quo idem excommunic. an. 916. fugit ad Hungar.

LXXXVI. Hæ Arnolphi, uti & Erchangeri, ſociorumque turbæ, cum res etiam Eccleſiæ perſtringerent. Herigerus Mog. antiſtes a Joanne X. Concilium, Germanicæ nationis a Joanne X. celebrari obtinuit, Altheimii id factum eſt, Petrusque Ortenſis Epiſcopus Papæ nomine adfuit, in quo Arnulphus Bajoarici & Auſtriaci limitis cuſtos, cum Erchengero, aliisque Conrado Regi rebellibus Comitibus, ſacris eſt devotus. Inde Arnolphus, Bajoariam ſibi a regia jurisdictione liberam obtenturus, ad Hungaros fugit.

An Eberhardus an. 916. Styr. Præfectus.

Nonis Octobris Conventus Ratisbonæ habitus, in quo ejuratus Arnolphus, & Bajoaria cum urbe Ratisbona &c. Eberardo Conradi Regis fratri in tutelam data eſt, Arnolpho ad mortem Conradi uſque in Hungaria hærente.

Quis fuerit?

Eberhardus itaque Conradi Regis frater ad an. 916. Styriæ cum Auſtria Dux, quia Bajoariæ Præfectus eſt factus, ita omnino ſentio, non tamen credo, quod ait Author MS. Chron. Styr. Eberhardum eum, Arnulfi Imp. filium fuiſſe, eique *Rapatonem Com. de Sempta* adjunctum, tum præſertim, cum an. 918. Regi Hungarorum Bugotho, cum mille aliquot equitibus obviam factus, exercitu omni in fugam conjecto, neca-

necatus eſt, quarum mercium fidem ſibi ex Reginone lib. 2. Luitprando lib. 3. ac Megiſero depoſcit. Nam *primo*: nil horum de nece & pugna Eberhardi in Reginone vel Luitprando reperitur. 2. Eberhardus Arnulfi Imp. filius dubius eſt, Lazius quidem ad an. 893. ejus meminit, cæteroquin veterum nullus, confuſionem inde ortam arbitror, quod Eberhardus Arnulphi, ſeu Arnoldi Bavari filius, pro Eberhardo Arnulfi Imp. filio fuerit aſſumptus. Sic Hübnerus tab. Geneal. 25. Eberhardum inter Arnulfi Imp. filios, nullum locat, ſed tab. 132. inter filios Arnolphi Bav. Ducis. 3. Male pro Ratoldo Semptenſi, citatur Rapato, eaque, quæ de Bugotho Rege Hungar. referuntur, ſub Chuſſole Rege ad an. 902. contigiſſe arbitror.

LXXXVII. Ex hiſce Præfectos limitum noſtrorum hoc tempore ita ſtatuendos arbitror; ut Arnolpho Bav. exauthorato, Eberhardus Regis Conradi frater Bajoariam obtinuerit, atque hoc modo non ſolum Styriæ, ſed etiam Auſtriæ & Carinthiæ &c. quaſi Princeps, Regi tamen Conrado ſubordinatus præfuerit, quia tamen omnes hos limites curare, unius non erat, limitem Carentanum *Ratoldus*, *Sigehardi Com. de Sempta* filius, ac limitem orientalem cum Styriæ veteris ad Anaſum parte *Rudiger de Pechlarn* regendum ſuſcepit & tuendum; ita quoad ultimum doceor ex pervetuſto ſæc. 10. Poeta, in quo Hundius hæc ſe legiſſe teſtatur circa an. 928. & 943. *Hungari per hæc tempora, nempe perfidia Rudigeri Pechlarienſis, etiam Auſtriam ſuper Anaſum tenebant, & viciniam late populabantur, donec circa an. 943. a Bertolfo Bajoariæ Duce profligati, longius ſe abſtulerunt.* V. plura circa an. 943. porro Pechlarn ſeu *Pechlaria* locus eſt infra Anaſum prope Danubium, inter Mellicium, & Ipſium, veteri fors *Arelope* reſpondens.

March. ſeu Comit. limit. horum temp. Eberhard9 Sempto de Ratold. Pechlarn de Rudiger.

Conrado Rege Germaniæ an. 919. defuncto, & ab hoc, præt« rito etiam fratre Eberhardo, deſignato Henrico Saxone, Rege Germaniæ, Arnolphus Bavarus e latebris Hungariæ prodiit, multa cum gratulatione ſuorum, quibus Eberhardus inviſus erat, ſuſceptus. Ditmarus, & alii Annal. etiam Henrico reluctatum Arnolphum ſcribunt, ſed ea controverſia non diu tenuit, cum an. 920. Bajoariam ab Henrico Rege, cum poteſtate nominandi Epiſcopos in ea Provincia reciperet, ita, & nullo alio onere, quam ut Henricum Regem agnoſceret; hoc cum principatu, cenſeo Arnolphum jurisdictionem omnem ſupra Sueviam, Nortgaviam, Auſtriam, Styriam, Carinthiam &c. accepiſſe, regio tamen ut abſtineret titulo, ita ex Abbate Urſpergenſi, Sigeberto aliisque eruit Ill. Valvaſar. cum veteres, omnem Ducatum Bavariæ, ei datum doceant.

Conradus Rex Germ. obit. Hen. I. ſucc. an. 919.

Arnolphus fit Princeps & Dux Bavar. atque Styriæ.

LXXXVIII. Non obſtante hoc jure alto Arnolphi mali Bavar. Ducis, Marchiones reliqui ſuo in gradu perſtitere, cum Arnolphus majus, quid Præfecti, vel Comitis limitanei honore obtineret. Quid vero Eberhardus Arnolpho antea ſubſtitutus Princeps egit? ſervivit tempori, ſubmiſit ſe Henrico Regi, nihil reputans honoris omiſſionem, modo Patriæ ab Hungaris conſuleretur. Anno dein 926. in Lotharingiam, regis nomine ut præeſſet, miſſus eſt, ut habet Frodaardus in Chron. eo an.

Eberhardus Princ. antea Bavariæ in Lothringiam miſſus an. 926.

Pechlarn de Rudig. I. ſucc. Rudiger II. an 916 March. Auſtr.

Rudigero Pechlarienſi primo an. 916. *defuncto Rutgerus filius ſucceſſit,* inquit Aloldus Campil. unde Rudigeri Pechlarienſes duo erant, 1. & 2. ſenior & junior, Pater & filius, ambo Auſtriæ Marchiones, ſiqua defectionis nota erat, non Rudigero primo, quem *ſtrenuum terræ hujus* nempe Auſtriæ *Cuſtodem* vocat, ſed ſecundo adſcribenda eſſet. Binos hos Rudigeros, Pechlarienſes notat etiam Bern. Noricus in brevi Chron. Bavar. apud Hier. Pez tom. 2. col. 68. ad an. 921. his verbis licet ſatis obſcuris: *Interim in Auſtria Marchionatus ſurgit, de quo dicetur ſubſequenter, quia quidam Leopoldus poſt Rugerum de Preclara (* lege *Pechlaria) ibidem hoc eſt*

Et Styriæ.

filium per Arnoldum Marchio eſt effectus; quibus verbis Bern. Noricus Rudigerum II. indicat Marchionem, ejusque in Marchia ſucceſſorem Leopoldum Babenbergicum, illuſtrem dictum.

Rudiger II. de Pechlaria, non Auſtriæ ſolum, & Styriæ ad Anaſum uſque protractæ, ſed etiam alterius Styriæ ſub Hungarico tributo nuper conſtitutæ, nunc ab Hungaris vacuæ, cenſendus videtur.

Frid. Aquil. obit. ſucc. Leo a. 922 Pilgrin. I. Salzb. Vadilbert. 923.

Friderico Aquilej. Patriarchæ, quem inſtitutorem feſti Immacul. Conc. B. V. M. fuiſſe volunt, an. circiter 922. def. Leo ſucceſſit, & mox anno ſeq. Pilgrino I. Salisburgenſi ſuffectum lego Vadilbertum varie ab aliis nominatum.

Varia de famil. Styriæ.

LXXXIX. Ill. Valvaſarius lib. 14. Chron. Carnioliæ fol. 267. ſtropham recitat ad res Patriæ noſtræ pertinentem, ait enim Henricum I. Regem ſigna in Brandeburgios ac Dalmantios moviſſe, hosque deviciſſe auxilio Bertholdi March. Carinthiæ & Carnioliæ, Wintheri Marchionis Iſtriæ, Rathonis March. Auſtriæ, quos in aciem ſecutos tradit Dominos de Auerſperg, Schärffenberg, Saurau, Gallenberg, Dietrichſtein, Kûenburg, Stubenberg, aliosque. Huic narrationi Valvaſarii non omnia defero, etenim *primo* fallitur, putans hoc bellum contra Dalmatas, Carniolis vicinos, geſtum fuiſſe, nam Wittechindus, aliique Dalmantios cum urbe Brennaburg, & Grona hoc bello captis, in Miſnia locant. 2. Fundamentum Valvaſarii ſat convincens non eſt, quamvis enim in MS. Labacenſi Ill. Com. Wolfgangi de Auerſperg, olim Capitanei Carnioliæ, diſerte *Dalmatæ ſubjugati* dicantur, error tamen in verbo *Dalmatæ* intervenire potuit, nec obeſt, Comites præfatos hoc in bello pugnaſſe, poterant enim hi Henrico Regi etiam in Saxonia pugnanti adeſſe, ſane Valvaſar. ipſe lib. 11. in topographia Carnioliæ fatetur, familias dictas, ante ſæc. 11. non exitiſſe. 3. Wittechindus, Annaliſta Saxo, aliique bellum in Brandeburgicos ac Dalmatios geſtum uno quaſi filo narrant, aſt ex Brandeburgo in Dalmatiam iter eſſet immenſum, pluresque populi antea fuiſſent debellandi, urbs Grana, aliis Gena, non in Dalmatia, ſed Miſniæ parte invenitur. Tandem incertum eſt, an Bertholdus jam fuerit Marchio Carinthiæ, cum dubitetur, an anno 919. vel 939. obierit Ratoldus Semptenſis, nec Ratho Marchio Auſtriæ ullis in monum. veterum occurrit.

Saurau Comit. origo an. 928.

XC. Alias res Styriam concernentes refert Cl. Schenlebenius part. 3. Annal. pag. 491. his verbis: *Condita etiam tunc* (an. 928.) *forte fuerit prope confluentes Saurę & Savi arx* Gôrtſchach *(hodie Epiſcopatus Labac. fundationi incorporata) quam incoluerunt Comites ſeu Marchiones appellati Marcæ Carnioliæ, in vetuſtis litteris dicti Comites Creinæ Marchæ, a quibus*

arbi-

arbitror deſcendere hodiernos Comites de Saurau &c. nec huic relationi multum eſt innitendum, cum ab ethymologia nominis *Saurau* a fluvio *Saura* deſumptum videatur, præterea teſte Valvaſorio num. priore dixi, horum Comitum originem ante ſæculum 11. non eſſe inveniendam, & Hübnerus tab. geneal. 843. ſæculo 12. primos ſtatuit *Arnoldum, & Sicfridum de Saurao*, an. 1176. viventes, ac in Styria primum *Wilhelmum* an. 1327. Styriæ locumtenentem. Idem tradit Bucelnus parte 3. ſtemmatogr. collectanea Excell. Com. Wurmbrandii, Arnoldum & Sicfridum an. 1117. floruiſſe tradunt in Diplomataria Ducatus Styriæ ante ſæc. 13. nullus hujus familiæ occurrit, de quibus plura ſuo loco.

Ad eundem annum de familia Schärffenbergica, Ill. Baro Valvaſorius Chron. lib. 11. tom. 3. fol. 498. ex Schenlebenio ita loquitur: *Arnulphus (Comes de Schärffenberg) e Ducibus Franconiæ oriundus, incertum, qua Majorum ſerie, circa an. 928. vel citius evocatus, cum pluribus aliis nobilibus, ad tutandos limites Rom. Imperii conſedit in marcha Vinidorum, & Carniolia inferiore, ubi arcem Schärffenbergam condidit in altiſſimo monte, non procul a ripa Savi, cujus rudera etiamnum conſpiciuntur.* Ex hac familia, quondam Regem Bulgariæ fuiſſe, Genealogia Gallenberg. p. 7. & 8. apud cit. Valvaſorium tradit, e regia familia Boſnienſi Scherffenbergios eſſe deducendos teſtatur Bucelinus part. 4. ſtematogr. nobilit. Auſtr. fol. 202. primum tamen anonymum de Scherffenberg claruiſſe anno 1165. docet, Hübnerus vero tab. Geneal. 903. Arnulphum ex Agilolfingicis an. 928. in Marchia Vinidorum, Ducatus Carnioliæ vixiſſe aſſerit. In Styria noſtra, illuſtriſſima hæc familia ante an. 1182. non apparet, quo anno *Henricus de Scherphenberg* in Diplom. 22. Canoniæ Seccov. inter teſtes ſubſcriptus invenitur.

Schärffenberg. Com. origo.

Arcis origo.

XCI. Leo Patriarcha Aquil. *pro libertate Eccleſiaſtica ſe morti exponens, a quodam Rodaldo Longobardo occiſus eſt, cujus bona omnia Rodaldi Eccleſiæ Aquilejenſi confiſcata fuerunt per ſententiam Principum.* Muratorius Rodaldum hunc, Forojulii Ducem fuiſſe contendit. Succeſſit Urſus II. atque huic an. 931. Lupo ſeu Lupus II.

Leoni Patr. Aq. ſucc. Urſus II. & huic Lupo v. Lupus II. 931.

An. 932. Bertholdum Arnolphi Bav. Ducis fratrem, Comitem Tyrolis factum, teſtatur Charta Friſing. apud Meichelböck tom. 1. part. 1. pag. 163. anno vero ſeq. inſignis de Hungaris victoria ſub Henrico Rege contigit, cum enim Hungari vix finito induciarum tempore, ſolita ab Henrico Rege munera & tributa poſtulaſſent, nilque obtinuiſſent, per Moraviæ & Sileſiæ fines ſe in Miſniam contulerunt, Merſaburgum obſidentes, viſo Henrici Regis exercitu, fugæ ſe illico committunt, pugna dein gemina erat, una in extrema Thuringia, altera prope Merſaburgum, atque in Thuringia 36000. cæſi fuerunt, *præter eos, quos abſorbuit fluvius, & qui vivi capti ſunt*, teſte Frodoardo. Victoriæ prœmium erat, exemptus animis timor Pannicus, tributi onus excuſſum, libertas captivis reddita, Patriæ ſalus, & quondam ab Hungaris ſecuritas.

Bertholdo Com. Tyrol. fit.

Hungari in Saxonia caſi a. 933.

Styros noſtros ſua quidem auxilia contuliſſe, nihil dubito, at dubia ſunt admodum, quæ de his circumſtantiis referuntur, ſic Adlzreiter ait Bertholdum Ducem Carinthiæ, cum 12000. liberis e Carinthia, & vicina Styriæ parte collectis adfuiſſe. Megiſerus lib. 6. cap. 84.

Styrorum in hoc prælio aet.

ſolum cum 2000. Bertholdum præſentem fuiſſe docet, Auth. MS. Chron. Styriæ tom. 1. cap. 57. tradit. 10000. armatos ex Auſtria, Styria, Carinthia, ac Carniolia comparuiſſe, cum Adalberone Styriæ Præfecto, a Bertholdo Duce conſtituto, qui Adalbero, veſte Hungarica indutus, Hungaros ſubito eſt adortus ex inſidiis, eosque primum ad fugam compulerat; his tamen omnibus relatiunculis recentiorum, modica fides habenda videtur, quis enim credat, ex Auſtria, Styria, Carinthia &c. ſub Hungaris gemente, tantum exercitum collegiſſe Bertholdum, dein Bertholdus hoc an. nec Bajoariæ, nec Carinthiæ Dux fuit, Adalberonis illius Styriæ Præfecti etiam nemo veterum meminit Interim non negaverim, collecto huic exercitui, ex Auſtria, Styria, Carinthia adfuiſſe pugiles Chriſtiani nominis gloriam vindicaturos.

Adalbero an Styriæ Præfectus.

Firmian de Hilpold Dörring de Albek an. 934. Udelbert Salzb. obit. ſucc. Egilolfus 935.

XCII. An. 934. Arnolphus Dux Bavariæ cum Udelberto Archiep. Salisb. in Italiam abiit, turbarum componendarum cauſa, Udelbertus militem ſuum ſub Præfecto *Hilpoldo de Firmian*, ac *Albikio Equite de Törring* duxiſſe fertur, quod tamen alii ad bellum Hungar. præcedentis anni referunt; ejectus tamen eſt cum Arnolpho Udelbertus, *qui* an. ſeq. *de invaſione Italiæ rediens obiit*, ut habet Chron. Salisb. Pezianum. Succ. ei Egilolfus.

Henrico etiam Regi Germaniæ glorioſo ſucceſſit Otto M. an. 936. & an. ſeq. Arnolpho Bav. Duci, Bertholdus frater, præteritis Arnulfi filiis, cum enim hi Bavariæ Ducatum hæreditate ſibi debitam arbitrarentur: Bavariamque inter ſe dividerent inconſulto Ottone Rege, Otto in Bavariam veniens, Eberhardo Arnolphi filio, Bertholdum hujus fratrem ſubſtituit, quem proin quoque Styria Ducem agnovit, donec res aliter ab Ottone ſtatuerentur.

Bertholdus Dux Bav. & Styriæ &c. an. 937.

Gerardus Laur. Archiep.

Per ea quoque tempora Gerardus Patav. factus eſt Archiep. Laureacenſ. & Vicarius Apoſtolicus per Galliam, Germaniam, Bavariam, & Alemanniam.

Styriæ Duces qui præter Marchiones.

XCIII. Bertholdus Dux Bavariæ, ſimul Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ &c. Princeps, ut dixi, evaſit, pendebant enim omnes hæ Provinciæ a Germaniæ Rege, qui tamen propter gravia regni negotia, & rariorem his in terris præſentiam, eisdem præter Marchiones, ſeu Comites limitum, Ducem quemdam & Principem ſuperiorem conſtituit, a ſe uno dependentem, qui illimitato quodam modo, uti Diſſert. 1. §. 31. dixi, Marchionibus & Comitibus dominabatur; hoc tamen ſæculo medio limitari cœpit Bajorum Ducum authoritas, parumque dein in Comites limitum ſeu Marchiones poterant, uti ſequentibus oſtendam.

Hungari Auſtriam turbant. Rudger. II. de Pechlarn Com. orient.

Sub hoc itaque Bertholdo Styriæ noſtræ Principe, *Hunni*, teſte Auth. faſt. Campililienſ. *Oſterrichiam irruptionibus & rapinis ſemper vexabant*, contra quos tamen *Rutgerus Junior de Pechlarn Comes Orientalis diligenter vigilavit.* Vigilavit nempe, quantum munus ejus poſtulavit, & vires ferebant, obſiſtere tamen ſatis non potuit.

Egilolfo Salzburg. Archiep. an. 939. ſucceſſit Heroldus, cujus initia læta, exitus factione Principum deturpavit.

XCIV. Chronicon Salisburg. apud Auth. Germ. ſacræ tom. 1. pag. 196. ad an. 942. ita habet: *Hungari in Bajoaria in* Trungaw *a Duce Bertholdo occiſi ſunt.* Chron. Mellic. Pezianum: *an. 944. Ungari cum*

Hungari in Auſtria circa a. 944

Bajoariis pugnant, & *vincuntur*, eadem habent Hepidannus Herman. Contractus, & Aventinus cum Prevenhuebero victoriam hanc 3. Id. Aug. *apud Valentiam*, quam *Ovilabim*, ſeu *Welſium* ſuperioris Norici oppidum putat, relatam docet, ſed ex communiore Chronographorum ſententia, conjicio 1. pugnam in *pago Trunenſi*, ad fluvium *Truntam*, ubi olim *Ambidrani* (v. Diſſert. 1. §. 11.) habitabant, factam eſſe, de quo Comitatu ad Trunam plura dixi Diſſert. 4. §. 5. cap. 1. nempe Comitatum hunc, eundem eſſe, qui dein Styrenſis audiit, & Patriæ noſtræ pars quondam fuit. 2. Cum prælium hoc *a Bertholdo Duce* geſtum fuerit, & quidem in Bajoaria, cenſeo veroſimilius, omnem tunc Auſtriam & Styriam, Bajoariæ Duci, Regis nomine, ſubjectam fuiſſe, atque ſub nomine Bajoariæ veniſſe, neque enim Bertholdus Dux arma moviſſet pro terris ſibi non ſubjectis; hæc obtigiſſe cenſeo uſque ad an. 958. quo ob crebriores Hungarorum incurſiones marcæ ſeparatæ, & ſingulis ſuus Marchio ſeu Præfectus, ſumma cum poteſtate, ſervata ſola a Rege Germaniæ dependentia præeſſe cœpit.

Victi in pago Trungaw.

Styr. olim part.

Auſtria & Styria ſub Bavaris

XCV. Quid vero de Rudigero II. Marchione Auſtriæ ſentiendum? an prælio huic interfuit? an vero perfidia ſua, Hungaros in Auſtriæ ſuper Anaſum poſſeſſionem immiſit? uti ad num. 87. & 88. ex Hundio adnotavi. Rem omnem ex Aloldo Campili. eruo ita docente: *an. DCCCXLIII. Rutgerus prædictus obiit, & vacavit Marchia noſtra. Tunc Otto M. eam Luipoldo Babenbergico contulit.* Obiit ergo Rudigerus II. an. 943. rebellionis ſuæ ac amicitiæ cum Hungaris Aloldus non meminit. De ſucceſſore tamen hujus Rudigeri non conveniunt Authores, maluntque contra Aloldum Auſtriæ potius, Burcardum præfuiſſe ut an. 973. oſtendetur, quam Leopoldum illuſtrem Babenbergicum, cum Dipl. Ottonis II. *Burcardi Marchionis*, mentionem faciat, & Aventinus ex Dipl. Otton. III. referat, *Burcardum præfectum Pagi Bajorum, qui Oſterricha vocatur.*

Rudiger II. de Pechlarn a. 943 obit.

Succ. an Burcardus an Leopold. ill. Babenb.

Burcardum hunc Styriæ noſtræ præfuiſſe, ex conſequentia, doctrinæ hactenus datæ eruitur, niſi forte alicui magis placeret, *Hartungum Comitem Crauvvati*, ſuper. Styr. terris noſtris præfectum dicere, vocatur enim in Diplomate an. 954. Miniſter Ottonis Regis, an. 960. Comes, ſub eo conſtitutæ erant proprietates regiæ, ut adeo quodam modo Marchio dici poſſet. V. plura ad an. 954.

Hartungus Com. Crawati anno arcbio Styriæ.

XCVI. Hungarorum vires indies magis conciſæ, animi ſenſim ſunt labefactati, etenim Annal. Saxone teſte *Hungari a Carentanis* an. 944. *tanta cæde mactantur, ut nunquam a noſtratibus, antea taliter infirmarentur*, Chron. Salisb. ait: *An. DCCCXLIV. Ungari cum Bevvaris & Carantanis pugnantes vincuntur*: Pugna hæc a pugna prioris anni diſtincta videtur, cum prior in in Trungaw, & ſub Bertholdo Duce relata dicatur, hæc in Carentania ſine nomine certi Ducis, quamvis ſolus Aloldus Campilienſis Leopoldi Babenbergici meminerit, Hungaris invigilantis.

Hungari in Carentania cæſi an. 944.

P. Calles tom. 3. Annal. Eccl. German. lib. 4. §. 113. inter Styriæ & Auſtriæ ſuperioris confinia, hoc anno pugnatum fuiſſe ſcribit, quod ea regio, cui nunc Styriæ ſuperioris nonem, Carentania olim diceretur, uti Diſſert. 4. oſtenſum, & ex litteris Seitenſtatt. patet apud

Vel inter Styr. & Auſtr. ſuperi confinia.

P. Hier. Pez tom. 2. pag. 301. in quibus ita legitur: *Decimationes etiam Novalium, quæ vel in præsenti vel deinceps exculta fuerint, ex utroque fluminis Ybisæ, & ad occidentem usque in Karintischeide eidem Ecclesiæ contulimus.* Litteræ hæ, cum an. 1116. datæ sint, arguunt, Styriam modernam superiorem ad an. usque 1127. (V. Dissert. 4. §. 4. cap. 5.) partem Carinthiæ fuisse, eamque, dum Leopoldus Fortis Marchio Styriæ, hæreditatem Eppensteiniam adiret, Styriæ adjectam fuisse.

Hungari Pannon. relinquunt.

Atque ab hoc tempore, Hungari, quos more suo Turcas, Porphyrogenita vocat, Pannonia, seu Austriam, Styriæ partem & Carentaniam reliquerunt.

Lupo II. Aquil. Hengilfred. suc. Bertholdo Duci Bav. suc. Henr. Styr. Princ. an etiam Marchio.

XCVII. Lupo II. Aquilej. successit Hengelfredus, atque an. 945. mortuo Bertholdo Bav. Duci subrogatus est Henricus frater Ottonis M. qui, cum a scriptore vitæ Brunonis dicatur non solum *Bavariorum Dux*, sed etiam *Marchio inclytus*, a nonnullis etiam Austriæ, Styriæ, Carinthiæ Comes limitaneus fuisse putatur: fuisse Principem, Austriæ, Styriæ, Carinthiæ &c. eo ipso, quod Bavariæ Dux fuerit, constat ex dictis de Arnolpho, Eberhardo, Bertholdo Bavariæ Ducibus. An vero etiam Marchio Styriæ, Austriæ, & Carinthiæ fuerit? hæreo vehementer, quod si tamen nec Burcardus, nec Leopoldus Babenberg. nec denique Hartungus placeret, per me Henricum hunc Marchionem dicere potuerunt. Conradum Carinthiæ Præfectum censent Lazius, ac Megiserus cum Auth. Chron. MS. Styr. dubitat tamen Valvasarius, aliique.

Pannoniæ divis. inter Salisb. & Laureac. a. 947

Gerardo nuper Archi-Episcopo Laureac. facto, divisa est Pannonia an. 947. inter Gerardum, & Herolfum Salisburg. sub Papa Agapito II. Pannonia orientalis, cum Avarum & Moravorum Provincia Gerardo, occidentalis & meridionalis Herolfo Salisburg. adjudicata est, ea sub conditione, ut Gerardi sedes Laureacum foret, sicque vetus renovaretur, non nova institueretur metropolis.

Hungari a. 948 & 950 victi.

XCVIII. Hungari prædarum avidi, ut cladem & injurias ante quatuor annos illatas a Bajoariis & Carentanis ulciscerentur, conflato sub novo Rege Toxo, exercitu, *in vicinum Noricum* an. 948. sunt illapsi, at denuo bis ab Henrico Bajoariæ Duce devicti, atque Aquilejam antea ab iisdem captam, Henrico reddere sunt coacti, bina hæc cum Hungaris prælia, quidam eidem an. 948. alii vero huic & an. 950. affigunt, de quo non contendam.

Conradus n. fuit Dux vel March. Styriæ.

Conradi Ducis num. præc. mentio facta est, quem Lazius, Megiserus, & Author MS. Chron. Styriæ Præfectum, seu Marchionem fuisse volunt, qua in re bene notandum, Conradum ab Ottone M. an. 944. Lotaringiæ Ducem renunciatum, fuisse Werinharii filium teste contin. Reginonis, qui dein filiam Ottonis M. Luitgardem uxorem obtinuit. Conradus hic ab illo Carinthiæ & Styriæ Duce seu Marchione longe alius fuit, hunc enim Henrici Bavariæ Ducis filium volunt, qui anno 954. ob conjurationem cum Luidolfo Ottonis M. filio, & Bulzkone Hungarorum Rege cum 30. suorum millibus in Germaniam illapso, ducatu privatus est. Ita Lazius, Megiserus Author Chron. MS. Styriæ; testatur tamen Megiserus, Conradum hunc nunquam in Carinthia resedisse. Ad refellendum ulterius hunc errorem sciendum

imo:

1mo: Nullum fuiſſe Henrico Bav. Duci filium Conradum, ut tabulæ Hübneri, Bucelini, aliique oſtendunt. 2. Teſte Contin. Reginonis, Conradus Lotharingiæ Dux, Werneri Com. Rotenburgenſis in Franconia filius, Ottonis M. gener erat. 3. Documenta genuina veterum nullius hoc tempore Conradi, niſi Ducis Lotharingiæ meminerunt, ut adeo Conradus Dux, ſeu Marchio Styriæ, vel Carinthiæ inter fictos ſit reponendus.

XCIX. Conradus vero hic ipſe Lotharingiæ Dux, Luidolfo rebelli Ottonis filio ſociatus, an. 953. licet Gener Ottonis M. eſſet, ex authoratus eſt Brunone Colon. Archiep. Ottonis M. fratre ſibi ſubſtituto; qua ſui amotione exaſperatus Conradus, Hungaros contra Ottonem M. evocavit, adjuncto, ut volunt quidam, Heroldo Salisburg. Archiep. qui mox citato greſſu an. 954. vel *per Carinthiam*, ut vult Aloldus Campilil. vel *per agrum Salisburgenſem*, ut alii, iter ſuum in Bavariam ſuſceperunt: unde nata non levis ſuſpicio, Hungaros ab Heroldo fuiſſe evocatos, quæ etiam in Henrico cæteroquin impotentis iræ Principe tantum potuit, ut Heroldum excæcari juberet: plura de hoc fingit Megiſerus.

Conrad. Lothar. Dux depent. Hungaros evocat an. 954.

Hungari per Carinth. vel Salisb. in Bavariam,

In Bavaria Hungari territi Ottonis M. exercitu, in Franciam Wormatiam, mox in Lotharingiam a Duce Conrado admiſſi ſunt, ubi aliquamdiu, Conrado jam pœnitente, ſunt graſſati.

Inde in Franciam, Wormatiam, Lotharingiam.

Ne diſſidia ulterius ſerperent, effecerunt Præſules duo S. Udalricus Auguſtan. & Hartbertus Curienſis; Conventus Cinenſis indictus, in quo Luidolfus filius de conductis Hungaris ſe purgavit, Conradus vero Lothar. Dux cilicio indutus, reum ſe ſuo ſilentio profeſſus eſt: Author MS. Chron. Styr. tom. 1. cap. 58. Conrado Duci veniam ea conditione datam ait, ut Provincias Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Henrico Ottonis patrueli cederet, quod & ſcripto fecit: fragmentum hoc ex Megiſero deſumptum eſt, de quo veterum nemo ſomniavit.

Conrad. Duc. Pœnit. An. Styr. cedere debuerit.

C. Ad res Styriæ elucidandas magis conferet Diploma Ottonis M. hoc an. Ratisbonæ datum, quo *Clerico cuidam Dieprechto II. huebas proprietatis noſtræ*, ait in Bulla *in loco Zurce, & in pago Crauvvati, & in Miniſterio Hartungi conceſſimus, quæ ſunt regales &c. — per interventum fratris noſtri Hainrici Ducis &c.* Diploma hoc integrum refert Frælichius in Diplomat. S. Ducatus Styriæ parte 1. fol. 5. indictio tamen, ut an. 954. cohæreat, 12. & annus Ottonis M. 18. vel 19. eſt ponendus.

Res Styriæ.

Crauwalth pagus ſupra Leob.

Quis Clericus hic Dieprechtus fuerit? ignoratur, *Hartungus* vero *Comes* Miniſterialis Ottonis M. cui regalium bonorum & prædiorum ad pagum Crauwalth & locum Zurce adminiſtratio commiſſa eſt, an Styriæ Marchio fuerit? jam num. 95. dubitabam, tum quod pro Burcardo ibidem allegato, major videatur probabilitas, cum præcipue, quod terræ hæ ad Leobium, & ſupra, nondum Styriæ, ſed Carinthiæ fuerint inſertæ. Id ex hoc Diplomate ſecure infero, Henricum Bavariæ Ducem, Principem ſimul Styriæ, Carinthiæ fuiſſe, cum ad ejus interventum, donatio ea in veteri Carinthia facta fuerit?

Hartungus Com. Craobati a. 954.

CI. Res Hungarorum ad an. 955. proſequor, qui teſte Erenpekio Chron. Bajoar. lib. 4. cap. 3. *per Noricam regionem - - dire incendiis, rapinis, quaſi per 8. annos, variisque cladibus Noricos, Rhætos, ac Suevos afflixerunt,*

Hungar. in Bav. irr. an. 955.

Eberhard. de Sempta an Styr. proviſor.

ſtixerunt, qua occaſione *Eberhardus Comes* de Sempta *Eberſpergenſe caſtrum muniit.* Non aſſequor omnino, unde vel quomodo Auth. MS. Chron. Styr. citatus, ſcribere potuerit, Eberhardum hunc proviſorio modo, Conradi Ducis loco, Styriæ præfuiſſe, qui enim domi ſuæ ſat tutus non fuit, quomodo alienæ Provinciæ invigilare potuit? quemadmodum itaque Ducatus Conradi in Styria & Carinthia, ita quoque proviſio ejusdem in Eberhardo Semptenſi corruit.

Bavariæ damna ab Hungar. Aug. obſeſſa liberata.

Hungari, quibus iter per obtritam Auſtriam fuit, Eberſpergenſe ad caſtrum eliſi, ſacras ædes ubique proſternunt, atque Bavaria exhauſta, Auguſtam obſidere cœperunt, at ubi Ottonis exercitus advenit, huic relicta Auguſta, Hungari ſe obvios effudere; teſte Witichindo in feſto S. Laurentii pugnatum, quo eodem teſte, *primam, ſecundam, tertiamque legionem direxerunt Bajoarii, quibus præfuerunt Præfecti Ducis Henrici, nam ipſe bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laboraſſet, & mortuus eſt. Quartam legionem* movebant *Franci Conrado Duce* Lotharing. pœnitente, & ſuccidaneam, ſe pro exercitu hoſtiam offerente, *quintam Rex ipſe ducebat, coramque eo Angelus, penes quem victoria, denſo agmine circumſeptus. Sextam & ſeptimam legionem* fecere Suevi ſub Burchardo, *octavam Bohemi:* prælii initium anceps Bohemis & Suevis fugientibus, ſed reſtaurata pugna tam felix fuit, Hungarorum ut *nullus, aut rarus evaderet, ſicque primo die caſtra Hungarorum invaſa, captiviſque omnes erepti, ſecundo die ac tertio a vicinis urbibus reliqua multitudo conſumpta* fuerit, teſte Witichindo cit.

Hungari total. cæſi.

Styrorum hoc in prælio fortitudo.

CII. Styros noſtros, ſeu ſub agmine Ottonis M. ſeu ſub Bajoriis, acriter in hoc prælio pugnaſſe docet Ill. Baro Valvaſ. tom. 4. lib. 14. fol. 211. ait enim Styros, Carinthos, Carniolos, ſub Duce Eberhardo Septenſi, eodem die, quo Bohemi cum Suevis fugerant, magnam Hungarorum Catervam ad Thierhaupten profligaſſe, ad quam forte victoriam alluſerit imago olim in domo provinciali Græcii adumbrata num. 1. cum hoc lemmate: *Hunni 500. fere annis, Germaniam ſæpe ſæpius pervaſtarunt, tandem Otto M. cum ſuo agmine, in cujus fronte Styri pugnabant, hos omnes prope Auguſtam Vindelicorum aut trucidavit, aut Lyco immerſit an. 955. ita Abbas Urſpergenſis, Avent. Megiſerus in Chronicis.*

Otto II. natus Henr. I. Dux Bav. obit Henr. II. fil. ſucc.

CIII. Quantum geminatæ victoriæ lætitiam auxit, natus hoc an. Ottoni filius, Otto II. dictus & dein Imperator, tantum eandem depreſſit mors fratris Henrici, Bavariæ Ducis, qui Kal. Nov. hujus anni obiit: Otto fratris ſui fidem, & merita contra Hungaros ſæpius in Bajoaria oppreſſos remuneraturus, Henrico filio ejus *Ducatum*, Bavariæ nempe, & *Marcami* (P. Calles Veronenſem putat) contulit, ita Contin. Reginonis. Atque hoc circiter tempore (neque enim in annum certum juro) factum fuiſſe ſuſpicor, ut ob creberrimos Hungarorum aſſultus, melioremque Provinciæ diviſionem, Marcæ hactenus Ducibus Bajoariæ adjunctæ ſepararentur, & ſingulæ per ſuos Comites regerentur. Quamvis enim Otto M. Henrico fratris ſui filio *Ducatum* Bajoariæ *cum Marca* (ſeu Verronenſem, ſeu Auſtriacam velis) contulerit, Henricus tamen ipſe II. hujus nominis Dux Bavariæ, teſte Auth. Germ. ſacræ tom. 1. fol. 188. cuſtodiam limitis orientalis, ſeu Auſtriaci tradidit cuidam Burcardo, Ottoni II. apprime charo.

Auſtr. & Styr. Marcæ a Bajoaria ſeparatæ.

Burcardus Auſt. March.

Idem

Idem Styriæ noſtræ datum reor, eo præcipue, quod inclyta fortitudine ſua in prælio Auguſtano contra Hungaros, pugnantes dignos ſe exhibuerint, qui ſuo ſub Comite ſeu Marchione ad majorem deinceps incitarentur belli gloriam. Ottocarus itaque I. hujus nominis circa annum 959. Styris Marchio ſeu Comes limitis præeſſe cœpit, an ab Ottone M. an ab Henrico II. Bav. Duce, Marcæ præfectus? inquirere ſupervacaneum cenſeo. Rationes, quæ me, ut ita ſentirem, impulerunt, ſunt ſequentes. 1. MS. Vorav. genealogicum Ottocarorum (v. Diſſert. 4. in præfat. & alias) quod Annal. Styr. fol. 387. Haſelbachius in MS. Chron. Auſtr. docent Ottocarum I. tempore Ottonis II. Imp. an. 979. & 973. vixiſſe. 3. MS. quoddam Diploma Chronici Lunælac. ad an. 951. inter teſtes permutationum variarum decimarum, teſtes adfert: *Otocbar Comes*, *Engelpert Comes* &c. quem Ottocarum eundem cum noſtro cenſeo, eo quod ad curiam ſolemnem Ratisbonæ a Bavario Ducibus celebratam evocatus videatur. Quamvis vero quoad Tutonem Ratiſponenſem Epiſc. Arnolphum Bav. Ducem, & Chriſtianum Epiſc. Patav. uti & quoad annum, nemo tamen quoad Ottocarum noſtrum objicere vitii quidquam poterit. 4. Sicut Marchionatus Auſtriæ erectus ac ſtabilitus, ita quoque Styriæ ſæc. 10. confirmatus videtur, & quidem ea inter alios de cauſa, ut vaſtiſſimum Bajoariæ Ducatum, Reges Germaniæ ita diſſociarent, nunquam, ut deinceps, tota amplitudine ſua coaleſceret. V. pr. Diſſert. 4. cap. 1. *Ottocar. I. Styr. March.*

Cum vero res Styriæ, ſub Marchione ſuo primo Ottocaro, magis indies, ſe expandant, eosdem Chronologico ordine deinceps per omne opus referam, ut ſic Styriæ noſtræ hiſtoria, more aliarum gentium prodeat. Cæterum domeſticorum in documentorum defectu, vicinarum ſubin Provinciarum res ſcrutari aliquantum, nemo vitio vertet.

Annales Duc. Styr. Lib. IV.

ANNALES DUCATUS STYRIÆ.

LIBER IV.

Styr. ſub Ottoc. ab anno 958. ad 1192.

Styria ſub Ottocaris Marchion. ab anno 958. ad 1192.

CONTINUATIO SÆCULI X. AN. 958.

An. 958. *Indict.* 1. *Joan. XII. P.* 2. *Otton. M.* 23. *Ottoc.* 1. *March. Styr.* 1.

Ingelheim. Syn. Frider. Archiep. Salzburg.

Otto M. Paſcha hujus anni Ingelheimii celebravit, in quo magno conventu 16. etiam Epiſcoporum coacto, Fridericus Heroldo Salisburg. Archiep. oculis orbato, Bajoariorum poſtulatu, & electione ſuffectus eſt, & ut MS. Chron. Garſtenſe Biblioth. Cæſareæ Vindobon. ſtatuit, a Brunone Archiep. Colon. conſecratus fuit. Continuator Reginonis & Annal. Saxo addunt *conſenſu Heroldi* id geſtum fuiſſe, an tamen ſerius & ſpontaneus conſenſus Heroldi fuerit, valde dubito, cum dein adhuc ſacra obire tentaverit, & litteræ Joan. 13. apud Labbeum tom. 11. col. 909. teſtentur, *Fridericum Heroldi in gratiis, electione & poſtulatione, omnium pene nobilium Bavarorum, ſcilicet Clericorum, & Laicorum ad capeſſendam Salzburgenſis Metropolis Sedem eſſe evocatum.* Cur hæc Friderici conſecratio poſt excæcatum Heroldum tamdiu fuerit dilata, credibile videtur, Fridericum jam pridem ſubſtitutum, factione Heroldi, & urbis ac bellis Ottonem fuiſſe impeditum, ut rem ſynodali authoritate perficeret.

E famil. Comit. de Chiemgav. Guntherius Hadeburget Fund. Oeting. Eccleſ. etiam de Grabenſtadt Ottoc. Sighard. Wilhelm. C. Chiemgav. Mieſenbach Ecc. S. Joan.

Fridericus hic ex nobiliſſima *Comitum de Chiemgav* familia exſtitit, cujus nominis jam tempore S. Virgilii, fuit *Guntherius Comes de Chiemgea*, qui cum uxore Hadeburge erexit Eccleſiam Oetingenſem, adjecto etiam Monaſterio, quod longe fundavit, & S. Virgilio procurandum dedit ex libello donat. Salisburg. In mortilogio MS. citato a Staimhauſero Fridericus vocatur *Comes de Grabenſtadt in pago Chimgove.* Id ipſum deducit Hundius ex Diplomate Ottonis M. quo *Eccleſiæ Salisburgenſi villam Grabenſtadt ſitam in Chiemgavv in Comitatu ſeu ditione trium Comitatuum, Odoacri Sighardi & Wilhelmi cum pertinentiis, item Eccleſiam S. Joannis & omnem decimam in Mieſenbach cum aliis &c.* confert. Litteræ tamen hæ nec hoc anno, nec Romæ datæ videntur, vel ſi Romæ datæ ſunt, legendum erit anno 968. quia Otto M. ante an. 962. Romam non venit.

Frider. Salz. an Frater Ottoc. I. Sighard. Ottoc. Ratolph. Com. de Sondergove.

Ex his forſitan inferri poſſet, Fridericum hunc Ottocari noſtri I. cognatum, vel plane fratrem fuiſſe, cum *Ottocarus, Sighardus*, & *Wilhelmus*, probabilius fratres & *Comites Chiemgovienſes* fuiſſe videantur: occurrit enim apud eundem Hundium in Metropoli Salisburgenſi aliud Ottonis M. Diploma in confirmatione Monaſterii S. Emerammi Roræ datum, quod ſequentia habet: *In loco Riut juxta Ænum fluvium, in pago Sondergove in Comitatu Ratholphi Cadalochi, Othochari ac Sighardi Comitum.*

Bina itaque hæc Diplomata exhiberent nobis quinque Comites in Chiemgew fratres nempe *Ratholphum, Chadalochum, Othocarium, Sighardum*,

hardum, & *Vilhelmum*, immo, ut Hundius ait, exstare Diploma aliud, in quo Fridericus hic frater Comitis *Sighardi* dicatur, sex fuissent fratres, sicque Ottocarus noster etiam Friderici hujus Salisburgensis frater. Quæstio hæc jam Dissert. 4. §. 2. agitata est, quamvis enim Puschius ab *hoc Ottocaro*, nondum dynastia Styrensi prædito, seriem Marchionum Styriæ deducat, ei tamen nec contradicendum, nec etiam subscribendum mox judico, donec fortiora occurrant documenta, nihil enim præter tempus, & natales Marchionis nostri in Bavaria Ottocaro huic conveniret.

Quod si proin quis ostenderit, Ottocarum nostrum, unum eundemque fuisse cum Ottocaro illo in duobus Ottonis M. Diplomatis memorato, non repugnabo, Fridericum Salisburgensem Ottocari nostri dicere fratrem. Id vero, qui exhibere voluerit, docebit *primo* præter Ottocarum nostrum, alium in toto regno Bajoariæ non exstitisse hujus nominis Comitem. *Secundo* evincere debebit, Ratholphum, Chadalochum, Ottocharium, ac Sighardum in 2. Diplom. nominatos, fratres fuisse Wilhelmi, ac eosdem cum Ottocaro, & Sighardo in 1. Diplom. adductis. *Tertio* admittere oportebit, *Comites de Riut & Sondergovve* eosdem fuisse cum Comit. *Chiemgovienſibus*.

Omissa vero hac perardua quæstione, ac nobilitate generis in Friderico Archiep. Salisb. virtus omni progenie major, eum teste Joan. 13. *Venerabilem fecit, & cunctis laudabilem.* Altahense prius Monasterium, beneficii causa gubernavit.

ANNO 959. *An. 959.*

Indict. 2. Joan. XII. P. 3. Otton. M. 24. Ottoc. I. March. Styr. 2.

Confirmavit Friderici electionem ac consecrationem Joannes 13. P. & pallium submisit, fuere tamen, qui Heroldi causam adhuc defenderent, Heroldusque ipse munia Pontificalia obire, & insigne Metropolitæ gestare perexit; attamen Friderici causam præprimis tuebatur Otto Rex eum in possessione sedis confirmans, quin ipse, ut opinatur Auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 156. &c. hoc, vel certe seq. anno Salisburgum venit, Paschaque ibi celebravit. Differri sane nequit Paschatis celebratio Salisburgi habita ad annos subsequos, nam an. 961. circa tempus Paschale Wormatiæ conventum habuit, anno 962. Ticini seu Papiæ uti & anno 963. an. 964. in Ducatu Camerino an. 965. Ingelheimii uti & seq. an. 967. Ravennæ, an. 968. in Apulia, an. 969. in Calabria an. 970. & seq. Ravennæ, an. 972. Romæ, & seq. in Quedlinburch, ut studiose ex probatis Authoribus notavi: ex quibus proin patet, Ottonem M. hoc vel an. 960. Pascha Salisburgi celebrasse, non sequentibus annis, contra Hundium tom. 1. fol. 5. Canisium tom. 3. part. 2. fol. 552. aliosque, qui Ottonem M. anno 963. Pascha Salisburgi celebrasse volunt.

Heroldus se Archiep. gerit.

Otto M. Salisb. venit.

ANNO 960. *An. 960.*

Indict. 3. Joan. XII. P. 4. Otto. M. 25. Ottoc. I. March. 3.

Ottocari Marchionis, seu Comitis nostri mentio quæpiam occurrit. Prevenhueberus Annal. Styr. fol. 12. & 386. Alberonem Comitem

Albero Com. Styriæ an Pater Ottoc. I. March.

tem Styriæ hoc anno in aula Ottonis II. viventem, Patrem Ottocari noſtri ſtatuit, ſed errat oppido vehementer, Otto enim II. puer ſex annorum primum fuerat, Ottoque M. imperium regebat, corrigit errorem ſuum quidem fol. 387. dicens eum in aula Ottonis M. vixiſſe, at quo teſte? ignotum. Sane Ottocarus VI. cujus Diploma an. 1191. pro Traunkirchenſi Eccleſia adducit Prevenhueberus, meminit quidem *unius proavorum ſuorum*, nuſpiam tamen eum *Alberonem* vocat, ut v. Ludewig. tom. 4. Diplomat. fol. 179. immo in Diplom. Ottocari VI. apud P. Frælich Archontol. Carinth. part. 2. fol. 197. cit. clare dicitur: *Ottocari Comitis unius proavorum meorum*, qui proin vix alius, quam hic noſter Ottocarus fuerit.

An Aribo vel Arpo Com. Leob.

Quod ſi Aribonem vel Arponem Comitem Leobienſem, cujus ad an. 904. mentis facta eſt, Ottocari noſtri Patrem quis contendat, rem nullius nixam authoritate poſtulabit, hunc Aribonem vero Ottocari noſtri filium non fuiſſe ſatis, ut reor, Diſſert. 4. §. 2. & an. 904. oſtendi, ſufficiat interim Ottocari I. exiſtentiam hoc tempore circiter ex *MS.* noſtro Genealog. Diſſert. 4. in Præfat. & an. 955. cit. oſtendiſſe: his enim in tenebris adhuc Patriæ noſtræ plura poſtulare nefas foret.

Ottocar. I. an Marcb. v. Com.

An vero Ottocarus hic I. Marchio vel Comes dicendus ſit, parum referre dixi Diſſert. 4. cap. 1. §. 4. non enim tanto cum rigore vox Marchionis & Comitis hoc tempore eſt uſurpata, & quos vulgus Marchiones, Imperatores ac Reges dixere Comites. Interim ſecundum tenorem MS. Genealeg. Vorav. eundem Marchionem appello.

Auſtriæ Marcha an olim ſola Auſtria ſup. dicta.

Cariſſimus Vir Chryſoſt. Hantaller faſt. Campililienſ. tom. 1. *f.* 44. ad 47. ſingularem de Auſtriæ Marchionibus ſententiam propugnat docens Marcham Auſtriæ in duas fuiſſe diviſam, unam, quæ ſupra, alteram, quæ infra Anaſum erat extenſa, putatque Marchiones Orientales ſeu Auſtriacos illos ſolum dictos, qui terram ſupra Anaſum tenebant, cum Auſtria inferior inter juges barbarorum incurſiones nullius Provincia fuerit, ſed communis ſolum latrina hoſtium & gentium effeferarum. Nec multum eidem reſiſtendum cenſeo, ſcimus enim, quæ Auſtria inferior moderna, ab Hungaris ad hoc uſque tempus fuerit perpeſſa, aſt ubi pro majore in Hungaros vigilantia, limites magis ordinati ſub Ottone M. hoc circ. tempore fuerunt, Auſtria infra Anaſum ſita, ſpecialem Comitem ſeu Marchionem obtinuit Ottocarum I. nec ea amplius Auſtriaco, ſeu orientali limiti, ſed Styrenſi marcæ eſt accenſa, quæ hoc tempore admodum anguſta, præter Styrenſe territorium de moderna Styria, modicum quid continebat, atque ut ſuſpicor, terras ad Petovionem uſque extenſas, Styria enim moderna ſuperior Carinthiæ adhuc pars erat, & Petovienſis, ac Cilejenſis ager Marcha ejusdem Carinthiæ, ut Diſſert. 4. abunde dictum.

Auſtria infra Anaſum ad Styr. Marcham pertinebat.

Ea admodum anguſta.

Bajoariæ olim 4 præfecti, ſive Marchiones.

Atque hoc ſenſu verum eſt, jam Arnulphi Ducis tempore, ſeu ſæculi hujus initio, 4. fuiſſe finium Bajoariæ Præfectos, *Auſtræ* unus, alter *Iſtriæ*, tertius *Chambenſis*, ſeu *de* Wohburg, cui quartum *Styriæ* accenſeo, cujus nomen, licet ad ſæculi hujus initium vel antea non innotuerit, re tamen & munere jam antea fuit, ut erudite obſervat Author hiſtor. Ducum Styriæ Diſſert. prœmial. fol. 9. Idem inſinuat MS. Chron. Styr. dum parte 1. cap. 59. docet. Henricum Ottonis M. patrue-

patruelem, quia Henrici Ottonis fratris filium, Styriæ noſtræ ſeu potius Bajoariæ Ducem factum fuiſſe (ut an. 955. oſtendi) qui tamen Henricus cum Ottoni II. rebellis factus eſſet, in exilium treviros miſſus, ejusque loco Styriæ Ozo (ſeu Ottocarus) præfectus eſt, qui maram hanc ad Ottonem III. uſque tenuit, quæ quamvis anno primum 979. contigerint, Ozonem tamen ſeu Marchionem noſtrum Ottocarum ſatis inſinuant.

Ottonis M. hoc denuo anno de Sclavis victoris fama excitati e ſomno Itali, ut interregno ſuo, ſimulque Tyrannidi Berengarii & Adalberti Coronidem imponerent, Ottonem ſibi Imp. exoptant, hinc Joannes 12. Papa per legatos Ottonem in Italiam evocat, rogantibus id ipſum Walperto Archiep. Mediolan. Waldone Epiſc. Commenſi & Otberto Marchione ex illuſtri Eſtenſium genere oriundo. *Otto M. petitur ab Italis Imper.*

Promiſit vero opem & adventum ſuum Otto, ſed quod & apparatus tantæ expeditionis gravior, & annona eſſet rarior, in ſeq. id annum transtulit, hujus vero anni ſub exitum in Bavariam abiit, & Ratisbonæ natale Domini celebravit, ubi cum legatis Apoſtolicis variisque Epiſcopis ad medium fere ſeq. anni Februarium permanſit.

In Styria demum noſtra, *Hartungi Comitis in* Krauwath (cujus jam an. 954. mentio facta eſt) recurrit memoria. Frælichius in Diplom. Ducatus Styriæ part. 1. fol. 7. adfert Diploma Ottonis datum an. 960. indict. 4. quæ vero ſolum an. 961. competit: in eo *per interventum Henrici Ducis, matrisque ſuæ inclitæ, nec non fidelis noſtri Abrahæ Friſingenſis Epiſcopi*, Dieprechto clerico prædia quædam *in pago Krauvati, & in Miniſterio Hartungi Comitis &c.* ſita in proprietatem conceduntur. De his jam plura an. 954. recenſita, difficultates tamen quædam in hoc Diplomate deliteſcunt, unam adverit Frælichius addens aut indictionem 3. ponendam, aut 961. ſubſtituendam, alteram vero aliis enodandam reliquit. Henricus Dux hic memoratus, non Henricus ille I. Bavariæ Dux, & Ottonis M. frater jam an. 955. defunctus intelligendus eſt, ſed Henricus II. prioris filius, tum quod anno 955. jam ſucceſſerit, tum quod alias Otto M. non dixiſſet *matris ſuæ*, ſed potius *matris meæ*. Diploma itaque hoc Henricum II. ſpectat, etiam Bavariæ Ducem. Id melius ex Diplom. anni 954. eruo, quod quia Henricum I. ſpectabat, clare in eo ait Otto *per interventum fratris noſtri Hainrici Ducis &c.* hoc vero in Diplom. quia titulus fratris omittitur, Henricus II. Ottonis M. ſolum fratruelis intelligitur. Abraham præterea Friſingæ Epiſcopus poſt an. 955. primum factus eſt. *Hartungi Com. Krauwati.*

Ex his vero Argumentum etiam illud liquido conficitur, Henricum II. Bavar. Ducem, etiam Carinthiæ fuiſſe Ducem, cum enim hoc tempore adhuc Styria moderna ſuperior (ubi locus Krauwath) Carinthiæ pars fuerit, ad tempora uſque Leopoldi fortis Marchionis noſtri, res Krauvatum, & Styriam modernam ſuperiorem attinentes, merito omnino per interventum Henrici Ducis Bavariæ ſimul & Carinthiæ ordinavit Otto M. *Henr. II. Dux Bav. & Carinth.*

An. 961.

ANNO 961.

Indict. 4. Joan. XII. P. 6. Otton. M. 26. Ottoc. 1. March. 4.

Wormat. Conc. Frider. Salzb. Adalb. Patav.

In conventu Wormatienſi hujus anni aderant etiam cum Ottone ac legatis Apoſtolicis, varii Præſules, atque de noſtris *Fridericus Archiep. Salzb. & Adalbertus E. Laureac.* ut eum vocat Annal. Saxo, & Dietmarus lib. 2. ubi corpus S. Mauritii Magdeburgum interim eſt transmiſſum.

Otto II. ſit Germ. Rex.

Inter alias Ottonis jamjam in Italiam abituri curas, ea non poſtrema erat, ut Germaniæ provideret, unde hoc in conventu Ottonem II. filium ſuum, Germaniæ Regem conſtituit, Wilhelmoque Archiep. Moguntino nutriendum, & tuendum dedit, qui Otto II. mox etiam

Et Lotharing.

Rex Lotharingiæ factus, in feſto Pentecoſtes Aquiſgrani eſt coronatus.

Otto M. Rex Italiæ coron.

Hiſce Wormatiæ abſolutis in Italiam abiit Otto M. Ticinum ultro apertum ingreditur, Berengario munitis ſe locis tutante, Mediolani dein hoc adhuc anno regiis Italiæ inſignibus Otto M. eſt exornatus.

Laureac. Archi-Epiſc. res.

Nomen *Adalberti Ep. Laureac.* ſubſcripti conventui Wormat. quandam difficultatem ſuggerit; novimus enim cum Gerardo omnem de Eccleſia Laureacenſi litem ſopitam, ſcimus, Adalbertum nil tale attentaſſe; ſic enim interpolator Hermanni de eo habet: *Nihil geſſit memoria dignum, quia Eccleſiam Laureacenſem barbari crudeliter vaſtaverunt;* & Bernard. Noricus in Chron. Laureac. *Iſte nihil egit magnificum, quia Ungari Provinciam vaſtarunt.* Certe ſi urſiſſet pallii honorem, innumeris encomiis Patav. rerum ſcriptores eum more ſuo exornaſſent. Hinc cenſendum, ſi Adalbertus etiam Laureacenſis Ep. immo ſi etiam Archiepiſcopus legatur ſubſcriptus, inde id factum fuiſſe, quod titulus hic in Gerardo reſtitutus duraret adhuc in Adalberto, quamvis nihil pro eo egerit, ſed rei domeſticæ, & reducendæ in Provinciam ſuam fidei intentus eſſet.

An. 962.

ANNO 962.

Indict. 5. Joan. XII. P. 7. Otton. M. Reg. 27. Imp. 1. March. 5.

Otto M. ſit Imp.

Hujus anni 2. Febr. Otto M. coronatus eſt Imperator, ſicque denuo inſtauratum apud Germaniæ Reges Imperium Romanum benedictionem Imperialem Adelhaides Imperatrix etiam a Joanne 12. Papa accepit, Papa dein juramentum ſupra Corpus S. Petri depoſuit, ſe nunquam Berengario & Adalberto adhæſurum, Otto vero Imp. omnia ſedis Rom. jura confirmavit. Diploma Ottonis apud Baron. & Goldaſtum conſtit. Imper. tom. 2. part. 44. impugnant alii, defendit Calles tom. 4. Annal. Eccleſ. Germaniæ lib. 6. §. 70.

Magdeburg. Archiep. Merſeburg. Epiſc.

Joannes 12. P. ut genti Sclavorum conſuleret, & Ottoni urgenti gratificaretur, Magdeburgi ſedem Archi-Epiſcopalem ſtatuit executio hujus Apoſt. conſtitutionis injuncta eſt Archiepiſcopis Moguntino, Trevir. Colon. Salzburg. ac Hammaburgenſi. Otto dein Roma digreſſus Ticini Paſcha celebravit, ibidemque in Natali Dom. dein Ottonem II.

Ott. II. Rex Ital.

Italiæ Regem electum docet Muratorius.

ANNO

ANNO 963. *An. 963.*

Indict. 6. Joan. XII. P. 8. Otton. M. 28. Ottoc. I. March. Styr. 6.

Otto Italiam, ante Berengarium ejusque filios oppreſſos, relinquere nolebat, & non ſine cauſa: Adalbertus enim Berengarii II. filius Italos ſolicitare cœpit, ipſumque Pontificem eo deduxit, ut eum honorifice Romæ reciperet. Hæc menſe Junio & Julio geſta, nam Septembri clam vocantibus Romanis Otto M. Romam venit, & caſtra propius urbem poſuit, quapropter Joan. 12. P. cum Adalberto clam ex urbe fugit. Non vacat inquirere, cur Joannes 12. P. relicto Ottone ad partes Berengarii abierit, quidam cum Baronio id ſatis exprimunt ex append. Luitprandi cap. 1. cui tamen Baronius nec ſubſcribit, nec repugnat. *Italiæ turbæ inter Otton. M. & Joan. 12.*

His ommiſſis ad alia deſcendo, cum triduum Romæ egiſſet Imperator, rogantibus Epiſcopis, Clero, plebeque Romana, Conventus in Eccleſia magna S. Petri eſt habitus, aderant teſte Harduino tom. 6. p. 1. col. 627. & appendice Luitprandi cap. 1. Archiepiſcopi varii: *Pro Angilfredo Aquilejenſi Patriarcha, quem in eadem urbe Languor repente, ut fit, ortus arripuerat* Rudolfus Diaconus, aliique 35. cum Luitprando, Italiæ Epiſcopi, aliquot etiam ex Germania, præter 14. Cardinales, & plures Romanæ urbis optimates. Joannes Papa abſens erat, quia graviſſimorum criminum reus poſtulabatur, cujus quidem ætati parcere cum Ottone volebant alii, quia tamen ad ſe purgandum litteris evocatus, contumax abfuit, a PP. Concilii exauthoratus eſt Ottone Imp. ſententiam confirmante. *Roman. Convent.* *Hengilfrid. Pat. Aquil. ægrotus.* *Joan. 12. P. cit. non comparet.*

Leo itaque 8. S. R. E. Protoſcriniarius Papa conſtituitur, & 6. Decemb. conſecratur: non eo tendo, an juſte, vel injuſte ſede motus fuerit Joannes 12. Baronius a num. 31. ad 39. injuſte abdicatum ſcribit, Script. vero Germanici juſte exauthoratum, & Leonem 8. verum Pontificem defendunt. Aquitani Leonem non receperunt, & Itali ſoli ac pauci Germaniæ Epiſcopi ſenſui reliquorum Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Græciæ, Britanniæ &c. Epiſcoporum an præjudicare & Conc. Œcumenicum conſtituere potuerint? aliis dicendum relinquo. *Leo 8. Antipap.*

Angelfredus Patriarcha Aquilej. eadem in urbe Romana vitam mortalem reliquit, teſte continuat. Reginon. ad eundem hunc annum his verbis: *Angelfredus etiam Aquilejenſis Patriarcha* interfuit, *qui tunc temporis etiam ibidem* Romæ *obiit.* Succeſſit eidem Rodoaldus, qui in Chronico dicitur, *nobilis genere, & nobilior mente* pallium a Leone 8. accepit, cum epiſtola data *Idibus Decembris, anno Pontificatus primo, imperante Ottone, anno* 2. ab eodem Leone privilegio Primatus inter cæteras Italiæ Eccleſias eſt exornatus. *Hengelfrid. Aq. Rom. obit. ſucc. Rodoaldus.* *Primas Italiæ.*

ANNO 964. *An. 964.*

Indict. 7. Benedict. V. P. 1. 1. Otton. M. 29. Ottoc. I. March. Styr. 7.

Turbas Italiæ novas denuo componere debuit Otto M. coactis ideo Romanis, ut 100. obſides, novis ſub Sacramentis darent, ſed Imperatore digreſſo Roma, ac obſidibus 100. ad preces Leonis reſtitu- *Rom. turb.*

tis,

Leo 8. expulsus. tis, tumultuarii tamen Romani Leonem expellunt, Joannem 12. reducunt, qui graviter in fautores Leonis animadvertit, Leonem, ab eo-

Joan. 12. P. obit. succ. que ordinatos in Synodo deponit: 2. Id. Maji repente rebus humanis excessit Joannes 12.

Bened. 5. depositus, Leo 8. den. receptus.

Romani dein Benedictum V. per Legatos ab Ottone sibi præferri petunt, sed non obtinent, quare eundem inconsulto Imperatore elegere, qui mox iratus Romanum agrum vastans, Romanos, ut sibi Benedictum Innocuum redderent, coegit: Leo denuo receptus, ac Benedictus in Synodo Lateran. ornamentis Pontificalibus spoliatus, in ordinem Diaconorum redactus, atque in exilium est deportatus. Synodi hujus acta & privilegia Ottoni concessa rejiciunt Muratorius, Pagius, Baronius.

Berngar. Roman. Bamberg. relegatur.

Berengarius interea, biennio in monte S. Leonis obsessus, captus est, & cum Villa conjuge ac liberis relegatus in exilium, in *Bavariam*, ut ait contin. Regin. non in *Austriam*, ut Bonfinius, nam Bambergæ post 2. annos obiit.

Henr. Archiep. Trevir. Godefr. Dux Lotb. inf.

Lues post hæc pestilens exercitum Ottonis M. in Italia corrupit, divinitus, ut creditur immissa, eaque obiere, Henricus Archiep. Trevir. & Godefredus Dux Lotharingiæ inferioris.

An. 965.

ANNO 965.

Indict. 8. Bened. V. P. Otton. M. 30. Ottoc. I. March. Styr. 8. Joa. 13. P. 1.

Bened. 5. P. in Germ. exul. Hamburgi obit Leo 8. Antip.

Rediit in Germaniam Otto, Benedictum 5. Papam secum abducens, & eum Adaldago Archiep. Hamburg. custodiendum, tradens, qui eum magno in honore habuit, cumque mox Leo 8. ad PP. abiret, Romanique Benedictum 5. expeterent, etiam hic Hamburgi mortuus est.

Joan. 13. P. expulsus.

Electus igitur est Romæ Joannes 13. antea Narnienſis Episcopus Cal. Octobr. consecratus, a Romanis tamen, quorum primores acrius compescuit, expulsus, & in Campania custodiæ mancipatus.

Rodoaldi Aq. res

Rodoaldus Patr. Aquilej. Adamo Parentino Episc. castrum Rubini vel Rubignii, seu Rovigno donavit, qua de re fusius agit de Rubeis cap. 52. num. 6. &c. alia de Patria nostra non occurrunt.

An. 967.

ANNO 967.

Indict. 10. Joan. XII. P. 3. Otton. M. 32. Ottoc. I. March. Styr. 10.

Otto anno priore ob turbas Italiæ & Joan. 13. P. incarceratum Romæ injuriam ultus est strenue, suspensis 13. Primoribus Roma-

Ravennat. Conc. næ urbis, hoc an. rediens, Ravennatensi Synodo adfuit circa Pascha

Herold. Salzb. excommunic. celebratæ, bina, hac in Synodo statuta sunt, Heroldus Salisburg. pallium gestare, & sacra munia exauthoratus jam obire præsumens depo-

Frider. confirm. situs est a Joanne 13. & excommunicatus, & Fridericus confirmatus. Litteras Joannis P. adfert Author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 155. nimiumque intendit Mezgerus, easdem suspicionis arguendo, quas tamen omnes genuinas defendunt. Subscripsit concilio post Papam primus

Aquil. Primat. Rodoaldus Patr. Aquil. proin ejus Primatum a Leone 8. concessum ratihabuisse videtur, dein Petrus Ravennat. Wascertus Mediolan. Archi-Episcopi præter 54. Episcopos, quos inter ex Germanis 3. erant

Minden-

Mindenſis, Spirenſis, & Trident. quare Guslinus Epiſc. Patavienſ. ſubſcriptus, non Germanus, ſed Patavii Venetorum urbis Ep. etiam Gauzlinus Tranſalgardus dictus cenſendus eſt.

Reginenſis, & Abraham Friſing. ac denuo Frider. Salzb. cujus omnino intereſſe videbatur, an adfuerint, incertum, nec noſtra multum intereſt.

Inde tamen pateſcit error eorum, qui Heroldum Salzb. jam an. 959. obiiſſe contendunt, Conc. enim Ravennat. id aperte refutat. Quare melius ex Necrologio capituli dicendum Heroldum an. 967. ſeu hoc anno die 31. Julii obiiſſe. *Herold. Salzb. obit.*

Concilii vero Ravennat. cauſa altera erat erectio ſed. Magdeb. cujus litteras confirmatorias etiam adfert. Calles tom. 4. Annal. Eccl. Germ. lib. 7. §. 17. fol. 458. Actum præterea de Ottone II. in conſortium Imperii adoptando, eaque de cauſa Papa Ottonem invitavit ad Natale Domini in urbe celebrandum, nec abnuit Imperator, moxque Ottonem filium ad ſe in Italiam evocavit, ubi dein ambo honorifice excepti ſunt, habitaque menſe Dec. Synodo, Otto II. Rex a Joanne XIII. Imp. & Auguſtus eſt ordinatus. *Magdeb. Arch. confirm.* *Otto II. Rom. Imp.*

Parentinæ Eccleſiæ conſecratio Rodoaldo Patriarchæ delata ingentes movet Viro Cl. de Rubeis difficultates, quas cum pro poſſe ſolvere nitatur, Lectorem cupidum eo ablegamus ad cap. nempe 52. n. 6. ubi num. 8. docet, bona Rondaldi, qui Leonem Patriarcham occidit, eidem Rodoaldo ac Eccleſiæ Aquilej. fuiſſe donata. *Aquil. res.*

ANNO 968. *An. 968.*

Indict. 11. *Joan. XIII. P.* 4. *Otton. M.* 33. *Ottoc. I. March. Styr.* 11.

De inſtituta hoc tempore Magdeburg. Cathedra, collataque ei per Germaniam Primatus dignitate, multa Authores in contentionem veniunt, Krantzius lib. 3. cap. 28. fatetur ſe cauſam neſcire, cur Magdeburg. Archi-Epiſcopus Primas Germaniæ dicatur, cum tamen alii etiam electores Archi-Epiſcopi ei non cedant, Salisburgenſis vero cum eodem de paritate certet. In litteris tamen Bened. VII. ad Archiep. Germaniæ de Pilgrino Laureacenſi an. 973. datis, nomen Adalberti Magdeburg. præponitur Gereoni Colonienſi, Friderico Salisburgenſi, Adaldago Premenſi Archi-Epiſcopis, poſtponitur tamen Hrodberto Moguntino, Dietrico Trevirenſi, ex quibus proin apparet nomina hæc ſine ullo ſedis, ordinationis, ætatis, ac primatus ordine proponi. Papebrochius ſane ad 6. Junii, poſt acta S. Norberti Coroll. 1. §. 7. num. 64. &c. oſtendit primatum Germaniæ Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi ſaltem primis duobus ab ortu ſæculis non convenire, ab exemplo Trevirenſ. Mogunt. Colonienſ. Hamburg. tandemque Salisburgenſis Archi-Epiſcopi, quorum nullus ſub ullo unquam Primate fuit. Sane Friderico Salisburg. & ejus ſucceſſoribus Benedictus VI. vicem ſuam *in tota Norica Provincia*, ac in *tota Pannonia ſuperiore & inferiore* conceſſit, eo tenore, quo nulli liceat in præfatis Provinciis ſibi uſurpare pallium, nec ordinare Epiſcopos, nec ullum officium exercere, quod ad Archi-Epiſcopum pertineat, quod proin nullam in his locis primatis jurisdi- *Magdeburg. cur Primas German.* *Frider. Salzb. fit in Norico vic. Apoſtol.*

ctionem fuiſſe clare ſatis exhibet. Præterea antiquior erat Salzburgenſis, & Laureacenſis Eccleſia, cui paria cum Salzburgenſi jura & privilegia Benedictus VII. conceſſit, ut adeo teſte Papebrachio cit. uti & Conrado Janingo tom. 6. Jun. in appendice ad vitam S. Norberti §. 4. pag. 43. &c. ad annum 1133. nullum primatis veſtigium in Magdeburgenſi fuerit repertum.

Varnbach de Com. Conrad. Præp. Salzb. Ulricus V. Thiemo I.

Ad res Salisburg. pertinet, quod refert Author Germ. Sacr. tom. 2. pag. 1039. ex Joſepho Schlachtner, Conradum e Comitibus de Vornbach Ulrici V. filium & Thiemonis I. avum hoc circ. anno adhuc præpoſitum Cathedralem Salisburgenſem fuiſſe.

Rodoaldi Aquil. acta.

Radoaldus Patr. Aquilej. dum teſte de Rubeis cap. 52. n. 6. anno priori Parentinam Eccleſiam conſecravit, hoc anno pro immunitate Canonicorum Veronenſium ſententiam pronuntiavit 14. Maji Veronæ in Monaſterio S. Mariæ de Organo Indict. 11. & Otton. Imp. an. 8. tabulas refert Ughellus in Epiſcopis Veron.

Auſtriam & Styriam laceſſunt Hungari.

De Patria interim noſtra & contermina Auſtria nil hocce occurrit, niſi quod apud Aloldum Pechlarienſem legatur de Hungaris: *Sed tamen Oſterrichiam eis proximam nequaquam in pace eſſe ſinebant, donec eorum Dux, quem Uryum*, ſeu Urſum *appellabant, homo ferox & rapax inſtar beluæ, a qua nomen habebat, ſupereſſet:* quæ ſi ita, tanti non habebantur, ut in Chronicis res majores duntaxat conſectantibus locum & paginam mererentur. Styriam noſtram ad Anaſum extenſam ſubiiſſe credibile utcunque videtur, quo tamen damno, nemo expreſſit.

An. 969.

ANNO 969.

Indict. 12. Joan. XIII. P. 5. Otton. M. 34. Ottoc. I. March. 12.

Rom. Conc.

Sunt, qui hoc anno Concilium Romæ habitum volunt coram Imperatore ac 117. Epiſcopis. Pagius Beneventanam Cathedram in Metropolim evectam ſcribit num. 11. alii cum P. Calles Ratisbonenſe S. Emerammi Monaſterium ſub Ottonis & Rom. Pontif. protectionem ſuſceptum volunt, exſtat ea de re Diploma, cui inter alios Galliæ, Italiæ, Germaniæ Epiſcopos ſubſcripti *Juvavenſis, & Patavienſis*, ſine ullo tamen gradus ac ætatis ordine. Diploma hoc adfertur ab Hundio in Epiſcopis Ratisbon. & a Bernardo Pez in codice traditionum, ex quo id conficitur ante hunc annum nec Synodum habitam, nec Diploma ſcriptum, cum ei Cizenſis ſeu Citienſis Epiſc. qualis ante hunc annum nullus fuit, ſubſcriptus legatur.

Salzb. Archiep. Patav. Ep.

Chiemenſ. Abbatia confirmatur Frider. Salzb.

Quod Fridericum Salzb. Metropolitam noſtrum attinet, is eodem hoc anno ab Ottone Imperatore obtinuit confirmationem Abbatiæ *Chiemenſis* tabulas exhibet Gewoldus tom. 2. Hundii pag. 163. quibus Imperator ait, ſe id facere *per interventum ac petitionem Henrici Ducis, noſtrique parentis. Data 3. Kal. Nov. an. Dom. Incarn. 969. Indict. 13. actum in Tuſcania in loco, qui dicitur Monticulo ſupra fluvium Arne prope civitatem Lucam:* ex quibus proin Fridericus Salzburg. in Comitatu Ottonis fuiſſe colligitur. Aſt in Diplomate hoc *Henricus Dux* vocatur *Ottonis Parens?* & in Diplom. Conc. Rom. pro Monaſterio S. Emerammi, *Frater?* cum fuerit tantum nepos ex fratre Henrico, qui an. 955. obiit.

Author

Author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 158. ait, non eſſe quid novi, *parentis, vel fratris* nomen cognatis tribui. At extorta hæc mihi nimium explicatio videtur, cum Henricus nepos ſolum fuerit, proin parentis nomine vix venerit. Cenſeo proin Diploma hoc Ottonis II. etiam hoc tempore Imperatoris fuiſſe, ut adeo Chiemenſem Abbatiam ad preces Henrici Ducis, & *parentis ſui*, ſeu *Ottonis I.* Friderico contulerit, reliquerit nempe, ut ego quidem ſuſpicor, Otto I. Imp. filio ſuo Ottoni II. jamjam Imperatori partem quandam Germaniæ tanquam propriam & forſitan Bavariam, ut nomine Auguſto inclytus, haberet etiam qua potiretur, regionem. Quod vero in Diplom. Conc. Rom. ab Ottone I. Henricus vocetur *frater*, minus miror, cum fuerit Henrici Ottonis M. fratris def. filius, atque ab Ottone fors fratris loco habitus. *Parentis, Fratris nomen ſubin datum cognatis.*

Abbatia Chiemenſis, e qua nunc Epiſcopatus cum celeberrimo Canon. Regul. S. Aug. Collegio ſurrexit, Aventino teſte a Thaſſilone Monachis S. Bened. primitus eſt erecta: aſt ubi ab Hunnis vaſtata eſt, Theotmaro Salzb. Archiep. an. 873. facto in beneficium ceſſit an. 980. Quodnam vero Theodmari & hoc tempore inibi inſtitutum floruerit, ægrum eſt divinare, Virgines SS. inibi fuiſſe conſtat ex relegatione Hildegardis filiæ Regis Ludovici Francorum an. 894. facta. Duplex probabilius, virginum, alterum virorum. Sub Eberhardo vero I. Archiep. Salzb. Can. Reg. S. Aug. eo veniſſe, ſuo loco dicetur. *Chiemenſ. Abbat. res.*

ANNO 970. *An. 970.*

Indict. 13. *Joan. XIII. P.* 6. *Otton. M.* 35. *Ottoc. I. March. Styr.* 13.

Paſſavii 17. Kal. Julii, ſedem ac vitam mortalem reliquit Adalbertus Epiſcopus, etiam Laureacenſis dictus, qui per annos 25. proſpera multa & adverſa eſt expertus. Cujus regiminis initio Hungari magno impetu ad ſylvam uſque Carbonariam excurrerunt, ſed an. 955. ad Vindelicos deleti, *Noricum Ripenſe*, & Auſtriam infer. proin etiam *Styriam noſtram* ex parte intactam reliquere, niſi quod anno 968. dictum, modicis eam velitationibus ſubinde impetierint. *Adalbert. Epiſc. Patav. obit. ſuc. Pilgrinus.*

Hoc itaque tempore Auſtria transdanubiana, & Anaſo propior, proin etiam *Styriæ Marcha*, paulatim ad priſtinam oppidorum frequentiam cultum civilem ſimul ac religioſum rediit, Epiſcopis ſua prædia & jura reddita ſunt, ſimulque Hungaris, ut dicetur, lux fidei illuceſcere cœpit. *Auſtria & Styr. res.*

Adalbertus in Catal. Cremifan. *vir competenter bonus* dicitur, attamen cum de pallio non contenderit, id ei vitii a ſcriptoribus Patav. tribuitur, quod *Pannoniam reliquerit in ſuis tenebris Squallentem.* Inter commoda tamen Eccleſiæ Patav. ab Adalberto aſſerta refertur area in urbe Ratisbon. non procul ab Eccleſia S. Caſſiani, quam ab Henrico II. Duce Bajoariæ recepit Concambio, ut v. Diploma Ottonis II. Pilgrino datum. Partem item telonii in civit. Patav. ab Ottone M. obtinuit ad dies vitæ pro refectione Eccleſiæ ſuæ.

Succeſſit ei *Pilgrinus*, aliis *Peregrinus*, vir doctrina, ſanctitate, & ſtudio Apoſtolico inſignis, cujus electionem alii anno ſeq. ſed ſine

cauſa affigunt, cum Adalbertus jam menſe Junio hujus anni fuerit defunctus. Licet vero Laureac. & Patav. catalogi omnes ei 20. vel 19. annos regiminis tribuant, ſatisque conſtet Pilgrinum an. 991. defunctum, quia tamen catalogi hi alioquin inter ſe raro concordant, nil obeſt, quo minus menſes aliquot ad annos 20. ſedis adjiciantur.

Pilgrinus Pat. an Nepos Frid. Salzb.

Fridericus Salzburg. Pilgrinum ad ſedem Patav. promovit teſte codice MS. antiquo Cæſareæ Bibl. Vindobon., in quo idem Pilgrinus nepos dicitur Friderici Salisburgenſis: cum proin Fridericus e ſtirpe Comitum *Chiemgavienſium* fuerit, etiam Pilgrinus ex eadem, & per dicta an. 958. fors cognatus Ottocari Marchionis noſtri fuiſſet, alii tamen apud Authorem Germ. Sacræ tom. 1. fol. 206. eum de ſanguine Pechlarienſium fuiſſe conjiciunt ex fragmento Lazii de migrat. gent. lib. 7. pag. 353. Catalogus ſane recentior anno 1570. compoſitus Pilgrinum vocat *Archi-Epiſcopum, Marchionem Auſtriæ.* Hæc indicaſſe ſufficiat, nec enim multum divinari lubet.

Pilgrino Patav. an e Pechlarienſ. familia.

Frider. Salzb. S. Godehardum aſſumit.

Fridericus Salisburgenſis etiam S. Godehardo Hildesheim: dein Epiſcopo beneficus fuit, hic Ritenbachii prope Altachium natus, in eodem Monaſterio litteris eſt imbutus, quod Monaſterium Fridericus ab Henr. II. Bajoariæ Duce in beneficium habuit, Ramundus Godehardi Pater, rei familiaris adminiſter Friderico II. fuit, cujus proin meritis, & aliorum etiam commendatione Godehardum inter familiares ac domeſticos ſuos adſcripſit Fridericus, ac per triennium ſecum detinuit, dein cum Magiſtro ſuo Odalgiſo de Altaha adſcito, Patavium ad ſcholas tum celebres miſit, *nepotique ſuo* (ut ait codex MS. *cit.*) *Pilgrino* commendavit, qui ex eodem Monaſterio ad ſedem Patavienſem erat electus. Altahenſe Monaſterium olim quidem ſub monachica diſciplina erat, ſed tempore diſſenſionis inter Ludov. Imperatorem & filios ſuos, *ſub regula Canonicorum idem locus per* 100. *annos perſtitit*, teſte Biographo S. Godehardi apud Mabilon.

An. 972.

ANNO 972.

Indict. 15. *Bened. VI. P.* 1. *Otton. M.* 37. *Ottoc. I. March. Styr.* 15.

S. Wolfgang. Decan. Trev. Canon. ibid. reformat.

Hoc circiter tempore vel præced. anno S. Wolfgangus ex Eremitano ſeu Einſidlenſi cœnobio diviniore inſtinctu prodiit, operam ſuam in adducendis Chriſto Hungaris locaturus. Jam circa an. 956. Wolfgangus ab Henrico Trevirenſi Archi-Epiſcopo, ſuo quondam condiſcipulo ad regendam Cleri ſui ſcholam evocatus, Decanusque Trevirenſis teſte Browero eſt conſtitutus, ubi Henrico Author fuit, ut Canonicos Cathedrales reformaret, regularibusque diſciplinis clauſtrum inſtrueret. Henrico Archiep. defuncto, cum regularis denuo deficeret diſciplina, in Einſidlenſe cœnobium, & hoc an. circiter 970. ad converſionem Hungarorum abiit, Sacerdos antea a S. Udalrico ordinatus *Abbatis ſua licentia Monaſterium, non Monachum deſerens*, teſte Anonymo familiari in vita S. Wolfgangi cap. 12. per Alemanniam venit *exul in Noricum, ad cujus orientalem plagam cum humili comitatu pergens, prædicandi cauſa Pannoniæ petit confinia.*

An Monachus Einſidlenſis, In Pannon. abit converſurus Hungar.

Hæc

Hæc *confinia Pannoniæ* (ſuperioris an inferioris non additur) cenſeo fuiſſe terras circa montem Cetium in moderna Auſtria ſitas, quibus fere in locis olim S. Severinus commoratus videtur. Auſtriæ quidem inferioris cis Danubium pars major in vetuſtis documentis *Pannonia* etiam vocatur, unde credibile eſt S. Wolfgangum *in hac Auſtriæ parte cis Danubium, & trans montem Cetium.* Hungariæ contermina, & fors hoc tempore adhuc ab Hungaris infeſſa prædicationem Apoſtolicam inchoaſſe, ſic ex Rotulo atteſtationum ſuper decimatione Eccleſiæ Laureac. ſub Pilgrino confecto, habemus, diœceſanos orientales a Pilgrino de jure decimationum conſultos fuiſſe, *quid juris Eccleſiæ Patavienſi circa Decimas intra duos limites videlicet infra fluvium Anaſum, & montem Comagenum* contingeret? eosque reſpondiſſe, omnem decimationem intra dictos limites eſſe Eccleſiæ Patav. ejusque Epiſcoporum, intellige ante irruptionem Hungaricam. *In Auſtriæ & Pannon. confiniis moratur.*

Ex quibus proin regio omnis intra Anaſum & Cetium, jam Chriſtianorum fuiſſe videtur, non Hungarorum, qui decimas certo non dediſſent, proin S. Wolfgangum nec in Styriæ modernæ partem, niſi eam, quæ trans Cetium ſeu Comogenum Hungariæ proxima eſt, deveniſſe. Tempus adventus S. Wolfgangi dubium eſt quidem, at cum annalium brevium Scriptore Einſidlenſi Synchrono dici poteſt, hoc an. in Pannoniam veniſſe, altero vero anno mitram Ratisbon. ſuſcepiſſe: ita vero ait Author cit. apud Mabillon. in annalect. pag. 368. *anno DCCCCLXXII. Wolfgangus Monachus ad Hungaros miſſus eſt, qui ſecundo anno Rodoſponenſis Epiſcopus ordinatus eſt*, quæ proin ejus conſecratio ſequentis anni initio fieri potuit, ſicque an. priore abire, & hoc morari in Hungaria potuit Wolfgangus. *Fit Epiſc. Ratisbon.*

Pilgrinus Epiſcopus Patav. Wolfgangi apud Hungaros adventu percepto veritus, ne Wolfgangus ex eo eſſet Monachorum genere, qui cœnobia ſua pertæſi, huc illuc vagarentur, eum revocavit probaturus ſpiritum, ſi ex Deo eſſet; quare id certo in Hungarorum commodum præſtitit Wolfgangus ut Author Pilgrino fuerit per ſubmiſſos Præcones Evangelicam doctrinam in Pannonia propagandi.

Obiit interea Michace Epiſc. Ratisbon. & Pilgrinus virtutem Wolfgangi jam periclitatus, felicem fore prædicabat Eccleſiam, cui Wolfgangus Epiſcopus obveniret, egitque per *Burcardum Auſtriæ Marchionem* (teſte Anonym. familiari in vita S. Wolfgangi Epiſc. cap. 4.) Ottoni M. chariſſimum, ut Wolfgangus Epiſcopus fieret, Francofurtum itaque, ubi natale Domini egit Otto Imp. evocatur Wolfgangus, rerum neſcius, quæ agerentur, ibique invitus plurimum & renitens Epiſcopus eligitur, atque a Friderico Salisburg. Archiep. conſecratur. *S. Wolfgang. Ep. Ratisb. Burcardus Auſtriæ Marchio. Frider. Salzb. ret.*

Romæ hoc tempore Benedictus VI. Papa eſt conſecratus, qui Friderico Salisburgenſi, ejusque ſucceſſoribus, vices Apoſtolicas comiſit in tota *Provincia Norica & Pannonica utraque* addens: *quomodo ſui anteceſſores eandem poteſtatem a noſtris habuere anteceſſoribus*, contrarium attentare volentes vel ſimilem dignitatem ſeu clam, ſeu per amicos ambituri, ſuſpenſione innodandi declarantur. Litteris his præcipue petitus eſt Pilgrinus Patavienſis, qui fidem Chriſti inter Hungaros propagare, ſicque Laureacenſem Metropolim erigere denuo ſtudebat, ſed, *Fit Vicar. Ap. per Nor. & Pan.*

quod nunc non evicit, poſt duos annos a Benedicto VII. obtinuit. Litteras Bened. VI. ad Frider. v. apud Auth. Germ. Sacræ to. 2. f. 160.

An. 973.

ANNO 973.

Indict. 1. *Bened. VI. P.* 2. *Otton. M.* 37. *Ottoc. I. March. Styr.* 16.

Otton. M. legatio ad Geyſam Regem.

Egerat adhuc in vivis Otto M. atque ad Geyſam Hungariæ Regem Legatos miſit, interque hos Brunonem Epiſc. ut ſuſpicor Verdenſem, ab Ottone ipſo optime Pilgrino commendatum. Communibus nempe votis ad regimen Hungariæ vocatus eſt Geyſa filius Toxi, qui, quam Severus & crudelis in ſuos, tam humanus fuerat in Chriſtianos, & quamvis adhuc paganiſmo teneretur, tamen de pace tractare incœpit; ea de cauſa legatio Ottonis ad eundem facta eſt, cujus occaſione Otto ipſe M. Pilgrino Paſſav. epiſtolam ſcripſit, quem e codice Tegernſeenſi erutam adfert Author Germ. Sacr. tom. 1. fol. 207. &c. Effectus legationis hujus erat, ut conciliata cum Hungaris concordia viam ſterneret religioni. Interim 9. Maji feria 4. ante Pentecoſten

Otto M. obit Otto II. ſucc.

obiit Otto M. Imp. cui mox ſucceſſit Otto II. filius jam ante 7. annos in conſortium Imperii adſcitus, ante mortem adhuc Otto M. in ſuæ immunitatis defenſionem ſuſcepit Eccleſiam Petovienſem cum pertinentibus ad eam Monaſteriis S. Floriani, S. Hypoliti, & Cremifanenſi.

S. Udalr. Epiſc. Auguſt. obit. Frid. Saleb. S. Wolfg. Ratisb

Eodem tempore obiit S. Udalricus Epiſc. Auguſtanus, ad cujus funebres invitatus Fridericus Salisburg. ægritudine tamen præpeditus venire non potuit, easque S. Wolfgangus celebravit. S. Udalricus ſtudia quidem ſua ad S. Galli abſolvit, monaſticum tamen habitum non induiſſe videtur, inane etenim fuiſſet ejus jam Epiſcopi votum de Monachili S. Bened. vita amplectenda (ut habet Gerardus in vita ejusd. cap. 33.) ſi antea jam Monachus fuiſſet.

Burcardus Abb. S. Galli 3. habet matres.

Dum hic de rebus S. Galli loquor, illud eruditionis cauſa ex Gallia Chriſtiana tom. 5. fol. 956. adduco, Burchardum nempe S. Galli Abbatem a Conrado Epiſc. Conſtantienſi, in Capella, ſepulturæ datum fuiſſe ſub hoc ingenioſo ænigmate.

Tres habui matres, tamen haud ſum natus ab illis,
Ex quibus oſſa dedit prima, ſecunda cutem,
Tertia me tumulat, ſed res miranda! priusquam
Me pareret mater, jam tumulatus eram.

Burchardus hic erat ex utero matris exciſus, & arvinæ porci recens erutæ, ut incuteſceret, involutus.

Burcard. March. Auſtr. Præfect. ſimul Ratisbon.

Pilgrino interim Patav. Epiſc. Otto II. confirmat traditionem Ludovici Regis factam vinearum *in* Wachow *in Comitatu Reverendi Marchionis Burchardi an.* 973. *indict.* 15. *an. regni Ottonis* 13. *Imperii* 6. indictio 15. & annus Imperii Ottonis II. ſextus deſignaret annum 972. Sed annus regni 13. præſentem, error itaque alicubi intervenerit, Author German. Sacræ tom. 1. fol. 217. ponit indictionem 1.

Wachovienſ. in Auſtria diſtrict.

De Burchardo Marchione orientali jam an. 955. & 943. mentis facta eſt, diſtrictus enim *Wachovienſis* in Auſtria inferiore, multis refertus vineis, fere uſque ad oppidum Crembſenſe deducitur, Burchardus itaque Marchio, Præfectus ſimul erat Ratisbonenſis, Author Germ.

Sacræ

Sacræ tom. 1. fol. 207. eum ex ſtirpe *Comitum de Traſma* credit, qui & Præfecti Ratisbonenſes erant, & ſimul hæreditarium gerebant munus Comogeni montis, & clauſtri ſeu clauſuræ Traſmæ tuendæ, quorum genealogiam fuſe deſcribit Lazius lib. 7. de migrat. gent. ubi Burcardum ait fuiſſe de ſtirpe Comitum Veringenſium, & Helfenſteinenſium, in tabulis genealog. Hübneri tab. 490. inter Helfenſteinios ex mente Heningeſii, primus ſeu Author horum occurrit *Burchardus filius Hugobaldi Com. de Dillingen, qui caſtrum Helfenſtein exſtruxit*, cujus uxor *Luitgarda*. Ex mente vero Bucelini in eadem ſerie apparet quidem *an.* 955. *Burcardus*, ſed ſine uxore & liberis: neutrum horum Burcardum fuiſſe noſtrum opinor, munia enim ejus adjecta fuiſſent. Inter Comites Veringenſes vero apud Hübnerum cit. tab. 493. occurrunt duo Burcardi, *ſenior*, qui *an.* 939. *Magdeburg. torneamentis aderat*, & *junior circa an.* 948. neque hunc cum Burcardo noſtro confundo, cum nil muneris, quod geſſiſſet, adjectum appareat. Burcardi enim Auſtr. Marchionis filius erat Henricus Auguſtanus Epiſcopus hoc an. factus, & Burcardus ille inter Helfenſteinios apparens, probabilius Dux ille Alemanniæ, Henrici Bajoariæ Ducis Sororius, qui hoc anno obiit teſte Hepidanno & Hermanno contracto.

Burcardus an ex famil. Comit. de Traſma & Com. de Veringen & Helfenſtein.

Diligen de Hugobald & Luitgarda uxor.

Burcard. ſenior & jun. Com. de Veringen.

Henr. E. Auguſt. fil. Burcardi March. Auſtr.

ANNO 974.

An. 974.

Indict. 2. *Doni II. P.* 1. *Otton. II. Imp.* 2. *Ottoc. I. March.* 17.

Lambert Schaffnaburg. ait: *Henricus Dux Bajoariorum & Abraham* Friſing. *Epiſc. cum Boliſclajone*, Boleslao Bohemiæ, & *Miſichone* Poloniæ Ducibus, *inierunt contra Imperatorem pravum conſilium* re comperta Otto congregavit omnes Principes ſuos, qui ei ſuaſerunt, ut mitteret ad Henricum Ducem, & Popponem Epiſc. Wirzburg. & Gebehardum Comitem eosque ad placitum invitaret per edictum; Henricus Dux etiam ſine dilatione dedit ſe in poteſtatem Imperatoris, dein teſte Lamberto cit. Otto movit contra Heroldum in Sleswie.

Henr. II. Dux, Bav. Abrah. Ep. Friſing. in Otton. II. conſpirant.

Herold March Sleſwe.

Hæc tamen omnia hoc anno contingere non potuerunt; nam Abraham Epiſcopus Friſing. hoc adhuc anno in gratia Imperatoris erat, utpote cui inter alia fundos *in Chreina Marcha, & Comitatu Poponis Comitis inter Sabnizam & Zouram fluvios ſitos* 24. Nov. donavit, & quidem *ad preces Henrici Ducis*, id itaque verum videtur, Henricum Ducem ſub hujus anni finem vel ſequentis initium malæ fidei ſuſpectum, vel ſe Imperatori ſubjeciſſe, vel, ut habent Saxo & Annal. Hildesheim, captum, atque in Engilenheim perductum fuiſſe, de quo anno ſeq.

Carnioliæ ſeu Chreinæ March Com. Poppo.

Chreina Marcha eſt Carnioliæ, cui tum Poppo Comes præerat, ut oſtendit Valvaſorius Chron. Carnioliæ tom. 3. lib. 10. fol. 200. fundosque eos *ad Lacum Epiſcopi*, ſeu Biſchofs Lach exſtitiſſe arbitratur.

Biſchofs Lach *Ep. lacus in Carniolia datur Ep. Friſing.*

Bernardus Pez codice Diplomat. hiſtor. fol. 120. refert varias donationes Manſeenſi Monaſterio factas, & primo loco donationem cujusdam viri nobilis Einharti, in ea teſtes per aurem tracti ſunt *Ottachar Comes*, Eparhard, Hartwic, Dultine &c. An *Ottocher hic Comes* Marchio noſter fuerit? ægre quis definiet, nil quidem repugnat, quo minus teſtis adhiberi, reliquisque tanquam *Comes* ſeu Marchio præponi potue-

Ottocari I. res.

potuerit, movet etiam locus *Riutum*, ſeu Riuttt, quem locum an. 958. in Comitatu Ottocari fuiſſe dixi. At cum dubium ſit, an Ottocarus noſter cum Ottocaro illo Riutenſi & Sondergovenſi Comite idem fuerit, nec decidi poteſt, an Ottocarus ex inſtrumento Manſeenſi detectus idem cum Marchione noſtro fuerit.

An. 975.

ANNO 975.

Indict. 3. *Bened. VII. P.* 1. *Otton. II. Imp.* 3. *Ottoc. I. March. Styr.* 18.

Pilgrinus Paſſ. pro pallio agit.

Pilgrinus ad Bened. VII. mox ſuas direxit litteras, quibus ei & ſecundos in Hungaria Evangelii progreſſus expoſuit, & jura ſimul Metropolitica cum pallio, oſtenſa meſſis ubertate, & operariorum paucitate, more majorum poſtulavit, profeſſionem ſimul fidei elegantiſſimam adjecit, ac privilegia majorum ſuorum confirmanda per eosdem nuntios miſit. Litteras Pilgrini & Benedicti v. apud Auth. Germ. Sacræ tom. 1. pag. 211. Hundium, Pezium, Lambecium, Labbe, ac Harduinum.

Hungar. converſ.

Illis in Litteris Pilgrini memoratu digna, quæ de icto cum Hungaris fœdere, de miſſis in Pannoniam Evangelii præconibus & ex Monachis & Canonicis, de miteſcente Hungarorum ferocia exponit, nobilium 5000. jam converſa, ac S. Fonte luſtrata, totamque nationem ad ſacram fidem propenſam ait. Cauſam immutatæ adeo gentis dederat Geyſa Rex, anno etiam ſequente, Dietmaro teſte baptizatus, qui uxorem habuit Chriſtianam, nomine Belecknegini, Sclavonice pulchram Dominam, quæ vino licet & iræ dedita, occaſio tamen Geyſæ erat, fidem Chriſti & amplectendi & inducendi.

Geyſa Rex per uxor. converſus.

Pilgrino pallium obtinet.

Putant quidam probabile valde, Pilgrinum Laureaci reſediſſe, eo quod geſſerit nomen Præſulis Laureacenſis, & probe ſciret *Gerardo*, ab Agapito II. decretam eſſe dignitatem Metropolitanam ea conditione, ut Laureaci domicilium haberet. Præterea inſinuat Bened. VII. reſurrexiſſe e ruinis Eccleſiam Laureacenſem, unde nec contrarius erat, ſed pallium Pilgrino miſit, conſtitutisque fere ad eum modum, quo ſub Agapito II. erant, Salzburg. & Laureac. Diœceſis limitibus vetera jura Laureac. Eccleſiæ reſtituit, eo ſolum diſcrimine, ut inter Archi-Epiſcopos Laureac. & Salisburg. is eſſet prior ordine, qui ordinatione. Fidem his Bened. VII. litteris, nemo, quod ſciam, præter Meſgerum adimere conatur, de tempore tamen earum litigatur, cum enim inſcripta ſit Henrico Duci Bajoariorum & Hrudberto Mogunt. Archiep. hic vero Idibus Jan. hujus anni defunctus, ille in Engilheim captivus abductus ſit, potuerunt tamen hæ litteræ anni hujus initio dari, & utrumque Pontifex ignorare.

An Laureaci reſederit.

Laureac. Eccl. reſtituitur.

Henr. II. Bux Bav. captus in Ingelheim.

Fridericus Salzb. res.

Fridericus Archiep. Salzb. iis licet litteris præjudicium paſſus, nolebat tamen rem judicatam retexere, tum quod litem movere prohiberet Papa, cum quod eodem tempore Bavaria incendio flagraret domeſtico, propter Henrici Ducis ſeditionem, hic enim e cuſtodia Ingelheimenſi elapſus, ad Sclavos & Bohemos fugit, conventus itaque magnus Weimariæ habitus, vocatus Boleslaus, cum nec per Legatos veniret, bellum ſibi Bohemisque decretum audiit, teſte Schaffnaburgenſi,

Henr. II. Dux e captivitate fugit, turbas ciet, proſcriptus.

genſi, Henricus vero Bavariæ Dux ſua poteſtate dejectus, publice eſt proſcriptus.

Junxerant ſe turbis Henrici Bavari, Boleslaus Dux Bohemiæ, Henricus Dux Carentaniæ, Bertholdi quondam Ducis & Eylæ filius, Antiſtites duo Henricus Epiſc. Auguſtanus, & Abraham Friſing. Duces Poloniæ, & Daniæ eidem Henrico favebant. Lambert. Schaffnaburg Bohemiam ab Imperatore vaſtatam, Dietmarus autem Imperatorem cum valido exercitu, fæda & inopina Bajoariorum ad Pilſnam clade rejectum, recto itinere *Crumenam* ſeu Crumau ſuper. Auſtriæ vicinum oppidum abiiſſe ſcribit. *Socii Henricus Dux Carinthiæ, Henr. Ep. Aug. Abrah. Friſing.*

ANNO 976. *An. 976.*

Indict. 4. Bened. VII. P. 2. Otton. II. Imp. 4. Ottoc. I. March. Styr. 19.

Henricus Dux Bajoarior. exauthoratus, ubi Ottonem Alemanniæ Ducem ſibi ſubrogatum audiit, clade Ottonis forte ad Pilſnam motus, clam in Bajoariam rediit adjutus factione Henrici Ducis Carentaniæ, & procerum quorundam inibi ſibi addictorum, cumque arma in ſibi refractarios pararet, Pilgrino Laureac. Archiep. Ottoni II. addictiſſimo plura mala intulit, ejus enim familiam jugulavit, bona & prædia vaſtavit, quin eo dementiæ prolapſus eſt Henricus, ut coronam regiam Ratisbonæ in S. Emerammi æde e manibus Abrahæ Friſing. Epiſcopi ſummeret, cum S. Wolfgangus interim ad lacum Albernum ſeceſſiſſet. *Otto Dux Alem. fit Dux Bav.* *Pilgvini Laur. fata ab Henr. II Bav. qui Ratisbon. coronatur.*

Otto his auditis mox in Bavariam convolavit, ſævitiæ modum poſiturus, Henricum jam exauthoratum expulit, ac Pilgrino ſibi amiciſſimo obſequium & damnum rependit, dum ei Abbatiam B. V. M. intra urbis Paſſav. territorium ſitam, cum Walafluensdorff, aliisque attinentibus donavit. Litteras Ottonis II. v. apud Hundium tom. 1. pag. 239. Author. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 217. fragmentum vero apud P. Calles tom. 4. fol. 557. *Pilgrinus obtinet Abbat. B. V. M. & c. teloneum*

In his litteris Otto Alemanniæ Dux appellatur *Dux Bavariæ & fraturelis* Ottonis II. Ducem Bavariæ an. priore in Conventu Wimorienſi creatum cenſeo, fratruelis vero Ottonis II. quia Luidolphi Ducis Sueviæ, & fratris Ottonis II. filius. *Otto Dux Bav. fratruel. Otto. II*

Hundius & Mabillonius Abbatiam hanc B. V. M. putant fuiſſe eandem cum S. Crucis in Nidernburg. Non vero hanc ſolam Pilgrino donavit, ſed addidit etiam telonei partem, quam Adalbertus nuper, ejusdem urbis Patav. Epiſcopus ad dies vitæ, ad reparandam S. Stephani Eccleſiam habuit, item Abbatiolam B. V. M. in urbe Patav. immunitatem omnem a teloneis, ac confirmatis Carolo M. Ludovici ac Otton. M. privilegiis cellam S. Floriani, Treiſmam ad Monaſterium S. Ypolyti, Cremiſam ſeu Cremifan. S. Salvatoris Monaſterium conceſſit, ac in ſuam protectionem ſuſcepit. V. Auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 220. 219. 218. *Pilgrino plurima donantur ab Ottone II.*

Monaſterium S. Floriani *Cella* dicitur, non quod Monachi inde inferri debeant (cum ex Concil. Aquiſgr. an. 817. conſtet, quod *Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut Monachi ſint, aut Canonici*, proin cella non tantum Monachorum erant) ſed ob attenuatas ejus opes & ruinas. *S. Floriani Monaſt. cur Cella dicatur.*

An. 977.

ANNO 977.

Indict. 5. Bened. VII. P. 6. Otton. II. Imp. 5. Ottoc. I. March. Styr. 20.

Rodoaldi Aquil. res.

Rodoaldus Patriarcha Aquilej. ejusdem Ottonis II. munificentiam est expertus, cui locum *insula* dictum in Istria situm 15. Kal. Maji Ingelheimii concessit. V. de Rubeis cap. 52. num. 8. Eo in Diplomate dicitur hanc petitionem *ab Henrico Carentaniæ Duce*, jamjam Henrico Bavaro juncto, Ottoni suggestam fuisse. Censeo itaque vel suggestionem hanc Ottoni jam antea factam, nunc primo effectui datam, vel simulandi artes non hoc primum ævo invaluisse. Plura Rodoaldo concessa, nominatim 5. Castella in regione Forojul. inter quæ etiam Utinum, ostendit de Rubeis cit. ad an. 983. Dum Otto II. Bohemorum cladem ulturus, denuo cum exercitu in Bohemiam abit, Henricus exauthoratus cum suis, pedem etiam Passavio intulit, absente fors in castris Cæsareis Pilgrino, eamque urbem facile cepit; Otto Bav. Dux iis auditis mox cum suis abiit, Passavium obsedit, dumque etiam Otto *Imp.* cum exercitu adveniret, deditio facta est, quæ tamen? inter Authores non convenit. Lambert. Schaffnaburg. ait Henr. rixosum exauthoratum Bavar. Ducem in gratiam Ottonis II. receptum, Dietmarus de eo altum silet, id certum Henricum utrumque Bojum & Carentanum, proximo Conventui se stituros promisisse.

Henr. II. rixos. Passavium capit mox tam. perdit.

Henr. Carent. Dux.

Compositis utcunque Bavariæ rebus (quibus nec Burcardus Austriæ, nec Ottocarus Styriæ Marchio involutus) Otto denuo *rebus* Pilgrini prospicere cœpit, eique *prædium Anasburch* ab Adalberto decessore alienatum, pro reparatione vastatæ urbis Patav. dedit, adjecit etiam villam Lorach. Diplomatis partem adfert Hundius, ex quo clare legimus prædium *Anasburch* ab Adalberto Passav. Ep. datum fuisse Henrico Bav. Duci piæ mem. & Ottonis II. patruo.

Anasburch datur Pilgrino & Lorch.

Abraham interea Friſing. Episcopus probabilius latuerit in Carniolia in bonis suis an. 974. ab Ottone concessis *ad Lacum Episcopi*, seu Bischofs Lack, qui locus cum oppido adsito hodie adhuc subest Frisingensibus Episcopis. Schönlebenius Annal. Carniol. ad an. 974. putat Abrahamum in exilium ab Imperatore pulsum abiisse in Carinthiam, ubi ad lacum *Wertsee* Ecclesiam collegiatam sub Decano fundavit 5. Canonicis in hon. SS. Primi & Feliciani allatis eorum Lipsanis, quæ nunc in Carniolia Lythopoli seu Steinæ apud PP. Franciscanos asservantur. Sed fallitur Schönlebenius hæc an. 974. allegans, cum ante hunc annum exilium non subierit, neque exilii tempore eam fundationem fecerit, sed prius vel postea, cum an. 978. primo judicium de tota Henrici factione latum fuerit.

Abraham Frisin. Ep. in Carniolia latet.

An exul in Carin.

An Wertsee Carentiam fundav.

An. 978.

ANNO 978.

Indict. 6. Bened. VII. P. 4. Otton. II. Imp. 6. Ottoc. I. March. Styr. 21.

Sententia in rebelles lata.

Hoc anno, quo turbatis in Gallia rebus, Otto Imp. dissidium grave cum matre fovebat, Henricus rixosus cum suis sequacibus supremam sententiam exspectabat; ea seu Magdeburgi, seu Quedlinburgi, ubi Imp. Pascha habuit, lata est, Boleslaus pius Dux Bohemiæ, iram

Boleslaus Boh. Dux in grat. re-

Cæsa-

Cæſaris obſequio redemit, non tantum in gratiam receptus, ſed magnis etiam ab Ottone muneribus cumulatus. Henricus Dux Bavariæ & alter Carinthiæ comprehenſi in exilium ſunt miſſi, Ottone alio etiam Carinthiæ Præfecto, ut an. ſeq. pluribus. Ita Lambert. Schaffnaburg. Dietmarus exulibus adjungit Ekbertum Comitem & Henricum Epiſcopum. Ekbertus hic quis fuerit? non conſtat, in Saxonia plures occurrunt, aliis tamen e Bavaria fuiſſe videtur, cum plures inter Formbacenſes Comites occurrant Ekberti, non tamen hujus ætatis, ut in notis Genealog. videbitur, interim conſulatur Hundius Metropol. to. 2. fol. 220. & MS. Chron. Formbac. Annaliſta Saxo eum monoculum appellat Wigmanni ſocium & multarum in Saxonia turbarum ſub Ottone M. reum, qui delapſus ad Hugonem M. in Galliam veniam, ope Brunonis Archiep. Colon. obtinuit.

dit Henr. Dux Bav. & Henr. Dux Carinth. exules, Otto D. Carinth. fit.

Henricus Epiſcopus erat Auguſtanus, de quo Gerardus in vita S. Udalrici ait, eum Werdinam, ubi S. Ludgerus requieſcit, Abbati miſſum ad cuſtodiam, mox tamen ad preces Ottonis Bavariæ Ducis reſtitutum.

Henr. Ep. Auguſt. exul liberat.

De Abrahamo Friſing. Epiſc. & conſpirationis reo, nulla apud veteres exſtat mentio, Arenpekius captum Friſingæ, Corbejam, novum ad Monaſterium relegatum, Aventinus, alii cum Henrico rixoſo Bavar. & altero Carinthiæ Duce, voto ad Eberſpenſem Patronum facto, in Carinthiam fugiſſe volunt, Megiſerus cap. 99. lib. 6. e prima cuſtodia elapſum, dein vero captum, denuo & Trajectum relegatum ſcribit, ſed cum de ſententia in illum lata nil conſtet ex veterum teſtimoniis, tutiſſimum opinabimur, Abrahamum ſeu ſponte ſua, ſeu vi adactum, ſua ab Eccleſia aliquos annos abfuiſſe, ubinam vero, an Trajecti, Treviris, vel in Carentania? incertum, illud ſatis convenit, eum ante Ottonis II. mortem ad ſuam ſedem non rediiſſe; unde hallucinatur omnino Meichelpöckius tom. 1. fol. 185. qui Abrahamum Friſing. Epiſcopum ante an. 980. ſimulque poſt Ottonis II. mortem, reverſum, ad ſuam Eccleſiam tradidit, Otto enim II. anno 983. primo obiit, quare ex mente ipſius Meichelpöckii, Abraham non ante an. 980. imo nec ante an. 983. quo Otto obiit, redire potuiſſet.

Abrahæ Friſing. fata.

Bellum interim acre Ottoni etiam cum Francis fuit, quibus cum hoſtiliter reſiſteret, Pariſium uſque pergens, in reditu ad Axonam fluvium veniens, tranſire per ejus tumorem non potuit, ſed juvit Ottonem cum exercitu Wolfgangus, pro temporum neceſſitate caſtris præſens, ſicco pede fluvium tranſiit, ſecumque Ottonem cum omni exercitu duxit, hocque modo a prementibus jam tergum Francis eripuit. Ita Anonym. famil. in vita S. Wolfgangi cap. 32. Baron. n. 1. Pagius num. 1. & 2. Browerus tom. 1. fol. 480. Prunner. Adlzreiter.

S. Wolfgangi miraculum.

Dum S. Wolgangi meminimus, ex ejus rebus anno futuro recenſendis patebit, hoc circiter anno Hungaros, Geyſa Rege vel volente, vel obniti non audente, fines orientales ſeu Auſtriam denuo invaſiſſe ferro flammisque ſæviſſe, ultraque *Erlaffam* progreſſos, popularibus & colonis, quos S. Wolfgangus Ratisbonenſis Antiſtes ad *Pechlariam* & loca vicina vectigalia, nuper deduxerat, creberrimis populationibus nocuiſſe, quapropter, ut anno ſequenti dicetur, S. Wolfgangus in loco *Zovifila* munimentum erexit, ut ſaluti colonorum ſuorum contra Hungaros provideret.

Hungari Auſtr petunt.

Hoc itaque tempore Geyſa adhuc loca *Erlaffæ* fl. vicina tenuiſſe videtur, atque in his arcem *Mellicum* in rupe ardua ſitum, ſecus enim, quid fuiſſet colonis Wolfgangi ab irruptione Hungarorum metuendum. Bonfinius rer. Hungar. Dec. 1. lib. 10. ſcribit Geyſam bellum in Auſtriam obſtinatius geſſiſſe, eamque mortuo Rudigero occupaſſe, ſed Rudigeri ambo Pechlarienſes jam ante obierant, quam Geyſa ſumma rerum in Hungaria potiretur, conſtat etiam Geyſam non totam Auſtriam occupaſſe. Chronicon quidem Clauſtroneoburg. apud P. Hier. Pez tom. 1. fol. 436. hæc habet: *DCCCCLXXVIII. his temporibus Marchiam Auſtriæ tenuit Hainricus filius Liupoldi Marchionis, qui jam vitam exceſſerat.* Sed præterquam, quod alia Chronica præſertim Mellicenſe taceat, epocha hæc nimium accelerata eſt, Liupoldus enim ut an. 985. dicetur, eo primum anno Marchiam Auſtriæ ſuſcepit, atque an. 984. Mellicenſe caſtrum & Noricum uſque ad montem Cetium, Hungaris eripuit. Author Faſtorum Campililienſium tom. 1. elog. 1. Leopoldi Auſtriaci initia ad annum 944., ac Mellicium occupatum anno 979. ſcribit, ſed mihi Diploma Ottonis III. an. 985. Pilgrino datum majoris authoritatis eſt, in quo Otto III. querelas Pilgrini inducit hoc modo *noſtræ conqueſtus eſt pietati, a quibus etiam barbaris moderno quoque noſtri regni* (ſeu Ottonis III.) *tempore miſerabili lamentatione adjecit &c.* nec dici ſtatim pro libitu poteſt, Pilgrinum, cujus querelas Otto III. Rex reaſſumpſit, lamentatum fuiſſe de veteribus & novis damnis in omni Provincia, quæ hodie Auſtriam componit. Cum enim Leopoldi memoria in veterum documentis ante an. 984. non occurrat, ratio mihi ſufficiens eſt, dicendi eum quoque in Auſtria nil geſſiſſe, nec ſat cognitum fuiſſe, de quibus plura ad an. 984. & ſeq.

Leopoldus Bab. non fuit ante an. 984. Auſt. Mar.

An. 979.

ANNO 979.

Indict. 7. Bened. VII. P. 5. Otton. II. Imp. 7. Ottoc. 1. March. Styr. 22.

Styriæ res.

Styriæ noſtræ res, hos inter turbines ſatis pacatæ fuiſſe videntur, cum de rebus Eccleſiæ inibi ſit actum; Otto etenim II. Imperator hoc anno ad inſtantiam *Ottonis æquivoci & Conſobrini ſui Karintbienorum Ducis, tres buebas regales in villis* Lebenach, & Glanasdorf *& in Colinoſo &* Binſindorf *&* Bodedach *in regimine Walpadonio Hardvici in pago Thirovat ſitas, cuidam fideli Aribo nominato in proprietatem* tradidit. Diploma habetur in P. Frölich Diplomatar. 5. Ducatus Styriæ parte 1. fol. 6. &c. putatque hunc Aribonem Fundatorem Göſſenſem fuiſſe. Diploma datum dicitur 7. *Idus Octob. anno Dom. Incarn. DCCCCLXXVIIII. Indict. VI.* (ſed omiſſum eſt I. unum, cum currat indictio 7.) anno vero regni Ottonis II. XVIII. (quo nempe anno 961. Rex Germ. eſt creatus) *Imperii autem XII.* nempe cum Patre, a quo an. 967. in conſortium eſt adſcitus. *Actum Rieda Hildevoldus Archiep. & Cancellarius.* Anonymus Leobienſis apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 760. &c. Hoc Diploma ad Ottonem III. atque ad annum 987. refert, ſed is Diploma originarium, ut Frælichius, non inſpexit.

Aribon. Fundator. Göſſenſis mentio prima.

Otto Dux Carin. alius ab Ottone Duce Bav.

Ex hoc vero Diplomate plura nobis pateſcunt, & 1mo quidem Ottonem Carinthiæ Ducem diſtinguendum eſſe ab Ottone Bavariæ Du-

ce,

ce, hic enim ex Diplom. an. 976. allato *fratruelis*, ille vero Ottonis II. Imp. dicitur *Conſobrinus* breviſſimum utriusque ſchema genealogicum Frælichius cit. in præfat. in hunc modum ſtatuit: *Utriusque Genealogia.*

Otto I. Imp. — *Henr. I.* Dux Bajoar. Otton. I. Fr.

Luitgardis ux. Conrad. Franc. Duc. Lotharing. — *Otto* II. Imp. — *Liudolphus* Dux Aleman. — Henricus II. ſeu Hezelo Dux Bajoar. 955. exauthoratur an. 976.

Otto Dux Francon. & Carinth. a. 978. poſt Henricum min. exulem. Cedit Carinthiam Henric. 985. denuo recipit Carint. 996.

Otto Dux Alemann. & Bajoariæ a. 976. obiit a. 982.

Ottoni Bajoaria Henr. min. Carinthia datur. Hezelo a. 985. ægre cedente Henrico minore reſtituitur, qui an. 983. veniam & Bajoariam obtinuit.

Conſentiunt tabulæ genealogicæ Hübneri tab. 26. & 27. Bucelinus aliique. *Carinthia a Bajoaria ſejuncta.* 2*do* Hoc tempore Carinthia a Bajoaria ſeparata videtur, quamvis enim Carinthia jam priore tempore Duces haberet ſuos, iidem tamen ſemper, qui Bajoariæ erant ſimul Duces Carinthiæ, ut ex dictis patet. Hoc vero vel præcedente anno ſeparata eſt Carinthia a Bajoaria, & quemadmodum Henrico rixoſo Bajoariæ Duci, Otto fratruelis Ottonis II. Dux antea Alemanniæ, ita Henrico Carinthiæ Duci ſuffectus eſt Otto Conſobrinus Ottonis II. & Franconiæ Dux. Cenſet quidem Frælichius cit. in præfatione Henrico II. rixoſo Bajoariæ Duci ſimul & Carentaniæ an. 976. exauthorato, Ottonem in Bavaria ſolum, Henricum vero minorem in Carinthia fuiſſe ſubrogatum, atque huic etiam rebelli Ottonem Franconiæ Ducem, & Ottonis II. Conſobrinum, ſed mihi ex Diplomate Otton. II. Pilgrino an. 976. dato (ut v. eo anno) jam eo anno Otto Dux Alemanniæ ſubrogatus Henrico rixoſo videtur. Noſtra jam parum intereſt, ſive a Bajoariis ſejuncta ſit Carinthia hoc primum tempore ſub Ottonibus, ſeu poſt Conradum, quem Bajoariæ ſimul & Carinthiæ Ducem fuiſſe novimus, plura de his ad an. 996. *Otto Carinth. Dux non fuit filius Henrici m. Car. Duc.* 3*tio* Falſum eſt, quod quidam volunt, Ottonem Carinthiæ præfectum fuiſſe Henrici minoris exauthorati Ducis Carinthiæ filium Otto enim II. Imp. eum in Diplom. allegato vocat *Conſobrinum*, quia Luitgardes ſororis & Conradi Franci Ducis Lotharingiæ filium, uti Ottonem Bajoariæ Ducem *fratruelem*, quia fratris Ludolphi filium. Ottonis hujus Carinthiæ Ducis, teſt. Annal. Hildesheim. filius erat Bruno dein Papa Gregor. V. v. tab. 27. Hübneri Geneal. *Bruno dein Papa Greg. V. filius Otton. h.* 4*to* Loca illa in Diplomate cit. allegata & Ariboni Fundat. Göſſenſi (v. anno 1004.) collata in Carinthia ſita videntur, cum ad petitionem Ottonis Carinthiæ Ducis collata fuerint Ariboni.

A rebus Styriæ, ad Auſtriacas devolvor, ubi enim Otto II. Imp. hoc anno in Bavariam rediit, mox pridiæ Idus Octobr. S. Wolfgango Epiſcopo Ratisbon. poteſtatem fecit *Wiſelburgenſe caſtrum*, *Zwviſila* dictum ad *utriusque Erlaffæ* confluentem in Auſtria inferiore exſtruendi, addito ſat amplo agri modo, qui inter fluvium *Ibſam* & *Erlaffam*, inde vero ad montes uſque patet. *Zwiſila vel Wiſelburg munim. in Auſtria a S. Wolfgango exſtructum.* Occaſionem beneficio neceſſitas dedit, cum enim S. Wolfgangus, *locum quemdam in terra quondam Avarorum*, *Et cur?*

Steinakirchen loci deſcriptio.

qui Steinina Chirchа nominatur, per multa annorum curricula deſertum, miſſis de Bavaria colonis excolendum ſibi ſumpſerit, ii ut tutiores ibi ab infeſtatione Ungarorum manere poſſent, caſtellum ſibi Zwvifilam conſtruendum, inter majorem & minorem Erlapham, ubi ipſi conveniunt, ab Imperatore ſibi petiit, & etiam obtinuit. V. Hund. privileg. Otton. II. pag. 168. tom. 1. P. Hier. Pez tom. 1. Diſſert. 2. §. 12. P. Bernard. Pez tom. 1. anced. theſaur. noviſſ. part. 3. col. 56.

Auſtr. hoc temp. adhuc Hunnia & Avaria dicta.

Steinachkirchen in Auſtria, amplum ſatis municipium, hodie adhuc ſupereſt, cujus Parochiam Monachi Lunælacenſes procurrant, & *Zwvifila*, nunc *Wiſelburgum* vocatur, cum eodem fere ſitu veteri *Zwvifilæ* reſpondeat, arcem lego Comitum de Auerſperg fuiſſe. Patet ex his, *inferiorem Auſtriam* medio adhuc ævo, *Hunniam*, & *Avariam* fuiſſe dictam, dein eam Auſtriæ infer. partem, quæ ad *Ibſam fluvium* extenditur, ab Avaris quondam habitatam, imo nec hoc ſæculo Ungaros fuiſſe ſatis remotos, vel undique pacatos, cum eorum infeſtationem timuerit S. Wolfgangus. V. plura an. 983.

Frid. Salzb. conſecr. Ec. Eberſp. Eberhard. Com. de Sempta, Udalric. de Sempt.

Eodem hoc anno cenſeo, Fridericum Archiep. Salzburg. *evocatum* fuiſſe ad conſecrandam Eccleſiam Eberſpergenſem an. 928. circiter ab Eberhardo Com. de Sempta cœptam, ac an. 934. abſolutam, ne prius conſecraretur, in mora fuerat Friſingenſis Epiſcopus, tandem vero Udalricus loci Dynaſta poteſtate ſibi ab Abrahamo facta, evocandi Præſulem, quem luberet, Fridericum invitavit, qui eam 13. Kal. Febr. & anno poſtquam condita eſt 46. proin hoc vel ſequenti dedicavit. Erat vero ædes Eberſperg Diœceſis Friſing. cumque ob *turbas* Bavariæ Abrahamus Friſing. eam non poſſet conſecrare exul ipſe, licentiam eam Udalrico Comiti indulſit. Canon. Reg. S. Aug. primos loci incolas ex chartis Eberſpergenſibus, aliisque teſtimoniis probat, vir de ordine ſuo meritiſſimus Antonius Zunggo Can. Vorav. *in hiſt.* Ord. Can. Reg. prodrom. tom. 2. ubi dedicatio Eccleſiæ, anterioribus quidem annis affigitur.

An. 982.

ANNO 982.

Indict. 10. *Bened. VII. P.* 8. *Ottonis II. Imp.* 10. *Ottoc. I. March. Styr.* 25.

Petovienſ. Eccl. ad 2. part. civ. donatur Ecc. Salisb. oppidum it. S. Andr. in vall. Lav.

Megiſerus Annal. Carinth. lib. 6. cap. 94. ait: extare tria privilegia Ottonis II. quibus confirmat omnes donationes Eccleſiæ Salisburgenſi antea ab Imperatoribus factas, peculiariter vero Eccleſiam Petovienſem, cum 2. ejusdem civitatis partibus, teloneis ac attinentibus, item oppidum S. Andreæ in valle Lavantina cum omnibus cenſibus, decimis, dempto ſolum monte Foreſto regiis venationibus apto, hæc proin hoc anno contigere, cum an. ſeq. Otto II. mortuus ſit. Confirmat hæc Regino ad an. 899. dicens: Arnulphus Cæſar Salisburgenſi Eccleſiæ donavit *ad Pettavva Eccleſiam cum decima, & totam civitatem cum bannis teloneis, & ponte & omnibus ad illum locum pertinentibus*, proin non ſolum jus Eccleſiaſticum, ſed etiam jurisdictionem & dominium ſæculare: ſed Regino totam civitatem Petav. Megiſerus duas partes ejus Salisburgenſi Eccleſiæ donatas ait, Author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 140. in Theodmaro ait quidem, Archi-Epiſcopo huic donatam

natam eſſe *Eccleſiam ad Turnava, item ad Pettavva Eccleſiam cum tota civitate*, ſubjungit ſimul apud Megiſerum exſtare ejus rei Diploma luculentum, in quo tamen nonniſi duas partes civitatis donatas lego. *Turnau Eccl. donatur Salzb.*

Petovium fuiſſe juris Salisburg. patet ex an. 1298. quo eam urbem Stephanus filius & Bela Pater Reges Hungariæ ibant exſtinctum, eo tamen ab Ulrico Archi-Epiſcopo & arbitris compoſiti, ut Regi ab Ulrico id oppidum oppignoraretur 3000. marcis, anno dein 1479. a Bernardo Archi-Epiſcopo datur Weiſprachiis, atque ab his in poteſtatem Hungarorum venit. An. 1494. eam urbem Maximilianus ſibi reſervavit, quam brevi expoſt tempore Leonardus Archi-Epiſcopus denuo redemit 20000. Imperialibus, hodie tamen iterum Cæſari paret, de quibus plura ſuis locis, & Diſſert. 1. de Petovio. *Petov 1298 oppignoratum Hungaris an. 1479. redemptum, anno 1494 denuo Hungar. redimitur iterum hodie Cæſar.*

Otto II. Imp. hoc anno opera Ottonis Bavariæ Ducis, Tarentum græcis feliciter eripuit; inde vero, dum græci Saracenos in auxilium depoſcunt, Otto quoque Bavaros & Alemannos in ſubſidium evocavit, iisque copiis Saracenos magna clade affecit; aſt dum 3. Idus Julii denuo cum iisdem confligit, ingens noſtrorum ſtrages facta eſt, quam alii diverſe enarrant; id utcunque certum, varios inter Proceres belli, Henricum Epiſc. Auguſtanum cum aliis pluribus Epiſcopis teſte Lambert. Schaffnaburg. occiſum fuiſſe, captum Epiſc. Vercellenſem, Ottonem Bajoariæ Ducem graviter ſaucium ſicca dein morte Lucæ defunctum & Aſchaffenburgi ſepultum fuiſſe. *Saraceni ab Ottone II. victi. dein victus ipſe. Otto Bav. Dux ſaucius Lucæ obit.*

Ottoni huic in Ducatu Alemanniæ Conradus, in Ducatu vero Bajoariæ Henricus minor, Dux antea Carinthiæ ſucceſſit, ita loquitur Dietmarus lib. 3. pag. 347. & Annaliſta Saxo an. 983. (quo in Conventu Veronenſi vel ſubſtitutus, vel confirmatus videtur Henricus) *Henricus minor, Dux nuper Carinthiæ, quam Otto Conradi, & Luitgardæ filius interim regebat, Dux Bavariæ conſtitutus eſt, patruele Imperatoris, Henrico* nempe *rixoſo adhuc in cuſtodia permanente.* *Conrad. Dux Aleman. Henr. m. Dux Bav. fact.*

ANNO 983. *An. 983.*

Indict. 11. Bened. VII. P. 9. Otton. 3. Imp. I. Ottoc. I. March. Styr. 26.

In verni temporis finem ad reſtituendas a clade prioris anni, res ſuas Otto II. Imp. Veronæ Conventum indixit omnium Procerum, convenere plerique Saxonum, Suevorum, Lothariorum, Bavariorum, Italicorum aliorumque hoc in conventu, Henricus minor Dux antea Carinthiæ, conſtitutus eſt Bajoariæ Dux, eum ſimul Carentaniæ Ducem, bona Ottonis Francon. & Carinthiæ Ducis interim conſtituti venia factum fuiſſe Annal. Saxo ad an. 984. habet his verbis: *Quem Otto II. nuper Bavariis ſimul, ac Carentanis præfecerat.* *Veron. Conv. Henr. m. Dux antea Carinth. nunc Bavar. An ſimul Dux Carinth. factus ſit, & quo anno*

Quod ſi itaque Carentaniæ etiam ab Ottone II. reſtitutus eſt, id hujus anni curſu & probabilius in Conv. Veron. factum fuiſſe oportuit, cum Otto II. Imp. 7. Idus Dec. hujus anni obierit. Alii tamen an. 985. id contigiſſe putant, quo Henrico rixoſo ab Ottone III. Bavaria eſt reddita, atque, ut Henricus minor eam redderet, huic Carinthia data, Ottone amore pacis cedente, qui eam an. 996. denuo obtinuit.

In

Otto III. Rex Germ. In eodem conventu Otto III. Germaniæ Rex ab omnibus eſt electus, hoc etiam in conventu crederem Leopoldum, Marchionem Auſtriæ deſignatum, nulla enim Burcardi amplius memoria occurrit, ſuntque non pauci, qui cum Dietmaro lib. 3. pag. 346. Annal. Saxone an. 982. inter Comites anno priore in Saracenico bello necatos Burcardum referunt, quem ego eundem cum Auſtriæ Marchione cenſeo. Quod me magis confirmat, illud eſt, quod mox ſequentibus annis nomen Leopoldi Auſtriæ Marchionis occurrat, uti in Diplom. Ottonis III. an. 985. apud Hundium tom. 1. pag. 240. & fors fieri potuit, ut Leopoldi in Auſtriam adventus bilem Hungaris eo uſque moverit, ut anno ſeq. irreparabili damno, prædia & jura Paſſav. Eccleſiæ læderent.

Leopoldus fit March. Auſtr.

Burcardus Auſt. March. obit.

Conſultum etiam in conſenſu hoc Veronenſi de injuriis Saracenorum vindicandis, aſt Otton. II. mors, Danorum, Sclavorumque motus omnia impedivere, dum enim Otto in Venetos veterem Petri Candiani Ducis cædem ulturus ſe comparat, Romæ in morbum incidit, ex quo etiam 7. Id. Dec. obiit. Otto III. dein puer adhuc quadrimulus Aquiſgrani in Regem inunctus eſt a Wiligiſo Archiep. Mogunt.

Otto II. obit.

Rodoaldo Aquil. ſucc. Joan. IV. Rodoaldo Patr. Aquil. ante mortem adhuc Otto II. quinque caſtella in regione Forojulii, atque inter ea Utinum donavit. V. de Rubeis cap. 52. n. 9. Rodoaldus vero ipſe hoc vel ſeq. anno ad ſuperos abiit, eique ſucceſſit Joannes IV. hujus nominis, autographum in archivo capit. civit. Forojul. habetur documentum, in quo legitur: *Anno ab Incarn. Domini noſtri Jeſu Chriſti MXV &c. anno XXXII. Pontificatus Joannis*, proin ab hoc vel ſeq. anno ejus epocha ducenda eſt.

Non vero Syrus Com. de Plejen. Alii tamen cum Lazio in ſeriem Patriacharum intrudunt *Syrum Comitem de Plejen*, ita enim ſcribit Lazius lib. 12. comment. reip. Rom. ſect. 7. cap. 7. *Hos ſecuti ſunt, Syrus Patriarcha Aquil. Author Monaſterii Beurn prope Salisburgum an. Dom. 978. ratione cujus Comites hi a Plejen Patriarchatus Aquilejenſis advocati antiquitus ſunt conſtituti - - Huc pertinet Patriarcha alter Eccleſiæ Aquilejenſis nomine Sigefridus.* Syrum Wolfgang. Lazius collocat, inter Angilfredum & Rodoaldum Patriarchas, ſed nec Syro, nec Sigefrido locum eſſe poſſe adducta hactenus Diplomata, & nulla de ipſis exſtantia documenta ſatis docent. Nec etiam concordant, quæ de origine Monaſterii Beurenſis adducuntur.

Nec Sigefridus.

An. 984.

ANNO 984.

Indict. 12. Joan. XIV. P. 1. Otton. III. Imp. 2. Ottoc. I. Styr. March. 27.

Henr. rix. e carcere dilapſus turbas ciet. In auſpicatus regni diſſidio hic annus fuit, Henricus enim rixoſus Dux Bavariæ exauthoratus, e Trajecti cuſtodia a Poppone Epiſcopo ſolutus, cum eodem & Eckberto Coclite Comite Coloniam venit, & a Warino ejus urbis Archiep. in Henrici etiam partes digreſſo, Ottonem III. puerum & Regem, cujus fidei a Patre in Italia abſente commendatus erat, tutoris nomine in ſuam poteſtatem ſuſcepit, quæ res & tutoris titulus multos in fraudem pellexit, aliis melius diſpicientibus, Henricum hoc titulo in imperium graſſaturum. Acceſſere ad Henrici partes Boleslaus Bohemiæ, Miſeco Poloniæ, Miſtui Sclavorum Abadritorum Duces, unde mox in Saxones movit Henricus, a quibus tamen

ambi-

ambiguo deluſus reſponſo, Quedlinburgi benevolentius receptus, Rexque a ſuis eſt dictus?

Alii vero Heſſaburgi convenere Ottonem III. Regem propugnaturi, quos inter Bernardus Dux, Theodericus Marchio, pluresque Comites ac milites S. Martini a Wiligiſo Archiep. Moguntino exſtimulati cum occidentalium Saxonum parte plurima. Wieſenſtadii dein Conventus habitus, in quo Henricus irritus non modo ſpei, diſcedere, ſed ad conditiones deſcendere, ſuis conſiliis parum opportunas eſt coactus; videns enim Henricus rixoſus Ottonis III. Regis partibus favere Wiligiſum Moguntinum, Conradum Alemanniæ, Bernardum Saxoniæ Ducem, Henricum minorem Ducem Bajoariæ multosque Antiſtites & Comites, cum Conrado Rege Burgundiæ Henrici licet ſocero, Carolo Duce Lotharing. Lothariæ & Ludov. Galliæ Regibus, Boleslaum Bohemiæ Ducem adiit, ejus viribus & opibus res ſuas in Saxonia promoturus, Boleslaus, licet Henricum in omnibus foveret, adverſo tamen Numine nil effecit, niſi quod urbem Miſnam civibus aliunde non invitis ceperit. *Regni diſſidium.*

Ea re excitatus tandem e ſomno Henricus, aliter ſentire cœpit, ubi enim Saxones Wilhelmum Comitem Weimariæ Henrici fautorem obſidebant, ab eoque non ſine minis Ottonem III. repoſcebant, modeſtior Henricus a propoſito diſceſſit, atque, ut ſecum ad conditum diem & locum Principes convenirent, obnixe rogavit. Conventus itaque ad Raram habitus, ubi ſtella ſimul medio die & cœlo, teſte Dietmaro conſpicitur, in eo Otto III. reſtitutus, & Hoiconis Comitis magiſterio eſt traditus, cæteris ſua reddita.

Mox tamen teſte Dietmaro lib. 4. pag. 349. nova orta eſt ſeditio *inter Henricum, qui minor dicebatur, & Henricum rixoſum, quæ Herimanni Comitis conſilio poſtmodum finita eſt.* Cenſeo eam ob Ducatum Bajoariæ fuiſſe. De quo an. ſeq.

Dum hæc in Germania, ſuſpenſis adhuc ex incerto rei eventu animis geruntur, limes Imperii orientalis terrore eſt concuſſus, ſeu *Auſtria* graviſſima denuo damna ab Hungaris recepit, qui ſeu novi Marchionis, ſeu aliunde ob motus inteſtinos Germaniæ exciti, eam *Auſtriæ partem*, quæ *inter Cetium & Anaſum* interjecta eſt, modis tam inhumanis ſunt depopulati, ut ager ille latiſſimus pœne in ſolitudinem verteretur. *Hungari in Auſtria & Styria ſæviunt.*

Partem *Styriæ* noſtræ quoque tentatam, nemo non videt, cum ea ad Anaſum, & Styram dein exſtructam pars, poſterioribus primum temporibus Auſtriæ fuerit adjudicata, ſilent quidem Authores omnes de Styria, & Ottocaro noſtro, ſatis tamen eſt, expreſſos hoſtilitatis exactæ terminos noſſe, Cetium nempe & Anaſum, neque enim etiam rerum Auſtriac. Scriptores apud Hier. Pezium, quidquam de hac Hungarorum in Auſtriam irruptione memorant, ipſeque Pezius cit. calculo erroneo eam an. 928. affigit Diſſert. 3. §. 15. cum putaverit Leopoldum Auſtriacum jam an. 935. defuncto Rudigero Pechlarienſi ſubſtitutum fuiſſe, hancque irruptionem adhuc ſub Rudigero contigiſſe, Author. faſtor. Campililienſ. eam irruptionem ex Aloldo ſuo ad an. 979. affigit.

Irruptionem tamen hanc, hoc tempore contigiſſe, innuunt litteræ Pilgrini Laureac. ad Ottonem III. quibus conqueritur: *tam irrecuperabili*

ſe damno læſum, in interfectione, & direptione Eccleſiæ ſuæ familiæ, præter innumerabilia deprædationum & incendiorum diſpendia, ut absque habitatore terra ſolitudine ſylveſceret. Ita Diploma Otton. III. apud Hund. tom. 1. pag. 240. Non tamen mihi omnino certum eſt, an hæc expeditio Hungarica cum illa anni 978. v. ſeq. non una eademque fuerit, atque hoc primum anno contigerit. Sed hæc Hungarorum ferocia brevi in ſalutem Auſtriæ vertit, Leopoldus enim Marchio Auſtriæ, contractis undique auxiliis, evocatoque ut reor, Ottocaro etiam Marchione noſtro, Hungaros ex Auſtria expulit, caſtrum Mellicenſe ipſis eripuit, totumque Ripenſe Noricum, atque ex parte etiam mediterraneum ab hoſtibus vindicavit, atque in eo caſtro Mellicenſi, quod teſte Conrado de Wizenberg. Chron. Auſtr. pag. 291. apud P. Hier. Pez tom. 1. *Homo quidam potentiſſimus Giza*, ſeu Geyſa Rex tenuit, in collegium transmutavit, in eoque 12. Canonicos inſtituit.

Leopoldus Auſtriac. cum Ottoc. I. March. Styr. Hungaros vincit, & Mellicium occupat.

Mellicenſ. Can. Colleg.

Inſinuavi an. 954. quorundam ſententiam, dicentium Lepoldi hujus illuſtris Patrem Adalbertum de Marthale fuiſſe, S. Udalrici contra rebelles Ottonis M. ſocium, eoque anno exſtinctum. *Marthale* locus in Suevia eſt ad dexteram Danubii ſecundi ripam, hodie Collegium Canonicor. Præmonſtratenſium. Inter Dipl. Otton. II. reperitur unum, quo regularem vitam in Cœnobio Tegernſee, *in pago Sundergove* in *Comitatu Luitpoldi Comitis* reſtituit, datum eſt an. 975. die 4. Id. Junii v. Hund. tom. 3. fol. 269. 273. Meichelbök, tom. 1. fol. 184. quorum in Diploma illud an. 978. ille an. 979. refert; dari certo debuit *poſt* an. 975. cum emanaverit *ad preces Ottonis Sueviæ* (ſeu Alemanniæ) *& Bajoariæ Ducis*, qui tamen an. 976 primum factus eſt Dux Bajoariæ. Præterea adeſt aliud Ottonis II. Diploma, quo Monachis S. Emerammi Veronæ an. 983. loco Elpurc. & Perc. cum mancipiis concedit in pago *Tuonahgevi in Comitatu Luitpoldi*, ex quibus proin *non incongrue* quis ſuſpicaretur, Leopoldum hunc Adalberti de Marthale filium, *pagos Sundergove*, & *Tuonahgevi* hæreditate paterna obtinuiſſe, dein vero Provinciæ orientali ſeu Auſtriæ Præfectum fuiſſe.

Leopoldi Auſtriaci ſtema.

Ottocari March. Styr. an ex Suevia oriundi.

Qui ex dictis an. 958. Comites de *Chiemgavv*, eosdem cum Comitibus de *Sondergove* crederet, Luipoldum quoque Illuſtrem Auſtriæ Marchionem & Ottocarum noſtrum eodem ex ſtemmate prognatos dicere debebit, quod tamen ægre probabitur; uti jam Diſſert. 4. cap. 6. §. 2. obſervavi; ſubmiſſum eſt mihi MS. quoddam Germanicum e celeberrimo Monaſterio Glunicenſi, in quo Ottoc. IV. maritus Eliſabethæ Auſtr. fuiſſe dicitur: Herzog in Schwaben, und Marckgraf in Steyer. Aſt, ut jam inibi præcavi, nemo id veterum aſſerit; quod ſi jam quis invictis argumentis probaret, Leopoldum Auſtriacum e Suevica Adalberti de Marthale progenie ortum, Comitem ſimul & hæredem paternarum ditionum in Sondergove fuiſſe, præterea qui probaret Sondergovenſes & Chiemenſes Comites eosdem fuiſſe, huic omnino Chartæ Glunicenſes adſtipularentur, quæ tamen hactenus a nemine præſtita opinor. Interim MS. illud Glunicenſe alium annexum errorem habet, nempe Ottocaro IV. fuiſſe filios Leopoldum & Ottocarum, de quo Diſſert. 4. cit. dictum.

Hoc

Hoc circiter tempore, Fridericus Archiep. Salisburg. cum Altahenſes Canonici in electione novi Præpoſiti laborarent, Godehardum eisdem Præpoſitum conſtituit, qui dein anno 990. eundem locum Monachis S. Benedicti tradidit. *Frider. Salab. dat Godehard. Altah. Præp.*

ANNO 985. *An. 985*

Indict. 13. *Joan. XV. P.* 1. *Otton. III. Imp.* 3. *Ottoc. I. Styr. March.* 28.

Henricus rixoſus quondam Bajoariæ Dux, ad Regem Ottonem in Francofurt. veniens eidem ſe ſubmiſit, qui eum non tantum in gratiam recepit, ſed ei etiam Ducatum Carinthiæ, quem interim Henricus minor Dux Carinthiæ tenuerat, reddidit, & quidem, primum ægre cedente, dein tamen conſentiente Henrico minore, quoniam & hic bona Ottonis Francon. Ducis venia, & amore pacis Carentaniam, cum Comitatu ſeu Marcha Veronenſi tum adjuncta, an. 983. recepit. *Henric. rixoſ. fit Bav. Dux, & Carinthiæ.*

Quedlinburgi dum Paſcha celebraret Otto III. teſte Dietmaro, & Annaliſta Saxone, *quatuor ei miniſtrabant Duces*, nimirum *Hainricus* (Dux Bajoariæ) *ad menſam Conradus* (Dux Sueviæ) *ad Cameram Hecil* (ſeu Henricus junior, & minor Dux Carinthiæ) *ad Cellarium Bernhardus* (Dux Saxoniæ) *equis præfuit.* *Officia 4. hared. Imperii.*

Leopoldus Auſtriæ Marchio, regia illic jura Imperio vindicans, aliena jura, forſitan ignarus, invaſiſſe videtur Paſſavienſium maxime Epiſcoporum, qui conceſſu ſuperiorum Principum multa in utraque Auſtria poſſidebant: ea, quæ Cetio monti proxima erant ejus Eccleſiæ & oppida, & prædia, noviſſimo Hungarorum incurſu protrita jacebant, & vaſtata, Leopoldus ea, tanquam acceſſionem juri ſuo obnoxiam conſiderabat; hinc Pilgrinus, ne Eccleſiæ ſuæ deeſſet, querelam ad Ottonem III. diſtulit, dati cauſæ cognitores duo, Henricus Bajoariæ, & alter Henricus Carentaniæ Dux cum Bajoariæ Epiſcopis, & Præſulibus locusque Conventui *Tulna* in Auſtria deſignatus, atque e horum ſententia, Pilgrinus ſibi jus Portorii ad *Eberſpergam*, *Traiſmam urbem S. Hyppoliti*, *Ciſmirum* (Zeiſelmauer) aliaque adhibitis quinque e prima nobilitate teſtibus, Babone Schirenſi, Meginhardo, Marquardo, Rudigero ac Thiemone vindicavit. Ita Avent. l. 5. cap. 3. addens etiam, omnia Eccleſiæ Paſſav. prædia, regiis vectigalibus immunia eſſe declarata, aſſertam Epiſcopo, piſcationem Huſſonum, antea Tulnenſibus civibus propriam, factam Epiſcopis Præſulibus, Nobilibus, caſtella, arces, oppida, conſtruendi, muniendi poteſtatem. Ita Aventinus, qui tamen in pluribus fallit, ut dum Paſſav. Epiſcopum vocat Chriſtianum, Henricum Carentaniæ Ducem, ſolum Charionum Præfectum, econtra Babonem Schirorum Principem, qui tamen Comes ſolum fuit, dumque Conventum hunc ab Henrico Bavaro Duce indictum & ſententiam ab eo latam, tanquam ſummo jure defendit, quæ tamen omnia refutant litteræ Otton. III. Babenbergæ pridie Kal. Octob. proinde jam indictione 14. currente, & a Septembri inchoata, datæ v. Hund. tom. 1. pag. 240. Diploma quidem hoc nec verbum de Leopoldi in Paſſav. Eccleſiam injuriis, ſed ſolum de irreparabili damno per Ungaros illato memorat, aliqualiter tamen Leo- *Pilgrini Paſſav. Ep. lis cum Leopoldo March. Auſtr.* *Tulnenſ. Conv.* *Defendiur.*

poldum, ignarum quidem, Paſſav. Eccleſiæ immunitatibus controveniſſe inſinuat citatum Ottonis III. Diploma, cum in eo mandetur, ut Patav. Eccleſiæ *Coloni, quidquid publicæ exactioni judiciaria poteſtate deberent, ad priſtinæ reſtaurationem culturæ uſibus ſuis largiremur:* vult præterea Otto, ut in locis *ſitis in Marka hactenus Luitvaldi Comitis a noſtrorum miniſterialium deinceps ſint diſtrictione ſoluti, & quidquid noſter publicus fiſcus ab illis exigere, vel percipere poterit, hoc totum in cunctis - - - perpetim condonamus.* Videtur ergo Leopoldus jure communi hactenus proceſſiſſe, & a prædiis ac colonis Patav. Eccleſiæ ea exegiſſe, quæ ab aliis, id ne poſthac fieret, Pilgrinus dato Ottonis III. Diplomate obtinuit.

S. Maximiliano an jam Pataviæ ſepultus.

Unum, antequam ad ulteriora Tulnenſis hujus Conventus acta progrediar, hoc ex diplomate obſervo, dicitur enim in illo, ubi de Eccleſia Patav. ſermo eſt, *ubi SS. Valentinus & Maximilianus Confeſſores Chriſti corpore requieſcunt.* In Diplomatis antecedentibus ſolius ſemper S. Valentini Paſſavii requieſcentis fit mentio præcipue ad an. 976.

Hinc opinor contra Hundium reliquias S. Maximiliani anno 985. ſub Pilgrino Epiſc. Pataviam fuiſſe ex Monaſterio Oetingenſi translatas, & quidem non ſub Henrico II. Imperatore, ut vult Hundius, ſed ſub Henrico II. Bavariæ Duce, anno hoc reſtituto; quæ proin translatio vel hoc an. quo Henricus Dux Bavariæ denuo factus eſt, vel an. 977. quo nondum dignitate motus eſt, facta fuerit, niſi fors quis ſub Henrico II. Bavariæ Duce, intelligere velit Henricum minorem, Bajoariæ etiam an. 982. vel ſeq. cum Carentania Præfectum, de quo multum litigare nolo: annis certe 17. ante Henricum Imp. reliquias S. Maximiliani Pataviæ requieviſſe teſtatur Author Germ. Sacræ t. 1. f. 35.

Anno dein 1291. eadem hæc ſacra Lipſana in elegantiorem denuo Paſſavii locum, ad aram nempe extra chorum, in medio fere Baſilicæ conſpiciendam delata ſunt a Bernardo Epiſc. Paſſav.

Ottoc. I. an Com. Tulnenſib. præſ.

Hoc itaque in Conventu plura pro ſalute Patriæ ſunt agitata, datæque nobilibus, & Epiſcopis per Auſtriam & Styræ Marcham poteſtas erigendi arces contra incurſus Hungarorum hoſtiles. Adfuiſſe conventui huic Ottocarum noſtrum ſuſpicor, ex teſtibus ſubſcriptis Sacramentalibus, ſeu qui jurejurando, quod edixerunt, probarunt, hos inter in Laureac. Synodo (de qua mox) legitur unus nomine *Ozy*, quod nomen idem eſſe cum *Ottocaro* oſtendi Diſſert. 4. cap. 3. §. 1. Quamvis vero inter teſtes num. 41. Ozy hic 26. loco ſubſcriptus legatur, & quidem ſine adjecto titulo Comitis vel Marchionis, qui Comitis titulus, primis duobus ſolum adjectus legitur, fieri tamen facile potuit, ut, ne ſemper idem repetatur, in reliquis omitteretur, hæc tamen ultra conjecturam non contendo.

Styr. arc. ædificatio cœpta ab Ottoc. I.

Quidquid demum ſentiatur, an Ottocarus noſter præſens vel abſens fuerit in hoc conventu Tulnenſi, id tamen omnino contendo, quod jam Diſſert. 4. cap. 1. §. 5. 6. & 7. docebam, ab Ottocaro hoc noſtro arcem ſaltem Styrenſem fuiſſe ædificari cœptam, cui dein fors poſterorum diligentia urbem ipſam adjecit. Rationes plurimas ibidem cum objectorum ſolutione dedi; veriſſimum enim eſt, quod cenſet Frælichius in Architonlog. Carinth. part. 2. fol. 173. duas fuiſſe quondam Bajoariæ Marcas, Auſtriam nempe & Styriam, atque eam Styriæ

primæ

primæ partem, quæ Styræ Marcha, vel regio Styrenſis hoc tempore audiit, hodiernæ eſſe Auſtriæ portionem; unde Styria ſolum inferiore ſui parte *Marchia* dicta eſt, & ſuperior modo Styriæ pars Carentaniæ unita, ſeu ejusdem portio, donec ſub Leopoldo forti qua hæreditate, qua emptione Styriæ acceſſit, ut dixi Diſſert. 4. in Leop. forti.

Cauſam exſtructæ hoc in loco arcis & urbis Styræ ſuppeditavit, & neceſſitas defenſionis contra Hungaros in Bajoariam irrumpentes, & loci commoditas, quod nempe ſylvæ copioſæ, urbi exſtruendæ, ferri quoque ingens copia per Anaſum eo devehi facillime poſſit, coloni ſic convenere innumeri, qui & amænitate ſitus, & exercendæ mercimoniæ facultate illecti, ibi reſidere cœperant; unde initio domus quædam circa montem, cui arx Styriæ inſederat, locatæ, & ad Ennsdorf domus quædam piſcatoriæ erant, cui loco inde nomen Fiſchhueben adhæſit: aucta dein domicilia in Steyersdorf, cum molendinis, fabrinis, aliisque humano victui cellis neceſſariis & officinis. Quidquod fluvius Anaſus, uti limes olim erat populi Bajoarici ac Hunnici, ita quoque ad limitem hunc, urbem ac arcem defenſorem termini extructam omnino veriſimile videatur. Quapropter Bernard. Noricus in Catal. ſuo *Ottocarum* hunc *I. Authorem Marchionum* Styrenſium appellavit, quia nempe non ſolum reliqui ab ipſo deſcendebant Ottocari, ſed ipſe etiam ab ædificata arce Styra, toti Marcæ nomen impoſuiſſe videtur, uti pl. in Diſſert. 4. v. etiam Prevenhueb. Annal. Styr. a fol. 1. ad 15. &c. & fol. 387. Styræ nominis originem abunde Diſſert. 4. cap. 1. §. 7. &c. expoſui. *Et cur?*

Redeo ad res Pilgrini, qui a Conventu Tulnenſi, ſuis ut præ- diis ac juribus conſuleret, ad vindicanda decimarum jura ſe totum vertit. Decimæ hæ ab Anaſo fluvio ad Comagenum montem infra Tulnam cis Danubium, trans vero Danubium fere ad Marcham fluvium ſe porrigebant, paucis exceptis fundis, qui Principum ſuperiorum munere Præſulibus aliis ſerviebant; itaque itinere in ſemetipſum ſuſcepto Synodos in tribus locis celebravit, in iisque quæſtionem de his decimis inſtituit. *Paſſav. ſunt decimæ in Auſtria.*

Prima Synodus habita eſt *Laureaci*, *ſeu Anaſoburgi in oratorio S. Laurentii Mart.* Secunda *Mauteræ in Baſilica S. Apapiti Mart.* Tertia dein *Miſtelbachii.* Laureacum & Anaſoburgum ex dictis innoteſcit, *Mautera* urbs Auſtriæ infer. ſeu Mautern 10. fere milliariis ſupra Viennam hodie adhuc Paſſav. Epiſcopo paret, eam Danubius ab oppoſita urbe Stein ſeparat, pons ligneus 33. jugis, vel ut Merſperg numerat, 800. paſſibus longus conjungit, incommodus cæteroquin navigiis ad reliquam Auſtriam devehendam locus, ea in urbe, ut an. 899. dixi. Iſenricus Arbonis March. Auſtriæ filius ſe contra Arnulphum defendit, deinceps ſe ſubjecit. Miſtelbach nunc oppidum Principum de Lichtenſtain: loca reliqua, fundique in rotulo atteſtationum de decimis Paſſav. apud Ludevig. tom. 2. Script. Bamberg. col. 377. & Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 227. mutatis nunc nominibus plerique ſunt ignoti, illud certum, his in Synodis percontatum fuiſſe Pilgrinum ex idoneis teſtibus, *quænam fuerint* decimæ Eccleſ. Patav. ante proximam babaricæ ſuæ deſolationis devaſtationem. *Laureac. Syn.* *Mauterenſ. Syn.* *Miſtelbach. Syn.* *Mautern urbs deſcrib.* Miſtelbach.

An. 987.

ANNO 987.

Indict. 15. Joan. XV. P. 3. Otton. III. Imp. 3. Ottoc. I. Styr. March. 30.

Titus Præp. Salzb. fit Abbas S. Petri.

Chronicon Salisburg. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 339. ſequentia habet *DCCCCLXXXVII. Titus Præpoſitus S. Rudberti Monachus fit, & eo anno Abbas S. Petri.* Concordat Hundius Metrop. tom. 1. fol. 5. hactenus nempe Archiep. Salzburg. cum Pontificatu, curam ſimul Monaſterii ſuſtinuere, iidemque, qui Archi-Epiſcopi, erant etiam Abbates, ut vero bono diſciplinæ regularis conſuleret Fridericus, ad exemplum S. Wolfgangi, qui ea quoque de cauſa Abbatis S. Emerammi munus Epiſcopatui illi conjunctum dimiſerat, procurationem hanc Monaſterii S. Petri depoſuit ac Titonem ſeu Titum ex Præpoſ. Cathedr. Monachum S. Petri factum, iisdem Abbatem conſtituit, cum quo noviter in diſciplinam Monaſterii incubuit; addidit etiam Petrenſibus Monachis Eccleſiam S. Michaelis, aliaque plura beneficia.

S. Petri Abbat. diſtincti.

An. 991.

ANNO 991.

Indict. 2. Joan. XV. P. 7. Otton. III. Imp. 9 Ottoc. II. Styr. March. 1.

Frider. Salzb. obit.

Annus hic clariſſimis Germaniæ funeribus fatalis fuit, primo etenim Fridericus Salisburg. Archiep. ex hac vita migravit, Archi-Epiſcopus hic Pilgrinum ex Altahenſi tum Canonicorum Collegio *ad* infulam Patav. promovit, & S. Godehardum fere a puero *educatum* eidem Collegio Præpoſitum dedit, ut v. W. Levitam in vit. S. Godehardi ex cod. MS. Cæſar. Bibl. Vindobon. Idem Fridericus anno prio-

Altahenſes fiunt Monachi.

re conſilio Pilgrini, & Wolfgangi Altahenſe Monaſterium ſub Reg. Monachica S. Bened. conſtituit, quam & ipſe Godehardus amplexus *eſt.* Obiit vero Fridericus Kal. Maji, ut habent Necrolog. Admont. Capituli Salisburg. & Mortilogium Stainhauſeri, quoad annum vero conſentiunt Necrolog. Fuldenſ. & Annal. Saxo, ex quibus proin corrigendum eſt Chron. Admont. Salisburg. & diſcipulus S. Eberhardi in vita Hartwici tom. 6. Caniſii, qui ejus mortem anno 990. affigunt. Sepultus eſt in Sacello S. Gregorii, alias ante aram S. Andreæ.

Hartwic. Salzb. Arch. Com. Sponheim.

Succeſſit vero Hartwicus vitæ Sanctimonia & natalium ſplendore inſignis, e ſtirpe nempe Comitum de *Sponheim*, quorum ditio inter Rhenum & Moſellam, caputque regionis erat Crucenacum & Trarbacum. S. Eberhardi diſcipulus ait Hartwicum *ex regali proſapia oriundum*, de qua tamen nil fere conſtat, id certius Hartwicum noſtrum, Friderico

Frider. Com. de Sponheim conditor oppidi Spital & arc. Artenburg in Carinth. Ux. Richardis C. vall. Lavant.

fratri ſuo comparaſſe ditionem in *Carentania ſuperiore*, ubi is condidit oppidum *Spital*, & arcem *Artenburgum*, nuptiis dein cum Richarda Comite & Lavantinæ vallis hærede initis, ex hoc ſtemmate prognatos eſſe *Duces aliquot Carinthiæ Comites Lavantinos, Haymburgenſes, Sternbergenſes, Artenburgenſes, Guſſingenſes, Rechtenſes, Libenavienſes, Martersdorffenſes*, aliosque in Auſtriæ & Styriæ confinibus.

Pilgrinus Ep. Patav. obit.

Fridericum Salzburg. exeunte menſe Majo ſecutus eſt Pilgrinus Patav. & Laureac. Antiſtes, viam univerſæ carnis ingreſſus, Pagius cum Lambeccio ex MS. quodam Bibl. Cæſar Vindobon. eum ſeq. anno mor-

tuum docet, dies etiam mortis controvertitur, elogia Pilgrini abunde ex dictis conſtant. Succeſſit ei Chriſtianus Ottoni III. Chariſſimus & Pilgrino ſimillimus, niſi quod pallio caruerit. *Chriſtianus ſucc.*

Ex Pilgrini actis deducor etiam ad notandum Ottocari I. Marchionis noſtri obitum, refert enim Bern. Noricus de Pilgrino ſequentia: *Ille contulit Eccleſiæ noſtræ ſeu Crembsmünſter prædia (quæ ad eum devoluta fuerunt per Comites de Welſa & Lambacha, ſcilicet Arnoldum & Wilhelmum circa Trunam & Hauſruck & Aſcha) Ottochero Marchioni Styriæ filio Otacheri &c.* conſonat Diploma Altmanni anno 1082. & 1088. quæ inter mea in fine vide num. 1. & 2. ex quibus proin ſequentia deduco *1mo*: Ottocarum I. adhuc ante Pilgrinum deceſſiſſe, proin ſi non antea, ſaltem hoc anno, cum Pilgrinus dicatur Ottocari I. filio, Ottocaro nempe II. ea prædia contuliſſe, ut jam Diſſert. 4. cap. 2. §. 4. 5. & cap. 1. §. ultimo oſtendi. *2do*: Comites de Welſa & Lambacha fuiſſe Ottocaris noſtris conſanguineos, uti clare ex Diplomate Altmanni anno 1088. pateſcit, de quo v. dicta Diſſert. 4. cap. 2. § 4. & cap. 6. §. 4. *Ottocar. I. Styr. March. obit.* *Com. de Welſ & Lambach conſang. Ottoc. I. &c.*

Obiit proin hoc certe anno, ſi non antea (potuiſſet enim Pilgrinus ea prædia etiam anteriore tempore conferre Ottocaro II.) Ottocarus I. & reliquit poſt ſe filios Ottocarum II. Adalberonem, ac Attalam filiam, de qua tamen valde dubito, plura ad an. 1038. occurrent. *Ejus proles.*

Ottocarum vero II. fuiſſe filium Ottocari I. præter cit. Bern. Norici teſtimonium affirmat etiam MS. Genealogicum Vorav. his verbis: *Ottacher Marchio Styrenſis*, ſeu II. *filius Ottachyr Marchionis*, nempe I. Prevenhueberus ex Chron. MS. Haſelbachii, Ottocarum hunc II. filium Ottocari I. fuiſſe & temporibus Henrici II. circa an. 1002.: Et 1024. vixiſſe docet, Chronicon tamen editum Haſelbachii apud P. Hier. Pez tom. 2. col. 714. longe aliter ſentit, & Ottocarum IV. vocat I., eumque bellum geſſiſſe cum Adalberone fratre circa Leuben occiſo narrat. *Ottoc. II. Styr. March.*

Quamvis itaque MS. Chron. Haſelbachii, a mea non abiret ſententia, vix tamen credo Haſelbachium ſibi contraria docuiſſe, niſi fors errorem uno in loco admiſſum, in altero corrigere voluerit, Prevenhueberi vero hac in re errores adnotavi Diſſert. 4. cap. 2. §. 1. *Obtinet beneficia a Pilgrino.*

Hic proinde Ottocarus II. a vivente Pilgrino beneficia dicta accepit, ut ſic Marchiam ſuam ſatis adhuc tenuem augeret, quæ omnia fuſius deduxi Diſſert. 4. §. 4. 5. &c. cap. 2.

ANNO 993. *An. 993.*

Indict. 6. Joan. XV. P. 9. Otton. III. Imp. 11. Ottoc. II. Styr. March. 3.

Otto III. hoc anno Trotmaniam veniens rogatur a Chriſtiano Epiſc. Patav. ut jura ac privilegia Paſſav. Eccleſiæ confirmaret, annuit Rex piiſſimus, & nominatim Abbatias Crembsmünſter & Matſee cum capella Oetingenſi ei confirmavit indict. 6. proin hoc anno v. Diplom. apud Hundium tom. 1. pag. 241. Author. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 232. qui etiam fol. 231. aliud Ottonis Diploma adfert 8. Id. Febr. datum, quo vetitum ab Ottone ne in feudis, locisque aliis ſuæ Eccleſiæ *Steuram* (quæ vox antea in publ. monumentis non occurrit) ſeu tributum quis exigat. *Cremifan. & Matſee Abbat. dantur ſeu Pat. cum Oeting. cap.* *Steuræ nomen qdo. ortum.*

Eidem

Chriſtiani Pat. lis cum Leop. Auſtr. Eidem Chriſtiano litem fuiſſe cum Leopoldo Marchione Auſtriæ eodem fere modo, quo an. 983. ſub Pilgrino, unde forſitan præcedens Diploma de Steura e bonis Eccleſiæ Patav. non exigenda emanaverit. De qua tamen lite alii Authores præter Auth. Germ. Sacræ cit. nil memorant.

Quoad Monaſteria prædicta ſciendum eſt, Monaſteria Cremifan. & Matſeenſe jam dudum fuiſſe Eccleſiæ Patav. adſcripta, eoque jure uſos Epiſcopos quosdam, bona quædam Cremifan. Monaſterii, beneficiario jure contuliſſe nonnullis etiam Laicis (uti Pilgrinus an. 991. Ottocaro) ita enim ait Bern. Noricus apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 1306. de Chriſtiano: *Hic uſurpavit cum Leopoldo Marchione, & Comitibus Berngero & Engelberto prædia Eccleſiæ in Chrembsmünſter, in Petenbach, ſed tantum reſtituit, quæ de manu orientalis Comitis de Welſa & Lambach ante eripuit. Hic etiam ſpecialem ſibi jurisdictionem in noſtra Eccleſia vindicavit, unde dicit in privilegio, Chrembsmünſtrenſem Eccleſiam S. Patavienſi ſede jure legitimo pertinentem, ideo ſcilicet, quia anteceſſor ejus decimas Eccleſiæ Chrembsmünſtrenſi dedit, ut pie creditur ab antiquis.* Hæc tamen ultima Bernardi Cremifanenſis ſtropha ſatis refellitur ex dictis hactenus, imo ex Annalibus ejusdem Cœnobii, qui principium jurisdictionis referunt ad calamitates temporum per Hungaros excitatas. V. an. 1013. Injuſtam fuiſſe horum bonorum abalienationem teſtatur Diploma Henr. IV. an. 1099. apud Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol 232. &c. carebat nempe Monaſterium Cremifan. & Matſeenſe Abbate proprio, diſciplina regularis procumbebat, donec id S. Godehardus anno ſeq. reformaret.

Hartwici Salzb. res. Hartwicus Metropolita Salisburg. inſtauravit Baſilicam ſuam ruinas jam-jam agentem, altaria mutavit, ac de integro conſecravit. *Transtulit etiam corpora SS. Chunialdi & Giſilarii, ad corpus eorundam quondam compatriotæ S. Patris Rudberti die* 8. *Kal. Octobr.* an. 993. Ita diſcipulus S. Eberhardi.

An. 994. ANNO 994.

Indict. 7. *Joan.* XV. *P.* 10. *Otton. III.* 3. *Reg.* 12. *Ottoc. II. Styr. March.* 4.

Annus peſſimus. Hyems hujus anni erat graviſſima a Nov. menſe ad medium Majum continuata, & frigore ſemper deſæviens, hyemem excepere venti perſrigidi ac peſtilentes, ſic ut noctibus pluribus roris loco pruina caderet, ſatis arboribusque pernicioſa. Secutum eſt 9. Julii gelu inſolitum, exinde ſiccitas tanta, & imbrium inopia, ut prata areſcerent, fruges & ſata interirent, nata exinde fames, indeque lues pecorum, hominumque, quæ in Saxonia maxime, in tertium annum *Hart. Salzb. res.* graſſabatur. Hæc inter mala Hartwicus Archiep. Salisburg. explicuit viſcera Charitatis, fecitque, quod Patrem ac Paſtorem decebat.

Leop. Auſt. obit. Menſe Julio ejusdem anni hujus Leopoldus e Babenberg. Marchionibus primus Auſtriæ Marchio inopino caſu exſtinctus eſt; enata erat inter Berwardum Epiſc. Wirzburg. & Henricum Schweinford. Marchionem ingens controverſia, quod is Everkerum equitem, & Wirzburg. Eccleſiæ Fiduciarium oculis privaverit, Henricus Marchio ad preces Berwardi exilio mulctatus eſt, at facti pœnitens ab Ottone III.

uterum

iterum receptus, atque Berwardo eſt commendatus, non tamen inde aliorum animi ſunt conciliati, cum enim Henricus Schweinford. cum Leopoldo propinguo ad celebrandum S. Kiliani feſtum Wirzburgum veniret, infeſtas manus nonniſi cæde Leopoldi evaſit, fallente enim ſagitta, ab excæcati Everkeri amico vulneratus eſt pro Henrico Leopoldus, & facta confeſſione 6. Idus Julii expiravit, ibidem ſepultus, ita Dietmar. lib. 4. pag. 352. & Annal. Saxo, P. Hier. Pez tom. 1. Diſſert. 5. §. 19. tom. 2. fol. 696. Succeſſit ei in virtute, fide, prudentia, ac Marchionis officio Henricus filius voluntate Ottonis III. ut patet ex Diplom. Ottonis ad an. 995. & 996. apud Meichelbeckium tom. 1. pag. 191. & 193. obſuit famæ nominis ejus, quod a vulgo Scriptorum confunderetur cum Henrico Schweinford. Marchione rebelli, ſicque male rebellis diceretur.

Henr. fil. March. Auſtr.

Male dicitur rixoſus.

Leopoldi hujus funus Wirzburgi primo ſepultum, anno 996. ut habet Aloldus Pechlarienſis apud Authorem Faſtor. Campililienſ. tom. 1. fol. 71. in caſtrum Mellicenſe a ſe in collegium Canon. verſum translatum eſt: alii tamen annum translationis hujus ſe ignorare dicunt, cum Dietmarus dicat an. 1015. de Erneſto in venatione occiſo, *ſepultus Wirzeburg. juxta Patrem ſuum Marchionem Luipoldum*, de quo videndus eſt cit. Author Faſtor. Campililienſ. fol. 75. tumulus Leopoldi adhuc Mellicii viſitur, v. Pez Hier. tom. 1. Diſſert. 5. §. 20.

Leopoldi funus Mellic. defertur.

Abiit ad Superos hoc etiam anno S. Wolfgangus Epiſc. Ratisbon. & quidem *Puppingæ in Auſtria inferiore*, ut habet Scriptor vitæ ejus familiaris. In Auſtriam enim deſcenſurus, ultra febri detentus venire non potuit, petiit itaque in Oratorium S. Othmari ibidem deportari, ac SS. Euchariſtia refectus, & confeſſione expiatus, poſtquam Tagmoni ſuo familiari Archi-Epiſcopatum prædixit, obiit pridie Kal. Nov. in loco S. Othmari memoriæ ſacro. Dum dein de ſepultore Epiſcopo deliberaretur, adeſt, ut prædixerat, Hartwicus Archiep. Salzb. cum Aribone Comite ac Præfecto ſuo, qui 7. dein die corpus S. Wolfgangi Ratisbonam detulit, & ad S. Emerammi honorifice tumulavit. Succeſſit ei in Epiſcopatu Gebehardus I. Com. de Hochenwart, qua ex familia ſurculos adhuc in Carniolia Valvaſor. Chronico Carn. lib. 9. fol. 21. exſtare teſtatur.

S. Wolfg. Ep. obit Puppingæ in Auſtr.

Sepult. ab Hartwico Salzb.

Gebehard. Hochenw. Com. Ep Ratisb.

ANNO 995.

An. 995.

Indict. 8. Joan. XV. P. 11. Otton. III. Imp. 13. Ottoc. II. March. Styr. 5.

Annus hic rurſum fame, peſte, hoſtilitate Sclavorum rebellium funeſtus fuit, Abodriti compreſſi quidem, nondum tamen perdomiti, interim vero Legati ex Italia adſunt Ottonem III. ad coronam Imperii capeſſendam invitantes.

Annus fatal.

Neſcio, quæ, ingens controverſia tamen, inter Henricum Bav. Ducem & Gebehardum Ratisbon. Epiſc. feliciter Quedlimburgi eſt compoſita, quo in loco Henricus Bavariæ Dux, ſororem ſuam Gerbergam loci Abbatiſſam ſalutavit, ac dein in morbum ſibi ſupremum lapſus eſt, comperto periculo Henricum filium ſuum, Sanctum dein Imperatorem advocat, eique majorem in Regem fidem ac obſequium, quam ipſe

Henr. II. rixoſ. Bav. Dux obit, ſoror ejus Gerberga Ab. Quedlinburg.

præſtitiſſet, commendat, ſicque in Bavariam remittit. Inde vero pie ac devote obiit 5. Kal. Sept. ibidem in medio Eccleſiæ coram ſummo altari tumulatus; ita Dietmar. & Annal. Saxo. Succedit eidem electione Bajoariorum & Regis Ottonis III. conſenſu Henricus filius, dein Imperator ac Sanctus, paulo antequam obiret Henricus, ab Ottone III. *Godeſcalcus Epiſc. Friſing. Ulmerveldam in Auſtria infer. cum 6. regalibus huebis ſecus Ipſam fluvium in marca & Comitatu Henrici Comitis & Auſtriæ Marchionis* ſitam impetravit conſilio & interventu Henrici Bav. Ducis poſtquam Ipſe Godeſcalcus *prædiolum quoddam ſuæ Eccleſiæ jacens in confinio noſtræ* (inquit Otto III.) *proprietatis, orientalis urbis, quæ dicitur Chremiſa, ſeu Crembſa* in manus regias tradidit. Diploma hoc adferunt Pez Hier. tom. 1. Diſſert. 2. §. 17. Meichelböck tom. 1. part. 1. pag. 191. Godeſcalcus hic Abrahami Friſing. Ep. an. 993. defuncti ſucceſſor erat. Eodem hoc an. Joannes IV. Patr. Aquil. ſententiam tulit in Comitatu Vicentino in loco villa 14. Febr. & menſe Nov. Synodum celebravit totius Provinciæ, acta periiſſe videntur, documenta tamen quædam ejus Synodi adfert de Rubeis cap. 53. num. 2. & 3.

Filius.

S. Henric. Imp. qui ſucc. nomine Henr. III. Henr. Auſt. Mar.

Joan. IV. Aquil. res. Synodum celebr. in loco villa.

An. 996.

ANNO 996.

Indict. 9. Greg. V. P. 1. Otton. III. Imp. 14. Ottoc. II. Styr. March. 6.

Henr. min. Dux Carinth. obit.

Scriptores Boici Aventinus lib. 5. Brunner lib. 8. Adlzreit. lib. 14. Henrici Carentani Ducis mortem ad an. 979. vel 983. Necrologium vero Fuldenſe ad an. 989. refert, Altachiique prope Patrem ſepultum eſſe affirmat. Sed ex Ottonis III. Diplomate an. 993. dato apud Meichelböck tom. 1. part. 1. pag. 185. & apud Hundium tom. 1. pag. 93. mors Henrici minoris ad hunc annum differenda videtur, eo enim in Diplom. aperta Henrici Carentan. Ducis fit memoria, *atque* Ughellus etiam an. 993. adfert judicium, quo *Henricus Karentan. & Veronenſ. Dux* appellatur, unde ſequor Chron. Salzb. ad an. 997. vel Dietmarum lib. 5. pag. 370. Annal. Saxon. & Hildesheim ad hunc annum ejus mortem enarrantem, quo proin anno etiam Otto Dux ei iterum in Carentania & Veronenſi Marchia ſucceſſit.

Otto iterum Dux Carinth.

Confuſionem magnam in hiſtoria hujus temporis pariunt Ottones & Henrici Duces, ad quam evitandam jam an. 978. ſchema genealogicum quoddam breve poſui; ut reliquis obvietur, ſequentia notanda, *anno* 977. Cl. de Rubeis cap. 52. num. 10. adducit Diploma, in quo *Henricus Carentaniæ Dux* appellatur, erat vero hic ipſe, qui hoc anno defunctus eſt, atque *Henricus minor* dici ſolebat.

An. 983. nulla Provinciæ mentione occurrit *Otto Dux*, hic vero fuit Dux ille Franconiæ, & Carinthiæ, Henrico minori an. 978. exuli ſuffectus, nam Otto Dux Alemanniæ & Bajoariæ Henrico rixoſo ſuppoſitus, jam an. 982. obierat.

An. 993. in Orthelberto Veron. adſert Ughellus judicium, in quo *Henricus - - Karentanen. atque iſtius Marchiæ Veronenſium Dux appellatur.* Unde hic ipſe cenſendus eſt Henricus minor, antea exauthoratus, atque an. 985. ab Ottone III. denuo reſtitutus.

An. 996. Chronogr. Magdeburg. & *an.* 1003. Dietmarus in Chronico lib. 5. habent: *Ottonem Carentan. Ducem & Veronenſium Comitem*, qui nempe an. 985. amore pacis, Henrico minori, Carinthiam, cui an. 978. Præfectus erat, ceſſit, atque hoc anno eidem Henrico defuncto in eodem ſucceſſit. Hæc pro ſequentibus & connexione hiſtoriæ.

Interim vero Otto III. Rex Romam petitus, dum eo veniret, audiit Joan. XV. Pontif. expiraſſe: hinc Romanis novum Pontificem electuris, propoſuit Brunonem regio oriundum ſanguine, & ſæcularibus litteris egregie eruditum, qui mox electus & conſecratus eſt ſub nomine Gregorii V. Erat hic Bruno, ut an. 979. dixi Ottonis Carentaniæ Ducis filius, cujus proin avus Conradus Lothar. Dux, avia Luitgardes Ottonis M. filia fuit. Non itaque Bruno hic ſeu Gregorius V. filius fuit Ottonis alterius Ducis Alemanniæ & Bajoariæ an. 982. defuncti, cum hic teſte Herman. Contr. Lamberto Schaffnab. Necrolog. Fuldenſi & Gerhardo in vita S. Udalrici cap. 28. Virilis ſtirpis nullum reliquerit hæredem.

Otto III. Romam venit.

Greg. V. P. Otton. Carent. Ducis filius.

Gregor. itaque Pontifex 21. Maji Ottonem III. Imp. & Auguſtum coronavit in ipſo feſto Aſcenſionis Domini, manſitque Otto in Italia uſque ad menſem Octob. Kal. Nov. in Bruchſelle ad Rhenum exſtitit, ibique Godeſcalco Epiſc. Friſing. *ad preces S. Henrici Ducis Niuvanbovam, hodie* Waidhofen, in Marcha & in Comitatu Henrici Comitis, *cum* 30. *regalibus huebis in regione, vulgari vocabulo Oſterrichi in Marcha, & in Comitatu Henrici Comitis, filii Luitpoldi Marchionis donavit indict.* 10. *nempe poſt Septembrem cœpta.* V. Diploma apud Pez Hier. t. 1. Diſſert. 2. §. 18. Hund. tom. 1. Metrop. Salisburg. pag. 139.

Otto III. Imp. Henr. III. Dux Bav.

Waidhofen in Auſtria datur Friſing. Henr. March. Auſtr.

ANNO 997.

An. 997.

Indict. 10. *Greg. V. P.* 2. *Otton. III. Imp.* 15. *Ottoc. II. March.* 7.

Sanctum Adalbertum Prag. Epiſcopum jam an. 983. vel ſeq. Hungaris fidem prædicaſſe docet Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 227. ubi enim turbæ Hungarorum in Auſtriam finitæ, Pilgrinusque eis denuo prædicationem impendere volebat, ad cœleſtem patriam eſt evocatus. Adalbertus itaque Epiſc. Pragenſis, Geyſa jam ruditer in fide informato, atque baptizato in Hungariam venit.

Hung. converſio.

An. Adalbert. Ep. Pragenſ. Hungar. Apoſtol.

Cum enim in Bohemia ob vitia nihil proficeret, eam Provinciam reliquit, Romamque adiit circa an. 983. ubi etiam uſque ad an. 993. permanſit. Unde per ſuos Legatos potius Hungaror. converſioni inſudaſſe videtur, nec enim ulla ejus adventus in Hungariam ratio, nec tempus manſionis in Hungaria occurrit. Interim vero hoc circa an. Geyſa in Hungaria Rex obiit, cui Stephanus filius ex Sarolta matre (duas enim uxores Chriſtianas Geyſa habuit) ſucceſſit. Stephanus hic an a præſente S. Adalberto baptizatus fuerit? cenſent quidem plurimi, ſed Stephanum poſt an. 983. natum, & ab Adalberto baptizatum ſimul docere debent; nec eſt, quod miremur, Adalbertum manum in alienam Pilgrini meſſem miſiſſe, nam vaſtata ab Hungaris eo tempore Auſtria, facile credibile, Hungaris cum Pilgrino & Auſtriacis nil rei fuiſſe, ſicque deſtitutæ a Paſſavienſibus Pannoniæ Adalbertum alienum ſuccurriſſe.

Geyſæ Regi Hung. def. ſucc. Stephanus.

S. Lamberti in Styr. ſup. Eccl.

Frælichius Diplom. S. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 270. adfert Diploma Otton. III. pro Eccleſia S. Lamberti nunc in Styria cum Monaſterio ſita, id Frælichius intra an. 996. & 1002. datum opinatur. Eccard. tom. 2. fol. 36. an. 964. Megiſerus lib. 7. fol. 680. cum Lazio lib. . fol. 163. an. 989. at intra hos annos a Frælichio ſtatutos reponendum cenſeo binis de cauſis, 1*mo:* Quod eo in Diplom. Otto Dux Carentaniæ memoretur, qui præcedenti anno, ſecunda vice Henrico minori ſucceſſit. 2*do:* Quia in eodem Otto III. Imperatorem dicit, qualis utique primum anno priore factus eſt. In hoc itaque Diplomate Otto ad interceſſionem *Ottonis Carnorum Ducis* confert *quoddam* ſuæ *proprietatis ſpatium in monte Carentino* cum dimidia parte ligni montis illius in latere poſiti ad Eccleſiam S. Lamberti Martyris, ſub ſuum *Mundiburnium*, ſeu defenſionem etiam recipit dictam Eccleſiam, *cum omnibus S. Lamberto ſervientibus, & ut liceat Rectoribus ſupradicti, & fratribus in eo Chriſto, & S. Lamberto militaturis &c. quieto jure poſſidere &c.* Deeſt locus & annus.

In eam Otto III. beneficus.

Mundiburnium quid?

An hoc jam an. id Monaſterium ſub ord. S. Ben. fuerit.

Hoc in Diplomate nil de Benedictinis, Abbate exprimitur, militaturi autem illi fratres non illico inter Monachos ſunt recenſendi, ut obſervat Frælichius in notis hujus Diplom. Monumenta certo ipſa a S. Lambertinis edita, Authorem Monaſterii hujus Benedictini ad an. 1066. v. 1074. Marquardum inceptorem, ac an. 1090. Henricum filium conſummatorem ſtatuunt, hoc vero anno Sacram D. Benedicti familiam inibi exſtitiſſe ægre quis probabit, niſi invictis argumentis oſtenderit, fratrum nomen ſolis Monachis Benedictinis fuiſſe attributum. De prima Eccleſiæ S. Lamberti origine jam Sæc. 8. in Caraſtro Carnorum Principe ſermo fuit.

An. 999.

ANNO 999.

Indict. 12. *Sylveſt. II. P.* 1. *Otton. III. Imp.* 17. *Ottoc. II. Styr. March.* 9.

Paſſav. Eccl. privilegia.

Aberat in Italia Otto Imp. Romæque Chriſtiano Epiſc. Paſſav. ad preces Henrici Ducis Bavar. mercatum, monetam, bannum, teloneum, & omnia Regis jura conceſſit, ejusque ſucceſſoribus confirmavit 3. non. Januar. indict. 12. Diploma refert Gewoldus in addit. Hundii tom. 1. pag. 242. & Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 233. inter res geſtas Aquil. Eccleſiæ refert de Rubeis cap. 53. num. 5. quod Joannes Patr. Aquil. Ottoniani Diplom. fultus præſidio invaſerit Ruvinii Parochiam, & 2. caſtella cum valle, tanquam plebes Eccleſiæ Aquil. urgetur vero a Pontif. ad reſtitutionem ac imploratur opera Henrici Ducis Carentan. & Marchæ Veron. Suſpecta mihi hæc narratio videtur cum tempore Sylveſtri II. P. ab an. 999. ad 1003. regentis, nullus Carinthiæ Dux Henricus fuerit, ut ex prædictis patet.

Joan. Aquil. res.

An. 1000.

ANNO 1000.

Indict. 13. *Sylv. II. P.* 2. *Otton. III. Imp.* 18. *Ottoc. II. Styr. March.* 10.

S. Stephani Regis res & prælia

Annus hic Ottonem Germaniæ reddidit, quo etiam Stephanus Dux Hungariæ Legatum ſuum Aſtricum ſeu Anaſtaſium Romam miſit

cauſam

cauſam regni acturum, interea cum Cupa Simegienſi Comite, Regni æmulo agendum ei erat, quem invocata SS. Georgii & Martini ope per Wecellinum ſeu Wencellinum Comitem genere Alemannum copiis Præfectum feliciter devicit, vovit in prælio Stephanus ſe decimas Deo victori daturum, votique compos, totum populum in Provincia Comitis Cupara degentem, decimas omnes Cœnobio a ſe fundato S. Martino perpetuo jure decrevit, ita Chartuitius. *Monaſt. S. Martini in Hungar.*

Inde 10. Epiſcopatus inſtituit ſub matre Strigonienſi Eccleſia, Colocenſi Aſtricum vel Anaſtaſium Abbatem montis ferrei præfecit, atque pro confirmatione, ac corona regia Aſtricum ad Papam miſit, qui nil moratus Stephano (quem Dietmarus & alii etiam Waic appellant) coronam regiam, crucisque ante ſe ferendæ poteſtatem tranſcripſit, ſicque feſto Aſſumpt. B. V. M. Rex Ungariæ eſt inauguratus. *10. Epiſcopatus erigit ſub Strigonienſi.* *Steph. I. fit Rex Hungariæ,*

Nuptiæ Stephani cum Giſela S. Henrici ſorore hoc nondum tempore peractæ, cum Giſelam Reginam memorare ſuis in litteris non intermiſiſſet Sylveſter, ſed nec ultra tres annos differendæ videntur, cum quarto poſt anno Bruno frater ad Giſelam ſororem in Hungariam fuiſſe legatur. *Nuptiæ ejusd.*

Dubia ex his nonnulla conſurgunt, quomodo nimirum Pannonia a S. Laureacenſis & Salisburgenſis Eccleſiæ jurisdictione ſit avulſa? quis Anaſtaſium Colocenſem Archi-Epiſcopum conſecraverit? an pars Auſtriæ inferioris a monte Cetio ad Leytham ab Hungaris ad an. 1043. retenta, jus Sacrum a Paſſav. vel ab Hungariæ Epiſcopis mutato nunc foro acceperit? &c. *Hungariæ & Auſtriæ rel.*

Antiquum ſuper his teſtimonium non exſtat. Aſtricus probabilius Romæ conſecratus, ac Nuncius Apoſtolicus miſſus fuerit ad lites finium inter Paſſav. Salzburg. & Hungariæ Epiſcopos terminandos. De Auſtriæ parte a monte Cetio ad Leytham nil conſtat, niſi quod in jus Imperii Germanici revocata, mox Paſſavienſem ſuum agnoverit Antiſtitem.

SÆCULUM XI. *Sæc. XI.*

Præfatio de origine Comitum Celejanorum.

Ne genealogicis ſeriem decurrentis hiſtoriæ multum interturbarem, anno 1000. de Celejæ Comitum origine referre quæpiam omiſi, quam eo anno recenſere potuiſſem, eo quod Lazius doceat, Wolfgangum & Henricum Heunburgios eo anno Stephano Hungariæ Regi in bello illo cum Cupa habito ſuppetias tuliſſe, ita Lazius lib. 6. de migrat. gent. fol. 180. ſi Lazio credimus, ſtirps Comitum Souneckiorum a communi cum Heunburgenſibus, Sternbergiis, Trevenſibus origine defluxeret, eaque ad Engelbertum Sponheimenſem referrenda eſſet. Liceat referre Lazii cit. verba fol. 180. 182. *De Comitibus Ciliæ, Comites a Cilia & Segor, & Liberi a Souneckh, cognati Comitum a Sternberg, Treven & Haynburg, immo ex eodem capite deſcendentes, eademque inſignia uſurpantes, tres videlicet aureas ſtellas in clypeo cœleſtino.* Sternbergios vero & Heunburgios, rubro in clypeo tres aureas ſtellas oſtentaſſe alibi monet Lazius. E Souneckiis Lazius primum profert Ulricum circa an. *Præf. de origine Comitum Celej.* *Souneck origo. an Engelbertus Spanheim. Auth.*

1304. nulla ulterioris originis mentione, Heunburgiorum Comitum ſtirpem paulo altius repetit loco citat. de quibus ſuo loco. Scutorum tamen ſimilitudinem non continuo identitatem ſtirpis evincere vel ex eo conſtat, quod ea ſubin ex nuptiis, mutuisque ſucceſſionis pactis proveniat. Celejanos Comites affinitate & mutuis pactis, Ortenburgiorum in Carinthia fundos obtinuiſſe, & non ſine affinitatis ratione Heunburgiorum hæreditatem a Celejanis & Pfanbergenſibus aditam fuiſſe, ſuo loco oſtendam; non tamen interim negaverim aliquem ſanguinis nexum inter Celejanos & Heunburgios exſtitiſſe.

An ſcutorum ſimilitudo identitatem ſtirpis evincat.

Ut rem paucis expediam, jam Diſſert. 4. cap. 5. §. 5. monui. Souneckios a Wilhelmo Wimmarienſi Comite circa an. 1002. vivente, atque e Souneckiis Celejanos Comites eſſe deducendos, ſeriem ita ſtatuit Frælichius Specimine 1. Geneal. Souneckior. pag. 10.

Wilh. de Wimmar Souneck & Celej. Author.

Wilhelmus Com. de Wimmar in Thuringia an. 1002. Princeps M. dictus obiit 1034. Uxor I. N. 2. Oda dein Dedonis III. Thuring. Com. Uxor.

Wilhelmus Marchio Thuring. Meridion. 1046. ſponſ. Sophia Bel. I. Hun. Reg. filia v. a. 1060.

Otto de Orlamunde March. poſt fratrem. uxor Adela.

Poppo Comes de Wimmar.

Oudalricus ſeu *Ulricus I.* Marchio Carinthiæ 1062. ux. Sophia, ſponſa, patrui Wilhelmi.

Weringandus Com. 1095. 1106.

Poppo Marcb. cogn. *Starchand.* v. 1095. circ. *Marchio* fuit *de Soune.*

Ulricus II. jun. Com. v. an. 1095. 1112.

Rudolfus dubius.

Bertbold. Comes de Bogen.

Hæc expoſui Diſſ. 4. cit. cap. 5. §. 5. Proximi a Poppone, ſeu Starcardo deſcendentes incogniti ſunt Frælichio teſt. qui ſchema ita continuat:

Gebbard. I. & II. de Souneck & III. Robats de Albertus.

Filia Popponis N. Bertholdo Comes Bogen nupta. *Starchand. jun.* 1160. *Gebbard. I. de Sounek* 1173.

Berchta ux. *Frid. ſen.* Advocati Ratisbon.

Gebbard II. nobil. de Sounek 1209. ad 1227.

Chunradus Gebhardi filius 1224. cum patre.

Richerus ux. *Sophia* Fundatr. Studenitz. an. 1263.

Sophia filia *Alberti de Robats*

Frider. I. Lib. de Souneck Celej. redimit, & I. Com. Celej.

Leop. 1262. ad 1278. ux. Marg.

Ulric. I. 1262. ad 1309. ux. n. filia Ulric. Com. de Heunburch.

Gebhardus III. D. *de Sounek* 1276.

Waldſee de Diemuth.

Frider. I. Lib. de Souneck 1313. 1331. Celejam redimit, & circa an. 1341. fit Comes Cilejenſis a Ludov. IV. Imperat. ux. I. Anna Joan. Sax. Duc. filia 2. Diemud fors de *Waldſee.*

Hæc prima Illuſtriſſimæ hujus familiæ origo, poſteros ejus ſuo loco recenſebo. Hübnerus tab. Geneal. 563. originem ab Udalrico I. de Sounec. deducit, in eo tamen deviat, quod Fridericum I. Comitem Cilejenſem, hujus Udalrici nepotem ſtatuit, & Leopoldum ejus patrem, quem tamen in ſchemate ſolum Udalrici I. fratrem, non filium exhibui. Eodem modo cum Hübnero Genealogiam Comitum Cilejenſium deducit Bucelinus Stemmatagr. part. 4. ab Udalrico nempe Domino de Souneckh, atque hujus filio Leopoldo, quem Liberum Baronem

nem vocat, Fridericum primum Comitem Cilejæ progenitum affirmat, aſt Leopoldum hunc non filium, ſed fratrem Udalrici fuiſſe exhibet Frælichius ex repertorio tabularii Auſtriaci MS. part. 3. fol. 813. ladula 89. ubi in compoſitionis inſtrumento nominantur *duo fratres Leopoldus & Ulricus de Sonnegg.* Ex his itaque antiquiſſimæ hujus familiæ idea quædam concipitur, patetque eos antea *Liberos de Soaneck* appellatos fuiſſe a caſtro vel *Suneck* in Carinthia, vel alio *Soanegg* in agro Celejano ad fluvium *Sanam*, quod vocabulum contractum e Sclavico *Savina* ſeu *Savus minor* ſonat, etenim in Savum ſe effundit *Sana*; quemadmodum alter agri Celej. fluvius *Dran* vel *Dræn* vulgo dictus, Sclavis *Dravina* ſeu *Dravus parvus* dicitur, ut ex Popovitiſio oſtendit Frælich.

Saneck & Suneck caſtra. *Sana fl. quis?* *Dræn fluv. quis?*

Quod vero Lazius ſupra cit. docet, Wolfgerum & Hedericum Heunburgios Comites anno 1000. Stephano Hung. Regi in bello illo ſuppetias tuliſſe, id neque Thuroczius, nec Aventinus, nec Bonfinius memorat.

Heunburg. de Wolfger. & Hederic.

ANNO 1001. *An. 1001.*

Indict. 11. *Sylveſt. II. P.* 2. *Otton. III. Imp.* 19. *Ottoc II. March.* 11.

Romæ hoc anno cum S. Henrico, Bavar. Duce egit Otto III. Imp. ibique in Synodo coacta, Berwardo Epiſc. Hildesheim. & impoſitio velaminis Sophiæ Ottonis III. Sororis, & Monaſterium Gandersheim. adjudicabatur.

Otto III. agit Romæ.

Dein vero Otto contra Tiburtinos rebelles progreſſus eſt, qui tamen opera S. Romualdi reconciliati, & in gratiam ſunt recepti, ſed illico Romani inſurrexere, quos tamen tempeſtiva Ottonis III. oratio deterruit, & ad fletus uſque compunxit, mutabile tamen Romanorum ingenium Duce Gregorio Ottonem in extremum conjecerunt periculum, quod ubi evaſit, populo huic rebelli, ubicunque potuit, nocuit.

Antequam Otto hoc anno ſecundo Romam accederet, inſigni Diplomate Eccleſiam Aquilejenſem affecit, quod recitat de Rubeis cap. 53. num. 6. ex quo habemus, Eccleſiæ huic medietatem caſtelli dicti Siligani, & medietatem unius villæ, Sclavonice *Gorizia* &c. dictæ datam fuiſſe. Diploma Ravennæ datum eſt. *Goritiæ* nomen an Comitatum illum deſignet, ex quo Comites Goritiani provenere? utcunque probabile videtur, cum nomen recens ſit, & a Sclavis impoſitum, & concordet ſitus loci *inter Sontium fluvium, vipacum & Ortona, atque juga alpium.* An vero Goritia veteri nomine Noreja dicta ſit, Diſſert. I. oſtenſum eſt.

Aquilej. ſedi beneficus. *Goritiæ vet.*

Quandoque demum ſive hujus, ſive elapſi anni fine S. Godehardus Abbas Altachenſis præfectus fuerit Tegernſeenſibus a S. Henrico Duce Bavariæ, illud tamen utcunque certum eſt poſt Gozbertum Abbatem, eo fuiſſe miſſum, ut Monachos contra regulam ſub proprietate viventes corrigeret, quod etiam expleto uno anno & 2. menſibus feliciter effecit, regimenque reliquit Eberhardo I. Suevo de Cella, quæ ſylva dicitur, eisdem Tegernſeenſibus a S. Henrico, Abbate conſtituto.

S. Godehard. Abb. Altach. Tegernſeenſes reformat.

Inter monumenta Tegernſeenſia, atque epiſtolas Gozberti Abbatis apud Bern. Pez tom. 5. ancedot. fol. 123. num. 5. reperio unam,

quæ

Meginhelmus Auſtriæ Comes. Auſtria orient. vel orient. regio.

qua idem Gozbertus ſcribit, *Meginhelmo Auſtriæ Comiti*, ut ſibi nonnihil frumenti in victum fratrum elargiretur. *Auſtriam* vocat *orientem* ita enim ait *de familia noſtra, quam in oriente habemus*, & inferius *in regione orientali, qua vos dominamini.* Nomen hoc Auſtriæ permanſiſſe uſque ad an. 1150. oſtendit Hier. Pez tom. 1. Script. Auſtr. Diſſert. 2. §. 19. 20. &c. *Meginhelmus hic Comes*, Marchio primarius Auſtriæ non fuit, conſtat enim Henricum Marchionem an. 994. ſucceſſiſſe Leopoldo patri ſuo, cenſeo itaque Meginhelmum hunc Comitem, privatum loci cujusdam in Auſtria Dynaſtam fuiſſe, quales alios plures hoc tempore legimus, v. an. 1045.

An. 1002.

ANNO 1002.

Indict. 15. Sylveſt. II. P. 4. Henrici II. Imp. 1. Ottoc. II. March. 12.

Otto III. miſer & ager.

Conſtituerat Otto III. hoc anno proterviam Romanorum miſſo exercitu compeſcere, ſed quoniam ipſis jam| Germanis ita inacceptus eſſet, ut ni S. Henrici Bavariæ Ducis modeſtia obſtitiſſet, Caroli Craſſi exauthorati exemplum imitati fuiſſent, tulit hæc Otto, ut potuit, donec erumpentes puſtulæ & interiora prementes, præſentiſſimum adeſſe periculum mortis indicarent, quare ingraveſcente morbo, *Sacramento Corporis & Sanguinis Domini munitus inter verba puræ confeſſionis* 10. *Kal. Febr.* ut ait Tagmarus in vita Bernwardi Epiſc. cap. 33. vel 9. *Kal. Febr.* ut Dietmarus, obiit: Annales Hildeſienſ. morbum *ejus febrem & morbum Italicum* appellant. Plura de Ottone figmenta, *ejus pietati* non convenientia tuto omitto, aliunde a plurimis jam exploſa.

Moritur.

Cum vero paterno in oppido obiiſſet Otto, ne exercitus ejus a Romanis quid pateretur, corpus ejus mortuum, equo impoſitum, ſicque tuto iter in Germaniam ſtratum, teſte Pagio, cum vero *res celari* tamdiu non poſſet, Romani per 7. dies excurſiones in Germanos fecerunt, donec corpus Veronam perveniret, inde vero per Tyrolim in Bavar. ſuperiorem eſt delatum, ubi ei S. Henricus cum innumero Epiſcoporum comitatu (quos inter procul dubio Hartwicus Salzburg. & Chriſtianus Paſſav. fuerit) ad Pollingum Sigefridi Aug. Ep. tunc prædium occurrit. Corpus dein Aquiſgrani in Baſilica S. Mariæ ſepultum.

S. Henric. Bav. Dux fit Germ. Rex.

Vix Otto exſpiraverat, cum Henrico S. Bavariæ Duci a plerisque Principum, qui Ottoni trans alpes aderant, imperium delatum eſt, etſi modeſte ab eo repudiatum, tandem obſtantibus incaſſum æmulis Ekarto Thuringiæ, Hermanno Sueviæ Dynaſtis Moguntiæ per Willigiſum Præſulem Germaniæ Rex eſt inauguratus, licet ipſe Ottonem Carent. Ducem Ottonis conſobrinum, Regem deſignaret. Chunegunda S. Henrici uxor Paderbrunnæ in feſto S. Laurentii Regina eſt coronata, teſte Adelboldo in vita cap. 11. Annal. Saxo, & Hildesheim.

Harduinus Ital. Rex, Otto Dux Carentaniæ, Erneſtus Auſtr. dicti in Italia.

In Italia plus turbarum ortum regnum arripiente Harduino Eporediæ Comite, ſeu Marchione, qui etiam in frequenti Italiæ Concilio Papiæ habito Rex dictus eſt, contra eum itaque miſſus Otto Dux Carentaniæ, & Erneſtus Leopoldi Auſtr. ut plerique cum Dietmaro volunt, filius: res tamen minus proſpere geſta teſte Adelboldo cap. 18. ita docente: *A Rege Otto Dux Carentanorum ad petitionem Longobardorum explen-*

explendam eligitur, & cum paucis in Italiam dirigitur. Harduimus cum Longobardis ſupervenit, Otto cum Ttutonibus obviam venit, fit congreſſio, fit pugna, fit cædes ex utraque parte graviſſima, victoria tamen exſtitit Longobardorum. Dietmarus lib. 5. pag. 370. *Horum neceſſitati ad ſuccurrendum Otto Carentanorum Dux, & Veronenſium Comes cum Geriberti Comitis filio Ottone, & Erneſto Luipoldi Marchionis filio cum aliis paucis ob ſpem auxilii majoris ab Italis promiſſi a Rege dirigitur.*

In Bajoariæ interim Ducatu pro Henrico Rege ſucceſſit Henricus Frater Chunegundis: ita Chronic. Salisburg. an. *MII. Heinricus Frater Chunegundis Imperatricis fit Dux Bavariæ:* alii eum *Moſellanum* dicunt, atque an. 1005. electum Ducem 12. Kal. April. volunt, ego ſaltem in mente Regis hoc an. deſignatum, an. 1005. publice declaratum opinor. *Henr. frat. Chuneg. fit Dux Bav.*

Vix Coronam regiam geſſerat *S. Henricus*, jam Monaſteriis munificus eſſe cœpit, dictus inde *Monachorum Pater*, etenim ut referunt monum. Monaſt. Tegernſeenſ. apud P. Bern. tom. Ancedot. fol. 507. iisdem *interventu S. Godehardi Abbatis & S. Kunegundis Reginæ per manus Domini Eberhardi Abbatis*, 2. *regales manſus in Leuben in oriente, id eſt, Auſtria juxa Danubium inter* 2. *alpes Batſcheini & Hoſenſtein &c.* attribuit. *Leuben* locus in Auſtria diſtinctus a Leobio Styriæ, an arx fuerit vel oppidum, nunc Comitum de Zinzendorff? ignoro. *S. Henr. benefic. Tegernſeenſ.* *Leuben locus in Auſtria.*

ANNO 1003. *An. 1003.*

Indict. 1. Joan. XVIII. P. 1. Henr. II. Imp. 2. Ottoc. II. March. Styr. 13.

Germaniam Henricus Rex, armis & comitate potiorem partem ſedaverat, Franconiæ tamen Dynaſta Henricus Marchio Schweinfordenſis, ſeu Hezilo cum 2. Boleslais, Bohemo & Polono conjuravit in Henricum, quod Bajoariæ Ducatum ei conferre vel nollet, vel cunctaretur; *Boleslaus III.* Boh. Dux an. priore ob ſævitiam, a gente ſua & Jaromiro, Ducatu ejectus *exul in Auſtriam, quæ ſola via* (teſte Dietmaro lib. 5. pag. 370.) *fugæ patuit ad Henricum Marchionem, qui proximus ei tunc fuerat, confugiens propter illatas ſibi* antehac *injurias ab eo captus eſt, poſtmodum* tamen, *quia hoſpes eo advenerat, dimiſſus ad æquivocum ſuum amitæque filium* Boleslaum *Polonum in ſceleribus comparem, licet facultatibus diſparem vitæ duntaxat amore perrexit.* *Henr. March. miſſ. v. Schwein-fort. rebellis.* *Cum Bolesl. Bohem. & Polon. Ducibus.*

Plerique Scriptores de vulgo S. Henrico Regi rebellem fuiſſe Henricum Auſtriæ Marchionem ſcribunt, ita enim Chron. Domeſt. Mellic. *MIII. Henricus Rex Heinricum Marchionem Auſtriæ, & alios ſibi reſiſtentes cum exercitu petit.* Idem docet Chron. Auſtr. Bern. Norici apud P. Hier. Pez tom. 1. fol. 692. vit. Arenpek. Chron. Bajoar. lib. 4. fol. 160. apud P. Bern. Pez tom. 3. anecdot. plane ſubjungere audet, *Marchionem Auſtriæ in Mellico ad obedientiam* ſubactum, & Regem Henricum dein *oppidum Ibs in Auſtria conſtruxiſſe.* Chron. Clauſtroneob. fol. 436. jam melius loquitur, in narratione hoc nomen Auſtriæ omittens. Alii vero Scriptores veteres & coævi nominatim Adelboldus rem declarat, & Henricum ſeu *Hezilonem* illum rebellem Marchionem, *filium Bertholdi* ſcribit, *cujus prædium gentilitium Svinvorde*, unde & *Marchio orientalis de Svinforde* appellatus eſt, ita inquam Adelboldus cap. 10. Dietmarus & Annal. Saxo. *Henr. March. Auſtr. non fuit rebellis.* *Ibs oppidi Auſtr. origo.*

Erneſtus Auſtr. & Bruno fr. Regis rebelles.

At vero ex Auſtriacis alius fœderi huic peſſimo involutus eſt, Erneſtus nempe, quem cum Dietmaro plerique Leopoldi def. Auſtr. March. filium volunt, quique nuper ab expeditione Italica redux pro vulnerum ſuſceptione donis regiis cumulatus eſt. Gloria ſeditioſorum erat Bruno frater Regis Henrici, hisque ſuffultus Hezilo Schweinfortenſ. Bohemorum auxiliis fines Patavienſes & Bavariam invaſerat, mox tamen a Rege ejectus & ditionibus ſuis exutus eſt. Bruno ad Boleſlaum primo, dein ad ſororem ſuam Ungariæ Reginam Giſelam fugit, omnes vero ſeditionis Authores anno ſeq. in Regis gratiam recepti.

Profugus in Hungar.

S. Henr. benef. Saleb. & Nunberg.

Hartwicum Salisburg. Metropolitam inter alios Bavariæ Epiſcopos, donationibus proſecutus eſt Rex Henricus, nam intercedente conjuge Regina *prædium in Comitatu Pertholdi ſitum, & quidquid Hazo in pago Linoove pro beneficio viſus eſt hactenus poſſidere &c.* poſt Hartwici tamen mortem eadem cederent, *in uſus Monachorum S. Erendrudis ſupra urbem Salzburch regulariter ſervientium &c.* prædium hoc teſte Mezgero & Steinhauſero cap. 8. in vita S. Erendrud. eſt *Ebrnmanſtorff* in Lungau.

Ebrnmanſtorf prædium.

An. 1004.

ANNO 1004.

Indict. 2. Joan. XVIII. P. 2. Henr. II. Imp. 3. Ottoc. II. March. Styr. 14.

Rebelles recepti

Poſtquam rebelles undique compeſcuit Henricus Rex, non ſeveritate, ſed clementia in eos uti voluit, Bruno in gratiam interventu ſororis Giſelæ Reginæ Hungariæ receptus, Auguſtanum Epiſcopatum dein brevi obtinuit, Erneſto Auſtriaco dein Alemannia data, Henricus vero ſeu Hezilo Svinvordenſis per fidos interceſſores ſe Merſeburgi Henrico ſtitit, qui ei gratiam quidem indulſit, ea tamen conditione, ut prædium a ſe ſuisque incultum redderet, ipſe vero ad arbitrium Regis in cuſtodia permaneret, pœnitens itaque Hezilo Svinfordenſis, ac in omnia conſentiens in caſtrum Gibichſtein deducitur, intercedente tamen dein Godeſcalco Epiſc. Friſing. deuno liberatur. Ita Dietmar. lib. 6. pag. 372. Adelboldus tamen caſtrum Witgenſtein vocat, cui incluſus Henricus.

Bruno dein Ep. Auguſt. Erneſt. Auſtr. Dux Aleman.

Henr. Svinfort. incluſus in Gibichſtein. v. Witgenſtein.

Poloni vaſtant Bavariam.

Boleslaus Polonus audiens bellum in Milzienos decretum, ex vicina Bohemia Bavariam incurrit, cui tamen ob infeſtam & nivibus incommodam hyemem ſatis occurrere Henricus non potuit, Miſniam tamen undecunque muniit, ſuisque præſidiis firmavit, ac terram Milzienorum evaſtavit. Hiſce peractis in Saxoniam rediit, ac juxta decurſum Albis Marchiones conſtituit, atque hoc forſan tempore opinor, ab Henrico Rege Bavariæ Ducatum conceſſum publico in conventu Ratisbon. conceſſum fuiſſe Henrico Lucemburgico, ſeu Moſellano S. Chunegundis fratri, & Adelboldus cap. 32. id in feſtivitate S. Bened. factum docet; Pagius quidem aliique ad an. ſeq. id referunt, mihi tamen ob Polonorum incurſus, Bavariam Duce ſuo non deſtitutam reliquiſſe Henricus Rex videtur, quo eodem anno Herman. contr. teſte Henricus Rex Ducatum Alemanniæ def. Hermanno conceſſit filio Hermanno Juniori dicto, atque an. ſeq. Godefrido Arduennæ Comitis filio Lotharingiam ab obitu Ottonis Ducis vacuam.

Henr. Moſell. Dux Bav.

Hermannus jun. Dux Alemann. Godefrid. Lotharing.

Poſt

Poſt hæc cum litteris in Italiam vocaretur Rex Henricus, eo etiam abiit injuriam vindicaturus ab Italis illatam Teutonicis, Comites itineris erant Lotharienſes, Franci, Alemanni, Carentani, aliique, quoniam vero iter per Tyrolim initum, & Arduinus Rex clauſtra Italiæ Tridentino proxima jamjam occupaſſet, *Carentani locorum periti* diviſo bifariam agmine, fauces montium explorant, cumque pars una ante lucem, montis faſtigium inobſervata ſuperaſſet, altera claro jam mane aperto marte in Longobardos tetendit, Itali partem unam Carentanorum ſolum conſpicati eamque aggreſſi, ſed ab altera mox in medio deprehenſi, partim in fugam verſi, partim præcipitio aut ſupter labentis Brentæ gurgitibus hauſti perierunt, ſicque clauſtrum Italiæ ad adventum Regis inſederunt Carentani. Henricus ubi ſubſecutus eſt, fugere Itali, horumque fuga ac diſcordia, eidem Verona patuit, e qua cum adventante Thietboldo Marchione Brixiam venit, inde Bergomum ac Paviam, ubi in Eccleſia S. Michaelis ab univerſo clero ac populo Rex Italiæ acclamatu, regio in ſolio eſt collocatus. Ita Dietmar. lib. 5. p. 377. Adelboldus cap. 36. Annal. Saxo ad an. hunc, alii vero ad an. ſeq. Ticini exortum tumultum, ubi ægre quidem, Rex ipſe periculi non ſat ſecurus compoſuit, & ſupplicibus civibus veniam impertiit, in Germaniam rediit Tuſcis ſibi antea juramento obſtrictis; Poloniæ nempe, ac Bohemiæ, ut res componeret turbatæ, Boleslao tandem devicto, Bohemis ſibi tributatiis Jaromirum bis exulem regno imponit, ac Pragæ confirmat.

S. Henr. Rex in Italiam abit.

Carentani in clauſam Italiam viam panduut.

S. Henr. fit Rex Italiæ.

Jaromirus Dux Bohem.

Has inter turbas Styria noſtra ſub Ottocaro Marchione ſuo in Regis Henrici fide integra permanſiſſe videtur ex eo, quod erigendis in ea Aſceteriis jamjam initium dari cœperit. Aribo nempe Toparchæ Leobienſis Aribonis ex Adula vel Adala filius, primum Eccleſiæ Metropolit. Salisburg. Diaconus & Capellanus S. Henrici Regis, dein vero Archi-Epiſcopus Moguntinus, hoc anno Göſſenſis Ord. S. Bened. Parthenonis prope Leobium fundamenta jeciſſe videtur, cujus etiam ſoror Chunegundes prima Abbatiſſa præfuit, ſtirps hæc Leobienſium Toparcharum S. Henrico Regi ſanguine juncta videtur, ita enim ipſe Henricus Rex in Bulla aurea confirmat. Göſſenſ. Monaſterii (v. Frælich. Diplomat. S. Ducat. Styr. part. 1. fol. 10. & Puſch Chronol. S. Ducat. Styr. part. 1. fol. 205.) *Notum ſit omnibus, qualiter quidam Juvavenſis Eccleſiæ Diaconus, conſanguineus noſter, atque Capellanus, nomine Aribo quoddam Monaſterium puellarum &c.*

Styriæ res.

Göſſ. Fund. Aribo Com. Leob. ejus uxor & lib.

Chunegund. Abbat. I. Göſſenſ.

Comites Leobienſes S. Henr. Regi conſanguin.

Antequam plura de antiquiſſimo Styriæ Monaſterio Göſſenſi loquamur videndum, undenam Leobienſium Comitum origo deducatur, & quomodo eadem S. Henricum Regem Germaniæ ſanguine attigerit. Puſchius citatus putat, ſi Aribo toparcha Leobienſis, & Aribonis Fundatoris Göſſenſis Pater, idem cenſeretur cum Aribone Seonenſis in Bavar. Monaſterii Fundatore, Leobienſem hanc propaginem Andecenſium Comitum familiæ inſerendam eſſe; aſt cum Hübnerus tab. Geneal. 128. & Bucellinus Stemmatogr. part. 2. fol. 377. Aribonis Fundatoris Seonenſis uxorem Adelheidem ſtatuant, Ariboni autem Leobienſi uxor fuerit Adula, in eam ſententiam abire vix poſſum. Utut vero obſcura eſt horum Comitum Genealogia, probabilem tamen

mihi ſtemmatis hujus ideam ſuppeditat Bucelinus cit. dum Aribonis Seonenſis Fundatoris filiam, Adelam ſeu Adulam Fundatricem Göſſenſem ſtatuit, quare ſchema Genealog. Leobienſe hoc modo conſigno:

Leobienſium Comitum Genealog. Andechs Com. Genealogiæ.

Arnolphus I. Imp. † 899.

Rapoldus, ſeu *Ratholdus* ex Pellice filius Comes I. *Andechiſmus*, ſeu *Damaſianus* uxor N.

Rapoto I. aliis *Rapoldus* Comes Andechſ. & Hochenwartenſis ux. N.

B. Ratbo vel Raſſo Dieſſenſ. Chun. de Wolffrathauſen. Aribo Com. Andechs & Hochwarth.

B. Ratho, vel *Raſſo* Comes Dieſſ. dein Monachus † 954.	*Hatta filia* Mar. Hen. Guolph. Dux Bavar. Com. Altorf.	*Fridericus* † in Palæſtina ux. Cuniza vel Chuneg. Com. de *Wolfratbauſen.*

Aribo Com. Andechſ. & Hochenw. Fund. Seonen. Monaſt. ux. Adelhaides.

Rapato II. Com. *Hochenvvart.* uxor Hemma.	*Fridericus II.* ux. Chun. Com. *Oeningen.* neptis Ott. M.	*Gebhard.* Ep. Ratisbon.	*Adela* Com. Fund. Göſſenſ. Mar. *Aribo* Toparcha Leobie.

Aribo Juvav. Diac. S. Henr. Capell. dein Archiep. Mogunt. ab an. 1020. ad 1031.

Ex hac idea inſpecta patet, Toparchas Leobienſes, ac nominatim Aribonem Archiep. Mogunt. Fundatorem Göſſenſem, quoad maternam lineam a ſtirpe Andecenſium proveniſſe.

Arbo Com. Leob. an proavus Aribonis Fund. Göſſ.

Quod ſi quis vero Leobienſis familiæ ideam ab Aribone Adulæ marito peteret, ei conjectura Frælichii Diplomat. S. Ducatus Styr. p. 1. in præfat. deſerviet tradens, Arponem Com. Leobienſem, Orthocari itidem Leob. filium, Aribonis Göſſenſis proavum dici, non improbabiliter poſſe.

Aſt quoniam ex citato S. Henrici Diplom. Göſſenſi, Aribo Fundator Göſſenſis filius Adulæ, *S. Henrici conſanguineus* dicitur, id quoque hic detegendum videtur: conſanguineum Henrico Aribonem nondum deprehendere poteram, bene tamen affinem, pro quo prænotandum cenſeo, more veteri, ex affinitate ortam fuiſſe denuo affinitatem, nec enim illa regula antiquis nota, *affinitas non parit affinitatem*, ut v. gloſſam ad caput 8 X de conſanguinitate.

Affinitas more veteri pariebat affinitatem.

Cl. Calles ad an. 1021. conjicit Aribonem Leobienſem, & Andecenſem ex ampliſſima familia Arbonum Auſtriacorum Marchionum deſcendiſſe, aſt ſi id etiam detur, nondum tamen apparet, quomodo S. Henrico conſanguineus fuerit, ut adeo me id ignorare ſincere fatear.

Id mihi hac in re obſcura proin dicendum videtur, vel Imperatores & Reges Dynaſtis ſuis majoribus, etiam ſolum affinibus titulum *cognatorum* & *conſanguineorum*, ut nunc titulum, *Oſnim*, vel Vetter attribuiſſe, ad inſinuandam ſpecialem ſuam in eosdem benevolentiam; cæterum conſanguinitatem Henricum Aribone alio e loco mihi incognito eſſe repetendam cenſeo.

Cognati qui olim præſertim a regibus dicti.

Jam

Jam oſtendo S. Henricum, Ariboni Moguntino fuiſſe affinem.

Henricus I. auceps Imp. † 936. ux. 1. Hatburgis Merſeburg. 2. Mechtildes Ringelheim.

Otto I. M. Imp. † 973. ux. 1. Editha Reg. Angliæ, ux. 2. Adelheis Reg. Lothar. Vidua Lotharii.

Henricus Dux Bav. an. 945. † 955. ux. Juditha Arnolfi Bav. filia.

Richildis March. *Cuno* Comes de *Oeningen.*

Henr. rixoſus Dux Bav. ſucc. Patri an. 955. † 995. ux. Giſela Conradi Reg. Burgund. filia.

Chunegundes Mar. Frider. II. Com. de Andechſ. & Hochenwart.

S. *Henr.* Dux Bav. an. 995. Rex Ital. an. 1004. Imp. 1014. † 1074. uxor S. Chunegundes Sigefridi Lucenburg. Com. filia.

Adula ſoror hujus.

Aribo Fund. Göſſ. Archiep. Mog.

Ex hoc ſchemate nemo non videt, S. Henricum Regem fuiſſe conſanguineum Chunegundi uxori Friderici Comitis de Andechs, proin Friderico, eodem tertio gradu affinem, atque more veterum etiam Adulæ affinem, & conſequenter etiam Ariboni Fundatori Göſſenſi, gradu tamen remotiore. *S. Henr. Imp. affinis ſolum Aribonis Fund. Göſſ.*

Nec Puſchii ſententia aliud, quam affinitatem S. Henrici cum Aribone evincit, licet enim ſupponatur Aribo Fundator Seonenſis fuiſſe ſimul Fundator Göſſenſis, licet ſimul credamus, nomen uxoris Fundatoris Seonenſis Adelheidis, per aphæreſim in nomen Adulæ mutatum, nulla tamen conſanguinitas inter S. Henricum & Aribonem eveniet, quia omne conſanguinitatis & affinitatis vinculum inter S. Henricum Regem & Aribonem oriretur ex Chunegunde, Friderici II. Comitis de Andechs, & Hochenwart uxore, nepte Ottonis M. cui Chunegundi S. Henricus tertio quidem gradu conſanguineus, marito vero ſolum tertio gradu affinis erat, atque, ut dixi more veteri Friderici ſorori Adulæ, etiam ſolum affinis.

Longius omnino divagabar, at non injuſte, ut nempe ſic, quod ipſe ex defectu documentorum eruere nequeo, aliis aliquando in majori Patriæ noſtræ luce enodandi, ac declarandi præberem guſtum & occaſionem.

Jam ipſam fundationem celeberrimi & totius Styriæ antiquiſſimi Parthenonis explicandam aſſumo; Adula igitur, ſeu Adela, Aribonis Leobienſis toparchæ uxor an. 1004. annuente marito ſuo, fundationem hanc moliri cœpit, faſtigium tamen filio ſuo imponendum reliquit. Recentiores quidam ſcriptores initium fundationis ad an. 994. referunt, idque more veterum (fundationes ſuas portentis & oſtentis cœlicis jactantium) prodigio inſigni exornant, docentes: Adulæ ex vicini montis crepidine decurrenti, & per eam vallem Muræ vortices contemplanti velum a vento raptum, atque ad medium fluminis rapaciſſimi delatum ita memorant, ut illud continuo, licet novis ſuccedentibus undis eodem in loco fixum expanſumque maneret, indeque cognoviſſe Adulam locum eum eſſe, in quo propoſiti jam diu ſibi Monaſterii fabrica conſtitueretur. *Göſſenſ. fundat. An ex prodigio facta.*

Gösſenſe inſigne. Quia vero mediis in Muræ undis exſtrui Monaſterium non poſſet, addunt, derivato in alterum latus fluvio, primum ibi jactum lapidem, repertumque ibi ferream caldarii anſam, aureo poſtmodum Parthenonis clypeo fuiſſe inſertam.

Qui jam ex pluribus exemplis noverit, ſacram illam veterum ambitionem, qua hi Monaſteriis ſuis non ſatis conſultum putabant, niſi cœlicis prodigiis firmatam fundationem aſſererent, facile etiam hoc ſacrum commentum rejicit, præſertim ubi tabulæ Gösſenſes domeſticæ, Diplomata Imperatorum, Anonymus Leobienſis, aliique altum tacent; non inanem itaque cenſeo Puſchii conjecturam, qua miraculoſam hanc Gösſenſis Monaſterii originem ex Clauſtroneoburgenſ. cœnobii narrationibus, imitatione quadam ſubſequis temporibus, confictam opinatur. His itaque ab hiſtoria eliminatis, atque ad Theatrum ubi fors plauſum mereri poſſent, ablegatis, florentiſſimi hujus cœnobii ortum ex ipſis S. Henrici Imp. tabulis binis apud Cl. Frælich. Diplom. S. Ducat. Styr. part. 1. fol. 8. 9. 10. allatis percipiamus. Tabula 1. data eſt Indict. 3. anno Incarn. Dom. 1020. in ea ſtatuit Henricus jam Imperator *pro remedio animæ noſtræ & dilectæ conjugis noſtræ Kunegundæ Imperatricis Auguſtæ, per interventum Aribonis fidelis noſtri Capellani & conſanguinei &c.* mancipia varia & prædia Ariboni tenenda, ita ut *poſt obitum ſuum, ſi tamen voluerit eorum ſervitio carere, eadem mancipia Monaſterio S. Mariæ, ſanctique Andreæ Apoſtoli in loco, qui vocatur Göſſia conſtituto, quorum ipſe primus Fundator* (nempe cum matre Adula, vel potius conſumator) *exſtitit, in uſus ſanctimonialium ſub regula S. Benedicti ibidem Deo ſervientium in perpetuum ſervitura dimittat: hoc etiam inſtituimus, ut Abbatiſſa loci illius & iſta & eorum poſteritate ad quoslibet Monaſterii uſus convertendi liberam habeat poteſtatem.*

Plures fundationis hujus circumſtantias exhibet tabula altera, ſeu Bulla aurea confirmationis ſuper fundationem Eccleſiæ Göſſenſis ad inſtantiam Aribonis Fundatoris. In ea *Aribo Fundator* dicitur *Juvavenſis Eccleſiæ Diaconus*, Henrici *conſanguineus* & *Capellanus*. Præterea id Monaſterium *Adala* mater, *patre ſuo Aribone, quamvis a paraliſi ex lege, tamen quantum potuit, annuente & conſentiente, incepit in loco nomine Göſſia, in* *Chuneg. I. Abb. Göſſ.* *Comitatu Leubna, de prædio ſuo fundavit.* Nominatur in eo *prima loci Abbatiſſa Kunegundis ſoror præfati Aribonis.* Dein datur Monaſterio jus eligendi advocatos, & poſt obitum Chunegundis etiam libera Abbatiſſarum regularium electio; ſtatuitur tandem, ut ſi quis vel quæcunque *etiam Principalis poteſtas, Monaſterium* hoc, vel *ejus res alteri perſonæ ſubdere, in beneficium dare, in proprietatem donare*, etiam *alteri Monaſterio*, aut *qualicunque ingenio, huic propoſito abalienare voluerit, proximus Aribonis hæres tamdiu in ſua poteſtate retineret*, quousque in priſtinam libertatem reſtituatur &c. Poſtremo Monaſterium id cum monachabus in ſuam immunitatem recipit Imperator. Diploma eodem an. 1020. datum eſt *Kal. Maji Wloæ, venerabili Papa Benedicto præſente & confirmante.*

Admont. curam hab. Göſſenſium. Hæc celeberrimi, antiquiſſimi, ac nobiliſſimi Styriæ noſtræ Monaſterii origo, quod a tanto tempore inter varias Styriæ noſtræ turbas ac hæreſes etiam velut lilium inter ſpinas effloruit hactenus. Curam Parthenonis hujus gerit inclytum Admontenſe Ord. S. Bened. Cœnobium,

nobium, ex quo vir deligitur, qui religioſo obſequio ac ſolatio, Abbatiſſæ totique Cænobio præſto eſt, vocarique ſolet Pater ſupremus. De nobilitate generis, plerarumque SS. Virginum per decurſum operis teſtimonia adducentur. Quamdiu vero Chunegundis prima Abbatiſſa, & Aribonis ſoror præfuerit, liquido non conſtat. Sepultam cum matre in templo fundationis dicto exhibet necrolog. ſeu catalogus Abbatiſſ. apud Frælich cit. fol. 133.

ANNO 1005. *An. 1005.*

Indict. 3. Joan. XVIII. P. 3. Henr. II. Imp. 4. Ottoc. II. Styr. March. 15.

Hoc etiam anno S. Henricus Rex ſolemne ſuum tenuit, magnasque largitiones in ordinem ſacrum fecit. Hartwico nempe Salzburgenſi *ad interventum dilectæ conjugis Chunegundæ, prædium Admunta dictum in pago* Ennsthall *ſitum cum omnibus appendiciis, & utilitatibus eidem prædio adjacentibus, cum patellis ſcilicet patellariisque locis, & cum familia utriusque ſexus Hartvvico Archiep. tradidit ea lege, ut ad dies vitæ uteretur, poſt mortem vero ad uſum fratrum in Monaſterio S. Petri ſub regula S. Benedicti Deo ſervientium id totum cederet. Datum anno MV.* Litteræ origin. habentur in archivo S. Petri, teſte Alberto in Catal. Abbat. locus autem dati Diplomatis non conſtat. Sed prædii hujus loco, e quo Cœnobium Admontenſe dein ſurrexit, S. Petri Cœnobitæ Salisburg. bona alia ad Pongaw, Onhauſen, & Hegelin a Conrado 1. Archiep. Salisb. accepere, ut v. Auth. Germ. ſacr. tom. 2. fol. 165. *Hartwico Salzb. donatur præd. Admont.* *Sub qua condit.*

Author Genealogiæ Stahrenberg. Petrus Joſ. de Halloy Can. Leod. ad S. Dionyſium fol. 119. memorat, chartæ huic inſcriptum eſſe: *Prædium Admunta dictum in pago Enſitala in Comitatu Adalberonis.* Atque ex hoc MS. conjicit indigitari Adalberonem, ſeu Alberonem I. Ottocari II. Styr. Marchionis fratrem, quem hoc tempore vallem Anaſi obtinuiſſe, uti Ottocarum fratrem Styrenſem Marchiam opinatur. De Adalberone hoc plurima jam Diſſert. 4. cap. 2. §. 3. prænotata fuerunt, quæ proin non repeto. Hoc tamen pro reliquis bene obſervandum cenſeo, *Comitatum vallis Anaſi*, ſeu Ennsthall probe diſtinquendum eſſe a *Comitatu, ſeu tractu Anasburgi*, hic enim in moderna Auſtria inferiore ille in ſuperiore Styria modo exſtitit, & Conradus Rex, ut an. 1030. dicetur, Ottocaro II. non vallem Anaſi, ſed Anaſiburgum donavit, Cuonradus ſucceſſit filius Ottoni Carinth. Duci defunctus. Pl. v. a. 1011. *Adalbero I. frater Ottoc. II. Com. vall. Anaſi.* *Anaſ. vall. Comitat. & alii a tractu Anasb. Otto D. Carint. † Conrad. ſucc.*

ANNO 1006. *An. 1006.*

Indict. 4. Joan. XVIII. P. 4. Henr. II. Imp. 5. Ottoc. II. Styr. March. 16.

Quod Chronicon Mellicenſe & Clauſtroneoburg. de anno præterito enunciant his verbis: *Fames magna eſt*, id Baron. aliique hoc an. referunt, peſtem nempe ſimul ac famem tam dire per orbem graſſatam eſſe, ut ſepeliendis mortuis vix vivi ſufficerent, ſpirantesque ſubinde cum mortuis prope volentes ſepelirentur. Eluxit tum eximia in pauperes charitas S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis, qui, ut opera miſericordiæ exerceret, nec ſacris vaſis, nec coronæ regiæ S. Henrici Regis pepercit, teſte Baronio num. 4. *Peſtis & fames.* *S. Odilon. Cluniac. miſeric.*

Eodem

Bamberg. Ep. initia. Eodem hoc anno S. Henricus Germaniæ Rex, Bambergam Franconiæ oppidum, ſumme ſibi dilectum, S. Chunegundi uxori pro dote donaverat, ibique quondam Epiſcopatum erigere tacita ſemper mente cogitabat? variant oppido Authores in erectione Cathedræ Bamberg. *Francof. 1. Conc.* atque convocata Synodo Francofordienſi; ſecuriſſime proin dicendum duas Synodos fuiſſe Francofurti celebratas, unam hoc, ſeq. anno alteram, atque bis his annis de erectione hujus Epiſcopatus agitatum, hoc nempe anno in Synodo congregatis PP. mentem ſuam aperuit Henricus, dotemque obtulit ſuam Chunegundes, quoniam vero Wirzburgenſis & Aichſtadienſis Epiſcopi obſtabant, quorum fines Cathedræ hujus novæ erectione carpebantur, approbata quidem erectio, non tamen omne adhuc negotium finitum.

An. 1007.

ANNO 1007.

Indict. 5. Joan. XVIII. P. 5. Henr. II. Imp. 6. Ottoc. II. Styr. March. 17.

Francof. 2. Conc. Bamb. Ep. conf. Hoc proinde anno, & indictione 5. currente, Synodus 2. Francofordienſis eſt habita, in qua lecta epiſtola Joan. XVIII. Papæ menſe Junio data, & confirmatoria ſedis Bamberg. inter Epiſcopos 37. teſte Gretſchero vel 35. teſte Harduino præſentes aderat etiam Hartwicus apud Harduinum legitur Hartungus Juvavienſis & Chriſtianus Paſſav. Inter eos, qui erectioni hujus Cathedræ & litteris Joan. XVIII. *Joan. Aquil. Pat.* P. prompto animo acceſſerunt, reſertur etiam Joannes Patriarcha Aquilej. qui licet abſens, ſuffragium tamen eam in rem tuliſſe narratur ab Auth. vitæ S. Henrici cap. 14. inter ſcriptores rer. Bamberg. a Ludewigio collectos, cujus epiſtolam ad Henr. Wirzburg. datam deſuper adfert de Rubeis cap. 53. num. 7. ex qua inferimus *1mo:* Synodum provincialem a Joanne Patr. Aquilej. fuiſſe celebratam, *ſic* enim *Aquilej. Synod.* ait: *Nos autem cum omnibus noſtræ Diœceſis Epiſcopis hoc Divinum opus in commune laudamus, atque in eo juſte conſentientes & ſubter conſcribentes in perpetuum valere confirmamus. 2do:* Henricum Regem cum Henrico Ep. Wirzburg. digne & legaliter commutationem feciſſe ob partem Diœceſi Wirzburgenſi ſubtractam, eamque commutationem feciſſe ob partem Diœceſi Wirzburgenſi ſubtractam, eamque commutationem a Papa fuiſſe confirmatam, dedit nempe Rex *Meinungam in pago Grabfeldico ſitam cum Marca & Wald-Dorff.*

Eberh. 1. Epiſc. Bamb. Poppo 1. Præp. dein Archiep. Trevir. Eodem in Conventu Francoford. Eberhardus I. Bambergæ Epiſcopus & Poppo Leopoldi Auſtr. Marchion. filius Præpoſitus eſt conſtitutus, dein Archiep. Trevir. An autem tot bona Eccleſiæ Patav. ablata ſint per erectionem ſedis Bamberg. quot queritur Decanus ille Patav. ſcriptor ſæc. 15. apud Auth. Germ. ſacræ tom. 1. fol. 237. *Chriſtiani Ep. Paſſav.* ejus fidei relinquo, id certius Henricum Regem Chriſtiano Patav. commutatione facta pro prædio *Trevinæ* dediſſe prædia ſua in *Eruſtestorff*, & *Albarn.*

ANNO

ANNO 1008.

An. 1008.

Indict. 6. Joan. XVIII. P. 6. Henr. II. Imp. 7. Ottoc. II. Styr. Mar. 18.

Annales Bamberg. apud Ludewig de S. Henr. sequentia narrant: *postero* anno nempe post erectionem Cath. Bamberg. *Henricus Imp. Babebergæ duo adhuc templa magnifica exstruxit, quorum unum S. Stephano dedicatum Canonicis Augustinianis attribuit.* *Bamb. S. Steph. Ep.*

Luidolfi Trevir. Archiep. obitus, turbas S. Henrico Regi accivit Adalbero enim S. Paulini Præpositus, *immaturus* adhuc *juvenis*, quia tamen *Reginæ frater* potens ac opulentus teste Dietmaro lib. 6. pag. 384. nixus *Henrico Bav. Duce* ac Theoderico Metensi antistite fratribus, eum Archi-Episcopatum ambire cœpit, sparsoque rumore eum sibi Archi-Episcopatum a Rege promissum palatium in ea urbe pontemque occupavit. S. Henr. Rex his auditis Megingaudum Mogunt. Ecclesiæ præpositum constituit Archi-Episcopum Trevir. Sed cum Adalbero per fratres suos ei aditum præcluderet, & palatium Trevir. occuparet, Rex ipse veniens in solio Archi-Episcopali Megingaudum collocavit. *Henr. Bav. Duc. turbæ cum S. Henr.*

Adalbero cum suis excommunicatus Regi ipsi & copiis ejus in palatio Trevir. restitit, quare fortiter obsessum palatium est, & *Henricus Dux Bavariæ improvisa calliditate impediens, exire eos illæsos*, Palatinos nempe Trevirenses *apud Regem obtinuit*, fraude comperta Rex Henricum Bavariæ Ducem etiam gradu movit, anno 1017. primo restitutum. *Deponitur.*

ANNO 1009.

An. 1009.

Indict. 7. Sergii IV. P. 1. Henr. II. Imp. 8. Ottoc. II. Styr. March. 19.

Postquam Augustæ hoc anno Dietmarum Episc. Merseburgens. constituisset S. Henricus Rex, illico navali itinere Ratisbonam venit, ut sic consilia Ducis Henrici præveniret, qui clanculum Bavaros Sacramento jam adactos, ne quem alium intra Triennium sibi Ducem eligerent, suas in partes inclinaret. Rex præveniens adventum Henrici minis & blanditiis eos induxit, ut sibi famulatum & obsequium polliceretur. *S. Henr. in Bav. venit.*

Annales Hildesienses ajunt: *an. MIX. Rex nativitatem Christi Salzburc peregit.* Annales hi principium anni a nativitate Christi desumentes, simul indicant id an. 1008. nostra computandi ratione factum fuisse Salisburgi fuisse anno 1008. non videtur, quod teste Annal. Saxone ad an. 1009. Rex *Poldæ* natalem Domini celebraverit, ibique privilegia Mindensis Ecclesiæ auxerit 4. Idus Martii Indict. 7. si itaque Salisburgi fuit Henricus Rex id ad an. 1008. contingere debuit cum hyeme transacta Ratisbonam mox abierit, ut dictum. *An etiam Salisburgum.*

Occasionem itineri Salisburgensi supeditare potuit translatio reliquiarum S. Erntrudis Salisburgi facta & consecratio ejusdem Ecclesiæ Monasterialis ab Hartwico peracta Jan. an. 1003. dictum est, S. Henricum Monialibus Nunbergensibus, seu Erntrudis fuisse munificum. Sane Chron Salisburg. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 340. ait: *Nievenburc Monasterium Monialium Rex & Regina construunt.* Si proin exstructum est tunc Monasterium Nunbergense, potuit hoc anno ab Hart- *S. Erentrud. transl. & dedicatio.*

wico conſecrari, & Henricus Rex cum Regina adeſſe conſecrationi Eccleſiæ hujus a ſe conſtructa.

Henr. Bav. Duc. turba. Henricus Lucemburgicus Bavariæ Ducatu extorris in Lotharingiam abiit, novasque ibi turbas cœpit; Theodericus enim Metenſis, hujus & Reginæ Chunegundis frater, qui Adalberoni puero Metenſem Epiſcopatum a Theoderico Lothar. Duce Adalberonis filii loco ad miniſtrandum acceptum præripuit, Regi Henrico ejusque Miniſtris moleſtias fecit. Rex Sclavicas in eum copias miſit, quæ cum nec ſacris locis nec colonis agrisque parcerent, revocari debuerunt.

An. 1010.

ANNO 1010.

Indict. 8. Sergii IV. P. 2. Henr. II. Imp. 9. Ottoc. II. Styr. March. 20.

Patav. S. Mar. Monaſt. res. Henricus Rex, qui damna Lotharingiæ Eccleſiis per Sclavos a ſe immiſſos egregie reparavit, hoc etiam anno Patavienſi S. Mariæ Eccleſiæ beneficus fuit. Ad interventum enim Chunegundis, & *dilecti Ducis Hezilonis*, & *in obſequium devotum Heilizæ* (quam amitam S. Henrici, ibique Abbatiſſam fuiſſe, ajt Author Germ. Sacræ tom. 1. f. 241.) Monaſterio S. Mariæ *Pataviæ* dedit *partem ſylvæ* Nortwald *in Comitatu Adalberonis, a fonte fluminis Ulza uſque ad terminum ſylvæ hujus, ubi ſeparat Bohemiam & Bavariam, & decurſum Ulzæ & Rotilæ uſque in Danubium* dat. 13. Kal. Maji an. 1010. Ratisbonæ.

Henr. Bav. Dux vondum reſtitut. Binas difficultates hoc Diploma oggerit, una concernit Henricum Bavariæ Ducem exauthoratum, quemque nonniſi an. 1017. in priorem dignitatem relatum dixi an. 1008. Quod ſi jam Henricus ſeu Hezilo Dux hoc anno exauthoratus adhuc erat, ſi rebellis, quomodo S. Henricus Rex ad *ejus interventum* Diploma hoc rebellem, potuit dicere *dilectum Ducem.* Certum eſt nomine Henrici Ducis non venire Henricum Comitem, ſeu Marchionem Auſtriæ; hunc enim, ut an. ſeq. videbimus, non Ducem, ſed Comitem vel Marchionem vocavit Henricus Rex. Cenſeo in re incerta dici poſſe, favorem hunc Monaſterio S. Mariæ Paſſavii jam præcedenti ante an. 1008. tempore fuiſſe collatum, & quidem ad interventum dilecti Ducis Hezilonis, Diploma autem deſuper confectum & confirmatum hoc primum anno fuiſſe.

Adalbero Com. Bavar. Altera difficultas ſe pandit *in Comitatu Adalberonis*, in quo neppe ſita erat pars ſylvæ Nortwald Monaſterio dicto donata. Adalbero hic Comes, frater Ottocari noſtri Marchionis videri poſſet, ſed cum locus Nortwald extra vallem Anaſi, imo in confiniis Bavariæ & Bohemiæ ſitus fuerit, conjectura modica pro Adalberone noſtro pugnat, cenſeo itaque fuiſſe Adalberonem hunc Comitem aliquem Bavariæ, Dynaſtamque majoris alicujus territorii, quales etiam in Auſtria præter Marchionem fuiſſe hoc tempore refert P. Bern. Pez tom. 5. Theſauri anecdot. fol. 133. &c. v. an. 1045.

Aquilej. res. Diſſidia inter Joannem Aquilej. & Andream Parentinum Epiſcopum fuiſſe de Parochia Ruvignii docent litteræ Sergii IV. P. ea enim Parochia a Rodoaldo Patr. Aquilej. donata erat Eccleſiæ Parentinæ, Joannes vero Patriarcha eam iterum invaſit; Sylveſter dein Papa circa an. 1003. motus quærelis Andreæ Parentini ea loca juſſit reſtitui,

operam-

operamque adhibuit Henrici Ducis. De Rubeis per Henricum Ducem intelligit, Carinthiæ Ducem, & Marchiæ Veron. Comitem, ſed is tempore Sylveſtri Papæ in vivis non fuit, utpote jam an. 996. defunctus, Henricus itaque Dux, quem Sylveſter invocavit, non fuit Dux Carinthiæ, ſed nec Bavariæ, cum Henricus ille Lucemburgicus an. 1004. a S. Henrico Dux. Bavariæ fuerit conſtitutus, ut adeo error intercurrerit, & pro Henrico, fors Otto Carinthiæ Dux tempore Sylveſtri P. Comesque ſeu Marchio Veronenſ. & Aquilej. ſit reponendus.

Hoc eod. an. 12. Jan. obiit Salisburgi Luidfridus Præp. Cathedralis quem Tito e Præp. Cath. Monacho ac Abbati S. Petri anno 987. facto ſucceſſiſſe opinor, ex Catal. Joſ. Schlachtner. Huic denuo ſuffectus fuerit Luitpoldus I. cujus mentio fit in inſtrumento commutationis factæ ab Hartwico Salisburgenſi Archiep. de quo alibi. *Titus Præpoſ. Salzb. ſit Ab. S. Petri Luitfrid. Præp. Salzb. † ſucc. Luitboldo.*

ANNO 1011. *An. 1011.*

Indict. 9. Sergii IV. P. 3. Henr. II. Imp. 10. Ottoc. II. March. Styr. 21.

Poſt natalem Domini Francofurti celebratum Henricus Rex, Corbejam ſub verni jejunii initium venit, teſte Annal. Saxon. & Hildesheim. Bambergæ adhuc 7. Id. Maji fuerat, ubi quidam Bamberg. Baſilicam conſecratam volunt, ſed de hoc an. ſeq. loquar. Inde in Bavariam profectus Tegernſeenſi Cœnobio, interventu Godehardi Abbat. Altaichenſis partem ſilvæ **Ennswald** cum habis regalibus 60. *ultra fl. Ainzim in Comitatu Henrici Marchionis juxta prædium ejusdem Eccleſiæ* **Chreberbach** *in meridiana plaga interjacentis ſtratæ publicæ, quæ Hochenſtraſſa vulgo nuncupatur*, conceſſit, Randesburæ 14. Kal. Jul. Ind. 9. &c. vel Bern. Pez tom. 5. theſ. anecdot. noviſſ. fol. 149. & Hundius Gewold. tom. 2. Metrop. Salisb. fol. 24. Chronicon Tegernſeenſe meminit concambii hoc an. ab Henrico Rege facti cum prædiis Perngeri artificis in Thuringia & Francia orientali ſitis, pro quibus Rex Monaſterio dedit *regales manſos juxta prædium* (inquit) *noſtrum* **Chreusbach** *ſuper* **Sternberg** *in Auſtria ſuperiore, quod antiqua traditione fundatorum noſtrorum cum vineis in Wachav* in poſſeſſionem ejus Monaſterii venit, ita Chron. Tegernſeenſe apud eundem Bern. Pez anecdot. tom. 3. part. 2. fol. 507. verba illa *in Auſtria ſuperiore* Diplomati Regis Henrici inſerta vix fuerint, diviſione Auſtriæ in ſuperiorem & inferiorem nondum obtinente, ſed a Chroniſta Tegernſeenſi adjecta fuerint: diverſum hoc prædium a priori an fuerit? incertus ſum. *S. Henrici res. Tegernſmunific. Auſtria nondum diviſa in ſuper. & infer.*

Octavo dein die Altahenſi etiam Monaſterio 10. *regales manſos in Marcha & Comitatu Heinrici Marchionis ſubtus villam Abbatorf inter Sigimares, Weride,* **Wagrein** *& Danubium contulit*, v. Diploma Henr. apud Gretſcherum tom. 10. pag. 538.

Henricus Marchio in his chartis notatis, fuit Auſtriacus, ut patet.

Ordinatis dein in Bavaria ob expulſum e Bavaria Ducem Henricum, Rex iter in Saxoniam ſuſcepit, e qua dein in Polonos exercitum movit, ſed adverſa Regis valetudine, extimis tantum ad Gloggoviam uſque finibus vaſtatis, nil alias effectum, inde vero hoc adhuc autumno Moguntiam venit, ubi conventus eſt habitus in cauſa fra- *Mogun. conven.*

trum S. Chunegundis Reginæ, qui ambo, nempe Theodericus Metenſ. & Henricus Lucenburg. Dux quondam Bavariæ eo etiam convenerant. Cauſam diſſidii non dotem Chunegundis in Bamberg. Epiſcopatum cum conſenſu Reginæ impenſam (ex qua juris nihil ſibi arrogare potuiſſent) ſed aliam ex Adalberonis Præp. S. Paulini contumacia repetendam cenſeo, de qua an. 1008. dictum. Quid in hoc conventu effectum ſit? nemo refert. Annal. Saxon. fratres Reginæ *pace ad tempus facta iratos revertiſſe* ait In diſceſſu iidem in Heimonem Virdun. Epiſc. & Theodericum Lotharingiæ ſuper. Ducem irruentes, cæſis plurimis & Heimone ægerrime fuga ſalvato Theodericum graviter ſaucium captivum abduxerunt. Nonniſi datis obſidibus e cuſtodia dimiſſum, facti hujus culpam Sigebertus Theoderico Metenſi, Hermannus contractus Henrico Lucenburg. ego ob communem eorum cauſam utrique tribuendam cenſeo.

Henr. Duc. Bav. ver.

Conrad. I. Dux Carint. obit.

Necrologium Fuldenſe inter alios mortem Conradi Ducis hoc an. aſſignat his verbis: 2. *Idus Dec. Counradus Dux*, inſinuavi an. 1005. Ottonem Carentaniæ Ducem obiiſſe, eique Counradum ſucceſſiſſe. Confirmat hoc Herman. contractus ad an. 1012. *Conradus Dux Carentani filius Ottonis Ducis, fraterque Brunonis dudum Papæ* (Gregorii nempe V.) *obiit, & privato ejus filio Conrado, Adalbero Ducatum accepit.*

Succ. Adalero.

Hæc tamen hujus anni fine contigere, & Hermannus mortem Counradi I. ſerius acceptam, cum Adalberonis initio ſeq. anno allegavit. Idem in Urſtiſiano codice ſed alio modo legitur: *Conradus Dux Carentani moriens, Adalberoni Ducatum reliquit.*

Conrad. II. filio Conr. I. cur excluſus.

De hiſce plura tractanda ſunt: Id S. Henrici Regis aut aſſenſu, aut voluntate factum non dubito. Qua de cauſa vero Conradus II. Conradi I. Ducis filius & Ottonis an. 1105. defuncti etiam Carinthiæ Ducis nepos excluſus fuerit a Ducatu paterno? non conſtat, *forſitan* Conradi pueritia regendæ Carentanæ Provinciæ minus apta viſa fuerit, eo quod adjuncta fuerit Marcha Veronenſis, quæ ob Arduini tyranni Italiæ metum, virum poſceret, & arma a puero minime expectanda. Certe ab an. 1013. ad 1035. Adalbero ſemper legitur Dux Carentaniæ, & Marchio Veronenſis, eo vero anno etiam Adalbero gratia & gradu ſuo excidit, ut ibidem dicetur.

Adalbero filius Marq. Com. de Merzth. & Affl.

Ejus ſoror Richardis uxor Ulrici Eberſperg.

Inquirendum jam eſt, quisnam Adalbero Dux Carinthiæ fuerit? erat vero hic *Marquardi Comitis quondam de Merzthall & Affiens* filius, cujus ſoror Richardis, Ulrico Eberſpergenſi Comiti juncta anno 1013. obiit Eberſpergæ ſepulta, ut ejusdem quondam Cænobii monumenta apud Aventin. Boic. Annal. lib. 5. produnt, & propter amplam in ea Carentaniæ parte, quam nunc *Styriam ſuperiorem* nominamus, æmulus forſan Conrado Duci jam tum oppoſitus, cum is Hermanni Sueviæ Ducis ac Soceri ſui arma ſecutus, adverſum S. Henricum Regem, urbem Agrigentinam invaſit, ut v. an. 1002. Annal. Saxon. & Dietmar. lib. 5. p. 367.

Præreptæ Carentaniæ Provinciæ dolor, Conrado puero Conradi I. Duc. def. filio tam alte inſedit, ut hoſtilem in Adalberonem animum non prius exuerit, quam Majeſtatis damnatum ſub Conrado II.

Rege,

Rege, graduque dejectum, ſeque in avitam dignitatem, poſt ejus exilium reſtitutum videret.

Adalbero Dux Eppenſtein antea Marchio.

De Adalberone ejusque ſtemmate plura hic mihi expendenda video: Adalberonem hunc eundem eſſe cenſeo, cui Otto III. anno 1000. donavit, centum manſos in Provincia Carinthia, ac in Marchia Comitatuque præfati Adalberonis ſitos: Adalbero hic forſitan Eppenſteinius fuerit, Marchioque dictus hoc tempore, & Comes Carinthiæ, donec hoc anno Dux Carinthiæ fuerit renunciatus. Male Megiſerus l. 7. c. 23. f. 689. Henricum Ottonis an. 1005. def. Ducis Carinthiæ filium Ducem Carinthiæ factum ſcribit, nam Herman. contract. teſte Henricus Ottonis Carinth. Ducis primogenitus, Ducatum Franconiæ obtinuit, ut v. Hübneri tab. geneal. 27. ex quo Henr. & Adelhaide natus eſt deinde, Conradus II. Salicus & Imperator. Omitto plures genealogicos Megiſeri errores, qui eos procul dubio ex Lazio deſcripſerit, anno quidem 1097. Henricus Dux Carinthiæ fuit, non tamen Ottonis filius, ut ſuo loco dicetur.

Henricus Otton. Carint. filio Dux Francon. non Carinthiæ.

Conradi II. ſalici Imp. parentes

MS. Chron. Styr. Megiſerum in omnibus fere deſcribens, eundem Henricum, ait Ducem Carinthiæ ac Styriæ fuiſſe, aſt Bertholdi Ducis Carinthiæ filium ac Ottonis I. Imp. fratruelem, Conradum vero Franconiæ & Carinthiæ Ducem, ac Styriæ Marchionem, ob rebellionem cum Luidolpho Ottonis M. filio ac Hungaris cœptam, exauthoratum fuiſſe cum Henrico Duce, cui Ozyonem Styriæ Comitem in Marchionatu Styriæ ſuffectum, Henricum vero ſub Henrico III. Rege reconciliatum, Styriam denuo obtinuiſſe, atque ad an. 989. tenuiſſe; errores hos jam ſæculo priore detectos videre licet, etenim 1. falſum eſt Henricum dictum fuiſſe Ottonis I. fratruelem ac Bertholdi filium, nullus enim Bertholdus Ottonis M. frater erat. 2. Henricum minorem dictum, & Carentaniæ Ducem Aventinus, aliique Boici ſcriptores paſſim quidem Bertholdi ex Eyla filium docent, Hübnerus tamen tab. genealog. 26. Ottonis Sueviæ ac Bavar. Ducis filium ſtatuit. Quidquid de ea re ſit, certum eſt Henricum minorem an. 996. defunctum ſine prole fuiſſe, eique Ottonem Conradi & Luitgardis filium denuo ſuffectum fuiſſe, cum jam antea Henrici hujus exauthorati loco eam Carinthiæ Provinciam vicaria proteſtate adminiſtraverit. 3. Inter fabellas etiam oblegandum cenſeo, quod MS. Chron. Styr. part. 1. cap. 60. refert, Ottonem hunc, dum Carinthiæ Dux an. 996. crearetur, ſimul Styriæ Marchionem factum, ea tamen ſub conditione, ut *villacum & Wolfsbergam Carinthiæ* urbes Henrico tum Duci Bavariæ dein Imperatori cederet, Comitatum autem *Affluentinæ vallis*, ſeu Afflenz, Beatrici cuidam proximæ Conradi I. Imp. agnatæ relinqueret.

Ozyo Com. Styr.

Beytholdus nullus Otton. M. fr.

Henr. min. Carinth. Duc. parentes.

Otto Dux Car. an March. Styr.

Præterquam enim, quod fabellas has in nullo Authore ſincero invenire liceat, eæ etiam inter ſe pugnant, cum conſtet hoc tempore Adalberonem, & anté eum Marquardum Comitem fuiſſe *vallis Martiæ & Affienz.* Dein nec Afflenz, nec vallis Martia hoc tempore Styriæ Marcæ adjecta erat, ſed pars Carentani. Tandem quænam ſit illa *Beatrix* proxima Conradi I. agnata, in tab. geneal. Hübneri 27. Bucelino, aliisque nullam invenio Beatricem, niſi ad an. 1056. circiter primam Bonifacii Eſtenſis, ac ſecundam Godefredi Ducis Lotha-

Beatrix agnata Conr. I. Imp. quæ

Non fuit uxor Adalberon. Duc. Carinth. ſed ſuſ. ux. erat Brigid.

ringiæ uxorem, quæ inter proximas agnatas Conradi I. recenſeri nequit, cum ab eo, gradu 5. vel 6to diſtaret.

Sed Chron. MS. Styr. cit. Beatricem hanc novo errore ait fuiſſe Adalberonis Comitis de Merzthall & Affienz, ac Carinthiæ Ducis uxorem; atque ob hanc cauſam Adalberoni Ducatum Carinthiæ, & Comitatum Styriæ, præteritis Ottonis Ducis filiis, collatam cenſet. Sed præterquam quod falſum ſit Adalberoni poſt Ottonem Ducatum Carinthiæ ceſſiſſe, cum ex dictis ſolum poſt Conradum I. Ottonis filium, Ducatus Carinthiæ Adalberoni conceſſus fuerit, uxor etiam Adalberonis hujus non Beatrix, ſed Brigida Hermanni Sueviæ Ducis filia fuit, teſte Frælichio Archont. Ducatus Carinth. part. 1. tab. 3. Genealog. eam vero tabulam hic claritatis cauſa ex eodem Frælichio adduco.

Genealogia Comitum Affienz & vallis Martiæ.

Marquardus Comes in Muerzthall & *Eppenſtein*, forte Marchio, uxor Hadumada Adalberonis Com. de Eberſperg filia.

Richarois 969. ſoror, Ulrici Com. Eberſperg. uxor 4. 1013.

Adalbero Comes in Muerzthall Marchio an. 1000. ex Diplom. Otton. III. in Carith. Achontol. fit Dux Carinthiæ 1012. exauthor. 1035. † 1039. ✻ uxor Brigida Hermanni Suevi filia.

Luipoldus Marchio fors † 1045.

Marquardus Dux Carinthiæ 1073.

Adalbero Ep. Bamb. 1054. † 1057. 16. Kal. Mart.

Richardis fors uxor Bertholdi I. Zæring.

Luitpoldus Dux Carinth. 1077. † 1090.

Henricus II. Marchio Iſtriæ 1077. Dux Car. 1090. uxor 1. Luithardis, 2. fors Beatrix, 3. Sophia Leop. pulchri Auſt. March. filia, cujus mentio in Diplom. Frider. I. Imp. 1170.

Reliquas proles vel an. 1045.

Ita Frælichius Archont. Carinth. part. 1. tab. geneſtl. 3. & 8.

Brigida Herm. Duc. Suev. filia an certo uxor fuerit Adalberon.

Ad Adalberonis uxorem *Brigidam* aſteriſcum in tab. geneal. poſui, vix enim ſine dubio aſſentior ea in re Frælichio, cum Annal. Saxo & Dietmarus lib. 5. p. 367. ad an. 1002. dicat de Hermanno Aleman. ſeu Sueviæ Duce: *itaque caput Ducatus ſui argentinam - - - cum Conrado Ottonis Carentani Ducis filio, ſibimet genero, milite petit armato &c.* Si ergo Conradus I. Dux Carinthiæ gener fuit Hermanni Suevi, Brigida hujus filia non Adalberoni, ſed Conrado I. nupta eſt, niſi dubio huic itaque quis occurrat, & cum Frælichio cit. tab. 1. Mathildem alteram Hermanni Suevi ex Gerberga Burgundica filiam Conrado I. uxorem dicat. Hübnerus tab. 26. & 51. genealog. Gerbergam Burgundicam Hermanni II. Ducis an. 1004. def. uxorem ſtatuit, ſed idem Hübnerus inter natos Hermanni hujus ex Gerberga, nec Mathildem, nec Brigidam ponit, ſed Hermannam 3. aliis 2. ſine prole defunctum, & Giſelam Erneſti Auſtr. uxorem, cui etiam ob uxorem Giſelam Hermanni an. 1994. def. filiam, ac junioris Hermanni an. 1012. ſine prole defuncti ſororem, Ducatum Alemanniæ Rex contulit Henricus. Cum ita-

Hermanni hujus ex Gerberga proles.

que

que Adalboldus, Dietmarus, & Annal. Saxo &c. uno ore Conradum I. Carinth. Ducem Hermanni Suevi generum dicant, omnino cenſeo, plures Hermanno ex Gerberga Burgund. fuiſſe proles, atque has inter Mathildem Conradi I. Carinth. Ducis uxorem, alteram Brigidam Adalber. Ducis Carinth. uxorem fuiſſe.

Adalbero Dux Carinth. non fuit Author Ottocar.

Unus adhuc de Adalberone hoc lapis movendus, an nempe is Author fuerit Ottocarorum Styriæ Marchionum: Jam Diſſert. 4. cap. 1. §. 3. dixi, quosdam in ea verſari opinione, ut originem Ottocarorum ab Adalberone hoc deducant, atque Ottocarum I. hujus nepotem cenſeant, ſed omnes hi Ottocarum nobis primum excludunt, cum Ottocarus I. longe ſenior fuerit Adalberone. Standum itaque cenſeo MS. genealogico Voravienſi, præſertim cum in accuratis tabulis genealogicis, in ſerie Ottocarorum nullus Adalbero Comes in Muerzthall & Afflenz, ac in ſerie Comitum in Muerzthall Afflenz &c. ac Ducum Carinthiæ nullus Ottocarorum noſtrorum occurrat.

Nec Adalbero I. fr. Ottrc. II. Nec Adalb. II. fr. Ottoc. IV.

Adalberonem vero Comitem in Muerzthall & Afflenz, ac Ducem Carinthiæ poſtmodum etiam exauthoratum, diſtinquendum ab Adalberone I. fratre Ottocari II. & Comite in Ennsthall, uti & ab Adalberone II. fratre Ottocari IV. & Comite in Enns & Goyſerwald, jam Diſſert. I. cap. 1. §. 3. oſtendi. Adalberonem vero Ducem Carinthiæ hoc an. conſtitutum diverſum etiam eſſe ab Adalberone Clerico & fratre Marquardi Ducis Carinthiæ, etiam ex eo patet, quod Adalbero hic Clericus anno 1054. factus ſit Epiſcopus Bamberg. & an. 1057. obierit, ut ibidem dictum.

Nec Adalb. Clericus fr. Marq. ſucc. Cgrinth.

ANNO 1012.

An. 1012.

Indict. 10. *Bened. VIII. P.* 1. *Henr. II. Imp.* 11. *Ottoc. II. Mar. Styr.* 22.

Bamberg. dedic.

In conſtituenda epocha dedicationis Bambergenſis denuo non conveniunt Authores, factam 2. Non. Maji, ipſo die natali Regis, atque præced. anno teſtantur Pagius, Marianus Scotus, Chronic. Wirzburg. econtra pro hoc anno pugnant Annal. Saxo, Einſiedel, Lambertus Schaffnaburg. Hoffmannus in Annal. Bamberg. Dietmarus, aliique. Præciſa omni de anno conſecrationis lite, eam Cathedram non per manus Eberhardi I. Epiſc. Bamberg. ſed Joannis Vener. Patr. Aquil. conſecratam cenſeo cum Dietmaro lib. 6. pag. 390. ad hunc annum. Aderant Rex, Regina, duæ regiæ Sorores, Abbatiſſæ Sophia & Adelheida, hæc nempe Quedlimburg, illa Gandersheimenſ. (Sorores regiæ non tamen Henrici II. ſed Ottonis III. Imp. Sorores) cum 35. ut Annal. Hildesheim. cum 46. Epiſcopis, inter quos Hartwicum Salisburg. & Chriſtianum Patav. adfuiſſe dubito.

Per Joan. Patr. Aquilej.

Bamberg. Syn. Hartw. Salisb. Chriſtian. Patav.

Poſt hæc de more, Synodus etiam habita, in qua Geberhardus Epiſc. Ratisbon. ab Archiep. ſuo (Salisburgenſi nempe) correptus fuit, qua vero de cauſa, nemo, quod ſciam, refert. Dedicatio hæc Bambergenſis probe ab ea diſtinquenda eſt, quæ anno 1020. contigit.

Herm. II. Dux Alem. def. ſucc. Erneſtus Auſtr.

Obiit eodem hoc tempore Hermannus II. ſeu junior Dux Alemanniæ ſine prole in prima juventute, cujus Pater primus Hermannus S. Henrico rebellis Argentinam urbem an. 1002. obſedit cum Conra-

do

do Ottonis Carentaniæ Ducis filio, & genero ſuo, ut ait Dietmar. lib. 5. pag. 367. veniam tamen ſibi & filio adhuc juveni impetravit Ducatum, 4to Non. Maji an. 1003. defunctus. Cum itaque ſine prole obiret Hermannus II. Ducatum Alemanniæ S. Henricus: Rex contulit Erneſto, Luipoldi Auſtr. March. filio, eo quod Giſelam Hermanni ſenioris filiam, & junioris ſororem haberet uxorem. Erneſtum hunc Leopoldi Auſtr. filium fuiſſe docent Dietmarus, Annal. Saxo, Hermannus contractus, Albericus Monach. Ciſterc. trium fontium, Annal. breves Einſidel. Eckartus & Hoffmannus, &c. negat Author faſtor. Campilienſ. tom. 1. elog. 1. fol. 75. qui videri poteſt.

S. Coloman. in Auſtria cæſus.

Dum Boleslaus Polonus varias terras vaſtat, Moraviam ſibi ſubjicit, vicinosque Auſtriacos infeſtat, ſicque Moravi Auſtriacis ſuſpecti fiunt, injuſta S. Colomanni cædes in Auſtria contigiſſe putatur, Agreſtes enim ulterioris Moraviæ homines, Moraviæ viciniores, ex cruentis his diſſidiis, gentem Sclavicam exoſi, in exploratorum numero ſtatim habuere, ſi quis hoſpes vel advena, peregrino aut cultu, aut ſermone iis obveniſſet, dum itaque S. Colomannus ex Hibernia, ſacra loca viſitandi cauſa, in Bavariorum, atque Moravenſium in Auſtria confinio adveniret, pro exploratore captus, multis dirisque cruciatibus ad fatendam, cujus ſibi conſcius non erat, culpam adigendus credebatur, *ſed ille, cum ſe nimis excuſat, pauperemque Chriſti ſe ſic vagari affirmaret, in arbore diu arida, innocens ſuſpenſus eſt, nam caro ejus a quodam poſtea paulum inciſa ſanguinem fudit, ungues ac capilli creſcebant, ipſa quoque arbor floruit, & hunc Chriſti Martyrem eſſe monſtravit. Hæc Marchio Henricus, ut comperit, corpus ejusdem in Mezelecum* (Medliw) *honorifice ſepelivit.* Hæc Dietm. l. 7. p. 418.

Stokeravii paſſ.

Stokeraviæ paſſum fama communis eſt, virgis flagrisque atrociter cœſum, ignitis lapidibus & forcipibus, laceratis ſerra cruribus, cum duobus latronibus ſuſpenſum Ortilo & vitæ ſcriptor Mellicenſis tradunt, ut v. Ortilon. notulas ex Aloldo Pechlarienſi apud Auth. faſt. Campililienſ. Chronic. Salzburg. Mellicenſe, Zwetl. Admont. hoc an. apud Hier. Pez, qui etiam tom. 1. a col. 94, ad 109. vitam ejusdem S. Colomanni refert. Diem mortis glorioſæ Ortilo citatus ad 16. *Kal.* Aug. Martyrologium Rom. ad 3. Idus Octobr. notat, quem Ortilo ejus ſepulturæ aſſignat. Translatum ex loco ſuſpendii in inſulam Danubii

Mellicii ſepult.

S. Martyris corpus anno 1013. ut vult Chronographus Mellicenſ. & an. 1014. per Megingaudum Eichſtad. Epiſc. Medlici eſt ſepultum, quem annum plerique tenent.

Errat vero MS. vita S. Colomanni apud cit. Pezium in translatione ejusdem in Hungariam, tria enim componuntur, quæ congruere minime poſſunt, nempe 1. Popponem Trevir. Archiep. juramento adactum, & quidem 2. a Petro Hungariæ Rege, ut id S. Corpus 3. ab Henrico fratre, Marchione Auſtriæ obtineret. Hæc, inquam, tria non conveniunt, nam Poppo Trevir. Archiep. iter Jeroſolimitanum aggreſſus eſt an. 1026. circiter, & rediit ex eo an. 1028. proin hoc vel ſubſequo anno corpus S. Colomanni in Hungariam deveniſſet, ſed eo anno Henricus Marchio non vixit, jam anno 1018. defunctus, nec an. 1028. Petrus, ſed Stephanus Rex Hungariæ erat, quare ſi an. 1028. Corpus S. Colomanni in Hungariam venit, nec ſub Petro Rege eo delatum,

latum, nec ab Henrico, ſed Adalberto Auſtriæ Marchione impetratum fuit, v. an. 1027. Interim non nego, corpus S. Colomanni ad Albam regalem tempore Guerrarum, ut ait Chronic. Mellic. fuiſſe deportatum, cum Cæſar Maximilianus ipſe an. 1517. Mellicii diverſatus id ſe remiſſurum polliceretur, cum in animo haberet, ejus Sacrum Sepulchrum renovare. v. an. 1029.

S. Colomannum eodem itinere non longe poſtſecutus eſt S. Gotthalmus e Scotia, cujus Pater in familia Parentis S. Colomanni, cellæ penuariæ præfectum agebat, audita enim S. Colomanni nece clam in Auſtriam abiit & cum in villa Mauer pernoctaſſet, ibidem obdormivit, Mellicii etiam ſepultus. Vitam ejus ſcripſit Bernardus Dapifer Cœnobita Mellicenſis anno 1362. ex fide majorum. v. P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. fol. 109. *S. Gotthalmus in loco Auſtr. Mauer obit.*

In Synodo Confluentiæ habita ab Epiſcopis collectis, Theoderico Metenſi ſolennis ſacrificii uſu interdictum eſt, ni Regi ſe prius cum ſuis complicibus ſubmitteret, & perduellionis crimine purgaret, Lucemburgici fratres de pace Legatos ad Henricum miſerunt, quibus dein dies Moguntiæ dicta. *Conſi. Synod. in cauſ. ſſr. Lucemburg.*

Hoc etiam anno circiter vel ſeq. Joannes IV. Patr. Aquilej. *adverſus quemdam Urſonem, qui ſe Patriarcham Gradenſem dicebat, coram B. Henrico Imp. cujus uxor fuit S. Chunegundis Virgo, de gradu plebe etiam ſua reclamavit.* Ita Chron. Aquilej. reliqua latent. Urſo vel Urſus Ottonis Venetorum Ducis frater erat. *Aquil. cum grad. lites.*

ANNO 1013. *An. 1013.*

Indict. 11. *Bened. VIII. P.* 2. *Henr. II. Imp.* 12. *Ottoc. II. Mar. Styr.* 23.

Paſſavii Chriſtianus Epiſc. fato conceſſit 12. vel 11. Kal. Octobr. ut plerique volunt, v. Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 240. ita narrant Annal. Hildeſ. & Sax. *MXIII. Chriſtianus Patav Epiſc. obiit, cui Beringerus ejus loci Decanus ſucceſſit.* Sunt tamen apud cit. Germ. Sacr. Authorem, qui Chriſtianum anno ſuperiore defunctum, hoc vero Berengerum ſucceſſiſſe volunt. De hoc Chriſtiano, quia pallium non ambiente, Bernardus Noricus non ſatis æque ſcripſit ad an. 992. *Chriſtianus Epiſcopus Pataviæ ſedit annis 22. iſte nihil clari geſſit, & ſine pallio deceſſit. Hic uſurpavit cum Luipoldo Marchione, & Comitibus Berngero, & Engelberto prædia Eccleſiæ in* Chrembsmünſter in Pettenbach, *ſed tandem reſtituit, quæ de manu Arnoldi Welfenſis & Lambacenſis Comitis ante eripuit. Hic etiam ſpecialem ſibi jurisdictionem in noſtra Eccleſia vindicavit, unde dicit in privilegio Chrembsmünſtrenſem Eccleſiam ſacræ Patavienſi ſedi jure legitimo pertinentem: ideo ſcilicet, quia anteceſſor ejus decimas Eccleſiæ Chrembsmünſtrenſi dedit, ut pie creditur ab antiquis.* Ita Bernardus Noricus Hieron. Pez tom. 1. col. 1206. male tamen de his ſentit Bern. Noric. Nam an. 993. oſtendi Abbatiam Chrembsmünſter Eccleſiæ Patav. ab Ottone III. confirmatam fuiſſe, ubi etiam de Leopoldi uſurpatione quæpiam obſervata ſunt, ſane combinari non poteſt Bernard. Noricus cum Diplom. Cremifan. ab Henrico IV. dato apud Rettenbacher Annal. Cremifan. part. 1. fol. 148. in quo dicitur, quod *anno MXCIX. Hen-* *Chriſtianus Ep. Patav. obit, Benno v. Berngerus ſucc.*

ricus IV. Imp. Pettenbachenſe prædium, primum a Marchione Luidpoldo, & Comitibus Perengario & Engelberto, qui injuſte tenebant, judicio & juſtitia convictis Paſſavienſi electo Epiſcopo Tyemoni redditum, Cremſenſi Monaſterio reſtituerit, ergo Chriſtianus id prædium reſtituere non potuit. Reliqua Eccleſiæ Paſſav. bona ſub Chriſtiano enumerata ſunt an. 999. 1007.

Nec miror, Bernardum Noricum Chriſtiano Epiſc. minus æquum fuiſſe, novimus enim, quid non invidiæ paſſi fuerint Epiſcopi Patav. ſcriptoribus, qui pallium non urgebant. Crediderim tamen Chriſtianum, eadem, qua S. Wolfgangus olim mente Bohemiam a Ratisbon. ſede abſtractam, ereptam ſibi Pannoniam, non jacturam, ſed emolumentum Eccleſiæ putaſſe.

Berngerus ſeu Benno Auth. Germ. Sacræ tom. 1. pag. 241. cujusdam opulenti viri Paſſav. filius videtur: an vero hic adeo rudis, ac per preces S. Godehardi Altah. Abbatis habilior litteris ſit redditus, vel Eilbertus ejus Succeſſor, pro certo ſtatui non poteſt, eo, quod appendix illa ab Auth. Germ. Sac. cit. nec Arnolphi Vohburgenſ. nec Welfheri videatur.

S. Henr. in Italiam abit. Rex Henricus interim in expeditione Italica promovenda totus erat, atque 11. Kal. Octobr. ex Merſeburgo per Bavarorum & Suevorum fines in Italiam movet Arduinus Italiæ tyrannus eo itinere territus, ad conditiones deſcendit, quas tamen S. Henricus ſuorum inſtinctu non acceptat, & Paviam ſine ulla belli offenſione venit, Ravennam accedens, ibi coacta Synodo Arnoldum fratrem ſuum præſente & conſentiente Bened. VIII. Papa Archi-Epiſcopum ſtatuit. Arnoldum S. Henrici fratrem præter Dietmarum & Annal. Saxonem nemo memorat, quin & ipſe Henricus in ſua ad Francofort. P. P. oratione unius tantum fratris & cohæredis ſui meminit, v. Dietmar. lib. 6. pag. 383. qui proin ſui ipſius & Arnolfi immemor fuiſſe, ſuaque pro Regis verbis poſuiſſe videtur, cum lib. 7. pag. 416. *Arnulfum* non ſolum *fratrem*, ſed etiam *Regis Germanum* nominet.

Arnulfus Archi-Ep. Ravennat. an fr. S. Henr.

Frowiza Ottoc. II. filia naſcitur. Ottocarus II. Marchio noſter, an expeditione Italicæ S. Henrici interfuerit, apud neminem legi, id tamen probabilius Diſſert. 4. cap. 2. §. 2. oſtendi, eidem hoc anno circiter Frovizam filiam, ac Erneſti Auſtr. dein uxorem natam fuiſſe.

An. 1014.

ANNO 1014.

Indict. 12. Bened. VIII. P. 2. Henr. II. Imp. 13. Ottoc. II. March. 14.

S. Henr. Romæ coronatur. Undique victor in Italia Henricus, a Bened. VIII. quem contra Gregorium Antipapam reſtituit, coronatus eſt Imperator 16. Kal. Martii cum S. Chunegunde conjuge ſua Paſcha dein Romæ adhuc egit, compoſitisque Italiæ turbis rediens, Bambergæ Pentecoſtem celebravit. Serius aliquantum cenſeo in poteſtatem Imperatoris veniſſe Marchiones illos quatuor, de quibus Arnulphus in hiſtoria Mediolan. nihil aliud ſcribit, ac quod *Marchiones Italiæ 4. Ugonem, Azonem, Adalbertum, ac Obizonem captione una conſtrinxerit. lib. 1. cap. 18.*

Inundat. aquar. in Auſtria. Cum aquarum inundationes Walachriam & Flandriam devaſtarent, etiam Auſtria ſimili aquarum eluvio cum ſtrage Satorum & domorum

eſt

eſt afflicta, hocque Henrico Marchioni occaſionem dedit S. Colomanni corpus ex inſula deportandi Mellicium. Suſpenſa quidem hæſit aqua Danubii ad tumulum S. Colomanni, unde invitatus Bennonis Paſſav. fors juſſu vel voluntate Megingaudus Eichſted. Ep. id ſacrum corpus comitante Sacerdotum turba Mellicium detulit, ut. v. Chron. Mellic. Clauſtroneoburg. *S. Colom. transl.*

ANNO 1015. *An. 1015.*

Indict. 13. *Bened. VIII. P.* 4. *Henr. II. Imp.* 14. *Ottoc. II. March.* 25.

Inopinatus caſus hoc anno feria 3. Pentecoſtes *Erneſtum Alemanniæ Ducem* de medio ſuſtulit. Venabatur ea die cum *Adalberone Comite*, qui in occurrentem forte feram pharetram exonerans, telo Erneſtum Ducem caſu petitum, gravique inflicto vulnere ſemiaminem in terram ſtravit. Erneſtus nil in imperitum jaculatorem commotus, illico animæ ſuæ rationem habuit, cumque Sacerdos illico haberi non poſſet, publicam coram venationis ſociis pœnitentiam fecit, ſicque ſancte obiit prid. Kal. Junii, *ſepultus Wirzeburg. juxta Patrem ſuum Luitpoldum Auſtriæ Marchionem, ut ipſe rogavit.* Ita Dietmarus lib. 7. pag. 403. & Annal. Hildesh. hoc anno. Erneſtum hunc Leopoldi Auſtr. filium jam an. 1012. dixi, authoritate plurium Authorum nominatim Dietmari; Author faſtor. Campililienſ. id acerrime negat, adducitque varia ad labefactandam Dietmari Merſeburgenſis, & Wittechindi authoritatem, ſic Eccard. in præfat. ad tom. 1. corpor. hiſtor. medii ævi ita ſcribit: *Dietmari, & Witichindi præſertim narrationem confuſam in ordinem chronologicum congeſſit Annal. Saxo, & ea opera facem ad intelligendos exactius obſcuriores hoſce ſcriptores accendit.* Obſervat etiam de Dietmaro P. Calles tom. 4. hiſt. Annal. Germ. Eccleſ. lib. 6. §. 100. ad an. 973. *Sed id Dietmaro uſitatum, ut quidquid memoriæ occurreret de aliquo, id quamvis annis diſcretum, unum in cumulum conjiciat, ſexcentis locis demonſtrari poteſt.* Quidquid ea de re ſit, quam Auſtriaci contendant, difficultas illa ex ſepultura Wirzeburg. petita, jam an. 994. præoccupata eſt. *Erneſti Auſtr. Dux Alem. in venat. caſus.* *An Leopoldi Auſtr. filius.* *Annal. Sax.* *Et Dietmari authoritas.*

Henricus Imp. 8. Kal. Julii Goslariam veniens, motus Erneſti caſu, *Ducatum* Alemanniæ *nepti ſuæ Gislæ & filio ejus itidem Erneſto dedit.* Ejus voluntate fors etiam Poppo Erneſti I. frater, ac II. patruus, Præpoſ. Bamberg. Erneſto puero Tutor adjunctus eſt, qualem ſe etiam dein Archi-Epiſcopus Trevirenſis ſcripſit. *Erneſto II. Dux Aleman.*

Adalbero Comes occiſor Erneſti quis fuerit? nemo edixit, Comites tres Adalberones hoc tempore legimus, unus frater Ottocari II. noſtri Marchionis, alter Comes de Muerzthall &c. ac Dux Carinthiæ, tertius denique hujus filius, ac an. 1054. Epiſcopus Bamberg. neutrum horum occiſorem Erneſti cenſeo, ſed quempiam alium ejus nominis in Suevia vel Alemannia Comitem. *Adalbero Com. occiſor Erneſti quis?*

Inde S. Henr. Imp. expeditionem in Boleslaum Polonum ſuſcepit, atque Croſnæ ex caſtris Miſeconem promiſſi ſui admonuit, qui cum ſe in Boleslai patris poteſtate cauſaretur, bello denuo initium datum eſt, Polonos ex Moravia in Auſtriam erumpentes, & prædatores 800. circiter occidit, prædamque omnem raptorum manibus excuſſit. *S. Henricus Polon. cædit.*

Aquil. Synod. Joannes Patr. Aquilej. hoc anno Synodum coegit, in qua villam Premaſiaci, aliaque bona & jura Præpoſito, & Canonicis D. Stephani in Forojulio civitate largitur, tabulas exhibet de Rubeis cap. 53. n. 8.

Scherffenberg *ſeu* Oſterberg *genealog.* Familiæ cujusdam vetuſtiſſimæ, modo in Styria noſtra domicilium & prædia nactæ, ex Carniolia quidem oriundæ meminiſſe debeo: de hac Doctor Joan. Ludov. Schönleben in genealog. Gallenbergica ita loquitur: *Ortolfus II. de Scharffenberg Author lineæ Oſterbergicæ circa an.* 1015. *primus condidit aliud caſtrum dictum* Oſterberg *(Oſter* vel *Soſtro* Carniolice idem ſonat ac Scharf) *in confluentia fluvii Savi & Labaci, a quo poſteri denominari cœperunt,* Oſterberger, *ſive Slavice* Oſterverber, *quod idem ſonat, ac germanice* Schärffenberger. Jam anno 928. dixi ex eod. Schönlebenio Arnulphum Comitem de Schärffenberg e Ducibus Franconiæ oriundum caſtrum Schärffenberg condidiſſe, unumque horum Dynaſtarum Regem Bulgariæ fuiſſe. Genealogiam eorundem altius repetit Hübnerus tab. geneal. 903. quam Bucelinus Stemmatogr. part. 4. in Genealog. Auſtr. juvabit prius omiſſos a Bucelino, retexere ex Hübnero.

Ortolphus II. de Scherffenberg *caſtr.* Oſterberg

Arnulphus I de Scherffenberg.

Arnulphus ex Agilolfing. familia vixit an. 928. in Marchia Vindica Ducatus Carnioliæ.

Ortulphus I. de Scherffenberg vixit an. 960.

Otho I. vixit an. 1000. *Ortulphus II.* Sator Com. de *Gallenberg.*

Gallenberg Com. origo.

Henricus I. vixit in aula Henr. III. Imp. an. 1040. ideo dictus Comes Imp.

Henricus II. cum Imp. Henr. IV. educatus & Epiſcopus Spirenſis ab 1067. ad 1075. — *Rudolphus I.* de Scherffenberg.

Rudolphus II. an. 1100. — *Georgius I.* — *Hubertus* an. 1100.

Georgius II. vixit anno 1135.

Joannes aderant Monomachiæ ſeu torneam Tiguri an. 1165.

Abrahamus vixit an. 1165. — ✲ *Henricus III.* ex Diplom. Seccov. apud Cl. Frælich, ommiſſus ab Hübnero.

Ucelinus vel *Ulricus* 1231. 1251.

Henricus IV. vixit 1242. — *Leop.* vixit a. 1260. ux. Genovefa de *Zobelsberg.*

Otto II. vixit an. 1274. citatur etiam in Diplom. Sitticenſ. — *Wilhelmus I.* vixit a. 1274. uxor Sophia Comes de *Montparis.* — *Ulricus* frater, ex Diplom. Sitticen. Monaſterii.

Ita Hübnerus. Bucelinus vero paulo ante Wilhelmum I. orditur eam ſeriem, ut ſeq. folio patebit. Ex his interim videre licet, Arnulphum ſtipitem totius hujus familiæ, Authorem fuiſſe, & gentis & ſimul arcis Scherffenberg in Carniolia, de qua an. 928. dictum. Incertum vero eſſe ait Schönlebenius, qua majorum ſerie *Arnulphus ille* e Franconiæ Ducibus prodierit; præterea Orthulphus II. hoc an. caſtrum illud Oſterberg diſtinctum a Schärffenberg exſtruxit, & lineæ Dominorum ac *Comitum de Gallenberg* Author fuit.

Arnulph. Scherfenb. e Francon. Ducibus.

Obſervo

Obſervo tamen, ne has Hübneri tabulas exactas eſſe, deſideratur enim *Henricus de Scharpfenberg*, qui anno 1182. Ottocari Ducis Styriæ Diplomati Græcii Seccov. dato ſubſcripſit & quidem 2do loco. v. Diplomat. meum in fine num. 58. *Wilhelmus Scherffenbergius* an. 1287. citatur in Diplomate Leutoldi Chunringii dato Leopoldo Epiſc. Seccov. apud Clar. Frælich Diplom. S. Ducat. Styr. part. 1. fol. 342. & citatur hic tanquam miles Leutoldi Chunringii. Ejusdem Wilhelmi frater *Ulricus de Scherffenberg* citatur in Diplom. Sittic. Monaſterii his verbis: *Wilhelmus & Ulricus fratres de Scherffenberg*, ubi etiam *Otto de Scherfenberg* occurrit. Hunc eundem *Ulricum* ſubſcriptum puto an. 1282. Diplom. Gyrienſi 9. apud Cl. Frælich cit. fol. 142.

Wilhelm. & Henr. de Scherfenberg.

Ulricus & Otto

In Diplomate Runenſi 26. apud cit. Frælich part. 2. fol. 27. citatur etiam an. 1261. *Henricus de Scherfenberg* hunc ego *Henricum IV.* cenſeo, *Nicolaum vero de Scherffenberg* equitem ordinis Theutonici fuiſſe patet ex charta Arnoldi Comitis de Strygau an. 1288. dato apud cit. Frælichium ſol. 214. in quo fit mentio *Fr. Nicolai de Scharffenberg.*

Henric. IV. & Nicolaus.

An Scherffenbergii jam ſæc. 12. in Styria, cujus inter Diplomata adduntur, ſedem fixerint? an teſtes ſolum e Carniolia evocati, vel caſu præſentes egerint? ignotum. Clar. ac Excellentiſſ. Wurmbrandius in collectaneis hiſtorico Genealog. cap. 56. Lazio, Heringio, Spenero ac Bucelino nititur, omniaque fere ex Carniolia refert, Hübnerus Styrenſium Comitum originem tab. 905. a *Joanne Comite* an. 1509. nato, atque arcis Græcenſis propugnatore repetit. De quibus alibi erit loquendi occaſio, nunc Bucelini Genealogiam conſideremus.

Quando e Carniolia in Styriam venerunt.

Joan. Com. Scherfenb.

Scherfenbergiæ Regiæ familiæ Boſnienſis fragmentum Genealogicum.

N. Dominus de Scherffenberg vixit an. 1165. de cujus immediata ſucceſſione nil certi habetur.

Wilhelmus D. de Scherffenberg, Dominus Marchburgi, Landroſtii, Billichgrazii, & magni ad Dravum tractus, v. Laz. lib. 6. ux. N. *Comitiſſa de Montparis.* Cl. an. 1260.

Henricus D. de Scherfenb. & Marhb. 1280.	*Hugo* an. 1300. ux. Urſula *Hofmanin* de *Strechau.*	*Udalricus* fort. miles cum Hartmanno D. Petovii congreſſus ux. N.	*Colenus* cælebs

Anna M. Petrus de *Liebenberg.*	*Georgius* an. 1328. ux. N.	*Rudolfus I.* a. 1300. ux. Catharina N.	*Hartnidus* 1328. ux. n.	Plures in juvent. †

Georg. jun. 1355. ux. Chun. *Scherfenberg* ejusdem gentis.	*Euſtachius* a. 1360. uxor Anna D. de *Winchl.*	*Wilhelm. II.* Erneſto Duci oppoſitus privatus caſtris ac fugitivus.	*Rudolph. II.* in Auſt. ſup. abiit an. 1420. ux. Marg. de *Stahrenberg* fil. Rudigeri.	

Joanes Ep. Paſſ. 1381. † 1387.	*Burcard.* adeſt Sigiſm. Imp. contra Venetos a. 1418.	*Wolfgang* caſt. Sprinzenſtein legat Stahrenbergiis a. 1421.	*Udalric.* an. 1456. uxor Cathar. de *Loſenſtein.*	*Anna* ux. Burcardi de *Tiernſtein.*	*Maria* ux. Joannis *Schenk de Dobra.*

Rudolfus III. ſolo nomine conſtat.	*Bernard.* aliis *Pancrat.* capit. Auſtriæ ſuper Anaſum 1478. ux. 1. Eliſ. *de Fladniz.* 2. Cath. *de Stahrenberg.*		*Chunegund.* ux. Friderici D. de *Hochenburg.*	

Ita pars prima ſtemmatographiæ Scherffenbergiæ apud Bucelinum, cui tamen contradicit tabula 904. Hübneri, pro *Georgio* enim *Juniore* an. 1355. ponit *Conradum ſeniorem*, dein inter deſcendentes Rudolfi II. ponit etiam *Margaretam uxorem Wilhelmi de Gallenberg.*

An. 1017.

ANNO 1017.

Indict. 15. *Bened. VIII. P.* 6. *Henr. II. Imp.* 16. *Ottoc. II. March.* 27.

An Styria rer.

Dum an. 1015. Poppo Leopoldi Auſtr. filius, & Henr. March. frater, antea Præpoſ. Bamberg. a S. Henr. Imp. Archiep. Trevir. contra petulantem Adalberonem S. Chunegundis fratrem & S. Paulini Præpoſitum (de quo an. 1008. plura) ſtatueretur, Henricus frater ejus

Moravi caſſ.

Marchio Auſtriæ, antea facta a Moravis in Auſtriam irruptione præventus, mox eosdem, dum Bohemiam adorirentur, repulit, atque *occiſis ex eorum numero plusquam mille viris, fugientibus cæteris, captivitatem hanc omnem ſolutam domum remiſit*, ut ajunt Dietmarus & Annal. Saxo.

Benon. Pat. rer.

Dum vero Auſtria externis bellarum turbis concuti videbatur, Berngerus ſeu Benno Patav. Epiſc. internæ ejusdem felicitati ac ſaluti

Herzogbug. Ecc.

providere indies cœpit, fundamenta nempe poſuit Eccleſiæ Herzogburgenſis, ex qua dein circa an. 1112. ſub Udalrico Patav. celeberrima ſurrexit Regularium S. Auguſt. Canonicorum collegiata. Fertur hoc in loco Henricus Marchio habitaſſe, atque inde fors nomen Herzogenburg acceperit. Sic enim habet Diploma ad Epiſcopum Patav. *Quoddam prædium in orientali regno in Comitatu Henrici Marchionis, & locum ad conſtruendam Eccleſiam in* Herzogburk *(propter ipſum Marchionem) ubi Presbyter manſionem facere poſſit, & unum regale manſum in Krembſa, & in Sigemarsvverdt & Tulna extra civitatem &c.* annus Diplomati non adjectus eſt, ante ſeq., quo Henricus ſubitanea morte obiit, datum fuiſſe oportet.

Nomen.

Adalbero Dux Carint. March. Veron.

Adalbero Dux Carinthiæ, Marchio ſeu Comes ſimul Veronenſis fuit, Tarviſii enim judicium celebravit, teſte Muratorio antiq. Italiæ tom. 1. pag. 169. Dominus *Adelpeyro Dux iſtius Marchiæ Carentanorum.*

Aqu. Pat. Joanni datur Petina urbs.

Aquilejenſi Patriarchæ Joanni ab Henrico Imperatore (proin non an. 1011. ut Palladius pag. 148.) urbem Petenenſem ſeu Biben donatam fuiſſe teſtatur Valvaſor tom. 3. lib. 11. topogr. fol. 31. & 375. &c. quæ dein Lazio teſte Alberto Comiti Goritienſi obvenit, nunc vero Comitatui Mitterburgenſi unita Principi de Aucrſperg paret.

An. 1019.

ANNO 1018.

Indict. 1. *Bened. VIII. P.* 7. *Henr. II. Imp.* 17. *Ottoc II. March.* 28.

Henr. Dux Bavariæ reſtituitur

Henricus Imp. ſub exitum prioris anni menſe Decembri Bambergæ diverſatus, *Henricum quondam Bavariorum Ducem Chunegundis Auguſtæ fratrem, & tunc* 8. *annos & pene tot menſes, ſua depoſitum culpa, priſtinis Imperator reſtituit honoribus, die dominica ſicut ei firmatum eſt prius a Poppone Trevirenſi Archi-Epiſcopo.* Henricus tamen ante hunc annum in poſſeſſionem Bavariæ non eſt reſtitutus.

Hoc

Hoc eodem fere anno, *Henricus, qui Marcham inter Hungaros & Bavarios poſitam tenuit, 8. Kal. Julii fortis armatus obiit.* Ita Dietmar. Chronic. tamen Mellicenſe, & Clauſtroneob. diem obitus 9. Kal. Julii, Ortilo vero in notis Aloldi more ſolito a cæteris longius abit, & diem obitus in 3. Non. Decembr. rejicit. Quoniam vero ex codice vet. MS. Biblioth. Palatin. Vindobon. *Henricus Leutpoldi filius ſecundus Marchio in Auſtria ſine hæredibus obiit*, Henricus Imp. ei fratrem Adalbertum ſucceſſorem dedit, qui ob relatas plures de Hungaris victorias, dictus eſt victorioſus. Henricum Mellicii ſepultum fuiſſe docet Necrolog. vetus Mellicenſe apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 213. *Henr. Auſt. obit.* *Suc. Adalbert. Aſt.*

ANNO 1019. *An. 1019.*

Indict. 2. Bened. VIII. P. 8. Henr. II. Imp. 18. Ottoc. II. March. 29.

Dum S. Henr. Imp. 5. Idus Januarii *Capungi*, ſeu Kauffungen moraretur, beneficii aliquid ad *Leuben ſupra Cremſium* in Auſtria Altahenſibus, Tegernſeenſibus contulit, ſubjicitur eo in Diplomate *in Marcha & in Comitatu Adalberti Marchionis* ſitum fuiſſe *Leuben*, teſte Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. Diſſert. 2. §. 19. & Bern. Laz. t. 5. Theſau. anecdot. fol. 150. ubi quidem de Marcha Adalberti nil memoratur: locum tamen hunc a Leobio Styriæ diſtinctum oſtendit ſatis ſitus ſupra Crembſium. in cit. Bern. Lazii codice legitur 2. *Regales manſos ſitos in loco, qui dicitur Liupana inter 2. lapides Waltſtein & Höllinſtein.* Unum ex his 2. decretis donativum fuerit, alterum vero confirmatoriam. *Leuben loc. Auſt.*

Id obſervo fallere vel monumenta hiſtoriæ Tegernſeenſis apud P. Bern. Pez tom. 3. Theſaur. anecdot. fol. 508. vel codicem Diplom. tom. 5. fol. 156. num. 40. hic enim Ebingerus Abbas an. 1031. factus dicitur, in priore vero loco jam an. 1017. Abbas fuiſſe.

Diſſidium erupit inter Conradum II. Conradi I. Ducis Carentaniæ filium, & Adalberonem Ducatui Carinthiæ, neglecto Conrado II. Præfectum, cauſa diſſidii non obſcura erat; Conradus enim iniquiſſime ferebat, præteritum ſe eſſe in avito Carinthiæ Ducatu, unde Conradum Salicum patruelem ſuum, ac poſt imperatorem in armorum ſocietatem pertraxit, cum eoque dolorem ulciſci ſuum in prædiis, quos Adalbero in Suevia poſſediſſe videtur, aggreſſus eſt. Rem hanc enarrat Herman. contractus ad an. 1019. *Cuonradus, filius Cuonradi, quondam Ducis Carentani Adalberonem Ducem apud Ullmann pugna victum fugavit.* Conſonat Chron. Mellic. Clauſtroneob. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 222. & 437. ex quibus proin patet error Author. Chronici incerti Auſtr. apud eundem Pez tom. 1. col. 549. ſic dicentis. *Chunradus puer auxiliante patruele ſuo Imperator efficitur, & Chonradus poſtea Imperator Alberonem Ducem pugna vincens fugavit;* hæc enim antea contigere, quam Chonradus Imperator fieret. Quamvis vero Adalbero victus eſſet, Ducatum tamen Carinthiæ adhuc retinuit, fors ope S. Henrici Imp. qui pacis amans eos compoſuerit, donec an. 1036. vel præced. Adalbero exauthoraretur. Patruelem, & ſecundo conſanguinitatis gradu Conradum Salicum Imp. & Conradum II. an. 1036. Carinthiæ Ducem conjunctum fuiſſe oſtendit ſequens ſchema: *Conrad. II. cum Adalberon. Duc. Carinth. bellum.*

Otto

Otto Dux Franconiæ & Carentaniæ † 2005. ux. Judith.

Henricus ſeu *Hezel* Dux Francon. ux. Adelheides.

Conradus I. Dux Carent. † 1011. ux. Mathildes.

Conradus II. Salicus Rex Germ. 1024. Imp. 1027.

Conradus II. vel *Chuono* a. 1036. Dux Carinth.

Eos vero omnes ex Ottonis M. Stirpe deſcendere, vel ex eo liquet, quod Ottonis Franc. & Carentan. Ducis an. 1005. defuncti, mater fuerit Luidgardes filia Ottonis M. & Conradus Dux Lotharingiæ.

An. 1020.

ANNO 1020.

Indict. 3. *Bened. VIII. P.* 9. *Henr. II. Imp.* 19. *Octoc. II. March.* 30.

Bamberg. S. Stephan. dedicatio.

Si vera ſunt, quæ Muratorius ex antiqua vita S. Henrici Imperatoris edidit primus, Bamberg. S. Stephani Eccleſiæ dedicatio non obſtantibus aliis documentis huic anno affigenda videtur, docet vero Muratorius Annal. Ital. ad hunc an. ex vita S. Henrici cap. 23. Benedictum Papam menſe Aprili primum in Germaniam veniſſe, & feria 5. majoris hebdomadæ, Bambergæ ſuſceptum fuiſſe, cum itaque Paſcha an. præced. in 28. Martii inciderit, hæc anno priori concordare non poſſunt. Cauſa adventus Pontificii erat metus a Græcis, contra quos proin Henr. Imp. in auxilium evocavit. v. Diplom. Göſſ. 5.

Aquil. Patr. dignitas.

In S. Paſchatis die *in matutinali officio Aquilej. Patriarcha primam lectionem, Archiep. autem Ravennas ſecundam, ipſe Apoſtolicus tertiam recitavit.* Ex ead. vita apud Murator. cit. ex quibus pateſcit denuo Patriarchæ Aquilejenſis honor, eum locum obtinentis, quem ei Leo VIII. Antipapa adjudicavit. Præſentes erant 70. Epiſcopi dedicationi Eccleſiæ ab ipſo Pontif. VIII. dein die ſeu Kal. Maji celebratæ; Imperator his omnibus peractis Benedicto Papæ Bamberg. Eccleſiam donavit, quam teſte Baron. ſucceſſu temporis Henricus Junior Conradi filius cum Leone X. permutavit, ac huic pro Bambergenſi dedit Beneventanam Eccleſiam, equo ſolum candido cum inſtructu magnifico & 100. argenti marcis in cenſum annum reſervatis.

Göſſenſ. Monaſt. res.

S. Henricus Imp. dein ob turbas Ottonis Comitis in arce Hammerſtain obſeſſi, ac tandem capti, ea in arce prope confluentiam aliquanto tempore perſtitiſſet, *Göſſenſi Styriæ Monaſterio* 10. Kal. Jan. Diploma edidit, de quo jam anno 1004. dictum eſt. Diploma hoc ad hunc annum ſpectare varia convincunt, indictio nempe 3. annus regni Henrici 19. Imperii vero annus 12. erratus eſt, ponendusque 7mus, dein cum datum ſit in arce Hammerſtain 10. Kal. Jan. annus hic ipſe firmatur, etenim cum obſeſſio Comitis Ottonis in arce dicta diuturnior fuerit, nempe 5. Kal. Octobr. ad 26. Dec. (quo arx dedita) protracta, patet, Regem ſeu Imperatorem Henricum 10. Kal. Jan. hujus anni eo in caſtro fuiſſe, immo natalem ipſum Chriſti, præter morem hic celebraſſe, ut habet Annal. Saxo. ad an. 1021. Accedit, quod hoc in Diplomate Henricus *Aribonem* ſolum *fidelem ſuum capellanum & conſanguineum* dicat, nondum autem Archi-Epiſcopum, cum vero Aribo an. 1021. poſt 16. Kal. Sept. defuncto Erchamboldo Mogunt. Archiep. fuerit ſubrogatus,

Hammerſtain de Com. Otto.

rogatus, ſi Diploma hoc an. 1021. datum fuiſſet, Henricus Aribonem procul dubio Archi-Epiſcopum, uti in ſequentibus appellaſſet. De hoc Diplomate, uti & de Bulla aurea confirmat. Monaſterii ejusdem Göſſenſis hoc etiam anno Kal. Maji Wloæ data, jam omnia explanata fuere anno 1004. ubi de origine Parthenonis hujus loquebar, id ſolum ex Diplomate Göß Wloæ Kal. Maji ab Henrico hoc an. dato, & quidem *Venerabili Papa Benedicto præſente & confirmante* (v. Diplom. Göſſ. 6. apud Frælich. Diplomat. Duc. Styr. part. 1. fol. 11.) Benedictum Papam non præcedente, ſed hoc an. Bambergæ fuiſſe. *Benedict. VIII. Pap. Bambergæ agit.*

ANNO 1021. *An. 1021.*

Indict. 4. Bened. VIII. P. 10. Henr. II. Imp. 20. Ottoc. II. Styr. 31.

Necrolog. Fuld. teſte 16. Kal. Sept. vel die ſeq. ut ſcribit Tangmarus in vita Bergwardi obiit Erkamboldus Mogunt. Archiep. cui ſucceſſorem nominavit Henricus Imp. Aribonem Fundatorem illum Göſſenſem, Aribonis Dynaſtæ Leobienſis ex Adula filium, teſte Annal. Saxon. hoc an. Biographo Memiverci cap. 70. Tanemaro ibid. *Aribo fund. Göſſ. fit Archiep. Mogunt.*

Hoc etiam an. vel præcedentis fine Joannes IV. Patr. Aquil. obierit, huicque Poppo Patr. ſucceſſerit, cum hic in judicio cum Henrico Imp. cauſa Monachorum S. Zenonis adverſus Ramboldum Tarviſii Comitem Veronæ habito 6. Decembris adfuerit, v. Herman. contra Chron. Quedlimburg. hoc anno, & Murator. antiquit. Eſtenſ. part. 1. cap. 14. Popponem hunc etiam *Wolfgangum* dictum an. 1027. oſtendam, ubi de ſtirpe ejus occaſio erit diſſerendi. *Joan. IV. Aquil. Patr. ſucc. Poppo ſeu Wolfg.*

Croatia hoc tempore cum *Sirmio* in Græcorum poteſtatem abiit, Baſilius enim Imp. Græcus, ſubacta Bulgaria etiam Chrobatos ſeu Croatas ſibi ſubjecit, cum 2. ejus Principibus. *Sermo* Dominus Sirmii id facere detrectans, occiſus eſt a Conſtantino Diogene, hicque cædis præmium recepit *Sirmium*, ſicque teſte Pag. num. 3. *Banni* (ſeu Præfecti & Gubernatores) *Croatiæ* tempore ſunt orti. *Croatia cum Sirmio Græc. ſucc. Bannor. Croat. origo.*

Dum Egilbertus XVIII. Ep. Friſing. Præpoſituram in monte, Canonicorum in Monaſteriam Weichenſtephen, Ord. S. Bened. commutavit, Henricus Imp. pro augmento partem cujusdam inſulæ in Auſtria dictam *Sachſonagane* contulit, pro qua teſte Vito Arenpekio Chron. Bajoar. lib. 4. cap. 25. data eſt villa Hegelhauſen. Diploma hoc ex Metrop. Salisb. tom. 1. pag. 143. &c. adfert P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. Diſſert. 2. §. 19. ubi prædium *Sachsonagove* ſitum *in prov. orientali*, ſeu Auſtria *juxta Danubium* dicitur, *in Marchia Adalberti Comitis.* *6. Auſtriæ rel.*

Adalberti Auſtriæ Marchionis opportuna recurrit mentio, quem ex Aloldo ſuo, Author Faſtor. Campilil. enſ. hoc anno nuptias feciſſe cum Alhaide filia Guilelmi Com. Pictav. & Giſela Sororis S. Steph. I. Regis Hungariæ ſcribit, hujusque Alhaidis fratrem, Petrum Stephani in regno Hungariæ ſucceſſorem contendit. Conſentiunt tabulæ Clauſtroneob. apud Hier. Pez to. 1. f. 1008. Hübnerus tamen tab. Gen. 108. & 123. ait Adelhaidem victorioſi Auſtriæ March. uxorem fuiſſe filiam, non ſororem Petri Alemanni dicti Hung. Regis, & S. Stephani ſucceſſorem, cum enim S. Emericus S. Stephani filius ante patrem obierit *Adalberti Auſtriaci nuptiæ. Ux. Adelhais filia Petri Hung. Regis.*

an. 1031. S. Stephano ſucceſſiſſe putat, Petrum ex Giſela ſorore & Wilhelmo Duce Burgundiæ natum, ideoque Alemannum etiam dictum, quod ad an. 1038. pluribus authoritatibus ſtabilietur, ut ſic appareat, non omnem continuo Aloldo & Ortiloni Campilienſ. fidem eſſe habendam.

Non vero Froviza Ottoc. II. filia.

Alium in errorem incidiſſe videtur Dr. Hoffmannus, dum Adelberto Auſtriaco duas fuiſſe uxores ſcribit, *Frovizam* & *Adelhaidem* occaſionem errori ſuxpeditaverit Diplomatarium Ludewigi miſcellum, ubi inter Diplom. varia invenitur unum datum an. 1048. *Adalberto Marchioni & Frovize uxori ejus.* It. aliud an. 1051. ſed Diploma etiam hoc licet a Carolo V. Imperat. an. 1522. & 1530. confirmatum, inter fabellas tamen ab eruditis relegatur, cum Froviza Ottocari II. Styrenſis filia uxor ſolum exiſtimetur Leopoldi fortis Marchionis, ut infra dicam.

An. 1022.

ANNO 1022.

Indict. 5. Bened. VIII. P. 11. Henr. II. Imp. 21. Ottoc. II. Styr. 32.

Henr. Imp. in Græcos movet.

Hoc an. Henr. Imp. in Apuliam movit ad tutandos Imperii fines contra Græces, quos Melus Norman. Princeps anno 1020. defunctus ante quidem devicerat, jam vero denuo turbas ciere cœperunt. Unde Febr. menſe *cum maxima exercitus parte per Marchias tranſiit Imperator Archi-Epiſcopum vero Popum cum 11. millibus, ut perbibent armatorum per Marſorum regionem direxit* Led Oſt. &c. *Archi-Epiſcopum Poppum.* Baron. Popponem Trevir. habet, Muratorius vero & Sigonius Popponem Aquilej. & cenſeo ipſe pro Poppone Trevirenſi pugnandum eſſe, etenim ſi Poppo Aquilej. fuiſſet, eum Leo Oſtienſis non Archi-Epiſcopum, ſed Patriarcham dixiſſet. Res vero Italiæ ad vota Henrici ceſſere, Græci fuſi, Apulia imperio vindicata, capta Capua aliæque urbes &c.

Poppo Aquil. an præſens.

Aribo Mogunt. Selingſtad. Synodum cogit.

Aribo noſter, Leobienſis nempe, & Archiep. Mogunt. hoc anno Synodum Salegunſtadii celebravit, per ſuam Diœceſim reſtaurandæ pietati intentus. Sic vero ait Idem. *Ego Aribo Moguntinæ ſedis Archiep. quamvis indignus cum cæteris confratribus noſtris - - - Synodum in Salegunſtad condiximus anno Domini Incarnat. 1022. Indict. 5. 2. Id. Aug.* &c. v. Labbe. Conc. tom. 11. col. 1130. Canones 20. ſtatui, quos v. apud cit. Labbeum. Harduinum, Baron. n. 18. Pag. n. 5. Calles tom. 5. fol. 255. &c.

Conſecrat S. Godehard. Ep. Hildesh.

Quod ſi vero S. Godehardus Epiſc. Hildesh. ei Synodo adfuit, atque in ea multa etiam ſalubriter adduxit, Synodus ea cum Herman. contr. & Wolfnerro in vita S. Godehardi cap. 4. ad an. ſeq. eſſet retrahenda, cum conſtet S. Godehardum S. Berwardo Ep. Hildesh. defuncto ſeq. Dom. proxima adventus Domini, ab Aribone Mogunt. conſecratum fuiſſe Epiſcopum.

Jur. Ec. tenax.

Quam tenax fuerit jurium Eccleſiaſticorum Aribo noſter ex eo patet, quod *eodem die ante miſſarum ſolemnia ſecretius eum* (Godehardum) *cum Epiſcopis convenit* Aribo, *eique in Gandersheimenſi loco & circumjacente territorio omnem Pontificalis officii proviſionem Banni ſui interpoſitione prohibuit. Quem quidem Bannum ipſe, ſuæ ſimplicitatis more nec approbavit,*

nec

nec remuit, ſed ſtatim ad Imperatorem ab eo ſolummodo patrocinium in talibus quærens confugit. Qui confeſtim Archi-Epiſcopo cum confratribus familiariter accerſito, novum hunc conflictum Banno ſoluto ſapienter pacifice diremit.

Bennonis ſeu Berengeri Epiſc. Patav. in fovenda vita Monaſtica inſigne eluxit ſtudium: Altehenſis & Cremifanenſis cœnobii præclara initia ſub Chriſtiano informata, ſtrenue provexit Benno, & S. Hypoliti Monaſterio beneficus, eidem Eccleſiam Bechamskirchen ac pagum S. Chriſtophori, cum decimis & aliis prædiis donavit. Hæc Eccleſia Bechamskirchen eadem fors fuerit cum illa, quam Ottocarus III. Styrenſis Marchio permutavit, ac dedit Altmanno Patav. Epiſc. circa an. 1082. a quo Ottocarus viciſſim accepit ædem ſacram Garſtenſem, quomodo vero ea a Monaſterio S. Hypoliti ad Ottocarum III. devenerit? nondum inveni. Ob inſignem hanc munificentiam Benno ſeu Berengerus Patav. Ep. tanquam Fundator celebratur a Necrolog. S. Ypolitano his verbis: *15. Kal. Junii Engelbertus, & Berengerus Epiſcopi Patavienſes Fundatores noſtri, qui dederunt nobis Eccleſias: capellam* Bechannkirchen, *S. Chriſtophorum cum decimis ſuis, & decimam in* Meuslich *dat. de* Gerolzſtorff *60. denar.*

Benno. Pat. vit.

Bechamskirch. datur Eccl. S. Hipol.

ANNO 1023.

An. 1023.

Indict. 6. Bened. VIII. P. 12. Henr. II. Imp. 22. Ottoc. II. Styr. March. 33.

Hoc anno *Aribo Moguntinus Archi-Epiſcopus Imperatorem in Pentecoſte Moguntiam invitavit, ubi & Concilium generale coadunavit, in quo Epiſcoporum Concilio plura, quæ deviaverant, correxit: præcipue tamen Ottonem Comitem de* Hammerſtein *& Irmengarden illicite commanentem ſeparare diſpoſuit, quod tamen penitus perficere non potuit, quia ille partim ſe regali timore, partim Epiſcopali commonitione utcunque correxit, illa vero publice Bannes prævaricans, ibidem jus legemque, ut vel hodie claret, funditus perdidit &c.* Ita Wolfherrus in vita S. Godehardi Ep. C. 4. Irmengardis vero pervicax protervia conatus omnes ſanctiſſimos Præſulis noſtri eluſit.

Aribo Mogunt. Conc. cogit.

Hammerſtein Otton. Com. & Irmingard. fact.

Has inter paſtorales curas, Parthenonis ſui Göſſenſis oblitus non eſt Aribo noſter, adjecto enim Pilegrini Colon. Archiep. & ipſius etiam Auguſtæ patrocinio, gemina ab Henrico prædia, Monaſterio Göſſenſi obtinuit, primum eſt *prædium tale, quale habemus juxta prædium* Lombinch *nominatum, ſitum in pago* Liebenthall *vocato, in comitatu vero Eberhardi Comitis.* Ita Diploma 7. Göſſenſe in Diplom. S. Ducatus Styriæ p. 1. fol. 12. *Datum* eſt *coloniæ 18. Kal. Junii Indict. 6. an. Dom. Incarn. 1023. an. Dom. Hainrici Sc. Di regnante 22. Imper. 10.* alterum *prædium* ab Henrico donatum erat in Toinlach ſeu ut ait Diplom. 8. Göſſ. cit. *in villa Domache vocato, ſita in pago, qui vocatur Niverzia in Comitatu vero, qui nuper fuit Turdogomi Comitis &c.* Quod Diploma altero die, eodem datum eſt, notandum eſt, quod in utroque Diplomate Monaſterium Göſſenſe *noſtrum* appellet Henr. Imp. tum quod profuſa munificentia alter quaſi ejus fundator fuerit, cum quod ad ſingularem ſuam & Imperii protectionem ſuſceperit, ita ut Cæſarei Parthenonis titulo gauderet, clypeumque Auguſto diademate coronatum exhiberet.

Göſſenſ. Monaſterio datur præd. Lombinch in valle Leob.

Göß Monaſt. Cæſareum.

Tragöſſ. Monaſt. Göſſ. donatur. Anonymus Leobienſis ad an. 1010. Lobmingenſi prædio & Tragöſſenſi valle donatum Göſſenſe Monaſterium notat his verbis: *Iſto anno B. Henricus Imperator* (ſed an. 1010. adhuc non erat Imper.) *ad petitionem uxoris ſuæ SS. Cunegundæ & ad inſtantiam Aribonis ſui cognati* (inſerenda erit particula poſtea) *Archiep. Mogunt. donavit prædium juxta Lobnicham fluvium, cum omnibus attinentiis Gözzenſi Eccleſiæ æternaliter poſſidenda. Hæc eſt illa vallis, quæ nunc dicitur* Tragöß &c.

Errat Anoymus Leob. in anno, quem clare deſignat indictio & regimen Henrici erroneum eſſe, ſed ſæpius Anonymus hic plura uni anno illigat, quæ Succidius contigere Comites hi *Eberhardus*, & *Turdogomus* fuerint Præfecti territorii ac Miniſteriales Henrici Imp. ut de Hartungo ad an. 960. dixi, v. an. 1045. Salisburgi etiam vitam meritis & virtutibus glorioſam clauſit Hartwicus Archiep. Salzb. ita Chron. Salzb. Author vitæ apud Caniſum tom. 2. Necrolog. Fuld. & Admont. diem addit: *Nonis Decembris depoſitio Hartvvici Archiep. Juvav.* ſepultus eſt in ſacello S. Gregorii, ab eo dein S. Hartwici dicto, Cereum ferunt ante contactum fomitis accenſum, in ſignum ſanctitatis ſuæ. Inſignia Eccleſiæ ſuæ obtinuit privilegia ab Ottone III. jus cudendæ monetæ, nundinas quotidianas, commercia libera, jus teloniorum & vectigalium, verbo regalia omnia. Henricus vero Pius teſte Arenpekio dedit territorium Lungav. cum multis curtibus & bonis.

Styriæ Com. var. *Hartwic. Salzb. ſucc.* *Salisb. Eccl. regalia.* *Lungau donatur Salzb. Eccl.*

Conſentiunt recentiores Hartwicum e famila Sponheimenſium Comitum fuiſſe, ejusque fratrem familiæ ſuæ ſanguinem in Carinthia propagaſſe; unde Duces orti, qui *ab Ortbenburgenſi* caſtro gentis ſuæ nomen ſortiti Carinthiam per 140. fere annos ad Ottocarum II. Boh. Regem gubernarunt.

Hartwic. e fam. Com. de Sponheim *Ortenburg Com. origo.*

Hartwico, ut redeam, Salzburgenſi ſucceſſit Guntherus, Henrici ab anno 1009. Cancellarius, de cujus ſtirpe & geſtis perpauca exſtant, ex ſtirpe Marchionum Miſmenſium fuiſſe creditur, atque ex diſciplina Notgeri Seod. prodiiſſe.

An. 1024.

ANNO 1024.

Indict. 7. Joan. XIX. P. 1. Conrad. II. Imp. 1. Ottoc. II. Styr. March. 34.

S. Henr. Imp. ſucc. Conrad. II. Grunæ ægrotare cœpit graviter Henr. Imp. quo ex morbo, cum ſe non eſſe reſanandum cerneret, conſulentibus ſibi Principibus ſuper ſubſtitutione regni, Conradum deſignavit virum egregii generis, obiit dein 3. Idus Julii an. ætatis 52. Babenbergæ in Eccleſia SS. Petri & Pauli tumulatus, ac ab Eugenio III. an. 1151. in SS. numerum translatus. Antequam obiret Henricus, teſte Leone Oſtienſi, Chunegundem Aug. his verbis reſtituit: *Recipite, quam mihi tradidiſtis, virginem veſtram*, & ſane teſtari poterat virginem non ſolum a ſe intactam ſed etiam candentibus vomeribus a calumniis liberatam. Hæretici noſtri temporis virginitatem S. Chunegundis ſugillant dicentes S. Henricum per verbum *Virginem* non intellexiſſe *a ſe intactam*, ſed potius *prole carentem* cum nomen virginis etiam maritatis tribui ſoleret. Aſt alio longe ſenſu virginitatem hæretici ipſi accipiunt, niſi dum elogia SS. impugnant, male enim ipſis foret conſultum, ſi virginitatem damnantes

S. Chunegund. Imp. virginitas defenditur.

nantes ac impoſſibilem judicantes, condemnarent etiam eas, quæ in matrimonio prole carerent. Pugnant pro virginitate S. Chunegundis Leo Oſtienſ. lib. 2. cap. 47. Author vitæ Henr. apud Caniſium pag. 291. Author vitæ Meinwerci cap. 12. bulla Canoniz. apud Baron. tom. 12. an. 1152. Annal. Saxo. Nonnoſius in vita S. Chunegund. Godefridus Viterb. aliique Authores celeberrimi, nec obſtat Dietmarus lib. 6. pag. 383. dicens: *ad recompenſationem futuram* (verba adducit S. Henrici Imp.) *Chriſtum elegi, quia in ſobole accipienda ſpes nulla remanet mihi*; nam potuit ob morbidum, ut volunt hæretici, ſanitatis ſtatum cognoſcere omnino ſibi ſpem nullam eſſe prolis, & tamen ſimul virginitatem ſervare, vel potuit honeſto hoc verborum ſchemate ſanitatem & votum ſuum celare Henricus an. 1006. certe Dietmarus longe præmortuus eſt S. Henrico. Objecta alia Hæreticorum ſolvit Sollerius comment. prævio ad vitam S. Henrici §. 8. pag. 727. ad 14. Julii & P. Calles tom. 5. Annal. Eccl. German. pag. 231.

Ubi vero mors Henr. Imp. innotuit, quilibet Principum vi magis quam ingenio fieri primus voluit, poſt interregnum itaque 8. Hebdom. convenere Principes ad villam Cambam, teſte Herman. contra Sitam, inter confinia Moguntiæ & Wormatiæ, ut Regem eligerent. Inter præcipuos Regni æmulos erant Conradi duo, unus Salicus in terra Salica Franciæ Teutonicæ natus, & ſenior ob ætatem dictus, alter Conradus Franciæ Dux Conradi I. Carinth. Ducis filius dictus minor, ambo hi nobiliſſimi, & ex duobus fratribus nati, ut an. 1059. oſtendi.

Die electionis 6. Id. ſeu 8. Sept. ſtatuta *Aribo Mogunt. Archiep.* primus omnium Conrado Salico & ſeniori ſuffragium ſuum dedit, quam ſententiam cæteri Archi-Epiſcopi &c. ſequebantur, teſte Wippone in vita Conradi, moxque Conradus junior ei etiam aſſenſit, ac Moguntiæ ab Aribone inunctus eſt, ubi antea ad preces Aribonis noſtri Conradus Rex omnibus, a quibus læſus erat, veniam indulſit. v. Wipponem cit. pag. 466. *Aribo Mogunt. ungit Conr. II. Imp.*

Poſtquam Rex Conradus eſſet, etiam Giſela Regina 5. Kal. Octob. a Pilgrino Archiep. Colon. coronata eſt; dilatam Reginæ coronationem Pagius num. 11. exodio, alii cum Baronio num. 14. ob inceſtuoſum conjugium credunt, cujus Pater Hermannus Dux Alemanniæ, mater Kerbirga filia Conradi Regis Burgund. vulgo creditur. Giſelæ hujus ſecundus maritus Erneſtus Auſtriacus, Alemanniæ Dux. Primus Bruno Marchio Brunſvic. tertius Conradus Salicus, qui teſte Annal. Saxone eam violenter rapuiſſet. Hoc in ſyſtemate cognatio inter Conradum Salicum, & Giſelam ita ex Frælich. tab. 1. Archant. Carinht. elici poſſet, uti & ex P. Calles tom. 5. fol. 248. *Cum Giſela Reg. a Pilgrino Colon. coron.* *Conjunctio cum Conr. II. Imp.*

Genealogia Conradi II. Salici Imper. ex Frælichio cit.

Henr. Auceps Rex Germ.

Genealogia Giſelæ Imp. uxoris Conr. II. Salici ex Calles cit.

Otto I. M. ux. 1. Editta 2. Adelhais.

Gerberga Sor. Otton. Mar. Ludov. Rex Franciæ. Hübber. tab. 50. 61.

Luitgarda Mar. Cunrad. Dux Loth.

Mathildes Mar. Conrad. Rex Burg. Hübner. tab. 61. 50.

Otto I. Dux Franc. & Carentaniæ ux. Juditha.

Gepa, Hübner. *Gerberga* tab. 27. 61. Mar. Hermannus II. Dux Sueviæ.

Henr. Dux Franc. ux. Adelhaid.

Giſela Mar. I. Bruno March. Brunſo. 2. Erneſt. Auſt. Dux Alemanniæ, 3. Conradus Dux II. Salic. Imp.

Conradus II. Salic. Imp. ux. Giſela Hermanni Suev. filia.

Hoc ſchema, more veteri, quo conſanguinitas ad ſeptimum etiam gradum uſque ad tempus concilii Lateran. ſub Innoc. III. extendebatur, exhibet, Conradum II. Salicum, uxori ſuæ Giſelæ fuiſſe quinto gradu, mixto 4. conſanguineum.

Frælichius Archontol. 2. parte fol. 21. aliud ſchema conficit, ex quo illicitas Conradi Salici nuptias cum Giſela oſtendit. Sed alio capite, ait enim ex Kælero in Diſſert. de famil. Auguſta Franconica tab. 2. pag. 18. & Diplomate Conradi II. apud Schannatum in codice probationum ad hiſtor. Wormat. Mathildem Conradi I. Carent. Ducis & patrui ſui fuiſſe uxorem, ita enim Diploma Conradi II. Salici ait: *Pro remedio parentum noſtrorum defunctorum Atavi* (fors Abavi) *noſtri Ducis Chunradi* erat is Dux Lotharing. maritus Luitgardæ) *Aviæ noſtræ Judithæ Patris noſtri Henrici, ac Patrui Ducis* (Carinthiæ) *Chunradi ejusque conjugis dignæ memoriæ Mathildis &c.* Mathildes jam hæc Conradi I. Ducis Carinthiæ uxor, erat filia Hermanni Ducis Sueviæ, ſeu Alemanniæ, proin ſoror Giſelæ, ut exhibet Peslerus ex MS. codice & Dietmarus lib. 5. Unde Conradus II. Salicus uxorem habuiſſet patrui ſui uxoris ſororem, uti hoc ſchema oſtendit.

Otto I. Dux Franc. & Carent. uxor Juditha.

Henricus Dux Franconiæ, ux. Adelhaid.

Conradus I. Dux Carent. *uxor* Mathildis filia Hermanni Duc. Sueviæ & ſor. Giſelæ Imperatr.

Conrad. II. Salic. Imp. ux. Giſela, Hermanni Ducis Sueviæ filia, & ſoror Mathild. uxoris Conradi I.

Conradus II. Dux Carentaniæ.

Aliud affinitatis vinculum adhuc inſinuat Glaber Rudolfus lib. 4. in præmio pag. 40. ita ſcribens de Conrado II.: *Habebat enim conjugem, quæ ei erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ejus duxerat.* Maritos Giſelæ duos ante Conradum II. Salicum ſupra dixi, quis vero ex his cognatus fuerit Conradi, an Erneſtus Auſtriacus II. Giſelæ

mari-

maritus? an Bruno March. Arunſvic. vix certo conſtat. Dein ſi etiam Erneſtus Auſtriacus Alemanniæ Dux, de quo loqui videtur Glaber, cognatus dicatur, quæſtio denuo eſt, an Giſelæ, an Conradi cognatus fuerat, obſcure enim dicitur, *quam primitus quidam cognatus ejus* (Giſelæ an Conradi) *duxerat.*

Ad primam hanc quæſtionem cenſeo a Glabro indicari Erneſtum, ait enim *quam primitus*, ſeu primo *duxerat cognatus ejus*, unde Glaber cenſuerit Erneſtum Auſtriacum fuiſſe cognatum. Nec deſunt, qui vel Luipoldum Erneſti patrem avia ſua Henrici aucupis ſorore, vel Richezam ejus conjugem ex Conrado Lotharing. Duce an. 955. bello Hunnico extincto, & Luitgarde Ottonis M. filia ſanguinem duxiſſe ſtatuant, ut v. Annal. Auſtriac. P. Sigiſm. Calles tom. 1. lib. 5. pag. 269. & 284. v. etiam Hübner. tab. 523.

Ad quæſtionem alteram facilior eſt reſponſio, Erneſtum nempe Auſtriacum utique & Conrado II. & Giſelæ fuiſſe cognatum, cum ambo inter ſe communi ſanguine propinqui fuerint, ut paulo ante ex ſchemate Geneal. utriusque eſt oſtenſum.

P. Calles tom. 5. cit. pag. 249. novam ex conjectura init ſententiam, cenſetque Conradum Imp. dum Dux adhuc eſſet, ante Giſelam Erneſti viduam, matrimonio ſibi junxiſſe *Giſelam de Werla*, ut eam vocat Chronic. Ducum Brunſvic. Brunonis viduam jam ex Luitolfo, quem ex Brunone genuerat, factam matrem. Non enim ſibi tempus inveniſſe videtur aptum, quo Giſela Conradi II. Imp. uxor ac Erneſti vidua, Brunoni Brunſvic. nupſiſſet. Sententiam hanc non inani conjectura ſolum, ſed Chronologia utcunque conveniente, authoritatibusque probat loco cit. Quidquid ſit, de conjugio hoc Conradi, cum Giſela dubium omne ſublatum eſt, vel venia legis impetrata, ſecus enim Aribo Mogunt. Conradum ſolenni ceremonia in Regem non unxiſſet, nec Pilgrinus Colon. pro Conrado minore ſeu 2. Carentan. Duce ac æmulo acerrime pugnans id beneficii loco ſibi poſtulaſſet, ut Reginam ſua in Eccleſia inaugurari ſibi liceret. Nec Joannes XIX. eam Romæ Imperatricem inſigniiſſet, ſcio Romæ de iisdem nuptiis ortum dubium, & Coronationem dies aliquot ſuſpenſam, ſed, cum dein Giſela in Imperatricem coronata fuerit, vel inde patet, vel dubium de matrimonio ſublatum, vel veniam legis fuiſſe impetratam. Hinc neſcio, quid erroris obrepſerit Brietio ad hunc annum ſcribenti Conradum, poſtquam pollicitus eſſet uxorem illegitimam dimittere, Regem ſolum creatum.

Bollandus comment. hiſtor. de S. Hildegarde Palatina Carinthiæ 5. Febr. pag. 721. refert ad hunc annum, eam Paulo Palatino Comiti Carinthiæ nuptam fuiſſe matronam cæteroquin piiſſimam, ejus tamen ignota latuiſſet virtus, niſi attrox calumnia in famæ lucem protraxiſſet; aberat maritus peregre, dumque redux ex ancilla pecuaria quærit, quid ageret domi conjux relicta: hæc non ſine amaro riſu, quid ageret? ajebat, nocte inter adulteros exempta nunc altum ſtertit, ſuis ſe oculis vidiſſe, quæ neſcire cuperet, non opus erat pluribus, ad arcem *Boſnizam* præruptis *ad Dravum* rupibus impoſitam occurrit, pulſatisque cubiculi foribus, cum non ſtatim aperiretur, oſtium vi infringit, ac

S. Hildegardes Carinthiæ Palatina.

Infamatur.

Ex arce Broſniz præcipitatur.

conjugem

conjugem innocentem pedibus primum protritam, mox ut adulteram e feneſtra cum ancilla ſua præcipitat in ſcopulos ſubjectos protexit illæſas Deus famulas ſuas, quo comperto maritus pœnitens primum ad Apoſtolorum limina, mox in Palæſtinam ſuſcipit peregrinationem, Hildegardis vero, quo ſe memorem tanti beneficii exhiberet, *Steinæ templum erigit.* ad Dravum fluvium, Deo templum ſub hon. S. Laurentii condidit, atque acto ibi aliquot annorum curriculo obiit hoc anno 5. Febr. ejus *An ejus S. Reliquiæ Græcii ſint conditæ.* reliquiæ *Græcium* poſtea translatæ in S. Claræ Cœnobio ad Muram religioſe aſſervantur. Fatetur quidem Bollandus, teſte Frælichio Archont. Carinth. p. 2. fol. 118. hæc ex fama potius per manus tradita, quam certa antiquorum documentorum fide hauſta eſſe, *quorum ſi cætera antiqua veraque crederem maxime*, inquit cit. Frælichius, *attitulum illum* Comitis nempe Palatini Carinthiæ, *minime* rei hujus majorem, ut obtinerem, certitudinem, præſcripſi Græcium eploraturus? an hujus B. Hildegardis corpus, cum actis ejusdem in Monaſterio S. Claræ aſſervaretur. Sed reſcriptum eſt, ſe eo in monaſterio neſcire quidquam vel de corpore, vel de actis ejus. Quidam tamen Alumnus S. Franciſci ſtrict. obſervantiæ ſequentia mihi communicavit: *S. Hildegardis vidua nupta cuidam Comiti in Carniolia habitavit in quadam arce* Stain *nuncupata, hæc apud ſuum maritum Zelotypum, de infidelitate quoad thorum ſæpius diffamata, ſemel per famulam ex vacca lac extrahentem apud Comitem ex venatione revertentem accuſata, quaſi actu procum ſecum haberet in cubili ab eodem ira fremente per feneſtram in ſaxa & rupes per altitudinem certo 40. argyarum præcipitata, illæſa tamen evaſit in teſtimonium innocentiæ ſuæ: procum putatitium, qui tamen erat communis pediſſequa, non agnita a Comite præ rabie cæco, Comes tranfixit gladio. Famula falſo deferens in pœnam delicti in ſaxum mutata, una cum vacca hodie adhuc conſpicitur. Hildegardis etiam mortuo marito ſuperſtes ſanctiſſime vitam duxit uſque ad 80. annos, quibus completis mortua Staini requieſcit voce populi ſancta, licet ejus corpus incorruptum non ſit.* Quæ relatio, ſi ſubſiſtit, infirmat translationem illam B. Hildegardis ad Monaſterium Græcenſe S. Claræ, interim tamen metamorphoſis illa ſaxea dubium non leve ingenerat, quo tamen non obſtante, reliqua B. Hildegardis acta ſincera eſſe poſſunt.

An. 1025.

ANNO 1025.

Indict. 8. Joan. XIX. P. 2. Conradi II. Imp. 2. Ottoc. II. March. Styr. 35.

Conrad. II. Dux dein Carinth. & Erneſt. II. Dux Alemann. Welf. Com. Suev. rebel.

Grave diſſidium hoc anno exortum eſt, quod Otto Friſing. lib. 6. cap. 28. Herman. contractus, Wippo & alii referunt: *Conſanguineus Regis Conradus Vangionum* (ait Otto cit.) *& Erneſtus Privignus ejus Suevorum ſeu Alemannorum Duces, Regi cum multis aliis rebellare contendunt.* Hepidannus in Chron. an. 1031. lege 1025. ita refert: *Anno* 1031. (lege 1025.) *ſævæ contentionis fomes exarſit in ſacroſancto die Paſchali apud Vindelicam Auguſtam inter Chuonradum Regem, & patruelem ejus Chuonradum, cui etiam* Erneſt *Conſobrinus ejus Dux Alemanniæ & Welfhardus* (aliis Welfo) *Comes, poſtea confœderati, ſimul Regi rebellare ſunt auſi.* Herman. contract. cum Chronico Auguſtano: *Rebellio & diſcordia contra Chuonradum*

radum Regem, a Chuonrado ejus patruele, & Erneſto Duce Alemanniæ, Privigno ejus, Welf quoque Suevigena Comite & aliis quam pluribus eſt facta.

Chunradus Alemanniæ Dux, & dein II. hoc nomine Carinthiæ Princeps, vocatur *conſanguineus*, *Patruelis*, quæ vera eſſe an. 1019. aſt *Erneſtus* Alemanniæ Dux, & Chunradi Regis *Privignus* & *Conſobrinus* vocatur, *Privignus* quidem, quia Erneſti I. Auſtriaci ex Giſela dein poſt mortem Erneſti I. qui an. 1015. prid. Kal. Julii obiit, Conrado Regi Germaniæ nupſit. *Conſobrinus* vero Erneſtus non Conradi Regis, ſed patruelis ejus Chuonradi II. Carent. Ducis dicitur, ut textum inſpicienti patebit, & ſane Chunradus II. Dux Carentaniæ Conſobrini erant, quoniam hic ex Giſela, Chunradus II. Dux Carent. vero ex Mathilde genitus eſt, quæ Giſela & Mathildes ſorores erant, ut an. 1024. exhibui.

Cauſa diſſidii hujus quæ fuerit? nemo veterum prodidit; fors Brunonis Auguſtani Epiſc. apud fratrem gratia, & hujus ac Giſelæ quædam in Alemanniam jura quæſita occaſionem dederunt, præſertim cum Welpho dein attrociter cum Brunone diſſenſerit, & Alemannia quondam Giſelæ una, ac Erneſto filio a S. Imp. Henrico permitteretur, v. an. 1015.

Hæc tamen Conradus Rex tanti non habuit, ut iter ſuum in Italiam decretum retardaret, 8. April. die Paſchatis Auguſtæ fuit ad 23. April. inde ante 5. nonas Maji Ratisbonam venit, Bavariam mox reliquam & *Carentaniam* cum circumjacentium Provinciarum terminis, ut ait Annal. Saxo, æſtate peragravit? Hoc in itinere Conradum in Styriam quoque deflexiſſe judico, ubi ſimul, in Ottocari Marchionis noſtri, homagium ſuum præſtantis notitiam devenerit, indeque factum, ut ſi non ſequente, certe an. 1036. Ottocarus noſter comes Conrado in Italiam fuerit. *Conrad. Imp. in Styriam venit.* *Ottoc. March. ei homagium præſt.*

Per id tempus S. Chunegundis vidua in Confugienſe a ſe fundatum Monaſterium receſſit, Domino ſervitura ipſo die anniv. tranſitus S. Henr. ſeu 15. Julii pluribus dein miraculis inſignis an. 1040. mortua, ad S. Henricum Bambergæ eſt tumulata. *S. Chuneg. fit monial.*

Triburiæ cum conſiſteret Conradus Rex, ad preces Giſelæ Reginæ ſuæ, & Aribonis Fundat. Göſſenſ. ac Archiep. Mogunt. Berengero ſeu Bennoni Epiſc. Patav. omnes decimas in *orientali Provincia*, ſeu Auſtria, ſitas, in ſeptentrionali parte fluminis Danubii, *in Comitatu Adalberti Marchionis*, in omnibus locis conſtructis & conſtruendis de rebus omnibus, de quibus decimæ de jure & legaliter perſolvi debent, conceſſit 2. Non. Decembr. *Aribon. Mogunt. rer.*

Hoc antequam fieret, Guntherus Archiep. Salisburg. menſe Nov. regimen & vitam ſuam abſolvit, teſte Chron. Admont. Jordan. aliique; Chron. vero Salzburg. & Honorii annum ſeq. mortis ſtatuit, ſed pro hoc ſtandum cum etiam Necrolog. capituli & mortilegium Stainhauſeri annum 1025. ſtatuat Necrol. Admont. diem obitus Kal. Nov. adſtruit, unde cum Dietricus ejus ſucc. anno ſeq. coronationi Conradi Regis in Italia 26. Martii adfuerit, Guntherus hoc anno obiit; Megiſerus teſtatur ſe in documento vetuſto reperiſſe, Guntherum multos *Gunther. Arch. Salzb. obit.* *Ejus doctrina.*

codices a ſe conſcriptos reliquiſſe, nominatim egregium commentarium in pſalmos, quos tamen incuria ſæculi perdidit.

Gunther. Arch. Salzb. obit. Gunthero ſucceſſit Dietmarus II. vir doctus & ſapiens, de cujus tamen origine & inſtituto nihil conſtat. V. Auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 934.

An. 1026.

ANNO 1026.

Indict. 9. Joan. XIX. P. 3. Conradi II. Imp. 5. Ottoc. II. March. Styr. 36.

Henr. III. Rex German. Antequam Italiam ſubiret Conradus Rex, filium ſuum Henricum III. puerum nondum decennem, Regem, & Collegam ſibi Leodii adſcivit, ſponſamque ei connecti Regis Daniæ filiam Cunihildam elegit, cujus Patri in fœdus amicitiæ Slesvicenſem civitatem cum Marha trans Egdoram fluvium dedit.

Erneſt. II. Dux Aleman. Conrad. Imp. reconciliat. Hac cura perfunctus ad componendas lites adjecit animum, non tamen res ita feliciter ſucceſſit, Erneſtus II. Dux Aleman. ſolus Conradum vitricum veneratus; interventu Gislæ Reginæ, & Henrici parvuli, aliorumque Principum interventu in gratiam, ægerrime licet, eſt receptus die Purificat. B. M. V. Auguſtæ dein per 14. dies manſit, ac inter Henricum filium ſuum Brunonis Auguſtani Epiſc. curæ commendavit, tandemque cum exercitu copioſo Italiam petiit.

Abit cum Conr. in Italiam. Quinam ex Germania, Epiſcopi ac Duces Conradum in Italiam fuerint comitati? parum conſtat, Erneſtus unus Alemaniæ Dux exprimitur, *qui aliquantum Regi militans Campidonenſem Abbatiam*, perverſo eorum temporum more *in beneficium accepit a Rege, & ad tutandam Patriam honorifice remiſſus eſt*, teſte Vippone pag. 471. Aribo Moguntinus & Dietmarus Salzb. Archiep. etiam Regem comitati fuiſſe videntur: de Aribone tamen dubium, ut mox infra.

Aribo Mogunt. Dietmar. Salzb.

Ottoc. II. Styr. Dyn. in Ital. cum Conr. abit. Inter alios quoque Principes, Ottocarum II. Marchionem noſtrum in Italiam hoc an. cum Conrado abiiſſe judico, cum enim Ottocaro II. Conradus Rex an. 1030. in præmium laborum ſuorum tractum Anasburgenſem donaret, inter hos labores procul dubio, iter Romanum computandum cenſeo: Author Chronol. Sacr. Duc. Styriæ inter labores Ottocari noſtri reputat, quod caſtra Conradi in Italiam ſecutus fuerit; quamvis vero Ottocarus noſter etiam an. 1036. in Italiam denuo cum Conrado abierit, Romæque tum defunctus fuerit, prædium tamen Anasburgi antea obtinuiſſe, atque ob labores priores videtur, cohæret conjectura ea apprime, quod Conradus II. Rex anno priore ſeu 1025. per Styriæ Marcham tranſiens, Ottocaro Homagium præſtanti notior factus, eundem mox ſecum comitem in Italiam ſumpſerit.

Adalbero Dux Carinth. Adalbero Dux Carinthiæ, & Veronæ Marchio Conradum Veronæ excepit, ex qua urbe Vercellas veniens, Paſcha inibi celebravit. Ticinenſes, qui Conrado ob everſum regium palatium ſatisfacere recuſabant, obſeſſi, in poſtulata tandem Regis conſenſere. Ravennam ubi venit, orta eſt a civibus ſeditio, quæ tamen a Germanis militibus undique coortis brevi eſt compreſſa, Ravennatesque ſe reos ac ſupplices Conrado ſtitere, quibus & indulſit.

Coro-

Coronatus eſt deinde Rex Italiæ ab Heriberto Epiſc. Mediolan. quo tamen in loco an Modocliæ? an Mediolani? ignotum. *Conr. Imp. coron. Rex Italiæ.*

Si Aribo cum Rege Conrado in Italiam abiit, rediiſſe denuo debuit, cum 21. Septembr. Selingenſtadii Synodum indiceret, ad terminandam Gandersheimenſis Eccleſiæ litem, aſt aliud patribus viſum, expectare nempe Conradum, ne novis turbis Germania exponeretur abſente Rege, cum aliunde Suevia ſeu Alemannia mutuis Welphonis & Brunonis Auguſtani Epiſcopi concuteretur procellis: ita enim Wippo: *Quidam Comes in Suevia* Welff *nominatus dives in prædiis, potens in armis & Bruno Epiſc. Auguſtenſis invicem confligentes, multa mala in prædis & incendiis fecerunt in regno: ad extremum prædictus Comes ipſam Auguſtam irrumpens, ærarium Epiſcopi deſpoliavit, & totam civitatem vaſtavit.* Conſentit Chron. Mellic. apud Hier. Pez tom. 1. col. 222. de aliis conjuratis ait idem Wippo p. 473. *Aribo Mog. celebr. Syn. Selingſtad. Sueviæ turbæ. Auguſt. vaſtatur.*

Chuno Dux Wormatienſis patruelis Imperatoris, nec fidus Imperatori, tamen multum noxius illi, interim quietus manebat. Fridericus Dux Lotharingorum - - Imperatori inimicando morte propria præventus eſt &c. Refert dein Erneſti lapſum, qui denuo rebellis contra datam fidem, Alſatiam vaſtat, Burgundiam tentat, Abbatias S. Galli & Augienſem vexat &c. *Chuno Dux Wormat. Frid. Dux Loth. Erneſt. II. D. Alem. rebel.*

Chronic. Salisburg. apud Hier. Pez tom. 1. col. 340. ait *MXXVI. Henricus V. Dux Bavariæ obiit.* Conſonat Vitus Arempekius in Chron. Bajoar. lib. 4. cap. 37. fol. 187. erat hic Henricus Lucemburgicus frater S. Chunegundis. Wolfgerus tamen Scriptor coævus, vitæ S. Godehardi, eam mortem in annum ſeq. transfert, ſed cenſeo Henr. Ducem Bajoariæ hoc an. defunctum, inaugurationem tamen novi Ducis in annum ſeq. ac adventum Conradi dilatam. *Henr. II. Dux Bav. obit.*

ANNO 1027. *An. 1027.*

Indict. 10. Joan. XIX. P. 4. Henr. II. Imp. 4. Ottoc. II. Styr. 37.

Lucca urbe cum Regimhærio ejus Marchione ſibi ſubjecta, tandem Romæ ſumma cum lætitia exceptus eſt Conradus Rex, aderant Cnuto Rex Daniæ, Rudolphus Rex Burgund. ambo a Conrado invitati, ex Præſulibus Ravennas, Mediolan. Aquilej. Mogunt. ac Salzb. Archi-Epiſcopi, atque ut quidam volunt, etiam Trevirenſis, cum aliis Germaniæ Epiſcopis. 7. Kal. April. die S. Paſchatis coronatus eſt Conradus, atque paucos poſt dies Synodus Romæ habita, in qua varia diſcuſſa Citicenſis Eccleſia in Naumburgenſem ad preces Canuti translata. *Poppo Aquil. Aribo Mog. Diet. Salzb. Romæ. Conr. Imp. coron. & Rom. Synod.*

Gravior erat lis in Synodo Rom. agitata de Gradenſi & Aquilej. Eccleſia. Jam ſub Bened. VIII. Papa urſerat Joannes IV. Patr. Aquilej. ut Gradenſis Eccleſia ſibi reſtitueretur, Urſo Patriarcha Gradenſis ea de re Romam evocatus eſt, qui tamen urbem non adiit ſub excuſatione Imperialis timoris. Obiit interim Bened. VIII. Papa & Joan. IV. Patr. Poppo ſucceſſor juri veteri inſiſtens, occaſionem optimam nactus hoc anno Romæ præſens coronationi Conradi, qui proin hac in Synodo Apoſtolicis, & imperialibus pedibus advolutus deprecatus eſt, ut audiri mereretur, propoſuit itaque Urſonem Gradenſem ad Ravennat. Romam. & Veronenſem Synodum vocatum non compa- *De Aquilej. & grad. lit.*

ruiſſe. Petrus Diaconus partis Venetæ negabat litteras Urſoni allatas, id tamen jurejurando ut juſſus erat, affirmare non audebat, econtra Adalgerus Aquil. Diac. vice Popponis Patriarchæ ſui id jurabat Urſoni nempe per Majonem Concordienſem Epiſcopum epiſtolam eſſe redditam.

Præſtito hoc juramento, relata ſunt acta Synodi Mantuanæ, in qua ab Eugenio P. Gradenſis plebs reſtituta, Eccleſiæ Aquilej. & hæc caput & Metropolis totius Venetiæ eſt conſtituta. Cum itaque jus hoc Urſo Gradenſis & ejus anteceſſores violaverint, mox Poppo Aquilej. per Papam & Imperatorem de Gradenſi Eccleſia paſtorali virga eſt inveſtitus, ac privilegium deſuper conſcriptum, quod v. monument. Eccl. Aquilej. Bern. de Rubeis cap. 55. col. 512. &c. congruit cum hoc privilegio aliud ab eodem Joanne XIX. P. per manus Poſſonis Ep. & Biblioth. ſ. R. Eccl. menſ. Septembr. indictione 10. Popponi datum apud Ughellum tom. 5. col. 49. Varia quidem his Aquilej. monumentis objiciuntur, præcipue quomodo Bruno Auguſt. Ep. præſens eſſe potuerit Romæ, cui tamen decennis Rex Henricus commendatus eſt, atque Welfo & Erneſtus in Suevia tumultuarentur. Ea ſolvit de Rubeis cit. atque ex alio documento docet Henricum Regem puerum cum Brunone Ep. Auguſt. Veronæ fuiſſe 13. Kal Jun. atque cum Conrado in judicio conſediſſe, in quo agitabatur controverſia *inter Adalberonem Ducem Carinthiæ & Walpertum advocatum Eccleſiæ Aquilej.* de Fodro & Angariis in panem & vinum, carnes & annonam Adalberoni Duci per modum puplici datis ſervitii, quæ etiam cauſa Popponi Aquilej. Patr. eſt adjudicata, ut v. Bernard. Rub. cit. cap. 54. pag. 500. ex quo proin & alio Diplomate a Conrado Imp. ob interventum Imperatricis & dilecti filii Henrici 7. Id. Junii, Hardvico Brixin. dato in valle Eniana (v. Ughel. tom. 5. col. 591.) cenſeo Henricum puerum Regem cum Brunone Epiſc. Auguſtano obviam redituro patri veniſſe.

Aquil. Eccl. ſubjicitur Gradenſi.

Popponis Aquil. cauſa cum Adalber. Duce Carin.

Conradus Imp. ubi adjunctis ſibi Normannis Beneventum, Capuam & alia Italiæ loca occupat, de curſa Tyroli jam die 24. Junii Ratisbonæ egit, ubi defuncto priore anno Henrico Lucemburgico Bavar. Duce filium ſuum Henricum *Principum delectu* Ducem Bavariæ renunciavit; ita Wolfgerus in vit. S. Godehardi, Annal. Hildeſain. Chronogr. & Annal. Saxo &c. errat Arenpekius an. priore cit. dum Henricum VI. Bavariæ Ducem Henrici V. ſeu Lucemburgici filium putat, *filium* enim *Regis* fuiſſe teſtantur omnes.

Henr. filio Conr. Imp. fit Dux Bav. nom. V.

Eodem in conventu Ratisbon. Imperator Bavar. Comites, juramento adigit, ut quæ juris ibi ſeu in Bavaria eſſent Imperialis, fatentur, ſicque cum idoneis teſtibus probaretur, *Abbatiam Moſeburgenſem in Comitatu Adalberonis* nunquam libero uſam jure, ſed ad jus Eccleſiæ pertinuiſſe, judicum ſententia Friſingenſi Eccleſiæ eſt adjudicata, teſte Meichelpekio docum. Friſing. tom. 1. p. 1. pag. 221. Ratisbona Conradus Auguſtam, indeque Ulmam ad publicum conventum abiit, in eo Erneſtus perduellis Dux a ſuis deſertus, ſe ſine omni pactione Imperatori ſubjecit, quem in arcem Gibichſtein, in Saxoniam relegavit, teſte Wippone p. 474. *Welſonem* (aliis *Welfhartum*) aliosque reos læſæ Maj. ſeſe dedentes in cuſtodias ad aliquod tempus

Mosburch Abb. in Carint. datur Eccl. Friſing.

Erneſt. Dux Aleman. captus Welfo item.

recluſit,

recluſit, eorum vero caſtella & munitiones evertit, inter quas Wernheri Comitis Klyburgenſe caſtrum tertio vix menſe in deditionem venit. Chuino minor Conradi patruelis in libera cuſtodia ad tempus relictus, dein in gratiam receptus, atque deſtructis prius munitionibus, priori dignitati eſt reſtitutus. *Conrad. minor.*

Francofort. etiam Synodus ab Aribone Mogunt. eſt habita præſidente Imperatore cum Epiſcopis 23. in qua Gandersheimenſis juris-dictio contra Aribonis vota Hildesheim. Epiſcopo eſt adjudicata. Dietmarus Salzburg. Archiep. non aderat, immo nullus Bajoariæ Epiſcopus, ut v. Wolfher. in vita S. Godehardi cap. 4. pag. 493. Annal. & Chronogr. Saxo Annal. Hildesheim. &c. qui addunt in eadem hac Synodo *Gebehardum* (non Godehardum) *juvenem fratrem Imperatoris, arma compulſum depoſuiſſe, & clericalem tonſuram accepiſſe.* Conſentit Annal. Saxo & Lambert. Schaffn. cauſa non redditur, fors Gebhardus juvenis hoc tempore cum Welfone & Erneſto conſpiravit, id certum eum paulo antea quam Conradus moreretur, cum Welfone conjuraſſe, & in cuſtodiam fuiſſe redactum, dein tamen aliquot poſt annos nempe 1035. Ratisbon. Epiſc. ab Imperat. & fratre factum. *Francof. Synod. ſub Aribon. Mog.* *Gebhard. frat. Conr. Imp. fit Clericus, dein Ep. Ratisb.*

Jam ſub an. 1012. quæpiam de Popponis Trevir. Archiep. itinere in Palæſtinam dicta ſunt, id nempe iter nec ſub Petro, ſed Stephano Hungariæ Rege, nec ſub Henrico Auſtr. Marchione, ſed ſub Adalberto contigiſſe, proin falſa eſſe, ea quæ de translatione S. Colomanni in Hungariam per Popponem referuntur in vita MS. S. Colomanni apud Hier. Pez. Poponem ex Babenbergicis Auſtr. Principibus ortum, atque Bambergæ antea Præpoſitum fuiſſe, jam ſupra dictum eſt, is itaque hoc circiter tempore in Palæſtinam abiit, occaſionem itineri dedit præſtigiatrix Balatiolenſis Monaſteriis Treviris monialis, quæ veſtem Pontificalem Philtro imbutam Popponi miſit, qua imbutus illecebris continuis in amorem fœminæ illius inardeſcere cœpit, Poppone uni ſibi crederet, pluribus veſtem induit, iisdem ſtimulis agitatis, exacta præſtigiatrix e Sacro Contubernio, cæteræ, quod vitæ liberrioris nota aſperſæ eſſent, candidum veſtitum in nigrum mutare, cumque repugnarent, omnes Monaſterio exeſſe juſſæ ſunt, ita geſta Trevir. cap. 50. *Poppo Trevir. Archiep. Palæſtinam abiit.* *Et cur?*

Viamne per Hungariam, ut plerique volunt, ingreſſus ſit? an navigio per Adriaticum mare in Palæſtinam delatus fuerit, veterum nemo prodidit. Veroſimile eſt per *Auſtriam*, ubi fratrem *Adalbertum Marchionem* habuit, iter ſub autumnum inſtituiſſe. *Per Auſtr. abiit.*

Exorta tamen erat hocce tempore inter Bajoarios & Hungaros ſimultas, Aventinus diſſidii cauſam fuiſſe ait, quod S. Stephanus Rex Hungariæ, Giſelæ Reginæ conjugis nomine Bajoariam ſibi poſt mortem Henrici Lucemburgici hæreditatis nomine depoſceret. Sed inanem hanc conjecturam Wippo Scriptor rebus præſens ſatis refutat p. 476. ita docens *eodem tempore* ſub an. 1030. *multæ diſſenſiones inter gentem Pannonicam & Bajoarios, culpa tamen Bajoariorum factæ ſunt, ita ut Stephanus Rex Ungarorum multas incurſiones & prædas in regno Noricorum id eſt, Bajoariorum faceret*, nil etiam de Aventini ſomniis Chartuitius Ep. novit, qui jus hujusmodi hæreditatis ſilentio non præteriiſſet. *Lis inter Bajoar. & Hung.*

Popp. Aquil. rer. Poppo Aquilej. ex Italia cum Conrado redux ſuam ad Eccleſiam velut victor redierit Gradenſium, Chron. Aquilej. apud Bern. de Rubeis in appendice num. 3. narrat eum, theſauros ſuæ Eccleſiæ, qui ſervabantur in Eccleſia Gradenſi, Aquilejam deportaſſe, ita enim ait cit. Chron. *Ipſoque procurante omnes Theſauri Eccleſiæ, libri, calices, paramenta, & alia vaſa aurea, atque argentea, liber, ſeu evangelium, quod B. Marcus Evangeliſta propria manu ſcripſit; cum Corporibus Sanctorum, quæ per Paulum Patriarcham metu Longobardorum ad prædictam Gradum inſulam deportata fuerunt, & cum aliis reliquiis ad Eccleſiam Aquilejenſem deportata fuerunt.* Unde Poppo ſua retulit, non aliena rapuit, ut eum male incuſat Dandulus ſatis immodeſte ſcribens, gentilium more omnia una manu ex Eccleſia Gradenſi ablata eſſe, moniales ſtupratas, altaria fracta, eruta e tumulis defunctorum corpora &c. quæ certe omnia virtuti ſapientiæ Popponis ac Chronotaxi etiam repugnant, cum ea Dandulus ad an. 1024. contigiſſe ſcribat.

Poppo Aqu. Germanus S. Meinwerci Padebornprojing. Cum Popponis nunc mentio fiat, fidem anno 1021. datam elibero, quo me dicturum de ſtirpe Popponis, & nomine Wolfgangi attributo promiſi. Ortu Germanum fuiſſe, & Meinwerci Paderbornenſ. Epiſc. cognatum Biographus hujus, qui Popponem ſemel iterumque Wolfgangum nominat, ſatis indicat cap. 96. & 109. apud Bolland. 5. Junii. Si itaque cognatus & conſanguineus S. Meinwerci Poppo fuit, ex regia ſtirpe deſcenderit, erat enim Meinwercus ex ſtirpe M. Ducis Witikindi tribusque Imedingiorum; Pater ejus Imadus, filius vel Imadi, vel Meinwerci, qui ex fratre Mathildis Reginæ, Theoderico quæ dein Henrico Aucupi nupſit, nati erant, & an. 953. Ottonem M. in expeditione contra filium & conjuratos ſecuti obiere, unde Henricus S. Otto III. & S. Meinwercus abavum communem habuere; mater hujus Athela filia Wigmani Comitis Teiſterbandiæ fuit, ex Wigmano Herm. Saxoniæ Ducis fratre exorti &c. ita Leibnitius tom. 1. ſcript. Brunſvic. in præfat. ad vitam S. Meinwerci. Convenit Biographus S. Meinwerci cap. 4. ea fuſius exponens. Hübnerus tab. geneal. 147. 148. 172. 215. nec Imadum, nec Meinwercum refert, & Mathildis Reginæ Henr. Aucupes conjugis non fratrem, ſed Patrem Theodericum Ringelheimenſem refert. Dr. Schönlebenius Meinwercum ad ſtirpem Auſtriacam trahit, proin etiam Poppo eo quoque ſpectaret. De quo aliis cauſam dijudicandam relinquo, tam arduam, ut & ſagaciſſimus de Rubeis eam ſolum attingat. Papebrochius in notis ad vitam S. Meinwerci, Popponem non ſolum ex hujus regia progenie, ſed etiam Cancellarium Henrici V. Imp. fuiſſe ſcribit, ſed Abbas Gotwicenſis, qui exactiſſime hos Teutonicos, ac Italos Cancellarios notavit, nec Popponem, nec Wolfgangum inter eos ſe inveniſſe teſtatur.

Wolfgangus etiam dictus.

An. 1028.

ANNO 1028.

Indict. 9. Joan. XIX. P. 5. Conrad. II. Imp. 5. Ottoc. II. Styr. 38.

Henr. III. Rex Henricus Conradi filius anno priore Rex Bavariæ ſub nomine Henrici VI. deſignatus, hoc anno Rex Germaniæ coronatus eſt a Pilgrino colon. Archiep.

Novis

Novis interim acceſſionibus aucta eſt Eccleſia Aquilej. a Conrado Imperatore, donaverat nempe eidem *ſylvam in pago Forojulii in Comitatu Varienti Comitis, incipiendo a flumine Sonty uſque ad mare &c.* integrum hujus donat. apographum refert de Rubeis cap. 54. num. ſibi ab Illuſtriſſimo D. D. Sigismundo Comite de Attembs muſis bonis egregie addicto communicatum. *Datum 6. Id. Octob. Indict. 11. an. Dom. Incarn. 1029. anno autem Conradi II. Regni 5. - - 2. actum Peolidæ, feliciter Amen, Bruno Cancellarius vice Aribonis Archi-Cancellarii recognovit.* Inter ſubſcriptos Epiſcopos refertur *Deteburgenſ. Epiſc.* tum ſuperinducto atramento *Neteburgenſis.* Rubeis legendum cenſet *Dietmari Salzb. Archiep.* Eidem Popponi, atque eodem hoc anno Conradus jus monetæ cudendæ certis conditionibus impertit, interventu etiam *Adalberonis Ducis* v. Diploma apud de Rubeis cit. num. 5. Præter Adalberonem Ducem, impetrarunt privilegium hoc Popponi Aquilej. etiam *Giſela Imperatrix, Henricus Rex filius, Aribo Mogunt. Bruno Nepos & Cancellarius.* *Aquil. ret.*

Aribo vero Moguntinus, qui in Synodo Francofurt. cauſa ſua in Gandersheim. Eccleſiam ceciderat, eam denuo ſuſcitavit in Synodo Geizlicenſi. Godehardus convocatus non comparuit, ſed per Tadilonem Decanum, Aribonem definitionis Francofurt. commonuit, unde & aliorum Epiſcoporum monitis ad tempus quidem ceſſit, mox tamen reaſſumpſit. Nam dum Conradus Imp. ſeu Ingelheimii, ſeu Palithi natalem Domini celebraret, Aribo Moguntinus, *nova ibidem habita Synodo veterem querelam contra B. Virum* Godehardum *præſente Imperatore recepit, ſed poſt multa & varia diſceptationum colloquia vix tandem ab Epiſcopis commonitus deſtitit*, ut ajunt Wolther. in vita Godehard. cap. 4. Annal. & Chronogr. Saxo. *Aribonis Mog. ret. Geisliz. Syn. celebrat.*

Salisburgi Starchanous Cathedr. Eccleſiæ Præpoſitus 23. Martii mortem oppetiit, ut habet Necrolog. capituli Metropolit. cui Luitholdus II. ſucceſſit. *Starchandus Præp. Salisb. Luithold. II. ſuc.*

Adalberonem Carinthiæ Ducem ad hoc uſque tempus Diplomata varia exhibent, Hundius Gevoldi Metrop. Salisburg. tom. 1. pag. 317. adfert unum Conradi Imp. quo Hartwico Ep. Brixin. concedit, *cluſas ſitas in pago Orital*, interventu etiam *Adalberonis Karentani Ducis.* *Adalbero Dux Carinth.*

ANNO 1029. *An. 1029.*

Indict. 12. Joan. XIX. P. 6. Conradi II. Imp. 6. Ottoc. II. Styr. 39.

Hoc circ. tempore corpus S. Colomanni M. in Hungariam eſt deportatum, cum enim Poppo Trevir. ex Palæſtina an. priore redux S. Stephanum Hung. Regem conveniſſet, hic flagitavit, ut ſacrum corpus a fratre Auſtriæ Marchione ſibi obtineret, Popponemque Sacramenti fide ad id obſtrinxit. Miſſum itaque S. Corpus, ſed cum ſiccitas acris, ſterilitas terræ, fames & mortalitas regnum Stephani urgeret, Hungari ipſi, ut ſuum in locum reportaretur, inſtiterunt, quod etiam: nil de his vel Auſtriæ, vel Hungariæ Chronica memorant, niſi quod Aloldus ad an. 1016. & ſeq. perperam Erchenfridi Biographi fidem affirmet. v. dicta an. 1012. *S. Colom. corpus in Hung. defert.* *Mox reportatur.*

Hun-

Hung. excurſion. Hungari hoc an. incurſiones varias & prædas in Noricoo agentes bello Hungarico futuro an. ſuſcepto initium dedere: de cauſa belli jam an. 1027. actum. Strages has primum denuo experta eſt Eccleſia Patavienſis, Aventinus lib. 5. *Vianam* Bajoariæ orientalis oppidum aliis *Tuennam* (quam quidam ut Diſſert. 1. dixi *Voitſpergam*, alii Jaunſtein in Carinthia interpretantur) captum ait, an & quousque id bellum in patriam noſtram penetraverit? non conſtat.

Voitſperga ab Hung. capta.

Adalber. Carint. Ducis diſſidium cum Conrad. Imp. Circa hunc annum diſſidia erupiſſe opinor inter Adalberonem Ducem Carinthiæ & Conradum Imper. Wippo enim p. 435. apud Piſtorium tom. 3. an. 1027. ita ſcribit: *Paulo poſt Adalbero Dux Hiſtrianorum ſive Carintanorum, reus Majeſtatis victus ab Imperatore cum filiis ſuis exulatus eſt, ac ducatum ejus Chuono*, ſeu Conradi I. Carent. Ducis filius, & *Imperatoris patruelis ab Imperatore accepit, quem Ducatum pater ejusdem Chuononis dudum habuiſſe perhibetur.* Scio quidem, an. 1035. primum Adalberonem fuiſſe exauthoratum, ſimul tamen credo, diſſidia hæc jam antea fuiſſe cœpta, hoc nempe vel ſeq. anno, quo Erneſtus II. Dux Alemanniæ denuo etiam exauthoratus eſt. Nam

Erneſt. II. Dux Alem. exauth.

An. 1030.

ANNO 1030.

Indict. 13. Joan. XIX. P. 7. Conr. II. Imp. 7. Ottoc. II. Styr. March. 40.

Erneſt. Dux it. reſtituitur. Cum teſte Wippone, *Imperator Chuonradus apud Ingelheim Paſcha celebraret, ibi Erneſtus ſupra memoratus Dux Alemanniæ a cuſtodia ſolutus ducatum recepit eo tenore, ut Wehelonem militem ſuum* (Herm. contractus Wernherum Comitem vocat, fors illum, cujus caſtrum Kiburch tribus menſibus Hepidano teſte obſeſſum an. 1027. ut dictum, expugnavit) *qui multis factionibus regnum turbaverat, quaſi hoſtem reipublicæ cum omnibus ſuis perſequeretur, idque ſe facturum cum Sacramento confirmaret, quod cum Rex* (lege Dux) *facere nollet, hoſtis publicus Imperatoris dijudicatus eſt, & penitus ducatu amiſſo cum paucis inde receſſit. Imperator vero ducatum, Alemanniæ Hermanno juniori fratri ejusdem Erneſti (ad preces Giſelæ Imperatricis*, ut ſcribit Hepidannus) *dedit, eumque Wormanno Conſtantienſi Epiſcopo commendavit, non contentus ea judicii ſeveritate Cæſar communi conſilio omnium Principum regni, eundem Erneſtum, & cunctos juſtitiæ & paci reluctantes ab Epiſcopis excommunicari fecit &c.* Wippo p. 476.

Erneſtus denuo exauthoratus.

Ejus dein fata. *Multa cogitans, multa moliens, qualiter Imperatori reſiſteret, magnos labores in vanum conſumpſit. Qui aſſumpto Wehelone milite ſuo cum aliis paucis perrexit in Franciam latinam (Galliam) ad Odonem Comitem propinquum ſuum, nam mater Odonis, & mater Giſelæ Imperatricis fuerant ſorores.* Sed Odo veritus Imperatorem, ſpei inanem dimiſit Erneſtum, qui reverſus in Alemanniam in ſylva nigra, quam Herman. contract. Martianam vocat, caſtro Falckenſtain ſpoliario uſus, præda & injuria accolarum vixit, donec pugna a Manegoldo Victore Comite Kiburgenſi necaretur, Erneſti corpus ab excommunicatione ſolutum Conſtantiæ in Eccleſia S. Mariæ eſt ſepultum.

Mors.

Adalber. Carint. Ducis rebellio. Ex his ego conjicio, Adalberonem fortaſſis occulta cum Erneſto hoc miſcuiſſe conſilia, cumque aperte repugnare non auderet, clam inſidiari cœpiſſe Conrado Imp. ut inde itaque diſſidia illa orta judicem

præſer-

præſertim cum Adalbero bene adverterit, ſe nunquam in magna apud Imp. Conradum fuiſſe gratia, utpote quod S. Henrico adhuc imperante Conradus Dux adhuc nondum Imperator, Cunoni patrueli ſuo ſociaverit arma, cum hic ob præreptum ſibi Ducatum, Adalberonem ad Ulmam pugna victum in fugam conjecit, ut an. 1019. oſtendi, plura ad annum 1035.

Hiſce circa Erneſtum peractis Conradus Imp. expeditionem in Hungaros ſuſcepiſſe videtur, & quidem inter Aprilem & Majum. *Anno MXXX.* inquit Anonymus in vita Meinwerci Epiſc. cap. 105. *Conradus Imp. difficili periculoſoque itinere regionem Hungariorum invaſit.* Plura addit Herman. contract. hoc an. *Conradus jam dudum inimicitiis cum Stephano Ungariorum Rege conflatis Pannoniam petiit, & quantum fluminibus & paludibus non obſtantibus poterat Rabam devaſtavit.* Optime omnium ſcripſiſſe videtur Hepidannus: *Imperator vero Hungariam invaſit, eamque citima ex parte circa Fiſcam fluvium devaſtavit;* erat enim ea regio 4. milliaribus a Cetio monte Norici limite remota, & Pannonia ſuperiore nondum ad Imperium revocata, Auſtriaco limiti proxima, intercurrentibus multis fluviolis, & ſylva nunc Viennenſi, tum vero longius latiusque protenſa, militari expeditioni perquam accommoda.

Hungar. bellum.

Raba vaſtatur.

Pannonia ſuper. ſub Hungaris.

Pax tamen brevi rediit per Henricum Regem Conradi filium, quem Stephani Regis Legatio, multoque magis preces ad Deum fuſæ, cum Patre Imperatore permoverunt. Eodem anno in concordiam & amicitiam redierunt Aribo Moguntinus, & S. Godehardus Epiſc. Hildesheim. Nam *Merſeburgi* ſcribit Wolfherus *ipſe Metropolitanus Patrem Godehardum ſecreto coram Epiſcopis convenit, ſeque ſuper hac Parochia erraſſe, confitendo nunciavit, & omnem fraternam ſatisfactionem, ſed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem ſub vero Chriſti & Eccleſiæ teſtimonio, promiſit, ſibique priora errata propter Dominum remitti ſuppliciter petiit.*

Aribon. Mog. & S. Godehardi Hildeſ. ret.

Hoc circiter tempore, atque ut vult Prevenhuberus Annal. Styrenſ. fol. 12. hoc etiam probabilius anno Conradus II. Cæſar Ottocaro II. Marchioni noſtro donavit *tractum Anaſpurgenſem*, non Comitatum, ut jam Diſſert. 4. cap. 2. §. 7. ubi ea de re pluribus. Puſchius hujus nomine, Styrenſem Dynaſtiam intelligit, cui tamen aſſentiri vereor, cum Styrenſis Dynaſtia aliunde avita fuerit Marchionum noſtrorum portio, unde Anasburg. tractus nomine Laureacenſem tractum cum urbe, vel ut Author Ducum Styriæ Trungovienſem tractum (ſuſpicor majorem, & novam hujus partem) veniſſe hoc tempore cenſeo, ſicque hoc denuo tractu ampliata eſt Marcha Styrenſis.

Anasburg. tract. donat. Ottoc. II

Tractus Anasburgenſ. ut jam an. 900. dictum, una cum urbe Anaſi, S. Floriani Monaſterio a Ludovico Rege collatus eſt, ab hoc Monaſterio ad Epiſcopatum Patav. devenit, atque ſub Adalberto Ep. Patav. per Concambium Henrico Duci Bajoariæ conceſſus eſt, v. an. 1052. anno jam 977. Otto II. Imp. Pilgrino Epiſc. Patav. pro reparatione urbis Patavienſis eundem cum villa Lorch conceſſit, quo tempore idem dictus eſt ſolum *prædium Anasburch*, quomodo vero denuo ad Conradum pervenerit? ignotum.

Styriæ res. Cur vero tractus hic Anasburgenſis Ottocaro noſtro donatus fuerit? certo non conſtat. Suſpicor in præmium laborum ac fidelitatis ſuæ, qua inter turbas aliorum vicinorum, uti Adalberonis Carentani Principum illæſus Conrado adhæſit: & fors quod an. 1026. cum Conrado in Italiam abierit, ut ibidem dictum.

Ex his patet error quorundam docentium, Styriam hoc anno per Conradum II. Imp. a Carinthia avulſam, imperialem Marchiam, ſeu Marchionatum factum, & Ottocaro Comiti in Muerzthall & Afflenz, Domino in Eppenſtein datam fuiſſe, eumque Marquardi Carinthiæ Ducis ex fratre nepotem fuiſſe, non tamen adhuc hæreditario jure Marchionatum in poſteros transmiſiſſe, cum hæreditarium jus in Styriam Henricus V. teſte Fuggero an. 1120. dederit primo Leopoldo Ottocari III. filio in præmium victoriæ contra Abam Hungariæ Regem prope Petovium relatæ.

Styria jam antea Marchionatus.

Quanti nævi in modicis lineis! non nego hocce tempore, Styriæ noſtræ modernæ partem minimam, Styræ Marchæ fuiſſe, etenim Styria hodierna omnis ſuperior, & probabilius tractus Petovienſ. & Cilejanus ſub Marcha & Ducatu Carentino fuit, Pannonia etiam ſuperior adhuc fere omnis ſub Hungaris, & Styræ Marcha hocce ævo partem modernæ Auſtriæ ad Styram & Anaſum continuerit; interim tamen falſum eſt *primo*, Styram Marcham Carentanis Ducibus paruiſſe, atque hoc an. primum a Carinthia avulſam, Styrenſem enim, ſeu Trungovienſem tractum, avitam Ottocarorum portionem ſæpius dixi, quæ hoc anno aucta eſt per tractum Anasburgenſem; non Ottocarum II. ſed jam primum titulum Marchionis geſſiſſe, oſtendi Diſſert. 4. cap. 1. §. 4. & ad an. 959. *2do:* Ottocarus II. Marchio nunquam ex familia Comitum in Muerzthall, Avelenz, & Eppenſtain fuit, nec Marquardi ex fratre nepos, Marquardus enim I. Comes in Muerzthall & Avelenz, fratrem habuiſſe non legitur, ſed ſolum ſororem Richardem an. 969. Ulrico Comiti Eberſpergenſi nuptam, ut an. 1011. in geneal. horum Comitum oſtendi. Adalbero Marquardi filius genuit quidem Marquardum an. 1073. circ. Carinthiæ Ducem, hic vero fratres habuit Luipoldum Marchionem, de quo an. 1045. etiam ſub dubio ſolum dicam, fuiſſe Marquardi fratrem, Adalbero frater alter Epiſcopus Bamberg. an. 1054. factus eſt, ut geneal. an. 1011. ſtatuta liquet, unde nullus omnino Ottocarus inter Comites de Muerzthall, Afflenz & Eppenſtein occurrit, atque territorium Eppenſteinenſe Ottocaro noſtro V. primum obtigit. *3tio:* Fallit, quod jus hæreditarium in Styriam ab Henrico V. an. 1120. datum fuerit Leopoldo Ottocari III. filio, ob relatam de Hungaris victoriam, confunditur, ut opinor, Leopoldus Auſtriacus cum Leopoldo Styrenſi, nam victoria illa de Hungaris circa an. 1042. relata eſt, & quidem ab Ottocaro III. ad Petovium. Leopoldus præterea nullus Ottocari III. ſed IV. filius, nec Leopoldus fortis Styriæ Marchio an. 1120. ſed primo poſt obitum Patris Ottocari IV. an. 1122. Styriæ præfuit, ut Diſſert. 4. obſervatum.

Non erat ſub Carant. Principib.

Ottoc. II. non fuit ex fam. Marquardi C. Murzt. Marq. I. Murzt. progenies Rich. ſor. Ulrici Eberſperg. conjux. Adalbero Marq. fil. Marq. II. Luipoldus hujus frat. Adalbero Ep. Bamb.

ANNO

ANNO 1031. *An. 1031.*

Indict. 14. *Joan. XIX. P.* 8. *Conr. II. Imp.* 8. *Ottoc. II. Styr. March.* 41.

Annus hic Ariboni Archiep. Moguntino e Styria noſtra oriundo, & fundatori Göſſenſi ſupremus accidit; dum enim hoc anno Cæſar Conradus Paderbornæ natalem Domini ageret, Aribo habito publico ſermone inter miſſarum ſolemnia ab Imperatore & confratribus, Romam pergendi licentiam petiit, ac obtinuit, quo itinere hoc anno poſt feſtum Purific. B. V. M. ſuſcepto, in reditu 13. Aprilis obiit anno ordinationis ſuæ 11. *cunctis certe Catholicis merito flebilis, quia omni Eccleſiaſtica religione vere laudabilis.* Teſte Wolfhero annal. Hildeſtein. eadem confirmant, eumque Comi in Italia ſuperiore defunctum docent. In Styria ſuperiore natum, & fundat. Göſſenſem fuiſſe jam oſtendi an. 1004. a concilio & ſcientia eum Wippo laudat pag. 462. in vita S. Conradi. Cœnobium aliud in monte Haſungen honoribus SS. Petri & Pauli ac B. Heimeradi, ab Aribone conſtructum docent Galliæ Chriſtianæ ſcriptores tom. 5. col. 460. ex Chron. Saxonico nondum edito, mirum id tamen, quod Ecbertus Presbyter in vita B. Heimeradi de Aribone nec verbum memoret Trithemius in catal. virorum Illuſtr. Aribonis hujus cum laude meminit his verbis: *Aribo Moguntienſis Eccleſiæ XIX. Archi-Epiſcopus, vir in Divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſæcularium litterarum non ignarus, ingenio clarus, & dulcis eloquio: ſcripſit inter alia ingenii ſui monumenta, opus pulcherrimum ſuper XV. pſalmis graduum librum, unum & varias epiſtolas ad diverſos, ad eundem hunc Aribonem litterarum & Doctorum amatorem, multi viri celebres, ſua ingenia exercitantes varia opuſcula perſcripſerunt - - - Inter hos Berno Augienſis Abbas tractatum de adventu Domini ſcripſit, quem Marteneus & Durandus recitant.*

Aribo Mogunt. Arch. obit.

An Auth. cœnob. Haſungenſis.

Ejus ſcripta.

An ſuperſtes fundatori, pia ſoror Chunegundes prima Abbatiſſa Göſſenſis fuerit? incertum, Necrologium ſeu Catalog. Abbatiſſarum, idem apud P. Frölich Diplom. S. Ducatus Styr. part. 1. f. 133. ita habet: *Prima Chunegundis filia Aribonis Comitis in valle Liubena, & Adulæ, ſeu Adolæ, ſoror Aribonis poſtea Archiep. Mogunt. poſt an. 1000. floruit ſepulta cum matre in templo dicto fundationis: ſecunda Adelbaid. &c.* Chunegundis tamen hujus & Matris Adulæ cineres ad D. Margarithæ Baſilicam, ſubſequis temporibus erectam, delati hoc epitaphio ſignantur: *B. Adula de familia Henrici II. Imp. cognomento ſancti, hoc tumulo ſepulta, cum filia Kunegunde Cœnobii hujus Proto-Abbatiſſa, hoc monaſterium Göſs una cum filio Aribone Archiep. Moguntienſi, ad indeſinentem æterni Dei cultum & gloriam conſtruxit, & fundavit, quibus bene ſit per cuncta ſæcula Amen.* Annua fundationis memoria ſolenni, ad aram tumulo imminentem, Liturgia, & liberali erga pauperes confluentes ſtipe, in Deiparæ naſcentis pervigilio celebrari conſuevit. Myſtæ litantis ſacer apparatus, acu phrygia elaboratus, ipſam quoque antiſtitam, inter geminas veſtales, Wilburgim & Gertrudim violacea ornatas inſtita, his in limbo verſibus repræſentat.

Chuneg. 1. Abb. Göſſenſ.

B. Adula Leob. ſepulta in Göſs.

Cœli Patrona, Kunegundis ſuſcipe dona,
Caſula cum cappa placeat tibi cœlica mappa.

Bereng. Pat. rer. Berengerus Epiſc. Patav. hoc anno dedicavit Eccleſiam in *Strenberg* ſubjectam Moaſterio Tegernſeenſi, eamque Parochialem ac exemptam a vicinis Eccleſiis juſſit eſſe, deditque Abbati Eingero decimas, qui viciſſim Epiſcopo dedit 5. manſos in villa Schiphauſen.

Aquilej. res. Aquilejæ interim Poppo elegantiſſimum templum, cum pulcherrima turri ac ædibus magnificis extrui curavit, hocque an. ſolenni ritu dedicavit in hon. S. Virg. Mariæ & SS. Martyrum Hermachoræ & Fortunati. Silex templi ad auſtralem partem ita nos docet: *MXXXI. Indict. XIV. Id. Jul. Ego Poppo hujus Eccleſiæ Patriarcha, una cum duobus Romanis Epiſc. Cardinalibus, & 12. Epiſcopis præſidente D. Joanne XIX. Papa urbis Romæ, imperante vero Chuonrado Imp. Aug. conſecravi hoc templum.* V. Rubeis cap. 55. num. 3. male vero colligit Ughellus præſentem fuiſſe Papam, & Imperatorem: ſubjicit Indulgentias Joannes *in feſto SS. Martyrum, & per octavas eorum 18. annorum & totidem quadragenarum:* aſt teſte Baron. an. 1177. num. 49. & Papebrochio in prolegomenis ad conatum in Catalog. Rom. Pontif. Diſſert. 29. num. 9. hoc tempore nondum Pontifices indulgentias, dedere unum annum excedentes, præterquam in expeditione terræ ſanctæ. Unde hæ fors ſequiore tempore a confirmante alio Pontifice adjectæ.

Templ. & turres ibidem.

Indulgent. uſus hoc tempore.

Exornata ſic Eccleſia Aquilej. ad augendum miniſtrorum numerum ſe accinxit Poppo: tabulæ proſtant apud Ughel. ampliſſimæ donationis factæ collegio Canonicorum Aquilej. in quibus quidem annus 15. Popponis erroneus eſt, cum eſſe debeat 12. dicuntur 50. *fratres ad ſerviendum Deo & ſanctis ſuis ordinati*, eam in rem inſignem latifundiorum & jurium donationem fecit. Epiſcopos præſentes & ſubſcriptos exauthogr. exhibet de Rubeis cit.

Dietmari Saleb. res. Eodem etiam anno hoc Dietmarus Archiep. Salzburg. conſecravit ſacellum in monte ſanctimonialium Salisburgi die feſto S. Udalrici in honorem ejusdem ſancti. V. Auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 935.

An. 1035.

ANNO 1035.

Indict. 3. Bened. IX. P. 3. Conr. II. Imp. 12. Ottoc. II. March. 45.

Adalbero Dux Carent. exautor. Poſt Henrici III. Regis cum Cunchide Danorum Regis filia ſponſalia Conradus bellum in Luitizios ſolenni edicto promulgavit. Eodem vero hoc anno, *Adalbero Dux Hiſtrianorum ſeu Carinthanorum reus Majeſtatis victus ab Imperatore cum filiis ſuis exulatus eſt.* Ita Wippo apud Piſtor. tom. 3. pag. 435. Et Hermannus contractus *Adalbero Dux Carentani & Hiſtriæ amiſſa Imperatoris gratia Ducatu quoque privatus eſt* apud Caniſ. hoc anno Saxo Annal. & Chronographus & Annal. Hildesheim. *Majeſtatis reum* fuiſſe pronuntiant, qua vero de cauſa non conſtat. Socium Adalbero habuit *Conradum Adalberici* filium, itidem ob Majeſt. læſæ crimen in exilium ejectum, ut habent Annal. Hildesheim. & Annal. Saxo hoc anno: unde meæ anno 1030. allatæ conjecturæ inhæreo, Adalberonem nempe, qui probe ex actis an. 1019. noverat Conradum Imp. ſibi minus addictum eſſe, cum aliis Conradi hoſtibus conſpiraſſe, ſicque Majeſt. reum in exilium fuiſſe actum.

Megi-

Megiſerus lib. 7. cap. 11. in rebus Adalberonis hujus, contra omnium veterum fidem ita aberrat, ut etiam Duces ſuos ignoraſſe, videatur: narrat enim Chunradum II. a S. Henr. II Imp. Ducem Carinthiæ, Adalberonem autem quem Albertum vocat, Marchionem & Comitem Palatinum Carinthiæ deſignatum fuiſſe, hunc dein Adalberonem *Comitem* ſimul de *Muerzthall & Avelanz* ſe Conrado II. oppoſuiſſe ſcribit, eo quod ſororem matris Conradi II. haberet uxorem. Conradus II. Dux inde Imperatori conqueſtus obtinuit, ut eadem uſurpatio, & violenta Carinthiæ invaſio Adalberoni interdiceretur cum vero & Imperator nil proficeret verbis, armis 53000. virorum proceſſit in Carinthiam, caſtrum Carlſperg obſeſſum cepit, Adalberonem in montes fugere compulit. Ita Megiſer. ad an. 1021. *Megiſerus refutatur.*

In Chronotaxi & omnibus errat Megiſerus, etenim *1mo* ex teſtimoniis veter. & Diplomatis ab an. 1011. continuo adductis, patet Conrado I. non Conradum II. filium, ſed Adalberonem Ducem ab Imperatore fuiſſe conſtitutum. *2do:* Comites Palatini Carinthiæ non hoc ævo, ſed ſæc. 14. primum audiri cœperunt, uti de ſæc. 14. etiam non ſine dubio declarat Cl. Frælichius Archontol. Duc. Carinth. part. 2. cap. 7. *3tio:* Non ſubſiſtit Adalberonem habuiſſe uxorem, ſororem matris Chonradi II. Imp. nam an. 1011. Adalberonis uxor fuit Brigida Hermanni Suevi filia, & mater Conradi II. Imp. erat Adelheis Eberhardi Allatiæ Landgravii filia. Suſtineri ad ſummum poſſet ex dictis an. 1011. & 1024. Adalberoni huic fuiſſe uxorem, ſororem matris Chunradi I. Ducis Carinthiæ. *4to:* Nil conſtat de bello hoc Carinthiæ, præſertim cum hoc an. in Luitizios Sclavos moveret, priore in Polonos. *Palatini Carint. quando cœpti.*

Chronicon. MS. Styriæ ad an. 1036. ex Aventino, quem tamen etiam citat Megiſerus, ſequentia refert de Adalberone, cum nempe dum Styria adhuc Carinthiæ ſubjecta eſſet, voluiſſe Styriam a Carinthia ſejungere, cumque precibus non valeret, armis egiſſe, prædas in Carinthia exercuiſſe, atque a Conrado II. Styriam ſuam redire juſſum Adalberonem non paruiſſe, poſthac tamen Imperator Conradus II. cum 53000. Carinthiam ſubiiſſe, caſtrum Carlſperg, *Judenburgum*, *Leobium* oppida oppugnaſſe fertur, cumque Adalberoni in montibus Salisburg. latenti gratia offerretur Cæſaris, Adalbero non acquievit prius, donec ſibi ſcripto venia erratorum indulgeretur, tandemque Styria ſibi ac filio Marquardo in proprietatem daretur, quod tandem ſupplici Adalberoni Conradus II. Imp. fame cum ſuis adactus conſenſit. Ita Chron. MS. Styr. ex adventu Latio, Bonfinio, Megiſero. *Chronicon. MS. Styr. refutatur.*

Bonfinium de his egiſſe non invenio, Megiſerum jam expedivi, Aventinus, ne jota de his refert, imo aperte contrarius eſt, cum *Adalberonem* non *Styriæ Comitem*, ſed *Charino limiti præfectum*, *Ducem Charinorum* vocet, atque de morte ejus ſic ſcribat: *Adalbero & Chunradus Duces Charinorum obeunt.* Nec Lazius licet lib. 6. multa confuſe referat Adalberonem hunc Styriæ Comitem, ſed *Charinorum Marchionem & Ducem* appellat, ut adeo tota hæc relatio ex Megiſeri Mercibus deprompta, ac aliquantum immutata videatur. Sane Styriam quatenus jam Marca propria erat, nunquam Ducibus Carinthiæ ſubjectam Diſſert. *Adalbero hic nunquam Styr. Marchio.*

1. & 4. abunde oſtendi, Comitatum autem Muerzthallenſ. & Avelanzenſem hoc tempore nondum Styriæ aſſertum, ſed Carinthiæ partem fuiſſe, eique ſubjectam non nego, ſed unde probabitur, Adalberonem voluiſſe Styriam a Carinthia ſeparare, cum hactenus argum. plurimis probaverimus, Adalberonem hunc nunquam Styriæ Marchionem, ſed Ducem Carinthiæ fuiſſe. Nemo certe oſtendet, Styriam a Conrado Adalberoni & filio ejus Marquardo datam fuiſſe in proprietatem. Nil magis mirandum, quam quod de obſidione *Carlſpergii Judenburgii*, ac *Leobii* refertur, in hoc Chron. MS. refertur, de quo tamen apud omnes veteres altum ſilentium. Certe Anonymus Leobienſ. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 751. nil memorat, non omiſſurus, ſi traditio ſaltem tenuis ſuo tempore exſtitiſſet, cum res & eventus ſingulares civitatis ſuæ Leobienſis diſtincte & enucleate ita enunciet, ut appareat, eum vel natum inibi, vel plurium annum hoſpitem fuiſſe. V. præcipue eundem ad an. 1215. 1268. 1281. 1284. 1304. 1309. 1316. 1340. &c. quamvis vero temporis & annorum ſeriem non raro interturbet, ac in multis a ſe remotis erret: in rebus tamen Auſtriæ, Styriæ, & Carinthiæ copioſus eſt, & reliquis præferendus utpote teſte Pezio cit. Diſſert. 5. §. 17. fol. 100. *Homo indagandis rebus Auſtriacis induſtrius, quippe multis veteribus monumentis, quæ jam interierunt, in condenda hiſtoria ſua uſus.* Redeo ad Adalberonem Ducem Carinthiæ, atque ut an. 1011. dixi ab Adalberone Ottocari II. fratre bene diſtinquendum: Adalbero Dux *cum filiis ſuis exulatus* dicitur: filii vero Adalberonis exauthorati erant *Marquardus*, qui anno 1073. quamvis æmulo Bertholdo Dux factus eſt Carinthiæ. *Luipoldus* fors an. 1040. Marchio Carinthiæ, & dubius Adalberonis filius: *Adalbero* Epiſc. Bamberg. an. 1054. ac *Richardis* filia, uxor fors Bertholdi I. Zæringenſis, uti jam an. 1011. oſtendi plura Adalberonis exauthorati fata ſequentibus.

Leobienſ. Anonymi authoritas.

Adalber. Carint. Duc. filii.

Gebhard. Conr. Imp. fr. Epiſc. Ratisb.

Gebhardo II. ex Antecenſium Comitum illuſtri ſtirpe Epiſc. Ratisbon. def. ſucceſſit Gebhardus III. Conradi II. Imp. frater, de quo dixi jam quædam an. 1027.

An. 1036.

ANNO 1036.

Indict. 4. Bened. IX. P. 4. Conrad. II. Imp. 13. Ottoc. II. March. 46.

Conrad. II. Dux Carinth.

Carentaniæ, exauthorato jam Aadalberone Duce, rector novus datus erat, hinc Conradus Imp. Februarii initio Auguſtam, magnum conventum indixit, *in quo patrueli ſuo Chuonrado Ducatum Carentinorum commiſit.* Adalbero ſine armis depulſus *Wilhelmum Comitem interfecit, & poſtea in caſtellum Eresburgi cauſa latendi confugit*, ita Annal. Hildeſ. & Chronogr. ac Annal. Saxo. Quænam cædis cauſa? quis Comes ille Wilhelmus? & quale caſtrum illud Ehresburg? nemo veterum edixit. Caſtrum Ehresburg Saxoniæ fuiſſe, nusquam credam, forſitan caſtrum Ehrenberg in Tyroli Sueviæ limiti vicinum fuerit, ubi jam an. 1019. Adalberonem cum Conrado æmulo ad Ulmam conflixiſſe oſtendi, alii cum Peslero ſerie Ducum Carinth. p. 38. &c. & Hundio Metrop. to. 3. p. 245. caſtrum Ebersperg exiſtimant, eo quod Hathamuda Ebersperg. Comite natus credatur Adalbero, nec diſplicet conjectura, modo

Adalb. exauthor. res.

do ſatis ſecurus contra Cæſarem hoc in loco fuiſſe oſtendatur. Wilhelmum Comitem, quem Adalbero interfuerit, P. Calles to. 5. lib. Annal. Eccleſ. Germ. f. 329. per ætatem & locorum viciniam conjicit fuiſſe Comitem Zeltſchachenſem, cujus uxor Hemma, cæſis per metallicarum fodinarum, ut volunt, operas Wilhelmo & Hartwigo filiis, Gurcenſem in Carinthia Baſilicam erexit, & SS. Virginum Cœnobium adjunxit. Si conſtaret, Wilhelmum hunc cæſum eſſe, de cædis cauſa conjectura facilior eſſet, eo quod Wilhelmus hic in Carentania magnis florens opibus, & magna pollens authoritate ad exauthorationem Adalberonis non parum contuliſſe videretur, ſed quoniam ipſemet P. Calles cit. ad an. 1045. fatetur, Wilhelmum piam ad Apoſtolorum limina peregrinationem ſuſcepiſſe, & antequam rediret Friſacum, in valle Lavantina morbo correptum conſimili mortis genere, non ſine eximiæ virtutis opinione obiiſſe, conjectura hæc ſuſtineri vix poterit. *Wilhelmus S. Gurc. marit. & ejus res.*

Henric. III.

Neomagi Cunihildis Daniæ Regis filia Henrico III. Regi præſente patre, Conrado deſponſata, & in natali SS. Petri & Pauli coronata eſt, atque mutato nomine Cunegund. dein dicta, ita Annal. & Chronogr. Saxo, ex qua dein confuſio orta, inter hanc & S. Chunegundem Reginam ac Imperatricem, alii Chunihildem hanc Eliphrudam vel Elisdrudem vocant, ut ex Herman. contr. Pez Hier. tom. 1. Diſſ. 6. §. 7. *nuptiæ.*

Obiit hoc an. vel certe ſeq. Pilgrinus Colon. Archiep. de cujus ſtirpe & origine quædam ſunt exponenda; & quidem primo falſa ſunt, quæ Wilhelmus Malbesbur. in vita S. Bernwardi Hildesh. Epiſc. narrat, eum dum litteris operam daret, & ad fores ſtipem flagitaret, a S. Bernwardo divinitus edocto, juſſum eſſe ad ſe duci, & tanquam Colon. quondam Archi-Epiſcopum futurum, in capite menſæ locatum ac rogatum, ut primam miſſam Coloniæ pro paupere Bernwardo decantaret. Hæc inquam falſa eſſe ſequentia declarant, nam teſte Wippone p. 462. *Pilgrinus* hic *Aribonis Moguntini propinquus & cognatus* erat, unde nullus dubito, Pilgrinum *Noricum* fuiſſe gente, proinde ac Aribonis cognatum, & fors ex eadem familia, qua Pilgrinus quondam Laureacenſis & alter recentior Pilgrinus Salisburgenſis Archiep. acta & origo utcunque obſcura. Pilgrini Laureacenſis originem oſtendi an. 970. ſed divinando magis, quam verum aſſequendo, nempe eum vel ex familia Comitum Chiemgovenſium, vel Pechlarienſium fuiſſe. An vero Pilgrinus Colonienſis, ex familia Chiemgov. Pechlarienſium vel Andechſiorum, omnino latet, mihi vel eo titulo hic commemorandus erat, quod *gente Noricus ac Aribonis noſtri Moguntini propinquus ac cognatus* dicatur, acta proin ejus ſummatim refero: an. 1021. ex oraculo S. Heriberti Colon. Archiep. ab Imperatore S. Henrico eidem ſucceſſor ſubſtituitur, eodemque anno Imperatorem in Italiam comitatus cum eodem natalem Domini Ravennæ egit vel in vicinia, ſequenti anno cum 20000. armatorum præmittitur ad Pandulfum II. Capuæ Principem & Abbatem Caſſin. Athenulfum hujus fratrem capiendum, mox in Synodo Aquisgran. lite implicatur cum Durando Ep. Leodienſi, ob Monaſterium Purcithum, quod uterque ſuæ Parochiæ ſubjicere contendit, ſed cauſa cecidit; anno 1027. Synodo Francofort. in cauſa

Pilgrini col. Archiep. genus.

Pilgrinus Colon. Archiep. genere Noricus.

An ex fam. Com. de Chiemgow vel Pechlarn vel Andechs. Aribonis Mog. cognatus.

Acta ejusdem.

in cauſa Gandersheim. Cœnobii habitæ adeſt, tandemque hoc anno obiit: *Inſignem virum, & eo honore quem geſſit, digniſſimum*, Wippo, *venerandæ memoriæ & ad omnia in divinis & humanis perſtrenuum*, Annales Hildesheim. & Saxo Chronogr. affirmant, Cæſarius Heiſterbacenſis in homil. Dom. 2. poſt Paſcha *ſanctum* appellat. Marianus Scotus ad an. 1035. hæc de eo refert: *Propter religionem diſtrictam, diſciplinamque nimiam, & propter aliquos Scotos, quos ſecum habebat Helias Scotus Abbas, qui Monaſterium S. Pantaleonis, & S. Martini in Colonia pariter regebat, Pilgrinus Colon. Archiep. invidioſis a viris inſtigatus Heliam Abbatem voluit expellere, & omnes Scotos Monachos, quos ſecum habebat Helias Scotus Abbas ſtatim, quam de aula regia revertiſſet, dixit cum cæteris Scotis, ſi Chriſtus in nobis peregrinis eſt, nunquam vivus ad Coloniam veniet, Pilgrinus & ita Dominus complevit* Hæc fide Mariani Scoti, qui tum 7. ætatis annum agebat, dicta ſunto.

De B. Severini purgatorio. Gelenius & ſcript. Galliæ Chriſtianæ tom. 3. col. 658. narrationem Petri Damiani de B. Severino Colon. intelligunt de Pilgrino, eo quod B. Severinus aulæ expers fuerit, & pluribus ſæculis ante Damianum vixerit. *Clericus Colon. Eccleſiæ vadum fluminis tranſibat, & ecce B. Severinus* (ita eum nominat Petrus Damianus, ſcriptores vero Galliæ Chriſt. Pilgrinum ſubſtituunt) *ejusd. Eccleſiæ nuper Epiſcopus, equi ejus habenas apprehendit, eumque retinens ſiſtit. Cumque ille in ſtuporem verſus & graviter admiratus, cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret, da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me ſunt, non auditu diſce, ſed tactu, cumque datam manum fluctibus Epiſcopus merſiſſet, tantus eam ardor abſorbuit, ut undique carnes ejus reſolutæ defluerent, & oſſa nuda, vix hærentibus articulis remanerent. Rogatus ab eo Epiſcopus, cur tanto ſupplicio cruciaretur, non aliam ob cauſam reſpondit, ac, quod dum in aula regia conſtitutus, imperialibus me conſiliis vehementer implicui, Canonicæ Synaxis officia per deſtinata horarum ſpatia non perſolvi. Mane quippe ſimul omnia coacervans, tota die negotiis ingruentibus ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero ſupplicium, ſimul preces ac ſuffragia Colon. Eccleſiæ per illud orat, & ſpem facit, iis ſe ſuffragiis iſto mox ſupplicio liberandum.* Hæc quidem teſte Calles tom. 5. fol. 336. S. Severino ſæc. 5. initio florenti parum congruunt, cur tamen Pilgrino conveniant, ratio gravis non eſt, præſertim cum Adraldus Premetenſ. Abbas, ex cujus relatione eadem adferuntur, non ſua id ætate contigiſſe, ſed litteris proditum affirmet, & Epiſcopus ille nuper defunctus, non hoc, ſed Clerici illius tempore floruiſſe dicatur, qui quando vixerit, nec ab Adraldo, nec a Petro Damiano diſtincte exprimitur.

Conr. Imp. abit in Ital. cum Ottoc. II. March. Ultimis anni hujus menſibus ad turbas Longobardiæ in Italiam tranſiit Imperator, Giſela conjuge, Henrico filio, nuncque Cunehilde, Ratiſbonæ relictis: inter Illuſtres Conradi II. Comites, recenſendus etiam eſt Conradus II. Dux Carentaniæ, & Ottocarus II. Marchio noſter, ut anni ſequentes oſtendent, Veronæ natalem Domini celebravit.

ANNO

ANNO 1037. *An. 1037.*

Indict. 5. Ben. IX. P. 5. Conradi II. Reg. 14. Imp. 2. Ottoc. II. Mar. 47.

Mediolanum veniens Imperator varias de Heriberto Archiep. Mediolan. querelas audiens, reum & delatores Papiam ad generale placitum convocavit, cumque Heribertus legitime convictus, quos læſerat, ſatisfacere renueret, eum *Popponi Patriarchæ Aquilej. & Chunoni Duci Carentanorum* cuſtodiendum tradidit, teſte Wippone, Ottone Friſing. ſed cum Heribertus a Poppone *liberius debito habitus eſſet, poſt paucos dies fuga lapſus eſt*, teſte Chronogr. Sax. Mediolani dein magnifice a ſuis iterum receptus, varia in Imperatorem molitus eſt, Odonemque Campaniæ Comitem in Conradum commovit, quapropter Imperator Mediolanum gravi ac irrita obſidione cinxit, ac præter 3. Epiſcopos Vercellenſem, Cremonenſem, ac Placentinum captos ac trans alpes transmiſſos nil fere effecit, Parmæ vero urbis muros diruit ob exortum tumultum & Dapiferum ſuum ibi necatum.

Conradus Imp. Mediol.

Heriberto Arch. Mediol. datur cuſtodiend. Poponi Aquil. Cunoni Duc. Car. ſed fugit.

ANNO 1038. *An. 1038.*

Indict. 6. Bened. IX. P. 6. Conr. II. Imp. 15. Ottoc. III. Styr. March. 1.

Ob nimios calores hujus anni, aeremque infectum redire in Germaniam debuit Conradus Imperator ante Julii menſis exitum, X. Kal. Auguſti enim Conradus II. Diploma Vidalianæ pro Cœnobio Florentino edidit adhuc.

Conrad. redit in Ital.

Interim in magna ſtrage exercitus ſui, etiam *Regina Cunehildis conjux Henrici Regis 15. Kal. Aug. quaſi in limite vitæ, ingreſſu mortis recubuit*, inquit Wippo pag. 481. eadem etiam Cunehildis & Chunegundis vocatur, & a quibusdam perperam cum S. Chunegunde confunditur reliquit ea *ſolam filiolam de Rege, quam poſtea Pater ejus Chriſto deſponſans Abbatiſſam conſecrari fecit*, ea eſt *Beatrix Quedlimburg. Abbatiſſa.*

Chunegund vel Chunehild Reg. † Ejus filia Beatrix Abb. Quedlimburg.

Decimo poſt die, ſeu 5. Kal. Aug. teſte Wippone cit. *Chunehildam ſecutus eſt Hermannus Dux Alemanniæ peſte gravatus*, Tridenti ſepultus.

Hermann. Dux Alem. obit.

Ottocarus II. Marchio noſter itidem in Italia obiit, & Romæ quidem, ut teſtatur Diploma Hermanni Patav. Epiſc. ad an. 1088. & ex eo omnes Authores, qui de rebus Styriæ ſcripſerunt. Pro hoc vero anno mortis conſtituendo ſequentia faciunt, ait enim Otto Friſing. lib. 6. cap. 31. *Itaque Conradus Rex ſubacta ad plenum Italia citeriore Apeninum tranſiens, Regina Romam orationis gratia eunte, ac poſt ipſum revertente, ipſe Apuliam ingreſſus eſt:* quo itaque tempore Apuliam ingreſſus eſt Cæſar, atque Pandulfo Capuano, Guarmarium, Salernitarum Principem ſubſtituit, eo tempore Regina Giſela (quia Conradi uxor) Romam orationis cauſa abiit, proin hoc an. 1038. cum proinde Ottocarus II. ut an. 1036. dixi, in Italiam cum Cuonrado abierit, cum ex tabulis Altmanni, Romæ mortuus ac ſepultus fuerit Ottocarus, eodem pietatis inſtinctu, atque hoc an. eundem cum Giſela Romam abiiſſe, ibique defunctum legitime infero. Id certum eſt, Ottocarum II. adhuc anno 1036. vixiſſe, & ante ſuum Romanum iter tabulis Geiſenfelden-

ſis Monaſterii cum Adalberone fratre ſubſcripſiſſe, de quibus Diſſert. 4. cap. 2. §. 3.

An peſte, Peſte obiiſſe non credam, quoniam ſic Romam ſubire permiſſum ei non fuiſſet ex caſtris, quibus peſtis ſæviebat.

Otto Friſing. Wippo, aliique veteres inter illuſtria anni hujus funera Ottocarum quidem noſtrum non numerant, inſinuant tamen eum dicentes, plures in Italia illuſtres ex Germania viros obiiſſe.

Ejusd. progenies Vireta Auſtr. n. fuit ejus uxor. De Ottocaro reliqua adhuc expedienda ſunt, & quidem primo progenies ejus & uxor, hanc Lazius detexiſſe ſibi viſus eſt, *Viretam* nempe *Auſtriacam* filiam Erneſti Auſtriaci ex Mathilde, quæ tamen anno 1048. primum naſci, ſicque Ottocari hujus uxor eſſe non potuit, hoc an. defuncti. Præterea nec Hübnerus, nec Bucelinus, nec alii Authores Viretæ hujus inter Erneſti Auſtriaci liberos meminerunt, ut adeo Lazius ſolus teſtis non ſufficiat, pl. jam dixi Diſſert. 4. cap. 2. §. 2.

Attala de Styra an ejus ſoror. Aſt an *Attala de Styra* ejus ſoror ac filia Ottocari I. dicenda eſt? Frælichius tab. 8. Archont. Carinth. eam ſub dubio & cum aſteriſco impoſuit filiam Ottocari I. & ſororem Ottocari II. denique matrem S. Gebhardi Archiep. Salisburg. ac uxorem Cadoldi de Helfenſtein. Idem aſſerit Hundius in Metrop. Salisburg. ſed Bucelinus Stematogr. tom. 4. in fragmento Ottocarorum utcunque erroneo, Ottocari I. Comitis Styriæ filiam, *Urſulam* vocat Wernheri Com. ab Helfenſtein uxorem, Author vero Genealog. Stahrenberg. Wurmbrandius in collectaneis Geneal. ac Puſchius eam omnino omittunt. Gebhardum Salisburg. alto Suevorum ſtemate *Cadoldo Patre & Azala matre* editum refert Scriptor Admont. tom. 6. Caniſii, *Cadoldum* item S. Gebhardi Patrem inſinuat necrologium Admont. ad 3. Nonas Febr. Interim tamen vix credam Azalam, ſeu Attalam S. Gebhardi matrem fuiſſe Attalam de Styra, Dukerus enim eam Azalam Cattimelibocenſem vocat, Bucelinus apud Hübner tab. 490. S. Gebhardum ex *Manegoldo Helfenſteinio*, & Adela Cattimelibocenſi, Heiningeſius vero apud cit. Hübner. ex Wernero & Attala progenitum ſcribit, proin dubia ſumme ſunt, quæ de Attala de Styra referuntur. V. 1077.

Urſula Wernheri de Helfenſtein uxor.

Proles vero Ottocari noſtri cenſentur Ottocar. III. ſucceſſor & & hæres ac Frowiza, de hac Diſſert. 4. cap. 2. §. 2. dicebam, eam utcunque probabiliter cenſeri poſſe Ottocari II. filiam, argumenta ibidem adducta non repeto, plura de ea ad an. 1043. occurrent.

Ottocar. III. March. ſeu Ozy. Ottocarus vero III. ſucceſſor & hæres, certus fuit Ottocari II. filius, docet MS. noſtrum Genealog. quod eum *Ozii* vocat (ut Diſſ. 4. cap. 3. §. 1. & 2. ubi oſtendi, eum nec fratrem, nec nepotem Ottocari II. fuiſſe) his verbis: *Ottachyr* (nempe II.) *Marchio Styrenſis filius Otachyr Marchionis* nimirum I. *genuit Ozy Marchionem, qui temporibus Henrici III. pollebat.* Idem docet Diploma Altmanni num. 2. inter mea adductum, quod eundem, quem MS. noſtrum Genealogicum Ozy vocat, Ottocarum appellat, atque ejusdem filium, qui Romæ obiit, fuiſſe aſſirmat, congruunt temporis circumſtantiæ, quæ eum ſub Henrico III. exſtitiſſe habent.

Poppo Aquil. Ec. Æmon. beneficus. Poppo Aquil. Patriarcha antequam cum Conrado ex Italia rediit, inſignem ſe Æmonenſi ſeu civitatis novæ paupertate ſuppreſſæ benefactorem

factorem exhibuit tradendo villam S. Laurentii juxta Æmonam civitatem poſitam cum omnibus ejus pertinentiis. Diploma confirm. a Conr. II. Imp. datum eſt Vidalianæ, ut v. Rubeis cap. 54. num. 6. ubi id etiam corrigit. Diploma hoc dari potuiſſe etiam Aquilejæ oſtendit Venetus Italiæ Sacræ editor, nec contradicit de Rubeis cit. docens Conradum ex Italia in Germaniam *per Adriatici maris oras remeaſſe*, ut habet contract. *ſeu ultra montes* teſte Leone Oſtienſi *per Marchias repedaviſſe*, quo tempore etiam Styræ Marcham tranſiens Ottocarum III. Marchionem declarare potuit.

Corrigit loco cit. de Rubeis ſeriem Epiſcoporum Æmonenſium apud Ughellum *Joannes* nempe, cujus mentio fit anno 994. *Joannes alter*, cui donationem a Poppone hoc anno factam confirmavit Conradus. Suc. *Azo*, qui an. 1031. conſecrationi Aquil. templi interfuit, ſed hic ante Joannem II. locandus eſt, hunc enim Joannem II. anno 1038. in civitate nova ſeu Æmonæ in Iſtria ſedisſe, Chronicæ notæ reſtitutæ evincunt. Sedit autem Azzo an. 1031. atque an. 1015. Synodo Aquilej. ſub Joanne Patr. Aquilej. interfuit. *Æmonenſ. Epiſc.*

Inter magnorum hujus anni funera referendus eſt etiam S. Stephanus Rex Hungariæ 15. Aug. mortuus, & in Eccleſia a ſe B. V. M. Albæ regiæ urbe ædificata ſepultus, multis dein miraculis clarus. Anno 1241. ejus ſacrum corpus ob immanem illam Tartarorum in Hungariam incurſionem Spalatum in Dalmatiam abductum eſt, teſte Dugloſſo lib. 7. p. 685. *S. Steph. Rex Hung. obit.*

Succeſſorem, Emerico filio privatus conſtituit Petrum, ſororis ſuæ Giſelæ ex Wilhelmo Burgundo, Adalberti filio, & Berengarii II. Italiæ Regis nepote filium, ideo Alemannum dictum, quam vitiis ſcatentem, tam turbis plurimis deditum, ut patebit. Chronographi Hungari, Germanis ſemper invidi crimini ducunt Giſelæ, quod hæc Petrum in regni ſolium intruſerit, ſed vitio verti nequit Giſelæ, quod Petrus ſpem ejus fefellerit. *Petr. Rex Hung.*

ANNO 1039. *An. 1039.*

Indict. 7. Bened. IX. P. 7. Henr. III. Imp. 1. Ottoc. III. March. Styr. 2.

Triſtes exercitus peſtifera lue propemodum abſumpti reliquias ex Italia per mare Adriaticum in Germaniam anno præcedente vix reduxerat Imp. Conradus, cum ipſe anno hoc languore præcipiti obrutus, trajecti Friſiorum, ſeu Ultrajecti, altera Pentecoſtes die 2. Nonas Junii piiſſime exſpiravit. Sardapila ejus mæſtro apparatu ſpiram translata eſt. Succ. Henricus III. filius, a crinium colore niger dictus, & Patri virtutibus certo æqualis, ſi non prior. *Conr. II. Imp. obit.* *Henr. III. nig.*

Nec multo poſt Cuno minor, ſeu Conradus II. patruelis Imp. & Carentaniæ Dux 13. *Kal. Aug. immatura morte, morbo regio diu defatigatus* vitam clauſit. Teſte Annal. Hildesheim. Eodemque pene tempore Adalbero etiam Avelancenſis & Muerzthallenſis Comes, ac Dux Carinthiæ exauthoratus ex humanis exceſſit, teſte Herm. Contr. dicente *Chunradus Dux Carentani & Adalbero æmulus ejus, qui ante eum Ducatum eundem habuerat, ipſo anno*, hoc nempe *obierunt*. *Conrad. II. Dux. Carinth.* *Et Adalber. Com. Affligen. obit.*

Conradi Duc. proles uxor. Bruno Ep. Hildesheim. Conr. an ſucceſſ.

Cunrado Duci Carinthiæ, plerique unum tribuunt filium *Brunonem* Epiſc. Wirzburg. quod is *patruelis Imperatoris* in Annalibus Hildesheim. appelletur ad an. 1034. Recentiores ſed ſine veterum teſtimonio, alium adjungunt filium Conradum, quem eadem fide ſucceſſorem ſtatuunt, ut hariolatur Megiſerus lib. 7. cap. 16. Frælichius tab. 1. Geneal. Archont. Carinth. nec uxorem, nec liberos exprimit. Hübnerus tab. 27. Geneal. Brunonem illum Epiſc. Wirzburg. fratrem Cunradi II. ſtatuit.

Adalber. ſucceſſ. Marquard. fil. Adalbero fil. Ep. Bamb.

Adalberonis defuncti ſucceſſio magis patet. Marquardus enim anno 1073. Dux Carinthiæ, & Adalbero filii erant, quorum hic Ep. Bamberg. an. 1054. obiit an. 1057. die 16. Kal. Mart. Cl. Calles tom. 5. Annal. Eccl. Germ. fol. 361. cum Hundio tom. 2. Adalberonem Geiſenfeld. Monaſterii tabulis ſubſcriptum filium Adalberonis exauthorati credidit, aſt non aſſentiar, ſi tabulæ eæ de anno 1036. adducantur, in iis enim clare legitur in Chron. Reicherſperg. inter teſtes ſubſcriptos: *Babo Comes de Scherrn, Udalricus Marchio, Adalbero Marchio, Ottakar frater ejus, Chuno de Vochburg &c.* Cenſeo vero Clariſſimum P. Calles, alias adferre tabulas, in quibus apud Hund. tom. 2. Metrop. pag. 248. ita legitur - *Quidam illuſtris proſapiæ Clericus Adalbero nomine, & Germanus ejus* Marchwart, *Ducis Adalberonis filii, ſylvam, quam habuerant in loco* Mosboch, *dediſſe ad altare S. Mariæ*, diſtinquendi itaque bene ſunt Adalbero Clericus, Marchwarti Germanus Adalberonis Ducis filius, & Adalbero Marchio, Ottocari frater, quorum hic Geiſenfeldenſis Cœnobii teſtis ſolum, ille benefactor fuit.

Luitpold Mar. an ejus fil.

Analiſta Saxo ad an. 1045. tertium Adalberoni Duci ſubſtituit filium his verbis: *Luitpoldus Marchio Adalberonis filius, maxima Hungariorum clades immature obiit.* Annal. Hildesh. an. 1044. verius ait: *Adalberti filius*, nempe Auſtriaci Marchionis. Idem refert Herman. Contr. ad an. 1043. quibus cum ſentio. Carinthiæ quis ergo Dux a morte Cunradi II. fuit? cenſeo ab hoc anno ad 1047. hiatum relinquendum eſſe in ſerie Ducum Carinthiæ, & Provinciam hanc, quemadmodum Bavariam ipſam, alium non habuiſſe Ducem, niſi Henricum Regem. Megiſerus quidem contra omnium fidem *Chunonem*, ſeu Conradum III. Conradi II. def. filium Ducem Carinthiæ ſtatuit, ſed Herman. contractus aliique ad an. uſque 1047. nullum Carinthiæ Ducem memorant, & Conradus hic Megiſeri, filius ſolum Ludolfi Comitis Palatini, & Dux Bavariæ fuit, v. an. 1049. Chuono autem, ſeu Conradus an. 1057. Dux Carinthiæ factus, & Regis Henrici cognatus incerto genere editus dicitur.

Carinthiæ Dux nullus ab anno 1043. ad 1047.

Megiſerus &

Chron. MS. Styr. refutatur.

Turpior eſt lapſus Chron. MS. Styriæ part. 1. fol. 207. cap. 61. docentis, Adalberonem Avelancenſem ac Muerzthallenſem Comitem ad an. uſque 1059. vixiſſe, eique tum defuncto Marquardum ſucceſſiſſe.

Item docent Frælichius.

Aventinus ad annum 1042. Godefridum quendam Carinthiæ Marchionem ſtatuit, qui Hungaros Carentano infeſtos expulit, eundem innuit Chronica Hungaror. apud Thwroczium cap. 56. pag. 42. hic vero Godefridus Cl. Frælichio Archont. Carinth. part. 1. fol. 22. idem eſſe videtur: de quo Anonymus Lambac. Author vitæ B. Adalberonis Epiſc. Wirzburg. apud Hier. Pez ſcript. Auſtr. tom. 2. pag.

Godefrid. Putinenſ. an March. Carinth.

7. ita

7. ita ſcribit: *Erat quidam Comes Arnoldus nomine, qui caſtrum opinatiſſimum in Lambacenſi loco - - inhabitabat, - - hic ex Regila nobili uxore ex Francia orientali oriunda - - - habebat filium nomine Gotfridum, dignitate Marchionem - - - cujus ditioni cum reditibus circumjacentibus ſerviebat Putina urbs inclyta eſt famoſa, quæ quaſi Metropolis & mater civitatum verſus Pannoniam ad auſtralem plagam ad arcendos Pannoniorum incurſus, & devaſtationes antiquitus conſtituta fuit.* Hunc jam Godefridum Frælichius ſub dubio Marchionem Carinthiæ cit. loco reponit, & Petovienſem Comitem fuiſſe opinatur, eo quod loco *Putina* legendum ſit *Petoma*, ſeu *Petova*: cumque *Putina* nunquam urbs, ſed caſtrum in Auſtriæ & Styriæ finibus fuiſſe legatur; in horum confirmationem adducit Frælichius, quod Styria inferior hoc adhuc tempore Marcha ſeu limes Carentanus vocaretur. Sit enimvero ita, non tamen *Putinæ Petovium* ſubſtituendum arbitror, & 1. quidem, quia Godefridum hunc Putinenſem, quem Aventinus *Charinorum limitis Præfectum* appellat Thurowizianum Chron. diſerte *Auſtriæ Marchionem* vocat, proin non ad Petovionem, ſed ad Putinam dominantem. 2. Locus *Putina* clariſſimis terminis expreſſus correctione non indiget, cum aliunde Putinam urbem amplam Auſtriæ ad fines Hungariæ ſitam, cum ditione permagna ad Neuenkirchen & Steinfeld extenſam opinentur plerique. V. dicta Diſſert. 4. cap. 6. §. 4. 3. Hungari ad *Petovionem Noricorum urbem* circa an. 1042. non a Godefrido, ut Aventinus, ſed ab Ottocaro III. Marchione noſtro cæſi ſunt, ut Diſſert. 4. cap. 3. §. 5. & Diſſert. 1. §. 21. in v. Græcium ac §. 22. in v. Petovium, ac ad an. 1042. vide.

Putinæ urbis deſcriptio ſitus.

Diſtincta a Petovio.

An vero Godefridus hic Marchio Carinthiæ fuerit? non diſputo, cum argumenta deſint, quæ id evincunt, vel elidant. Sufficiat, dixiſſe ab an. hoc ad an. uſque 1047. Ducem Carinthiæ diſtinctum non fuiſſe. Idem ſit de Luitpoldo Marchione judicium, v. an. 1045.

Egilbertus Epiſc. Friſing. hoc an. obiit de Eccleſia ac toto Imperio optime meritus, S. Henrici Imp. olim Cancellarius, Henrici III. Regis moderator, eidem S. Imperator Henricus, quem *amabiliſſimum ſuum Epiſcopum* appellat Welz & Lint in Provincia Karinthia, hodie in *Styria ſuperiore* contulit, mox prædium *Chatſa* in Carinthia, partem inſulæ *Sachſanoganc* in Auſtria Curtes ad *Urulam & Alarum* in eadem Auſtria, ac ad *Ainlingam* in Bavaria, v. Meichelböck tom. 1. part. 1. pag. 236. & 206.

Egilbert. Epiſc. Friſing.

Welz & Lint donav. Ec. Friſ.

ANNO 1040.

An. 1040.

Indict. 8. *Bened. IX. P.* 8. *Henr. III. Imp.* 2. *Ottoc. III. March.* 3.

Hungaricum bellum anno priore prævertiſſe videtur Hermannus contractus *Petrus Rex Ungariorum*, inquit, *hyeme terminus regni* Henrici *invadens, prædis, incendiis, & captivitate depopulatur.* Poteſtas nempe nova & regni gloria, iis nempe finibus, quibus Conradus Imp. & S. Stephanus Rex Hungariam ab Auſtria nuper diſcreverant, non contenta inquietum Regem Petrum eo impulit, ut non pacis modo, ſed affinitatis etiam cum Adalberto Auſtriæ Marchione jura violaret. Adalberti enim Auſtriaci uxor erat Adelheis, Petri Hungariæ Regis ſoror.

Petrus Rex Hung. Auſtriam populatur.

Henricus Rex Imp. per id tempus Ratisbonæ egit, atque ne vindictam injuriæ illico ſumeret, alia eum diſtinebant regni negotia. P. Calles cit. tom. 5. fol. 366. putat eum varia de finibus Imperii conſtituiſſe, *Carinth. & Styr.* nominatim de Carinthia & Styria. Carinthiæ Godefridum Putinenſem *res.* Præfectum interim putat, Marchæ vero Styrenſi Ottocarum III. Ozy etiam dictum, Ottocari I. nepotem, II. filium, ac IV. Patrem, ita ex MS. Genealog. Vorav. ex Puſchio. Conjicit vero P. Calles Ottocaros noſtros forte ex Semptenſium & Eberſpergenſium Comitum ſtirpe *Ottocari n. tuere* fuiſſe progenitos, eo quod Otaker frater Adalberonis Marchionis in *ex progen. Com.* tabulis Geiſenfeldenſ. Monaſterii appelletur, quo nomine in iisdem E- *de Sempta vel* berhardi Comitis Semptenſis & Eberſpergenſis, qui fundator erat Gei- *Eberſperg.* ſenfeldenſis Parthenonis frater vocatur, apud Hundium tom. 3. pag. 244. & 245.

Adalbero Com. Aſt jam anno 1039. præcavi bene diſtinquendum eſſe inter Adal- *Fund. Geiſenf.* beronem Geiſenfeld. Monaſterii fundati teſtem ſolum, & inter alium *diſtinctus ab A-* Adalberonem Geiſenfeld. Monaſterii fundati benefactorem, hic Adal- *dalberone Ottoc.* bero Benefactor, frater fuit Eberhardi Comitis & Fundatoris Geiſen- *II. fratre.* feldenſis, non autem Adalbero ille teſtis præciſe fundationis, & fra- ter Ottocari noſtri. Genealogiam Comitum de Sempta & Eberſperg referunt Megiſerus lib. 6. cap. 70. & Bucelinus Stemmatogr. part. 4. fol. 385. nullus tamen horum Ottocarum vel unum inter hos Comites refert. Præterea etiamſi occurreret Ottocarus frater Adalberonis E- berſpergenſis Comitis, non ideo Ottocarus noſter erit; plures enim Ottocari erant, noſtros Marchiones nihil attingentes. Unde meæ in- ſiſto ſententiæ, qua Ottocaros noſtros ex Bavaria exortos, Lambercen- ſium & Welfenſium Comitum conſanguineos ſtatui.

Henr. VI. Dux Eodem etiam Henricus VI. Dux Bavariæ ordinatus eſt filius Hen- *Bav. filius Henr.* rici Lucemburgici, ſeu Moſelani fratris S. Chunigundis Auguſtæ, ita *IV. Bav. Duc.* colligo ex Ranshovenſi Privileg. apud Hund. tom. 3. pag. 143. in quo legitur, *cui Ducatum ipſius regni dedimus*, Henrico nempe, ſane cum præſens in eodem Diplom. Dietmarus Salzb. Archiep. qui anno ſeq. obit, Henricus hujus anni fine vel ſequentis initio Dux eſſe debuit.

Poppo Aquilej. Idem Henricus Rex Popponis Patriarchæ Aquil. Dietmari Archiep. *Dietmarus Sa-* & Berengeri Patav. precibus Eccleſiam *Rinichnach* Altahenſi Monaſte- *lisburg.* rio 16. Kal. Febr. conſignavit, Popponi vero Aquilej. Patriarchæ 50. *regales manſos in Marchia Creina in Comitatu Eberhardi Marchionis.* Unde *Eberhardus Car-* diſcimus etiam Marchionem Carnioliæ hujus temporis: altero etiam *niol. Marchio-* Diplomate eidem Aquilejenſi Patriarchæ jus confirmat *in omnes Epi- ſcopatus, Abbatias, plebes, Monaſteria tam Monachorum, quam Puellarum &c.* ita Ughel. & de Rubeis.

Poppo Aquil. n. Inſignem de Poppone noſtro Fabellam adfert Anonymus Leobienſ. *eſt factus Papa,* apud Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 768. dicens: *mortuo Clemente* *ſed Poppo Epiſc.* *Poppo Aquilej. Patriarcha ſubſtituitur*, dum tamen idem ad an. præce- *Brixin.* dentem ſimul ait: *Poppo Patriarcha obiit.* Præterea erravit Chronic. Salisb. apud eundem Pez. ad an. 1047. *pro quo* (Suidgero ſeu Clemente II.) *Poppo Aquilej. Patriarcha, qui Damaſus dicitur.* Lapſus hic inde ortus fuerit, quod Poppo Brixin. Epiſc. an. 1048. Papa fuerit factus. Obiit Poppo an. 1042. ut dicetur.

Petrus

Petrus Hungariæ Rex ob vaſtatum proxima hyeme Auſtriæ limitem male ſibi conſcius, in fœdus Breſislai Boh. Ducis contra Henr. III. Regem abit, ut docent Herman. contr. Annal. Saxo & Hildesheim. movit in Bohemos primum, ſed ſucceſſu infelici Henricus III. Rex, dein vero ſecundo adeo rerum exitu, ut vaſtata per dies aliquot Bohemia in pacem mutuam conveniretur: oppreſſit interim Petrum calamitas domeſtica, dum externis diſſidiis ſe implicaret, nam dum copias ſuas omnes in Bohemiam dimittit, Hungari eum exoſi regno expulerunt, inde neceſſitate adductus *ad Adalbertum Auſtriæ Marchionem ſororis ſuæ maritum*, nuper vaſtata ſibi Auſtria hoſtem factum confugere debuit, ſuſceptus benigne anno ſeq. Regi Henrico eſt adductus. Dixi *Adalbertum ſororis* Petri *maritum*, ita me docent Herman. Contracti Annal. Hildesheim. qui Adelhaidem Adalberti Auſtriaci uxorem, ſororem Petri Hungariæ Regis volunt, unde male Hübnerus tab. 108. & 123. Geneal. eam filiam Petri ait.

Petr. Hung. Rex

Expellit. a ſuis.

Fugit ad Adalbertum Auſtriac.

Non conſtat quidem, quo loco Petrus Rex a ſuis expulſus ad Regem Henricum venerit, hoc tamen an. factum teſtantur Herman. contractus, & illo antiquior Hepidannus: ita vero ſcribit Hepidannus ad an. 1047. lege 1041. *Eodem anno Petrus Rex Ungariorum a quodam ſuo Comite (Ovo is erat ſeu Aba) turpiter regno proprio privatus, ad ipſum Regem Henricum deprecans auxilium confugit &c.* Sed quæ de Henrico Rege refert, ad annum ſeq. ſpectant.

Gallenberg vetus caſtrum in Carniolia penes Savum in ejus ripa nobiliſſimæ adhuc ſuperſtiti familiæ nativum, unde iterum protenditur mons Cetius Labacum verſus. Ita Schönlebenius apud Valvaſ. tom. 3. fol. 159. erectum vero eſt hoc caſtrum ab *Ortulpho II. de Scherffenberg*, Satore Dominorum de Gallenberg: v. dicta an. 1015. in Geneal. Scherffenberg. Item an. 928. de monte Gallenberg, vel Calenberg ita Schönleben. in Geneal. Gallenberg. *qui ad ripam Danubii incipit prope Viennam, & terminatur ad ripam Savi, opinione Philippi Cluverii proxime ad Celejam, ubi Saana & Savus confluunt, mea vero opinione ad ejusdem Savi ripam prope Labacum, ubi etiamnum mons appellationem ſervat, & vocatur Calenberg, ſimilis omnino illi alteri Viennenſi. Ab hoc itaque monte continuato per plura juga, licet modice interrupta, & ſi non Labacum uſque, ſaltem Celejam protenſo, videtur, traxiſſe nomen ſuum arx Gallenbergica in Carniolia inferiore non procul Celeja, nec procul a Savi ripa conſtructa, & ab arce ejus primi poſſeſſores Domini a Gallenberg.* His confirmantur ea, quæ Diſſ. 1. §. 1. & 2. dixi.

Gallenberg arx conditur ab Ortolpho II. Scherffenberg.

Cetius mons ad Celejam protenſ.

ANNO 1041.

Indict. 9. Bened. IX. P. 9. Henr. III. Imp. 3. Ottoc. III. March. 4. *An. 1041.*

Petrus Rex Hungariæ expulſus hoc anno per Adalbertum Auſtriæ Marchionem, Henrico Regi adductus eſt, *a quo veniam & gratiam imploravit*, teſte Herm. contr. ſubſtitit interea Petrus apud Adalbertum Levirum ſuum, donec Henricus exeunte menſe Sept. confecto bello Bohem. Ratisbonam veniret, cujus conjecturam illud præbet, quod Aba nonniſi hyeme proxima Auſtriam & Styriam incurſarit, non dilaturus rapinam tamdiu, niſi intellexiſſet Petrum tunc primo Henrico Regi reconciliatum.

Petrus Rex Hung. ab Henr. Imp. recipitur.

Aba

Aba ſeu Ovo tyran. Hung. Aba hic ſeu Ovo, maritus erat Sarottæ Geyſæ Regis filiæ, ac S. Stephani ſororis, uti Hübnerus tab. 108. Geneal. oſtendit, Henricus vero primum in Bohemos movit, paxque tandem coaluit ita, ut Brecislaus Dux Sacramentum fidelitatis diceret, ejus filius Obſes eſſet, ac captivi Bajoarii reſtituerentur.

Dietmar. II. Salzb. † Vitam hoc anno poſuit, Dietmarus II. Archiep. Salisburg. ut fere conſentiunt Chronographi, diem Jordanus prodit 5. Kal. Aug. & Necrolog. Admont. capituli Salisburg. & Chronicon aulicum a Stainhauſero citatum. Succeſſit Balduinus, cujus ſtirps ignota, ut & acta pleraque, hoc anno altaria templi Nunbergenſ. conſecravit, in Necrolog. capituli vocatur Belpein.

Baldwin ſucc.

Aba Hungarus Auſtriam vaſtat. Aba Hungarorum nomine Legatos ad Henricum miſit arroganter ſatis quærentes, bellumne, an pacem vellet. Henricus Burgundiæ turbis preſſus adhuc reſpondit, ſe nonniſi laceſſitum arma aſſumere, hoſtile ſi quid ingrueret, ſenſuros hoſtes quid armis poſſet. Legati reduces Abam eo reſponſo ita irritavere, ut ſæviente adhuc Bruma bipartito agmine in Auſtriam irrumperet, atque ex utroque Danubii littore, ferro & igne omnia popularetur, ita Lambert. Schaffnaburg. alii tamen cum Hermanno contr. ad annum ſeq.

Styriæ rer. Cl. Frælichius in Diplomat. S. Ducatus Styriæ part. 1. fol. 16. adfert Diploma Henrici III. in quo *ob interventum ac petitionem Dietmari Salisburg. Eccleſiæ Vener. Archi-Epiſcopi, ejusdem Eccleſiæ Canonico Sigeſcalco dicto, tale beneficium, quale frater ſuus Ardolfus ſub vocabulo beneficii habuit, id eſt, tres regales manſos, in vallibus* Ennsthall & Baltenthall *in Comitatu Gotfridi Comitis poſitos &c.* confert. Datum dicitur Diploma 6. *Non. Maj. Indict.* 9. *anno Dom. Incarn. MXLII. anno autem D. Henrici III. ordinationis XVII. regni vero* 11. *actum Spiræ feliciter.* Annus 1042. erroneus eſt, tum ob Indict. 9. cum ob annum ordinationis Henrici 14. (ordinatio enim ejus in Regem ab an. 1028. ducitur, quo coronatus eſt) ac annum 2. regni, quæ omnia præſenti anno conveniunt: Frælichius eum errorem non advertit, quem vel maxime Dietmari adhuc viventis memoria evincet, qui tamen 5. Kal. Aug. hujus anni jam obiit, ut adeo Diploma ad hunc annum referri debeat. Miræus adfert Diploma tom. 1. cap. 37. pag. 661. quo jam Balduinus hujus anni fine ſucceſſor, & Henr. Regis Anti-Cancellarius nominatur.

Sigiſcalcus Can. Salzb. Ex hoc Diplomate innuitur nobis 1. *Canonicus* quidam *Salisburgenſis Sigiſcalcus*, qui fine Diplomatis etiam *Engelſcalcus* vocatur, ejus frater Ardolfus, familia non colligo, cum bona *in vallibus Ennsthalle & Paltenthall* poſſederint. 2. *Gottfridus Comes*, in cujus Comitatu ea bona ſita erant miniſterialis Henrici III. & Præfectus regius manſorum Dominicalium, ſeu regiorum fuit, uti de Hartungo ad an. 954. & 960. dictum, vel fors Godefridus Putinenſ. de quo mox plura.

Gottfridus Comes Styr. ſup.

An. 1042.

ANNO 1042.

Indict. 10. *Bened. IX. P.* 10. *Henr. III. Imp.* 4. *Ottoc. III. March.* 5.

Auſtriæ per Hungaros turbatæ res ampliore jam narratione ſunt proſequendæ; ita enim ſcribit Herman. Contr. *Ovo Hungariorum tyran-*

tyrannus ob ſuſceptum a noſtro Rege Petrum, diviſit bifariam exercitum ſuum fines Bajoariæ ex utraque parte Danubii deprædatur, & incendens depopulatur, ſed una pars ejus exercitus a Septentrionali parte Danubii ab Adalberto Marchione, & filio ejus Luitpoldo ad internecionem cæſa eſt. Lambertus Schaffnaburg. ſimul in Auſtriæ, ſimul in Carentaniæ (ubi hodie Styria) fines, impetum factum docet, ſed *Bajoarii*, inquit, *coadunatis viribus inſecuti prædam excuſſerunt, multis occiſis reliquos in fugam egerunt.* Adalberto Marchioni eam victoriam tribuit Scotus Marianus, ejus temporis ſcriptor: *magnamque partem exercitus* Ovonis ab *Adalberone* Adalberto *Marchione deletam* confirmat. Idem habent Chron. Auſtrale, Auguſtanum, Admontenſe, Mellicenſe, & Clauſtroneoburg. Salisburg. Bern. Noricus, Anonymus vero Leobienſ. male ad an. 1039.

Aba Rex Hung. popul. Auſtriam & Styriam cæſus ab Adalberto Auſtriaco.

Thomas de Haſelbach Auſtriacarum, & Joannes Thwrozius, Hungaricarum rerum ſcriptores, Hungaros ex utroque Danubii littore, invaſiſſe ſub quadrageſimæ principium, Aventinus aliique ex Altahenſ. monum. feria 2. poſt Dom. Sexageſimæ, tradunt, & ad *Tulnam* uſque ad *Treiſmam fluvium* prædas egiſſe, immo Tulnam urbem Bachanaliis indulgentem medio Februarii rapinæ ſuorum ſubjeciſſe, alii volunt, & perrexiſſet ulterius Hungarorum rabies, ni Adalberti & Luitpoldi virtus fræna injeciſſet. Hæc de Auſtria.

Tulna ab Hungaris vaſtata.

Alter Ovonis exercitus Carinthiam invaſit, ita enim Thwrozius cit. *Aba miſit bellatores fortes in Carinthiam, qui plurimos captivos acceperunt, & in Hungariam redierunt. Gothfridus autem Marchio Auſtriæ circa Petoviam inſultum faciens ſuper eos eorum ſpolia fertur, abſtuliſſe.* De his plura bene perpendenda videntur, & quidem 1mo ex Herman. contr. Lambert. Schaffnaburg. & aliis conſtat, Auſtriam, Styriam, Carinthiam &c. hoc adhuc tempore ſub nomine *finium Bajoariæ*, ac Auſtriacos, Styros, ac Carinthos ſub nomine *Bajoariorum* veniſſe. 2do: Quæ Thwrozius hic de *Carinthia* ait, intelligenda etiam ſunt de Styria noſtra, uti enim ſæpius jam obſervavi, non ſolum Carinthiæ nomine Styria ſuperior, ſed etiam tractus Petovienſis, Cilejenſis adhuc Carinthiæ Marchia erat, nondum Styriæ modernæ inſerta. 3tio: *Godefridus* ille *Marchio Auſtriæ*, Godefridus Putinenſis fuerit, de quo ad an. 1039. differebam, Valvaſorius tom. 4. lib. 14. fol. 277. & 284. docet, cæſos fuiſſe Hungaros a duobus Conradi Carinthiæ Ducis Marchionibus Godefrido & Welfo de Amper, ſed præterquam, quod nec Conradus, nec alius Dux Carinthiæ hoc tempore fuerit, neſcio, quinam hi fuiſſent *Godefridus & Welf de Amper*, fol. 276. Godefridum illum plane Ducem Carinthiæ fuiſſe docet, atque ad an. 1028. cum Patr. Aquilejenſi Hungarorum victorem, citat Haſelbachium, qui apud P. Hier. Pez to. 2. col. 698. ita ait: *Hujus Alberti temporibus Ungari Styriam gravibus prædis & incendiis afflixerunt, contra quos Godefridus Dux Carinthiæ, & Gregorius Aquil. Patriarcha cum Ungaris congreſſi in fugam ſunt converſi, quam Conradus Imp. audiens &c.* Ex quibus proin perſpicuum eſt, Haſelbachium loqui ſolum de bello Hungarico anno 1029. ſub Conrado Imp. geſto, nec etiam Gregorius Patriarcha Aquil. ulli cognitus eſt.

Petovii vincuntur Hungari a Godefrido.

An a Godefrido Putin. March.

Aſt quomodo jam Ottocarus noſter III. Marchio Hungaros ad Petoviam deleviſſe dicendus eſt, ſi id Godefridus Marchio præſtitit?

An ab Ottoc. III. Styr. March.

id aliqua indagine eget, pro Godefrido Marchione Hungarorum ad Petovium victore teſtimonium Thrwozii, & Valvaſorii invenio, Aventinus quidem copiarum Welfi Ducis hoc in bello contra Abam adductarum meminit, ſed hæc omnia veterum documentis deſtituta jacent; certe Anonymus ille B. Adalberonis Epiſc. Wirzburg. ex quo ad annum 1039. Godefridi Putinenſis res adduxi, quamvis omnia in laudem Godefridi adducat, hujus tamen ad Petovionem victoriæ nuſpiam meminit, quam certe, ſi retuliſſet, narrare non omiſiſſet, cenſeo itaque, Godefridi Marchionis loco, Ottocarum noſtrum reponendum eſſe, tum ex veteri Styrorum traditione, quam exhibet pictura Græcii in domo provinciali exiſtens, ac a me Diſſert. 1. §. 21. allata, cum ex conſenſu plurium Authorum, quamvis recentium pro Ottocaro noſtro pugnantium.

Hi vero ſunt, qui Ottocaro III. victoriam illam Hungarorum ad Petovium adſcribunt, 1mo: Annales Joannis Hugonis, ſeu Haug Hungarici cap. 28. qui magnam bellicæ fortitudinis laudem Ottocaro III. tribuunt, ajuntque eum *cæſis ad Petovionem Hungaris* captos cum præda reduxiſſe, ac Styriæ limites propagaſſe, dum nempe Provinciam trans Muram Carinthiæ avulſam, Styriæ addidit. 2do: Lazius de migrat. gentium fol. 129. ita de Ottocaro hoc ſcribit: *qui denique ob devictos, ad Petovionem Hungaros, dum Salomonem Regem inſtituit ab Henrico IV. deficiente tum commoda Ducum Carinthiæ familia, parte Carinthiæ orientali donatur, quæ ſub Marchæ Carinthiæ quondam vertebatur nomine.* Errat quidem Lazius in Rege Salomone, interim tamen Ottocaro victoriam attribuit, de quibus jam Diſſert. 4. cap. 3. §. 5. egi. Breviter, ut rem concludam, cenſeo vel pro Godefrido, Ottocarum victorem Hungarorum dicendum, vel Godefridum hoc anno, Ottocarum vero an. 1044. Hungarorum ad Petovionem victorem fuiſſe. In re ſane incerta, & veterum documentis nullatenus ſuffulta, Thrwozii &c. authoritas, traditioni domeſticæ & numero majori recentiorum, licet Authorum cedere debebit.

Ottoc. III. an ab Henr. III. obtinuerit Provinc. trans Muram, & Comitat. Avelanz, Murzthall, Drugenmümel.

Plura de Ottocaro III. ejusque ad Petovionem victoria refert Prevenhueberus Annal. Styrenſ. fol. 391. ex Lazio cit. quæ etiam examinare oportet; docet vero Henricum Imp. Seu Regem Ottocaro, hujus victoriæ cauſa reliquiſſe eam omnem Provinciam trans Muram ſitam, quam eisdem abſtulerat, addidiſſeque Marchæ Carentanæ partem, uti viciniam Avelacenſem, Muerzthallenſem, & Drugenmümel (quam Lazius appellat *orientalem Carnorum partem, quæ Comitatum Styriæ ad fontes & utriusque Norici confinia attingebat*) eumque creaſſe Marchionem teſte eod. Lazio dicente, *primus ſuæ ſtirpis Marchio Carinthiæ, ac S. Rom. Imp. Princeps ſalutatus.*

An prim. March. fuerit, & Princeps S. R. I.

His tamen non ita promptus aſſenſus præſtari poteſt, nam 1mo: de Provincia illa trans Muram ſita vehementer dubito, an Ottocaro III. ceſſerit, etenim ut Diſſert. 1. §. 24. Diſſert. 3. §. 9. Diſſert. 4. cap. 4. §. 9. obſervavi tractum Mahrburgenſem Leopoldus fortis Marchio noſter emiſſe, videtur a Bernardo ejus loci Dynaſta. 2do: Petovienſis & Celejenſis ager, hoc adhuc tempore ſub Carinthiæ Marcha conſtitutus anno 1126. Leopoldo forti datus eſt, ut oſtendi Diſſert. 4. cap.

5. §. 4.

5. §. 4. Idem dictum eſt de valle Martia, Avalanz &c. quæ an. 1127. per hæreditatem Henrici Ducis de Eppenſtein in eundem Leopoldum hæreditario jure ſunt delatæ, nec enim credibile, ut ditiones hæ avitæ Comitum Affluentinorum ipſis in Adalberone exautorato, cum Ducatu Carinthiæ aufferrentur, præſertim cum an. 1073. Marquardus Adalberonis filius, Dux denuo Carinthiæ fieret, atque paſſim ab Authoribus Toparcha vallis Martiæ & Affluentinus appellaretur. 3tio: Falſum eſſe judico Ottocarum III. primum Marchionem & S. R. I. Principem fuiſſe ſalutatum, nam præterquam quod Lazius hac in re ſibi ipſi non conſtet, ut Diſſert. 4. cap. 3. §. 5. dictum, loqui ſolum videtur Lazius de Ottocaro nobis IV., cum lib. 2. de migr. gent. f. 172. ſic referat: *Marquardus Comes de Eppenſtein, Mürzthall & Avelanz Adalberonis Ducis quondam Carnorum exauthorati filius, Leopoldo proſcripto ab Henr. IV. Imp. in Ducatu Carinthiæ confirmatus, ſed hac lege, ut Marchiam Carnorum demptum a Ducatu Ottocaro Ozionis Styriæ Comitis in Norico, filio (quod is ſeſe non minus atque Marquardus in bello Saxonico adjuviſſet) in perpetuum concederet, atque ab eo tempore duo principatus ex uno facti, at Styriæ Marchiæ principatus nomen tum primitus auditum fuit.* Jam vero juxta Lazii ſyſtema lib. 6. de migrat. gent. Ottocarus Ozionis filius nobis Ottocarus IV. eſt, quamvis eum Lazius tertium appellet, Ozionem inter Ottocarum II. & III. interponens, non fuiſſe vere Ottocarum hunc III. Lazii, eundem cum Ottocaro nobis tertio ex eo patet, quod hic eundem ab Henrico IV. Imp. (atque poſt an. 1073. quo Marquardus Dux Carinthiæ factus eſt) Marchia Carnorum donatum dicat, cum tamen idem Lazius Ottocarum illum, ſibi ſecundum & victorem Hungarorum ab Henrico III. ea Marchia donatum, Carinthiæ Marchionem ac S. R. I. Principem conſtitutum affirmaverit.

Sed nec Ottocarum nobis IV., de quo Lazius in textu mox adducto loqui videtur, primum Styriæ Marchionem fuiſſe, oſtendi jam Diſſ. 4. c. 4. §. 2. &c. & plura ad an. 1073. &c. dicentur. Redeamus ad res Hungariæ, Imp. Henricus ſerius aliquanto, ſed graviter ultus eſt Hungariæ injurias, *autumno* enim, ut ſcribit Herm. contr. *Pannonias petens, Heimenburg & Precesburg evertit, ſeptentrionalem Danubii partem (quia flumina auſtralem & paludes munierant) uſque ad Grana flumen vaſtavit, ſeu in deditionem accepit, & pars exercitus bis numero Ungarione (f. Ungariis) incurſantibus congrediens, ſtrages magnas effecit.* *Henr. III. in Pannoniam mov.* Duas etiam urbes everſas, plures captas, alio & non ſuo anno notant Annal. Hildesheim. Marianus Scotus, & Saxo Chronographus, ſed aliter denuo rem narrat Lambert. Schaffnaburg. hoc anno: *Rex prima expeditione in Hungariam facta, prædictum Uban fugavit, uſque ad fluvium Rabam citerioris Hungariæ pervenit, tres urbes maximas cepit, acceptoque a Provincialibus jurejurando in pace remeavit.* *Aba fugatur.* Lambertus Schaffnaburg. videtur primam cum ſecunda expeditione confudiſſe, fatetur etiam Thwroczius cap. 36. *Henricum ex concilio Bratislai, ſeu Preceslai Bohemorum, ex Aquilonari Danubii parte veniſſe ad confinium Hungariæ.* *Rex Hung. vo. fors Andreas.*

Proſpera hæc licet expeditio, fine tamen ſuo caruit, cum Hungaris, omnia præterquam Petri reſtitutionem, promittentibus, alium Rex coactus dare Regem debuit, nempe quendam *apud Bohemos exulantem*, teſte Herm. contr. & Mariano Scoto, quis ac cujus nominis exul ille

ad regnum Hungariæ promotus fuerit, tacent etiam ſcriptores Hungari, veriſimile eſt unum ex 3. Ladislai Calvi filiis, Andrea, Bela, ac Leventa, jam a morte S. Stephani ex Hungaria profugis, & fors Andream, cui recens apud Hungaros Abæ gratia obfuit, ſed enatum dein odium viam denuo ad ſceptrum ſtravit.

Poppo Aquil. † ſucc. Everhard 9. Aquilejæ interim obiit Poppo magni nominis Patriarcha 4. Kal. Octob. teſte Herman. Contr. & Necrol. Aquilej. de cujus magna apud Reges gratia, ac profuſa in res ſacras liberalitate ſatis locutus eram, nuperrime Parthenonis Aquilej. B. V. M. emolumenta curavit. Succ. *Everardus* Herm. Contr. teſte *Canonicus Auguſtenſis*, de quo tamen canonicatu editio ejusd. Hermanni apud Urſtiſium nihil omnino memorat. Falſa ſunt, quæ de Poppone referunt tabulæ Gradenſes ſub Joan. 19. & Bened. IX. Rom. Pontif. nomine a Coleto in acceſſionibus Ughell. vulgatæ, in quarum poſteriore Bened. IX. hæc ſcripſiſſe fingitur: *Sed antequam a nobis de tanto coerceretur auſu* (invaſionis nimirum Gradenſ. v. an. 1027.) *Divino judicio ſine confeſſione & viatico ab hac luce ſubtractus eſt.* Tabulæ jam hæ teſte ipſo Coleto ante Majum anni 1044. dari non poterant, cum tamen Poppo hoc anno jam fuerit defunctus. V. pl. de Rubeis cap. 54.

An. 1043.

ANNO 1043.

Indict. 11. *Bened. IX. P.* 11. *Henr. III. Imp.* 5. *Ottoc. III. Styr. March.* 6.

Hungaror. turb. Goslariæ, cum natalem Domini ageret Henricus, aderant etiam Legati Hungarorum pacem ſperantes, quorum tamen ſpem turbaverat Petri Regis expulſi præſentia: promiſerat Aba *captivorum reſtitutionem, eorum autem, quos reddere non poterat condignam ſatisfactionem*, ſcribit Thwroczius cap. 37. *Cæſar vero noluit componere, donec in Bavariam veniret; ut qui per Hungaros injuſte læſi fuerant, compoſitioni pacis intereſſent*; ſed Lambert. Schaffnab. nulla conditionis facta mentione, *Fit pax.* *Legati Regis Ungariorum*, ait, *pacem ſuppliciter orant, ſed non impetrant, quoniam Rex Petrus, quem Ubano per vim regno expulerat, præſens erat, ſuppliciterque Henrici Regis auxilium contra illius violentiam implorabat.* Im-

Pan. ſup. pars a Cetio ad Leitham Germ. accedit. petrata tamen eſt pax, ubi Henricus cum exercitu in Auſtriam deſcendit, ſed ea lege, ut Pannoniæ ſuperioris pars ea, quæ a monte Cetio ad Leytham fluvium excurrit, Regno Germaniæ dein accederet. Henricus *Rex iterum Pannonias petens ſcribit*, Herm. contr. auctior, *ab Ovone vix pactum impetrante, ſuſcepta ſatisfactione (obſides, munera, regnique uſque ad Litha fluvium partem accipiens) & muneribus diſceſſit.* Secunda jam vice diſceſſit in Pannoniam Henricus, hoſtile tamen non multum tentatum opinor, & Ovonem vel victum, vel territum omnia feciſſe.

Adalberti Auſtr. March. & Leopoldi filii acta. Pannoniæ hanc partem Auſtriæ adjectam cenſet P. Calles fuiſſe illam, quam Adalbertus Auſtriæ Marchio, & Luipoldus filius armis occuparunt; ſic enim Otto Friſing. lib. 6. cap. 32. *Hic eſt Leopoldus adoleſcens, qui cum Patre ſuo Alberto Marchiam orientalem Ungaris eripuit.* Si Aloldo credimus, Adalbertus Marchio, & Luipoldus filius conſtanti

ſtanti animo ejus (Ovonis nempe quem hoc an. Oſterrichiam hoſtiliter invaſiſſe docet) *furorem excipiunt, & magna victoria deprimunt.*

Ab armis ad nuptias deſcendit Henricus, atque Ingelheimii Agnetem Wilhelmi Pictav. Principis filiam ſolenniter ſibi deſponſavit, ita Herm. contr. Lambert. Schaffnaburg. nuptialem tamen lætitiam interturbavit obitus Luipoldi Auſtriaci, qui cum Henrico e Pannonia regreſſus, & *ab ipſo Rege Marchio promotus*, ibidem ſeu Ingelheimii *poſt paucos dies defunctus Treviri, a patruo ſuo Poppone Archiep. ſepultus eſt*, ut ajunt Annal. Auguſtani & Auſtrales Hermanni, laudes Leopoldi hujus ex Adalberto Auſtr. geniti ſcriptores communi ore tradunt; Annal. Hildesheim. Sax. & Abbas Urſperg. *militem fortem* Chron. Clauſtroneob. Haſesbach & Arenpeck in Chron. Auſtr. *maximam Ungarorum cladem* appellant. Chron. Mellicenſe diem mortis addit, 5. *Id. Decembr.* uti & Clauſtroneob. quod tamen annum, uti in plerisque, ita etiam in hac morte prævertit.

Henr. III. nupt.

Leop. Auſtr. †

Leopoldus hic viduam reliquiſſe videtur *Frowizam* Ottocari II. Marchionis noſtri filiam, ac tertii ſororem, de qua jam Diſſert. 4. cap. 2. §. 2. & cap. 3. §. 3. quæ ſine liberis defuncta, Mellicii tumulum accepit, ut teſtantur paſſim ſcriptores Auſtr. aliique, v. an. 1048. obiit etiam 15. Kal. Maj. Giſela Aug. Henrici III. mater. Gebehardi fratris Conradi Imp. dein Epiſcopi Ratisbon. memini ad an. 1027. & 1035. eundem manifeſtat hoc an. Diploma quoddam Styriæ inter Göſſenſia num. 10. a Cl. Frælich Diplom. S. Ducatus Styriæ parte 1. fol. 17. relatum, in quo Henr. Rex *ob interventum ac petitionem Geberhardi Epiſcopi, patrui noſtri dilecti Adelramo fideli ſuo* donat: 3. *manſos in loco, qui dicitur* Rampreſtetten, *in duobus locis, &* Rametſtetten - - *dictos in Marchia & Comitatu Arnoldi Marchionis &c.* actum Ratisbonæ 3. Kal. Octobr. conveniunt indictio, annus currens, & anni Henrici. Ex Diplomate hoc varia nobis innoteſcunt, *1mo*: Gebehardum Ratisbon. Epiſc. fuiſſe Conradi II. Imp. fratrem, quia Henrici III. patruum. *2do*: Adalramus ille fidelis, ſeu ut ſuſpicor, miniſterialis Henrici III. quisnam, aut e qua familia fuerit? ignoro, quemadmodum etiam latet, quisnam ille *Arnoldus Marchio* fuerit? forſitan, cum per dicta an. 1039. Dux adhuc nullus Carinthiæ fuerit, Arnoldus hic Marchio ibidem fuit, mirror tamen, eum ab omnibus etiam Frælichio neglectum. Conjecturæ ratio hæc eſt, cum enim fundi hi Rampreſtetten, & Rametſtetten adhuc in Carinthia, modo vero in Styria ſuperiore ſitum obtinuerint, Arnoldus inde Carinthiæ Marchio judicari poſſet. V. an. 1045. &c. Balduinus Archiep. Salisb. hoc an. dedicavit Cryptam S. Erntrudis in monte Virginum ſeu Nunberg. Salisburgi. Luitholdo II. Præp. Salisb. 24. Nov. def. ſucceſſit Wezilinus.

Frowiza ejus uxor Ottoc. 2. fil.

Giſela Aug. †

Gebhardus Ep. Bamb. fr. Conr. Imp.

Styria reg.

Arnold. March. Carinthiæ.

Balduin. Arch. Salzb. Wezelin Præp. ibid. Luitold. †

ANNO 1044.

An. 1044.

Indict. 12. Greg. VI. P. 1. Henr. III. Imp. 6. Ottoc. III. March. Styr. 7.

Tertiam hoc anno expeditionem in Hungariam ſuſcipere coactus eſt Rex Henricus Chron. Mellic. & Salzb. & Clauſtroneob. quartam

Hungar. bellum.

hanc expeditionem vocant, cum tamen anno ſolum 1041. 1042. & hoc in Pannoniam deſcendiſſe videatur Henricus Rex.

Abæ perfid. & crudelitas. Aba cum nec captivos ex pacto redderet, nec pro illatis damnis ſatisfaceret, in nobiles ſimul Hungaros ſæviſſime debachatus, atque una vice ad 50. nobiles immiſſo milite obtruncari juſſit. Hinc crudo dominatu Abæ offenſi ad Henricum Regem confugere, eumque, ut *perpaucis* licet *copiis Pannoniam* peteret, permovere. *Ovo, qui maximum paraverat exercitum*, Henricum *in tantum deſpexit, ut eum quaſi facile occidendum, ſeu capiendum, Provinciam ingredi ſineret*, teſte Herman. contr. & Hepidanno, ſed eod. Herm. contr. tradente *Henricus cum parte copiarum Rabam fluvium feſtine in Divino confiſus auxilio transvadavit, pugnam cunctis militibus paſſim feſtinantibus iniit, & in prima congregatione* (verius *congreſſione*) *innumerabilem Hungarorum exercitum fugavit, atque proſtravit, & pauciſſimis ſuorum amiſſis in Semet fortiſſime pugnans, glorioſiſſimam victoriam adeptus eſt 3. nonas Julias.* Glober Rudolphus in exercitu Henrici ſolum 6000. in Hungarorum vero 200000. numerat, atque Hungarorum exercitum caligine, & tenebris occupatum ait lib. 5. cap. 4. Thwrozius rebus ſuis utcunque gloriabundus, Abam quidem victum ad Tibiſcum fugiſſe, ab Hungaris ſagittariis autem magnam Bavarorum cladem editam fuiſſe c. 37. ita docet, ut loco a clade Bojorum vel Lohren Beyern nomen adhæſerit. Bonfinius pariter Hungarus decade 2. cædem hanc Hungaricam excuſat, l. 2. dicens: *Pari utrinque ſpe pugnatur, jamque Aba ſuperior evaſiſſet, ſi fidos ſibi præfectos ubique habuiſſet - - ſed multi in medio prælio ab eo defecere, quippe qui conculcatis Abæ ſignis in adverſam faciem transtulerunt. Henricus tandem, ne incruenta quidem pugna hoſtes fudit, fugavitque, Aba inclinato exercitu, trajectoque Danubio ad Tibiſci amnis vicum effugit, ubi multas nobilium cædes olim patrarat, vico Svvebe nomen erat, ibi a ſuis cæſus eſt, & in proxima æde ſepultus.*

Hungari ad Rabam cæſi.

Aba a ſuis cæſ.

Id conſtat ex Hungarorum etiam conſenſu, Abam victum cum ſuis, Henricum vero victorem fuiſſe. Quod ſi vero Bonfinio fides, & Aba hoc in loco Swebe cæſus eſt a ſuis, erravit Herman. contr. docens eum ſerius aliquanto a Petro captum, ac capite plexum fuiſſe. Idem controvertitur de uxore Ovonis & filiis, quos Hepidannus Scriptor Synchronus ab Henrico cum ingenti pecunia captos, Saxo vero Chrongr. Annal. Hildesh. & Marian. Scotus expulſos cum Ovone memorant.

Pugna hæc & victoria cum in Hungaria, & transvadata Raba contigerit vix crediderim hoc anno Hungaros ad Petovionem ab Ottocaro III. fuiſſe cæſos, ſed anno 1042., ut ibidem oſtendi, pro Godefrido itaque Marchione illo a Bonfinio, & Thwroczio Hungarorum victore aſſignato, ſubſtituendus erit Ottocarus noſter. Henricus Rex a victoria obtenta, cilicio indutus, & nudis pedibus in caſtris coram SS. Crucis ligno cum toto exercitu ſuo Deo Summo gratias egit, ac dein ſub frequentiſſimo totius Hungarici populi concurſu Albam Regalem urbem adiit, atque in ſtata hac Regum Hungariæ ſede Petrum non invitis Hungaris Regem ſubſtituit.

Petrus Rex Hung. reſtituit.

Göſſenſe Sacell. an Leon. IX. Peonſecratum.

Si Puichio Chronol. Sacr. Ducat. Styr. ſæc. 11. part. 1. fol. 227. credimus, Bruno Tullenſis Epiſc. dein Papa ſub nomine Leonis IX. conſe-

conſecravit Sacellum extra urbis Leobienſis Pomæria Göſſenſi Parthenio vicinum: adducit vetuſtam inſcriptionem, quæ exhibet an. 1044. die 4. Aug. id in SS Lamberti, Blaſii, Georgii, & Oswaldi Martyrum honorem dicatum fuiſſe a Leone IX. dum adhuc Tullenſis eſſet Epiſcopus, nihil hac de re Göſſenſium documenta apud Frælichium, nil Anonymus Leobienſis, niſi quod hic ad an. 1056 de Leone IX. referat: *Leo IX. cum eſſet Papa cum Haimrico III. Imp. Petrum Regem Hungariæ a quodam ſuo milite Andrea excæcatum vindicavit, & in illo itinere in terra Styriæ, & alibi plures Eccleſias conſecravit.* Unde fors error in an. 1044. cubabit, cum S. Leo Papa anno primum 1052. cum Henrico III. in Hungariam deſcenderit, niſi fors alia de cauſa Leo IX. tanquam Tullenſis adhuc Epiſcopus in terris his conſiſtens eam conſecrationem ſuſceperit.

ANNO 1045. *An. 1045.*

Indict. 13. Gregor. VI P. 2. Henr. III. Imp 7. Ottoc. III. March. Styr. 8.

Henricus Rex, qui verni jejunii magnam partem in Bavaria egerat, Goslaria, ubi Paſcha celebravit, iterum Ratisbonam rediit, iter in Pannoniam ſuſcepturus. Lambert. Schaffnab. Ovonem a Petro decollatum ſcribit, id ſi verum eſſet (negant enim Hungari, ut an. pr. dictum) offenſi fors Hungarorum animi Petro Regi timori fuerint, atque, ut Boici Script. memorant, per Legatos ſubſidium ab Henrico petierit. *Henric. III. in Hung. abit.*

Aventino, Valvaſorio, Brunn. Adlzritero, ſi credimus, Henricus navali itinere Ratisbona Paſſavium venit, ibique ſolennes ſupplicationum ferias ac aſcenſionem Domini celebravit, inde ſecundo flumine in Auſtriam ſuperiorem delapſus parum a ſummo periculo abfuit. Erant in ejus comitatu Bruno Wirzburg. Epiſc. Welfo, poſtea Carentanorum Dux, Altmannus Eberſperg. Abbas, omnes in Boſenbeugenſe caſtrum a Richlinde loci Domina invitati, navis, quæ Brunonem vehebat ad *Greinam* urbem Danubii vorticibus propinquam, propius jam acceſſerat, cum Bruno monſtrum quoddam, æthiopis ſpecie terrificum conſpicatur eminenti in rupe; exterritus Præſul cruce ſe ſignat, ac ſpectrum humana, ſed terribili voce ajebat: *Audin Epiſcope! manus meas non effugies, abi modo, brevi me viſurus.* Quo dicto evanuit, & Bruno terrore exanimis Boſenbeugum ſe ſubduxit. *Tranſit per Paſſav. & Auſt. ſup. Greinæ in Auſtr. Bruno Epiſc. Wirzb. a ſpectro terretur ejus Geneal.*

Hoc in caſtro actum de Böſſenbeugenſi arce ac fundis ei obnoxiis, in jus Welfonis 3. qui Richlindis ex fratre Welfone 2. nepos erat, tranſcribendis, quamvis, ut ferunt, ea bona antehac ab Adalberto Eberſperg. Comite Richlindis marito Eberſperg. Cœnobio tradita eſſent; Welfo 3. res augeri ſuas hac acceſſione cupiebat, & non modo Amitam Richlindem, ſed Brunonem etiam Epiſc. patronos habebat, Abbatemque Altmannum obnitentem. Jam Rex Welfoni dexteram conceſſi beneficii indicem porrexerat, cum ecce cænaculum repente collapſum convivas omnes in ſubjectum balneum effudit, Bruno, Richlindis, & Altmannus paucos intra dies morientium præſidiis muniti expirarunt, Rex & Welfo ſalvi evaſere, ita Script. Boici ex Annal. *Welfon. 3. dein Carint. Ducatus. Böſenbeugenſ. caſtri acta.*

Eber-

Eberſperg. MS. Paulum exaggeratius hæc omnia pertractata eſſe, vel ex eo patet, quod Brunonis Epiſc. quem virum doctum, & ſanctum fere omnes dicunt, famæ nimium accedant. S. Brunonem Ep. Wirzb. Conradi I. Ducis Carent. ex Mathilde filium fuiſſe, ac fratrem Conradi II. itidem Carentaniæ, jam ſæpius dictum eſt. V. tab. Geneal. 27. Hübneri v. an. 1039. temporis, aliæque circumſtantiæ magis probant eum Conradi I. filium, & 2di fratrem fuiſſe.

Adalbero Com. Lambac. Epiſc. Wirzb.

Impar haud erat ſucceſſor Brunonis Adalbero Arnoldi Lambacenſ. Comitis ad Trunam filius, cujus mox cum laude recurret mentio, dum nempe Henrici iter in Hungariam fuerit deſcriptum.

Hungaria fit Germ. tributar.

Henricus ita Rex eo ex diſcrimine incolumis iter in Pannoniam proſequitur, de quo Herman. contr. ita loquitur: *Petrus Rex, Henricum Regem in feſtivitate Pentecoſtes ad ſe invitatum, magno paratu ſuſcepit, & magnis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum Principibus Hungarorum fidelitatem illi, & ſucceſſoribus ejus juramento firmantibus reddidit, quod tamen ab eo ipſe, dum viveret, poſſidendum recepit.* Multa hoc loco Aventinus, & ex eo Adelzreit. Megiſerus, aliique exſcribunt, aliis tamen hiſtoricis ignota, quorum fides ſit penes Authores. Veriſimile, offenſos hac Petri ſubmiſſione Hungaros capita iterum contuliſſe, & opprimendo Petro conſilia miſcuiſſe, ut an. ſeq.

Adalber. Epiſc. Wirzb. Geneal. Arnoldus Pater, Regila mat. Godefrid. Putin. fr.

Res Adalberonis Wirzburg. Epiſcopi, Ottocaris noſtris ſanguine junctí conſiderare paulo amplius oportet; patrem habuit *Arnoldum* Welſæ ac Lambaci in Auſtria Sup. Comitem, matrem *Regilam* gentis Weinſſergicæ, quæ & ipſa duo oppida in orientali Francia ad Onoldsbachium & Gerold hovium poſſediſſe videtur. Fratrem habuit Godefridum Marchionem & Comitem Putinenſem, non Petovienſ. ut an. 1039. oſtendi, ſoror ejus Ekberto Naunburgenſi ad Ænum Comiti nupta, a morte Godefridi, duarum familiarum opes ad liberos tranſtulit; ita Biographus B. Adalberonis apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 7. & 8. Aventinus lib. 5. Annal. Bajor. fol. 551. ait, majores Adalberonis in Vindelicia *Neuburgum & Varnbachium* poſſediſſe, atque ejus gentiles Himeltrudam, & ex fratre Ulrico nepotes Ekbertum, & Hainricum dein Varnbach regiam ſuam D. Benedicto conſecraſſe. Hæc interim, plura in nobis ad Diploma 4. in fine patebunt. V. tab. Genel. 8. Clar. Frælichii in Archotol. Carinth. qui licet parte 1. fol. 23. Godefridum B. Adalberonis fratrem Carinthiæ ad Petovium, non Putinam, Marchionem ſtatuat, tamen part. 2. fol. 200. dubitat, an Carinthiaci limitis Marchio fuerit. V. an. 1039. Ex Godefridi Marchionis mentione ad alium quendam Auſtriæ, ut volunt, Marchionem Sigefridum nomine deducor, hujus mentio fit, in Diplom. Henrici an. 1045. apud Gewold in additionibus, extant apographa duorum Diplomatum Henrici Regis ad eundem annum, quorum alterum eſt de 150. manſis regalibus intra *fl. Pbiſchacha* & *Lita*, quos Henricus Sigfrido dat Marchioni. Alterum de areis ad Danubium fluvium eidem Sigfrido datis. Sigfridum hunc fors Comitem de Plejen, cujus filius Sigehardus Patr. Aquilej. villam D. Petronillæ Altmanno Epiſc. Patav. vendidit, quam villam poſtea rurſum poſſedit Theobaldus Marchio, qui Conrado II. eam reſignavit, donatam dein *Hugoni de Cranichberg* an. 1142. ita Author Germ. Sacræ

Varnpach. Monaſterii origo.

Sigefridus Com. Plejen an Auſtr. Marchio.

Sigehardo Patr. Aquil. Com. de Plejen.

Chranichberg de Hugo.

cræ tom. 1. fol. 246. ex cujus proin mente Sigefridus hic eſſet novus Marchio Auſtriæ dicendus ea in parte, quæ de Pannonia ſuper. a Cetio ad Leytham an. 1043. abſtracta Auſtriæ eſt adjecta. Author Faſtor. Campililienſ. tom. 1. fol. 98. inter Marchiones diſtinguit, aitque hoc tempore Auſtriæ Marchiones neutiquam continuo totius terræ fuiſſe Principes, cum alto Dominio imperantes, ſed Auſtria (idem cenſeo, de Carinthia, Styria, &c.) Comitatus plures ac Comites alebat, inter quos, qui a terra ipſa nomen gerebat, & Auſtriæ Marchio dictus eſt, dignitate primus erat, & cæteris præfectura per Imper. Prælatus. Erant itaque alii Marchiones Auſtriæ (Styriæ, Carinthiæ) a Cæſare cum Imperio præfecti, alii vero Marchiones in Auſtria (Styria, Carinthia) qui Comitatus ſuos ſive certas terræ portiones, beneficio regio non Marchionis Præfecti, captaverant, a quo tamen juſſa regia excipere tenebantur: his minoribus hodie ſimiles cenſeo Capitaneos circulares, qui juſſa regia & Cæſarea a Prætore Provinciæ, ſeu Præſide Repræſentationis aulicæ obtinere ſolent. *Marchiones var. inter ſe dignitate diſtincti.*

Hos minores inter Marchiones recenſendus ex mente Authoris cit. *Sigfridus Comes de Plejen*, & tales plures ſæpius audivimus ex Diplom. antiquis, quibus dicitur, *vg. in pago Oſterriche in Comitatu Luipoldi, Henrici, ſive Adalberti Marchionis &c.* Talis erat Meginhelmus Comes Auſtriæ, de quo anno 1001. Adalbero an. 1010. Hartungus anno 960. in Styria, Eberardus & Durdogomus an. 1023. in Styria. Godefridus Putin. an. 1039. & hoc an. Marchio in Auſtr. vel Carinthia, uti & Luipoldus, & noviſſime an. 1043. Arnoldus Marchio in Carinthia.

Berengerus ſeu Benno Epiſc. Patav. vitæ metas per id tempus attigit, mortuus pridie Idus Junii, ut notat Catal. Tegernſeenſ. apud Hier. Pez col. 16. res ejus inſignes hactenus per decurſum ſunt enumeratæ, rem monaſticam in Auſtria & Bavaria auxit, Paſſav. Eccleſiæ decimas per Septentrionalem Auſtriam obtinuit, Herzogenburgi, Sigmarswerdæ Tulnæ, Crembſii Eccleſias impoſitis ubique Presbyteris vel inchoavit, vel deſignavit, præter Eccleſias majores, conſecravit etiam minores Hagæ, Steinbergæ, & Greimbhartſtetten. Duo vero præcipue eximium ejus judicium commendant. Primum in Tamone Presbytero Saxone B. Guntheri diſcipulo, & a dæmone decepto, quem & ſuſpenſione a ſacerdotali officio, & precibus omnium circum cænobitarum curavit, ut v. Arnolph. Vohburg. de Mirac. S. Emerammi lib. 2. pag. 171. alterum refert idem Arnolphus pag. 155., ac ex eo Auth. Germ. S. tom. 1. pag. 245. de Clerico in flagitio deprehenſo, & Williberti æditui ſtrangulatore, quem ſacro e cætu exturbatum, ac ordine privatum, publicæ pœnitentiæ pro criminis merito addixit. *Berengerus vel Benno Ep. Paſſav. † Ejus acta.*

Bennoni ſucc. Engelbertus, Egilbertus, ſeu Eilbertus, Agnetis Reginæ, cui a ſacris erat, commendatione. *Eilbert. Paſſ. Ep*

Obiit etiam S. Hemma Fundatrix Parthenonis Gurcenſis, in quo etiam mortalitatem exuit, quoniam vero ex amplis opibus, quas in Carinthia, Celejenſi Styriæ parte, ac Carniolia poſſederat, Gurckenhofii ſub Honore B. V. M. Baſilicam, & contubernium SS. Virginum exſtrueret, de eadem hic nobis breviter tria ſunt expendenda, & 1mo quidem, quænam hæc fuerit fundatio prima Gurcenſis? ad hanc quæ- *S. Hemma Fund. Gurc. obit. Gurcenſis Fund. an. 1042.*

ſtionem, conſtat omnino eam Cænobium 70. Virginum religioſarum, atque 20. Sacerdotum, quorum opera ad Divina officia uterentur, an. 1042. circ. exſtruxiſſe. Baſilicam eodem an. dedicavit Balduinus Archiep. Salzbug. memoriæ rem geſtam litteris commendavit Balduinus, quas v. apud Auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 171. Ea vero in ipſa Eccleſiæ ac cænobii dedicatione, Hemma *ſua pariter & ſemetipſam Deo dedicatura*, ſcribit ejus Biographus apud Papebrochium in act. recentior. S. Hemmæ ad 29. Jun. ac in litteris Balduini 51. pag. 516. *Prodit ad aram Principem habitu religioſo, cum aliis 20., quas ex earum voluntate vitæ ſocias delegerat.* Donumque ampliſſimum in cenſum Eccleſiæ refert, *unde 70. deinceps virgines, & ad rem Divinam viginti Canonici diverſo domicilio alerentur.* Novo Cænobio antiſtita ex Nunberg. Monaſterio *omnium Clericorum & Laicorum conſenſu aſſumpta*, & a Balduino Archiep. eſt conſtituta, atque has inter quatuor fere annis Hemma vixit, donec hoc an. 29. Jun. vitæ ſuæ curſum abſolverit.

Balduin. Arch. Salzburg.

S. Hemma Monial. fit Gurcenſ.

Obit.

Inſtitutum harum Virginum non pauci definiunt fuiſſe Monaſticum S. Benedicti, eo quod prima Præſes e Cænobio Nunbergenſi ſit deducta; meum quidem non eſt ea de re multum litigare, ut tamen iis, qui hanc ſanctam ſuis attribuunt, aliquid opponam, duos ſolum Ord. S. Bened. percelebres Authores adduco, Mezgerus ita ſcribit: *Structura Eccleſiæ ad calcem perducta, duo Cænobia Hemma illis adſtruxit, quorum priori 20. Canonicos familiæ S. Auguſtini impoſuit, Deo in Eccleſia ſacris operaturos, alteri 70. Virgines ſub eodem inſtituto Numini ſervituras.* Albertus Reichart ad S. Paulum Abbas ſequentia refert: *Perfecta ſtructura impoſitis in alteram domiciliorum, qui Divina peragerent, 20. S. Auguſtini Canonicis, S. Hemma, ſacris operante Balduino Archi-Præſule Salisburgenſi, ſacrum habitum 70. Virginibus comitibus, quæ novæ vitæ inſtitutum æmulabantur, magna cum animi jucunditate ſuſcepit.* Conſentit relatio a Gurcenſibus data ad proceſſum Canonizationis B. Hemmæ, ejusque vitæ enarratio ab iisdem vulgata.

Gurcenſ. monaſt. Can. S. Aug.

Alterum, quod detegendum, eſt ratio & cauſa fundationis hujus. Etenim Hemma nuptiis juſtis ſociata, Wilhelmo Friſac. & Celtſchach. Dynaſtæ, duos præſtantiſſimos ex eodem genitos filios Wilhelmum & Hartwicum miſeranda ſorte amiſit, cum enim hi mettallorum foſſores Friſaci de impietatibus ſuis, horumque quendam adulterii vi illati convictum morti addicerent, peſſimi hi homines, ambos primi floris adoleſcentes Friſaci in fodinis neci dederunt. Oppreſſa quidem dein armis Comitis Malenteinii, Colnitii, & Dietrichſteinii ſeditioſa percuſſorum manus, & atrocis facti Authores ultimo ſupplicio enecti, ſed filiorum jactura in luctum pietatis vertit. Wilhelmus Pater piam ad limina Apoſtolorum peregrinationem ſuſcepit, & antequam Friſacum rediret, in Lavantina valle pie obiit. Hemma vero omnium opum ſuarum Deum & B. V. M. hæredem fundatione Gurcenſi ſcripſit, quæ fuſius enarrata, v. apud citat. Papebroch. in actis Bollandi 29. Junii Megiſerum lib. 6. fol. 737. Valvaſ. tom. 2. fol. 508. Ardua magis eſt quæſtio, quanam ex familia ortum traxerit B. Hemma, plures eam Engelberti Peilſteinii Comitis ex Tuta S. Henrico Imp. propinquitate, juncta filiam cenſent, alii econtra Marquardi Avalanc. & Murzthall.

Cauſa fundat. Gurcenſ. ob necem filiorum S. Hemmæ.

Wilhelmi mariti S. Hem. mors.

B. Hemmæ origo & familia Marquard. Com. Avel.

thall. Comitis anno 1073. filiam dicunt, cujus frater Hermannus primum ad S. Lambertum Abbatem egit, soror Chunegundes Mainhardo Comiti de Malentein nupsit, quidam tandem ex familia Comitum de Truchsen exortam affirmant. *Herman. I. Abb. S. Lamberti.*

Qui B. Hemmam ex Comitibus de Truchsen deducunt, confundere videntur familiam mariti, cum origine S. Hemmæ, Wilhelmum enim maritum B. Hemmæ ex Com. de Frisaco & Druchsen exortum scribit Monachus Admontens. in vita S. Gebhardi, testaturque B. Hemmam ob maritum Wilhelmum Comitissam de Frisaco & Truchsen appellatam fuisse. Idem sentit Lazius lib. 7. de migrat. gent. & Author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 313. Megiserus, Valvasorius, Cl. Puschius, atque Author MS. Chron. Styr. eam filiam Marquardi de Eppenstein Comitis in Avelanz. & Muerzthall fuisse dicunt, Frælichius tamen in tab. 3. Geneal. Archont. Carinth. inter proles Marquardi hujus nec Hemmam, nec sororem Chunegundem, nec Hermannum Abbatem S. Lamberti recenset, uti nec Beatricem Henrici Carinth. Ducis sororem quos tamen omnes acta Bollandi cit. post B. Hemmæ acta exhibent. Conjecturæ non inanis indicia ex eo præbentur, quod ad vindictam de percussoribus filiorum S. Hemmæ sumendam accitus etiam fuerit Mainhardus Comes de Malentein maritus Chunegundis, sororis B. Hemmæ. Ex horum itaque mente suppleretur Genealogia Comit. Affluent. & Murzthall. ad an. 1011. ex Frælichio adducta hoc modo: *Wilhelmi mar. famil.* *Chunegundes soror B. Hem. ux Meinh. de Malentein.* *Beatrix Henr. II. Duc. Carint. soror.*

Marquardus II. Comes Murzthall. Avalanz. ac an. 1073. Dux Carinth. v. an. 1011. ux Liutburga. *Affluen. & Mure. Comitum geneal.*

Luitpold Dux Carint. 1077. † 1090. Frælich. tab. 3.	⚹ *Beatrix* v. 1096.	*Henr. II.* March. Istriæ 1077. Dux Carint. 1090. v. an. 1011. Frælich. tab. 3.	⚹ *Hartmann.* v. *Herman.* I. Abb. S. Lamberti Pusch 266.	⚹ *Hemma* ux. Wilhelm. de Frief. & Zeltschach. Valv. & Megis.	⚹ *Chunegund.* ux. Mainhar. Com. de Malentein.	*Udalric.* Pat. Aq. a. 1086. Frælich. tab. 3.	*Hermann.* Ep. Patav. intrus. 1085. † 1087. pœnitens, Fræl. tab. 3.

MS. Chron. Styriæ inter alias jam recensitas Marquardi proles refert etiam, Adalberonem juvenem in cunis mortuum, & *Richardam Com. Ulrici de Sempta* uxorem, quod idem statuit Megiserus lib. 6. cap. 70. in genealogia Comit. Semptens. & Eberspergens. errat tamen, dum Hatmutham Adalberon. I. Com. de Sempta & Eberspergens. filiam, Marquardi hujus uxorem statuit, cum uxor solum fuerit Marquardi I. avi hujus Marquardi II. ut v. tab. 3. Frælichii. *Richardes ux. Ulr. de Sempta.* *Hatmutha filia Alber. de Sempt. & Eberspergens. ux. Marquard. I. de Affluenz & Muratall.*

Tertiæ tandem sententiæ Authores B. Hemmam Engelberti Comitis de Peilenstein filiam dicunt, in id inclinant Author Germ Sacræ tom. 2. fol. 170. & P. Calles tom. 5. Annal. Eccles. Germ. lib. 5. fol. 406. Bucelinus vero stemmatogr. tom. 1. part. 2. in Monasteriol. fol. 41. in descript. Gurc. Monast. Hemmam, quo teste, ignoro, natam Comitissam de Kazenhofen & Aberspergens fuisse tradit. Has inter diversas opiniones sententiam ferre, Carinthis, quorum interest, relinquo. Id tamen unum superaddo, multum me, omnino apud eruditos meriturum, Si B. Hemmæ, uti & Marquardi Muerzthallensis Genealogiam deductione legitima ostendere possem. Sane de B. Hemma Papebrochius in vita S. Hemmæ ad 29. Junii (non 19. ut habet P. Pusch) ubi de Beatrice agit, bis eandem sororem B. Hemmæ negat, *Engelb. Com. de Peibenstein.*

primo in comment. num. 6. dein in appendice 1. p. 525. num. 41. & ſeq. & quidem eo, quod B. Hemma fuerit coætanea S. Henrici, qui obiit an. 1024. Beatrix vero fuerit Henrici IV. ex filia Luitburgæ neptis, quamvis, ut verum fatear, Luitburgam hanc Henrici filiam nondum deprehenderim. Dubius itaque cenſeo in Genealogia Marquardi, Beatricem, S. Hemmam, Cunegundem, & Hartmannum Abbatem I. S. Lamberti, ideoque eisdem aſteriſcos appinxi. De Beatrice & Hartmanno an. 1094. 1096.

ANNO 1046.

An. 1046. *Indict.* 14. *Clement. II. P.* 1. *Henr. III. Imp.* 8. *Ottoc. III. Styr. March.* 9.

Hungar. turbæ, Andr. Rex Hung.

Hungaria necdum armis Henrici Regis ſatis compoſita videbatur, veteri enim in Petrum odio irritati, Andream Ladislai Calvi, qui S. Steph. Regis erat patruelis, filium ſibi Regem conſtituerunt, Petrum dein aſſeclis ſuis interemptis excæcant, & in quendam locum quem Thwroczius Albam nominat, cum conjuge ſua alendum deportant. Ita Hermannus contr. Thwroczius vero ait, Petrum cognitis in Andream Hungarorum ſtudiis fugam in Auſtriam cum ſuis adornaſſe, atque Muſonii ſeu Müeſenberg urbe Leuthæ fluvio, Auſtriæque viciniore jamjam adveniſſe, inde vero ſimulata pace revocatum in villa Zamur, ſuis omnibus interfectis, excæcatum, Albam ductum, brevi vitam finiiſſe, atque quinque Eccleſiis, quam ipſe in hon. S. Petri Apoſt. fundaverat, ſepultum fuiſſe. Ita Thwroczius cap. 41.

Petrus Rex excæc. †

Romæ 3. v. 4. Papæ.

Indoluit vehementer calamitati Petri Rex Henricus, ſed quod iter in Italiam ineundum, ejus rebus adeſſe non poterat, miſerrimus enim erat ſtatus Eccleſiæ Romanæ, cui 3. Pontifices incubabant, immo teſte Ottone Friſing. & Baronio 4. plane. Henricus, ut malis mederetur, coadunato exercitu Papiæ Synodum celebravit, inde Placentiam veniens, Gratianum ſub Gregorii VI. nomine Papam benigne excepit. Ex noſtris Epiſcopis Everardus Aquilej. Patriarcha & Balduinus Salzb. Archiep. præter alios Germaniæ Epiſcopos Henricum Regem comitabantur. Ita de Rubeis ac Auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 171. ubi fol. 935. hoc etiam anno magnam Salisburgi peſtilitatem fuiſſe docet.

Henr. Imp. eo abit.

Everard. Aquil.

Balduin. Salzb.

Salisb. peſtis.

Gratian. vel Greg. VI. ſponte Pontif. cedit.

Mediolani dein coronam Longobardicam a Vidone Archiep. Mediolan. accepiſſe videtur, quanquam Authorum opinio non concordet. Ticini Longobardos ſub Conrado Patre exules reſtituit. Sutrii in conventu Epiſcoporum Gratianus, ſeu Greg. VI. videns ſe Pontificalem Cathedram non poſſe retinere, ſponte ſe Pontificalibus indumentis exuit.

Clemens II. ante Luitger. Epiſc. Bamb. ſit Papa. Henr. III. Imp. coron.

Romam ubi venit, in Eccleſia B. Petri Apoſt. Synodus coacta eſt, in qua tandem Suidgerus Bamberg. Epiſcopus, electus eſt ſub nomine Clementis II. ita ex Victore III. P. lib. 3. Dialog. p. 854. & Leone Oſtienſi in Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 79. qua de re Romani Henrico III. Patritii Rom. honorem tribuunt. Tandem vero Clemens II. conſecratus, ipſo die natali Henricum III. Aug. & Agnetem Imperali benedictione ſublimavit, & Romani jurabant, ſe poſthac ſine ejus conſenſu Papam non electuros.

ANNO

ANNO 1047. *An. 1047.*

Indict. 15. *Clement. II. P.* 2. *Henr. III. Imp.* 9. *Ottoc. III. Styr. March.* 10.

Synodus Romana ſub Clemente II. contra Simoniacos habita, litem etiam illam diremit, quæ inter Aquilej. Ravennat. ac Mediolanenſem Archi-Epiſcopos vigebat, ſtatutumque ut Ravennatenſi primus locus tribueretur, ut v. Hier. Rubeum hiſtor. Ravennat. lib. 5. p. 274. Labb. Conc. tom. 11. col. 1313. Ughell. tom. 2. col. 361. quanquam has litteras commentitias contendat Puricellus in vita S. Laurentii Archiep. Mediol. cap. 24. Euſtachius a S. Ubaldo de Metrop. Mediolan. ſect. 4. cap. Joſeph. Saxius in notis ad Sigonium, dubitet vero Baron. Noriſius Murator. id certum Everhardum Aquilej. concilio adfuiſſe, & dextram Pontificis præ Ravennat. obtinuiſſe, atque ſupervenientem Mediolanenſem eandem ſibi dexteram poſtulaſſe. *Conc. Rom. cont. Simoniacor.* *Everard. Pat. Aquilej.* *Ejusdem honor.*

Eodem vero hoc anno teſte Herm. contracto Henricus III. Imp. *Welfum III. Comitem Svevigenam Welfi II. dudum Comitis filium Carentani Ducem promovit*, quem laudate rexiſſe, atque ſine hærede obiiſſe docet Chronic. Weingartenſe cap. 7. apud Leibnizium tom. 1. quæpiam de eo an. 1045. dicta ſunt, ſimul eundem Marchiam Veronenſem tenuiſſe tradit cit. Chron. pag. 784. his verbis: *Qui Ducatum Carinthiorum & Marchiam Veronenſem acquiſivit*, vocatur *Dux glorioſus*, atque Veronenſi S. Zenonis Monaſterio liberalis obiit an. 1055. v. plura Megiſ. lib. 7. cap. 26. Imperator interim nil niſi celerem de Hungaris vindictam ob irrogatam Petro Regi injuriam animo volvebat, & jam in procinctu belli erat, cum Andreas Rex Hung. ſe Imperatori per Legatos purgavit *Regnum ſe ab Hungaris coactum ſuſcepiſſe confirmans, de Petri ſeſe injuriis excuſans, quique adverſus eum conjuraverant, partim a ſe trucidatos, partim Imperatori tradendos denuncians, ſuamque Imperatori ſubjectionem annuum cenſum & devotam ſervitutem, ſi regnum ſe habere permitteret mandans.* Ita Herman. contr. Hæc legatio, cum turbæ Flandricæ inſtarent, Hungarici belli conſilia diſcuſſit, atque ad ſeq. annos transtulit. *Welfus III. Dux Cariuth. & Dux Iſtriæ.* *Hung. rex.* *Andreas Rex.*

Obiit interea, non ultra montes, ſed in Romanis partibus 7. Id. Octobr. Clemens II. P. Rom. ut teſtantur Herman. contr. & Lambert. Schaffnabugg. cujus corpus Bambergæ ſepultum eſt. Henricus pariter Dux Bavariæ ejus nominis VI. obiit, de quo an. 1040. actum. Cui mox, donec in Bavariam veniret Imperator, Succeſſor datus non eſt. Clementi vero II. Poppo Brixinenſ. Ep. aſſignatus eſt Succeſſor ſub nomine Damaſi II. *Clement II. P.* *Henr. VI. Dux Bav. obit.* *Damas II. P. ante Poppo Brixin. Ep.*

Agnes Imperatrix, Juditham filiam peperit Henrico III. ut v. Hier. Pez Diſſert. 6. §. 9. & 10. Herman. contr. an. ſeq.

ANNO 1048. *An. 1048.*

Indict. 1. *Damaſi II. P.* 1. *Henr. III. Imp.* 10. *Ottoc. III. Styr. March.* 11.

Imperator Henricus licet quadrageſimale tempus in Bavaria exigeret, nondum tamen eidem Provinciæ Ducem dedit. Ulmæ 11. Kal. Maji fuit, quo in loco *Adalberto Marchioni Auſtriæ & Froizæ ejus conjugi* *Froviz an uxor Adalberti Marc. Auſtr.*

30. fundos regales donavit, ut v. Diploma Henrici III. apud Godefridum Abbatem Gotwitcenſ. tom. 1. lib. 2. pag. 263. hoc ex Diplomate D. Hoffmanus movit quæſtionem, contenditque Adalberto Auſtr. duas fuiſſe uxores, unam *Froizam ſeu Frovvizam*, alteram *Albaidem*, Frowizam Petri Hungar. Regis ſororem cenſuit adhuc ad an. 1051. ſuperſtitem.

Frowiza an alia Petri Hungar. Regis ſoror.

Frowizam hanc Petri Hungar. Regis ſororem, uti & Juditham ejusd. uxorem, ac Ottonis II. Imp. filiam recentiores Genealogiæ Authores nullam agnoſcunt, nemo certe judicabit Frowizam Ottocari III. ſororem, Adalberto fuiſſe uxorem, nam eam Leopoldo filio fuiſſe nuptam, ſæpius jam obſervavi, præterea etiamſi Frowiza alia penes noſtram fuiſſet, ea tamen nunquam Petri Hungariæ Regis ſoror fuiſſet cum ſola Adelhais Adalberti Auſtr. uxor, ſoror reputetur Petri Regis. Error itaque in Diplomate citato obrepſerit, vel omiſſa vox *filii* ita, ut legendum ſors ſit, *Adalberto March. Auſtriæ & Froizæ filii ejus conjugi.*

Hungar. ref.

De eodem Adalberto Author Campililienſ. Faſt. ex Aloldo ſuo narrat: *Hainricus Imp. Precesburgum* (Preßburg latine Poſonium) *obſidet Comite Adalberto Marchione, ſed paſcuis & frugibus deficientibus pro ſuo exercitu reverti cogitur*, & ad an. ſeq. *Imperator Adalbertum Marchionem denuo arma in Hungariam expedire mandat, & ipſe milites ſubmiſit, ac interim per Legatos iram Hainrici mitigavit, fidem cum tributo promittens*, nil tamen de his ſcriptores alii, de quibus proin plura ad an. 1050. 1052. Balduino Archiep. Salisb. Henric. III. donavit agros quosdam *in ſylva ad Anaſum*, ſeu Ennswald *in Comitatu Adalberonis Marchionis ſitos*, ita codex tradit. MS. Salisburg. ab Excell. Wurmbrandio adductus in collectan. Geneal. pag. 212. Adalbero hic filius Ottocari III. & frater Ottocari IV. fuit; ut Diſſert. 4. cap. 4. §. 4. oſtendi, & fors filius ſenior, cum Marchionis titulum jam geſſerit, & Ottocari IV. nulla adhuc mentio occurrat. Ex his evaneſcit conjectura Cl. Puſchii, dum Adalberoni huic Comitatum in Enns & Goyſerwald ab Henrico IV. datum opinatur, ea de cauſa, quod Adalbero II., Henrico IV. contra verum Pontificem adhæſerit. Nam Adalbero Comitatum hunc obtinuit ab Henrico III. cum hoc anno jam Comes in Ennswald dicatur, quo proin anno Henricus IV. nondum natus erat, ut. v. Diſſert. 4. cit.

Adalbero II. Com. in Enns & Goyſerwald.

Frat. Ottoc. & Marchio.

An ſenior Ottoc. IV.

Wilburgis uxor Ottoc. III.

Pauca de Ottocaro III. Patre Adalberonis, & matre Wilburge ſuperaddam, eam nobis non ſuppeditat MS. noſtr. Genealog. bene tamen tabulæ Garſtenſes, ex quibus docemur, fundationi Garſtenſi *Tannbergenſem ſylvam per manus Wilburgis Marchioniſſæ* obveniſſe. Quæ vero hæc Wilburges fuerit? qua ex familia & proſapia? latet.

De prolibus Ottocari III. ex Wilburge plura jam Diſſert. 4. dicta ſunt cap. 3. & adhuc per decurſum dicentur. Hic illud breviter expendendum, quod de Atha *Proto-* vel prima Abbatiſſa Traunkirchenſi ibidem breviter eſt inſinuatum, cujusque diſcuſſio ad hunc annum dilata. Atham hanc filiam Ottocari III. fuiſſe contra Frælichium oſtendi Diſſert. 4. cap. 3. §. 4. Ibidem binam fundationem & reſtaurationem Trunæſunenſis, ſeu Traunkirchenſis Parthenonis probe conſiderandam eſſe dixi, atque, ut omiſſa fundatione prima ab Ottocaro illo Agilolfingico nil memorem, reſtauratio ſeu fundatio 2da facta fuiſſe dicitur

Atha Proto-Abb. Traunkirchenſ. filia Ottoc. III.

Traunkirch. Monaſt. duplex fundatio.

Ottoc. III. fund.

ab

ab Ottoc. III. Styriæ Marchione incultumque manſiſſe Monaſterium uſque ad an. 1115. vel 1116. quo Atha hæc novo & reſtaurato Monaſterio præfecta fuit. Ita docum. Auſt. ibid. cit. ſed dubium ingens ſupereſt, ſi enim ab Ottoc. III. ea reſtauratio facta eſt, non an. 1116. quo Ottocaro III. jam an. 1088. defuncto, Ottocarus IV. rexit, ſi reſtauratio facta eſt ob pulſos, profligatosque Hungaros ad Petovionem non ab Ottocaro IV. ſed III. Hungarorum ad an. 1042. victore ſuſcepta eſt.

Res hæc obſcura, ut ad captum concilietur, interim donec aliis documentis inſtruar, cenſeo, Ottocarum III. Hungar. victorem ante mortem, quam 1088. obiit, reſtaurationem Cœnobii hujus mente concepiſſe, atque filio Ottocaro IV. demandaſſe, qui dein eam opere executus circa an. 1116. Atham ſororem ſuam, Ottocari III. filiam, Abbatiſſam I. deſignavit, ratio id dicendi ea eſt, quod ſi poſt an. 1042. uſque ad an. 1088. ea reſtauratio facta fuiſſet, regimen 3. Abbatiſſarum, Athæ, Gertrudis I. & Diemudis (quæ an. 1191. Anaſi præſens Ottocari VI. privilegium accepit) ab an. 1088. ad 1191. ad 103. annos ſit extendendum, & ultra, cum de Diemudis morte non conſtet.

Hæc interim inſinuavi, plura inferius, cenſeo enim ipſe Atham hoc anno nondum mortalem lucem conſpexiſſe.

ANNO 1049. *An. 1049.*

Indict. 2. Leon. IX. P. 1. Henr. III. Imp. 11. Ottoc. III. Styr. March. 12.

Bajoariæ, ubi Imperator poſt celebratum Friſingæ natalem Domini aliquandiu demoratus eſt, ſub Februarii initium Dux datus eſt Conradus Ludolphi Comitis Palatini filius, nepos Ezonis ex Mathilde Otton. II. Imp. filia, ut habet Monachus Braunviller: de Ezone & Mathilde Com. Palat. cap. 1. pag. 316. apud Leibniz. tom. 1. Hübnerus tab. 136. & 26. Geneal. Chronic Salisburg. v. an. 1057. Bruno Tullenſ. Epiſcopus, Romanus Pontifex eſt electus, licet multum reluctans, qui dein Paſchate exacto Synodum Romæ contra Simoniacos, in Germaniam dein reverſus Moguntiæ quoque Synodum celebravit contra Simoniacos & Clericos concubinarios. *Conradus Dux Bajoar.* *Bruno Tullenſ. Ep. fit Papa Leo IX.*

Engelberto Patav. Ep. Henricus III. Imp. dum Gemundæ oppido ad Mænum ante expeditionem in Godefridum Lotharingiæ invaſorem moraretur, contulit jus venandi in prædio S. Steph. Protom. in *Comitatu Adalberti Marchionis* inter *geminas fluminum Sarbinichi & Darbinichi ripas.* *Paſſav. vet.*

Obiit hoc anno Eberardus Patr. Aquilej. teſte Herman. contr. ac ſucceſſit Goteboldus aliis etiam Goſebaldus &c. dictus, antea præpoſitus Metenſis, an. 1048. in Diplom. Henr. III. ad Brixianos S. Salvatoris & S. Juliæ Virgines ſubſcriptus legitur *Goteboldus Cancellarius &c.* an vero hic idem cum Goteboldo Aquilej. fuerit? vix conſtat. P. Calles tom. 5. fol. 514. eum Eichſtett. Canonicum fuiſſe docet. *Everardo Pat. Aquil. ſucc. Gotebald.*

ANNO 1050. *An. 1050.*

Indict. 3. Leon. IX. P. 2. Henr. III. Imp. 12. Ottoc. III. Styr. March. 13.

Ipſa adhuc hyeme, ut ſcriptum reliquit Herman. contractus, Gebehardus Epiſc. Ratisbon. in Pannoniarum terminis moratus, recedentibus Hungaris, fines eorum ingrediens, prædas inde abduxit, ſed *Hungari debellati ab Henr. III vaſtant terr. noſt.*

ipſo

ipſo deſcendente plurimus Hungarorum exercitus fines noſtros invaſit, incendit, vaſtavit, captosque innumeros abduxit, diſſentiunt quidem, ut an. 1048. obſervavi, Chronica plurimum, variisque annis res Hungariæ aſſignant; interim in his rebus Hermannum ſequor. Cur vero Gebehardus Ep. Ratisbon. hæc attentaverit ? nemo exprimit, credibile proin, Henricum Imp. Andreæ promiſſis non omnem fidem habuiſſe, atque ubi de promiſſo annuo cenſu nihil accepiſſet, Hungarosque ad avitam ſuperſtitionem cæſo S. Gerardo Chanadienſi Ep. reverſos audiiſſet, illico finitimo Hungariæ limiti, atque ei præcipue parti, quæ inter Cetium montem & Leytham fluvium ad Auſtriam nuper adjecta eſt, copias cum Gebehardo patruo ſuo & Epiſc. Ratisbon. miſiſſe, cum Gebehardus hic aliunde & patruus eſſet, & fundos ampliſſimos in Auſtria ab Ottone II. donatos S. Wolfgango Epiſc. Ratisb. poſſideret.

S. Gerard. Chanadienſ. Ep. ab Hung. ſuperſt. necatur.

Heimburg. munitur.

Errorem dein ſuum correxit Gebehardus Epiſc. atque ne deinceps Hungari temere Auſtriam tentarent, Conradi Bavariæ Ducis, Adalbert. Auſtriæ Marchionis opera Heimburgum inſtauravit, & muniit, & Hungaros ſemel iterumque incurrentes magna ſtrage rejecit. Ita denuo Herman. contractus. Plura de his Annal. Altahenſ. Aventin. lib. 5. aliique ſcriptores Boici referunt, nominatim Megiſerus fol. 713. S. Leo Papa IX. ubi in Synodo Rom. Berengarium hæreſim de corpore & ſanguine Domini ſpargentem damnavit, & S. Gerardum Tullenſem Epiſc. inter ſanctos retulit, Tullum dein ſuum Epiſcopatum reviſit, atque hoc circiter tempore Annales plerique Henricum IV. tertio fors Id. Novembr. Imperatori ex Agnete natum, cum Herman. contr. referunt. Cur hic a Leone Papa baptizatus non ſit, ſuſpicor, cauſam eſſe, quod in Concil. Wormat. anno 868. denuo confirmaretur capitulare an. 804. cap. 10. ſtatuens: *Ut nullus baptizare præſumat, niſi in Paſcha & Pentecoſte, excepto infirmo.*

Berengarii hær.

Henr. IV. aaſc.

Dominicꝯ Patr. Gradenſ.

Synodo Romanæ ſubſcripſiſſe Dominicum Patriarcham Gradenſem Archi-Epiſcopos 6. Epiſcopos 48. inter quos Adalbero Metenſis, invenio in Bulla Canonizat. S. Gerardi Tullenſ. Ep. apud Calmet. in *hiſt.* Tull. Epiſc. cap. 67. de rebus Dominici Grad. & Goteboldi Aquilej. annis ſeq. redibit mentio.

Cremiſ. conſecr.

Engelbertus Paſſav. Epiſc. hoc an. teſte Bern. Norico in Chronic. Auſtr. apud Hier. Pez tom. 1. col. 692. *noſtrum*, ſeu Cremifan. *Monaſterium dedicaſſe, & per conſequens intelligitur Abbatem Eckardum*, aliis Erchembertum inibi poſuiſſe, vel *electum confirmaſſe.* Idem tradit in catal. Abb. Cremifan. apud cit. Pezium tom. 2. col. 58.

An. 1051.

ANNO 1051.

Indict. 4. Leon. IX. P. 3. Henr. III. Imp. 13. Ottoc. III. Styr. March. 14.

Hung. res.

Res Hungariæ nondum pacatæ erant, ubi enim an. priore ex Conventus Norimberg. ſtatuto (cui intererant quamplurimi Principes & Epiſcopi, nempe Balduinus Salisb. Gebhardus Aichſted. Hartwicus Bamberg. Conradus Auguſtan. Engelbertus Paſſav. &c. ex Ducibus Conradus Bavariæ, Welfo Carinthiæ, Albertus Auſtriæ, Otto

Schiren-

Schirenſis &c. interque hos etiam Ottocarus noſter probabilius) Heimburgum reſtauratum eſt, Hungarique devicti, tandem hoc an. Imperator ipſe curis jam liberior autumni tempore, ut narrat Herman. contr. magno cum exercitu pactum Andreæ Regis contemnens, Pannonias petiit, Gebehardum Ratisbon. Ep. patruum ſuum, & Welfum Carentaniæ Ducem cum Brecislao Bohemiæ Duce ad Septentrionalem Danubii partem depopulandam transmittit, ipſe vero in navibus longo circuitu per *Carentani* (hodie Styriæ ſuperioris) *fines tranſiens* Hungaris undique fugientibus eorum regnum vaſtavit. *Ottoc. III. an præſens in Coiv. Norimb.*

Hungari interim de intercludendo hoſtibus reditu cogitabant, & omnino ſine ſanguine debellatum fuiſſet, niſi ultima rerum deſperatio audaciam Germanis addidiſſet, periiſſet enim fame & penuria exercitus, ni Germani fugati, per fluvios obſiſtentibus Hungaris, *munitionem ad partem Rabnize* occupaſſent, ſicque reditum in Patriam ſibi paraſſent, dein Andreas Rex Hungariæ a Marchione Adalberto, non invito, utique Cæſare, pacem poſtulatum mittitur, eamque obtinet. Ita Herm. contr. omnia ad an. 1052. allegans, alii tamen complures ex Diplom. quodam Henr. III. in loco Haimburch an. 1051. dato, hæc omnia ad an. præſentem referunt. V. Auth. Germ. Sacr. tom. 1. col. 249. &c. Megiſer. lib. 7. cap. 20. fol. 715. Chron. Clauſtroneob. Auſtriac. Auth. incerti & Puſchius tom. 1. fol. 226. *Munitio* illa ad *Rabnizam* erat munimentum ad *minorem Arrabonem* poſitum. *Pax Hungaris an. ſeq.* *Rabnize monum.*

Pacem porro ab Henrico Imperatore Andreas Rex Hungariæ anno ſeq. primum requiſivit.

ANNO 1052. *An. 1052.*

Indict. 5. *Leon. IX. P.* 4. *Henr. III. Imp.* 14. *Ottoc. III. March. Styr.* 15.

Ratisbonæ ſub medium Quintilem adhuc ſubſtitit Imperator, unde in Auſtriam deſcendens, ſedem belli conſulto mutavit, caſtraque in adverſam Danubii ripam, ad Presburgum tranſpoſuit, cauſa redintegrati denuo belli erat, quod Andreas Rex de pactis ultra oblatis cederet, & jam minus minusque ex promiſſis polliceretur. Cum itaque Imperatori ad victoriam integram, caſtrum Poſonienſe obſtaret, hoc omnibus belli machinis adoriri placuit, ſed præſidiarii militis virtus, vel, ſi Hermanno credimus, præſens rebus Hungariæ Deus, conatus omnes eliſit, Leonis dein Pontificis adventus obſidionem eam ſolvit. V. Herman. contr. Wibertus in vita S. Leonis IX. culpam fruſtratæ dein pacis in Miniſtros quosdam refert, qui Auguſtum, ut eam non iniret, perſuaſere, Hermannus contr. vero in contumaciam Andreæ Regis: alias denuo cauſas ſcriptores Hungari, id certum, Poſonii obſidionem adventu Leonis IX. P. ſolutam, ac Henricum Imp. rediiſſe ex Hungaria pace nondum facta. *Hungariæ Rex Andreas pacem turbat.* *Poſonium obſidetus.*

Interim eodem anno hoc natus eſt Imperatori Conradus filius alter, & Gebehardus Ratisbon. Epiſc. cum Conrado Bav. Duce eſt colliſus, ut Author eſt Herman. contr. cauſas diſſenſionis ad an. ſeq. promam ubi de exauthoratione Conradi Bav. Ducis loquar. *Conradus filius Henr. III. naſc. Gebhard. Epiſc. Ratiſbb. & Conrad. Bav. Duc. res.*

Bambergæ cum Berevento permutata ſit Cæſarea.

Cum vero Papa Wormatiæ cum Imperatore ageret, transactio facta eſt inter eos, vi cujus Bamberga olim S. Petro donata, nunc Imperatori reddita eſt, & Papa pro ea urbe Beneventum accepit. Idem de Fulda & aliis locis quondam S. Petro propriis, ac cum ultra marinis locis ad jus Imperatoris pertinentibus, commutatis ſentit Herm. contr. & Berthold. conſtant an. ſeq.

Paſſav. res. Hunisberch prædium.

Antequam vero hoc an. ex Auſtria in Hungariam deſcenderet Imperator Henricus hoſpitium ei Paſſavii præbuit Engelbertus Ep. Paſſav. quo in loco etiam Henricus traditiones omnes Patav. Eccleſiæ factas confirmavit nominatim *Abbatias Cremiſia Münſter, Matiſeo cum prædio Hunisberch, Capellam Ottingam & Curtem Ruite, & villam Aufenbuſen, quemadmodum eandem Adalbertus ejusdem S. Patav. Eccleſ. Epiſcopus pro Aneſiburch S. Laurent. Eccl. prædio &c. ab Henrico Duce Bavariorum juſte & legaliter in concambium accepit, atque poſſedit, & in Oſterrichi in loco, qui dicitur Kirchbach territorium quoddam &c.* confirmavit 13. Kal. Aug. v. Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 250. &c.

Anasburch olim Eccl. Pat. commutatur.

An. 1053.

ANNO 1053.

Indict. 6. Leon. IX. P. 5. Henr. III. Imp. 15. Ottoc. III. Styr. Marcb. 16.

Aquil. & Gradenſ. lites.

Leo Papa IX. ubi ex Germania Romam rediit, novam mox Synodum ibidem collegit, in qua diuturna lis inter Gradenſem & Aquilej. Patriarchas agitata eſt denuo, aderat quidem, teſte Auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 172. an. pr. Gotebaldus Patr. Aquilej. cum Balduino Saliſburg. Arrchiep. ſolemnitati illi, qua S. Leo Papa IX. SS. Erhardum & Wolfgangum Epiſcopos ſanctorum numero Ratisbonæ intulit, ſed dein cum Gotebaldus quater vocatus non compareret, lis Gradenſi Patriarchæ Dominico adjudicata eſt, & Longobardi ſolum Epiſcopi quidam, Aquilejenſi Patriarchæ ſunt adjudicati. Id teſtantur litteræ Leonis IX. Pontif. ad Epiſcopos Venetiæ & Iſtriæ datæ apud Labb. Conc. tom. 11. col. 1340. in iis declaratur, ut *nova Aquileja*, ſeu Gradus *totius Venetiæ & Iſtriæ caput, & Metropolis perpetuo haberetur &c. Forojulienſis vero*, ſeu Aquilej. *Antiſtes tantummodo finibus Longobardorum eſſet contentus, juxta privilegium Greg. II. & retractationem III.* Lis tamen hæc nondum ſopita eſt, nam Chronicon Aquil. Patr. apud Bern. de Rubeis in appendice p. 11. ita habet: *Gotepoldus Patriarcha ſedit annis 17. qui etiam de Gradenſi plebe proclamavit, & tam per Alexandrum II. quam per Henricum Imp. III.* nobis IV. *dicta plebs adjudicata eſt, & per utrosque ſuper 16. Epiſcopatus prædictos, & de regalibus data poteſtas.* V. plura de hoc Conc. apud Harduinum collect. Conc. tom. 6. part. 1. col. 948. 1033.

Gradenſis declaratur Metropol.

Nihilo tranquiliores erant res Germaniæ, Henricus enim Imp. Merſeburgi in Saxonia Paſcha egit, iisque diebus *Conradum Bajoariæ Ducem, cui jam prius infenſus erat, incuſatum, quorundam Principum judicio ducatu privavit.* Ita Herman. Contr. quæ cauſa exauthorationis fuerit? veterum nemo, quod ſciam, edixit, Aventin. lib. 5. Annal. Bajoar. fol. 537. & ex eo Megiſerus lib. 7. Annal. Carinth. fol. 716. &c. Conradum multa avare, multa ſuperbe feciſſe ſcribunt, ſed præterquam, quod veteres hac de re nil memorent, non video, quomodo ſummi infi-

Conradus Dux Bav. deponitur.

mique

mique, teſte Herman. Contr. dejecto, gradu ſuo, Conrado Duce muſſitarent clanculum contra Imperatorem, eumque jam dudum a *juſtitiæ, pacis, pietatis, timoris Domini*, virtutumque tramite *indies deflectere, & ſe ipſo deteriorem* fieri quererentur, gaviſi enim fuiſſent potius de moto, ſtatione ſua Conrado Duce, ſi avare, ſi ſuperbe ſe geſſiſſet, unde fors probabilius Gebehardus Ratispon. Epiſc. & Imperatoris patruus ad depreſſionem Conradi Ducis, quocum ſibi non bene convenit, plurimum contribuerit, cum Conradus bello Pannonico, duobus continenter annis geſto non adfuiſſe legatur. Conradus exauthoratus hoſtilem dein animum in Henricum Imp. ſatis oſtendit; nam & conventui Triburienſi, quo Henricus IV. Rex German. ſtatutus fuerat, non adfuit, & collecto undique milite vim & arma paravit, Hungaros etiam ſollicitavit; cum enim Tribur. hoc conventu Legati Andreæ Hungarorum Regis *pro pace pactoque* adeſſent, & *ſuffragante Ratisbon. Epiſcopo immenſam pecuniam ſuæque Provinciæ partem, & ad expeditiones omnes, præter Italiam, ſuos ituros promitterunt, eaque omnia Regem ſuum impleturum Sacramento promitterent, Imperator ea ſe accepturum, fide data ſpondens, eos remiſit.* Ita Herman. Contr. Contr. & Aventinus cit.

Henr. IV. Rex German.

Hungar. res, & pax.

Sed interturbavit pacem hanc *Conradus* exauthoratus Bajoariæ Dux, qui in gratiam *Andreæ* Regis irrepens, *ne alligatum cum Imperatore fœdus perficeret, diſſuaſit, & auxilio ejus quandam Carentani partem (Hengſtburgium* urbem nominat Aventinus, *inferioris Styriæ urbes* opinatur Frælichius Archont. Carinth. p. 1. fol. 25.) *quorundam etiam primatum, qui eam poſſidebant, machinatione, aliis expulſis primoribus invaſam cœpit.* Herman. Contr. Hengsburgium urbs illa Carentaniæ hactenus mihi incognita eſt, probabilius aſſentior Frælichio docenti, a Conrado & Hungaris, Styriæ inferioris partem tum adhuc Carentaniæ Marchæ aſſertam fuiſſe occupatam, eo enim incurſus primus ab Hungaris fieri potuit, non in Styriam ſuper. etiam Carentaniæ partem, ſed valde ab Hungaria diſitam.

Conr. Dux Bav. exauth. Carenth. ſubit & Styriam infer.

Sub hyemis ingreſſum in Bavariam rediit Imperator, ibidem ducatum, *ejusdem Provinciæ filio ſuo æquivoco* Henrico IV. *tradidit, ſicque in eadem commorans Provincia, natalem Domini in villa Otinga egit, ibique Babenbergenſis Eccleſiæ Præſulatum conſobrino ſuo Adalberoni donavit.* Ita Herman. Contr. Adalbero hic erat filius Adalberonis quondam Carinthiæ Ducis, Geiſenfeldæ ſepulti, & frater Marquardi Ducis Carinthiæ, qui per matrem Brigidam, Hermanni Ducis Sueviæ filiam, communem cum Henrico Imp. ſanguinem traxit. Ita Avent. lib. 5. Hofman. in Bamberg. Epiſc. lib. 2. pag. 74. Hund. Metrop. ex Geiſenfeld. tradit. tom. 2. p. 248. Peslerus in Ducibus Carinth. pag. 39 & 42. Conſobrinum ex materno ſanguine Henricum III. fuiſſe Adalberoni Epiſc. Bamberg. ſequens ſchema exhibet.

Henr. IV. Rex Germ. fit Dux Bavar.

Adalbero Marq. Car. Duc. frater Ep. Bamberg.

Hermannus II. Dux Sueviæ Gerberga Arelatenſ.

Giſela Vidua Marit. Conradus II. Imp. *Henricus III. Imp.*	*Brigida* Mar. Adalbero Dux Carint. exauth. a. 1035.	*Adalbero Epiſc. Bamberg.* an. 1053. vel ſeq.

V. Hübner. tab. Geneal. 26. 61. 123. Frælichium Archont. Carinthiæ tab. 3. Geneal.

An. 1054.

ANNO 1054.

Indict. 7. Leon. IX. P. 6. Henr. III. Imp. 16. Ottoc. III. March. Styr. 17.

Henr. IV. Rex Germ. coron.

Henricus IV. Germ. Rex Aquiſgrani eſt conſecratus ab Hermanno Colon. licet repugnante Luipoldo Mogunt. ſibi conſecrationem Regis expoſcente.

Mich. Cerul. turbæ.

Michael Cerularius turbas in Oriente cepit, dum Patriarcha eſſet Conſtantinopolitanus, Leonis enim IX. Legatos honorificentiſſime a Conſtantino habitos nil veritus, dum ab iis excommunicaretur, eo audaciæ digreſſus eſt, ut Papæ nomen e S. Dyptichis eraderet, & & per mendaces litteras, alios Patriarchas a Papa avertere conaretur; diſcordiæ cauſa maxima fuiſſe creditur, conſecratio in azymo, qua de cauſa Eccleſia Latina iudaizare dicebatur.

S. Leo IX. P. † Victor II. ſucc. ſeu Gebhardus Eichſtet. Ep.

Antequam rerum harum in Oriente geſtarum notio Romam veniret, obiit Papa S. Leo IX. cui ſeq. primum anno ſucc. Gebhardus Eichſtettenſ. Epiſc. ſub nomine Victoris II. teſte Pagio ad hunc annum, erat Victor II. Suevus *patre Hartvvigo, matre vero Biliza natus, Suevia oriundus, & regalem etiam, ut ipſe Henr. Imperator fatebatur, proſapiam ex parte attigit.* Ita Anonym. Haſenried. apud Gretſerum tom. 20. pag. 847.

Herm. Contr. †

Obiit etiam Herman. Contractus dictus, quia ab infantia omnibus membris contractus, Walfradi Veringenſ. Comitis filius, litteris tamen mire eruditus, atque ideo miraculum ſui ſæculi appellatus, Monachus Augienſis; ab hoc anno, quo Hermannus deſiit, Chronicon ſuum Bertholdus Conſtantienſis incepit, Hermanni Continuator.

An. 1055.

ANNO 1055.

Indict. 8. Victor. II. P. 1. Henr. III. Imp. 17. Ottoc. III. March. Styr. 18.

Victor II. P. Henr. Imp. in Ital.

Gebhardus Eichſtett. Ep. Papa jam ſub nomine Victoris II. deſignatus ſub anni initium in Italiam abiit, Florentiæ Synodum coegit. Secutus eſt mox Imperator Henricus, ob turbas, quas in Italia a Godefrido Duce timebat, Barbato dicto, qui, ne Lotharingiam turbaret, poſthaca Leone Papa IX. in Italiam abductus fuit, atque cum Beatricem, Bonifacii Eſtenſis Viduam (atque ut Hübnerus tab. 27. Henr. III. Imp. ſororem) duceret uxorem, eandem Marchiam ſibi prætendebat. Dum vero res Italiæ feliciter componeretur, Gebhardus Ratisbon. Epiſc. & Welfo Dux Carinthiæ ex Italia bona pace redierunt.

Gebhard. Epiſc. Ratisb. Welf. Duc. Carinth.

Welfonis cur Henr. Imp. infenſus.

Sed milites eorum in Italia relicti, in ſeditionem converſi, ſuſpicionem fecerunt, Dominos, quorum ſigna ſequebantur, rebellionis non fuiſſe ignaros. De Welfone idem ægre credere poſſum, quem *virum per omnia probatum* appellat ſcriptor Chronici Weingartenſ. duæ tamen res Henrico Imp. in Welfone diſplicebant. 1*mo* Edictus in campo Roncaglio exercitus conventus erat, aderat Welfo cum copiis, & triduo Cæſarem expectans, cum impatiens moræ, illico in patriam rediit, nec minis, nec promiſſis revocandus. 2. Cum Imperator 1000. marcas a Veronenſibus, quorum Marchio erat, peteret, iniquo poſtulato offenſus, ita reſtitit Imperatori, ut is reddita etiam peccunia vix tutum

ex

ex urbe reditum obtineret, ita Chronic. Weingart. cap. 6. & 7. apud Leibnizium tom. 1. pag. 784.

Cum dein ex Italia rediret Welſo, in caſtro Potamo morbo correptus, ad extrema deductus eſt, morti proximus omnia bona, ac patrimonium ſuum Altorfenſi Cœnobio legavit, ubi & ſepultus eſt. Juditha tamen ejus mater adhuc ſuperſtes, ultimæ ejus voluntati interceſſit, ac ſe hæredem profeſſa, in Gwelfum ex Attone Marchione Eſtenſi & Chuniza filia natum ſibi nepotem omnia transtulit. Ita Chron. Weingart. cit. Herman. contr. continuat. Annal. Saxo. Necrol. Fuld. hoc anno &c. Atque hoc ex Welfone ſeu Gwelfo, potentiſſima illa familia prodiit, quæ in Eſtenſi adhuc & Brunſvicenſi poſteritate perennat, de qua conſuli poteſt Murator. in Geneal. Eſtenſi & Ann. Ital. ad hunc annum. Hubner. tab. 151. 302. &c. *Moritur.* *Ejus teſtament.* *Ejus ſuc. Eſtenſ. & Brunwic.*

Conſideratis hiſce coævis documentis aſſentiri non poſſum Aventino, Megiſero, & Puſchio docentibus Welfonem Carnorum Ducem, de Henrico IV. purpura ſpoliando, eique ſubrogondo Conrado exule Bav. Duce, conſilia miſcuiſſe cum Gebhardo Ep Ratisbon. eundemque Welfonem morituum perfidiæ veniam ab Imperatore petiiſſe: nemo enim veterum hæc refert, immo Herm. Contr. continuat. teſtatur Welfonem Ducem, *ſuis & omni populo flebili morte præventum.* Sane Henr. ipſe Imp. in tab. Cœnobio Veron. S. Zenonis hoc an. 3. Id. nov. datis eum *glorioſum Ducem* appellat. V. Archont. Carinth. part. 1. f. 25.

Conradus etiam Dux Bavariæ exauthoratus, exul in Pannonia obiit, veneno, ut ajunt, extinctus a coquo ſuo, ſed eam fabulam monachi Brunwillarenſis, pauci amplectuntur, de quibus plura an. 1057. & ſeq. dubium enim utcunque oritur, an non hic ipſe Conradus an. 1057. Dux Carinthiæ factus fuerit, atque an. 1058. obierit primum. *Conrad. & Bav. exul obit.*

Conradus infans Henr. III. Imp. filius obiit, teſte Necrol. Fuldenſi, Lambertus Schaffnaburg. an. ſeq. defunctum & Ducem Bajoariæ fuiſſe tradit. Henrico vero IV. Regi Germaniæ ſexenni deſponſata eſt a Patre Pertha Ottonis Italiæ March. & Comitis Sabaudiæ Pedemontii, atque Taurini, & Adelhaidæ filia, ita Contin. Hermanni Lamb. Schaffnaburg. an. 1066. 1077. Otto Friſing. Bertholdus Conſtant. an. 1091. & Hübnerus tab. 27. & 291. *Conrad. fil. Henr. III. obit.* *Henr. IV. nupſit*

Ulmæ hoc an. Imperator incertum, an primo, an ultimo anni menſe per Diploma dedit Engelberto Patav. Epiſc. *piæ memoriæ*, & monaſterio in loco Pazaw prædium Richwinni in villis Gabatis, Prunnen & Chrubaten, v. Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 251. additæ voces *piæ memoriæ* ſententiam meam Diſſert. 4. cap. 5. §. 2. & cap. 4. §. 12. ſtatutam juvant, qua dixi voculas eas *piæ memoriæ* non ſemper denotare defunctos, additæ enim ſubinde ſunt voces hæ ab iis, qui compendium Diplomatis ſcripſerunt. Eædem voces inveniuntur in Diplom. Altmanno Paſſav. dato an. 1074. a Welfone pro cella Raitenpuechenſi, ut ſuo loco dicetur. *Engelb. Paſſ. rect* *Voces piæ mem. non ſemper def. tant.*

An. 1056.

ANNO 1056.

Indict. 9. Victor. II. P. 2. Henr. IV. Imp. 1. Ottoc. III. Styr. March. 19.

Gebhard. Epiſc. Ratisb. e cuſtodia liber.

Gebhardus Ratisbon. Epiſcopus, patruus licet Henrici Imp. convictus de conjuratione in Imperatorem facta, primo in *Wifelinga* arce prope Danubium tum in *Stofala* (fors *Staphelſea*, vel Staffelſtein aliquamdiu ſub cuſtodia eſt detentus.

Adalbert. Auſtr. obit & Adelh. ejus uxor.

Adalbertus Auſtriæ Marchio, clarus adjecta ad Noricum Pannoniæ ſuperioris parte 7. Kal. Junii vitæ metas attigit, cum anno jam prioſe Adelhaides ejus conjux devote mortua fuiſſet, ſi Aloldo credimus, qui Adalbertum 60. annos vixiſſe, 37. præfuiſſe ſcribit, ambo Mellicii ſepulti ſunt. *Succeſſit ei Erneſtus filius, pariter fortis & probus, qui jam tunc ex uxore Mechtilde filium habuit ſpecioſum Liupoldum*, ita Alold. Chron. Mellic. Salisburg. Auſtriac. incerti Auth. Anonymi Cœnobitæ Zwetlenſ. & viti Arenpekii apud P. Hier. Pez tom. 1.

Erneſt. fil. Auſtr. Mar. ux. & fil.

Godebold. Patr. Aquil.

Henricus interim Imperator natalem B. V. M. Goslariæ celebravit, ibique Victorem II. P. magnifice excepit, ubi etiam Henricus cum S. Annone Colon. Archiep. reconciliatus, brevi dein etiam Gebhardum Ratisb. Ep. e cuſtodia ſolutum, ſedique ſuæ reſtitutum in gratiam recepit, morti jamjam ex morbo proximus Imperator præſente Papa & Goteboldo Patr. Aquil. ab omnibus veniam petiit, ablata reſtituit, omnibus veniam dedit, Henricum filium, Rom. Pontificis, cæterorumque Pontificum, & Principum electione Regem Rom. conſtituit, teſte cont. Her. contr. & Otton. Friſ. l. 6. c. 33. dein omnibus recte conſtitutis 3. Non. Octob. obiit, Spiræ ſepultus Victore Pontifice juſtis funeralibus præſente. Suc. Henricus IV. puer ſexennis ſub cura Agnetis Aug. matris ſuæ, quæ mox in Bavariam rediit, quam defuncto Conrado filio Duce, *privato jure, quoad vellet, poſſidendam* a marito ſuo acceperat, teſte Lambert. Schaffnaburg. Annal. Hildesheim. Mariano Scoto, Chronogr. Saxon. ſed an. 1053. ex Herm. Contr. oſtendi, Ducatum Bavariæ Henrico IV. datum fuiſſe.

Henr. III. †

Henr. IV. ſucc.

Goteboldi Aquil. res.

Goteboldum Patr. Aquil. non morti ſolum & funeralibus Henrici III. præſentem, ſed jam antea Goslariæ cum Henrico adhuc ſano fuiſſe teſtantur Marianus Scotus, & Annal. Saxo; ſed Lambertus Schaffnaburg. rem addit explicatione egentem: ait enim de funere Henrici III. Imp. *Præſentes erant, quaſi ad officium tanti funeris ex induſtria evocati Romanus Pontifex Aquil. Patriarcha, patruus Imperatoris &c.* ex quibus verbis obiter perſpectis inferre quis poſſet, Aquil. Patriarcham fuiſſe Imperatoris patruum, quod tamen nemo hactenus aſſeruit, Lambert. itaque Schaffnaburg. particulam & ubique omiſit, ita, ut dicere voluerit, Romanus Pontifex, & Aquil. Patr. & patruus Imperatoris nempe Gebhardus Ratisbon. quem etiam præſentem fuiſſe funeri antea oſtendi.

Balduini Salzb. res.

Balduinus Salzb. Arch. an ſepulturæ Henr. III. adfuerit? non conſtat, id certum eidem hoc an. 4. Non. Julii Wormatiæ beneficum fuiſſe Henr. III. Imp. dum *S. Salzb. Eccleſiæ* dato Diplomate *prædium quoddam in pago N. Forojulio, & in Comitatu N. Comitis ſitum* conceſſit, v. Auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 172. de Rubeis fol. 526. Eidem tanquam ſibi

in

in turbis Conradi Bav. Ducis, & Hungarorum fideliſſimo Archiep. conceſſiſſe hoc etiam anno videtur Henricus *quoddam prædium Potonis rei Majeſtatis & in palatino palatio damnati, atque proſcripti &c.* Poto hic Comes fuerit Conradi Bav. Ducis exauthorati, & rebellis.

ANNO 1057. *An. 1057.*

Indict. 10. *Steph. IX. P.* 1. *Henr. IV. Imp.* 2. *Ottoc. III. March. Styr.* 20.

Victor II. Rom. Pontif. 5. Kal. Aug. migravit ad Dominum, qui olim *exulante ad Ungariam Chunone Duce, Ducatum Bajoaricum ad tempus* ſuſcepit *regnandum*, teſte Anonym. Haſenried. in vita ejusdem apud Gretſerum tom. 10. pag. 848. quod ab an. 1053. ad 1054. factum fuiſſe debuit, quo Papa factus eſt. Plurimas ejus laudes Anonymus hic habet. *Victor II. P. obit olim ducat Bav. adminiſt.*

Succeſſor Stephanus IX. antea Fridericus Lotharingus, Gozelonis quondam Ducis filius, ſub Leone IX. S. R. E. Cancellarius, Legatus Conſtantinopolitanus a Victore II. ex Abbate Caſſin. Cardin. S. Chryſogoni factus. *Stephanus IX. ſucc.*

Adalberoni Bamberg. Epiſc. de quo an. 1053. ſucc. Guntherus Cancellarius. *Adalbero Epiſc. Bamberg. † ſucc. Guntherus Otto Dux Alem. obit Rudolf. de Rheinfelde.*

Obiit eodem hoc tempore Otto Alemanniæ Dux; Bertholdo Zæringio Ducatus is jam ab Henrico III. promiſſus erat, jam vero ab Henrico IV. & Agnete Aug. Bertholdo omiſſo Dux Alemanniæ factus eſt Rudolphus Rheinfeldius, ut habet Annal. Saxo. an. 1056. cauſam neglecti Rudolphi idem Annal. promit: *Filiam Henrici III. & Agnetis Aug.* inquit, *Rodolfus Suevus mox poſt obitum Imperatoris, Romoldo Epiſcopo Conſtantienſi commendatam, utrum conſilio raptam, an dolo neſcitur, uxorem duxit.* Idem hoc fuſius exponit hoc anno.

Licet itaque promiſſum ſibi Ducatum haberet Ottonis ſeu Alemanniæ Bertholdus Zæringenſis, licet annulum ab Imp. Henrico III. in ſignum promiſſi datum exhiberet Agneti Aug. prælatus tamen eſt idem Rudolphus, quia nempe Agnetis filiam, Henr. IV. ſororem, haberet uxorem, ut tamen offenſus Bertholdi animus leniretur, Ducatus Carinthiæ datus eſt Bertholdo, de quo an. 1060. & 1059. *Berthold. I. Zæring.*

Rudolfi Reinfeldii Sueviæ Ducis ac an. 1077. electi Imp. conjugem Mathildem fuiſſe Henrici III. filiam inſinuat Hübnerus tab. Geneal. 27. v an. 1059. Zæringenſium Genealogiam idem Hübnerus tab. Geneal. 228. & 224. a Gonzelino, Piſtorius a Bezzelino & matre Ermenfrida Sonnenbergica deduxit, uxorem vero Bertholdi I. Zæringenſ. uterque Richwardam Carinthiacam ſtatuunt; Hergottus vero Geneal. Diplom. Aug. domus Habſpurgo-Auſtriacæ tom. 1. p. 273. & cum eo Frælichius Archont. Carinth. tom. 2. fol. 23. & tab. 2. Geneal. ab avo Berthilone, ſeu Bircilone Briſgoviæ Comite, & Patre Gebhardo deducit, quos interim adire licet. *Mathild. Henr. III. fil. ux. Rudolf. Reinfeldii. Richwarda Carinth. uxor Bert. Zæring.*

Dixi: Bertholdo I. Ducatum Carinthiæ collatum fuiſſe an. 1060. quis vero eundem Ducatum hoc tempore poſſedit? Welfo enim Carinthiæ Dux jam an. 1055. obierat, ad hunc an. quis Carinthiæ præfuerit? ignoratur, hoc vero anno, ait Lambert. Schaffnaburvg. *Chuono* *Cuono v. Conr. III. Dux Carint.*

cogna-

cognatus Regis, Dux factus eſt Carentinorum, qui tamen poſſeſſionem Carinthiæ anno primum ſequente adire, fruſtra eſt conatus, teſte eodem Lamb. Quis iſte Conradus fuerit? quibus ortus parentibus? quo ſanguinis nexu Henrico IV. junctus? magna licet inter ſcriptores contentione ignoratur.

An idem cum Conr. Bav. Duce exauthor.

In re admodum obſcura liceat mihi conjecturis non inanibus uti, cenſeo enim Cuononem, ſeu Conradum III. Ducem Carentaniæ hoc anno factum, eundem fuiſſe cum Conrado Bajoariæ Duce an. 1053. exauthorato. Ratio conjecturæ meæ *prima eſt*, quod Conradus hoc an. conſtitutus Carinthiæ Dux, *cognatus Regis*, teſte Lamberto Schaffnaburg. dicatur, atqui Conradus an. 1053. exauthoratus Bajoariæ Dux, cognatus Regis Henrici IV. fuit, unde unum eundemque fuiſſe utcunque probabile videtur. Conradus Bajoariæ Dux exauthoratus per dicta an. 1049. erat Ludolfi Comitis Palatini filius, ex Mathilde Ottonis II. Imp. filia nepos Ezonis, ut habet Monachus Braunwiller. cit. Hübnerus tab. 136. & 26. Geneal. ex his ſequens ſchema formo.

Otto I. M. Imp. ux. 1. *Edita* Eduardi Angl. Regis filia. Hübn. tab. 26.

- *Luitholphus* Dux Sueviæ, ux. *Ida* Hermanni I. Suev. Duc. fil. Hübn. tab. 26.
  - *Otto* Dux Sueviæ & Bajoariæ ux. *Irmentrudes* ex Lotharingia. Hübner. tab. 26.
    - *Herman. II.* Dux Sueviæ, ux. *Gerberga*, Conradi Reg. Burg. fil. Hübn. tab. 26.
      - *Giſela*, cui 3. mariti. Mar. 3. *Conradus II.* Salicus Imp. Hübn. tab. 26. 27.
        - *Henricus Niger* Imp. ux. 2. Agnes Wilhel. Aquit. fil. Hübn. tab. 27.
          - Henricus IV. Imp. Hübn. tab. 27.
- *Otto II.* Imp. ux. 2. NN. March. Auſtriæ. Hübner. tab. 26.
  - *Mechtildes* Abb. Quedlinb. dein ux. *Ezonis* ſeu *Erchenfridi* Com. Palatini. Hübn. tab. 26. & 136.
    - *Ludolfus* Com. Palat. ux. Mathildes Otton. Com. Zypthan. filia. Hübn. tab. 136.
      - *Cuno* vel *Conradus* an. 1049. Dux Bav. an. 1053. exauthoratus an. 1057. Dux Car. an. 1058. mortuus, cujus frater erat *Henricus Com.* Palat. ex Monach. Braunwillar. & Hübner. tab. 136.

Eluceſcit ex his, ut opinor, Conradum hoc anno Carent. Ducem ſtatutum, fuiſſe Henrici IV. Regis cognatum, nemo autem alius hoc tempore Cuono vel Conradus apparet Henr. IV. cognatus, niſi Conradus hic olim Dux Bajoariæ exauthoratus, ergo unus idemque eſt cenſendus. *Ratio* 2. hujus meæ conjecturæ ſit: cum Conradus hic an. 1053. e Bajoariæ poſſeſſione exturbatus, Carinthiæ partem quandam auxilio Andreæ Regis occupaverit, ut an. 1053. dictum, cenſeo eundem vel in ea Carinthiæ parte, vel in Hungaria apud Andream Regem conſediſſe, cum vero reconciliata fuerit, liberorum Salomonis Hung. Regis Andreæ filii & Judithæ (Sophiam Hübnerus tab. 27. & 108. vocat) Henr. III. Imp. filiæ ſponſalibus an. 1059. teſte Herm. Contr. contin. conſtitutis gratia & concordia inter Agnetem & Andream, de his ſponſalibus mox ab Henr. III. morte ob timendas Hung. turbas agi

cœptum

cœptum fuerit, cumque Conradus Dux in Hungaria apud Andream Regem moraretur, opem fors ſuam ſponſalibus his perficiendis contulerit, indeque Agnetis beneficio Ducatum Carinthiæ obtinuerit. Ita quoad ſubſtantiam ſentit P. Calles tom. 5. fol. 516. qui etiam objectiones ſolvit de morte Conradi Ducis Bajoariæ, quam ad annum 1054. Hübnerus cit. Marianus Scotus, Monachus Brauwiller. Annal. Saxo, Chronogr. Saxo. Annal. Hildesh. atque ad an. 1056. Chronic. Mellic. Clauſtroneob. Auſtriac. incerti Auth. & Bernardi Norici denique ad an. 1053. Anonym. Leob. affigunt. Ait etiam cit. P. Calles ſolere nonnunquam Scriptores Synchronos, quædam conjungere, temporibus alias ſejuncta, idque brevitatis ſtudio.

Henricus interim IV. Rex hoc anno in Nuwenburch confirmavit prædia, & poſſeſſiones Eccleſiæ Friſing. ad interceſſionem Agnetis Aug. matris & Balduini Archiep. Salisburg. v. Auth. Germ. Sac. tom. 2. fol. 172. *Henr. IV. res Balduin. Salzb. Agnes Imp.*

Erneſtum Auſtriæ Marchionem patri ſucceſſiſſe anno ſuperiore adduxi, occurrit vero hoc anno etiam *Wilhelmus Auſtriæ Marchio* præter Erneſtum in Diplomate Henrici IV. hujus anni, quo ad horum interceſſionem Azzoni militi inclyto 3. regales manſos in villa *Hezimanzneviſa* largitur, Diploma hoc penes ſe exſtare teſtatur Illuſtris Baro Streunius apud Excell. Wurmbrand. collectan. Geneal. pag. 5. quæ ſi ita ſunt, Wilhelmus ipſe Marchio talis fuerit, quales deſcripſi an. 1045. *Wilhelm. Auſt. March. quis.*

In Erneſti Auſtriaci tab. Mellicenſ. inter annos 1056. & 1075. occurrit inter teſtes *Oezo Marchio de Styre*, hunc Ottocarum III. fuiſſe Diſſert. 4. cap. 3. §. 1. oſtendi, cujus cæteroquin acta, hoc tempore utcunque ſunt obſcura, quare ne res ejus omnes ad unum annum dein conjungam, cum de uxore Wilburge, Adalberone fratre, Frowiza ſorore jam an. 1048. egerim, atque de Atha etiam filia Abbat. Traunkirch. hic breviter reliquas ejus proles expediam, quoniam de iis alioquin jam Diſſert. 4. cap. 3. tractatum. *Ottoc. III.*

Bernardum Comitem de Styra dictum, Lazius fratrem Ottocari I. nobis II. ſtatuit, Frælichius vero tab. Geneal. 8. Archontol. Carinthiæ, filium Ottocari III. & Satorem Dominorum de Bernegg, diverſas aliorum hoc de Bernardo ſententias expoſui Diſſert. 4. cap. 3. §. 3. & cap. 4. §. 5. hac in re itaque controverſa, ne ordinem hiſtoriæ nimium interturbem, plura de Bernardo hoc in criſi ad Diploma 6. exponam. *Bernard. C. de Styra an frater Ottoc. II.*

Prevenhueberus Annal. Styr. fol. 389. inter Oezonis ſeu Ottoc. III. filias quoque recenſet *Urſulam*, Werneri Com. de Helfenſtein uxorem, ſed Diſſert. 4. cap. 3. §. 3. & ad an. 1038. obſervavi Urſulam hanc (quam omnes præter Prevenhueb. & Bucelinum, omittunt) Ottocari ſolum primi Styriæ Comitis filiam dici poſſe; probabilius vero Urſulam hanc Ottoc. I. filiam cenſeo fictitiam, cum Heningeſius Werneri de Helfenſtein uxorem Attalam ſcribat, Bucelinus vero apud Hübnerum tab. 490. citatus, Wernerum ea in ſerie omittat, & ejus loco Manegoldum Helfenſteinium, ac Adelam S. Gebhardi Salisburg. parentes ſtatuat, quapropter ex Attala, dein in Adelam, tandem Azalam transmutata, ultimo Urſula prodierit, mox memorata; verum eſt *Urſula ux. Werneri de Helfenſtein an Ottoc. III. filia. Helfenſtein de Manegold & Attala.*

Bucelinum Stemmatogr. part. 4. fol. 412. in fragmento perbrevi March. Styriæ Ottocari nobis III. (quantum ex temporis adjecti circumſtantiis erui poteſt) filiam innuere Urſulam Wernero Com. de Helfenſtein nuptam, atque Ottocari illius, qui an. 1122. obiit, nobisque IV. dicitur, ſororem; ſed nil mirum, cum Bucelinus ſæpiſſime ſibi ipſi non conſtans inveniatur, ac præſertim hac in re, cum inter Helfenſteinios ipſemet nullum ponat Wernerum.

De Sophia Ottocari III. filia vide dicta Diſſert. 4. cap. 4. §. 7.

An. 1058.

ANNO 1058.

Indict. 11. *Steph. IX. P.* 2. *Henr. IV. Imp.* 3. *Ottoc III. Styr. March.* 21.

Steph. IX. † Bened. X. Antipap.

Steph. IX. Papa digniſſimus 4. Kal. April. obiit ſanctiſſime, cum illico Joannes Velitrenſis Ep. Simoniace, omnibus Cardinalibus reclamantibus noctu ſub armatorum manu inthronizatus eſt, teſte Petro Damiani tom. 1. lib. 3. Epiſt. 4. & Baron. hoc an. num. 11. nomen Bened. X. aſſumpſit.

Conrad. III. D. Carinth. †

Henricus Rex Paſcha Magdeburgi, Pentecoſten Auguſtæ Vindelicorum celebravit: quo tempore etiam Cuono ſeu Conradus III. anno priore Dux Carentaniæ deſignatus, dum copias undique contrahit, ut eam Provinciam, quam metu rebellionis nondum adierat, occuparet, *morte præventus cœptum iter non explevit*, teſte Lambert. Schaffnab. ſub finem anni exſtinctum fuiſſe, probabile facit tempus ſucceſſoris, quod Herm. contr. Continuator ſpectaſſe potius videtur, quam tempus obitus Cuononis, ita vero ait: *Conradus, qui Carentanis ſolo nomine præfuit Ducis, moriens locum dedit, cujus Ducatum Bertholdus Suevigena accepit* ad annum 1060.

Berthold. I. Zæring. Dux Car.

De Bertholdo hoc plura an. 1057. edixi, obſcuræ tamen utcunque ſunt ejusdem res primæ, Annal. Saxo, aliique ajunt, eum ob præteritum ſibi in Ducatu Alemanniæ Rudolphum Rheinfeld. graviter commotum, Ducatum Carinthiæ obtinuiſſe, quem Ducatum tamen dein Henr. IV. Rex filio & æquivoco ejus Bertholdo nempe II., rogatu ipſius commiſit, ſed poſtmodum quorumdam inſtinctu eundem Ducatum, Luidolfo conſanguineo dedit, ſicque Patrem & natum parvi pendere ſe oſtendit, nemo tamen geſtorum horum annos appoſuit. In re hac obſcura, quantum ex Diplom. & Archontol. Frælichii colligere licet, an. 1060. Bertholdus I. Zæring. Dux factus eſt Carinthiæ, an. 1073. eidem ſubſtitutus Marquardus propinquus Henr. IV. & Adalberonis filius, an. 1077. v. ſeq. Luitoldus Marquardi filius ſucceſſit, Bertholdus vero II. deſignatus quidem ab Henr. IV. Rege fuerat Carinthiæ Dux, aſt eundem Ducatum conſecutus non eſt, cum Pater ejus Bertholdus ipſe exauthoraretur. Hæc interim, plura ſuis locis.

Marquard. an. 1073. Dux Carinth. Luitold. an. 1077. Bertold. II. an. D. Carint.

Megiſerus lib. 7. cap. 23. & ex eo MS. Chron. Styr. part. 1. cap. 62. docent ex Lamberto Schaffnab. Bertholdo huic primo, dum & Alemanniæ & Carinthiæ Ducatu ſpoliatus eſſet, an. tandem 1077. ex Ducatu Carinthiæ, territorium quoddam ſupra Judenburgum, nunc Styriæ ſuper. dictum Zeyringam ceſſiſſe, atque ab hoc Bertholdo, Zeyrin-

gæ nomen obtinuiſſe. Ditiſſimæ hic olim erant Argenti fodinæ an. 1158. ſimul 400. foſſoribus conſepultis collapſæ, de quibus ſuo loco. *Zeyring. in Styria fodina.*

Eodem hoc anno Erneſtum Marggravium Auſtriæ, factum advocatum Eccleſiæ Salisburg. & Patav. ex Diplomate Henr. IV. docet Auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 172. ſuaque deſuper dubia exponit. Interim apud eundem Authorem fol. 935. lego, Fridericum Comitem de Sponheim, & ejus uxorem Chriſtinam donaſſe Capitulo Salisburg. villam & Capellam S. Udalrici. In iisdem tabulis dicitur 1. Fridericus hic filius Comitis Epponis. 2. B. Epiſcopus Hartwicus ſuus ſecundum carnem cognatus. Fridericum tamen hunc, & uxorem Chriſtinam ac Epponem Patrem in ſerie Sponheimenſium an. 1023. adducta non invenio, nec Hübnerus, Aventinus, Bucelinus, vel Haſelbachius eorum meminerunt. *Erneſtus Auſtr. fit Advoc. Salzb. & Patav. Salzb. res.* *Sponheim. geneal.*

Teſte Lambert. Schaffnab. *Rex natalem Domini in Marouva civitate celebravit in confinio ſita Hungariorum & Bulgariorum.* Duo ex his dubia emergunt. 1. Quænam ſit ea civitas *Marouva.* 2. Quid inibi egerit Henricus. Primum quod attinet, *Muraviam* Styriæ ſuper. civitatem fuiſſe indicavi. Differt. 1. ſed ea in confinio Hungariæ & Bulgariæ ſitum non obtinet, propiora his confiniis eſſent *Marenberga* & *Marburgum*, vel inſula *Murackocz* ad Muræ, & Dravi confluentes. Hæc quocunque in loco ſita ſit, ibi tamen conſtitit Henricus, & quidem ſat longo tempore, cum 6. Non. Octobr. Ibſii in Auſtr. infer. moratus fuiſſe legatur, inde vero in locum eum deſcenderit, ibi natalem Domini egerit. 2*dum* dubium quod attinet, forte cum Andrea Rege, de ſponſalibus inter Salomonem Ungar. Regis filium, & Juditham ſeu Sophiam (utroque enim nomine appellatur) ſuam, ſeu Henr. IV. ſororem egerit, quod ſi ita, Henricus natalem Domini *in Murakocz*, vel *Marburgi*, aut *Marenbergæ* egiſſet, vel dicendum, his cum Andrea peractis, Henricum Regem Marburgi in Styria infer. tum adhuc Carentaniæ limiti obnoxia, aut certe Muraviæ in Styria ſuperiore adhuc Carentaniæ parte moratum, atque exſtincto nuper Cunone Carentaniæ Duce res ejus Provinciæ, utcunque turbatas compoſuiſſe. *Morouva urbs.* *Murakoz inſula.* *Salomon Ungar. Reg. nuptiæ cum Juditha ſeu Sophia Henr. IV. ſor.* *An Marburgæ vel Marenbergæ Henr. IV. fuerit*

Romæ circa anni finem opera Hildebrandi, in locum Benedicti Antipapæ eſt electus verus Chriſti Vicarius Girardus Epiſc. Florentinus dictus Nicolaus II. *Nicola. II. Pap.*

ANNO 1059. *An 1059.*

Indict. 12. *Nicol. II. P.* 1. *Henr. IV. Imp.* 4. *Ottoc. III. Styr. March.* 22.

In Synodo Romæ ſub Nicolao II. celebrata, Berengarius Andegavenſ. & S. Mauritii Diaconus errorem ſuum de Sanguine & Corpore Domini retractavit, mox tamen iterum reſumendum. *Berengar. hær. revoc.*

Si Hermanni Contracti contin. verbis ſtandum, facile controverſia illa de Cuonis morte, & adepto a Bertholdo Carinthiæ Ducatu dirimi poſſet, ait enim ille ad hunc an. *Rodolphus Alemanorum Dux Mathildam Henrici Regis ſororem in uxorem duxit*, quæ dein ſeq. an. exſtincta eſt, eodem teſte. Si ergo Rodolphus hoc primum anno Mathildem uxorem duxit, etiam hoc an. primum Dux Alemanniæ eſt conſtitutus, cumque *Carinth. res.*

teſte Annal. Saxone ad leniendum Bertholdi I. Zæringenſ. commotum animum, eidem Ducatus Carinthiæ ſit conceſſus, Cuononem ſeu Conradum Ducem Carinthiæ deſignatum, antequam adhuc Alemannia, quam deſiderabat Bertholdus, conferretur Rudolfo, cum vero eodem hoc an. vel prioris fine obiret Conradus Dux Carinthiæ, ſequenti anno Bertholdum I. Carinthiæ Ducem fuiſſe factum opinor.

Frowiza obit. Si Aloldo Campililienſ. in faſtis tom. 1. fol. 88. credimus, hoc an. *Fruvvitza, quæ uxor fuit Luipoldi, qui fuit Adalberti Marchionis filius, & poſt cum remanſit, hoc anno obiit apud Medelick ſepulta* 14. *Kal. Jan.* teſt. Mellic. & Clauſtroneob. Necrol. *obiit* 13. *Kal. Martii*, ſed quomodo 14. Kal. Jan. ſepeliri potuit, niſi gratis ſupponas integrum prope annum ſepultura caruiſſe. Author faſtor. Campililienſ. omnem Aloldo ſuo fidem haberi vult, eo quod eum pro munere Capellani, funeri adfuiſſe putet. Ego domeſtico præſertim Mellicenſi ſæc. 12. compilatori necrologii majorem fidem, quam Aloldo præſto, cum hunc variis jam in rebus aberraſſe adverterim.

Varioſe Carinthiæ ac Styriæ nobilitate hoc tempore ex Lazio adfert Megiſerus lib. 7. cap. 28. fol. 740. qui in variis antiquis Chartis teſtes ſubſcripſerunt; hos inter comparet *an.* 1059. *Reinpertus* & *Zeltſchach* fors *Gelſacus* nom. propr. *de Dietrichſtain* atque an. ſeq. 1060. *Otto* & *Egidius de Kainach in Biberthall*, cujus nominis *Hilfridus an.* 1073. occurrit.

Dietrichſtein de Zelſchach & Reinpert.

Kainach de Otto & Egid. Hilfridus.

Error intercurrerit hic in Reinperto, nam Czelſchach nomen non proprium, ſed cognomen erat, nec Dietrichſteinii hoc tempore Czelchachii erant, ſed Comites de Friſaco ſimul de Zeltſchach dicti.

Reinpertus hic de Dietrichſtein, opem etiam cum *Comite de Malentein* tulit Wilhelmo S. Hemmæ marito ad perſequendos impios filiorum ſuorum occiſores, ut an. 1045. inſinuatum, *Reinpertus* itaque *de Dietrichſtein* hoc tempore exſtiterit.

Dietrichſteinior. origo. Origo hujus antiquiſſimæ familiæ innectitur quidem a quibusdam familiæ de Zeltſchach, ſed ſi Alberto Abbati S. Pauli credimus, atque acta etiam hiſtorica conſideremus, jam tempore S. Hemmæ diſtinctæ erant familiæ, Zeltſchachiana, e qua maritus S. Hemmæ, & Dietrichſteinia, quæ in Reinperto opem tulit Wilhelmo S. Hemmæ marito in conquirendis & enecandis impiis foſſoribus filiorum S. Hemmæ parricidis. Zeltſchachios & Dietrichſteinios conſanguinitate vel affinitate junctos, ex his ipſis actis non dubito, & innuit Charta S. Henrici Imp. an. 1015. apud Bollandum tom. 5. Januarii pag. 516.

Zeltſchach. fapilia.

Dietrichſt. arx. Arx Dietrichſtein vetuſtiſſima Carinthiæ, familiæ ſors ſuæ nomen dederit, domus enim avita erat hujus celeberrimæ familiæ, prope Feldkirchium ſita, & furore Margarethæ Maultaſchiæ diruta, dein vero magnificentius erecta, ſed cum an. 1483. furiis Murapetri & Hungarorum litaretur denuo, poſt ea fata in favilla remanſit. Abbas S. Pauli cit. arcem hanc vocat lapidem angularem Carinthiæ; primos Illuſtriſſimæ familiæ patres adduxit Hübnerus tab. 751. *Czelacum* an. 1059. *Reimpertum I.* an. 1077. *Rupertum* an. 1088. *Reimpert. II.* an. 1090. *Sigiſmundum I.* an. 1100. *Sigiſmundum II.* an. 1112. *Ottonem I.* an. 1136. *Bernhardum I.* an. 1174. ſed nec parentes horum, nec filios adduxit defectu documentorum; ut tamen eorum Genealogiam uſque ad ſæc.

Ejus fata.

Dietrichſtein de Czelacus, Reimmertus, Rupert & c.

13. adducam, eam ex Hübnero cit. hiſce ſubjungo. Poſt ſupranominatos Dietrichſteinios:

Gilbertus an. 1174. — *Otto II.* an. 1164. — *Wickmannus* an. 1174.

Bernardus II. — *Otto III.* an. 1187. — *Caro-lus.* *Arnel-bertus.* *Main-gotus.* *Luitpol-dus* 1190

Henr. an. 1233. *Poppo* 1230. ux. Margaret.

Continuatam ex Poppone Dietrichſteiniorum ſeriem ſuo tempore dabo. Bucelinus ſtemmatogr. part. 3. in appendice primum hujus fam. ponit *D. Rupert. a Dietrichſtein* claruit an. 1088. juxta litteras fundat. Monaſt. S. Lamberti.

Reimpertus a Dietrichſtein adeſt Leopoldo Carinth. Duci bello Dalmat. claruit an. 1059. ad 1077.

Reimpertus II. D. de Dietrichſtein adfuit Ulrico Palat. bello Saracenico in Palæſtina an. 1090. melius an. 1098.

Sigiſmundus II. D. de Dietrichſtein an. 1100.

Bernardus a Dietrichſtein cl. an. 1140. & 1174. ex lit. Henr. Bamberg. Ep.

Czelſacus D. de Dietrichſtein an. 1059.

Sigiſmundus de Dietrichſtein claruit a. 1112. Henr. II. Duc. Car. juvat contra Engelb. Iſtr. March. v. eo an.

Otto D. de Dietrichſtein memoratur in litter. fundat. Monaſt. Vitring. an. 1136.

In his cum Hübnero convenit Bucelinus, niſi quod hic plura in eorum teſtimonium adducat; ita dein pergit Bucelinus:

Otto II. adfuit Udalr. Carinth. Archid. bello Ungarico an. 1164. — *Otto III.* clar. an. 1187.

Gilbertus claruit an. 1174. — *Bernardus II.* cujus & patris mentio fit in litteris.

Wickmannus uſq. ad an. 1174. — *Carolus*, *Arnelbertus*, *Maingotus*, & *Luitpoldus* an. 1190.

De quibus plura ſæc. 13. ſperantes interim nobis ad gloriam Proſapiæ hujus celeberrimæ, e ſcriniis domeſticis ſuppeditatum iri documenta alia.

Gelſaci, ſeu *Czelſaci* de Ditrichſtein & Hübnerus & Bucelinus meminit, hæreo, an Gelſaci nomen proprium ſit, an adoptionis? nomen eſſe proprium veriſimilius videtur, quod ſi vero adoptionis etiam foret, tunc nomen hoc Dietrichſteinii aſſumpſiſſent, poſt devolutam ad ſe per mortem *Wilhelmi de Frieſach*, & *Zeltſchach*, ac filiorum cædem horum hæreditatem, de quo an. 1045. diſſerebam, quæ quidem argumentorum defectu firmare non poſſum. Hæc interim. *Zeltſchach nom. an aſſumpſerint Dietrichſteinii.*

ANNO 1060. *An. 1060.*

Indict. 13. *Nicolai II. P.* 2. *Henr. IV. Imp.* 5. *Ottoc. III. Styr. March.* 23.

Ut jam præced. anno inſinuavi, meminit ad hunc an. *Ottonis & Egidii de Kainach in Biberthall* Megiſerus cit. de his Lexicon Baſileenſe ita ſcribit, Kainach Baron. Styr. familia ab arce ad Voitſpergam ſita, ſic nominata, & jam an. 1060. in Ottone & Egidio celebris &c. ex hac familia *Hieronymus* an. 1541. ante Peſtinum a Turcis cæſus eſt &c. *Kainach Baronum Styr. fam. arx Kainach* *Hieronymus*,

Mainhardus, Wilhelm. III. de Hunnenburch, Simboldus de Keinach.

Mainhardus de Kainach ſæc. 12. fine vel 13. initio filiam ſuam, *Wilhelmo III. Comiti de Hunenburch* uxorem ſecundam dedit, ut v. Cl. Frælich. ſpecim. Geneal. Souneck fol. 36. item fol. 10. in arb. Geneal. Sounekiorum & Heunburg. *Simboldus de Cheinach* an. 1138. in Diplom. Runenſi 2. adducitur. Hübnerus eam familiam non attingit; Bucelinus vero part. 4. ſtemmatogr. fol. 95. attingit quidem, ſed Mainhardi ſupradicti non meminit, ejus ſchema ad ſæc. 14. breviter ſic exhibeo:

Otto & *Egidius* de *Kainach* vixerunt an. 1060.
Hilfridus, ſeu *Hilpericus* de *Kainach* an. 1073.
Conradus dictus in pervetuſtis monumentis honeſtus eques clar. an. 1334. ux. *Adelbaid ab Eberſtein.* 2. N. Säfnerin.

Conrad. de Kainach, Adelh. de Eberſtein.

Berthold. I. Zæring. Dux Car.

Plura criſi Diplom. 9. hoc vero anno Carinthiæ Ducem præpoſitum cenſeo Bertholdum I. Zæringenſem, uti an. 1058. & 1059. oſtendi.

Balduinus Salisburg. Archiep. hoc anno e humanis exemptus eſt, præter Gebhardum Ratisbon. Ep. & Henrici III. Regis Patruum, de quo plura ſuperius diſſerebam, 6. Idus Aprilis defunctum Necrologium Admont. inſinuat, licet chron. Admont. ad an. præcedentem jam obitum ejus perperam referat.

Gebhard. Epiſc. Ratisb. & Balduinus Salzb. defuncti.

S. Gebhard. I. Archiep. Salzb.

Succeſſit ei Gebhardus totius Cleri & Miniſterialium electione, atque ad 3. Idus Junii annulo a Rege, virgaque paſtorali 12. Aug. Salisburg. in ſede collocatus, ac dein a 6. Epiſcopis Ratisbonæ, nominatim a Gebehardo Ratisbon. tum adhuc vivente eſt conſecratus. Sex illi Epiſcopi erant Gebehardus Ratisbon. Engelbertus Patavienſ. Ellenhardus Friſing. Altwinus Sabionenſis, Adalbero Wirzburg. & Gunzo Eichſtettenſis. Gebhardum hunc *alto Suevorum ſanguine, patre Chadoldo, matre Azala progenitum*, tradit vitæ ſcriptor. Necrol. Admontenſ. ad 3. *Non. Febr. Chadoldum Laicum patrem Gebehardi Archi-Epiſcopi* ſtatuit, unde falſa Hundii Genealogia, qua Gebhardus *Wernero patre & matre Attala de Styra* natus dicitur. Incertum itaque, qua ex familia natus fuerit, vulgo ferunt ex *gente Comitum de Helfenſtein* (ſed inter hos hoc tempore Chadoldus nullus, ut v. Heringeſium & Bucelinum apud Hübnerum tab. 490.) quorum caſtrum & ditio inter Ullmam urbem & Ducatum Wirtembergenſem. At movet dubium ſcutum S. Gebhardi, in quo nullus elephas cæteroquin Helfenſteiniorum inſigne conſpicitur, plura dixi an. 1057. & Diſſert. 4. cap. 3. §. 3.

Ejus genus.

An ex Com. Helfenſtein.

Adoleſcens litteris operam dedit Pariſiis cum Altmanno Patav. & Adalberone Wirzburg. dein Epiſcopis, ubi vaticinium ludicrum inter eos de Epiſcopatibus obtinendis eventus probavit. Adſcriptus dein cœtui Canon. Salisburg. an. 1055. die 4. Non. Martii Presbyter a Balduino eſt ordinatus, non ſub Leone jam an. 1054. die 19. April. defuncto, ut habet vitæ ſcriptor, ſed ſub Victore II. Cancellarius dein Henr. III. factus, ſub Henr. IV. inter primos Palatii numeratus, ac legatione ad orientis Imp. functus, ejus filium ſacro fonte tinxit.

Hungar. res. Bellæ rebell.

Graviores in Hungaria turbæ jam anno ſuperiore cœptæ erant, cum enim Andreas Rex Salomonem ſeptennem filium ſuum, Judithæ ſeu Sophiæ Henr. IV. ſorori jam deſponſatum, impoſita ſacra corona,

regni

regni ſucceſſorem declaraſſet, Bela Andreæ Regis frater, ſpem ſibi ſucciſam videns, Hungaros ad arma deduxit, fratremque multis offenſionibus vexavit; Andreas ætate, ac morbis fractior ad Henrici IV. opem confugit, Reginamque conjugem cum filio Salomone, corona & theſauro, Erneſto Marchione Auſtriæ concedente, in Mellicenſe caſtrum dimiſit, in auxilium Andreæ Regis deputati Ecbertus Citicenſ. Epiſc. & Wilhelmus Thuringiæ Marchio miſere vincuntur, licet primum victores, Andreas Rex ex equo lapſus & conculcatus: Epiſc. Ecbertus captus, & Marchio Wilhelmus, fame magis, quam ferro expugnatus ſe dedidit. Wilhelmi tamen virtutem miratus Joas, aliis Geyſa filius, non ſolum Marchionem liberaliter habuit, ſed ſponſam, ſororem ſuam, eidem etiam a patre impetravit, teſte Lambert. Schaffnab. eam vero Sophiam fuiſſe v. ex Genealog. Souneckior. in præfat. hujus ſæc. allata, ubi eundem inter primos Souneckiorum retuli.

Salomon Rex in Auſtriam fugit.

Andreas Rex Hung. †

Wilhelm. Tur. March. ſponſa Sophia Belæ filia.

Otto Northeimus Comes ab Agnete Aug. quæ hactenus Ducatum Bajoariæ per ſe ipſam adminiſtraverat, conſtitutus fuit Dux Bajoariæ, quæ tamen anno primum ſequenti effectui data ſunt. Hungariæ etiam res an. ſeq. plerique referunt. Aloldus tamen aliique initium belli hujus an. progreſſum & finem anno ſequenti annectunt.

Otto Dux Bav. Northeim. dict. Agnes Imp. Bav. adminiſtrat.

ANNO 1061.

An. 1061.

Indict. 14. *Alex. II. P.* 1. *Henr. IV. Imp.* 6. *Ottoc. III. March. Styr.* 24.

Annus hic funeſto ſchiſmati inter imperium ac ſacerdotium initium dedit, cum enim Nicolaus Papa menſe Julio obiret, Italia ac Germania factionibus concuti cœpit; nam Lombardorum Epiſcopi tanquam Simoniaci & incontinentes, Authore Guiberto Parmenſi Henr. IV. Cancellario convenerunt, & ſtatuerunt, non alium eligere Pontificem, quam, qui eorum infirmitatibus compateretur, inde ad Agnetem miſerunt Legatos ſuos, eamque inſigniter in fraudes ſuas pellexerunt.

Nicolaus Pobit. Schiſm. init.

Baſileenſi in Conc. Henr. IV. Patritius Romanorum eſt declaratus, tum vero Cadelochus Parmenſis Epiſc. 7. Kal. Nov. Papa ſub nomine Honorii eſt electus, ſed 27. die ante ejus promotionem Anſelmus Lucenſ. Epiſcopus a Normannis & quibusdam Romanis Papa ordinatus, atque Alexander eſt vocatus, mox ab electione ſui miſit Alexander Legatos ſuos conſenſum regium expoſtulaturos, ab æmulis tamen & Cadelochi fautoribus Legati hi admiſſi non ſunt.

Baſil. Conc. Cadeloch v. Honor. antip. Alex. II. verus Papa.

Ab Agnete Aug. interim mandatum datum, ut Cadelochus Romam deportaretur, Petri in Solio ſub Honorii nomine collocandus, moram tamen aliam ex alia, & effuſi præter modum imbres & Godefridi ac Beatricis Tuſciæ Marchionum copiæ per iter diſpoſitæ objecerunt: 8. Kal. Aprilis præcurrente Benzone ſchiſmatico & Cadelochi Primipilo Sutrium ingreſſus eſt Cadelochus, ac non multo poſt faventibus Romanis in prato Neronis caſtra metatus eſt prope urbem, ubi mox infeſtis armis concurſum eſt, Victor primum, dein vero adventu Godefridi ita conſtrictus eſt, ut niſi precibus magnisque largitionibus reditum in ſuam urbem impetraſſet in manus Godefridi deveniſſet.

Rom. turbæ.

Pro miſeranda Italiæ & Germaniæ ſorte deinceps melius conſideranda, ſequentia omnino in compendio prænotanda cenſeo, erant

nem-

German. Eccleſ. ſtatus miſer.

nempe ſummæ inter Epiſcopales Eccleſias Germaniæ, hoc tempore Moguntina, Colon. Trevir. Hamaburg. Magdeburgenſis ac Salisburgenſis, ubique magna ſanctarum rerum per Simoniam & incontinentiam corruptio, ex vita S. Ottonis Bamberg. legimus, eam Eccleſiam libera electione non gaviſam, de Annone Colon. viro alias ſancto refert Adam Brem. fuiſſe argutum violatæ in Regem fidei, omnium conſpirationum reum, uti & avaritiæ, extuliſſe parentes ſuos, Cono Trevir. invidia Cleri, martyrio coronatus ante intronizationem, uti & Eylbertus Mindenſ. & Wilhelmus Traject. Adalbertus Archiep. Brem. *diverſus homo*, ſeu in vitia & virtutes ambiguus dicitur, cujus aula plena erat adulatoribus, gnatonibus, paraſitis, rumigerulis &c. regularis vita in Colon. Diœc. alibique etiam deleta, vel cupiditate vel neceſſitate, Pſeudomonachi in Diœceſ. Magdeburg. pecuniis & quæſtibus dediti &c. ut refert Henr. de Hervordia in Chron. Pergenſi.

Refert præterea Palatius in Alex. II. num. 14. in notis de Mogunt. Argentin. Bamberg. & Conſtantienſi Epiſcopis, Guarenſium Argentin. uti & Moguntin. & Bamberg. ob ſimoniam depoſitum, & Carolum Conſtantienſem an. 1071. in Conc. Mogunt. uti & Jaromirum Pragenſ. Epiſcopum ob affectum verberibus & injuria &c. Epiſcopum Olomucenſem Epiſcopatu fuiſſe motum: en! quæ rerum Eccleſiaſticarum facies, Canones contempti, Clerici, filii veneris, publice uxores ducebant, ſacratas etiam virgines, beneficia a nummis & adulatione pendebant &c. de quibus fuſius per decurſum agetur.

An. 1062.

ANNO 1062.

Indict. 15. Alex. II. P. 2. Henr. IV. Imp. 7. Ottoc. III. March. Styr. 27.

Agnes Imp. æmulos obtinet.

Ubi Italia hoc & anno pr. turbis agitata eſt, nec Germania ſine iis fuit, Agnes Aug. quæ Alexandro II. Papa æmulum Cadelochum Parmenſem oppoſuerat, & ipſa poteſtatis ſuæ æmulos experiri debuit; cum enim teſte Lambert. Schaffnab. in regni negotiis & filii educatione, plurimum uteretur, conſilio Henrici Auguſtenſis Epiſcopi, inceſti amoris ſuſpicionem ſubiit, injuſta lividorum obtrectatione, attamen licet fama hæc mendax eſſet, eo tamen valuit, ut odio Auguſtani Epiſcopi omnia fere per Agnetem regentis, a regni, Regisque pueri procuratione abſtraheretur Agnes. Anno Colon. Archiep. cum Ecberto Com. Brunsvic. & Ottone Bavar. Duce inito, Conſilio in Kayſerswerth, ſeu inſulam S. Luidberti navi devectus, Henricum Regem puerum poſt epulas ſolennes hilariorem, in navim ſuam fraude pellexit, ac Coloniam non ſine gravi ſuffocationis periculo (cum Henricus ſibi mortem paratam putans in flumen ſe præcipitans ægre ereptus fuerit) deduxit. Agnes mater filium ſequi noluit quidem, attamen de ſæculo renunciando cogitare cœpit.

Abſtrahitur a regno & filii educ. ob Henric. Ep. Aug.

Annon colon. Ep. aſtutia in obducendo Henr. IV. Rege.

Wilhelm. Thuring. †

Wilhelmus Marchio Thuringiæ nuper ab Hungaris captus, & Geyſæ Benevolo interventu (v. an. 1060.) in ſpem connubii cum ſorore ejus Jojada rectius Sophia admiſſus, *reverſus in Thuirngiam, dum redire in Hungariam & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarum oſtentatione adducere parat, inter eundum, ſecunda manſione morbo correptus obiit*, ita Lambert.

bert. Schaffnab. & Annal. Saxo. *Sponſam ejus Sophiam Odalricus Marchio Carentinorum, cognatus ejus accepit, Marcham vero frater ejus Otto de Orlagemunde obtinuit. Horum, ſcilicet Willehemi & Ottonis Marchionum frater fuit Poppo, qui filium Odalricum, qui ſororem Ladizlai (Geyſæ is frater fuit) Regis Ungariæ duxit uxorem, quæ genuit ei juniorem Odalricum, qui accepit filiam Ludovici Comitis de Thuringia.* Ita denuo Annal. Saxo, atque huic narrationi innititur arbor Geneal. Comit. Souneck & Celejan. a me in præfat. hujus ſæculi allata.

Soph. ejus ſponſa nubit, dein Ulrico I. Carint. March.

Jam ſæpius obſervavi, præter Duces ſuos, Carinthiam etiam Marchiones habuiſſe, qui, ut non quidem ſine dubio cenſeo, Marcham illam, nunc Styriam inferiorem tenebant, Udalricus hic I. Popponis filius, primus Author fuiſſe videtur Souneckiorum dein Celejæ Comitum, qui filio ſuo ſtarcando, probabilius primogenito, & Popponis etiam nomine appellato, caſtrum *Souneck* inter alia dedit, eumque in Marchionis dignitate ſucceſſorem habuit. De caſtro hoc *Souneck* in Celej. territorio jam Diſſert. 1. dictum eſt. De Poppone ſucceſſore & filio plura an. 1070.

Souneckior. primus Author & Celejanorum.

Osburgenſis Synodus ad hunc annum pertinet, in qua Anno colon. in Italiam antea profectus, ac Alexandri II. partes contra Cadeloum amplexus, dein cum reliquis Epiſcopis Cadeloum damnavit. Nicolaus Aragon. & Leo Oſtienſ. conturbant tempora, ſed Synodum hanc huic anno reddunt Harduinus & Labbeus. Osbarium locus ignotus Germaniæ videtur, hinc Leo Oſtienſ. eam Synodum male cum Mantuana confundit tardius habita, P. Calles Osbarii loco Auguſtam Vindec. ſubſtituit, qua de re non diſputo, id veriſimillimum ex Manſio, eam exeunte menſe Octobri habitam ab Epiſcopis S. Annoni colon. conſentientibus, atque in poteſtate ſua puerum Regem habentibus, Cadeloumque præſente Rege, ac Italis, Germanisque Epiſcopis fuiſſe rejectum.

Archiep. Osburgenſ. Syn.

Cadelaus rei. & damnatus.

An Gebhardus Salzb. huic Synodo adfuerit? vix affirmare poſſum, id certius eum a partibus Alex. II. Papa jam diu, ante hanc Synodum ſtetiſſe; ait enim Anonymus in vita ejus ad an. 1062. *Qui abhinc uno & ſemis anno pallii inſignibus & privilegio ſingularis præ ceteris Epiſcopis principatus ab Alexandro Rom. ſedis Epiſcopo per Wezelinum Præpoſitum 8. Kal. Martii honoratus eſt.* Obtinuiſſe pallium ab Alex. II. omnes una voce teſtantur, Wezelinus autem, qui id attulit, præpoſitus erat Salisburg. qui an. 1043. die 24. Nov. Luitolpho def. ſucceſſit; in codice capit. legitur *Bezil* aliis *Bezelin*, qui anno 1067. die 22. Martii defunctus erat.

S. Gebhardus Salzb. tuetur Alex. II. P.

Pallium obtinet Wezelin. Præp. Salzb.

Idem vero S. Gebhardus I. ex Salzburg. Archi-Epiſcopis factus eſt Legatus Apoſt. ſedis, ut Mezgerus, aliique Script. Salisburg. rerum oſtendunt, apud Auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 175.

S. Gebhardus fit Legat. Apoſt.

Res Hungariæ ac Auſtriæ ex Hantallero tom. 1. faſtor. Campilil. refero, qui Aloldum ſuum ita loquentem adducit. *Bela regnum Hungariæ uſurpans, ob æmulum Salomonem irruit in Oſterrichiam, ubi is manſit cum magno exercitu, ſed Erneſtus virtute Patris non minor generoſe reſtitit, & hoſtem fugavit Azzone fortiſſimo capitaneo ſuo utiliter uſus. Bela autem nova arma parans in Auſtrales, dum ad finem anni placitum teneret, apud op-*

Hungari in Auſt. irruunt.

Bela Rex obit.

pidum Temes, ruente domo graviter contritus obiit, Erneſtus Marchio nomen ſtrenui a victoria reportavit. Scriptores tamen Hungari longe aliter loquuntur, nempe Salomonem a Bela benigne ſuſceptum, ſuis impenſis educatum fuiſſe, ſed hæc non concordare genuinis aliorum relationibus anno ſeq. oſtendam, præſertim cum Belam, tertio regni anno ex ruina domus occiſum fere omnes doceant.

Goslarienſ. tumultus. Goslarienſem hoc anno tumultum enarrare res noſtræ depoſcunt, Goslariæ natalem dom. celebraturus aderat inter Epiſcopos etiam Henr. IV. Rex. *Dum ad veſperam*, ſcribit Lamb. Schaffnab. *Sellæ Epiſcoporum locarentur, inter Camerarios Hecelonis Epiſcopi Hildesh. & Camerarios Widederadi de Eppenſtein Fuldenſ. Abbatis gravis concertatio oborta eſt, primo jurgiis dein pugnis geſta, citoque ad gladios prorupiſſent, niſi Ottonis Ducis Bajoariorum - - authoritas interceſſiſſet.* Cauſa erat, quod Hecilo Hildeſheim. Epiſc. contra morem veterem, quo Archiep. Moguntino in conventu etiam Epiſcoporum, Abbas Fuldenſ. ſemper proximus aſſidere ſolebat, neminem ſibi in Diœceſi ſua præferri prætendebat. Res in præſens ſopita, Goslariæ violentius erupit.

Eppenſtein de Widerad Abb. Fuldenſ.

Et Sigefrid9 ib. Abb. dein Arch. Mogunt. *Widderadus Comes de Eppenſtein* Abbas 24. Fuldæ, & ante eum *Sigefridus Comes de Eppenſtein* Abbas 23., ac anno 1059. Archiep. Mogunt. factus, ex ſtirpe Eppenſteiniorum noſtrorum Comitum in Muerzthall & Avelanz an fuerint? vehementer dubito, etenim Comites Epſteinii ſeu Eppenſteinii fuere etiam in Wetteravia, quorum ſeriem tab. Geneal. 376. Hübnerus pandit ex familia Comitum Stolbergenſium, atque ea in ſerie nullum omnino noſtrorum Eppenſteiniorum adducit. Sigefridum Eppenſtein Archiep. Mogunt. ſeriei illi inſerit, aſt Wideradum Abbatem negligit, quos tamen fratres, non profeſſione ſolum Monaſtica, ſed ſanguine etiam cenſeo.

Eppenſteinii in Wetteravia.

An iidem cum noſtris in Styr. ſup. & Carinth. An vero Eppenſteinii noſtri ex eodem ſtemmate deſcenderint, ac dein in has terras noſtras migraverint? argumenta, quibus id ſuadeam, nõn habeo, ad an. quidem 1019. ex Herman. Contr. oſtendi, Adalberonem Eppenſteinium, ac Comitem in Muerzthall & Avelanz, Ducemque Carinthiæ a Conrado II. Conradi I. Ducis Carinthiæ filio ad *Ulmam* victum fuiſſe, unde fors Adalbero in Suevia iisque vicinis etiam Wetteraviæ terris bona propria habuiſſe videtur, & ex his fors conjectura eſſe poſſet, primos hos Eppenſteinios Adalberonem & Marquardum circa ſæc. 10. finem ex Wetteravia, in terras noſtras veniſſe, atque arcem Eppenſtein penes Judenburgum (v. Diſſert. 4. cap. 6. §. 4.) condidiſſe in ſignum aviti ortus ac familiæ ſuæ, attamen, dum argumenta alia non adſunt, dum Hübnerus cit. noſtros Eppenſteinios, & Frælichius Archont. Carinth. tab. 3. Geneal. Eppenſteinios Wetteraviæ negligit, diverſæ eæ fuiſſe familiæ videntur.

Arx Eppenſtein in Styria.

Gotebold Aquil. Patr. Fuld. Mon. S. Steph. Can. Reg. In Aquilej. Chron. de Goteboldo Patr. Aquil. ſequentia referuntur ad hoc circiter tempus: *Hic conſtruxit Monaſterium S. Stephani de Aquileja, in quo erant Canonici Regulares, nunc autem ſæculares.* Palladius hoc Monaſterium idem cenſet cum Præpoſitura S. Stephani in civit. Forojul. munificentiam Goteboldi in S. Virgines Aquilejæ recenſet etiam de Rubeis cap. 56. fol. 530. Nec diu dein ſupervixiſſe videtur, annus enim emortualis uti, & Ravengeri ſucceſſio latet, huic itaque an-

Ei ſuc. Ravenegrus.

no,

no, donec alia conſtent, & Goteboldi mortem, & Ravengeri ſucceſſionem interim affigo, de quo pauciſſima exſtant, niſi quod in Chron. capituli civit. apud cit. de Rubeis in append. num. 3. legatur ſediſſe *annos* 4 addit Muratorius *menſes* 10. *dies* 18. cui dein an 1067. v. ſeq. Sigefridus ſucceſſit, ut ſuo loco dicetur.

ANNO 1063. *An. 1063.*

Indict. 1. Alex. II. P. 3. Henr. IV. Imp. 8. Ottoc. III. March. Styr. 27.

Cadelous Antipapa Romam petit, & largitione pecuniæ in civitatem Leoninam admiſſus Eccleſiam S. Petri occupat, recipere ſe tamen paulo poſt Parmam cogitur. In Ungaria, exſtincto hoc vel præced. an. Bela Rege, Salomoni Andreæ Regis filio ſpes rediit paternum ſolium occupandi. Geyſa enim Belæ filius malebat moderatis in pace opibus frui, quam majoris fortunæ ambitu periculum incurrere, inde ad Henricum IV. Regem Legatos miſit, ſui loco profeſſuros: *Si ſibi apud Salomonem filium Andreæ, regiis natalibus & meritis ſuis condignus honor haberetur, ſubditum ſe ei, fidelemque futurum, & malle beneficiis cum eo, quam armis, fide quam acie dimicare. Eadem Ungarii omnes aſſidua legatione pollicebantur, ita Rex Henricus Ungariam cum exercitu ingreſſus Salomonem in ſolium Patris reſtituit, juncta ei in conjugium ſorore ſua.* Ita Lambert. Schaffnab. conſonant eidem Berthold. Conſtant. Chronic. Auſtrale, Mellicenſe, Salzburg. Admont. apud Hier. Pez. Sed Auguſtenſe Chronicon paulo expreſſius hoc anno memorat: *Mortuo Bela Rege Ungarorum Henricus Rex puer Pannoniam cum exercitu ingrediens, Reginam cum filio Salomone pridem expulſam regno reſtituit, paucisque repugnantibus devictis Provinciam eandem ſibi ſubjugavit.* Hoc in Comitatu Henrici Ottocarum III. Marchionem noſtrum adfuiſſe ſcribit Prevenhueb. Annal. Styr. fol. 392. juviſſeque Henricum, adjuncto fors ſibi Styrorum exercitu, ut Salomonem reſtituerit, quo officii genere affectum Henrici ſibi demeritus eſt Marchio noſter.

Cadeloi Antip. res.

Salomon Rex Hung.

Ottoc. III. in Hungar. abit cum Henr. IV.

Opinioni huic de non ſatis pacato in Hungariam Henrici IV. aditu, adſtipulantur ſcriptores Boici docentes, Bela adhuc vivente apparatum ab Henr. IV. bellum, occupatum ab eodem Muſenburgum, atque hæc inter Bela Rege exſtincto, profugisque in Poloniam Geyſa & Ladislao filiis, Salomonem Albam uſque ſine ſanguine deductum fuiſſe. Ita habent Aventin. Brunner. Adlzreiter, concordat Chron. Auguſtenſe ſupra cit. Clauſtroneoburg. & Auſtriac. Authoris incerti apud Hier. Pez tom. 1. col. 439. 554. Sinamus ergo Authores Hungaros, noſtrisque aliquot ſæculis recentiores pro libitu diſſentire.

Redux ex Hungaria Henr. IV. Rex Ratisbonæ Eccleſiæ Patav. confirmavit omnia a Patre tradita, nominatim *prædia in Comitatu Erneſti Marchionis ſita in* Gowozbrunnen & Baumgarten, Chrubet *&c.*

Patav. Eccl. rec.

Erneſti Auſtriaci tabulæ Mellicenſi Monaſt. datæ hoc circiter tempore emanatæ fuerint, edidit eas tabulas P. Philibertus Hueber in Auſtria ex archivo Mellicenſi illuſtrata, parte 1. & P. Hieron. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. Diſſert. 2. §. 22. in iis ita fatur: *Notum ſit omnibus - - qualiter ego Ernuſto Auſtriæ Marchio cum dilectiſſima thori noſtri ſocia Domina*

Erneſti Auſt. rec.

Svvaenehilde Marchioniſſa & filio noſtro Luipoldo - - pro remedio &c. prædium quoddam Wickkendorff *&c. Monaſterio Mellicenſi delegavimus.*

2. ejus uxores. Hoc ex Diplomate obiter duo notata velim: *1mo* Probabilius Erneſto huic Marchioni duas fuiſſe uxores, primam Mathildam ex Lapide ſepulch. Mellicenſi, tabulis Clauſtroneob. Vito Arenpeckio, Haſelbachio apud Hier. Pez, & Aloldo Campililienſi, Hübnero tab. Geneal. 123. alteram vero Swanhildem ex invicto hoc diplom. Mellicenſi. *2do:* Filium Erneſto huic unicum Leopoldum circa an. 1050. ex Mathilda natum fuiſſe; nolo enim fabulas eas propudioſas recantare, quas de duobus Erneſti filiis Leopoldo & Alberto Enenkelius primum, dein Matthæus ſeu Gregorius Hagenus confinxere. Confodit ea jam dudum vir cl. Hier. Pezius tom. 1. tota Diſſert. 6. ſubſcripti ſunt dicto Diplomati teſtes: *Oezo Marchio de Styre, Eckbertus de Forinbache Comes, Fridericus Comes de Tengelingen, & filii ejus Sigebardus, & Fridericus, Ulrich & Goshaime, Rudolf & filius ejus Walchun de Perge &c.* hos itaque inter teſtes Ottoc. III. ſub nomine Oezonis citatur, ut jam ſæpius dictum.

Leop. ejus filius.

Ottoc. III. March. Ekbert & Fornbach. & Pergen de Rudolf.

An. 1065.

ANNO 1065.

Indict. 3. Alex. II. P. 5. Henr. IV. Imp. 10. Ottoc. III. Styr. March. 28.

Peregrin. Jeroſol. infelix. Epiſcopi complures Germaniæ, ut Sigefridus Moguntin. Guntherus Bamberg. Otto Ratisbon. Wilhelmus Traject. cum aliis plur. e Galliæ etiam nobilitate ad 7000. circiter computati in Palæſtinam peregrinationem ſuſcepere, ſed quoniam pretioſa nimis opum oſtentatione iter id ſuſceptum, experti ſunt illud S. Gregor. Homil. 11. in Evang. *Deprædari deſiderat, qui theſaurum publice portat in via.* Inde enim Arabes allexere, ut Wilhelmo Traj. Ep. ſemivivo relicto Sigefridum Mogunt. & Guntherum Bamberg. munito in caſtello oppugnarent, vixque evaſiſſent Arabum manus, niſi Ramula Princeps Saracenus eos liberaſſet, & ſalvos Jeroſolymam deduxiſſet, de quibus plura habent Marianus Scotus & Lambert. Schaffnaburg.

Egilbert. Paſſ. Ep. obit. Egilbertus ſeu Eilbertus Paſſav. Ep. 16. Kal. Junii tranquilla morte defunctus eſt, is & Cremifanenſem, & S. Hypoliti in Auſtria infer. Eccleſiam conſecravit, ac domum S. Floriani reparavit, *a Monachis ante habitatam, Clericis mancipavit,* ut habet Bern. Noricus in append. Chron. Patav. Pontif. col. 1306.

S. Altman. ſucc. Succ. eidem ad interceſſionem Agnetis Aug. Altmannus ejus Capellanus, atque dum adhuc in peregrinatione Jeroſ. detineretur, abſens Epiſcopus eſt declaratus, & maximo cum gaudio dein a Clero ac populo ad ſedem eam deductus, quem dein Gebhardus Salzburg. conſecravit. Vir erat ſanctiſſimus, Canonicæ vitæ Reformator, atque unus inter eos, qui impiis Henrici IV. auſibus reſiſtere valeret, ita enim ait Bertholdus Conſtant. *Quatuor tantum in Germania antiſtites in Catholica communione perſtiterunt, videlicet Adalbero Wirceburg. Altmannus Patav. Adelbertus Wormat. Herimanus Metenſis,* de quibus plura dicturus ſum. Vitam 1. Altmanni ſcripſit Cænobita Gotwic. exſtatque ea apud P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 112. ad 163. alteram Rupertus Abbas. De ſtemmate Altmanni varia eſt authorum opinio: ambæ S.

Germaniæ ſtat. Eccl.

Altman-

Altmanni vitæ apud Pezium cit. eum in Weſtphalia Saxoniæ parte, claris parentibus ortum volunt, Paderbrunæ dein Canonicum, ac Aquiſgranenſem Præpoſitum factum, Capellanumque Henr. III. Imp. Agnetis Auguſtæ. Alii vero e celebri & pervetuſta Putinenſium Ducum familia poſtremum ſtatuunt. De familia hac jam plura in Diſſert. 4. cap. 6. dicta ſunt, & in criſi ad Diploma 4. dicentur, obſervo tamen antea, ea in Putinenſium Genealogia Altmannum nullum reperiri, nec etiam a Lazio, qui Putinenſium ſeriem ab Arbone orientalium præfecto tempore Ludovici Carolingorum poſtremi, deducit, Altmannum ullum memorari. Quamvis vero teſte Gewoldo ex perveteri Chronico, Putinenſes in Auſtria egerint, ac in Saxoniæ & Weſtphaliæ Principum aulis verſati fuerint, rectius tamen e Wettinenſium familia e Saxonia & Weſtphalia, originem traxerit a Wittichindo, ut v. Hübner. tab. Geneal. 147. 154. 156. qui Altmannum tamen & hic reticet, quod vero authores quidam Altmannum poſtremum Putinenſium velint, non congruit, quoniam ea ſtirps ad Ottocarum V. uſque perduravit.

S. Altmannus an e Comit. Putin.

Eorum origo.

ANNO 1066. *An. 1066.*

Indict. 4. Alex. II. P. 6. Henr. IV. Imp. 11. Ottoc. III. Styr. March. 29.

Indies jam magis diſſidere in membris ſuis Germania cœpit, Adalbertus Brem. Archiep. odium ſibi aliorum Principum, & ipſius Henrici Regis attraxit, ita, ut Henricus aut ſe regno, aut a ſe Adalbertum abdicare in Triburienſi Conventu cogeretur, & Adalbertus Wernhero Comite ſuo clava percuſſo, ægre ſe ſalvaret. Eberhardus Trevir. Arch. inter ſacra, Sabatho S. Paſchæ peracta inter manus Archidiac. ſui obiit non ſine ſuſpicione veneni ſibi a Judæis, quos expellere volebat, porrecti, huic dum Anno colon. nepotem ſuum Cunonem inconſulto clero & populo ſuffecit, Cunonem Thiedericus Comes major domus Eccleſiæ Trevir. ex altiſſima rupe præcipitari & necari fecit. Theodericus Comes exul in peregr. Hieroſol. obiit, percuſſores alii vero divinitus ſunt puniti.

Res German. turbatæ.

Inter hæc Henricus Rex ipſe graviſſime ægrotare cœpit, reſtitutus tamen valetudini, nuptias cum Bertha Othonis March. Ital. per Sabaudiam & Pedemontium filia, celebravit Triburiæ.

Henr. IV. nupt.

ANNO 1067. *An. 1067.*

Indict. 5. Alex. II. P. 7. Henr. IV. Imp. 12. Ottoc. III. Styr. March. 30.

Occurrit apud P. Meichelbeck hiſtor. Friſing. tom. 1. part. 1. pag. 261. *Udalricus Iſtriæ Marchio*, Rex enim, ubi quædam largitur, addit *in pago Iſtria in Marcha Udalrici Marchionis*, immo jam ad annum 1060. exſtat *privilegium Henrici Regis de 20. Maſſariciis datis Vodalrico Marchioni in certis locis Iſtriæ.* Item ad an. 1014. ſed hos annorum numeros vitioſos eſſe oſtendit de Rubeis, quos vero ipſe adjungit, magis adhuc ſuſpecti videntur, ait enim: *Donatio S. Syri facta per Vodalricum Marchionem Iſtriæ Eccleſiæ Aquilej. an. MCI. Indict* 13. mox ſine anni adjectione indicatur *inſtrumentum donationis factæ de caſtro Portulen-*

Udalric. March. Car. & ejus reſ.

ſi, Aquilejenſi Eccleſiæ per Dominum Vodalricum filium Uodalrici Marchionis, ſola epocha Meichelbeckii certa eſt, reliquæ incertæ.

Iſtria olim ſub Bavar. Ducib9. Ex his vero ingens ſuboritur dubium, an Udalricus I. Marchio Carinthiæ ac Author Comitum de Souneck & Celeja, idem fuerit cum Udalrico Marchione Iſtriæ? Ex ſæpe dictis conſtat, 1. Iſtriam olim *Iſtria ſub Caren.* Bajoariæ Ducibus paruiſſe. 2. Ubi Carinthia a Bajoaria ſeparata fuit, Iſtriam Carentanis Ducibus fuiſſe obnoxiam, uti noviſſime in Adalberone & Conrado Ducibus Carent. & Iſtriæ legimus. 3tio: Præter *Dein proprios Com. & March. obtinet.* Duces hos, uti Carinthiæ, ita & Iſtriæ ſui erant Comites, & Marchiones uti de Rubeis exhibet pag. 535. &c. in Vezzelino Comite, Azzica filia ac Ulrici Com. matre, in Udalrico Udalrici filio &c.

Cum itaque 2. vel 3. deinceps hac ætate Iſtriæ Marchiones occurrant Udalrici, decidere tamen arduum eſt, licet tempora congruant, an iidem cum duobus Udalricis; uno Marchione, altero Comite Carinthiæ fuerint. In præfat. hujus ſæculi ac Genealog. Souneck ac Celej. Com. occurrit *Udalricus I. Marchio Carinthiæ*, de quo jam ad an. 1062. *Udalr. II. Com. Carinth.* dixi, alter erat *Udalricus II.* ejus ex Sophia filius, ſed *Comes* ſolum Carinthiæ dictus, quia Poppo primogenitus Marchio erat, Udalrici II. ad an. 1095. mentio fiet ob res inique in S. Thiemonem Salzb. geſtas. Sive proin Iſtriæ Marchiones Udalricos, cum Carinthis confundamus, ſive diſtinquamus, magnum in hiſtoria errorem vix admittemus. Interim cum Udalricus Marchio Iſtriæ a Meichelbekio hoc an. citatus ſimul Carnioliæ præfuerit (ut indicant loca ibidem adducta nempe *Cubida, Lounca, Ozpe Razari, Trüſculo, Steina, Sechte Petre*) uſque *Udalr. alius March. Iſtriæ.* ad Steinenſes alpes extenſæ, vix eundem cum Udalrico noſtro, Marchione Carinthiæ cenſeo, Valvaſorius inter Marchiones ſuæ patriæ utrumque Udalricum omittit, ſed Duces ſolum Carinthiæ pro Marchionibus Carnioliæ adducit.

Mantuan. Conc. Mantuani Concilii epocha inter Authores controvertitur, ad hunc tamen annum illud concilium referendum eſſe docent Pagius & Calles. Cauſæ ejus erant 1. Cadelous, quem propter Henr. IV. Regem fovere cœperant Romani, qua de cauſa etiam B. Petrus Damianus elegantem Henr. ſcripſit epiſtolam, in qua directe queritur ſolum adverſus Palatinos quosdam, & conſiliarios, metumque injicit, ne diviſo ſacerdotio, dividatur & regnum, territus Imp. Annonem Colon. in Italiam miſit Legatum, cujus etiam opera effectum, ut Alexander II. *Cadeloi mors mala.* P. a Longobardis Epiſcopis agnoſceretur, Cadelous damnaretur, qui tamen jure ſuo non cedens captus, & turri incluſus, miſere periit. 2. In eod. Conc. Alex. II. jurejurando ſe purgavit a Simonia.

In Saxonia murmura & querelæ, futurarum initia turbarum, audiebantur ob caſtella a Rege Henrico exſtructa.

Altman. Pat. vet. Altmannus Patav. ſecundis adhuc rebus fruebatur Agnete Imp. in Bajoaria verſante, nec Henrico adhuc a ſe alieno, a quo etiam 50. regales manſos in Marchia Erneſti Marchionis obtinuit, ut v. Diplom. *Sigebard. Patr. Aquil. an ſeq. e Com. de Plejen. Vienna an olim Com. de Plejen.* apud Auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 257. ſubſcripſit Diplomati Sigehardus Cancellarius an. ſeq. Patriarcha Aquilej. factus, oriundus e genere Comitum de *Plejen*, quorum patrimonium Lazius fuiſſe putat oppidum Viennenſe tum adhuc anguſtum, uti & pagum S. Petronellæ

in

in Marcha orientali; quo loco nobilis quondam urbs Carnuntum ſtetiſſe fertur, atque ab hoc Sigehardo Altmannus vicum S. Petronellæ cum parochia, uti & parochiam Viennæ S. Petro Sacram cum quibusdam agris pretio comparavit circa an. 1070. teſte Lazio de migr. gent. pag. 405. plura de Sigehardo hoc cum tempore patebunt. *S. Petri par. ob. Paſſav.*

Salisburgi obiit Wezelinus Præp. Cathedr. 22. Mart. ſucc. Albinus. *Wezelin. Præp. Salzb. † Albinus ſucc.*

ANNO 1068. *An. 1068.*

Indict. 6. Alex. II. P. 8. Henr. IV. Imp. 13. Ottoc. III. Styr. March. 31.

Ravengero Aquilej. Patr. def. ſuffectus eſt ab Henrico Rege Sigehardus Cancellar. e Comitibus de Plejen, ut mox dixi, ita Lambert. Schaffnab. Ughell. Laz. *Ravenger*, inquit Schaffnaburg. *Patriarcha Aquil. obiit, cui Sigehardus Cancellarius ſucceſſit, pro quo Bibo Cancellarius eſt ſubſtitutus*, Godefrid. Abbas Gotwicenſ. hoc an. nullum a Sigehardo ſubnotatum Henrici Diploma numerat, unde anni initio vel ſeq. fine Patriarcha jam fuerit Sigehardus, vocatur etiam *Singefridus*, *Sigefridus*, *Sigehardus*, *Sicardus*, & *Sigeardus*. Lazius in commentar. Reipubl. Rom. lib. 12. ſect. 7. cap. 7. eundem Sigehardum Authorem putat Monaſterii *Beuern* prope Salisburgum, idem docet Bucelinus. *Sigehard. Patr. Aquil.* *An Author Monaſt. Beuern.*

ANNO 1069. *An. 1069.*

Indict. 7. Alex. II. P. 9. Henr. IV. Imp. 14. Ottoc. III. Styr. March. 32.

Henricum Regem juvenem tædere uxoris cœpit, unde ineſcaturus Sigefridum Archiep. Mogunt. promiſit ei decimas Thuringiæ, ſi ſibi aſſiſtere velit, ac initio quidem facilem ſe præbuiſſe videtur Sigefridus, ſed cæteris Epiſcopis refragantibus mutavit mentem, & rem Rom. Pontifici detulit. Interim, cum proximus adeſſet dies, quo ſcindendum conjugium Rex Henricus opinabatur Moguntiæ, B. Petrus Damianus adeſt Papæ legatus, matrimonii ſeparationem prohibiturus, cujus & cæterorum Epiſcoporum ſententiæ obſecutus eſt quidem Henricus in ſpeciem, Bertham tamen deinceps ſemper eſt averſatus. *Henr. IV. divortium tentat.* *Non obtinet B. Petr. Dam. legatus.*

ANNO 1070. *An. 1070.*

Indict. 8. Alex. II. P. 10. Henr. IV. Imp. 15. Ottoc. III. Styr. March. 33.

B. Petrus Damianus in Germania verſatus, plura Romæ de Simoniaca labe Epiſcoporum retulit Papæ, unde hoc an. Sigefridus Mogunt. Hermannus Bamberg. Simoniæ rei, Romam citati venere, S. Annone Colon. alia tamen ex cauſa comitante, ibi coram Alex. II. rei inventi, accepto juramento non amplius Simoniam committendi, liberi dimiſſi ſunt ad ſuas Eccleſias, non ideo tamen, ut male ſuſpicatur Lambert. Schaffnab. quod Alexandrum muneribus devinxiſſent, ſed quod præcipuarum Eccleſiarum eſſent Epiſcopi, ac regnum fere cum Henr. IV. gubernarent, ſeque obedientes Papæ exhiberent; convincitur erroris Lambertus eo, quod Sigefridus Henrico Regi retulerit ſe aſpere ab Alex. II. P. objurgatum, vixque depoſitionem evaſiſſe. *B. Petrus Dam. legatus.* *Res Germ. Ep.*

Non

S. Gebhard obtinet lic. erig. Epiſc. in Carint.

Non minus in ſua vota benignum Alexandrum II. ſenſit Gebhardus Salzb. Archiep. is cum pro ſingulari ſuo in commiſſam ſibi Eccleſiam ſtudio unus ſatisfacere nunquam poſſet, novum in ſua Diœceſi antiſtitem in partem ſolicitudinis vocare conſtituit. Carentania maxime, quæ jam inde ab Adalwino Archi-Epiſcopo ob enata inter Epiſcopos ejus Provinciæ & Salzburg. Archi-Epiſcopos diſſidia, paſtorem non habebat, tali ſubſidio indigere videbatur. Unde quod petiit, ab Alexandro II. Papa obtinuit datis ad eum litteris, quas apud Labbeum tom. 12. pag. 107. vide &c. *Gurca* electa eſt ſedes novo Epiſcopo, quoniam *Liburnia* ſedes quidem olim Modeſti Epiſc. jam proſtrata, præter Eccleſiam S. Petri nil habebat, quæ tamen ipſa ab Arnulfo, jam Epiſcopis Friſing. data erat, cum diſtrictu inter Liſaram fluvium & montem Juro, ſupra Mölnam amnem. Inciderat vero opportune Himezelæ antiſtitis Gurcovenſis mors, adjunctum huic Parthenoni erat collegium Canonicorum, eo itaque conjecit oculos, adiitque Regem uti ejus authoritate negotium conficeret, mandavit ille, *ut aſſumptis ſecum Ottone Ratisbon. Altmanno Patav. Epiſcopis, Starchando Marchione, Gurcenſis Eccleſiæ advocato, aliisque regni principibus adiret locum, & Gurcenſium pariter inveſtigaret conſenſum, neque vim aliquam illi Eccleſiæ inferret*, uti ſcribit biographus S. Chunradi Salzburg. Archiep. hæc proin huic anno illiganda videntur, reliqua ſubſequis, ut inferius pluribus. Aſt quis hic *Starcandus Marchio & advocatus Eccleſiæ Gurcenſis?* cujus non ſolum biogr. cit. S. Chunradi, ſed ipſe etiam S. Gebhardus in notitia fundat. meminit. Obiit nempe *Udalricus Carentinorum Marchio*, ut notat Lambertus Schaffnab., ejusque *viduam Sophiam*, Belæ Regis filiam, *duxit Magnus Ordulfi Brunſvvic. Saxoniæ Ducis filius.* Conſonat ei Annal. Saxo. ſucceſſorem Udalrici P. Calles ſe compertum non habere profitetur, ego tamen *Starcandum* hunc ſeu *Popponem* judico. Popponem hunc ſeu Starcandum Udalrici I. Duc. Carentin. filium ex Sophia, docet Anonymus de Guelphis apud Eccardum origin. Saxon. pag. 245. his verbis: *Erat tandem eadem Sophia* (Belæ filia, uxor Magni Saxonis altero matrimonio) *antea cuidam de Carinthia* (Ulrico I.) *copulata, ex qua genuit Popponem Marchionem &c. Popponem* vocat Marchionem ſine adjecto Provinciæ, at quoniam pater Carentanorum Marchio erat, procul dubio etiam filius. Jam vero Starcandum & Popponem unum eundemque fuiſſe probandum eſt, uti & Starcandi, non nomen ſed cognomen potius fuiſſe. *Starcand* vel *Starchant*, vel *Starchard* nomen, non loci, nec familiæ cujusdam vocabulum fuit, ſed viri nomen aut cognomen a *robore manuum*, *Starhand*, vel a *firma indole Starchard* deſumptum, occurret ſæpius id nomen in antiquis Diplomatis, nunquam tamen familiæ, ſed viri ſolum notio invenietur, nec in Carinthia, vel alia quacunque terra apud Geographos offendetur caſtrum, vel locus *Starchand*, *vel Starchard*, neque in Diplomatis ulla unquam familia de Starchand. Scio quidem Lazium ſcribere lib. 7. de Migrat. gent. pag. 291. *Wilhelmum & Cunradum Comites de Starchad* in litteris Henrici Ducis Carinthiæ an. 1096. inter teſtes citari fundat. Oberburg. ſed id licentiæ Lazianæ, quoad verba *de Starchand* tribuendum eſt, cum ex charta ejusdem Henrici Ducis an. 1102. vel ſeq. contrarium de iisdem pateat,

Gurca ſedes Ep. Cur non Liburn.

Starchand ſeu Poppo Marcb. Carin. & Advoc. Gurcenſ. † Udalr. March. Car. Sophia ux. denuo nubit.

Starcand non nomen ſed cognom.

teat, & ſcribantur, *Willibalm de Huninpurch*, & *Starchant Marchio de Soune &c.*

Cum itaque Udalricus I. Marchio Carentin. hoc anno obierit, cumque ejus primogenitus Poppo fuerit, &, ut oſtendi, ſucceſſor patris & Marchio Carinthiæ, cumque eodem Popponis tempore, jam *Poppo Marchio*, jam *Starchandus Marchio* in vetuſtis documentis inveniatur, quidni unus idemque cenſendus, & Poppo Marchio, *e robore manuum* Starchandi cognomen tuliſſe ſat tute creditur. Plura de Poppone ſeu Starchando per decurſum patebunt. Geneal. ejus v. in Præfat. huj. ſæc.

Præterea erravit Lazius, dum Udalrico I. Carinthiæ Marchioni Carinthiæ, ſeu, ut ait in Styr. ſuper. & Auſtr. infer. confinio ſucceſſores ſtatuit, fratres vel filios *Hadericum & Rudolfum*, quorum mentio fit in fundat. Gotwic. nam præterquam, quod Marchiones Carinthiæ in Styr. infer. parte poſitos opiner, hi duo nec Popponis ſeu Starcandi fratres vel filii, nec Marchiones alio ſenſu erant, quam quo illi, de quibus jam an. 1045. dixi. *Hadericus & Rudolf. March. Carinth.*

Otto inter hæc exauthoratus eſt Bavariæ Dux, quæ res innumeras turbas procreavit, nam ob ſummam in aula Regis authoritatem, invidiam multorum ſubiit, tum Sycophanta quidam atrox Egino aliis Egenes Regem adit, ſeque ad occidendum Regem ab Ottone ſæpius inſtigatum, gladiumque, quem oſtendebat, ſibi ea de cauſa datum aſſerebat. Moguntiam evocato, & uti poterat, omnia neganti, 6. hebdom. induciæ datæ, utque Kalendis Aug. Goslariæ duello ſe purgaret, juſſus eſt. Indignam quidem conditionem ſuſcipiens, cum ab irato Rege, nil etiam duello peracto, ſupereſſe ſpei adverteret, armis rem ſuam commiſit, interim vero Saxones Principes privatis in Ottonem odiis inſtincti, ſententiam capitalem, Henrico eorum mentem expoſtulante, in eum ferunt, moxque Ottonis prædia & caſtra hoſtiliter diripi cœperunt, caſtellum Hannenſtein Ottonis funditus everſum, alteri Degenberg in Bavaria inf. exercitus admotus, Otto vero raptis illico 3. armatorum millibus Thuringiam populatur, de iisque victor in Saxoniam abit, ibique tum ex præda collecta, tum ex liberalitate Comitis Magni, Ordulphi ſeu Ottonis Saxon. Ducis filii, ſeſe ſuſtentat. *Otto Bavar. Dux exauth.*

Anonymus Leobienſ. apud Hier. Pez tom. 1. Auſtr. ſcript. col. 772. ita narrat: *M. LXX. Rex vero (Henricus) etiam interveniente Regina, Marchiam Carnioliæ, præſente Duce Ludolfo Karinthiæ, obtulit Sighardo Patriarchæ, & Eccleſiæ Aquilej.* Diploma Henrici nondum typis vulgatum memorat Fontaninus in vindiciis Diplomat. lib. 2. cap. 6. num. 5. quo Henricus donat Sigehardo Marcham Carnioliæ, *ſubveniente dilecta noſtra Bertha Regina*, Diploma anno M. LXX. Norimbergæ datum refertur. Aſt ſi præſente *Duce Ludolfo* Carniolia data eſt Sigehardo, id non hoc, ſed an. 1077. primum factum fuiſſe oportuit, quoniam Luitoldus anno primum 1077. Dux Carinthiæ factus eſt, unde rite obſervat Frælichius Archontol. Carinth. part. 1. fol. 29. ante dimidium Junii ejus anni Norimbergæ Sigehardo, ad ſchiſma traducto, Patriarchæ Aquilej. & Carnioliæ Marchiam, & Iſtriam contuliſſe Henricum Regem. Utrumque dicitur: *datum 3. Idus Junii anno Dom. Incarnat. M. LXXVII. Indict. 7. - - actum Nieremberg feliciter Amen*, & in utra- *Sigebard Aquil. an Carnioliam obtinuerit.*

que legitur, *Ducibus autem Writizlao Bohemiæ & Liudolfo Carinthiæ.* Anonymus Leob. ab errore ſalvari poterit, ſi dicamus, primam deſignationem hujus donationis hoc anno fuiſſe factam.

An. 1071.

ANNO 1071.

Indict. 9. Alex. II. P. 11. Henr. IV. Imp. 16. Ottoc. III. Styr. March. 34.

Welf. 4. D. Bav. Goslariæ agens Henricus Rex ad preces Rudolfi Suevorum Ducis Bajoariam Welfoni ſeu Welfo IV. Azzonis Eſtenſis ex Chunegunda Welfi III. Carentaniæ Ducis an. 1055. ſorore, filio contulit, qui Welfo mox Ethelindam Ottonis exauth. Bav. Ducis filiam, conjugem ſuam, a thoro ſuo remotam, remiſit. Ita nos docet Lambert. Schaffnaburg. Annal. Saxo, & Ladislaus Sundheimius Can. Vienn. an. 1515. in hiſtor. de quibus apud Leibnizium tom. 1. ſcript. Brunſwic. pag. 803. ita ſcribitur: *Welpho IV. ejus nominis filius Dominæ Cunitzæ* (ſeu Cunegundis ſororis Welfi III.) *Comitiſſæ de Altdorff & Azonis Marchionis Eſtenſis ejus mariti, ex quibus hic Welfo habuit Comitatum Altdorffenſem. Hic per Henr. IV. ejus nominis Imp. fuit Dux Bavariæ factus an.* 1071. Conſentiunt Chronica Auſtriæ fere omnia Mellic. Clauſtroneob. apud Hier. Pez tom. 1. Otto vero Dux exauthoratus, Regem in Bajoariam abiturum prævertit, Haſengum montem munit, fortunam rerum ſuarum prælio delegaturus, Eberhardus Comes Nellenburgicus prælium utrinque excuſſurus Ottoni ſpe injecta ad paciſcendas inducias ſtimulos addit, quas etiam Rex ei ampliavit, arce Hamerſtein optime munita.

Otton. Bavar. Duc. res.

Pentecoſten Halberſtadii celebravit Rex, interimque Bertha filium ei peperit mox a Baptiſmo defunctum, & Hartesburgi ſepultum. Halberſtadii conſecrationi Monaſterii Principis fer. 2. Pent. Id. 16. Junii celebratæ adfuit non ſolum Rex, ſed inter plures Epiſcopos *Otto Northeimius* Bavariæ Dux quondam, quem cum ſociis in deditionem acceptum, Principibus regni in cuſtodia habendum, & ſtatuto die ſibi reſtituendum commendavit.

Monaſt. Germ. ſtatus peſſimus. Deteſtandum Monaſteriorum ſtatum nobis Authores pluribus exemplis oſtendunt, nam Rubertus Nummularius dictus ob mercatus Simoniacos, Abbas Babenberg. Augienſem Abbatiam emit, & Fuldenſi etiam inhiavit, ſed Advocatus Augienſis terrorem injecit, eumque, ne Augiam veniret, prohibuit. Bamberg. vero Monachi cum Ecbertus Görzienſ. diſciplinæ Monachus, adveniret Abbas, illico diffugerunt, quia omnes mercatoriæ, atque uſurariæ artis diſciplinæ inſtituti. Simile quid in pluribus Cœnobiis per id tempus contigit, diſciplina per intruſos vel metu torpentes Monaſteriorum Præſules relaxata.

Gebhard. Salzb. Carol. Ep. Conſtant. depon. Otto ſufficitur. Gebhardus Archiep. Salisburg. interfuit Synodo Moguntinæ, in qua Carolus, qui Conſtantienſem Epiſcopatum pretio emerat, præſente etiam Henrico Rege, & obnitente, ad mandatum Papæ depoſitus fuit, cui dein Otto Goslariæ Can. ſuffectus, & mox conſecratus fuit.

ANNO 1072.

An. 1072.

Indict. 10. *Alex. II. P.* 12. *Henr. IV. Imp.* 17. *Ottoc. III. Styr. Mar.* 35.

Henricus Wormatia rediit in Bajoariam, & 5. Id. Januar. *Guntherum virum* nobilem de Krapfeld, quem Gebhardus Salzb. aſſumpto ſecum Ottone Ratisb. Altmanno Paſſav. Epiſc. nec non Starchando, ſeu ut dictum, Poppone Gurzenſis Eccleſ. advocato, cum conſenſu Cleri & populi Gurcenſ. Epiſcopum ſtatuerat, Ratisbonæ confirmavit. Electio hæc priori anno facta videtur, cum 5. Id. Jan. hujus anni jam fuerit a Rege approbata: Diploma confirmationis adfert Daniel Papebrochius ad vitam S. Hemmæ 29. Junii, ex his conſtat etiam, binis certe vicibus Gebhardum Gurcam veniſſe, primo ex mandato Regis, Comite Ottone, Altmanno, & Starchando, quando negotium cum Gurcenſibus tranſegit, altera vice quando, ut mox dicam, Guntherum ibidem conſecravit. *Krapfeld de Guuth. Epiſc. I. Gurc.* *Popponis Mar. Car. res.* *Gebhard. Salzb. res.*

In ſecundo Gurcenſi S. Gebhardi adventu leges etiam inter Gurcenſes & Salisburg. ſtatutæ. 1. *Ne quis Epiſcoporum Gurcæ eligatur, niſi præſente Juvavenſ. Archi-Epiſcopo.* Si in electione quid diſſidii oriatur, Archi-Epiſcopi erit, revocare concordiam. 2. Epiſcopi Gurcenſes *omne jus electionis in perpetuum habeant in Eccleſiam Juvavenſem, quale Archi-Epiſcopi in Gurcenſem.* 3. Gurcenſes Vicariam in S. ac temporalibus negotiis habeant jurisdictionem, unde etiam in Styria noſtra, ut Diplom. exhibent, Vicarii erant ad erectionem uſque Cathedræ Seccovienſis. 4. Termini parochiarum tempore commodiore definiantur. 5. Si Salisburg. vellent Gurcenſem ſibi attrahere Eccleſiam, ac in proprium redigere, Gurcenſes 15. nummis poſſeſſ. abſtractas rediment. Ita notitia Gebhardi *data apud* Gurckenhoffen 2. *Non. Martii an.* 1072. *Indict.* 10. Legibus hiſce conſtitutis eod. die 2. Nonas Martii Guntherus a Gebhardo Epiſcopus 1mus Gurcæ eſt conſecratus. *Præſentibus, & benedicentibus Epiſcopis Altvvino Brixin. Eberhardo Friſing. Candiano de Hiſtria, cæterisque comprovincialibus Epiſcopis Ottone ſcilicet Ratisbon. Altmanno Patav. ſuum in hanc ipſam ordinationem præbentibus aſſenſum.* Ut habet hæc notitia apud Auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 176. & 936. Chron. Salzburg. & Admont. apud Hier. Pezium. Chronica ſignatum habent 2. Nonas Maji, catalogus vero Gurc. an. 1554. ſcriptus concordat notitiæ ſcriptæ pro menſe Martio. *Gurcenſ. Epiſt. electio libera.* *Guntheri Ep. & Gurc. conſecr.*

In confirm. Diplom. Henrici Regis habetur, *ut obeuntibus in utraque Eccleſia Epiſcopis eorum ſucceſſores in electione alterius Epiſcopi viciſſim & primi audiantur, & primas voces habeant &c.* Præterea litteræ Alex. II. de an. 1070. 12. Kal. April. & Henr. IV. reg. datæ 2. Non. Febr. 1072. clare enunciant: *ut Epiſcopus Gurcenſis Eccleſiæ Juvavenſi, Gebhardo, vel ejus ſucceſſoribus nunquam ſubtrahatur, & nullus Epiſcopus quocunque pacto inibi conſtituatur, niſi quem Gebhardus vel ejus ſucceſſores elegerint, ordinaverint. Indignum enim* (addit Alexander) *atque deteſtabile eſt, ut hoc ſtudio pietatis a nobis quæſitum, Apoſt. authoritate firmatum, ad detrimentum Eccleſiæ tuæ quolibet modo vertatur.* Hæc cum libera electione ſuperius inſinuata omnino pugnant. Noſtris certe moribus, Gurcenſis alternis vicibus ab aula cæſarea, & Archi-Epiſcopo Salisburg. ſtatuitur. *Dubia de libera elect. Epiſcopor. Gurcenſ.*

Albeck de & Straßburg nobiles.

Inter donationes Eccleſiæ Gurcenſi, abrogatis monialibus, ac Canonicis ſubſtitutis, jam Epiſcopali factas, fuere caſtra & poſſeſſiones nobilium *de* Albeck & Straßburg, ut habet codex membraneus capituli. Hæc fuſius commemoranda erant, quoniam Gurcenſes Epiſcopi longo tempore in Styria noſtra Vicarii erant Salisburgenſes. Eodem hoc tempore B. Altmannus Patav. Ep. S. Floriani in Auſtria Monaſterium reſtaurat, ipſum Monaſteriumcum 5. altaribus conſecrat, Canonicos Reg. ibi inſtituit, ac Hartmannum virum probatiſſimum eis Præpoſitum præficit, adjectis plurimis dotibus ac prædiis in fundum, quæ tamen alii cum Auth. Germ. Sacræ tom. 1. fol. 268. melius an. 1081. affigunt. Quam vero perverſi Clerici domum S. Floriani incoluerint, ex Authore vitæ S. Altmanni dabo in criſi Diplom. 3. in fine.

S. Floriani Monaſt. fit Can. Reg. an. 1081.

Hartmann. I. Præp.

B. Altman. Pat. Epiſc.

Gottwic. Monaſter. initia.

Verius itaque ad hunc annum cum Clauſtroneob. Chronico aliisque, Cœnobii Gottwicenſis initia reſeruntur, quo Altmannus ex villa *Mutera*, ſeu Mautern in montem proximum aſcendit & exciſis ſylvæ arboribus, oratorium conſtruxit, atque ſuſpenſa ad Quercum, quæ Bohemorum Ducem Wratislai, Conradi, & Ottonis, munere allata erat, tabula græci operis cælatura B. V. M. referente, ſub ejusdem & S. Erentrudis nomine dedicavit, ut fuſe refert Biographus S. Altmanni. Templum tamen majus ac Monaſterium ſerius circa an. 1082. vel ſeq. conſecratum eſt, unde eo an. plura dicam.

S. Nicolai Paſſ.

S. Nicolai Can. Reg. Monaſterium ab eodem Altmanno hoc circ. tempore erectum dicitur, de quo ad an. 1076.

Bertold. II. Zæring. Dux Carint. deponitur, ſucc. Marquard. Com. Murat. &c.

Sub anni finem, dum natalem Domini Bambergæ præter morem ageret Henr. Rex, *ibi Bertholdo Duci Carnotenſium* (lege *Carantanorum*) *Ducatum ſine legitima diſcuſſione abſenti abſtulit, & Marcvvardo cuidam propinquo ſuo tradidit*, inquit Lambert. Schaffnab. quæ causa fuerit? ignoratur, Rex ipſe dein ſimulatione quadam, rei culpam in Marquardum conjicit; *caſu nuper advenerat*, pergit narrare Lambertus idem, *neſcio, quid privatæ cauſæ acturus in palatio Bertholdus, quondam Dux Carentinorum, huic Rex, quam ſanctis obteſtationibus ſe purgabat, quod nulli alii Ducatum ejus tradidiſſet, ſed Marquardus privata præſumptione, fines alienos invaſiſſet, nec ei quidquam de jure ſuo propterea imminutum eſſe, ſi ſuo injuſſu ſine conſulto Principum, honores publicos homo ineptiſſimus temeraſſet.* Obſervabat Bertholdus probe, hæc ficte ſolum a Rege dici, cum Hartesburgi a conjuratis Saxonibus cingeretur, tolerabat tamen lenius initio injuriam Bertholdus, dein vero ad hoſtes Regis abiit, iramque ſuam nonniſi cum vita poſuit. Hæc Bertholdi exauthoratio, quia ſub finem anni facta, & ſubſtitutio Marquardi a plerisque ſeq. an. innectitur.

Succeſſit a Regis voluntate Marquardus Adalberonis Carent. Ducis exauthorati filius, Muerzthall. & Avellacenſ. in Styria ſuper. Comes & Dominus de Eppenſtein, cujus Genealogiam anno 1011. & 1045. ex parte dedi. At quomodo Marquardus hic *Henrici IV. propinquus & conſanguineus fuit?* id jam ex parte inſinuavi an. 1053. Conſobrini enim erant Marquardus hic, & Henr. III. Imp. proin. Henr. IV. uno gradu remotior, quod hoc ſchemate oſtendo.

Marquard. II. Dux Carinth. Henr. IV. propinquus.

Herman-

Hermannus Dux Sueviæ, Gerberga Arelat.

Giſela vidua Mar. *Conradus II. Imp.*	*Brigida* *Adalbero Dux Carinth.* exauth. 1035.
Henricus III. Imp. ux. 2. *Agnes.*	*Marquardus Dux Carinth* an. 1073. ux. *Liupurch.*
Henricus IV. Imp.	Luitoldus Dux Carinth. 1077.

Lazii ſententia jam Diſſert. 4. cap. 3. in Ottocaro III. §. 5. inſinuata, pluribus eſt expendenda, ſcribit ille lib. 6. de migrat. gentium fol. 172. de Ottocaro ad hunc annum. *Donatus a Cæſare Hero ſuo orientali Carnorum Provinciæ parte, qua Comitatum Styræ ad fontes Anaſi, Marchio Carinthiæ, ac S. R. I. Princeps eſt ſalutatus*, ſed mox ſibi ipſi contrarius eſt, dum commentar. reipubl. Rom. lib. 12. & lib. 6. de migr. gent. fol. 177. &c. docet: *Marquardus Comes ab Eppenſtein, Muerzthall, & Avelanz, Adalberonis Ducis quondam Carnorum exauthorati filius, Leopoldo proſcripto ab Henr. IV. Imp. in Ducatu Carinthiæ confirmatus, ſed hac lege, ut Marchiam Carnorum demptam a Ducatu, Ottocaro Ozionis Styriæ Comitis in Norico filio (quod is ſeſe non minus, atque Marquardus in bello Saxonico adjuviſſet) in perpetuum concederet, atque ab eo tempore duo Principatus ex uno facti, & Styriæ Marchæ Principatus nomen tum primitus auditum fuit.* Sed plures errores hic intercurrunt 1. Marchiones Carinthiæ a Ducibus ejus Provinciæ, & Marchionibus Styræ diſtincti occurrunt uſque ad Leopoldum fortem Ottorari IV. filium. 2. Comitatus Styræ avitus Ottocarorum jam diu antea fuit, Principatus hoc tempore nondum auditus. 3. Leopoldus Dux Carinthiæ ab an. 1077. ad 1090. nunquam proſcriptus fuit, quod ſi vero per errorem pro Bertholdo Zæringenſi poſitus fuiſſet Leopoldus, adhuc tamen non probaretur Marchia Carnorum abſtracta, & Ottocaro noſtro collata, ut ex ratione 1. colligitur. 4. Dum Lazius ait Ottocarum Ozionis filium, indicare videtur Ottocarum IV., eique collatam Marchiam Carnorum a Marquardo oblatam, ſed Marquardo in Ducatu Carinthiæ Luitoldus filius jam an. 1077. ſucceſſit, quo anno adhuc Ottocarus III. Styriæ præfuit. 5. Bellum Saxonicum ad fluvium Unſtrut an. 1075. geſtum eſt, an. ſeq. redintegratum, atque ad an. 1092. perductum denuo, aſt in hoc Ottocarum noſtrum partes Henrici a Greg. VII. excommunicati non fuiſſe ſecutum, & Diſſert. 4. oſtendi, & ſubſeq. annis dicetur.

An Styria ſuper. hoc temp. a Carinthia avulſa.

Et Ottoc. III. data.

Ex his itaque patet Lazii ſententiam, de Marcha Carinthiæ Ottocaro III. vel IV. etiam aſſerta, ſuſtineri non poſſe.

Marquardus porro hoc anno Dux Carinthiæ conſtitutus, ſeu declaratus, celeberrimum dein Styriæ ſuper. tum adhuc Carinthiæ Monaſterium moliri cœpit, quod Henricus filius, & Dux etiam Carinthiæ perfecit an. 1104. quo vero anno? id nondum conſtat, exſtat *Marquardi nondum Ducis* charta in tabulario celeberr. Cœnobii S. Lambert. ſed ſine anno & loco, qua *Marchvvard filius Adalberonis Ducis, & uxor ejus Liupirch decimas & alia in manus Gebhardi Archiep. Salzb.* tradunt, quæ proin charta intra an. 1070. quo Gebhard. Salzb. ſedem adiit, & an. 1073. quo Marquardus jam ſe Ducem ſcripſit, exarata eſſe debuit; documenta domeſtica, Monaſterii initia inter an. 1066. & 1074. locant.

Marquard Dux Carint. S. Lambert. Monaſter. molitur.

eo, quod Marquardus voti reus fuerit, quo ſe accepto in bello adverſus Geyſam & Ladislaum vulnere obſtrinxerat; Geyſæ cum Ladiſ-
Hungar. res. lao ſucceſſore bellum fuiſſe, non invenio, bene tamen an. 1063. Geyſæ ac Ladislao cum Salomone, quo proin in prælio ſaucius votum id ediderit Marquardus, ac dein exequi cœperit. Aliud etiam Geyſæ cum Salomone bellum ad an. 1074. adferetur.

An. 1073.

ANNO 1073.

Indict. 11. *Greg. VII. P.* 1. *Henr. IV. Imp.* 18. *Ottoc. III. Styr. Mar.* 36.

Henr. IV. ſit invifus ſuis. Bertholdi Carent. Ducis exauthoratio Henrico IV. inter alia, magnum conflavit odium apud Saxones præſertim, propter caſtella & militaria præſidia ipſis impoſita, longioremque in Saxonia Commorationem ſumptibus, & oneribus indies graviorem. Momentum ingens adjecit Henrici in reſtituendo libertati ac honori ſuo Magno Saxoniæ Duce comperendinatio, qui poſt factam cum Ottone Northemio ſui deditionem jam biennio fere in cuſtodia tenebatur. Thuringos offendit Henricus, quod Sigefrido Mogunt. Archiep. decimas ex omni provincia exigenti favere videretur. Alemannos Ducis ſui Rudolphi incerta apud Regem gratia, Bavaros, Carentanos, Ducum ſuorum nundinationes alienabant, Epiſcopi religioſiores prolapſam S. Ordinis diſciplinam ægerrime ferebant; unde etiam S. Anno Colon. procuratione regni ſe ſenii cauſa abdicabat, quapropter ſibi Sigefridum adoptavit Henricus, eumque ſpe decimarum Thuringiæ ſibi obſequentem
Erfordiæ Synod. fecit, coactaque Erfordiæ Synodo, decimæ omnes Sigefrido adjudicatæ Abbatibus Heresfeld. & Fuldenſi coactis, cæterisque Thuringis appellatione ad ſedem Apoſt. ſub pœna capitis ab Henrico prohibita.

Alex. II. † Greg. VII. P. Interea Romæ 11. Kal. Maji Alexander II. P. obiit, eique mox Hildebrandus ſub nomine Greg. VII. ſucceſſit, qui decretum electionis ſuæ mox ad Regem miſit, confirmationemque obtinuit, teſte P. Calles.

Saxonum rebell. Saxones mox in tumultum & turbas publicas eruperunt; regia enim caſtella iis impoſita, vis matribus ac filiabus a militibus impune illata, arcana præterea Henrici cum Rege Danorum conſilia adverſus libertatem Saxonum inita, eorum animis concoquenda non erant, Suevorum etiam exaltatio, & rumor, quod hos Saxonibus ſubſtituere vellet devictis, eos ad jura ſua ſanguine etiam defendenda adegit, ita ut aperte jam conjurarent; conjurationis capita erant *Bucco vel Buchardus Epiſc. Halberſtad. Otto Northeimius Dux Bavar. exauthoratus*, & *Hermannus frater* Ottonis, ſeu *Ordulfi Saxoniæ Ducis.* Hinc legationem ad Regem mittunt, petentes, ut 1. expeditionem in Polonos, qua Saxones peti videbantur, omitteret. 2. Ut caſtella dirueret. 3. Ut Saxoniam relinqueret. 4. Viles homines & concubinas dimitteret, quæ omnia fuſius Bruno bello Saxon. Lambert. Schaffnaburg. Bertholdus doccent.

Otton. North. res.

Rex primum terrore attonitus Legatos ancipiti reſponſo dimittit, ſed Saxones conjurati caſtra Goslariæ admovent, Henricus ut ſe Hartesburgum recipere cogeretur, ſed ubi Hartesburgum obſedere conjurati, Henricus Rex Legatos ſuos miſit ſuo nomine pollicituros, ſe quæ juſte peterentur, facturum, cumque minaces jam eſſent Regi, hic

præ-

præmiſſo ex arce theſauro & regni inſignibus clam triduo jejunus Herveldiam venit, quo etiam Adalbero Wirzburgenſis, Hermannus Babenbergenſis, aliique Principes cum militia ſua ſunt profecti, ubi dein armorum luſtrum, ad diem 5. Octob. in Preding. Herveldiæ villam indictum eſt.

Saxones Rege elapſo ejus caſtella evertunt, Hermannus Luneburgum nuper a Rege captum ad deditionem adigit, dediditios tamdiu affligit, donec Rex neceſſitate preſſus, Magnum ejus fratrem e cuſtodia dimitteret, varia dein nominatim conſilia de novo Rege eligendo agitari cœperunt, Papa tamen adhuc, & Rex utcunque conveniebant, id ſolum diſplicebat Papæ, quod excommunicatus Rex pro libitu communicaret, mox tamem edoctus Papa de rebus Saxoniæ, Regem monet, uti vi & armis adverſum Saxones abſtineret, donec ipſe Legatos ſuos rem inquiſituros dimitteret.

Inter conjuratos in Regem Henricum Chronica noſtra Mellic. Salisburg. Clauſtroneob. Anonymi Leob. & Admont. aliique ſcriptores paſſim etiam numerant Rudolphum Alemanniæ, Guelphonem Bavariæ Bertholdum Carinthiæ nuper Duces cum Sigefrido Mogunt. Adalberone Herbipolenſi, Adalberto Wormatienſi, atque Gebhardo Salisburgenſi, qui juncti Ottoni nuper Bavar. Duci de parandis in Henrici Regis furias armis concertarunt: ſed conjurationem hanc quoad Gebhardum ei implexum, neceſſe erit ad an. 1076. differe, quo primum anno a Rege Henrico defeciſſe videtur Gebhardus, ut ex ann. ſeq. patebit, & an. 1075. *Welpho Dux Bav. Berth. Zaring. Gebhardus Salzb. conjurant.*

Aliud jam de Gebhardo Salisburg. exponendum eſt, delatus eſt hic ſanctus Archiep. Gregorio VII. neglecti officii paſtoralis, unde hic eidem epiſtolam ſcripſit, in qua inquit: *Eſt, quod fraternitatem tuam negligentiæ merito argui putamus, quod de caſtitate Clericorum, præceptis Rom. Synodi, cui interfuiſti, inobediens uſque hodie videaris: qua in re tantum de te admirantes gravius dolemus, quantum te illud ſolicitius operari ſperabamus. Unde Apoſtolica te autboritate admonemus, ut Clericos tnos, qui turpiter converſantur, paſtorali rigore coerceas &c.* data *Capuæ* 17. *Kal. Dec. Indict.* 13. a Sept. inchoata, proin hoc anno, Author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 178. hanc epiſtolam ad an. ſeq. refert, tum quod ei reſpondeat Indictio 12. uſque ad Kalend. Januar. noſtro more, cum quod Synodos Romana de concubinariis ſacerdotibus, cui Gebhardus videtur interfuiſſe, nonniſi an. 1074. hebd. prima quadrageſ. fuerit celebrata. Harduinus tamen collect. Conc. tom. 6. part. 1. col. 1220. eam epiſtolam hoc anno datam, cum aliis arbitratur, nec ſine cauſa, cum enim Greg. 7. an. 1074. ad Hugonem de S. Maura eodem 17. Kal. Dec. & quidem Romæ dederit epiſtolam eodem die Capuæ & Romæ fuiſſe non potuit Pontifex, nec ambas has eodem anno dare epiſtolas. Quod vero dicitur Gebhardus Concilio Rom. interfuiſſe, in quo de caſtitate Clericorum actum eſt, illud ſub Alex. II, acerrimo continentiæ clericalis defenſore coactum fuerit, tum quod aliunde ſingulis fere annis Romæ habitum fuerit concilium, tum quod Greg. VII. ipſe in poſter. epiſt. ad Gebhardum apud cit. Auth. Germ. Sacræ tom. 2. pag. 179. dicat: *meminimus dilectionem tuam annis ſuperioribus Apoſtolicam ſedem adiiſſe* *S. Gebhard. Salzb. cur a Greg. VII. Pace reptus.*

atque

atque a prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ Alexandro, me etiam favente, atque aſſenſum præbente impetraſſe, ut parochiæ portionem - - decederes, atque in ea Epiſcopatum, & Epiſcopum - - ſtatueres &c. Hæc jam Epiſtola data eſt Indictione 13. 15. Kal. Julii an. 1075. unde Gregorius VII. locutus eſt de itinere Romano Gebhardi ſub Alexandro, quod proin probabilius an. 1070. quo de Gurcenſi Epiſcopatu agi cœpit, contigerit, quoque anno Romæ magnam Synodum ad 7. Id. Maji congregatam ſcribit Coſmas Pragenſis ad an. 1070. quo etiam anno Alexander II. P. adhuc in vivis 5. Non. Martii ſuggeſtione & indicio Agnetis Imper. Romæ exiſtentis aprobavit Altmanni Patav. conſilium de fundato Monaſterio Can. Reg. Paſſavii ad S. Nicolaum, Diploma habet Gewoldus & Harduinus cit. col. 1112.

S. Nicolai Paſſav. Monaſt.

Styriæ Hæreditar. officia.

MS. Chron. Styriæ tom. 1. cap. 63. ſub Ottocaro noſtro hoc circiter tempore, non ſolum urbes conſulibus, & judicibus proviſas, ſed etiam hæreditaria 12. officia inſtituta ſcribit, nec multum repugnare vellem, cum in ſolemni illa Ducatus Styriæ in Leopoldum Auſtr. anno 1186. Kal. Sept. ab Ottocaro Duce facta translatione jam cavetur, ut *Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Mareſcalci, qui de noſtris ſunt Styriæ partibus, intranti Duci Auſtriæ, ſingulicum ſuis ſubjectis per officia ſua miniſtrent &c.* Officiales hi hæreditarii Majores e *Dynaſtarum* genere, ſeu Herren-Stand oriundi, alios ſub officiales ex *Equitum ordine*, ſeu Ritter-Stand ſubſequo tempore habuerunt, de quibus ſuo loco plura.

Præfecti aulæ Styr. eorum emolum. Hoffmannii olim.

Aulæ Præfectos Styriæ, ſeu Obriſt-Erb-Hofmeiſter, antiquos hujus temporis non invenio, ſæc. 16. Hoffmannios fuiſſe, ibidem oſtendam, annexum habebant emolumentum, jährlich 100. Fueder Salz cum onere recognoſcendi toties quoties &c. v. ducale Archivum feud. Græcenſe.

Camerar. Styr. Lichtenſtein. Dietmarus.

Hæreditarii Camerarii in Styria, ſeu Obriſt-Erb-Kammerer munus geſſiſſe primitus videntur Dynaſtæ *Liechtenſteinii in Murau*, teſte Lazio de migrat. gent. lib. 6. pag. 191. *Dietmarus* ejusdem familiæ ab anno 1140. ad 1200. fere citatur in antiquis documentis, quamvis raro ſub titulo hujus muneris, ea familia exſtincta, circa an. 1622. Joan. Ulricus Princeps Eggenbergius, & an. 1717. Joan. Joſephus I. S. R. I. Comes de & in Wildenſtein eam dignitatem obtinuit.

Eggenberg Joa. Ulric.

Mareeſch. Styr. Wildon de Herrand & Mainhard.

Mareſchallus Hæreditarius, Obriſt-Erbmarſchall in Steyer jam an. 1120. *Mainhardus & Herrandus de Wildon* citatur ſæc. 12. & 13. a quibus dein circa an. 1324. ad Dynaſtas *de Petau* translata eſt ea dignitas authoritate Ducum Styriæ, quibus circa an. 1404. emortuis *Joan. Comes de Schaumberg*, ob uxorem *Annam Bernardi Petav.* filiam, ſpartam eam ſibi comparavit, atque ad poſteros transmiſit, annexum erat huic muneri die veſten Fraunheim in Viertl Cilli, und das Amt in klein Selckh in Ennsthall, cum onere recognoſcendi toties quoties &c. *Schaumbergiis* anno 1559. Styriæ ereptis *Hoffmannii* ſucceſſere ſimul aulæ Præfecti, ſed a Ferd. iisdem ablata dignitas *Sauraviis* ceſſit, qui antea Sub-Mareſchallatum Provincialem geſſerunt. *Jodocus de Helfenberg*, cujus Jodoci filiam, cum *Georgius de Saurau* uxorem haberet, ſub Mareſchallus, dein vero poſt Hoffmannios Mareſchallus factus eſt. V. an. 1117.

Schaumberg Co. Joan. Petav. de

Saurau de Geor. Helfenberg de Jodoc. Fraunheim. Auſtr. Styr.

Hæc-

Hæreditarii Equilium Præfecti, ſeu Erb-Stallmeiſter Windiſchgrätzii ſæc. 16. fuere, anteriores hactenus non inveni. *Præfect. Equil. Styr. Windiſchgr.*

Hæreditarii rei venatoriæ Præfecti, ſeu Erb-Jägermeiſter in Styria Barones *Tanhuſy de Tanhauſen*, ſæc. eod. 16. fuerunt, atque iis exſtinctis *Dietrichſteinii*. *Præfect. venat. hæred. Thonhauſen, Dietrichſt.*

Hæredit. rei argentariæ Præfecti, Erb-Silber-Kammerer in Styria eodem ſæc. 16. exſtitere Comites de Rothal. *Præf. rei argentar. Rottalii.*

Hæreditarii Pincernæ, Erb-Schenkh munus geſſerunt Stubenbergii jam a Marchionum Styriæ vetuſtiſſimo tempore, annexa muneri commoda, das Landgericht, Fiſchweid, und Zehend zu Kapfenberg. *Pincerna hæred. Styr. Stubenb.*

Hæreditarii Dapiferi, ſeu Erb-Druchſes, primum Dynaſtæ *de Emmerberg*, iis exſtinctis, Domini *de Waldſee*, dein *Prueſchenkii*, ac Comites *de Hardeck* obtinuerunt. *Dapiferi hær. Styr. Emmerb. Waldſee, Prueſchenkii, Hardek*

Hæreditarii Archimagiri, ſeu Obriſt-Erb-Kuchelmeiſter, primi iidem *Emmerbergii*, ac poſtea *Wurmbrandii* facti. *Archim. hær. Sty. Emmer. Wurm.*

Hæreditarii Janitores, Erb-Thürhüter, quinam in Styria fuerint? nondum obſervavi. *Janit. hær. Styr.*

Hæreditarii Bacilliferi, Erb-Stäbelmeiſter, in Styria olim Barones de *Urſchenböck*. *Bacilif. & ſciſſ. Mag. Urſchenb. Schrottenbach.*

Hæreditarii ſcindendi Magiſtri, Erb-Vorſchneider, an. 1596. erant in Styria Maximil. de *Schrattenbach*, ejusque dein poſteri.

Hæreditarii Falconum Magiſtri, Erb-Falckenmeiſter, primum ſæc. 17. *Eibiſwaldii*, atque iis an. 1668. exinctis, Barones *Steinbeiſſii*. *Falcon. Magiſt. hær. Eibiſwald. Steinpeiſs.*

Hiſce muniis hæreditariis poſteriore tempore acceſſit etiam *Præfectura Hæreditaria rei monetariæ, & armamentariæ*, ſeu Erb-Münz- und Erb-Zeugmeiſter in Steyer, quam olim *Leiſſerus David* Equeſtris ordinis, dein *Jacobus Kisl Baro in Kaltenbrunn* obtinuit. *monetar. & armam. Præſ. Leiſſer. de Kisl.*

Hæc interim inſinuanda obiter, auctius eadem ſuis locis proſequemur, ſimulque an tunc hæreditaria jam fuerint. Redeo ad Ottocarum noſtrum, ejusque filium Adalberonem II., cui teſte Avent. lib. 5. Annal. Bajor. fol. 564. Gregorius VII. hoc vel ſeq. anno ſcripſiſſe fertur, ut matrimonia ſacerdotum abominaretur, omnemque cum illis, qui contraxerint, conſuetudinem vitaret. Qua de re obiter Diſſert. 4. cap. 4. §. 5. dixi, dubitavique, an morem iis geſſerit Adalbero, utpote ſchiſmaticis contra Papam favens. Majus vero mihi nunc ſuboritur dubium, an Greg. VII. unquam Adalberoni noſtro, Ottocari IV. fratri ea de re ſcripſerit: 1. Quod hujus epiſtolæ Greg. VII. nemo alias meminerit, nec in collectionibus concil. inveniatur; Aventinus quidem ait, Gregorium VII. ſcripſiſſe *Cæſari*, *Principibus*, *Ducibus*, *Dynaſtis*, *Tetrarchis*, *maxime Bertholdo a Zæringen*, *Rudolpho Suevo*, *Welphoni Bojo*, *Adalberoni*, & *uxoribus horum*. Aſt cur Adalberoni filio præ Patre Ottocar. III. ſcripſiſſet, præſertim cum Adalbero ſchiſmaticis, Ottocarus faveret Catholicis, atque Styriam non Adalbero, ſed Ottoc. III. & poſt eum Ottoc. IV. regeret. 2. S. Greg VII. lib. 2. epiſt. 45. col. 331. & in appendic. 2. apud Labbeum tom. 12. col. 697. ſcripſit: *Rudolpho Sueviæ & Carentaniæ Ducibus* de vitandis concubinariis & Simoniacis ſacerdotibus, nulla tamen mentione facta, *Welphonis Boji & Adalberonis* & ſane Welpho hoc an. adhuc, uti & Adalbero Henrico favebant, *Adalberon. II. Ottocar. III. fil. Greg. VII. an ſcripſerit.*

ſicque iis ſine fructu ſcripſiſſet. Cenſeo itaque Aventinum de ſuo addidiſſe epiſtolæ Greg. VII. Welfonem Bavariæ Ducem, & Adalberonem noſtrum, præſertim cum hic, ſi etiam Comes Styriæ ſupponatur, nullius authoritatis in Styria fuerit, vivente adhuc patre ſuo.

Styra de Gundac. primus. Quoniam mentio Comitum de Styria occurrit, meminiſſe debeo dubii jam Diſſert. 4. cap. 3. §. 3. propoſiti. Ex documento ſeu inſtrumento confirmationis monaſt. Lambac. an. 1073. a Guelphone Bav. Duce dato memoratur inter teſtes alios, ordine tertius, *Gundaccarus de Styra*, & anno 1175. Leopoldus Dux Aauſtriæ inter alios teſtes privilegii Monaſterio Glunicenſi dati adducit etiam *Gundaccer de Styra*, unum hunc eundemque fuiſſe nemo credet; quia inter 102. annos teſtem agere jam adultus, proin multum ultra 100. annos vivere debuiſſet.

Et ſecundus. Dubium hoc utcunque eximit ſtatuta ab Hübnero tab. Geneal. 727. origo Stahrenbergiorum ac Ottocarorum noſtrorum, quamvis ex falſo Bucelini, aliorumque ſyſtemate de Winulpho ſæc. 5. Styriæ Principe deſumpta. In ea tamen bene obſervantur, & diſtinquuntur *Gundaccari* varii *de Styra*, *primus* horum occurrit *Bernardi Comitis de Styra filius*, Sator Dominorum de Bernegg, & a Patre ſuo etiam *de Styra* dictus, hicque ſubſcriptus eſt Diplom. Lambac. anno hoc 1073. alter vero *Gundaccarus de Styra* nepos Adalberonis II., ex Duringo I. Domino de Styra (cujus uxor erat *Richeza de Stainbach*, & ex qua progenie deſcenderunt Domini de Loſenſtein) citatur in Leopoldi Auſtr. inſtrumentis, utpote vivens ab an. 1140. ad 1186. circiter. Plura in Criſi Diplom. 6. in fin.

An. 1074.

ANNO 1074.

Indict. 12. Greg. VII. P. 2. Henr. IV. Imp. 19. Ottoc. III. Styr. Mar. 37.

Conradus fil. Henr. IV. Henr. Imp. a ſuis deſertus. Quo tempore Bertha Regina Herveldam abducta filium peperit Conradum, ab Ezzone Altenburg. Epiſc. baptizatum, caſtella regia, aut exgugnata, aut obſeſſa, dumque Rex Henricus cauſam ſuam armis defendere pararet, ei Epiſcopi Duces ac milites detrectant militiam, ita enim ſcribit Lamb. Schaffnab. præterea *Duces omnes Bajoariæ Sueviæ Lotharingiæ, Moſellæ, regionis Carentinorum &c.* arma detrectant, quod nollent *ad oppreſſionem innocentum arma ferre.*

Pax cum Saxon. Dum itaque Saxonum 40. millia jam contra Henricum in armis eſſent, Rex in caſtrum eorum, Abbatem Herveldenſem præmittit, mox 4. Epiſcopis pacis componendæ cauſa, duriora quidem Saxonum poſtulata, præſertim de caſtellis ſuis demoliendis, & præmiis in hoſtes pro maleficiis reddendis, invitus quidem ſubſcripſit Rex & per ſe ipſe confirmavit. Sed mox iterum mutabilem Regem pœnituit, & terror Saxonum effecit, ut caſtra diruerentur; cum vero Hartesburgi Eccleſiam etiam incenderent Saxones, ſepulchra Principum cum altaribus diruerent, factum tam atrox Papæ detulit Henricus. Interim quadrageſimam Wormatiæ, Paſcha vero Bambergæ celebravit Rex præſente Sigefrido Moguntino, & *Bertholdo Zæringio quondam Carentanorum Duce* depoſito. Eadem ſacra in quadrageſima Greg. VII. Papa Synodum Romæ celebravit, eaque de cauſa ad Sigchardum Aquilej. Patr. ſcripſit, eique miſerum Eccleſiæ ſtatum expoſuit. Epiſt. Greg. VII. ad Sig-

Berth. I. Zarin. Rom. Synod. Sigehard. Aquil.

hardum

chardum Aquilej. habet Labb. tom. 12. col. 268. Harduinus collect. Conc. tom. 6. part. 1. col. 1229. de Rubeis cap. 56. fol. 531.

Synodus hæc dein menſe Martio ex 50. Epiſcopis, plurimisque Abbatibus ac Presbyteris Romæ collecta, in qua contra Simoniacos & fornicarios ſacerdotes, contra Epiſcopos ac Abbates manu Laica promotos, contra Principes inveſtituras Eccleſiaſticas præſumentes ſententia lata eſt, contra quæ decreta varia deblaterat Sigebertus Gemblac. ſchiſmaticus a Baronio hoc an. num. 40. refutatus. Miſſi ſunt ex Conc. Legati ad Henricum, quos inter Legatos, ipſa mater Agnes Aug. erat, qui tamen cum Rege tractare, vel loqui noluerunt, donec ab illis ob Simoniacas promotiones ab anathemate ſolveretur; petunt igitur celebrari Synodum in Germania, ſed Epiſcopis renitentibus id perficere non valuerunt. Rex certis de cauſis Synodum optans, emendaturum ſe ea, quæ contra Canones geſta eſſent, Pontifici & Legatis reſpondit. *Agnetis Imp. res*

Res tantas interturbarunt aliquantum turbæ Hungariæ, enim orta cum Geyſa Belæ filio gravi diſcordia, *tribus jam præliis victus amiſſo exercitu* ægre ſe in Germaniam ſubduxit. Henricus affini ſuo opem ferre non potuit Wilhelmi Poſtaris Angliæ Regis nunciato in Germaniam adventu prohibitus, quare teſte Lambert. *omiſſa in Ungariam expeditione ad Rhenum concitus remeavit.* *Salomon Hungariæ turbæ inter Salom. & Geyſam.*

Varie hæc ab Authoribus afferuntur, Chron. Mellic. *M. LXXII. Henricus Rex in Ungariam adverſus Lotſchonem, patruelem Salomonis profectus incaſſum rediit.* Eadem habet Chron. Clauſtroneob. & Auſtriac. Auth. incerti. Admont. eadem refert, addit tamen: *Item ſecundo & tertio illo profectus terram Ungarorum in deditionem accepit.* Aliter denuo rem hanc enarrant ſcriptores Hungari, Salomonem nempe in Styriam cum rebus & familia tranſiiſſe, & relictis in Cœnobio Admontenſi, matre & conjuge, Moſonium ſeu Mieſenburgum ſe retuliſſe, tandem prolapſis magis magisque rebus ſuis ad opem Henr. IV. implorandam confugiſſe. *Salomon victus.*

Sed aberrant longiſſime Hungari ſcriptores, Lamberto temporum coævo aliquot ſæculis poſteriores, nam 1. Styriæ nomen necdum hoc tempore cognitum. 2. Admontenſe Cœnobium hoc anno primum cœptum, Parthenon vero Admontenſ. in quem Salomonis matrem & conjugem fugiſſe putant, vix ante 1115. erectus fuit. 3. Salomonem ab Henrico data ingenti pecunia, auxilia comparaſſe, Teutonicos vero & Latinos ob metum Hungarorum non veniſſe, vix veriſimile, cum ut ex Lamb. oſtendi, metus inſtaret Angliæ Regis adventuri, ejusque cauſa omiſſa ſit expeditio in Hungariam. 4. Fabellæ etiam loco habendum, quod iidem Hungari narrant, corrupto nempe Sighardo Aquilej. Henr. conſiliario, rediiſſe ad ejus preces Henricum, narrato nempe ſiniſtri ominis ſomnio, & ſimulata militum ſeditione; nam Lamberti, ut antiquior, ita fidelior narratio retinenda videtur. Illud etiam ex epiſtola Greg. VII. ad Salomonem apud Baron. tom. 11. pag. 486. (qua Salomoni ſuccenſet, quod regnum Apoſt. a Laico Rege conducere voluerit) conſtare videtur, a Salomone perfugo, Henrico IV. regnum Hungariæ devotum ac tributarium oblatum fuiſſe. *An in Styria fuerit.* *Sighardi Aquil. res.*

Scriptores noſtrates & Hungari expeditionem in Hungariam ab Henrico ſuſceptam, uno ore fatentur, Lambertus omiſſam? ſed hæc facile conciliantur, omiſſa eſt expeditio Hungarica primum ob metum Wilhelmi Angliæ Regis, quem a S. Annone Colon. evocatum calumniabantur quidam, inde Rex Coloniam progreſſus, fabulam eſſe audivit, hunc Regis Angliæ adventum, nihilominus cum S. Annone reconciliatus, dum ſecuritatis cauſa regni fines adverſus Wilhelmum munit, ac Wormatiam redit, denuo aderant Legati Hungarorum, & oblatis 12. obſidibus, 6. civitatibus munitiſſimis, & tributo annuo promiſſo Regem Henr. ad expeditionem Hungaricam permovere, cum vero Principes detrectarent militiam, ipſe *Rex gregario ac privato milite collecto - - ingreſſus eſt Hungariam, & nonnullas ejus regiones hoſtiliter peragravit.* Geyſa ſeu Joas ſubtracta omni annona ſe in quandam inſulam fors *Schüttam* fere inacceſſibilem contulit, Regemque Henricum, peſtilentia & fame conſumpto milite, redire coegit, *nullo inſigni facinore perpetrato*, ita Lambert. qui proin cum Chronicis noſtris probe convenit. Deceptus tamen videtur Chrongr. Salisburg. & Admont. dum Hungariam ab Henrico in deditionem acceptam ſcribunt.

Lotſcho an Rex Hung. & quis.

Cur vero Chronica noſtra omnia, æmulum Salomonis, *Lotſchonem*, *Loitſchonem*, *Lotiſchonem*, *Toitſchonem*, Lambert. Schaffnab. *Joam*, vel *Jojadem*, nemo fere *Geyſam* appellet? ipſe ignoro, niſi fors, quod nobis Geyſa vel Joas, Ungarico idiomate fors *Lotſcho* &c. fuerit, præſertim cum Lotſcho hic patruelis Salomonis dicatur, in ſerie certe & Geneal. Regum Hungariæ, nullus Lotſcho, bene tamen Geyſa refertur.

Herm. Zæring. March. & dein Monach. Cluniac.

Non tacendus hoc loco Hermanni Zæringii, Marchionis olim, dein Monachi Cluniacenſis obitus, erat is teſte Bertholdo Conſtant. Bertholdi I. Zæring. Carentan. Ducis filius, ſed miſſo caducis rebus & honoribus nuncio *Cluniaci vitam Angelicam arripiens perfectiſſime, adhuc adoleſcens, uxore & unico filio, & omnibus, quæ poſſederat, derelictis, vere Monachus, migravit ad Dominum 7. Kal. Maji.* Prodigium hujus ætatis, ut Princeps religioſum cœlibatum tanto ſtudio amplecteretur, cum ſacerdotes improbi de nuptiis ſolum cogitarent. Uxor ejus erat *Juditha de Calvve* teſte Hübner. tab. Geneal. 228. de qua cit. Berthold. Conſtant. ad an. 1091. ſequentia docet, *Juditha piæ memoriæ Marchioniſſa, nobilis genere, ſed nobilior ſanctitate, uxor quondam Hermanni religioſiſſimi Marchionis migravit ad Dominum 5. Kal. Octob.* Filius nobiliſſimorum horum parentum erat *Hermannus I.* aliis *II.* qui patrem Marchionem cenſent, *Marchio Badenſis*, ex quo hodierni Marchiones Badenſes & Hochbergenſes deſcendunt. V. Hübner. cit. & Archont. Carinth. P. Frælich. tab. 2. Geneal.

Ante Monachatum uxoratus.

Herman. II. fil.

Conjug. Cleric. in Germ. rebell. Erfordiæ.

Interea temporis decreta de cœlibatu ſacerdotum in Germania promulgata, atque cum fremitu ſunt audita, datum dein Clericis ad deliberandum ſemeſtre, Sigefridus Mogunt. Erfordiæ eas ſanctiones promulgans, ægre ſacrilegas Clericorum conjuratorum manus evaſit, unde territus cauſam ſe eorum apud Papam acturum promittit.

Paſſavii.

Altmannus vero piiſſimus Epiſcopus Patav. eadem decreta imperterritus denunciavit, moram tamen iisdem concubinariis Clericis in re ardua dedit, qua finita in feſto S. Stephani M. eadem cum cenſuris ex ambone recitavit, tumultusque ipſa in Eccleſia ab iis exortus eſt, *qui*

omnes

omnes unanimiter furore repleti, jam tunc in præſentiarum Dei famulum, furibundis manibus diſcerpſiſſent, niſi Divinum auxilium & optimatum præſentium præſidium furentibus obſtitiſſet, ut ait Anonym. Gotwic. in vita B. Altmanni Paſſ. Ep. n. 11. inter tumultus Authores præcipuus erat *de optimatibus Bavariæ ex Clero quidam majoris Eccleſiæ Præpoſitus, & Scholaſticus nomine Egilbertus,* dein favore Henrici, invito licet Clero & populo Archiep. Tre vir. factus, qui *auſu temerario in faciem reſtitit* Altmanno, v. acta Trevir. cap. 60. de quo pl. 1079. 1085. 1086. 1091. 1093. *Egilbert9 Præp. Patav. author rebel. dein Arch. Trevir.*

Inter optimates, quorum præſidio tectus, exitium præſens evaſit B. Altmannus, fuiſſe videntur *Henricus Vornbacenſis Com. Erneſtus,* & poſt eum *Leopoldus pulcher Auſtriæ Marchio* an. ſeq. factus. *Eckbertus Comes Neuburgi, & Ottocarus Marchio noſter.* Ita conjici licet, ex Bertholdo MS. & alio veteri MS. Geneal. Vorav. citato Diſſert. 4. Præfat. ſed de his plura per decurſum dicentur. *S. Altmanni vit. Henr. Vornb. Com. Ottoc. III.*

S. Gebhardus Salzburg. Archiep. antequam acrius urgeret verbis Clericorum continentiam, exemplis eam ſtabilire cœpit, Admontenſe enim in Styria Monaſterium in valle Admunt conſtruxit, ac dedicavit in honorem B. V. M. & S. Blaſii Ep. & Mart. in quo 12. Monachos ſacerdotes conſtituit, ad quorum ſuſtentationem, uti & hoſpitum ac pauperum dedit prædia, quæ S. Hemma olim tempore S. Balduini Archiep. donaverat S. Rudberto in valle Admuntina, cum aliis prædiis ad Cœnobium ibi fundandum. Ita Biogr. S. Gebhardi apud Caniſ. tom. 3. p. 2. fol. 436. &c. *Admont. Monaſt. fund.*

Monaſterii novi cura a S. Gebhardo commiſſa eſt Arnoldo ex Monaſterio S. Petri adducto, ita cit. biogr. & Chronic. Admont. hoc an. 1074. *Admuntenſe Monaſterium fundatur Arnoldo Monacho S. Petri facto illic Abbate.* Idem inſinuat liber 3. MS. Admont. num. 5. his verbis: *Mox quaſi divinitus accepto oraculo* (B. Gebhardus) *intrepida mente, proniſſimo ſtudio Monaſterium cœpit conſtruere, ſacris veſtibus, & marmore copioſo ornare, redditibus dotare, Arnoldo Monacho S. Petri, ad proviſionem ipſius loci adſcito, favente Dom. Reginwardo Ven. Abbate S. Petri, ſed prædicto Arnoldo propter paupertatem loci, non diu hic durante, Iſingrinus ab eodem eſt Archi-Epiſcopo ſubſtitutus.* Et ſane non integro anno perſtitit Arnoldus, cum an. 1075. jam Iſingrinum Abbatem fuiſſe, teſtetur lib. 1. MS. Admont. num. 7. quare documenta Admontenſia Patri Frælichio ſubmiſſa in Diplomat. S. Ducat. Styr. part. 2. fol. 235. Arnoldum ſolum Adminiſtratorem volunt, cum ejus liber I. MS. Admont. ne quidem meminerit. Liceat vero mihi de florentiſſimi hujus in Styria noſtra Monaſterii plura diſſerere. Ab Hemma S. Fundatrice olim Gurcenſi, fundatum, qui hoc Monaſterium volunt, admittere debent, vel anteriorem epocham, cum S. Hemma an. circiter 1049. obierit, vel eam in ſomnis apparuiſſe Gebhardo, eumque hortatam, mihi ſufficiat dicere, Hemmam prædium Admunt. contuliſſe olim Baldulno Salzburg. Archiep. ut inibi & ex ejus redditibus fundaretur Monaſterium. *Arnoldus & S. Petro an I. Abb. An Adminiſtrat. Iſingrinus I. Ab. Admont. Admont an a S. Hemma fundat.*

Origo Monaſterii, aliorum more, miraculo adſcribitur, ſat ampla enim, quam Anaſus irrigat, in ſuperiore Styria ſub montium radicibus ſita planities, ſeu vallis Admunt, quamvis ſacræ ſolitudini, & novis incolis excipiendis perquam videretur idonea, loci tamen ob imminen- *Origo an miraculoſa.*

Nomen unde. tes undique montes, a quibus Cœnobio & oppido nomen Admont inditum, aſperitas pendulum diu animi reddebat Gebhardum, dum neſcio, quis ſylvæ vicinæ accola ad tempus linguæ uſu deſtitutus, tolerata in 3. dies inedia fluctuanti Gebhardo his verbis: *Tu incboabis, Deus conſummabit*, dubitationem exemit, unde, ut ait Biograph. S. Gebhardi, & liber 3. MS. Admont. *Mox quaſi divinitus accepto oraculo, intrepida mente proniſſimo ſtudio Monaſterium cœpit conſtruere* Gebhardus. Narrant ulterius documenta domeſtica, elinguem illum (ut accepti in expellenda ancipiti cura beneficii, cum vita memoriam oſtenderet Gebhardus) a mortuo jamjam Gebhardo ad ſepulchrum in Monaſt. Admontenſ. loquendi facultate fuiſſe donatum.

Ottoc. III. an fund. Admont. teſtis. Monaſterii Admont. fundationis chartam Lazius lib. 12. de Rep. Rom. cap. 3. ad an. 1075. a Gebhardo publicatam refert, cui teſtis ſubſcripſerit *Ottokarus Marchio Styriæ*, ea tamen charta in Diplomat. Admont. P. Bern. Pez theſauro anecdot. tom. 3. part. 3. non comparet, nec alibi adhuc mihi viſa eſt; fors Lazius documentum iſtud alibi repererit, præſertim cum ejus chartæ etiam Chroniſta Admont. meminerit. Author Germ. 5. tom. 2. fol. 178. docet: *Otacherum Marchionem Styrenſem, intuitu dilectionis ipſius Deo digni Archi-Epiſcopi, tradidiſſe villam Aichdorff, Arnung, & Hizenbricht*, id etiam tradit Prevenhueberus Annal. Styr. fol. 392. ex Georg. Ulrico in Commentar. fundat. S. Lamberti in Styria fol. 30. ſed quoniam hæc de Ottocaro, ejusque fratre Adalberone II. aſſeruntur, nec de Ottocaro III. nec de hoc an. ſtatui poſſunt, ſed poſt annum circiter 1086. uti Diſſert. 4. cap. 4. §. 5. oſtendi. Quod vero Prevenh. cit. putet ſanctorum reliquias uti brachium & manum S. Paterniani Ep. Bonon. Calvariam S. Chryſanthi M. S. Dariæ Virginis, & S. Vincentii, ab Ottocaro & Adalberone fuiſſe collatas; errat omnino, cum eas ſolum S. Gebhardus contulerit, una cum decimis compluribus a gente Sclavonica exactis, ut docet Biogr. S. Gebhardi cit.

An SS. reliquias & prædia contulerit.

Admont. Partenon. origo. Serius dein, ac poſt an. 1115. ſanctimonialium Cœnobium, Admontenſi virorum Monaſterio, ſub Wolvoldo Abbate V. eſt adjectum, de quo Chron. Admont. ad eum an. *Sanctimoniales primus apud nos inſtituit* (Wolwoldus) *quarum in brevi tantus favor honeſtatis, atque religionis percrebuit, ut nonnulli etiam Principum ſeu Comitum, ſed & plures nobilium, filias ſuas Deo ibidem ſub regulari ſervituras inſtitutione offerentes, Cœnobium ipſum cunctis pene in Germania Sanctimonialium Monaſteriis celebrius reddiderint.* Eadem de viris æque ac fœminis ſcribit Anonymus Raitenhaslachenſ. in vita Chuonradi I. Salzb. Arch. cap. 3. *Idem Monaſterium*, inquit, *tam in religione, quam in poſſeſſionibus, maximo merito Deo ſervientium virorum, & ſanctarum mulierum in tantum crevit, ut nomen ejus non ſolum per totum occidentem ſe dilataverit, verum etiam uſque in orientem fama cucurrerit, vix enim creditur eſſe locus vel circa, vel ultra mare, ubi Admontenſium nomen ſit incognitum &c.* hac laude cum florerent Admontenſes, non miror, uno eodemque tempore 13. Abbates ex hoc Monaſterio ad alia ejusdem inſtituti Cœnobia, eſſe deſumptos, de quo alibi.

Admont. laus & fama.

ANNO 1075.

An. 1075.

Indict. 13. *Greg. VII. P.* 3. *Henr. IV. Imp.* 20. *Ottoc. III. Styr. March.* 38.

Ad hunc annum referenda eſt epiſtola Greg. VII. P. ad Rudolphum Sueviæ, & Bertholdum Carentaniæ Ducem, qua eosdem hortatur, ut a Simoniacis & fornicariis ſacerdotibus ſe averterent, ut dixi an. 1073. v. lib. 2. epiſt. 45. Harduinus *Bertulfum* vocat Ducem Carentaniæ, nobis Bertholdum; Dum Henricus Rex Principes ſollicitat adverſus Saxones, eisque Saxoniam & Thuringiam inter illos partiendam promittit, S. Greg. VII. Papa denuo Romana in Synodo fornicarios, & Simoniacos impugnat ſacerdotes, quinque de familia Regis Henrici, quorum conſilio Eccleſiæ vendebantur, excommunicat, Wernherum Strasburg. alias Guarnerium, Liemarum Bremenſ. Archiep. & Hermannum Bamberg. Epiſcopos ſuſpendit, huncque etiam excommunicat. Henricus deinceps, inſtigante Rudolpho, Sueviæ Duce offenſo, quod Saxones nuper pacem ſe inconſulto cum Rege feciſſent, edictum in Saxones promulgat, cumque leniendi Regis ſpes nulla ſupereſſet, crebris legationibus Rudolphum Sueviæ, Bertholdum olim Carentaniæ, Gozelonem, ſeu Godefridum Gibboſum Lotharingiæ Duces, antea conjurationis ſocios, jam vero fruſtra ſolicitare cœperunt, Saxones Deum ſibi precibus & jejuniis propitium reddere ſtudebant, dum illico Poloni & Sclavi auxilia ſua Saxonibus pollicentur; ad fluvium Unſtrut prælium factum, Rudolphus Dux cum ſuis Suevis aciem duxit, Rex in quinta legione erat, impetuque facto partes ambæ in prælium ruunt, & ſane victi fuiſſent regii, nominatim Suevi, niſi Welfo Dux cum ſuis Bajoariis ſubſidio fuiſſet; nec inde ceſſatum, a lanceis ad gladios deventum eſt, quo in prælio Erneſtus ſtrenuus Auſtriæ Marchio graviter vulneratus, die poſtero expiravit.

Bertholdi Caren. Duc. res.

Henr. IV. Imp. res.

Saxoniæ turbæ.

Bertold. Car. Duc. res.

Unſtrut prælium.

Rudolph. Suev. Duc. res.

Welfon. Duc. Bavar.

Cum Erneſto hoc Auſtrio, præter Suevos, Bajoariosque nobiles plurimos Engelbertus Comes, & Eberhardi Ellen vel Nellenburgici, † filii duo in acie cæſi, *pauci vero admodum ſine vulneribus prælio exceſſerunt*, teſte Lambert. Schaffnab.

Erneſt. M. Auſtr.

Cum dein protracto in ſerum diei prælio Sueviæ & Bajoariæ milites prope jam terga verterent, Rexque moneretur, ſalutem ſuam in tuto locare, repente ex uno latere *Hermannus Comes de Glizberg*, ex alio vero latere Bambergenſes milites irrumpentes, adjuncto Wratiſlao Bohemiæ & Gozelone Lotharingiæ Duce ſeſe Saxonibus immiſcent, hi multitudinem ſuſtinere amplius non potuerunt, & hortante fruſtra Ottone Northeimio exauthorato Bajoariæ Duce terga dederunt, ſicque cædi nox finem fecit, 20. Saxonum & 5. regiorum millia periiſſe notat Arnulphus Mediolan. lib. 4. cap. 3. & Centius Camerar. in lib. Cenſ. apud Papebrachium tom. 6. Maij. pag. 149.

Otto. North. res

Ex his firmor in eo, quod ad an. 1073. dixi, conjurationem nempe Rudolphi Sueviæ Ducis, Welfonis Bajoariæ, Bertholdi Carinthiæ, Sigefridi Archiep. Mogunt. Gebhardi Salzb. vix ante annum 1076. coaluiſſe, tum quod Henricus IV. Rex in omnibus ſe, ſpecietenus ſaltem obſequentem exhiberet Papæ, cum quod Rudolphus Welfo, Bertholdus,

Gebhard. Salzb.

dus, Erneſtus Auſtriacus hoc in prælio ſigna Henrici Regis ſuerint ſecuti.

Ottoc. III. an prælio adfuerit. Si vera eſſent, quæ Lazius a me citatus an. 1072. de Ottocaro adfert, etiam Ottocarus noſter bello Saxonico cum Marquardo Carentaniæ Duce adfuiſſet, & Henrici partes adjuviſſet, ſicque eo titulo Styræ Marchæ Principatum obtinuiſſet. Sed de his jam ibidem actum eſt, uti & an. 1042., ubi idem Lazius Carnorum Marcham, ſeu Styriam ob præclara ad Petovionem, & in Hungaros acta, Ottocaro collatam ſcribit, ſibi ipſi non ſatis conſtans. Interim quamvis litteris proditum non exſtet, veroſimile tamen utcunque, Ottocarum III. vel ejus jam ſeniculi loco Ottocarum IV. Henrico etiam Regi cum aliis optimatibus adſtitiſſe.

Leopoldus pulch. Marchio Auſtr. Erneſto Auſtriaco, cujus in hoc prælio mortem Chronica omnia Auſtriæ cum Lamb. Schaffnab. referunt, ſucceſſit hoc an. Leopoldus pulcher filius, cujus dein filia Eliſabetha Auſtriaca uxor fuit Ottocari IV.

Henricus II. Ep. Spirenſ. ex fam. Com. de Scherffenberg. Poſtquam crudeliter dein in Saxones debachatus erat Henr. IV. Rex, Wormatiam rediit, ac non multo poſt mortalitatem exuit *Henricus II. Epiſc. Spirenſis;* hic cum ex celeberrima *familia Comitum Scherffenbergiorum* ortus fuerit (ut an. 1015. ex eorum Geneal. oſtendi) præteriri omnino non poteſt: Hic itaque *Goslarienſis Eccleſiæ Canonicus tantæ dignitati* (ſedi nimirum Spirenſi an. 1067. per mortem Einharti vacuæ) *vix dum per ætatem maturus, & non tam electione Principum, quam indulgentia Regis, cui in puerili ætate fuerat aſſentatus,* teſte Lamb. Schaffnab. *ſucceſſit Einhardo* Epiſc. Spirenſi defuncto.

Genealogia ejus. Pater Henrici hujus erat *Henricus I.* de Scherffenberg, qui in aula Henr. III. Imp. vixit circa 1040. *dictus Comes Imperatoris*; huic cum Henr. II. naſceretur, mirum non eſt, ſi Henrico Patre in aula regia verſante, eique amiciſſimo, filius quoque Henricus cum Henrico IV. Rege educaretur, isque ſic copiam aſſentandi obtineret. Natus eſt Henricus IV. Rex an. 1050. vel 1051. cumque Henricus Scherffenbergius coævus ei fuerit, paulo ante forſan natus, atque adoleſcens circ. 20. & aliquot annorum an. 1067. Epiſcopus Spirenſis factus eſt, unde queritur Lambert. Schaffnaburg. *quod tantæ dignitati vix dum per ætatem maturus fuerit:* Sed nihilo maturior in exitu, quam Epiſcopatus aditu fuiſſe videtur Henricus hic, Præſul Spirenſis, *cum enim theſauros Eccleſiæ Spirenſis pene omnes puerili* (verba ſunt ejusdem Lamberti) *levitate dilapidaſſet, & prædia militibus ſuis in beneficium erogaſſet, ut vix in dimidium annum ſumptus ei ex reditibus Eccleſiæ miniſtrari poſſent, inopinata morte (4. Kal. Martii, quo ipſo die,* ut refert Bertholdus, *Romana in Synodo Simoniæ crimine damnatus erat a Gregorio Pontifice) ſubtractus eſt.* Subjungit dein idem ſcriptor, Huzmanni (aliis Rudgeri) ſucceſſoris ejus ſomnium exitu mirandum, videbatur is ſibi in choro Spirenſi cum Henrico Epiſcopo, cæterisque Canonicis ſtare, cum viri tres, quorum *unus exacta ætate, Canitie veneranda, duo juvenes tanquam in obſequium ſenioris deſtinati* chorum ingrederentur, ſuſpenſis ad ſpectaculum omnibus ſenior dictam a Deo mortis ſententiam in Epiſcopum, quod multa in Eccleſiam, multa in Dei genitricem virginem perpetraſſet, pronunciat. *Ad hanc vocem corripientes Epiſcopum decollaverunt, & truncum in ligno crucis, quod in*

Ejus mors.

eadem

eadem Eccleſia in ſublime elatum ſtabat, ſuſpenderunt. Huzmannus ingenti horrore concuſſus, mane ſtatim rem Epiſcopo aperuit, qui pro inanis ſomnii terriculamento habuit. *Et ecce debinc ſeptimo die, cum ad veſpertinalem ſynaxim cum fratribus in choro ſtaret, ſenſit repente, parvulam ſibi inſtar puncti puſtulam in colo excreſcere, qua paulatim in immenſum intumeſcente, ante mediam noctem defunctus eſt.* Ita Berthold. Conſtant. cit. Hæc tamen illuſtriſſimæ familiæ Scherffenbergicæ apud eruditos tam parum officient, quam Redemptori noſtro Chriſto, quod inter ſuos traditorem numeraverit.

Moguntiæ hoc anno Synodus indicta, in Clericos fornicarios, ab iisdem tumultuantibus eſt impedita, mox dein de pace cum Saxonibus ineunda, a qua Henricus non alienus videbatur, agitari cœpit, Henricus tamen Rex callidus, & mutabilis *exquiſito utitur artificio, ſimulat ſe a Salomone viro ſororis ſuæ Rege Ungariorum, in Ungariam evocatum, ut lites, quæ inter ipſum erant, & Jojadem* (Geyſam) *qui cum regno expulerat, habito cum illis familiari colloquio componeret.* inquit Lambert. Sed hujus itineris obtentu, per Bohemiam cum Hermanno Comite de Glizberg & 500. equitibus, aſſumpto Wratislao Duce cum exercitu Bohemico, eluſis omnibus Principibus Miſnam venit, inde ſi occaſio foret, in Saxoniam irrupturus; ibi cum S. Bennonem Ep. comprehenderet, mox 1500. Saxonum viam obſident, quorum etiam manus vix fuga evaſit. *Moguntiæ & Saxon. turbæ.*

Tandem de pace denuo Conventum, cumque Legati regii, nil niſi plenam deditionem ſuaderent ſine exceptione, Saxones vero eam abhorrerent, ad preces tandem Godefridi Ducis, conſenſere, & nobiliſſimi Saxoniæ Principes cum Ottone Northeimio exauthorato Bavar. Duce in cuſtodias ſunt miſſi. Quoniam vero hi diutius, & longinquis in cuſtodiis detinerentur, ſimulque Rudolphus Sueviæ, Bertholdus olim Carinthiæ, & Welfo Bajoariæ Duces ob neglecta ſua conſilia, alieniores jamjam ab Henrico fierent, & beneficia Saxonum militibus ſuis Rex diſtribueret, res dein omnes immutatæ in exitium Henrici verterunt, ut ſeq. an. dicetur. S. Greg. VII. Papa cui ſe addictum ſimulabat Rex Henricus, eidem de victoria gratulatur, moderate tamen ea utendum monet, aliisque litteris, ut Hermanno Bamberg. Epiſc. a ſe depoſito, alium ſubſtituat, urget. *Otto North. captus. Rudolphus Dux Sueu. Berthold. Carin. Welf. Bav. ab Henr. IV. alien.*

Sed & in Gebhardo Salzb. Arch. invenit S. Gregorius, quod reprehenderet, nimirum quod decimas Carinthiæ ſibi reſervarit, Gunthero Epiſc. Gurcenſi ſubtractas, ſed juſtas fuiſſe Gebhardo cauſas, vel ob temporum horum turbas, vel ob alium mente conceptum Epiſcopatum, ejusdem ſanctitas facile perſuadet, litteras Papæ adfert Auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 179. & exſtat lib. 2. epiſtolar. 5. Greg. VII. P. num. 77. *S. Gebhard. Salisb. res. Gunther. Ep. I. Gurc. res.*

Interim ſub menſe Sept. Greg. Papa, jam de Henrico Rege, & Godefrido Duce diffidere cœpit, ut patet ex ejus litteris ad Beatricem & Mathildem 3. Id. Sept. datis. Paulus Bernriedenſis Præpoſ. Can. Reg. cenſet, Henricum fuiſſe conſcium, facinoris a Quintio ſeu Cincio a Greg. nuper criminum cauſa excommunicato patrati, quo is Pontificem nocte natal. Domini inter ipſa miſſar. ſolemnia, injecta in capillos manu, vi ex Eccleſia abſtractum, in domum quandam munitiſſi- *Henr. IV. & Greg. VII. diſſentium. Cincii Rom. facinus.*

mam abripuit, reddere tamen populo Quintius Papam debuit, atque omni delicto remisso, Jerosolymas tantum peregrinari a Papa jubetur.

Henr. 5. Rex Germ. Otho North.

Hæc dum Romæ agerentur, Rex Conradum filium, Regem post se eligendum per Sacramenta exegit, & Ottonem Northeimium datis 2. filiis obsidibus, in gratiam & intimam amicitiam recepit.

S. Gebhard. munit castra Werven & Friesach Salzb.

Turbas imperii & sacerdotii prope erupturas præviderit inter alios sagacissimus simul, ac providissimus Gebhardus Salzburg. hinc hujus anni fine, vel alterius initio construere cœpit castra, Salisburgense & Werfense, quibus se suaque tueri possit, addunt alii etiam Frisacense, quod, si ita, non an. 1080. dum mortua jam diu esset S. Hemma, sed antea an. 1049. Frisacum Salisb. sedi a S. Hemma donatum fuerit.

Friesacum a S. Hemma Salzb. donatur.

Milites iid. ac Equites Gutrath de Ernest.

Wetfensi castro præfectum dedit militem strenuum *Ernestum de Gutrath* (militum vero nomine veniunt hoc tempore *Equestris dignitatis* viri, fiduciaria clientela obstricti) arci vero Frisacensi *Chunonem de Kienburg* sororis suæ maritum, ut ferunt monum. fam. Kienburg. v. an. 1077.

Kienburg de Chuno.

Illustrissimæ hujus familiæ inter Styros maxime vigentis monumenta videre necdum mihi licuit, quod tamen futurum spero, origo hujus prosapiæ nobilissimæ in Carinthia quærenda est, teste Excell. Wurmbrandio in collectaneis Geneal. cap. 61. qui tamen ad sæc. 14. omnes reticet majores. Lazio teste liberi olim in Diplom. appellati, ac in Carnis erant celeberrimi. Hübnerus quod miror, eorundem non meminit. Bucelinus Stemmatogr. German. part. 4. fol. 98. brevissimum fragmentum ejus adfert, diversam tamen Kienbergiam, & Kienburgiam censet, de quo vehementer dubito; primam ideam familiæ cum alia non suppetat, ex Bucelino designo, adjectis tamen aliis monum. antiquis.

Geneal.

Au distract. a Kienberg.

Primus familiæ occurrit, ut mox dixi.

Chuno de Kienberg an. 1075.
Præfectus Friesacens. ux.

Helfenstein de Dietburg.

Hæc enim erat soror - - S. Gebhardi, v. Hübner. tab. 490.

Dietburga de Helfenstein. secundis nuptiis Wernero fors nupta, v. an. 1088.

Ex mente Heningesii apud cit. Hübner. maritus Dietburgæ hujus dicitur, *Bernardus Comes de Hardeck*, quem tamen Hübnerus tab. 780. omittit, & Hardekios a Brueschenkiis ortos primum sæc. 15. fine audiri cœpisse tradit.

Hardeck de Com. Bernard.

Idem sentit Excell. Wurmbrand. cit. cap. 35. pluribusque confirmat in addendis ad c. cit. f. 242. &c. 305. 354. de quibus plura suis locis.

Post hunc Chunonem integro sæculo tardius occurrit:

Georgius de Kienberg v. Künburg Equestr. dign. vir, an. 1165. ludis celeberr. Tigurinis sub Welfone Bav. Duce præsens, uxor incomperta.

Georg. de Kienburg Adolphus.

Adolphus de Kienburg, an. 1170. testis ult. litter. Wurmbr. cit.

Conrodus & Rudolphus Kienburgii, an. 1189. celebres Wurmbr. cit.

Post Georgium supra memoratum Bucelinus sequentem ordinem statuit:

Wolf-

Wolfgangus de Khienberg, ux. Margar. *Reitterin de Wokin*, filia Egidii & N. Dominæ de Pöttenbrunn.

Sigiſm. de Kienberg, ux. N. Pergerin de Perg.

Maximilian. ux. incomp.

Anna ux. 1. N. Egger. 2. N. de Schönbrunen. 3. Eraſmi de Läsberg.

Suſanna ux. 1. Cap. Reichentaler. 2. Georg. Höchenberg. 3. Onuphrii Andrees.

Joan. de Kienberg, uxor Euphemia Walchin de Prandegg.

Margar. ux. Georg. de Stade-litki.

Anna ux. Pöttinger.

Sigism. de Kienberg, ux. familiæ incompertæ.

Mergarita ux. Alex. Geltinger.

Proles pl. juv. mortuæ.

Sicque fragmentum ſuum claudit Bucelinus, nullius quoque attexens tempus, quo vixerit, teſte Excell. Wurmbr. cit. ex MS. Baron. de Kainach, *Bero de Küenburg*, teſtis invenitur in fund. Monaſt. Vitringenſis, ſeu de victoria an. 1117. fundati, hæc interim tenuis idea eſto celeberrimæ hujus familiæ, plura tomis ſubſequis, præſerim ubi documenta domeſtica benigne ſubmiſſa obtinuero. Interim videndi cit. Wurmbrand. & Bucelinus qui tom. 3. a Friderico Küenbergio an. 1400. & tom. 4. fol. 419. adhuc tardius Genealogiam eam deducit.

Caſtra eorum patrimonii in Carinthia erant *Kienberg*, *Kieneck*, & *Saxenburg*, *aliaque prædia*, *per vallem Dravi fluminis*, *ſed injuria temporum & fortunæ ait*, vetus ſcriptor apud Auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 619. *Prima & poſterior arx*, *ob Feoda*, *neſcio*, *quo modo co feſſa ad Archi-Epiſcopatum Salisburg. devenerunt*, *Kieneck vero dein in familia permanſit.* *Caſtra Kienberg Kienegg, Kottingenbrunn, Saxenburg.*

In Styria hæc familia propagata eſt uti & Auſtria, ubi caſtrum *Kottingenbrunn* ſub Frider. IV. Imp. nacti ſunt, dum *Burchardus a Kienburg* novam civitatem Auſtriæ & *Korneuburgum* in fide Cæſaris circa an. 1490. contra Mathiam Hungariæ Regem retinuit; *Caſpar Kienburgius* an. 1485. Styriæ procurationem geſſit.

ANNO 1076. *An. 1076.*

Indict. 14. *Greg. VII. P.* 4. *Henr. IV. Imp.* 21. *Ottoc. III. Styr. March.* 39.

Benevole reprehendit Henricum Gregorius, quod ſcienter communicaret excommunicatis ſuaſitque, ut ea de re Epiſcopum ſibi eligat, a quo Papæ loco abſolvatur, unde mox in apertum prodiere diſſidia. Bertholdus Conſtant. Lambert. Schaffnab. & Bruno de bello Saxon. ajunt, Henricum Regem ad Synodum Rom. evocatum ſub anathematis pœna, nil tamen de his Paulus Bernriedenſ. licet & ipſe ſeveriores a Papa litteras Regi directas affirmet. Quidcunque demum fuerit, ſeu ad Synodum vocatus ſit Henricus, ſeu acriores a Papa obtinuerit litteras; Rex inde concitatior, rejectis Legatis Apoſtol. conventum Epiſcoporum & Abbatum Wormatiam indicit, Hugone Blanco Cardinali peſſimo, & jam tertio ob Simoniacas reconciliationes damnato, Wormatiam etiam adveniente, qui confictis Cardinalium, Senatus, populique Rom. nomine litteris Henricum de abjiciendo Greg. Pontif. urgebat, quique, cum Legatus Romanus crederetur, Epiſcopos & Abbates omnes, excepto Adalberone Wirzb. & Hrrmanno Metenſi, decepit, ut Greg. VII. damnarent, atque ex Synodo hac peſſima litteras *Henr. IV. & Greg. VII. diſſidia aperta.* *Wormat. concil. iab. in quo Greg. VII. P. deponitur Auth. Hugone Blanco Card.*

Romam mitterent, quibus Greg. VII. abdicare ſe jubetur: litteras eas ab Engelhuſio relatas plerique & jure ſuſpectas reddunt.

Henr. IV. protervia. Henricus inſanior indies, litteras Eccleſiæ Capiti hunc in modum direxit, *Henricus non uſurpatione, ſed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando jam non Apoſtolico, ſed falſo Monacho &c.* dein eundem de Sede Apoſt. deſcendere jubet. Subſcripſere Epiſcopi plures metu mortis adducti. Hiſce cum litteris Rolandus Parmenſis Clericus Romam venit, atque *Papienſ. conciab.* ubi Papienſi in conventiculo etiam Gregorio obedientia detrectata eſt, idem Rolandus Romanam in Synodum tum habitam penetrat, & Papam contumelioſe abdicare ſe jubet, qui comprehenſus gladiis militum ægre a Papa ſalvatus eſt.

Movit Romanos Patres indignitas rei ac præſumptio Regis, Papatum ſuum aſſerentis, unde urſere Greg. VII. Papam, ut impium Regem damnaret. Benzo ſchiſmaticus ad teſtimonium libri pontificalis Henr. IV. Regem quidem provocavit dicens: *Ibi quippe legitur, quod ordinatio Papæ, atque Epiſcoporum ſit, atque eſſe debet per manus Regum & Imperatorum*, v. Benzonis Panegyr. lib. 7. cap. 1. ſed mitratum hunc ac *Benzo Cardin. ſchiſm.* dicacem ardelionem ſatis refutavit B. Petrus Damiani diſcept. Synod. tom. 3. pag. 22. urgens, cur quod minoribus quibusque Eccleſiis conceditur, jus eligendi ſibi antiſtitis, id Romanæ Eccleſiæ, Eccleſiarum omnium capiti negetur.

Henr. IV. deponitur in concil. Rom. Gregorius VII. Patrum clamoribus excitatus anathema in Henr. IV. vibravit, ſubditosque a fidelitate & obedientia abſolvit, dein tanquam complices excommunicati, etiam Sigefridus Mogunt. Wilhelmus Traject. & Rubertus Bamberg. Epiſcopi, niſi Romæ præſentati cauſam dicerent, cæteris dies dicta S. Petri, in qua, ſi ſe non per Legatos ſaltem purgarent, ab officio Epiſcopali deponerentur.

Quinam Germ. Epiſcopi ſubſcriptionem ſuam retractarint, ſatis conſtare nequit, cum lateat, quinam Wormatienſi Conventui interfuerint? Ex Saxonia Burchardus Halberſtad. Benno Miſnenſis, Wernherus Magdeburg. non aderant, utpote in cuſtodia detenti, aberat etiam Adalbertus Wormat. dudum ex ſua urbe expulſus, nec crediderim *Sighard. Aquil. Gebh. Salzb. Alt. Pat. res Papam tuentur.* Sighardum Aquilej. Gebhardum Salzb. & Altmannum Patav. adfuiſſe; Sighardus enim & Altmannus tanquam Legati Apoſt. Tribur. Conventui hoc an. adfuere. Gebhardus Salisburg. domi ſe ſuæ continuit, arcibus muniendis contra vim Regis intentus. *Cæterum*, teſte Berth. Conſtant. *quibus mens ſanior erat, non ita, ex quibus quidam Epiſcopi, Patriarcha Aquilej. Epiſcopus Salisburg. Patav. Wormatienſis &c. cum Apoſtolico indubitanter ſentiebant.* Altmannus certe interea ad 12. Kal. Jun. ſeu 21. Maji Cœnobium Can. Reg. ſub Regula S. Auguſt. Paſſavii ad *S. Nicolai Paſſ. Monaſt.* S. Nicolaum vel fundavit, vel auxit, ut patet ex ejus Diplom. apud Auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 259. &c. tres Monaſterio huic advocatos pro diverſitate bonorum ſtatuit. *Henricum de Vornbach Comitem* bonorum in Bavaria, *Leopoldum Marchionem Auſtriacum* bonorum in Auſtria ſuper curiam in Mautern &c. & *Rembertum Comitem* bonorum in Pa-

Vornbach de Co. Henr. Leop. Auſt. Mar.

Hartman. I. Præp. ad S. Nic. tav. territorio. Primum ejus Præpoſ. conſtituit *Hartmannum virum omni ſapientia & facundia præditum, qui Rudolfi Regis Capellanus floruit, & Urbano Papæ, ejusque ſucceſſoribus notiſſimus fuit. Hic Religioſos & Clericos*

ſibi

ſibi adſcivit, quos communem vitam ſub regula S. Auguſt. ducere voluit. Ita Biogr. B. Altmanni. Henricus Rex inſanire non deſiit, Godefr. Lothar. Duci per inſidias occiſo Conradum filium ſubſtituit, dedititios Saxones primores longius relegat, Hidulphum Colonienſibus invitis Epiſcopum intrudit, atque audito Romæ ſibi intorto anathemate per impium Wilhelmum Trajectenſem anathema in Greg. VII. ex ambone die S. Paſcatis detonari juſſit, ſed non impune, nam teſte Paulo Bernried. eodem die, tonitru & fulmine deſcendente, Eccleſia & omnes domus regali receptui apparatæ conſumptæ cum ipſo Epiſcopo Wilhelmo, monente ſuos ultimo in agone, ut Regem de crimine in Papam & Deum commiſſo adhortarentur; Hugo Flaviniac. ait Wilhelmum inter miſſarum ſolemnia plaga incurabili percuſſum, exclamaſſe: *ardeo! ardeo!* nec dato pœnitentiæ tempore, corpore in ſede reclinato, cum clamaſſet S. Maria, vitam miſerabili morte finiiſſe. Eadem fere habent Bruno & Lambert. Schaffnab. niſi quod de exuſtione Eccleſiæ ac fulmine taceant.

Henr. Reg. inſan.

Wilhelmi Traj. mors miſera.

Cum vero plures adhuc Germaniæ Epiſcopi decepti, anathema Greg. in Henricum non reciperent, Papa ſententiam pluribus momentis roboratam in Germaniam miſit, eoque facto plurimos Epiſcopos ab Henrici IV. partibus abjunxit. Altmannus Papæ ceteroquin devotiſſimus primus ſuorum turbas ſuſtinuit. Opportunum videbatur uxoriis clericis tempus, ſopita jam ab an. 1074. odia ex promulgatione decreti Gregoriani ſuſcitandi, Henricum Regem adeunt, horrenda crimina Epiſcopo ſuo imponentes &c. *motus Henricus Rex armata manu Pataviam ingreſſus, cuncta loca adulteriis polluit, expulſos ab Epiſcopo reſtituit &c. quo recedente*, inquit Biographus B. Altmanni *fratres de S. Nicolao*, ſeu Can. Reg. nuper ab Almanno inſtituti, *omnia loca polluta ſcopis & aqua benedicta emundaverunt, & inceſtos de loco pepulerunt, quod factum dolentes fautores Henrici, ſervos Dei violenter extrahunt de Eccleſia S. Nicolai, ac virgis publice cæſos, ut Phariſæi Apoſtolos, definibus ſuis ejiciunt, hæreticos & inceſtuoſos ſancto loco præficiunt.* Hos inter Azelinum *Patavienſem, aliosque multos virgis uſque ad horrorem videntium cæſos*, ex Arnonis ſcuto Canonicorum apud Duellium part. 1. pag. 11. conſtat.

B. Altman. Patav. res.

Perſecut. patitur a cler. conjug. & Henr. IV. Imp. Patav. vemente.

S. Nicolai Can. Reg. Pat. expulſi.

His in turbis *Altmannus de ſede ſua propter juſtitiam ejectus in Saxoniam ſcilicet patriam ſuam revertitur, & ibi quaſi in exilio inopia & egeſtate afficitur.* Dein Romam abiit, mitramque ſuam velut de manu laica ſumptam ad pedes Gregorii VII. depoſuit, ſed illico reſtitutus Epiſcopus, Legatus ſimul Apoſtolicus factus eſt, hocque nomine menſe Octobri Tribur. Conventui adfuit.

B. Altman. Pat. exul.

Legat. Apoſt.

Interea conjuratio illa Principum Germaniæ, quæ jam ab an. 1073. ſub favilla gliſcebat, in apertum prorupit. *Rudolphus Dux Suevorum Welfo Dux Bajoariorum, Bertholdus Dux Carentinorum*, ſed gradu ſuo motus, *Adalbero Wirzburg. Hermannus Metenſis Epiſcopi, aliique Principes plerique conſilia contulere, quid facto deinceps opus eſſet, cum Rex in dedititios Saxones contra fidem Principum tam dure & inclementer ageret &c.* facta conſpiratione in Regem anathematizatum inſurgunt, Saxones quosdam e cuſtodia dimittunt, bellumque novum Saxoniæ concludunt, ita Lambert. Schaffnab.

Henr. IV. rebell. fiunt Principes Rudolph. Suev. Welf. Bav. Berth. Carent.

Saxoniæ turbæ.

Ottoc. III. res. Nullus dubito, Ottocarum etiam noſtrum hiſce ſeſe conjuratis contra Regem pro vero Pontifice junxiſſe, tacitis id verbis inſinuat MS. Vorav. Genealog. Differt. 4. Præfat. cit. dicens de Ottoc. IV. quod *Salzburgenſibus Archi-Epiſcopis Gebhardo Tiemoni nec non & Conrado jam ſenex viriliter aſſiſtens, eos in perſecutionibus fovebat.* Ottocarus enim III. jam 39. regiminis ſui annum numerabat, quod vero per ſe amplius non potuit, hoc per filium ſuum Ottocarum IV. præſtabat jam adultum, & munia Patris loco ſuſtinentem, de quibus jam Differt. 4. cap. 4. & inferius in rebus Ottocari IV. Quamvis vero allegata verba id de Ottocaro IV. ſolum pronuncient, ex iis tamen colligo, etiam Ottocarum III. Patrem pro vero Pontifice ſtetiſſe, atque, ut firmus adeo pro ſede Apoſt. filius Ottoc. IV. dein eſſet, & verbis & exemplis eum docuiſſe, quamvis Adalbero filiorum alter a petra Eccleſiæ deviaret.

Et Ottoc. IV. fil.

Henr. IV. res. His auditis Henricus Rex Moguntiæ conventum, ſed irrito conatu convocat, cum pauci conveniſſent, iique inter ſe diſſenſiſſent; unde mutato conſilio captivos Principes dimittit, ut ea clementiæ ſpecie hos & plures alios ſibi devinciret, interim vero Ottone Northeimio Bajoariæ olim Duce ab Henrico deficiente, ipſe Rex a Geronis in Saxonia Comitis filius oppreſſus, ac captus fuiſſet, ni Milda fluvius imbribus auctior tranſitum impediiſſet.

Otton. North. res

Tribur. convent. Confœderati in Regem Principes ac Duces cum Epiſcopis Tiburiæ conventum convocant, Sigefrido Moguntino antea ab Henrico averſo, quibus Greg. VII. P. tamen ſcripſit, ut, ſi reſipiſceret Rex, benigne cum eo agerent, ſecus Principem talem ei ſubſtituerent, qui regno & imperio prodeſſet.

Sighard. Aquil. Altman. Pat. leg. Apoſt. Menſe Octob. itaque ſtatuta die convenerant Principes & *Sigehard. Aquilej. Patriarcha, ac Altmannus Patav. Antiſtes*, tanquam Legati Apoſtolici, reconciliati eo in conv. Epiſcopi plures, Tullenſis & Spirenſis ad Pontificem ire juſſi, Saxones eo in Conv. Papæ implorant opem, ut ſibi per ſe, vel per nuncium adeſſe velit, iis dein cum exercitu advenientibus deliberatum de novo Rege.

Hæc dum Henricus Rex audiret, Saxones & Suevos ad mitiora conſilia per Legatos revocare ſtatuit, ſed hi eidem ſignificant, ſe cauſam totam Pontificis arbitrio reliquiſſe: Interim id Henrico intimandum, ut ſe judicio Pontificis ad Purificat. S. Mariæ ad Auguſtam venturi ſubjiceret, interim ſpiræ privatus degeret, ſi intra diem anniverſarium excommunicationis ſua culpa non abſolvatur, regno caderet ſine ſpe recuperandi. Hæc a præſentibus Sacramento firmata. Conſenſit in ægras conditiones Henricus, ſed ſimul Papæ in Germaniam adventum prævenire ſtatuit, unde cum uxore, & filio iter per Burgundiam cœpit, eo quod Duces Rudolphus, Welf, & Bertholdus vias omnes præcluſiſſent, quo tamen in itinere Dietricus Virdunenſ. ab Adalberto Comite de Calwe, & Rubertus Bamberg. a Welfone Bajoar. Duce ſunt capti, quo in regni diſſidio Dux Poloniæ alias tributarius regium ſibi nomen ſumpſit, & Dux Bohemiæ Germaniam eſt populatus.

Henr. IV. in Ital. abit Rud. Suev. Welf. Bav. Berth. Carent. Ducer.

ANNO 1077.

An. 1077.

Indict. 15. *Greg. VII. P.* 5. *Henr. IV. Imp.* 22. *Ottoc. III. March. Styr.* 40.

Henricus Rex difficillimum ſubiit iter, præterquam enim, quod ab Amadæo ſocri ſuæ filio tranſitum in Italiam caro, magnæ nempe fertiliſſimæque Burgundiæ partis pretio mercari debuit, nives etiam & alpes aſperrimam viam præbebant, de quibus fuſiſſime agit Lambertus Schaffnab. *Henr. IV. iter in Italiam.*

In Italiam ubi tandem devenit, ab Epiſcopis & Comitibus magnificentiſſime excepſus eſt eo præcipue titulo, quod ad deturbandum Gregorium, a quo Communione Eccleſiaſtica ſejuncti erant, veniſſe, credebatur. Gregorius vero Papa horum inſcius, Roma digreditur Auguſtam Vindelicorum petiturus, deductus a Mathilde, quæ idcirco apud malos male audiit: cognito Henrici adventu, Canuſium in caſtrum munitiſſimum divertit, exploraturus, quo conſilio in Italiam veniſſet, quo in caſtro Epiſcopi & Laici quidam poſt actam ſolemnem pœnitentiam ab excommunic. Pontif. ſunt abſoluti. *Greg. VII. Canuſium venit.*

Henricus variis iisque nobiliſſimis Legatis ad Papam præmiſſis cauſam ſuam egit, negavit tamen Pontifex, accuſati cauſam abſentibus actoribus, legitime ſe agere poſſe, cum vero Henricus ſe anathemate ſolum ſolvi profiteretur, ægre id, ac non niſi arduis ſub conditionibus impetravit, 25. dein Jan. intra 2dum Canuſii murum (tres enim arx ea habebat) admiſſus ſolus & unicus, depoſito cultu Regis, nudis pedibus jejunus, mane uſque ad veſperam perſtabat, Papæ ſententiam præſtolans, hoc ſecundo & tertio die fecit. Tandem quarto die abſolutionem obtinuit, ita tamen, ut ſe ad locum a Papa deſignatum evocatis ſimul Teutonicis Principibus ſiſteret, cauſam dicturus, interim de regalibus nil aſſumeret, nec peteret, niſi quæ ad victum neceſſaria eſſent &c. quæ dein juramento Rex ſpopondit, ac ad ſuos eſt reverſus. *Acta ibid. Henr. IV. pœnitentia.*

Pœnitentia Regis Canuſii acta, Suevis & Saxonibus, quod juribus ſuis inde præcautum non eſſet, & Longobardis indigna ac injuſta viſa eſt, imo plane Henricum 3. filium patri ſubſtituere parant; unde plerique Longobardorum relictis caſtris ad ſua redeunt, cæteri præparce ſervitia præſtant, Regemque vix in urbes ſuas admittunt. *Ea diſplicet Suevis & Saxonibus ac Longobard.*

Rerum harum tædio & inſtinctu quorundam, & iter & pactum cum Pontif. factum damnat, ac revocat Henricus, excommunicatos revocat, & Papam apud Principes criminatur, ſicque Longobardorum ſibi favorem mercatur. *Henr. IV. revocat acta ſua.*

In Germania interim Sigefrid. Mogunt. Adalbero Wirzburg. & Hermannus Metenſ. Epiſc. Rudolphus, Welfo, Bertholdus Duces cum aliis plerisque regni Principibus conventum Forcheimii ad 3. Idus Martii indicunt, Papamque eo invitant, qui ſubito Legatos eam rem nunciaturos Regi miſit, ſed hic per temporis brevitatem ſe excuſabat: Et ſane Papa ipſe tuto venire non potuit, cum & Romæ & in itinere ſibi per Henricum & ſuos inſidiæ ſtruerentur. Itum in ſuffragia, & Rudolphus Sueviæ Dux, ab omnibus Rex Germ. eſt electus, quæ *Forcheim Conc.* *Rudolph. Dux Suev. fit Rex Germ.*

ubi

ubi Papæ relata ſunt, cogitabat ipſe Forcheimium venire, ſi per Regem liceret, ſed quoniam id fieri non potuit, Rudolphus Rex electus per Sigefridum Mogunt. ac Magdeburg. eorumque ſuffraganeos Moguntiæ eſt conſecratus, ibi cum Diaconum Simoniacum Rudolphus ab altaris officio removeri peteret, tumultus Moguntiæ ortus eſt a Simoni cis & fornicariis veritis, ne abdicare pellices, & gradus Eccleſiaſticos cogerentur, de quibus ſuſe Paulus Bernriedenſ. in vita S. Greg. VII. cap. 10. n. 87. &c.

Mogunt. tumult.

Papa ſe authorem non fuiſſe hujus electionis teſtatus eſt litteris ad univerſ. Chriſti fideles datis lib. 9. epiſt. 28. nec hoc, ſed an. 1080. ſolum Rudolpho coronam miſit hoc ſub Lemmate *Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho.*

Rudolphi Reg. res.

Rudolphus dein Wirzburgum urbem Henrici partes ſecutam obſidet, ſed fama adventantis Henrici obſidionem denuo ſolvit.

Henr. IV. Papæ auxil. implorat.

Henricus vero Greg. VII. auxilium contra Rudolphum imploravit, excuſavit ſe Papa, id facere non poſſe, niſi Rudolphus a ſe vocatus rationem ſui facti reddere nollet, ita Cencius Camerarius cap. 2. n. 9. vel ut Berth. Conſt. ajebat Papa, ſe id facere & petito Regis annuere non poſſe, quamdiu Legatus S. Petri ligatus retineretur.

Sigehard Aquil. a Papa deficit.

Id ubi ad vota Henrici non ceſſit, egit, ut Sigehardum Aquilej. Patriarcham, ad ſuas partes protraheret, Papiæ agens Sigehardo interventu Agnetis Aug. matris, Bertheæ Reginæ conjugis, Theodaldi Mediolan. & Guiberti Ravennat. Archiep. Greg. Uercell. & Cancellarii ſui, Burchardi Lauſanenſ. Epponis Citicenſ. Bennonis Oſnabrugg. Epiſcoporum Luitoldi Ducis (Carinthiæ de mox quo plura) & Marchionum Wilhelmi Azzonis & Adalberti, Comitatum Forojulii donavit, ut v. Bernard. de Rubeis cap. 57. pag. 537. anni ordinationis 26. regni 23. perperam notantur. Præterea vel apud Sighardum Aquilejæ, ut habet MS. Herm. Contr. Continuator apud Auth. Germ. Sacræ tom. 2. pag. 180. vel Veronæ, ut habet Burchardus in caſibus Monaſt. S. Galli cap. 7. pag. 67. exegit Paſcha Henricus, qua in commoratione Sighardo eidem promiſit Iſtriam & Carnioliam, ſi viam in Germaniam aperiret. Conſenſit Sighardus, & 3. Id. Junii bino Diplomate hujus anni in Nueremberg dato, Comitatus Iſtriæ & Marchæ Carnioliæ eidem in proprietatem datur ab Henrico Rege. Diploma exhibet Ughel. tom. 5. col. 57. in addit. & Frælich. Archont. Carinth. part. 1. fol. 29. & 30. & part. 2. fol. 56. fragmenta, notat ſimul Papiæ de iis agi non potuiſſe, niſi ante Paſcha. Anonymus Leobienſ. hæc ad an. 1070. ſed maturo nimis calculo refert, niſi fors eo anno oblatam, hoc vero an. traditam velit Marcham Carnioliæ & Iſtriæ.

Donatur Comit. Forojulii.

Iſtria ac Carniol.

Fit Archi-Cancellar.

Ex his Diplomatis varia ſunt obſervanda, & 1. quidem Sigehardum hunc fuiſſe Henr. IV. Archi-Cancell. Gebhardum Prag. vero Cancellarium. 2. Henricum per Aquilejam in Bajoariam erupiſſe, quod etiam Sigebertus docet, & quidem Junii initio, cum 3. Id. Junii ea Diplomata Norimbergæ dederit. 3. Comites itineris Henrico fuiſſe Luidolphum Ducem Carinthiæ, Marquardo Patri dein defuncto ſubſtitutum, Cunonem Comitem Palatinum, Tiepoldum Marchionem, Wratislaum Boh. Ducem, variosque Epiſcopos ſuperius commemoratos.

Henr. IV. in Bav. venit. Luidolph. Dux Carinth.

Paſchate

Paſchate igitur Veronæ vel Aquilejæ peracto Henricus *per Carentaniæ abruptas anguſtias Bajoariam*, ut ait Berthold. Conſtant. MS. & auctior apud Auth. Germ. Sacræ tom. 1. pag. 265. ſeu *Bavariam cum paucis clandeſtina ſurreptione intraverat*, ibique eorum prædia & facultates, qui ſuis partibus adverſabantur, *ſed maxime Patavienſis Epiſcopi, inter ſuos diviſit, qui in Eccleſiarum bona inhumaniſſime ſunt graſſati.* Dum dein *apud Ratisbonam Pentecoſten celebraret, Marchio Luitpoldus inde aliquantulum ab eo offenſus regrediti*tur, ſed de hoc an ſeq. plura, ad quem ea pertinent. *B. Altman. parcit.*

Quæ damna Patav. Eccleſiæ intulerit? expreſſum non lego, teſte Auth. Germ. Sacræ cit. agebatur æſtas inter mutuas belli molitiones, id aſſidue ſatagente Altmanno, ut copia daretur Pontifici in Germaniam veniendi, Bernardus Cardin. omnem cum Altmanno & Adalberone Wirzburg. operam movebant, ut Henricum ad conſilia Papæ commodum darent, ſed contumax perſiſtens, & ne nuntios quidem audiens, Goslariæ 12. Nov. novo anathemate a Legato Apoſt. eſt perſtrictus. *Patav. Eccl. damna.*

Quænam Gebhrdus Salzb. perpeſſus fuerit hoc an. perſcribit nobis Biographus pag. 438. his verbis: *Multa tunc perſonæ & ordini indigna nimis a fautoribus regni excepit, qui mox Eccleſiæ ſuæ bona diripiebant, unusquisque vicina ſibi, quaſi ex promiſſione Regis vendicans, & Bannos Domini Papæ ipſiusque noſtri Archi - Epiſcopi ob hanc direptionem illis factos parvi pendens. Tunc etiam magna pars Ungaricæ terræ, quondam Eccleſiæ S. Ruberti traditæ ab Epiſcopo defeciſſe dicitur. Hac etiam neceſſitate ob munimen Eccleſiæ ſuæ in poſterum caſtella duo munitiſſima Chriſti Archimandrita ædificavit, ſcilicet in monte Salzburg. & Werfen, ſed & unum caſtellum in Carinthia apud Friſacum.* Caſtra hæc jam an. circ. 1075. cœpta, hoc vero anno ad perfectionem deducta opinor, quæ vero pars ea terræ Ungaricæ fuerit, ſedi Salzb. hoc tempore ſubtracta, nondum deprehendere licuit. *Salzb. Eccl. damna & S. Gebhardi. Hung. pars ei ſubtrahitur. Caſtra Salzburg, Frieſach, Werfen perfecta.*

Inter caſus fatales deſertorum Chriſti hoc tempore referenda eſt mors Gregorii Urcell. & Sigehardi Aquilej. Ille Cancellarius Italiæ conventu gener. ad Kal. Maji in campis Roncoliis indicto, eo conſilio, ut Papam Gregorium deponeret, *ſed vitam ſimul & Epiſcopatum miſerabiliter depoſuit, quo ille Papam* (termino) *nefaria præſumptione ſtatuit deponere*, inquit Berthold Conſtant. Hunc pridie Auguſti hujus anni ſecutus eſt *Sigebardus Aquilejenſis Patriarcha in auxilium Henrico, contra Bannum Apoſtolici armata manu veniens*, nam *in amentiam vertitur apud Ratisbonam, & ex ipſo itinere repentina morte intercipitur, ſicque domum, non ſine aliquibus ſuorum funeribus* (Bruno ad 50. numerat) *in corpore & anima mortuus reportabatur*, inquit idem Berthold. & Bruno de bello Saxon. p. 208. hinc teſte Freher. Chron. Auguſtano, hoc an. *Henricus pridem Canonicus Auguſtæ, Aquilegiæ in Patriarcham conſtituitur.* *Gregor. Urcell. & Sigebardi Aquil. mors miſera. Henr. Patriarch Aquilej.*

Rudolphus Rex interea Merſeburgi conſtiterat, tum *vero Henricus Rex, mox ut Ducem Ruodolf de Rinfelden ſuum regnum ſibi uſurpaſſe audivit Paſcha Veronæ moratus, per Carinthiam Domino Marquardo & filio ſuo Luitoldo Duce ſibi ducatum præbentibus ad Teutonicas partes rediit, Rudolphum Regem in caſtro Sigmaringen obſeſſum turpiter fugavit.* Ita Burcardus de caſibus S. Galli cap. 7. & Bertholdus Conſtant. hoc anno: hocque tempore Henricus Rex Luitolphum Abbatem S. Galli invitis Monachis per *Rudolfi Reg. & Henr. IV. Imp. res per Carinth. tranſit. Udalrici fil. Ducis Carinth. Ab. S. Galli.*

Rudolphum Regem impoſitum, fracto ejus baculo paſtorali in Augiam expulit, atque Udalricum juniorem præfecit, erat hic Udalricus Henrico IV. Regi propinquus, Marquardi Carent. Ducis filius, dein Patr. Aquilej. Henrici partibus addictiſſimus, v. an. 1045. & 1086.

Poſthac Wirzburgi obſidio ſoluta eſt a Rudolpho Rege, ut Henrico IV. Bavaros & Bohemos præſtolanti occurreret; poſitis ad Neccarum caſtris ad pacta deſcenſum eſt, ſed adveniente Bajoariorum & Bohemorum exercitu Henricus a pactis receſſit.

Bertold. I. Zæring. † Inter hæc Bertholdus I. Zæringius, Dux quondam Carentaniæ, vir alias in ſe religioſiſſimus, & in filiis ſuis Deo devotus, præ dolore contabuit, Luitbergenſi in caſtro ſuo munitiſſimo ſepultus, ut habent Annal. & Chronogr. Saxo. Bertholdo huic ablatam Carentaniam, ac Marquardo datam Regis propinquo ad an. 1070. & 1072. dictum eſt; Bertholdus II. Patri quo ad ſolum titulum Ducis Carentaniæ ſucceſſit, fruſtra ſperans promiſſum olim ab Henrico Ducatum, nam uti an. 1072. oſtendi, Rex Henricus Bertholdum Zæringium exauthoravit, ſicque etiam filio ſpem Ducatus ademit, atque *quorundam inſtinctu eundem Ducatum Luidolfo conſanguineo* (Henrico Regi III. gradu ut an. 1072.) *dedit ſicque patrem & natum parvi pendens.* Ita Annal. Saxo. ad an. 1057. & Lambert. Schaffnab. hoc an.

Bertold II. ſucc. tit. Dux Carinth.

Luitold. fit Dux Carinthiæ.

De Luitoldo Carinthiæ Duce ſuperius jam mentio facta eſt, eum nempe hoc an. Carinthiæ præfectum fuiſſe, legitur enim *Dux Carinthiæ* in pluribus Diplom. nominatim Sighardo Aquil. datis, ſed an vivente adhuc Patre Marquardo Dux factus fuerit? inquirendum, textus Burcardi ſupra cit. de itinere Henrici per Carinthiam innuere videtur Luitoldum Ducem Carinthiæ, Patre nondum defuncto ſucceſſiſſe. Conſiderato tamen attentius textu contrarium patebit, ait vero cit. Burcardus: *Per Carinthiam Domino Marquardo, & filio ſuo Luitoldo, Duce ſibi Ducatum præbentibus &c.* comatis accurata interpoſitio difficultatem tollit, coma enim ante ly *Duce* interponendum eſt, ut vocabulum Ducis appellet, ſupra Marquardum Patrem, non Luitoldum filium, Marquardus Dux Carinthiæ ante menſem Majum non obiit; adfuit enim electioni Rudolfi Regis, & dein Henricum per Carinthiam deduxit. Electio Rudolphi menſe Martio facta eſt, & poſt Paſcha primum iter Henrici per Carinthiam, 3. Idus Junii Carnioliæ Marchia & Iſtria Sighardo donata eſt, atque ibi ſolus adducitur *Luitoldus* Dux; unde ſuſpicor Marquardum defunctum, eique Luitoldum filium ſubſtitutum, quod ſi tamen quis efficaciter evincere vellet Luitoldum Ducem factum, vivo adhuc Patre, vel Pater ultro filio deceſſit, vel filius Italorum more tanquam Ducis filius, Dux dictus fuerit.

Marquard II. Dux Car. quando †

Henr. de Eppenſtein Iſtriæ Mar.

Luitoldus Dux Carinthiæ factus, mox pluribus ab Henrico Rege beneficiis eſt ornatus, nam eodem hoc anno obtinuit, ut Henrico Eppenſteinio fratri ſuo Iſtria donaretur; ait enim Burcard. in caſ. S. Galli cap. 7. p. 73. *Quia ſuus frater* (loquitur de Udalr. Abb. S. Galli, dein Patr. Aquilej.) *Luitoldus aliqua ſui juris* (Bertholdi I. Zæring.) *ut ſibi viſum eſt, ſcilicet Ducatum Carinthiæ, conceſſione regia obtinuit, & alter ejus frater* (Henricus nempe Luitoldi frater) *Marchiam Iſtriam ſub eadem conceſſione poſſedit.* Ex quibus proin arguo, Sigehardum Aquilej. poſſeſ-

ſionem

ſionem Iſtriæ non adiiſſe, cum vita functus jus ſuum perſequi non potuerit, ſed nec Henricus Patr. Aquilej. nec Frider. II. Carniolia vel Iſtria potiti ſunt, ſeu Henrici Regis inconſtantia, ſeu aliorum Principum eas ſibi terras venditantium, contrariis conatibus. Nemo miretur, fuſius me iſthic ſemper de rebus Carinthiæ & Aquilej. Patr. agere, cum Styriæ pars magna adhuc hoc tempore, Carinthiæ involuta, ac ſub Leopoldo forti Ottoc. IV. filio ſolum Patriæ noſtræ adjecta fuerit, & Patriarchæ Aquil. infer. Styr. partem trans Dravum curaverint. *Aquil. Patr. Iſtr. & Carntol. poſſeſſ. u. nacti ſunt.*

Obiit etiam Romæ 14. Dec. religioſiſſima Imperatrix Agnes ibidem in Eccleſia S. Petronellæ ſepulta, in Dania Sveno Rex, cui Heroldus & in Hungaria Rex Geyſa, cui S. Ladislaus ſucceſſit. De Salomone Rege plura ad an. 1087. dicentur, ubi apparebit, vix credibile eſſe, Salomonem hunc, fratrem converſum in Ciſtercio S. Crucis in Auſtria factum ibidemque an. circ. 1134. ſepultum fuiſſe. *Agnes Imp. Geyſa Rex Hung. † S. Ladislaus. Salomon Rex Hung. an Ciſterc. factus.*

Eodem hoc anno, ut habet Auth. Germ. Sac. tom. 2. fol. 937. obiit mater S. Gebhardi Salisburg. *Azala Comes* 18. Nov. humata Salisburgi, & altero an. 3. Febr. eam in via univerſæ carnis ſecutus dicitur Pater Gebhardi: Azalæ maritus Cadolochus ex Necrol. Capituli Salisb. v. pl. ad an. 1038. *Azala mat. Cadoloch. Pat. S. Gebh. †*

ANNO 1078. *An. 1078.*

Indict. 1. Greg. VII. P. 6. Henr. IV. Imp. 23. Ottoc. III. Styr. March. 41.

Cum Henricus Rex in Rom. Conc. de iniqua damnatione conquereretur, Greg. VII. P. velut cauſa adhuc pendente Legatos Apoſtolicos mittendos decernit, pacem inter partes compoſituros, ſed induciæ, ſeu Henrici culpa, ut vult Bertholdus, vel Saxonum importunitate, ut ex Brunone Chrongr. & Annal. Saxone colligitur, ſervatæ non fuerint, atque rurſus ad arma ventum eſt, *Henricus Rex*, ait Berthold. auctior apud Auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 265. *Vagabatur in Norici orientalis partibus, uſque in mediam quadrageſimam, Patriam illam non modicis itionibus devaſtans.* Bavariam, partem modernæ Auſtriæ ac Styriæ inde afflictam fuiſſe, facile perſpiciet, qui Noricum orientale, Cetium montem verſus extenſum fuiſſe ex chartis vet. Geograph. obſervabit. *Henr. IV. Reg. res. Saxon. turba. Styria res.*

Atque hæc fors ratio fuerit (quoniam alia non ſatis in aperto eſt) cur Gebhardus Salzburg. Archiep. & Leopoldus pulcher Auſtriæ Marchio, proxime ſequenti Pentecoſte, Ratisbona, ubi Henricum Regem acceſſerant, ſubirati diſceſſerint. De Leopoldo Bertholdus in anecdot. cit. hæc habet: *Henricus Rex, dum apud Ratisbonam Pentecoſten celebraret, Marchio Luitoldus inde aliquantulum ab eo offenſus regreditur*; præviderit nempe ex Norici orientalis prævia vaſtatione atram eam nubem, quæ non ita poſt & ipſum & Auſtriam omnem involvit. De Gebhardo vero ita loquitur Biographus ejus: *Sub publica tandem fide Ratisbonam veniens expurgare ſeſe, in quibus a Rege inculpabatur, recuſavit, niſi prius omnia, quæ ei ablata fuerant, juxta ſtatuta emendarentur. Inde prolixa inter eum, & inter prælocutores Regis coram Rege agitata eſt quæſtio, poſtremo infecta re utrinque, & indefinita exivit ab urbe Ratisbona ad urbem ſuæ ſedis, eo Comitatu, quo venerat, reducente.* *S. Gebhard. Salzb. & Leop. March. Auſtria offenſi.*

S. Gebhard. 99. an exul.

Sed paulo poſt, pergit idem Biogr. *quia* Gebhardus *inimicis crucis Chriſti & Eccleſiæ reſiſtere non potuit, relicta Syndone nudus ab eis profugit, quia relicta ſede ſua 2. Idus Octob. receſſit anno Incarn. Dom.* 1078. *& 9. annos nunc in Sueviam, nunc in Saxoniam transmigrando cum ſui ſimilibus catholicæ veritatis confeſſoribus in exilio transegit.* Id ipſum habet Berthold. Conſt.

Bertholdus pſeudolp. Salzb.

pergit Biogr. S. Gebhardi Admontenſ. cœnobita: *Rex Henricus Bertholdum quemdam ſui erroris conſentaneum, in cubile Salzb. Eccleſiæ ingeſſit, qui & ejus-*

Admont. damna pl. infert.

dem Eccleſiæ theſaurum ditiſſimum diſſipavit, & multa noſtræ Admuntenſi Eccleſiæ ornamenta cum nonnullis SS. pignoribus diripuit, ipſum vero locum noſtrum ad ſolitudinem fere redegit. Bertholdum hunc invaſorem Chronicon Ad-

An e famil. de Mosburg v. Prunizagil fuerit.

mont. apud P. Hier. Pez tom. 2. ad an. 1087. *Prunizagil* vocat, alii vero omnes cum Auth. vitæ S. Chunradi, *de Moosburg fuiſſe, fratrem nobiliſſimi Principis, Burchardi nomine,* Lazius de migr. gent. pag. 394.

Mosburg. qui Burchard Adalbert. Helmiwerth Renatus.

ejus fratres nominat *Burchardum & Adalbertum,* quem Henr. IV. Welfone Bavariæ Duce ad Partes Papæ deficiente, inferioris Bavariæ Præſidem creavit, Aventin. lib. 7. Annal. Bajor. Patrem ejus nominat *Helmiverthum,* urbis Mosburgenſis in Bavaria, haud procul Friſinga Dynaſtam. Fratres *Burcardum & Renardum.*

Salzburg. Eccl. damn. per Berth. Mosburg.

Operæ pretium erit pluribus perſpicere, quænam Salisburgenſi & Admuntenſi in Styria Eccleſiis contigerint. Eccleſiæ Salzb. damna per Bertholdum invaſorem enumerat Biographus S. Chunradi Archiep. hiſce- *Nam ſacrarium majoris Eccleſiæ, in quo rerum pretioſiſſimarum, librorum videlicet, & calicum aureorum, gemmis mirifice decoratorum, variæque ſuppellectilis pretioſæ, tanta fuiſſe copia ab antiquo recondita, narratur, ut per totam Bavariam in nulla Eccleſia, nec major, nec ſimilis inveniri poſſe, tunc temporis diceretur, iſte ita evertit, ita diſſipavit ita evacuavit, ut vix reliquias iſte, de quo nunc ſermo eſt, Chunradus inveniret; Redditus quoque Epiſcopales, quos non militibus conceſſit, pro vanitatibus ſuis impignoravit. Nec Deum timens, nec hominem reveritus, dummodo nobiliſſimum Epiſcopatum, quem ſine æmulo nec imperiali auctoritate omnium nobilium, & Miniſtrorum ſuorum tyrannidi adſtipulantium potenter tenere poterat, ſubverteret &c.*

Admont. Eccl. damn. per eund.

Admontenſi novellæ plantationi, ejusque rebus, quantum idem Bertholdus nocuerit, exprimit Biogr. S. Gebhardi Anonymus Admontenſis. *Inter cætera pretioſa, quæ tunc temporis idem intruſus, ſeu Epiſcopus nobis abſtulit, unum rationale ex auro & gemmis pretioſiſſimis intextum, aureis catenulis dependens pene mille marcarum pretio æſtimatum, quod Imperator Græciæ Fundatori noſtro Gebhardo Archi-Epiſcapo, dum legatione Cæſaris illo functus, filium ejus baptizaſſet, pro munere donaverat, juſſit præfatus Bertholdus exponi, militibus ſuis hæc legaturus. Duodecim igitur milites cæteris præſtantiores avaritiæ ſiti furentes, pro rapiendo illo in litem verſi ante atrium baſilicæ certamen ineunt, & mutuis ſe concidentes vulneribus, octo ex his ibi ceciderunt; quidam vero ex fratribus Nordvvinus Presbyter Sacriſtæ, ſeu cuſtodis functus officio, ad tantum perhorreſcens facinus, & aliarum 4., qui adhuc ſuperant, ſimili cæde jam perituris, vitæ conſulens, arreptum rationale in 4. fruſtra confregit, cuique illorum ſuam partem tribuens, qui Monachus eodem die diem clauſit extremum; prædictus quoque Bertholdus duas*

Burghauſen de Gebhard.

patellas ſalis ad Bajerhalle nobis abſtulit, & Comiti Gebehardo de Purchauſen has in beneficio tradidit.

Tulit

Tulit hæc omnia, repetitam Monaſterii devaſtationem, incendium, ſummam penuriam, Iſengrinus I. Abbas Admontenſis, incredibilia ſub hoc Bertholdo perpeſſus, quo vero magis Admontenſis læderetur Eccleſia, quod Bertholdus invaſor non potuit, effecit Henricus, dum Eggibertum, ſeu Engelbertum Comitem, teſtem & adjutorem Gebhardo in fundat. Monaſterii Admontenſis, ejus caſtellis in poteſtatem redactis, coegit ad Regem Hungarorum fugam capeſſere, nominatur hic Comes in notitia fundat. *Advocatus Ratisbonenſis*, quem Lazius putat fuiſſe *a Riterburg & Falkenburg*, in Bavaria item *Comitem a Traſma in Auſtria*. *Iſengrin. I. Abbat. Admont.*

En miſeram faciem Patriæ noſtræ! quæ ſane miſerior adhuc fuiſſet, niſi *Ottachyr Marchio Styrenſis*, nomine IV. & filius Ottacari III. adhuc viventis, ejusque ſeniculi loco omnia munia gerens in fide Papæ perſtitiſſet, de eo enim ait MS. noſtrum Geneal. quod *Salzburgenſ. Archi-Epiſcopis Gebhardo, Tymoni, nec non & Conrado jam ſenex viriliter aſſiſtens, eos in perſecutione fovebat*, dicitur hic Conrado Archiep. qui an. 1121. ab exilio rediit, jam *ſenex* adſtitiſſe; uti enim Diſſert. 4. cap. 3. §. 11. & cap. 4. §. 3. oſtendi Ottocarus IV. jam diu ſub patre patris officium geſſit, ſicque jam ætate profecta patri ſucceſſit. *Ottoc. III. & IV. Papæ adhærent.*

Altmannos Patav. in Saxonia exul curas omnes collegit, ut colloquium inter partes haberetur, ſed eluſit conatus Henricus Rex omnia interim pro libitu conculcans, & in Saxoniam cum exercitu movens, primum ad flumen Struvam rejectus, dein vero Alemannus Rudolpho Regi fideles fæde mulctavit, ſtrage fere 12000. ad Metelricheſtad denuo conflictum, initio Henrico, exitu vero Saxonibus ſecundo, cæſi ex parte Henrici Primores, *Everhardus Probatus*, *Poppo*, *Thietboldus ſeu Diepoldus Marchio*, & *Henricus* de *Luchsmunde* ex parte Rudolphi captivi nobiles omnes erepti, ſolus Magdeburg. Archiep. in fuga ſuſpendio, ut ferunt, interemptus eſt. *Henr. IV. in Saxon. movet.* *Varia fortuna.* *Rudolphi Reg. res.*

Inter hæc tamen Legati amborum Regum (quos inter Egilbertus vel Eilbertus Præpoſitus Patav. ac dein Archiep. Trevir. ab Henrico miſſus) Romam venere ad Synodum in Eccleſia S. Salvatoris 13. Kal. Dec. convocatam, in ea juraverunt ambo Legati, *quisque pro Domino ſuo, quod nullis dolis colloquium Legatorum ſedis Apoſt. in Teutonico regno habendum impedient.* Cauſa tamen regni in præſens non eſt judicata, quod ambo Reges in colloquium de regni ſtatu habendum conſenſiſſent. *Rom. Synod. E. gilbert. Patav. Præp.*

Id vero diſplicuit Welfoni Bavariæ Duci, & aliis regni Principibus, ſperantibus regnum ab Henrico in Rudolphum a Papa transferendum. Unde acres litteras dedere ad Pontificem, iis anno priore ſcribentem, utrumque Regem a ſe poſtulaſſe auxilium, ſeque petiiſſe vicinum in Germaniam aditum ad cauſam hanc dijudicandam. Litteras Welfonis, & aliorum refert Bruno bello Saxonico pag. 218. cum vero Saxones & Suevi Principes nec his Papam ad præcipitandam in Regem Henricum ſententiam permovere poſſent, alias ſuperaddiderunt, ibidem pag. 219. relatas, unde Papa Welfoni Duci communi omnium Papæ adhærentium nomine reſcripſit, quibus modum ſuum in Henricum Regem inculpabilem reddere conatur. *Welfon. Bavar. res.* *Greg. VII. P. moderatio in Henr. IV.*

An. 1079.

ANNO 1079.

Indict. 2. Greg. VII. P. 7. Henr. IV. Imp. 24. Ottoc. III. Styr. Mar. 42.

Rom. Synod. Rudolphi ſequaces nova epiſtola urſerunt Gregorium Papam, ut ſententiam in Henricum Regem ferret: eas denuo refert Bruno cit. pag. 220. Et vero Synodum indixit Papa ex diverſis partibus orbis menſe Febr. in Eccleſia S. Salvatoris celebrandam, in qua 1. Berengarius hæreſim ſuam publice ejuravit. 2 Henricus Aquilej. Patr. juravit ſe nulli communicaturum, quem Papa excommunicaſſet. 3. Presbyteri fornicarii ſine ſpe recuperationis depoſiti, & ſcriptum fictum ſub nomine *S. Udalrici ad Papam Nicolaum de nuptiis Presbyterorum & Capitulum Paphnutii* de ead. re damnatum. 4. Legati Rudolfi contra Henr. Regem totum regnum confundentem, & Eccleſiam totam conculcantem proclamaverunt.

Berengar. hæreſim ejurat.

Henr. Aquilej. jur.

Secundum & quartum punctum magis eſt exponendum, S. Gregorio Papæ, magnæ nempe nuper curæ fuerat, ut in locum Sighardi Aquilej. idoneus ſucceſſor eligeretur, egitque deſuper cum Aquilejenſibus & ſuffraganeis ejusdem Eccleſiæ, ne ſchiſmaticus promoveretur: dein ab Henrico electo Sacramentum hac in Synodo exegit, cujus formam Conc. Rom. 6. refert apud Labb. tom. 12. col. 631. & Bern. de Rubeis cap. 55. num. 6. id ipſum inſinuat Bertholdus Conſtant. ad an. 1079. *In eadem Synodo Henricus Aquilejenſis Patriarcha Papæ juravit, nulli ſe deinceps communicaturum, quem ſciret a Papa excommunicatum.* Sed promiſſis & fide data non ſtetit deficiens ad partes Henrici.

Quæ fuerit illa proclamatio contra Henricum Regem, acta Conc. fuſius explicant, probabilius litteræ confœderatorum Principum ad Nicolaum Papam antea lectæ, dein effectum, ut Legatis Apoſt. ſecuritas ab utriusque Regis parte Sacramento affirmaretur.

Henr. Aquilej. Leg. Apoſt. Legati vero Apoſtolici erat Petrus Igneus Albanenſ. Epiſc. & Udalricus Ep. Paduanus, cum Henrico Patr. Aquilej. qui Regem Henricum Ratisbonæ adeuntes, cum parum proficerent, in Rudolphi Regis cauſam inclinabant, teſte Bertholdo Conſtant. Hugo vero Flaviniac. eos muneribus corruptos a propoſito ſuo deviaſſe, & Simoniacos Epiſcopos Henrico Regi communicantes confirmaſſe tradit in Chron. Virdun. pag. 222. Egilbertus Patav. Præpoſ. in ſedem Trevirenſem per vim Henrici intruſus eſt.

Egilbert. Patr. Epiſc. Trevir.

Rudolphi & Henr. IV. res. Interea Rudolphus & Henricus rerum ſuarum ſatagebat, Rudolphus quidem novos nominabat antiſites, Hartwigum Magdeburgenſem, Guntherum Citicenſem, & Udonem Hildesheimenſem; Weſtphaliam dein & Haſſiam ſibi ſubjecit, Henricus vero, ut vicem Rudolpho redderet, Sueviam hoſtiliter ſubiit.

Henr. IV. Auſtriam petit. Antea vero Henricus Noricum, & Auſtriam inferiorem, illato repente bello oppreſſit, ita refert Bertholdus MS. auctior apud Auth. Germ. Sacræ tom. 1. pag. 266. Henricum *in orientalibus Bajoariæ, & Norici ſinus partibus, incolas illos devaſtando, & Liupoldum Marchionem, ad deditionem ſibi cum aliis quibusdam coartando, uſque in Pentecoſten ferme commoratum fuiſſe.* Leopoldus offenſus nuper ex Ratisbonenſi congreſſu

Leopold. March. ſe dedere cogitur

impa-

imparatus erat, exhauſta jam nuper militum licentia provincia, nunc inermis, & nil hoſtile verita, effecit, ut Leopoldus ad deditionem cogeretur. Scriptores Auſtriaci, fædiſſimum crimen commenti, quaſi ob vicem inceſto fratri fædiore inceſtu redditam, hanc pœnam meruiſſet, ut provinciam ſuam ab Alberto fratre, ad quem ea devoluta erat, precario recipere cogeretur, ſed eam fabellam jam exploſit vir Cl. Hier. Pez aliique.

An *Ottocarus noſter*, & *Eckbertus Neuburgi ad Ænum Comes*, eandem Regis iram experti fuerint? non conſtat, *Hermannum*, *Luitoldi Carentaniæ Ducis fratrem*, Altmanno Epiſc. Paſſav. ſubſtitutum (*qui vixit per biennium, & ſic judicio Dei vitam cum infula amiſit, qui tamen dicitur in extremis pœnituiſſe, & induvias ſuas Altmanno Epiſcopo pro abſolutione anathematis miſiſſe*) docet Biographus S. Altmanni n. 15. 16. cum vero dicat, Herman. hunc per biennium vixiſſe, Hermannus autem an. 1087. obierit, patet eum an. 1085. fuiſſe Altmanno ſuppoſitum: necdum ergo hoc tempore in cathedram Pat. quisquam erat intruſus. In litteris Udalrici Epiſcopi Pat. poſt 40. & aliquot annos datis, hoc tempore officiis Epiſcopalibus in Auſtria functus, Eccleſiam in Draskirchen dedicaſſe legitur Sigilbertus; ita enim ſcribit Udalricus Epiſc. an. 1120. *Ante annos 40. & eo plus Eccleſia Draskirchenſis a Sigilberto beatæ memoriæ Epiſcopo conſecrata eſt*; qui calculus ad an. 1079. concordat, quo tempore B. Altmannus a ſede ſua exul, Romæ & in Saxonia agebat. Quis vero *Sigilbertus* hic fuerit? non ita conſtat, Auth. Germ. Sacr. to. 1. in fine Coroll. 6. eum ad an. 1080. ſuffraganeum Patav. ſtatuit, ſed anno 1031. Auguſtenſem antiſtitem ex monum. Tegernſeenſibus ſcribit f. 267. ad cujus inſtantiam Monaſterium Benedicto-Buranum fuit reformatum. Sed an. hic an. 1080. adhuc vixerit? utcunque hæreo; Sigefridum Epiſc. Auguſtanum an. 1002. invenio, primumque, qui pro S. Henrico Rege ſuffragia tulit; anno 1079. *Sigefridum de Dornberg*, non vero *Sigilbertum* (qui Auguſtanæ ſedi ab Henrico intruſus, excommunicatus, extra gremium Eccleſiæ obiit an. 1096.) in Chronico Augſt. invenio. Neutrum horum Eccleſiam Draskirchenſem conſecraſſe, ſed Sigilbertum Altmanni ſuffraganeum forſan ab eo, antequam exul abiret ordinatum (ne diæceſis quadam neceſſitate ad recipiendum ſchiſmaticum cogeretur) ex hisce colligo; Sigilbertus etenim nullus hoc tempore inter Auguſtanos Epiſcopos occurrit, ut adeo cenſeam, in monum. Tegernſeenſ. Sigilberto Sigefridum eſſe ſubſtituendum.

Ottoc. & Eckberti Nenb. Comres. Herman. fr. Luitoldi Duc. Carint. Pat. Pſeudo-Ep. an. 1085.

Et Sigefrid. de Dornberg Epiſc. Aug. an. 1096.

His in regnorum diſſidiis, Principes etiam ipſi inter ſe diſſidere cœperunt, *Bertholdus II. Zæringius*, offenſus *Luitoldo* ſibi in Ducatu Carentaniæ prælato, cum in eum arma ſtringere non poſſet, in fratrem ejus *Udalricum Abbatem S. Galli* certabat; *Eckebardus Nellenburgicus Abbas Augienſis*, in reditu ſuo ex Italia nuper captus, hoc an. Gregorii VII. Papæ & Mathildis opera liberatus, Monaſterio ſuo, pulſo Udalrico II. S. Galli ſimul Abbate, ac Luitoldi Carentani fratre reſtitutus eſt, cum vero ar mis rem ſuam ageret Udalricus, Bertholdus II. Zæringius reſtitit, armaque uterque plures in annos circumtulit.

Bertold. II. Zæringii & Udalr. II. Abb. S. Galli lites. Eckebardi Nellenb. Ab. Augienſ. turbæ.

ANNO

An. 1080.

ANNO 1080.

Indict. 3. Greg. VII. P. 8. Henr. IV. Imp. 25. Ottoc. III. Styr. March. 43.

Saxon. prælium. Henricus Rex, conciliatis ſibi aliquot Saxoniæ Principibus, illico Saxoniam invaſit, Rudolphus caſtra in Thuringia locaverat; unde Henricus ejus caſtra adortus, ea perturbat, collecti tamen Rudol-
Henr. Aquil. favet Regi Henr. phiani Henricum in fugam agunt, ac Henrici Aquilejenſis Patriarchæ jam ad partes Henrici Regis digreſſi, impedimenta diripiunt; miſſis
Rom. Synod. ea de re Romam nunciis, Greg. VII. Papa, Synodum menſe Martio Romæ celebrat, ad quam convenerunt Legati Apoſtolici Petrus Igneus
Henr. Rex depo-nitur, & excom. Albanenſis, & Odelricus Paduanus Epiſcopi (Henricus enim Aquilej. ad Regiam partem defecit) Rudolphi obedientiam, ac Henrici contu-
Rudolph. Rex confirm. maciam atteſtantes, cumque eadem teſtarentur Legati Rudolphi Regis, tandem Papa motus, Henricum depoſuit, cum ſuis excommunicavit, ac Regis Rudolphi electionem confirmavit.

Vicem indigne reddidit Henricus, cum amica enim factione ſua
Moguntiæ Moguntiam primo, dein Brixinum Conventum indixit ad deponendum Gregorium Papam. Moguntiæ, cum 19. ſolum conveniſſent, *Brixiam*
& Brixinenſ. conciliab. *Noricam*, ſeu *Brixinum*, ſede Epiſcopali Sabion enſi huc translata nobile oppidum, 30. Epiſcopi & optimates ſunt coadunati, quo in Conventu acerbiſſimæ in Gregorium criminationes conjectæ, tandemque
Greg. VII. depo-Guibert. Antipa- Gregorius VII. depoſitus, eique Guibertus Ravennas, Antipapa eſt ſubſtitutus.

Vix hæc peracta erant, novi in Rhætia & Suevia belli fremitus
Frid. de Stauffen Dux Alem. auditi; anno priore Henricus Alemanniæ præfecit Ducem *Fridericum de Stauffen*, & Curienſi Eccleſiæ, *Nortbertum* Epiſcopum, ſed Rege & Friderico abſente, adverſarii Rhætiam invadunt, prædas ac incen-
Welfo Dux Bav. Cremat. Auguſtan. dia agunt, *Welfo* etiam *Dux Bajoariæ*, *Auguſtenſis Eccleſiæ* 3. *Id. Junii ſuburbana vaſtat, & concremat* cum ſuis, *Eccleſiam etiam Apoſtolorum S. Petri incendit;* Henricus, ne minora feciſſe videretur, Saxoniæ viciſſim inhians, Erfordiam exurit, Naumburgo minatur, atque ubi Saxones occurrerunt, pugnæ initæ exordia Henrico proſpera, mox tamen fuga
Henr. IV. victo ad Elſteram in Saxonia. & captis Henrici IV. caſtris deturpata fuerunt: fatalis tamen ea ad Elſteram flumen pugna, Rudolpho Regi fuit, qui gemino vulnere faucius, quamvis vitam non deſperaret, poſtridie tamen funus fuit. Hac
Rudolphus Rex obit. Rudolphi cæde elati Henricus & fautores, Saxoniam ambire cœperunt, per legatos dicentes, *ut exercitu dimiſſo, conſilioque mutato filium ſuum ſibi facerent Regem* Saxones, *ſeque* Henricum nempe *illis jurare, quod nunquam intraret terram Saxoniæ.* Nil tamen huic poſtulato datum, quod
Otto Northeim. Otto Northeimius diceret, *ſobolem ſæpe in parentum mores abire.*

Bertbold. II. de Zaring. Duc. Sueviæ arripit. *Occiſo Rudolfo*, inquit Otto Friſing. lib. 1. de geſtis Friderici I. cap. 7. *Gener ejus Bertolfus, Ducatum Sueviæ, tanquam a ſocero ſibi conceſſum uſurpat.* Hic erat Bertoldus II. de Zæringen, qui Agnetem Ru-
Agnes filia Rud. uxor Bertholdi II. de Zaring. dolfi Regis ac Sueviæ Ducis filiam, uxorem habuit, teſte Ottone cit. ita ſcribente, *hujus Rudolfi filiam, quidam ex nobiliſſimis regni optimatibus, Bertolfus nomine de caſtro Zeringen uxorem habuit.* v. tab. Geneal. 27. & 228. apud Hübnerum, & tab. 2. apud Frælich. Archontolog. Carinthiæ.

thiæ. Non itaque teſte Frælichio proprie loquuntur de Bertholdo II. Chronographus Saxo. Chron. Auguſtan. & Bertholdus Conſt. dum Bertholdum II. de Zæringen, Rudolphi Suevi appellant filium; gener enim fuit, non filius, niſi fors adoptio hic aliqua interceſſiſſet, vel generi ſubin, nomine filiorum venirent. V. an. 1090.

In Italia res non minus turbatæ erant; Guibertus Antipapa Romanæ ſedi inhiabat, hunc conatum, ut elideret, Gregorius VII. ſcripſit ad Epiſcopos Calabriæ, Thuſciæ, Apuliæ, ad Principes Normanorum, ut laboranti Eccleſiæ ſubvenirent, & Ravennat. Eccleſiam Guiberto eriperent. Sed res ea contra ac ſperabat, cecidit; copiæ enim Mathildis ea de cauſa adductæ, prope Mantuam a Longobardis in fugam ſunt verſæ. *Italiæ turbæ. Guiberti Antipapæ res.*

ANNO 1081. *An. 1081.*

Indict. 4. Greg. VII. P. 9. Henr. IV. Imp. 26. Ottoc. III. Styr. March. 44.

Hactenus de rebus noſtris nihil occurrit, quæpiam hoc & ſeq. an. Henricus Rex neminem ad limina Apoſtolorum abire permiſit, niſi prius juraret, ſe apud Gregorium Papam diverſurum non eſſe; jam enim decreverat Romam armatus ipſe ſubire, id ubi Germaniæ Principes ſunt experti, mox in ſylva Capuana amicum cum Saxonibus colloquium pacis reſtituendæ cauſa inibant: Gebhardus Salzburg. tum in Saxonia exul, communi omnium Saxonum nomine verba fecit, *is, ut erat vir per omnia prudens, & boneſtus, & honori, quem gerebat, non minimum conferens*, modeſte graviterque de injuriis Eccleſiæ ab Henrico illatis, queritur, petitque vel ut oſtendant adverſarii Henricum adhuc Regem eſſe, vel ut ſibi demonſtrandum relinquerent, eundem Regem eſſe non poſſe. *Colloquium cum Saxon. Gebhard. Salzb. eorum nomine perorat.*

Principes, cum ejus rei inquirendæ cauſa ſe non conveniſſe dicerent, inducias ſolum quatuor menſium petiere, Otto vero Northeimius advertens, eas ſolum peti, ut contumelia ſedi Romanæ fieri poſſet, effecit, ut induciæ ſolum 7. dierum, cum acclamatione plebis, militisque ſancirentur. *Otto Northeim. Induciæ 7. dier. fiunt.*

Romam tamen cum aliquali Suevorum manu adiit Henricus IV. Rex, Paſchaque Veronæ egit, nato ſibi interim Henrico V. filio, qui dein patrem de regno pepulit. Veronæ ſibi Patavinos, & Cremonenſes junxit, Ravennaque ſecum Guibertum Antipapam ſumpſit, Romæ iterum diris confixus. Romam veniens cum idolo ſuo, ſeu Guiberto, circa Pentecoſten caſtra metatus eſt in prato Neronis. *Henr. IV. Romam abit. Henr. V. naſcit.*

Eodem hoc anno Greg. VII. Papa Altmanno Pat. legato ſuo in hunc modum ſcripſit: *Diſcretionem tuam diligenter monemus, ut conſilio fratris noſtri Salzburg. Archi-Epiſcopi, & aliorum - - qui redire voluerint - - & maxime Oſnabruggenſem Epiſcopum, quem nobis velle fideliter adhærere audivimus, benigne ſuſcipiatis.* Epiſtolam hanc v. inter epiſtolas Greg. lib. 9. epiſt. 10. apud Harduinum collect. concil. tom. 6. part. 1. fol. 1487. & Auth. Germ. ſacræ tom. 1. fol. 271. *Altmanni Patav. & Gebhardi Salzb. res.*

Saxones interea electionem novi Regis urgent, atque cum Suevis ſibi ad Bambergam obviis, *Hermannum Lucemburgicum*, medium inter *Herman. Lucemburg ſit Rex German.*

duos de regno litigantes *Welfonem*, nempe Bavariæ, & *Bertholdum II.* Zæringiæ Duces, eligunt, ſed Franci, Rhenani ac Bajoarii ſpe regni Ottoni Northeimio injecta, confirmationem novi Regis in hyemem diſtulerunt, Gregorius certe ipſe in Welfonem propendens, ne feſtinarent in novi Regis electione, volebat.

Altmav. Pat. & Leopold. March. Auſt. abjurant Henricum.

Altmannum Patav. Epiſc. & Legatum Apoſtol. pro Hermanno ſtetiſſe, innuit Chronic. Admont. & Salisb. his verbis: *Altmannus Epiſc. Patav. Marchioque Luipoldus, aliique conjurant contra Regem Henricum.* Anonymus etiam Gotwic. in vita Altmanni num. 25. ait: *Marchio Luipoldus coadunatis Primoribus ſui regiminis, in villa, quæ Tulna dicitur, Dominium Henrici tyranni abnegat, Altmannum Præſulem magnis laudibus prædicat, omnes fautores Heinrici, de ſua poteſtate expellit, omnes Apoſtol. ſedi, & ejus Legato obedientes totis armis defendit.* Idem Leopoldus, non ſolum Altmanno, ſed etiam Welfoni conjunctum ſe præbuit, atque hoc anno, ut teſtatur Chronic. Auguſt. unitis cum Welfone & Hermanno viribus Auguſtam Vindelicorum tribus hebdomadis oppugnavit.

Tulnæ.

Oppugnat etiam Aug. Vindel.

Ottocarus III. pro Papa pugnat.

Nec minora egerit Ottocarus noſter, vero Chriſti Vicario addictiſſimus, quamvis enim exaratum de eo nihil inveniam, ea tamen Chronici Admont. & Salisburg. verba ſupra adducta: *Altmannus Ep. Patav. & Marchio Luipoldus, aliique &c.* ſat denotant, Ottocarum quoque ſe Luipoldo Auſtriaco, ac Welfoni Bavaro junxiſſe, quod ſi etiam arma cum iisdem ad Auguſtam non junxiſſet, ſatis tamen eruitur, Styriam cum Bavaria & Auſtria a ſchiſmate per Principes & Præſules ſuos fuiſſe ſervatam.

Styria a ſchiſmate immunis.

Roma obſeſſa.

Dum ſic in Germania, S. Petri factio ſat lætis progreſſibus ageret, Henricus interim ad æſtatem uſque Romam obſedit, ſed præter vaſtationem ſuburbanorum nihil effecit.

S. Floriani, Hypoliti Monaſt. reformata.

Monaſteria S. Floriani, Hypoliti, ac Cremifanenſe hocce tempore reformata videntur, Altmanno ac Leopoldo opem ferentibus, & improbos ſacerdotes expellentibus. V. dicta an. 1072. & annot. ad Diploma 3. in fine, ex quibus patebit, Canonicos Regulares, ad S. Florianum & Hypolitum fuiſſe myſtis ſæcularibus (quos inter plures fornicarii erant) ſubrogatos.

An. 1082.

ANNO 1082.

Indict. 5. Greg. VII. P. 10. Henr. IV. Imp. 27. Ottoc. III. Styr. March. 45.

Henr. ab obſid. Romæ abit.

Continuavit hunc annum Sigonio teſte Henricus obſidione urbis Romæ, urbemque Leoninam poſt Paſcha ſubegit, templum S. Petri aliaque loca vaſtavit, veteri vero urbe incaſſum tentata, ſub æſtatem rediit. In Germania Wratislaus Dux Bohemiæ & Otto Ratisbon. Epiſcopus, Henrico Regi addicti, Auſtriam magna clade & vaſtitate affecerunt. Coſmas Pragenſis cauſam belli in fines Auſtriæ & Moraviæ, mutuo latrocinio infeſtatos, jusque læſæ parti a Leopoldo non redditum refert, Biographus vero Altmanni veroſimilius cauſam belli ex regni diſcordia enatam putat; cur enim, ſi ſola vaſtatio finium Auſtriæ & Moraviæ cauſa fuiſſet, Otto Ratisbonenſis Epiſcopus ei ſe bello immiſcuiſſet? cur dein in fines etiam Paſſavienſes ſigna illata? ſic vero

Auſtria vaſtatur

pergit

pergit referre res poſt Conventum Tulnenſem anni prioris Biographus B. Altmanni num. 25. *Unde Henricus ira ſuccenſus Marchiam Liupoldi tradidit Duci Boemiorum, inſtigans eum ad odium bellatorum Chriſti. Dux vero animo crudelis, collectis ſclavis & Bavaris, fines Altmanni, & Luipoldi hoſtiliter intrat, cui Luipoldus cum omni populo ſuo in loco, qui Muoriberch* (Mauerberg) *dicitur, occurrit, eum ultra progredi non ſinit. - - - Ingens ibi certamen, magnis viribus geritur, - - - noſtrates victi fugam ineunt, quos adverſarii inſequentes paſſim per campos cædentes ſternunt, alios captivos cum præda abducunt, totam terram illam in ſolitudinem redigunt.* Eandem cladem referunt Chronogr. & Annal. Saxo. Conradus Urſpergenſ. Chron. Auguſtan. Salzburg. & Admontenſe, ſed optime Mellicenſe annum ſimul & diem adnotans: *MLXXXII. hoc anno 4. Idus Maji feria 5. bellum ad Maurichberg eſt actum & cum maximo noſtratium excidio terminatum.*

Auſtria datur expilanda Bohemis a Rege Henr.

Leop. Auſtr. ad Maurberg gravi clade afficitur

Nil hic de Styris, licet eadem belli cauſa involutis, refertur, quo minus ſuppetias Leopoldo miſerint. Credo factum, quod domi ſe ſuæ continuerint, cui eadem procella infelix imminebat, neque enim ſolam Auſtriam, ſed etiam adſitas Styriæ terras ab Henrico Rege Bohemis in prædam datas ſuſpicor, cum eædem pro vero Chriſti Vicario, contra Henricum Regem ſteterint.

Styria res.

Narratio hæc ex domeſticis chartis petita longe veroſimilior videtur, quam illa Coſmæ Pragenſis, qui etiam erronee refert prælium hoc ad fluvium Pulckam & Teyam habitum an. 1081. quo tamen anno Leopoldus cum Hermanno Rege ad Auguſtæ obſidionem abiit. *Mauerperga*, veteribus Muoriberch, Moriberch, vel Mauerberch hodie Meilberch arx transdanubianæ Auſtriæ inclyta dudum, quæ etiam anno 1336. teſte Chron. Zwetlenſi recent. a Joanne Bohemiæ Rege, & Miſnenſibus multum perpeſſa fuit.

Maurberg arx.

Ne pedem in Auſtria Wratislaus victor figeret, Azzonem illum, Gobatzburgi Dynaſtam obſtitiſſe volunt, qui collecta armatorum multitudine, Leopoldi hortatu, Bohemos ſub Wratislao, Moravos ſub Conrado Duce nullibi conſiſtere eſt paſſus. Ita Abbas Ebro in origin. Chunring. apud Linckium in Annal. Zwetlenſ. tom. 1. pag. 50. Idem narrat Aloldus Campilil. elogio 5. Leopoldi pulchri §. 4. num. 14. ſed præter hos, & anonymum Zwetlenſem, nullum rei hujus teſtem invenio; quæ, ſi proin alicui non arrideant, credere poterit, Wratislaum, cui ſatis in tuenda Miſnia negotii erat, ſpoliis Auſtriæ contentum, abſtinuiſſe bello ulteriore, neque enim alias Provinciam, quam ſuam eſſe volebat, modis tam inhumanis exhauſiſſet.

Azzo Dynaſta Gobatzburg an Auſtr. juverit.

Cæterum, ut Azzonis hujus etiam mentio fiat, de eo anonymus Zwetlenſ. ad an. 1076. ſequentia refert, licet erronee, & indiſtincte plurium annorum acta uno paragrapho cumulans: *Henricus* (lege *Erneſtus*) *Marchio Auſtriæ obiit, cui ſucceſſit frater* (lege *filius*) *ejus Leapoldus, hi habuerunt fratrem nomine Popponem* (quod de Leopoldo certo fallit) *Epiſcopum Trevirenſem, & cognatum nomine Azzonem, quorum* (lege *cujus*) opera & *auxilio vicit Babaros, Ungaros, & Bohemos.* Addunt iidem, in hujus victoriæ monumentum perpetuum, in prato ſuo quodam, a ſe *Azmanſvviſen* compellato, Eccleſiam fuiſſe erectam, quam dein Altmannus Epiſcopus Deo, & SS. Philippo & Jacobo Apoſtolis

Azmanſwiſen Eccleſia.

consecravit. Ita tabulæ Zwetlenses. Azzo hic, si a Poppone missus est, jam an. 1047. mortuo, major octogenario esse debuit; dubia proin sunt, quæ de Azzone hoc referuntur: cum filiis suis Antalm & Nizza subscriptus legitur tabulis Ernesti Austriaci, quibus prædium Wickendorff donat Monasterio Mellicensi. Tabulas v. apud Hier. Pez Dissert. 3. §. 22. Authorem German. Sacræ tom. 1. fol. 272.

Chunring castr. Azzonis hujus nepotes, Zwetlæ fundatores, juxta Ecclesiam Azmanswisen, castrum novum, *Chunring* dictum, ædificasse dicuntur, unde Chunringiorum origo, de his alibi plura.

Cremisan. Monast. 3tia consecr. B. Altmannus Patav. Episc. non solum ampliſſimam in spoliatos, & egentes in bello Austriaco, charitatem impendit, sed etiam Monasterium Cremisanense sub honore Salvatoris mundi, & SS. Agapiti & Blasii, hoc anno consecravit; ita Annal. Cremisan. lib. 2. cap. 9. & Bernard. Noricus in Catal. Laureac. & Patav. Episc. col. 1306. ac in Chron. suo Cremisan. ibidem tom. 2. fol. 58. ubi ait: *tertio* jam fuisse consecratum, addit dein: *Arnoldus Comes forte de Welsa, tradidit nobis prædia in Wartperch, ut ibi Ecclesia fundaretur.* Arnoldus hic simul Comes Lambacensis fuerit.

Arnoldus Com. de Welsa & Lambach.

Garstense Can. colleg. fundat. ab Ottoc. III. Styr. Garstenæ etiam in superioris Austriæ limite ad Anasum fluvium inchoatum est per id tempus ab *Ottocaro Styriæ Marchione*, sacerdotum collegium, cui hoc anno ædem sacram, recepta invicem Behambergensi Ecclesia, in eorundem usum concessit Altmannus, & solenni ritu consecravit. Fundatum hoc collegium ab Ottocaro III. Clericis Canonicis, atque post 28. annos seu 1107. anno Monachis ab Ottocaro IV. filio datum, ostendi satis, ut opinor, Dissert. 4. cap. 3. §. 6. a quo ad §. 11. exhibui duos fundatores Garstenses esse admittendos, & quidem ex diplomate ipsius Ottocari IV. inter mea num. 4. in quo Ottocarus IV. ait, a patre suo Clericos, a se vero Monachos in Garsten fuisse inductos. Commutationem Ottocari III. cum Altmanno, qua pro æde Garstensi parochiali, aliam Parochiam in Behamberg tradit. V. inter Diplom. mea num. 1. uti & in adnotat. ad Diploma idem.

Behamberg datur Altmanno pro æde Garsten.

Tanberg sylva a Wilburge datur Garst. Fundationi huic sylvam Tanberg adjecit *Wilburges uxor Ottocari III.* ut dixi Dissert. 4. cap. 3. §. 3. 8. 9. & præcipue 10. ubi difficultas ex Diplomate Ludewigiano soluta est.

Eberhardus I. Præp. Garstens. an Can. Reg. vel sæcul. Erecto huic novo collegio Ottocarus Eberhardum I. Præpositum constituit, ut inibi dictum. An vero Canon. Regulares, an sæculares hocce in loco primum fuerint locati? dubium esse videtur. Lazius Prevenhueberus, ac Puschius pro Canon. Reg. pugnant, eo qnod hoc tempore ab Altmanno præcipue aliisque passim Episcopis Canonici Regulares inducerentur in Ecclesias; alii tamen cum Hier. Pezio & P. Calles sæculares inductos volunt, de quo litigare nolo. Plura in annot. ad Diplom. 1. & 3. in quibus perspicitur non solum potentia, sed authoritas etiam Ottocari, dum velut supremus terræ Princeps, nullius requisito consensu Monasterium hoc fundavit, & Ministerialium suorum 11. vel 14. ac militum seu Equestris ordinis virorum 7. testes adhibuit. Laureacum hoc tempore Ottocaro paruisse videtur, quo in loco Altmannum quietum, sub cura & protectione Leopoldi Austriaci, ac Ottocari nostri vixisse, suo loco ostendam.

Ottocari potentia & authorit.

Laureacum sub Ottocar.

Hoc

Hoc circiter tempore cenſeo, Admontenſe Styriæ noſtræ Monaſterium magnum in Thiemone Salisburg. Abbate, dein Archi-Præſule, ac Martyre hoſpitem excepiſſe; ita enim ait Biographus B. Gebhardi Salisburg. apud Caniſium de Thiemone ex Altach-Monaſterio, ad S. Petri Salisburg. Abbatiam poſtulato, atque a Gebhardo inveſtito, proin ante annum 1078. (quo in exilium abiit Gebhardus, abſens a ſua ſede uſque ad an. 1086.) *non multo poſt præfato Archi-Epiſcopo propter ſchiſma a ſua ſede expulſo* (anno ut dixi 1078.) *religioſus Abbas Thiemo execrans communionem invaſoris Bertholdi, conceſſit in Sueviam, & in Hirſavienſe Monaſterium ſe recepit, privatum & communem ſe fratribus gerens poſt triennium* (proin circa an. 1081.) *ad ovile ſuum rediens, iterumque contagionem lepræ prædicti Bertholdi pertimeſcens, in vicinam eremum Admontenſis Cœnobii ſe contulit, ibidemque ad reditum uſque Gebhardi Archi-Epiſcopi permanſit,* ſeu uſque ad annum 1086.

Thiemo Abb. S. Petri exul in Admont.

Ab an. 1081 ad An. 1086.

Cum vero Thiemo artibus liberalibus, pictoria, fuſoria, ſculptoria præſtaret, Admontenſe etiam Monaſterium, ſculpturis, & picturis ornavit; inter cœlata ſancti hujus Praxitelis opera, geminum e lapide ſimulacrum noſtra ætate ſupereſt, alterum quidam in monte Mariano ad ripam Anaſi, quo mater amabilis puſionem divinum blando amplexu fovet, alterum intra Monaſterii parietes, ubi eadem, depoſitum e cruce filium gremio materno ſuſtinet. Primum Thiemonis monumentum reticent documenta Admontenſia an. 1740. edita, alterum adferunt quidem, ſed fide Chronolog. S. Ducatus Styriæ.

Sculpturæ ejus in Admont.

Idem Author Chronolog. Styriæ part. 1. fol. 246. hæc addit: *Fors ejusdem Thiemonis opus, elaborata pariter e Saxo Virginis dolorosæ ſtatua, quæ tertio abhinc* (Græcio nempe) *milliario in oppidi Weizenſis colle ab an. 1064. magna pietate culta, magnis quoque prodigiis effulget.* Rei hujus ut certior forem, ſcripſi Reverendiſſ. Perilluſtri, ac Magnif. DD. Paulo Hieron. Schmutz, Univ. Græc. Rectori, Archi-Diacono Neoſtad. ac Decano Weizenſi, qui pro ſua, qua me immeritum complectitur, benevolentia, illico mihi reſcribere dignatus eſt ſequentia: *Supereſt, ut quantum poſſum, tibi exequar, videlicet, quid de Thaumaturga dolorosæ Matris hujatis ſtatua? quid de Parochia Weizenſi? quid de Decanatu eidem annexo? quid denique de reſidente nunc hic diſtrictus Neoſtadienſis in Auſtria Archi-Diaconali officio, monumenta, ut putas, apud me exiſtentia, memoriæ conſignaverint? verum ignoſce, ſi deſideria hic tua minime explevero: partim flamma, qua parochialis domus hujas vix ab elapſo ſæculo conflagravit, partim barbara, ut noſti, illorum temporum ignavia fecerunt, ut ego de antiquis, quæ petiiſti, documentis vix aliquid habeam. Igitur accipe, quod ſcio, antiquam Eccleſiam meam (cui nova nunc a fundamentis ſubſtituitur) ſub Patrocinio Beatiſſ. Virg. Mariæ in cœlos aſſumptæ anno 1065. a DD. de Rattmanſtorff ſaltem ex parte ædificatam eſſe vix ambigo, cum ſupra primariam dirutæ a me Eccleſiæ veteris portam, gentilitium ſcutum Rattmanſtorfianum lapidi inciſum cum præmemorati anni indicatione muro adhæſerit, apud me, utroque adhuc lapide aſſervato. Probabilius & Parochiæ illo tempore initium dedit (ſi prius jam non exſtitit) regnans tunc Gebhardus I. Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, qui decimas, quemadmodum ex Mezgeri & Dückeri Chronica Salisburgenſi colliges, a Vindis ſine dubio, & hanc Parochiam tunc incolentibus, Archi-Epiſcopatui vindicavit, quæ*

Weizenſ. thaumat. origo.

decimæ adhucdum hic cölliguntur. Succeſſor Gebhardi Thiemo, qui teſtibus ſupradictis Chronicis, in cruciatis Palæſtinæ, a Saracenis illuſtri Martyrio affectus eſt, artifex Thaumaturgæ ſtatuæ noſtræ conſtanti traditione aſſeritur, ſanctum hunc Martyrem, inſignem fuiſſe ſtatuarium prælaudata Chronica teſtantur, præſertim vero caluiſſe artem lapides ad æris modum aptandi, indeque fundendi ſtatuas, quali ex materia, & doloroſæ noſtræ effigies eſſe fuſa perhibetur. Ita Vir Clariſſimus, quem inſigni ſcientiarum commodo Univerſitas Græcenſis Caput, & Rectorem ſuum veneratur. Liceat mihi verba ſingula melius expendere, ut, quid tandem intra prudentis conjecturæ metas, ſtatui poſſit, apertius videatur.

Icon B. V. doloroſæ in Weiz, a B. Thiemone adhuc Mon. Altaibenſi facta.

Primo: Confirmor in mea jam antea concepta opinione, iconem hanc doloroſæ Virginis a B. Thiemone non in Admont primum conflatam, ſed jam in Altahenſi Monaſterio elaboratam, indeque in Styriam noſtram fuiſſe dimiſſam; cum enim Eccleſia primæva Weizenſis jam an. 1065. ex parte ædificata fuerit, &, ut judico, ad cultum doloroſæ Matris in hac ſtatua expreſſæ promovendum, eadem an. 1064. vel anteriore adhuc, quo Altachii adhuc monachum agebat B. Thiemo, confecta, ac deinceps, quo neſcio? modo in Styriam deportata videtur.

Domini de Rattmansdorff Fundatores.

Secundo DD. *Rattmonſtorfios*, ſeu Fundatores, ſeu exſtructores ædis primæ ſacræ Weizenſis quod attinet, eos lexicon univerſ. Baſileenſe Styriæ noſtræ Comitibus accenſet, antea vero in carnis habitaſſe docet, ſed ab Ottone circa an. 1293. vivente, uti & Bucelinus, eorum Genealogiam orditur primum. Hübnerus familiam hanc non adduxit; Lazius tamen lib. 12. de Republ. Roman. ſect. 5. cap. 5. judicat, Dominos de Rattmonſtorff in Styria habitantes ab urbe percelebri Carnioliæ ejusdem nominis originem ſuam duxiſſe, quoniam eorum plures in Carniolia degebant. Sive dein DD. de Rattmanſtorff ex Carniolia arce cognomine, in urbe dicta Rattmanſtorff exiſtente, ſive ex Carinthia deducere placeat, certum eſt, eosdem in Styria etiam fuiſſe, ac circa ſæculum 11. ad 15. finem perſtitiſſe, hos vero ædis primæ ſacræ Weizenſis fundatores nullibi reperio, quoniam & Bucelinus eorum geneſim ab *Ottone* ad an. 1293. orditur, & in rebus Styriæ mihi hactenus ante an. 1298. nullus familiæ occurrit. Ottonem hunc Bucelino primum, Excell. Wurmbrandius adducit teſtem donationis, qua *Ulricus de Pfanberg*, an. 1298. dominium directum in vaſallos ſuos inter Neoſtadium, & arcem Pütten habitantes, cognato ſuo *Henrico de Stubenberg*, dono dedit. Inſtrumentum hoc germanico idiomate adfert Wurmbrandius fol. 4. in quo teſtis primus legitur: Herr Otto von Ratenstorff, teſtes reliqui, cum omnes e Styria fuerint, etiam Otto hic jam inter Styros erit recenſendus. Idem in Diplom. S. Ducatus Styriæ in Diplom. Göſſenſi 73. inter Styriæ nobiles refertur. *Walchunus de Rattmanſtorff*, quem Bucellinus *Wolkambum* vocitare videtur, occurrit in Diplom. Göſſ. 29. ad annum 1326. *Gebhardum de Ratmanſtorff* teſtem an. 1393. Diplom. cujusdam ex archiv. Wurmbrand. num. 224. v. fol. 125. *Ladislaus & Joannes de Rattmanſtorff* ad an. 1484. a Wurmbrandio fol. 91. citantur; meminit eorum etiam Bucelinus, ſed in catalogo ſeu geneſi hujus familiæ omiſit *Veronicam de Ratmanſtorff* 25. Abbatiſſam Göſſenſem, electam an. 1505. defunctam an.

Eorum Genealogia breviter perſtringitur.

Otto de Ratmanſtorff.

An. 1293. Ulricus de Pfanberg.

Henr. de Stubenberg.

Walchunus de Ratmansdorff. An. 1326. Gebhardus An. 1393 Ladislaus & Joannes 1484. Veronica Abb. Göſſ. an. 1505.

1514.

1514. ut catal. Abbatiſſ. Göſſenſ. in Diplomatar. Ducatus Styriæ parte 1. fol. 134. Hi mihi in styriæ rebus hactenus ſunt viſi; ex his vero, qui a Bucelino adducuntur, patet, eos matrimonia plerumque cum Styriæ nobilitate contraxiſſe, proin jam inter Styros habitaſſe. *Udalricus* ſæculi 15. initio aſcetam *S. Lamberti*, ac *Otto VIII.* Ladislai ſupramemorati filius, *Parochum urbis* Prugg ad Muram fluvium agebat. *Otto XI. de de Ratmanſtorff*, bello clariſſimus obiit anno 1610. ſed de his plura alibi dicentur.

Udalricus Mon. S. Lamb. Otto VIII. par. Pruggenſ. Otto XI. miles clariſſ. villa Ratensdorff.

Id unum obſervo, Dominos hos & de *Rattmanſtorff* & de *Ratensdorff* dici, erat vero villa *Ratensdorff* in Styria ſita, ut inſinuat Diploma Göſſenſe 11. ad an. 1187. ſed eo tempore hæc villa Guetenbergenſium fuiſſe videtur. Præterea exiſtit adhuc Weizio viciniſſimum caſtrum Ratmanſtorff, hodie collegii S. J. Leobii, quod cum Weizio adſitum ſit, hujus forte familiæ avitum fuerit. Ex his omnibus, quod eruam, illud eſt (cum ex Diplom. quodam Vorav. ad an. 1604. inter teſtes ſubſcriptum legam *D. Chriſtoph. de Ratmanſtorff. ad ſuperius & inferius caſtrum Sturmberg* (hoc vero caſtrum non procul a Weizio diſſitum ſit) Rotmanſtorfios probabilius ædes Weizenſis Authores fuiſſe, ſeu dein caſtri Ratmanſtorff, ſeu, ut ſuſpicor, tardius caſtri Sturmberg poſſeſſores.

Ratmanſtorff de Chriſtoph. Sturmberg caſtrum Styr. Ratmanſtorf caſtrum Stxr.

Tertio: Parochiæ Weizenſis origo probabiliter ad Gebhardi I. Salisburgenſis tempora referri poſſe videtur, præſertim, ſi conſtet decimas in Parochia Weizenſi colligendas, a Gebhardo dicto jam fuiſſe collatas: ſane de decimis a Gebhardo exactis loquitur Anonymus Admontenſis ita: *Quia gens Sclavonica in ejus Epiſcopii terminis poſita, ante ipſius tempora aut nullas, aut pauciſſimas reddere conſuevit.* Quæ verba non de Carentania ſolum, ſed de omnibus Epiſcopis ejus, ſeu Salisburgenſis, terminis intelligenda opinor, cum ex dictis in Diſſert. 1. conſtet *Vindorum gentem*, ſeu *Sclavos* diu etiam, poſt Caroli M. tempora Styriam noſtram inhabitaſſe, & quidem longe ultra illos terminos, in quibus nunc linguam Vindicam, ſeu Sclavonicam receptam paſſim noſcimus.

Weizenſis Paroch. origo. Decimæ Weizenſ. a Gebhardo I. collatæ. Sclavi olim in Styria.

Unum tamen ſatis non aſſequor, cur nempe, ſi jam an. 1065. extitit Parochia Weizenſis, nulla parochi vel plebani Weizenſis occurrat mentio, ſæc. 11. 12. & ſeq. cum tamen in actis Styriæ, aliorum veterum plebanorum nomina recitentur, uti nominatim *plebanorum S. Ruberti ad Rabam*, nam an. 1189. in Diplom. Runenſi 12. inter teſtes ab Ottocaro VI. adductos, legitur: *Wernhardus plebanus S. Roudberti ad Rabam.* Quis tamen veterum omnium rerum rationem dabit, vel monumenta prodet?

S. Rudberti ad Rabam Paroch. antiqua. Wernhardo pleb. ib. an. 1189.

De Decanatu Weizenſi idem Reverendiſſimus ac Perilluſtris DD. Archi-Diaconus ita mihi reſcripſit: *Decanatus ultra 130. annos hic vix reſidet, utpote quantum colligere potui, M. Joanne Wampelio primo hic exiſtente Decano, qui anno 1641. Junii 13. obiit.* Et de Archi-Diaconatu Auſtriæ ſeu Neoſtadienſi ſequentia: *Archi-Diaconus diſtrictus Neoſtadienſis hic tertius ego ſum: primus videlicet fuit D. Bernardinus Piſcon, prædeceſſor meus, factus Archi-Diacanus circiter an. 1690. mortuus hic an. 1726. ſecundus fuit, uti noſti, Franciſcus Leopoldus Riedlecker, & tertius ego &c.*

Weizenſ. Decanat. origo. M. Joan. Wampel. I. Decan. Archidiac. Neoſt. annexus quando. Piſcon D. Bernardin. I. Archid. Riedlecker Fr. Leop. II. Schmutz D. Paul. Hier. III.

Hisque

His, quæ addam, non habeo, niſi quod mihi gratuler, eundem Reverendiſſimum DD. Archi-Diaconum ſpecialem ſe mihi exhibere patronum, eundemque ſucceſſorem in Archi-Diaconali officio eſſe Ottocari illius Archi-Diaconi in Viſcha (nunc, ut opinor, diſtrictu Neoſtadienſi) qui Parochiam hanc Dechantskirchen, quam modo adminiſtro, anno 1161. erexit primus.

An. 1083.

ANNO 1083.

Indict. 6. Greg. VII. P. 11. Henr IV. Reg. 28. Ottoc. III. Styr. March. 46.

Herman. Rex in Ital. abire nequit.

Hermannus interim Rex, teſte Bertholdo Conſtant. natalem Domini anni præcedentis in Suevia cum Principibus celebrans, pertractavit etiam de Roma in libertatem vindicanda, quando vero? & quibus cum copiis abierit in Italiam? nondum ſat conſtat, cum mors Ottonis Northeimii, quem ſui Vicarium in Saxonia relinquere conſtituit, omnia hæc conſilia abruperit. Obiit vero *Otto* 3. *Idus Januarii, vir prudens*, ut loquitur Annal. Saxo, *& nobiliſſimus, Dux quondam Bavariæ, ſed per Heinricum Regem injuſte dejectus.* Cum ergo Hermanno nullatenus tutum videretur, ſpoliatam eo clypeo, & ſui Vicario Ottone, rempublicam hoſtium telis lacerandam exponere, abjecto expeditionis Italicæ conſilio, confeſtim in Saxoniam rediit.

Otto Northeimius obit. Dux quondam Bavariæ.

Henr. Imp. Romam 3tio obſidet. Guibert9 Antip.

Res hæc Henrici rebus magnum momentum addidit, nam, ut quidam referunt, alii tacent, imminentibus feſtis Pentecoſtalibus urbem Leoninam cœpit argenteis machinis, grandique apparatu Ravennatem idolum ſuum, ſacrilege unctum ad aras collocavit. Sed de his nihil Berthold. Conſtantienſ. nil MS. codex Centii Camerarii, nec Nicolaus de Aragonia habent, probabilius itaque cenſeo, ante urbem captam inducias factas, ſtatutumque, ut nova menſe Nov. Synodus pro libertate publica haberetur.

Rom. Syn.

Henr. denuo excommunicatur.

Cum vero eo properantes Epiſcopos, Henricus partim caperet, partim aditu præcluderet, & Conc. adire recuſaret, iterum cum Guiberto ſuo, fulmine ſacro percuſſus eſt.

Welfon. Bav. & Frider. Hochenſtauf. Suev. Duc. turbæ. Wigoldus Ep. Auguſt. a Papa deſignatus. Sigefr. de Domſperg Aug. Pſeudo-Epiſc.

Dum hæc in Italia geruntur, *per Sueviam incendia, cædes, prædationes fiebant*, ob *Welfonem Bajoariæ*, & *Fridericum Hochenſtauſium Sueviæ Duces* invicem colliſos, ac præſertim, quod *Auguſtenſi Epiſcopo Wigoldo* a Greg. VII. per Ottonem Oſtienſ. legatum deſignato, ac a Sigefrido Moguntino conſecrato, ab Henrico Rege *Sigefridus de Domſperg* opponeretur, unde continuæ & mutuæ prædæ fiebant.

Altman. Patav. in Auſtria.

Auſtriæ clerici hoc temp. Altman. reform. Eccleſ. ac clericos Auſtriæ.

Altmannus Patav. ſede ſua extorris, in Auſtria exſtirpandis vitiis intentus erat, fidem ſuperant, quæ Anonymus Gotwicenſ. in ejus vita narrat de Eccleſiis ligneis, non exornatis, de Presbyteris etiam ſimilibus fornicariis, lucris intentis, officii ſui tum adeo imperitis, ut *miſerere mei* pro Canone, & *Attendite* pro paſſione legerent. Nec mirum, uti enim narrat Berthold. Conſtant. religioſiores clerici & laici, ne contaminarentur, ad Monaſteria convolabant. Hiſce malis, ut mederetur Altmannus, non Eccleſias ſolum lapideas, ac exornatas ſtatuit, ſed etiam Cœnobia Canonicorum Regularium ac Monachorum fundavit, quibus pruriens ad nuptias Clericorum factio retunderetur; & vero,

ut

ut nuper ex domo S. Floriani conjugatos clericos ex Cœnobio S. Hippolyti, ebrioſos, ventri, ac quæſtui deditos expulit, iisque *religioſos S. Auguſtini Clericos* ſubſtituit, ita hoc etiam anno Cremiſanenſis Monaſterii diſciplinam per Monachos Gorzienſes reduxit, unum ejus votis deeſſe videbatur, ut *Gotwici* etiam *Clericorum S. Aug.* Collegium, uti apud S. Nicolaum Paſſavii, abſolutum videret. Initia Gotwicenſi Eccleſiæ jam an. 1072, data, hoc anno eadem perfecta teſte Chron. Clauſtroneob. an. *MLXXXIII. in monte Kotwigenſi Monaſterium S. Mariæ a Ven. Altmanno Patav. urbis Epiſc. conſecratur: quo tempore*, haud dubie, ut loquitur Anonymus Gotwic. num. 29. *congregatis undique religioſis fratribus communem vitam ſub reg. S. Auguſtini inſtituit, & locum cuidam prudenti viro Ottoni commiſit, qui ſtrenue ſibi injunctum officium implevit.* Ex his facile refellitur nuperus quidam ſcriptor, qui Canonicos ſæculares, non vero regulares S. Auguſtini, Gotwicum primo incoluiſſe, falſo prodidit.

Cremifan. Monaſt. reform. *Gotwic. colleg. Can. Reg.* *Otto I. Præp. Gotw. Can. Reg.*

Cum vero, ut dicam, an. 1094. jam Monachi in Gotwic ſubſtituerentur, Otto Can. Reg. in Gotwic Præpoſ. non diu in terris ſuperfuit, ita enim pergit laudatus B. Altmanni Biogr. *Poſt hunc ſuſcepit regimen Cuonradus Præpoſitus, qui Altmanno Comes in itinere Jeroſolimeo fuit, vir morum gravitate valde honorabilis, & omni morum probitate laudabilis. Hujus & ſapientia locus ædificiis, & divitiis crevit, prædiis, beneficiis, honeſtis viris eximie profecit.* Abiit Altmannus nondum Epiſcopus in Palæſtinam an. 1064., & rediit an. 1065., Comes ejus jam tum Conradus erat, cum vero Gotwic. Eccleſia ſolum per 12. annos penes Canon. Reg. maneret, patet intra hoc breve tempus, eosdem ſub binis Præpoſitis fuiſſe.

Conrad. Præp. a. Can. Reg. in Gotwic.

Dedicationi Gotw. Eccleſiæ ac inſtitutioni Can. Reg. S. Aug. ibid. præſentem fuiſſe *Ottocarum III. Styriæ Marchionem* habeo, ex litteris fundationis Cœnobii hujus datis hoc an. ab Altmanno, quas originarias Gotwici ſe vidiſſe, teſtatur Cl. Frælich Archont. Car. parte 2. f. 177. neque omnino repugnem, cum conſtet Altmannum turbulento hoc tempore ſub Leopoldi Auſtriaci, atque Ottocari noſtri protectionein Auſtria Laureaci, aliisque in locis horum religioſiſſimorum Principum ditioni ſubjectis egiſſe, ut pluribus in annot. ad Dipl. 1. & 2. &c. dicetur. Una etenim prope Auſtriæ, Styriæque Provincia, virtute Principum ſuorum Eccleſiæ fida, ſchiſmaticis expurgata in Germania manebat, acceſſit in præſidium pietas vicini Regis Ladislai, qui hoc circiter an. teſte Bertholdo Conſtant. in locum Salomonis ſublimatus ab Hungaris erat.

Ottoc. III. Mar. in Gotwic. exiſt. *Styria a ſchiſmate aliena.* *Ladislaus Rex Hung. piiſſimus.*

In litteris fundat. Gotwic. Lazius lib. 12. de Republ. Rom. cap. 3. ſequentia reperiri ſcribit, ad loca nempe hodiernæ Styriæ ſuperiori vicina aut propria, nominari allodia, ac terras nempe *Marchionis Ottocari & Piligrini, item Marchionis Harderici & Rudolfi, Traſmam fluvium, ubi ad occidentem in Carinthia oritur. Traſen* hodie, olim *Traſma* fluvius oritur e montibus Styriæ & Auſtriæ limitaneis, cum vero dicatur *ad Traſmam fluvium, ubi ad occidentem in Carinthia oritur*, ſeu moderna Styria ſuperiori, patet id, quod jam ſæpiſſime obſervavi, Styriam ſuperiorem, hoc adhuc tempore Carinthiæ partem fuiſſe.

Ottoc. ver. *Traſen fl. origo.* *Styria ſup. pars adhuc Carinth.*

Marchiones var. Sed qui fuerunt Mirchiones illi *Piligrinus, Hardericus, Rudolfus?* jam an. 1045. obſervavi, Marchiones varios dignitate inter ſe multum diſtinctos olim fuiſſe, uni tamen primario ſubordinatos.

An. 1084.

ANNO 1084.

Indict. 7. Greg. VII. P. 12. Henr. IV. Imp. 29. Ottoc. III. Styr. March. 47.

Henr. IV. Romam occupat. Inter controverſas de Italiæ rebus narrationes Muratorium ſequor; Alexius Comnenus Græcorum Imp. Henricum IV. Regem ingenti auri ſumma in Robertum Guiſcardum Ducem Calabriæ & Apuliæ concitavit, nec impiger iis (quidam 143000. alii 216000. nummorum ei miſſa volunt) Romanos corrupiſſe creditur, ut in urbem ſe admitterent, quo admiſſus illico Guibertum ſub nomine clementis III. Pontificem ſtatuit, & a 3. quos nanciſci ſolum potuit Epiſcopos, Bononienſi Mutinenſi, ac Cervienſi ordinari fecit, qui viciſſim Henricum cum Bertha Regina feſto S. Paſchatis coronavit, ac Auguſtum proclamavit, cui, licet per vitium ordinato Imperatori, tamen nomen Auguſti poſt alios tribuit Muratorius Annal. Ital. ad hunc annum.

Guibert. Antip. ſub nom. Clem. III.

Henr. ab eodem Imp. coronatus.

Robertus Guiſcard. Rom. capit. Breve tamen & inane gaudium fuit, cum Robertus Guiſcardus cum exercitu Romam accedere nunciaretur; illico enim cum Guiberto & exercitu ſuo in Longobardiam aufugit. Robertus igitur Romam ingreſſus ſatis hoſtiliter cum multis civibus egit, indeque, denuo punitis in Greg. Papam rebellibus in Apuliam rediit, inſequente eum ſalernum uſque Greg. VII. Papa. Mathildis etiam per milites ſuos, Henricianam in Longobardia factionem proſtravit, Henrico interim feliciter in Bajoariam penetrante cum ſuis. Ratisbonæ honorifice exceptus, mox Auguſtam movit, a Welphone Bavariæ Duce captam, ſed obſtabat urbi occupandæ Licus fluvius a Welphone ſuisque circumſeſſus, unde caſtra in 14. dies immota ſtabant, neſcio, dein qui, factum, ut Welfonis militibus ſubito terrore fugientibus, Henricus Imp. urbem Auguſtam ingrederetur, & Sigefridum Epiſcopatui denuo reſtitueret: Exin in Franconiam abiit, & Sigeberto Mogunt. nuper defuncto Wecilonem Halberſtad. dedit Archi-Epiſcopum, inde in Lotharingiam verſus, Metas urbem ab Hermanni partibus abduxit.

Henr. Imp. Auguſtam capit.

Bertholdi II. Zæring. res. Bertholdi Zæringii caſtrum in Burgundia ſitum tentavit Henricus idem, quod tamen ſubita Suevorum accelerantium dexteritate ab obſidione liberatum eſt.

Henric. Aquil. Patr. obit. Has inter turbas, dum variis in locis treugæ & induciæ firmarentur, obiit etiam Henricus Patriarcha Aquilej. de quo Bertholdus Conſtant. *Heinricus Aquil. Expatriarcha, non ſemel Domini Apoſtolici perjurus, & excommunicatus in corpore & anima moritur*, cui ſucceſſit Fridericus II. teſte Chron. Conſtant. de quo idem ad an. ſeq. refert, *Fridericus Patriarcha occiditur*, & Burcard. de caſibus Monaſt. S. Galli cap. 7. *Patriarcha, Aquilej. genere Sclavus a ſuis, aliisque profanis eſt occiſus*, Comes quidam Cacellinus ei Abbatiæ Moſacenſis erectionem commendavit, quam morte præventus erigere non potuit.

Suc. Frider. II. an ſeq. necatur.

Altmanno Ep. Pat. datur Eccl. Conſtant. Conſtantiæ nova rerum converſio, Otto ejus Epiſcopus, Henrici partes ſecutus anno 1078. a Rudolpho Rege expulſus eſt, ejusque

que Eccleſiæ cura Altmanno interim Epiſc Patav. demandata, ut do- *Otto Ep. Conſt.*
cet Gallia Chriſt. tomo 5. fol. 909. & Annal. Eremit. pag. 156. Otto *deficit & expel-*
tamen, Altmanno eam ſedem non adeunte, & Rudolpho defuncto ſe- *letur.*
dem ſuam denuo repetiit, atque hoc an. iterum amiſit ab Ottone O-
ſtienſi Ep. & Legato Papæ rejectus; ſucceſſorem vero *S. Conſtantienſi*
Eccleſiæ jam dudum viduatæ, ait Berthold. Conſtant. *Catholicum Paſtorem* *Gebhard. Zæring.*
ordinavit Gebbardum Bertholdi Zæringii Carentaniæ Ducis filium, nobilem qui- *Epiſc. Conſtant.*
dem genere, ſed nobiliorem in Monachica converſatione. Hunc ſane invitum, im- *Mon. Hirſaug.*
mo multum ejulantem ac reclamantem, Conſtantienſibus Clericis & Laicis peten-
tibus & laudantibus 11. *Kal. Jan. Epiſcopum conſecravit, quem pridie, id eſt*
feſto S. Thomæ cum aliis Clericis Presbyterum fecit &c. Gebbardus hic, aliis
Gebiro dictus, antea *Monachus* erat *Hirſaugienſis*, & Bertholdi II. Zæringii filius, ac *Bertholdi III. frater*, vel ut Genealogia Piſtoriana, & Hübneri tab. Geneal. 228. Bertholdi II. frater, de quibus v. annot. 1090. 1091.

Salomonis Hungariæ olim Regis res, continuo adhuc hæſerant, *Salom. Rex Hun.*
anno enim 1077. Geyſæ def. ab Hungaris ſuffectus eſt S. Ladislaus, unde eodem an. factum, quod ait Bertholdus Conſtant. an. 1087. de Salomone, *quod jam dudum regno privatus, & in exilium* expulſus fuerit: de eodem ad hunc an. Bertholdus ita pergit: *Rex Ungarorum Ladislaus parti Catholicorum aſſentaneus, æmulum ſuum Salomonem de carcere relaxatum, Ratisbonam ad ſuam uxorem ire permiſit, licet ingratam, nam nec illa nec ille conjugale fœdus ad invicem eatenus ſervaverant, immo contra Apoſtolum, ſe ipſos fraudare non timuerunt. Erat autem ipſa* (Sophia nempe ſeu Juditha) *ſo-* *Sophia ſoror*
ror Henrici ſæpe nominati (Imper. IV.) *quæ & ab ipſo jam diu Ratisbonæ* *Henr. Imp. uxor*
ſuſtentabatur, etiam antequam maritus captivaretur. Plura de hoc Salomo- *Salom. reg. Hun.*
ne ad an. 1087.

ANNO 1085. *An. 1085.*

Ind. 8. *Greg. VII. P.* 13. *Henr. IV. Imp.* 30. *Ottoc. III. Styr. Mar.* 48.

Cum turbato in ſtatu, res eſſent Eccleſiæ & Imperii, condictum eſt *Colloquium ad*
colloquium in cauſa Regum, ex parte Pontificia erant, Otto *Perteſtad. in*
Oſtienſis, Hartwicus Magdeburg. Gebhardus Salzburg. Udo Hildesheim. *cauſa Regum.*
Burcardus Halberſtad. Hartwicus Virdunenſis, ſeu Verdenſis, Guernerus Merſeburg. Guntherus Cicenſis, Benno Miſnenſis, Henricus Paderborn. deſignatus, primo Sub-Diaconus. Ex parte Henriciana Liebmarus Bremenſis, Wecilo Moguntinus, Sigewinus Colon. eorumque ſuffraganei.

Metropolitæ noſtro partes datæ diſceptandi, cui reſponderunt Mo- *Gebhardi Saleb.*
gunt. & Trajectenſis, totam hanc Diſputationem deſcribit Chronogr. *diſputatio.*
Saxo Bertholdus, & Annaliſta Saxo; ſumma diſceptationis erat: negabat Gebhardus, ſe ſuosque poſſe communicare Henrico, ejusque ſequacibus a Papa excommunicatis, Moguntinus, Trajectenſis, & alii negabant, a Papa Henricum potuiſſe excommunicari, eo, quod Henricus expoliatus, regno nempe Saxoniæ, non potuerit vocari, judicari, ſeu damnari, contrarium hujus, ubi Gebhardus ex inſtitutis Gelaſii, Nicolai, Synodi Nicænæ & Sardicenſis, oſtendit, ajebat, rem hanc cum Papa debere finiri, ſe interim & omnes Catholicos obedientiam

debere mandatis Greg. VII. Papæ. Unde putidum refutatur Monachi Hirſchfeld. in apologia Henrici mendacium; ad eam Wecilonis ſententiam, obmutuiſſe Gebhardum Salzb. Archiep. utpote cujus contrarium fatetur ipſe Conradus Urſpergenſ. amicus partium Henricianarum.

Sigefrid. Epiſc. Auguſt. Finito ſine fructu colloquio, ambæ partes ſuis imbutæ principiis ab invicem diſceſſerunt, Wecilo Mogunt. interea, Sigefridum Auguſtanum, & Norbertum Curienſem ordinavit, exſecratus nempe exſecratos, quorum hic jam 4to, ille 7mo abhinc anno obtruſus, conſecratus nondum erat.

Quedlinburgenſ. Synod. Ad Paſcha dein Quedlinburgi ab Hermanno Rege Synodus etiam celebrata eſt, præſente Legato Apoſt. S. Gebhardo Archiep. Salzb. Hartwigo Magdeb. cum ſuffraganeis ſuis &c. in ea Primatus Rom. ſedis eſt confirmatus, & Wecilonis ſententia (qua *ſæculares ſuis rebus privatos, non ſubjacere Eccleſiaſtico judicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus* contendit) damnata fuit, ejus etiam, & ab eo ordinatorum conſecrationes irritæ ſunt declaratæ, alia Conc. acta vide apud Berthold. Conſtant. &c.

Wecilo damnatur.

Hermanni Reg. conſang. cum uxore ſua ventilatur. Actum eſt inter alia de conjugio Hermanni Regis cum uxore ſua ſibi conſanguinea, quam Adelhaidem Ottonis March. de Orlamunda ex Adela Lovan. filiam fuiſſe volunt, primis Alberto Com. de Ballenſtede nuptiis junctam; ſed res ea terminari non potuit, eo quod legitimi accuſatores non adeſſent. In fine Synodi anathematizatus Guibertus Antipapa cum Epiſcopis ſuis v. Berthold. Conſt. & Labb. tom. 12. col. 682. inter ſubſcriptos Epiſcopos erant S. Gebhardus Salzb. Altmannus Patav. Gebhardus Conſtantienſ. &c. Eckbertus Marchio, Henricus craſſus filius Ottonis Northeimii quondam Bav. Ducis, & Conradus Gom. a Beuchlingen.

Mog. conciliab. Synodo huic ab Henricianis conventiculum Moguntiæ eſt oppoſitum, Henrico Imp. & Legatis Guiberti præſentibus, cum multis Epiſcopis, qui omnes juſſi ſunt Greg. VII. depoſitionem ſcripto firmare, quod tamen plures Epiſcopi manu ſolum & ore, non vero corde faciebant &c.

Greg. VII. P. obit. Inter hæc Greg. VII. Papa Salerni pie obiit 8. Kal. Jun. ibidem ſepultus; ante mortem 3. deſignavit Canditatos, Deſiderium Abb. Caſſin. & Cardin. Ottonem Oſtienſ. & Hugonem Lugdunenſ. Legatos, hi cum abeſſent, ſuaſit eligi Deſiderium, licet breviſſime victurum, ante mortem præter Henr. Regem, Guibertum invaſorem, & omnes principales perſonas iis faventes, reliquos omnes ab anathem. abſolvit, qui eum verum Chriſti Vicarium agnoſcerent, ut teſtatur Paulus Bernriedin vita S. Greg. VII. cap. 12. num. 102. ex quibus refutantur nugæ Sigeberti & Alberici docentium, Gregorium in morte pœnituiſſe, quæ in Henr. IV. egiſſet, omnesque bannos ſolviſſe. Deſiderius ſub nomine Victoris III. an. ſeq. primum promotus eſt.

Victor III. P. ſucc. an. ſeq.

Frid. Patr. Aquil. ſucc. Udalric. Abbas S. Galli an. ſeq. Eodem hoc anno Fridericus Aquilej. morte violenta ſublatus eſt, uti jam an. præc. inſinuavi, ſucceſſit ei Vodalricus Abbas S. Galli etiam an. ſolum ſeq. quas partes Fribericus ſecutus fuerit? latet, Henricus deceſſor, & ſucceſſor Udalricus Henrico adhæſere.

Udal-

Udalricus itaque ſucceſſor datus eſt Aquilejæ, ſed anno ſeq. ut docet Burcardus de caſibus Monaſt. S. Galli cap. 7. docens eum promotum *anno MLXXXVI. transacto decimo Abbatiæ S. Gallenſis anno.* Fatetur id etiam Berthold. Conſtant. ad an. 1092. notans *D. Udalricum Abbatiam S. Galli & Aquilej. Epiſcopatum, non intrando per oſtium obtinuiſſe.* Varie etiam legitur *Voldaricus, Vodolricus, Vodalricus, Volricus &c.*

Jam an. 1045. & 1077. oſtendi eum Marquardi Carent. Ducis filium, fratrem Henrici & Luitoldi fuiſſe, etiam Carinthiæ Ducum, juvenem valde, nec ſine turbis an. 1077. Abbatiæ S. Galli an. 1077. præfectum ab Henrico Rege; æmulum enim habuit hic Udalricus III. in ordine Abbatum S. Galli *Luitoldum Monachum a Rudolpho* Rege *Abbatem conſtitutum*, Luitoldo favebat Ekkardus de Nellenburg Abbas Augienſis, armaque movit contra Udalricum: *Uterque fuit juvenis, uterque ſatis nobilis, uterque litteratus & moribus agilis, ſed iſte S. Galli* (Udalricus nempe) *plus magnanimus &c.* dum ſic invicem certant duo æmuli, Ekkardus Abbas Augienſis, iter Romanum aggreſſus, ac in oppido S. Domnini captus, Epiſcopo Parmenſi eſt traditus, vulgabat vero fama Ekkardum de vita migraſſe, quare ſibi Abbatiam Augienſem, ab Henrico poſtulat, & accepit Udalricus, hanc ſibi, ut aſſereret, bella ſuſtinuit, habuitque hoſtem imprimis Bertholdum II. Zæringium Marchionem. V. an. 1079.

Erat filius Marquardi Duc. Car.

Fit etiam Abb. Augienſ.

Captivitate ſolutus Ekkardus Abbas Augienſis in ultionem ſuæ injuriæ Monaſterium S. Galli, collectis copiis Comprovincialium ſuorum per 4. vices hoſtiliter ingreditur; vix hæc finita erant, an. 1084. Hermannus Rex quemdam Monachum Augienſem Werinharium nomine Abbatiæ S. Galli præfecit, ſed Udalricus ſe iſti, ſicut & illi fortiter oppoſuit. Alia bella Udalrici hujus contra Bertholdum Zæringium, Gebhardum hujus fratrem Epiſcopum Conſtantienſem refert fuſe Burchardus. Plura an. ſeq. & an. 1091. &c.

In Saxonia interim aliqua, & non diuturna facta eſt rerum converſio, Udo Hildesheim. Epiſc. Saxones plerosque ad Henrici partes inclinabat, Epiſcopis reliquis fruſtra reclamantibus, inde Henricus IV. Rex in Saxoniam profectus, regio more ſuſcipitur Magdeburgi, Hartwigo Magdeburg. & Burchardo Halberſtad. ad Danos profugis, atque ab Henrico depoſitis, ſed ſtudia Saxonum ita refriguere, ut Henricus in Franciam redire fuerit coactus.

Saxoniæ res.

Res Patriæ noſtræ, ac vicinæ Auſtriæ ſatis pacatæ erant, cum Ottocarus Marchio noſter & Leopoldus Auſtriæ, continuo vero Chriſti Vicario adhærerent, Gebhardusque ac Altmannus terras ſuas Epiſcopi pro poſſe a ſchiſmate tuerentur. Non tamen Altmannus, & Gebhardus ſat cavere poterant, Bertholdo de Mosburg jam octavum in annum ſuppoſito, & Hermanno hoc anno, cum enim in Moguntino conciliabulo, Henriciani Epiſcopi, in fideles S. Petri inſurgerent, nominatim Gebhardum Salzb. Altmannum Patav. petierunt, atque excommunicarunt, eo factum eſt, ut, dum Gebhardo Bertholdus jam ante octo annos, ita Altmanno hoc anno Hermannus Pſeudo-Epiſcopus ſupponeretur, erat Hermannus hic Luitoldi Carentaniæ Ducis frater, ut an. 1045. oſtendi, item an. 1079. nihil eo gratius factum eſt Patavienſibus

Styriæ res.

Berthold. Mosb. Pſeudo-Arch. Salzb. Herman. Pſeudo-Ep. Pat.

Erat Luitold. Duc. Car. frat.

Henricianis, quia *in expulsione Pastoris sui*, ut scribit Biographus, *cantavit Clerus exultans, laqueus contritus est, & nos liberati sumus, in susceptione Hermanni invasoris, cecinit lætus, advenisti desiderabilis, quem exspectamus in tenebris.*

Altmannus exul in terris Ottoc. & Leopoldi.

Altmannus ita pulsus ad Provinciam Leopoldi, & Ottocari se contulit, *infraque Anasum* (proin etiam in Provincia Ottocari) *ad Styram flumen Clerum & populum Canonice gubernavit, & cœpto operi in monte Kotevvich toto nisu instabat, in quo loco, dum quodam die missarum solennia celebraret, & quidem Diaconus adventitius siniſtræ famæ, Evangelium lecturus benedictionem ab eo peteret, Episcopus eum diutius intuens, stolam de collo ejus abstulit, & alium legere præcepit. Unde patet venerando viro, aliquid de eo revelatum, quod aliis fuit celatum. Qui verecundia compulsus de monte ad Henricum fugit, pessimum crimen Episcopo, & omnibus fratribus imposuit, sed ab eo confutatus pessima morte periit.*

S. Altmanni Patav. res.

An. 1086.

ANNO 1086.

Indict. 9. Vict. III. P. 1. Henr. IV. Imp. 31. Ottoc. III. Styr. March. 49.

Henr. res.

Henricus Rex seu Imp. Saxonum perfidia commotus, cum exercitu Saxoniam subit, ferro & igne ibidem sævit, sed mox in Bavariam, quæ ad Welfonem interim defecerat, revocatur, ita enim ait Berthold. Constant. *Principes Bajoariorum Duci suo Welfoni in Pascha reconciliati, ab Henrico discessserunt, eumque cum eodem Duce, & reliquis Alemannorum Principibus armata manu Ratisbonæ invaserunt, & ne discedere posset, multo tempore eum ibi detinuerunt.* Chron. August. hoc an. subjungit: *Debinc apud Salzburg. & pene per totam Bavariam seditiones diversæ, & pugnæ sunt commissæ.*

Bavaria ad Welfum abit.

Ratisb. obsess. Henricus.

Atque hoc an. *inardescente zelo fidelium, anno exulationis suæ nono*, ut scribit Anonymus Admont. Biographus S. Gebhardi Salzb. pag. 439. *expulso Bertholdo Mosburgico usurpatore, Gebehardus ab Engelberto Comite, & ab aliis quibusdam Ecclesiæ ministerialibus, & compluribus militibus reductus est in episcopium suum, comitantibus se suffraganeis suis Episcopis, Altmanno scilicet Patavienſi, & Meginvvardo Frising. & a Clero, & a toto pene populo suo in sedem suam est receptus.* Idem docet Chron. Salzburg. & Mellicense apud Cl. Hier. Pezium. Reducto vero sic Gebhardo etiam Thiemo, ex Monasterio Admontensi ad sedem suam seu Abbatiam S. Petri redierit, ut v. an. 1082.

Berthold. Mosb. expulsus, & S. Gebhardus Salisburgum reductus.

Uti & Tiemo ex Admont. ad S. Petr. redit.

Ottoc. IV. res.

Scriptor Admont. Biogr. S. Gebhardi citatus ait: Gebhardum *ab Engelberto Comite, & aliis quibusdam Eccesiæ ministerialibus* &c. *fuisse reductum.* Hisce ego adjungo, Ottocarum IV. filium Ottocari III. hujus jam seniculi, & 49. anno Styriam regentis, munia administrantem, de eo enim ait MS. Vorav. Geneal. Dissert. 4. Præfat. adductum: *Ottachyr* nempe *IV. temporibus Imperat. Henrici IV. & V. inclytus fuit, & Salisburgensibus Archi-Episcopis, Gebhardo, Tiemoni, nec non & Conrado, viriliter assistens, eos in persecutionibus fovebat.* Gerebat nempe Ottocarus IV. seniculi patris loco, omnia Marchionis munia, titulo tamen ac honore Patri servato, sicque etiam Gebhardum, Patris loco, armata Styrorum manu, Cathedræ suæ hoc anno restituit; ut Dissert. 4. cap. 3. §. 11. & cap. 3. §. 3. ostendi.

Reducit S. Gebhardum in sed. Salisburg.

Adal-

Adalberonis II. Ottocari III. filii res quoque quæpiam commemorandæ ſunt. Dixi jam prius, decreviſſe Henrici Cæſaris potentiam, *dum Principes Bajoariorum*, teſte Berthold. Conſtant. *Duci ſuo Welfoni, in Paſcha reconciliati, ab Henrico diſceſſerunt.* Hos inter Principes, Henrici partes deſerentes, *Adalberonem Comitem*, Ottoc. III. filium ac IV. fratrem, *Anaſino & Goiſerenſi nemore* ab Henrico III. *donatum* refero. Pluribus quidem de eo Diſſert. 4. cap. 4. §. egi, quæ huc faciunt, commemoranda denuo videntur, non fuiſſe donatum Comitatu eo Adalberonem ab Henrico IV., ſed jam ab Henrico III. an. 1048. antequam Henricus IV. naſceretur, oſtendi loc. cit. ex eod. MS. tradit. Salisb. ſchiſmaticis tamen ſub Henrico faviſſe, & Admontenſibus plura damna intuliſſe, docet cit. Biogr. Admont. & Berthold. Conſtant. his verbis: *Adalbero* nempe, *pro abſolutione banni & multimodis injuriis Cœnobio* Admunt *in perſecutione Henrici IV. Imp. illatis, tradidit per manus itidem Archi-Præſulis, nempe* Gebhardi *ſuper S. Blaſii villas 2. ab Arnich cum omnibus ſuis pertinentiis & prædium Hüzenbichele.*

Adalbero II. Com. in Ems & Goyſerwald, deficit ab Henrico.

Schiſmaticus antea & Admont. injurius.

Abſolvitur ab excommun. Admont. dat Arnich & Hüzenb.

Quoniam vero teſte eod. MS. Geneal. Vorav. Ottocarus IV. *etiam cum Germano ſuo Adalberone guerram habuit ſeu bellum*, nec ſat conſtat, ſueritne bellum hoc ob ditiones & jura hæreditaria, an quia Adalbero pro Henrico Rege & Bertholdo invaſore Salzburg. pugnavit, ut v. Diſſert. 4. cit. res tamen hæc obſcura utcunque, ſic combinari poterit dicendo, bellum inter Ottocarum IV. & Adalberonem ortum, ob ſchiſmatis partes, quibus favebat Adalbero, repugnabat Ottocarus, cum vero Principum cum Welfone fieret concordia, resque Henrici his in terris prolaberentur, etiam Adalberonem cenſeo hoc anno reſipuiſſe, relicto Henrico & Guiberto ac Bertholdo invaſore Salzb. ad Eccleſiam Chriſti rediiſſe, belloque hoc rupto a Gebhardo Salzb. ſolutum ab excommunicatione pœnitentiam egiſſe, damnaque Admontenſium reſarciiſſe, utque condignius fatisfaceret, *Ottocarus quoque Marchio* Ottoc. IV. dat IV. quia Adalberonis Germanus, *proavus Marchionis Ottocari de Styre* (legendum puto *Ducis de Styre*, ſeu Ottoc. VI.) *intuitu dilectionis ipſius Deo digni Archi-Epiſcopi Gebhardi, & pro ſalute animæ ſuæ dedit villam* Eichdorff *eidem Admunt. Monaſterio*, ut ait Biogr. S. Gebhardi.

Bellum ejus cum Ottoc. IV. frat.

Admont. villam Eichdorff.

Gaudebat itaque, & plaudebat Styria noſtra, dum Archi-Epiſcopum ſuum reductum a Principe ſuo vidit, non tamen pars omnis Styriæ paſtore ſuo regebatur, cum pars illa Styræ Marchæ non Altmannum, ſed Hermannum incubatorem haberet. Quid rei fuerit, cur non etiam Altmannus reduceretur? cenſeo, obſtitiſſe pertinaciam & factionem Clericorum Patavienſium, quæ emolliri nondum poterat, nec domari. Hæſit interea Altmannus in ditione Ottocari & Leopoldi, verumque paſtorem ovium ſuarum ſe geſſit, ut ſequentia dabunt.

Altmannus cur in ſedem ſuam non reductus.

Inter hæc Bertholdus II. Zæringenſis ægerrime tulit, quod Luitoldus Ducatum Carinthiæ, frater ejus *Henricus* Iſtriam ab Henrico Cæſare, & tertius frater Udalricus Aquilej. Patriarchatum obtinuiſſet. Eodem fere an. quo Luitoldus Carinthiam, etiam Henricus Iſtriam an. nempe 1077. obtinuit. Erant hi fratres, ut anno 1072. oſtendi, Henrico IV. Imp. tertio gradu conſanguinei. Cum vero Bertholdus Ducatum ſuum Carinthiæ, cujus titulum ſolum hæreditarium gerebat,

Bertholdi II. Zaring. res contra Henric. Ep. penſtein. Iſtr. March. Luitold. Duc. Carinth. & Udalric. Aquil.

repa-

reparare ſe poſſe diffideret, movit in Udalricum reliquis validiorem & ſibi viciniorem; Udalricus itaque jam renuntiatus Patriarcha Aquilej. Abbatiam tamen S. Galli non dimiſit, egit armis, ut Weinharius ab Hermanno Rege Abbas renunciatus pelleretur; Werinharius ipſe, *cum tanto honore ſublimatum videret Udalricum, illi diutius reſiſtere timuit, quaſi pœnitentia ductus reſipuit, tantæque uſurpationi renunciavit*, teſte Burcardo de caſibus Monaſt. S. Galli cap. 7. ſed cœpto deſiſtere noluit Bertholdus Zæringius, nec enim ferre poterat, quod frater Patriarchæ, Luitoldus aliqua ſui juris, ut ſibi videbatur, ſcilicet Ducatum Carinthiæ conceſſione regia obtineret, & alter Henricus, ejus frater Marchiam Iſtricam ſub eadem conceſſione poſſideret: ſed quæcunque tandem moliretur, effecit nihil Bertholdus, omnesque tres fratres dicti, ſua retinuerunt, ne quidquam repugnante Bertholdo.

Styria inſer. an ſchiſmati involuta.

Styriam modernam inferiorem, neſcio, an a ſchiſmate alienam pronunciare auſim hoc tempore; cum enim adhuc Carinthiæ Marcha eſſet, Luitoldo Duci, Henrico Imp. addicto paruit, & quæ trans Dravum erant ditiones, myſtam primarium ſchiſmati aperte faventem habebant Udalricum, quem tamen bellis continuo extra Provinciam geſtis, minus diœceſi ſuæ providiſſe, ſicque nec nocuiſſe opinor.

Bohemia fit regnum.

Henricus Rex in Conv. Mogunt. Wratislaum Boh. Ducem. declaravit Regem, ac Pragæ per Egilbertum Trevir. coronari fecit, Jaromirus etiam Pragæ Epiſc. obtinuit, ut Moravia def. nuper Joanne Epiſcopo, ſibi adjungeretur, Principes vero confœderati Wirzburgi in colloquium coeunt, quod Henr. IV. incaſſum interturbare nitebatur, dumque Wirzburgum a Suevis ac Saxonibus obſeſſum liberare contendit, coorta interim pugna, victus fuſusque Henricus amiſſis ſimul ſignis ad Rhenum fugit, præda ingenti & veſtibus regalibus ab hoſtibus obtentis. Henricus dein Rex inclinante jam Decembri caſtellum quoddam in Bajoaria, cujus nomen Berthold. Conſtant. tacet, obſidebat, ut eo in loco natale Domini celebraret, ſed Welfo Bavar. Dux, & Bertholdus Zæring. eum ita circumvallarunt, ut nec diſcedere inde Henrico liceret, niſi prius colloquium ad tertiam ſeq. quadrageſimæ hebdomadam pro concordia regni Oppenheimii ſtipularetur.

Henr. Rex ad Wirzburg. vict.

Et obſeſſus in Bavaria a Welfone.

An. 1087.

ANNO 1087.

Indict. 10. *Vict. III. P.* 2. *Henr. IV. Imp.* 32. *Ottoc. III. Styr. March.* 50.

Victor III. P. conſecratur.

Hoc tandem anno Deſiderius Abbas Caſſinenſ. ſub nomine Victoris III. Romæ Pontifex eſt conſecratus, dilatata eſt conſecratio, tum quod ipſe eum honorem fugeret, ut Hugo Lugdun. Archiep. Candidatus & ipſe intercedere videretur, cum quod Guibertus paulo ante armata manu ex Eccleſia S. Petri ſit a Romanis expulſus, qui dein adhuc aliquo tempore in Eccleſia S. Mariæ Rotundæ, ſeu ad Martyres firma ſe munitione defendit.

Rom. turbæ.

Paſſavii ſalutaris quidam terror nonnullis Altmanno Epiſcopo ſuo adverſantibus meliora perſuaſit, Hermannus intruſus Epiſcopus, Luitoldi Carentani Ducis frater, poſt biennium uſurpati Epiſcopatus ſui, *vitam cum infula amiſit, qui tamen dicitur in extremis pœnituiſſe*, ut ſcribit

Henr. Pſeudo-Ep. Patav. obit.

Anony-

Anonymus Gotwic. num. 15. 16. & *induvias ſuas Altmanno Epiſcopo pro abſolutione anathematis miſiſſe.* Plenius & ad juſtum horrorem magis Berthold. Conſtant. rem narrat; *Cum jam in extremis jaceret, ſeque ad æternam damnationem jamjam abiturum non dubitaret, apparuit ei ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus, ut tanto evidentius culpam ſciret, quam apud inferos luere deberet. Rogavit tamen eum, ut ei culpam indulgeret, ipſumque ab excommunicatione ſolveret. Rogavit quoque circumſtantes, ut eum de Epiſcopatu eveherent, nec eum in Epiſcopatu ſepelirent. Sed hæc verba adſtantibus quaſi deliramenta videbantur. Ipſe autem ſanæ mentis proteſtatus itidem rogitare non ceſſavit, ſed incaſſum, nam ante Eccleſiaſticam abſolutionem morte præventus eſt. Nonnulli tamen, qui tam periculoſæ morti ejusdem ſchiſmatici aderant, compuncti ſunt, qui & poſtea ad legitimum paſtorem redeuntes, veniam & abſolutionem ſunt conſecuti.*

Nihil tamen hujus flebili interitu commotus, *Thiemo* quidam, ſeu *Thietmarus Wirzburgenſis Canonicus, tali indignus Cidari, ſedem Altmanni pecunia invaſit, & Epiſcopatum* (ſed) *tantum uſque ad Anaſim fluvium magis oppreſſit, quam rexit. Altmannus vero in orientali Provincia* (Auſtria nempe inferiori) *Clerum & populum canonice gubernavit.* Ita Biogr. B. Altmanni cit. num. 16. breve Chron. Laureac. & Patav. Archiep. apud Hier. Pez tom. 1. cap. 8. Catal. Abbat. Cremiſan. Bernard. Norici ad an. 1090. apud cit. Pez. tom. 2. cap. 59. aliique. *Thiemo vel Thietmarus Can. Wirzb. Pſeudo-Epiſc. Paſſav.*

Obſtitit auſibus Thiemonis Pſeudo-Epiſcopi, ne Anaſum tranſiret, vigilantia Ottocari noſtri, ac Leopoldi Auſtriaci a ſchiſmaticis alienorum, atque terras infra Anaſum regentium, Altmannus in orientali Provincia, ſeu Auſtria inferiori, cujus hoc tempore pars Styriæ noſtræ accenſebatur, verſabatur, modo *Laureaci*, modo in terris Leopoldi, *Mauteræ in oppido*, prope Gotwicum, ſedem habuiſſe volunt, anno demum ſeq. ut oſtendam, Laureaci denuo cum Ottocaro egit. Solabatur afflictum, quod & Gebhardus Salzburg. reſtitutus, & Adalbero Wirzburg. exul in Monaſterio caſtri ſui gentilitii Lambacenſi ſibi vicinus adeſſet: Garſtenſibus decimas in Furth dedit Altmannus. *Ottoc. Marchio ſchiſm. reſiſtit.* *Altmannus Ep. modo Laureac. modo in Mautern degit.*

Novum Ottocaro IV. Styriam, Patris Ottocari III. loco adminiſtranti, bellum cum fratre ſuo Adalberone ſuiſſe, elicio ex MS. noſtro Vorav. Genealogico; hoc enim, ubi narravit, Ottocarum Gebhardo Salisburg. Archiep. viriliter adſtitiſſe, ita ſubjungit: *Qui etiam* Ottocarus IV. *cum Germano ſuo Adalberone guerram habuit*, ſeu bellum, *donec idem Adalbero occiſus eſt a miniſterialibus ſuis juxta Leuben.* Bellum primum cum Ottocaro an. præced. eſt compoſitum, ubi idem Adalbero pœnitentiam agens, ab excommunicatione ſolutus, Admontenſibus benefecit, ſed ex verbo *donec* infero, novum ei bellum fuiſſe, in quo etiam circa an. 1088. occiſus eſt, nempe Adalbero, ut nomine, ita moribus Comes Sylveſtris; poſt actam pœnitentiam armis cum fratre colliſus videtur: qua de cauſa? ignoro. Interim verbum *donec* idem mihi ac *tamdiu* ſignificare videtur, *tamdiu ergo Adalbero bellum geſſit, donec circe an.* 1088. *occideretur*, de quo an. ſeq. *Ottoc. IV. nov. cum Adal. fr. bell.*

Oppenheimenſi Conventui pollicebatur quidem præſentiam ſuam Henricus Imp. ſed cum abeſſet, ſpiræ alius conventus eſt habitus, in *Henr. Imp. rev.*

quo Henrico operam ſuam ad obtinendum regnum, ſi de excommunicatione exire vellet, fideliter promiſerunt, ſed cum ſe excommunicatum non agnoſceret, nec illi cum eo concordiam ſe habere dixerunt. Inde ad minas ventum, Henricus iis bellum ad Octobris initia, illi huic ad Septembris exitum denuntiarunt, quibus etiam Ladislaus Rex Hungariæ 20. millia equitum promiſit; periculoſo ille hoc anno æmulo liberatus erat, Salomone nempe Hungariæ Rege, *qui jam dudum regno privatus, & in exilium expulſus, dum quiddam fortiter*, ut narrat Bertold. *contra Regem Græcorum molitur, poſt incredibilem hoſtium ſtragem, & ipſe viriliter occubuit.* Valeant jam illi Hungariæ & Auſtriæ ſcriptores, quorum hi eum Monachum Ciſterc. factum ad S. Crucem in Auſtria, illi apud Polam Iſtriæ urbem pœnitentem in eremo obiiſſe, contra gravem Bertholdi authoritatem affirmant.

Salomon. Hung. Regis mors Ladislaus ſucc.

Salomon Rex an Monachus factus.

Victor III. P. obit.

Henr. Imp. res.

Victore III. Romæ mortuo novas in ſpes Pontificatus ſurrexit Guibertus Antipapa, Henricus vero expeditionem in Saxoniam ſuſcepit, quam tamen dolus Ecberti Marchionis Miſniæ eluſit, quem Bertholdus Conſtant. Henrico, Annaliſta Saxo Hermanno ſe adjunxiſſe ſcribit: Idem, quod alii ſilent, Conradum Henrici IV. filium in Regem a Sigebino Colonienſi ſacra unctione delibutum affirmat, cujus tamen hoc tempore ratio nulla occurrit, probabilius eſt Bertham Reginam hoc anno mortuam; id de Ecberto non obſcure colligitur, eum nempe ad regnum aſpiraſſe, ſicque Hermannum contemptum ſuis etiam feciſſe; nam ſequente

Conradus Filius Henr. IV. an. an Rex Germ.

Bertha Reg. obit

An. 1088.

ANNO 1088.

Indict. 11. *Urbani II. P.* 1. *Henr. IV. Imp.* 33. *Ottoc. IV. March. Styr.* 1.

Herm. Rex obit.

Referente Bertholdo, quamvis Ecbertus regnum affectans, aſſenſum Principum an. priore non obtinuerit, ſimulata tamen fuere ſolum Principum ſtudia, & Hermannus Saxonibus & Suevis diſplicere cœpit, immo aperte Saxones hoc anno Henricum Regem ſuſceperunt, quare Hermannus Rex Catholicus in Lotharingiam abiens, ibidem paulo poſt obiit, ac Metis in Patria ſua honorifice eſt ſepultus. Alii ſcriptores Hermannum jam an. 1086. vel ſeq. regno ceſſiſſe, ac obiiſſe volunt, plura de eo uti, & an Saxo molari a fœmina occiſus ſit? apud alios vide.

Ecbertus Interim Marchio ſimulationem ſuam continuavit, Patriæ ſuæ contra Henricum, & huic contra Hermannum addictiſſimus. Interea vero Welfo Bajoariæ, & Bertholdus II. Zæringenſis, titulotenus Carinthiæ Dux, Auguſtam urbem denuo ſubluſtri nocte cœperunt, captus ibi Pſeudo-Epiſcopus Sigefridus, reſtitutus Wigoldus, muri urbis ad ſolum uſque diruti. Wigoldus Epiſc. Auguſt. brevi poſt obiit, cujus ſucceſſor Eggebertus Comes Nellenburgicus Abbas Augienſis, variis, ut hactenus dictum, procellis turbatus, eodem fere tempore etiam deceſſit.

Auguſto urbs a Welfon. & Bertholdo capta.

Wigold. Ep. Auguſt. obit, Eggebertus Com. Nellenb. & Ep. Aug.

Urban. II. P.

Romæ 4. Idus Martii Otto Oſtienſ. Epiſc. ac Germaniæ Legatus ſub nomine Urbani II. S. Petri Cathedram aſcendit, qui mox miſſis ad Gebhardum Salzburg. Altmannum Patav. aliosque Cathol. Epiſcopos,

pos, ad Princiqes Welſonem & Bertholdum litteris, eorum fidelitatem commendavit.

Ab acceptis his litteris non diu ſuperſuit Gebhardus Salzburg. etenim 17. Kal. Julii ex hac vita migravit, teſte Bertholdo Conſtant. Biogr. S. Gebhardi eum 16. Kal. Julii in caſtro ſuo Werven obiiſſe, narrat, ſepultus eſt in Cœnobio Admontenſi, quod parentem eum ſuum venerantur; *ipſo die depoſitionis ſurdum & mutum ad ſepulchrum proprium curavit*, inquit ejus Biogr. pag. 439. de quo an. 1074. in fundat. Admont. loquebar. *S. Gebhard. Salisburg. Arbbiep. obit.* *Sepultus in Admont.*

Prolixioris metri leſſum ſubjicit Author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 187. ex quo & aliis etiam inſignis viri laus pateſcit, quidquid contra eundem garriat Waltramus Nuenburgenſis.

Erat S. Gebhardo ſoror nomine *Diepurch*, quæ cuidam nobili & libero Baroni Bavariæ *Werenbero* nupta eſt, ac cum eo poſt mortem Gebehardi filii caſtrum ſuum Reicherſperg in Cœnobium Can. Reg. S. Auguſt. convertit. *Reicherſp. fund.*

Poſt mortem Gebhardi Bertholdus denuo orbatam ſedem Salzburgenſem invaſit, ac per annum & amplius violente oppreſſit, donec an. 1090. collecti optimates, & fidelesinvaſorem improbum ejicerent, & Thiemonem S. Petri Abbatem, Archi-Epiſcopum ſibi eligerent. *Bertholdo Moſburg. invad. Salzb. ſedem.* *Altero an. ejecto*

Interim jurati ſedis Pontificiæ defenſores Altmannus Patav. & Ottocarus Princeps noſter, rem Catholicam egregie ſuſtinuerunt; abalienata erant ab Eccleſia Patav. beneficia plura, quæ poſſederat juſto ſibi ab anteceſſoribus titulo relicto Ottocarus noſter, egit vero cum eo Altmannnus, obedientemque invenit, ut eadem reſtitueret litteris hoc an. Laureaci datis, quas num. 2. inter Diplom. mea refero. Diploma hoc impugnat Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 280. pluribus ex titulis, idque ad Ottocarum IV. detorquere nititur, ſed Differt. 4. cap. 2. §. 5. & 6. contra eundem, uti & Frælichium, aut Authorem Genealogiæ Stahrenberg oſtendi, id ad Ottocarum III. referendum eſſe: plura dicam in criſi Diplom. 2. in fine. *Altmanni & Ottocari concamb.*

Non diu dein ſuperſuit Ottocarus III. cenſeo enim, eum hoc an. vel certe futuro obiiſſe, cum ejus ultima mentio in Diplom. 2. cit. occurrat. Romæ obiiſſe Ottocarum III. docet Diploma num. 4. & 10. a me in fine poſitum, in quorum utroque Ottocarus IV. de Patre ſuo Ottocaro III. clare teſtatur eum *Romæ defunctum dormire.* *Ottoc. III. obit* *Romæ.*

Ex his vero bina, eaque graviſſima oritur difficultas, primo de ætate ac regimine Ottocari III. quem conſtat ab an. 1038. ad 1088. proin per 50. annos regimini præfuiſſe, augetur ea ex Ottocaro II. qui etiam in calculo noſtro ab an. 991. ad 1038. proin per 47. circ. annos, ſicque ambo Ottocarus II. & III. per annos circiter 97. Styriæ præfuiſſent. Secunda difficultas in eo eſt, quomodo Ottocarus III. ſeniculus jamjam, cujus, ut ſæpius dictum eſt, vices in adminiſtratione Styriæ filius Ottocarus IV. ſubiit, quomodo, inquam, Ottocarus III. adeo ſenex Romam abire adhuc, ibique mori potuerit? *De annis regni Ottoc. II. & III.* *De morte Ottoc. III. Romæ.*

Fateor, utraque difficultas non modice premit, ſed etiam partes adverſas, ut Differt. 4. cap. 4. §. 1. abunde dixi; ſenem obiiſſe Ottocarum noſtrum omnino conſtat, ſed nec quidquam annis regiminis

per 50. an. transacti repugnat; ſi enim ſupponatur 20. annos natus, regimen ſuſcepiſſe, obiiſſet an. ætatis 70. Plura habemus in magnatibus exempla, qui juvenes filios ſuos mature regnorum habenis applicarunt, immo ſe adhuc viventibus jam ſibi ſucceſſores ſtatuere, nomen Regis, Ducis, ipſis quaſi in cunabulis eisdem imponentes, ut in Henrico IV. de quo nunc agimus, exemplum proſtat, qui anno ætatis ſuæ 3. Rex Germaniæ jam eſt electus; quod magis ætatem ſeram Ottocari III. evincit, ſunt illa MS. Vorav. Geneal. verba de Ottocaro IV. *Obiit ſenex & plenus dierum*, atqui Ottocarus IV. ab anno 1088. ad 1122. ſolum per 34. annos præfuit; unde cenſendum eum ſenem gubernaculis admotum, ac diu antea jam patris munia adminiſtraſſe, ſed de his jam Diſſert. 4. cap. 3. §. 10.

Altera jam difficultas exponenda, quomodo nempe Ottoc. III. ſeniculus minimum 70. annorum Romam iter ſuſceperit, ibique diem extremum clauſerit? quid in turbis Romæ ei agendum? ubi nec iter ſat ſecurum, nec domi res tutæ admodum ob ſchiſmaticorum proterviam erant. Nihilominus ex fundamenis hactenus, & Diſſert. 4. traditis non recedo a ſententia mea, cenſeoque Ottocarum, poſtquam 14. Kal. Aug. Altmanno Patav. Epiſc. plurima ejus Epiſc. Eccleſiæ beneficia reſtituit, ab eodemque, ut ad Diplom. 2. dicetur, Eccleſiam Dietacenſem, Glunicenſi dein Monaſterio an. 1201. unitam, accepit, & conſecratam & parochialem, pietatis cauſa ad limina Apoſtolorum iter ſuſcepiſſe, conſtituto interim ſui loco Ottocaro IV. filio, dumque Romam adveniret, ibidem fuiſſe defunctum, ac etiam ſepultum.

Ottoc. IV. Mar. Defuncto patri, patriæ virtutis & dignitatis hæres Ottocarus IV. ſucceſſit, qui inexpugnabili pariter animi fortitudine caſtra Pontificis ſecutus eſt. Diſpar eidem frater Adalbero, ut non tam a ditione quam morum ferocia Sylveſtris Comes eſt appellatus, fratri ſuo Ottocaro, ut jam an. præced. dixi bellum novum intulit, ſeu principatus extorquendi cauſa, ſeu denuo Pſeudo-Paparum defenſionis erga, ſed perfidiæ par exitus reſpondit, nam, ut ait MS. Geneal. Vorav.

Adalb. II. occiſp. *Occiſus eſt a Miniſterialibus ſuis juxta Leuben*, ſeu prope Leobium. De anno quidem, quo occiſus eſt, non conſtat, ſentio tamen, id hoc, vel ſequenti anno contigiſſe, cum poſthac ejus memoria nulla occurrat. Non occiſum vero inſtinctu fratris Ottocari IV. dixi jam Diſſert. 4. cap. 4. §. 5. ubi & ejus Genealogiam ac ſucceſſionem detexi.

Henr. IV. Imp. fugatur. Saxones interea vix receptum Henricum IV. denuo averſantur, unde Ecbertus Marchio ſimulatione poſita, Henricum IV. *Gleichenſe* caſtrum (ita Dodechinus nominat, Bertoldus vero tacet) obſidentem invadit, & in fugam vertit, caſtrisque Cæſaris potitur.

An. 1089. ANNO 1089.

Indict. 12. *Urb. II. P.* 2. *Henr. IV. Imp.* 34. *Ottoc. IV. Styr. March.* 2.

Henr. IV. Imp. nuptiæ 2das. Henricus Imp. def. Bertha, *Praxedem* Rutenorum Regis filiam, ſibi uxorem induxit Coloniæ, antea Udonis Marchionis viduam, quæ dein *Adelheidis* nomine germanis notiore, appellari cœpit, *Eupraxia*

praxia etiam aliis dicta. Gebhardus e familia Zæringenſium an. 1084. Conſtantienſis Epiſcopus, hoc anno ab Urbano II. Apoſt. ſedis Legatus creatur, atque Altmanno Patav. Epiſc. jam ſeneſcenti in ſubſidium adjungitur, ita enim litteræ Urbani II. P. ex cod. Udalr. num. 176. ajunt: *Nec non & de cæteris, ad quæ Patavienſis Epiſcopus advocari, vel adeſſe nequiverit - - vice noſtra, procurationem injungimus:* opus erat nempe hac cautela Urbano Pontifici, eo quod ſublato Gebehardo Salzb. Archiep. *in Teutonicis partibus*, ut ſcribit Bertoldus, *quatuor tantum Epiſcopi in Catholica communione perſtiterint, nempe* Adalbero *Wirzburg.* Altmannus *Patav.* Adalbertus *Wormatienſis*, Gebhardus *Conſtantienſis*, quibus 5tus adjungi poteſt *Hermannus Metenſis* hoc anno ad ſedem ſuam, pulſo Brunone æmulo receptus.

Gebhard. Zæring. Epiſc. Conſtant. vic. Apoſt. & Altm. Patav. adjutor.

4. Germaniæ Ep. Cath. hoc temp.

Eodem hoc an. Mathildis Godefridi Gibboſi vidua cum Welfone juniore, ſeu V., Welfonis IV. Bajoariæ Ducis filio nuptias contraxit, quæ res Henricum Cæſarem magnam in ſolicitudinem, juſtumque metum traxit. Præterire hic nequeo impertinentiſſimum Hübneri mendacium tab. 302. Geneal. ubi de Mathilde hac ita loquitur: *Maritus primus Godefredus Gibboſus Dux Lotharing. infer.* † 1076. *tab.* 279. *ſecundus maritus Azo Eſtenſis, a Papa ſeparatus, tab.* 302. *tertius mar. Welfus V. Dux Bavar. an.* 1088. † 1120. *tab.* 151. *Hunc etiam deſeruit Mathildis, atque cum Papa Greg. VII. magna in familiaritate vixit, ſedemque Romanam hæredem ſcripſit, contra quod teſtamentum Mathildis hactenus valide proteſtati ſunt Imp. Romani* - - Videamus vero impertinentiam hallucinantis Hübneri. Maritum primum Godefridum Gibboſum quod attinet, hic Henrico IV. fidelis an. 1076. obiit per inſidias, ut putabatur Ruberti Flandrenſis Comitis, quod plur. narrant Lambert. Schaffnab. & Bertholdus eo an. De ſecundo marito Azone Eſtenſi, atque Pontificia diſpenſatione denuo ſeparato altum apud veteres ſilentium, immo Hübnerus ipſe tab. ead. cit. 302. de Azone II. & III. nil memorat, junctum matrimonio fuiſſe Mathildi; Azonis II. eodem teſte jam an. 1055. proin ante primum maritum Mathildis, defuncti uxores 3. refert, non tamen Mathildem; Azonis III. uxorem reticet. tab. 303. utrique Azoni denuo alias uxores tribuit. Tertium maritum Mathildis omnino reliquit nempe Welfonem V. divortii cauſæ latent, de quo tamen plura ad an. 1095. Interim, qua fronte Hübnerus effutire potuit, poſt deſertum an. 1095. Welfonem V. Mathildem Greg. VII. familiariorem vixiſſe, cum tamen Greg. VII. P. jam 10. annis antea, ſeu 1085. ad ſuperos abierit? nempe ne manes quidem piorum Pontificum intactos relinquunt Heterodoxi, ut fucum indoctis faciant. Scimus quidem ex dictis an. 1077. Greg. VII. Papam male audiiſſe ob Mathildem, ſed apud malos ſolum, atque, ut notat Lambert. Schaffnab. *apud omnes ſanum aliquid ſapientes luce clarius conſtabat falſa eſſe, quæ dicebantur.*

Mathildis nupt. cum Welfone V.

Hübneri mendac. calumnioſa.

Azo Eſtenſ. Mar. an marit. Mathil.

Turbatis interim alibi rebus, religio in Auſtria utraque lætiorem indies induit faciem, Arnoldus Comes Lambaci, ſuo in fundo 12. clericorum collegium erexerat, Adalbero filius, probante & hortante Altmanno Patav. & authoritate Greg. VII. ut ait Biogr. B. Adalberonis, id ad S. Benedicti inſtituta traduxit, eamque Baſilicam, hoc, vel ut

Auſtriæ rer. Lambac. dedic.

Altmannus Pat. adeſt. alii 5 præced. anno conſecravit, ad quam etiam Altmannum Patav. Ep. invitavit; litteras utriusque Præſulis refert Biogr. B. Adalber. Herbipol. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 13. 14. morem geſſit piæ petitioni Altmannus Epiſcopus, Lambacum venit, ac majus ſeu principale altare in hon. B. V. M. & Kiliani M. conſecravit, Adalbero vero altare ſecundum in hon. S. Joan. Evang. dedicavit. Deſcribit ſolemnitatem hanc uberius a copia convenientium Biogr. B. Adalbero cit. fol. 16. his herbis: *Omnis ergo Eccleſia circumfluæ regionis convenerat ad dedicationis diem feſtum, ad ſacri exercitii ſpectaculum &c.* an vero Ottocarus etiam noſter? nil exprimitur, ſuſpicio tamen non inanis erit, eundem tanquam Adalberonis, ac Comitum Lambacenſium conſanguineum, & Altmanni amiciſſimum, ſolennitati etiam huic interfuiſſe.

An etiam Ottocarus noſter.

Mellicenſ. fiunt aſcetæ Bened. Paulo poſt Adalberonis forte exemplo in Mellicenſe etiam infer. Auſtriæ Cœnobium a Leopoldo I. Auſtriæ Marchione Canonicis tributum, familia Benedictina 21. Martii ſub Sigeboldo Abbate inducta eſt, a Leopoldo March. fundatoris pronepote, qua de re agunt Chron. Mellic. Salzburg. Clauſtroneob. Admont. &c. apud Cl. P. Hier. Pez, qui tom. 2. in obſervat. ad catal. Abbat. Lambac. fol. 45. cenſet ex Lambaco primam coloniam adductam fuiſſe. Hoc tempore Bernardus Comes de Styra, filius Ottocari III. ac frater Ottocari IV. floruiſſe dicitur, Prevenhueb. teſte, uxor ei, ſi Lazio ac cit. Prevenhuebero credimus, *Luidgardis* fuit, Conradi Comitis Wirtemberg. filia, ſed nec Hübnerus tab. 200. nec Bucelinus Stemmatogr. tom. 2. fol. 74. Luitgardem inter Conradi Wirtemberg. proles refert. Unde, ut Diſſ. 4. abunde dixi, dubia omnia videntur, quæ de Bernardo hoc referuntur.

De Styra Com. Bernardus.

An. 1090.

ANNO 1090.

Indict. 13. Urb. II. P. 3. Henr. IV. Imp. 35. Ottoc. IV. Styr. March. 3.

Hermannus Ep. Metenſ. † Bertoldus Dux Alem. † Guibertus Antipapa an. ſuperiore Roma expulſus ſpem fecerat pacis Eccleſiaſticæ, ſed & Epiſcopi ſchiſmatici, & mortes virorum illuſtrium eandem denuo everterunt; obierunt enim *Hermannus Epiſc. Metenſis, Bertholdus Dux Alemaniæ, filius Rudolphi Regis*, uti *& ſoror præfati Ducis, Regina Ungarorum, & hi quidem*, ut ait Bertholdus Conſt. *in fidelitate S. Petri.*

Luitold. Dux Carinthiæ obit. Ejus turpe divortium. Ex parte autem excommunicatorum pergit idem Berthold. *Lutholdus Dux Carinthiorum inopinata morte præripitur, cum nuperrime contra fas & jus repudiata propria uxore aliam ſuperinduxerit, Guiberto quidem hæreſiarcha hoc ei concedente.* Luitoldum Ducem hoc an. def. docet etiam Annal. Saxo, Waltramus de unit. Eccleſ. adjiciens etiam, *cum & ipſe appeteret regnum contra Imp. Henricum;* inopinata morte defunctum do-

Conrad. ejus fil. marit. cet Burcardus quoque de caſibus S. Galli ſimul ſcribens, *cui filius ejus Cuono ſeu Conradus adhuc puer commoritur.* Diſcimus itaque hæredem Luitoldi Conradum, ſimul cum patre mortuum. Ex quibus refutatur Lazius ratus, Luitoldum Conradi filium fuiſſe. De his jam plurima ſuperius dicta ſunt.

Quænam uxor Luitoldi Carinthiæ Ducis fuerit ab eodem repudiata, ac quænam ab illo ſuperinducta ex conceſſione Guiberti Antipapæ?

papæ? nondum mihi patuit, obiiſſe ſine hærede relicto, vel ex eo conſtat, quod Conradus filius & hæres patri commortuus fuerit, & Henricus frater ſucceſſerit; Megiſerus Valvaſ. Frælichius, nec quos hactenus pervolvi, ejus uxorem notant, alterius tamen rei Megiſerus & Valvaſ. nos reddunt certiores, victoriæ nempe, Zolemyro Dalmatiæ Rege per Luitoldum relatæ. Narrat nempe Megiſerus lib. 7. Chron. Carinth. cap. 32. Luitoldum a morte patris ſui Marquardi ſibi ſtatuiſſe, vindicare injurias Zolemiri Dalmatiæ Regis, itenditem Carinthiam ventilantis, advocaſſe *Ottocarum Styriæ Marchionem* cum ſuis, *Wilhelmum, Conradum fratres Comites de Starchant & Haymburg*, ſicque coegiſſe exercitum 20000. Zolemyrus, ubi ea audiit, ſocero ſuo Ludovico Duci Hung. rem totam aperuit, ſimulque ab eo auxilium imploravit. Inde Ottocarus Marchio noſter Dux belli electus eſt, adjunctis ſibi duobus Comitibus *Wilhelmo & Conrado de Starchant & Haymburg*, prælioque dein facto Zolemyrus cæſus, 3. Dalmatini centuriones necati, plures cum 20. nobilibus Equitibus capti. Prælium id factum docet Megiſerus in loco, *ubi olim Aquilejenſes cum Attila conſiixerunt;* præda ingens capta, & Carinthia ab incurſibus Dalmatiæ liberata. Valvaſorius breviſſime tom. 3. Chron. Carniol. fol. 206. rem enarrat dicens, a Luitoldo victum Zolemyrum Dalmatiæ Regem, quamvis hic Ludovico Duce Hungariæ niteretur.

Henricus Dux Carinth.

Luitoldi Ducis Car. res cum Zolemyro Dalmat. Rege.

Ottocar. Styriæ March. an Dux belli Dalmatici.

Longe aliter totam belli ſeriem enarrat Bonfinius rerum Ungar. Decade 2. lib. 3. fol. 143. dum nempe Salomon & Geyſa Reges Hungariæ mutua ſe concordia foverent, proin circa annum 1078. &c. Zolemyrum, qui Geyſæ & Ladislai ſororem, uxorem habuerat, per Legatos ab utroque petiiſſe auxilia contra Carinthos, magnam Dalmatiæ partem ſibi ſubjugantes, qui mox ſocero ſuccurrebant, Carinthosque, ac *Noricos* e Dalmatia ejiciebant. Dein idem Bonfin. Dec. 2. lib. fol. 156. narrat, Zolemyro ſine hærede defuncto, regnum Dalmatiæ uxori ſuperſtiti, Ladislai ſorori fuiſſe legatum, cum vero hæc variis ab hoſtibus peteretur, Ladislaus eos retudit, valeriam univerſam, quæ inter Savum, Dravumque protenditur, in Dalmatas concitat, ſororis inimicos fundit, fugatque, quæ dein idem regnum fratri legavit, ſicque Dalmatiam & Croatiam univerſam Hungaris ſubdidit.

Vides amice Lector! diſſonam omnino authorum horum relationem: Baronius an. 1076. a num. 66. ad 69. narrat, Synodum in Dalmatia habitam a Legatis Greg. VII. atque in ea Demetrium, vel Zuonimyrum, aut Suinmur de manu Legatorum Papæ ſuſcepiſſe regnum fidelitatemque cum tributo Rom. ſedi promiſiſſe; ad an. 1077. idem Baron. narrat S. Ladislaum def. Zuonimyro ſibi ſubjeciſſe Croatiam, & Dalmatiam, hancque venetis reliquiſſe, ſed Pagius num. 15. controverſum putat, an non etiam ſibi Dalmatiam reſervaverit, neuter tamen quidquam de bello cum Luitoldo Carinthiæ Duce memorat.

Dalmatia ſubjicitur Hungariæ.

Sed eſto bellum inter eos exſtiterit, vel ſedis Apoſt. quam defendit Zonomyrus, averſabatur Luitoldus, ſeu injuriarum invicem actarum cauſa, multis tamen in locis peccat Megiſeri relatio; etenim primo quod narrat Megiſerus de Carinthia per Zuonomyrum turbata, aperte contrarium teſtatur Bonfinius ſupra relatus, docens ſimul a Salomone

lomone & Geysa cæsos fuisse Carinthos & *Noricos seu Styros.* 2*do:* Quæ de Ottocaro nempe III. prodidit, nemo alius adhuc detexit, minus verum quod *de Wilhelmo & Conrado Com. Starchant & Haymburg* refert, jam enim an. 1070. observavi, ly *Starchant* non nomen loci aut familiæ, sed cognomen a robore manuum, uti *Starchart* a firma indole fuisse, quæ Megiserus ex Lazio desumpsisse videtur; præterea insinuat quondam, Ottocari Styriæ Marchionis in Duces Carinthiæ observationem, & subjectionem, quam nullam fuisse unquam ostendi Diss. 1. & 4. sane Ottocarus idem irrequisito ullo Duce Carinthiæ fundationem Garstensem fecit, ministerialibus suis varia privilegia contulit &c. 3*tio:* Ludovicus ille Dux Hungariæ, Ladislaus legendus erit Rex, non Dux Hungariæ, cujus sororem Zolemyrus uxorem habuit. 4*to:* Belli hujus tandem eventus in favorem Luitoldi a Megisero, a Bonfinio vero in Zolimyri commodum refertur, apud veteres nihil fere occurrit.

Starchant cognomen unde sumpt.

Henric. II. Dux Carinth.

Successor jam Luitoldi def. Carinthiæ Ducis, detegendus est, erat vero Henricus II. frater ex familia Muerzthallens. & Eppensteins. Ducum ultimus, cujus Genealogiam jam an. 1011. & 1045. dedi, antea erat Marchio Istriæ, ut an. 1077. ostensum: plura de nobilissimo hoc fundatore, vel potius restauratore celeberrimi Monasterii Lambertini per decursum detegentur. Tres habuit uxores, prima erat *Luitkarda*, quod ex docum. an. 1102. probabitur, duas alias eidem, & bene adjunxit Lazius, etenim ex Diplom. Frider. I. an. 1170. uxor tertia *Sophia* conspicitur, secundam *Beatricem* vocat Lazius, quod ei cætera assecuto, credi potest, ita tamen, ut a Beatrice sorore, de qua anno 1096. erit sermo, probe distinquatur.

Tres ejus uxor.

March. Carinth. unus horum Poppo seu Starchant

Dum Duces Carinthiæ, ob modernam Styriam super. hoc adhuc tempore Carinthiæ insertam attingo, Marchionem ejusdem Carinthiæ in Styria inf. adhuc Carentani Marchæ implexa commemorare debeo, dixi an. 1070. *Popponem* Marchionem cogn. *Starchant* Patri suo *Udalrico* successisse, quem Frælichius Archont. Carint. part. 2. fol. 201. ab an. 1070. ad 1090. circiter præfuisse Marchæ scribit, at sui aliquantum immemor in specim. Geneal. Sounek. pag. 10. ad an. usque 1103. ex docum. celeberr. Monast. S. Lamberti eum adhuc in vivis egisse tradit.

Berthold. II. de Zæringen an hor an. obierit.

Idem Frælichius Archontol. Carinthiæ parte 2. fol. 26., & parte 1. fol. 31. censet Bertholdum II. Zæringensem anno hoc vitæ metam attigisse, & quidem teste Berthold. Constant. & Chron. Augusts. de quo tamen vehementer dubito, Bertholdus enim Constant. ait solum: *Bertholdus Dux Alemanniæ filius Rudolphi Regis - - - diem extremum clausere.* Chron. etiam Augusts. Annal. Hildesh. & Saxo, eundem Bertholdum filium docent Rudolphi Regis, cum itaque Bertholdus II. Zæring. non filius, sed gener solum Regis Rudolphi fuerit, non eum, sed Bertholdum Ducem Alemanniæ mortuum hoc an. censeo, præsertim cum Chronic. Augusts. ad an. seq. aperte doceat, eum seu Bertholdum Zæring. an. sequenti Ducem Alemanniæ factum, immo Bertholdus inter vades & sponsores a Paschali II. P. postulatus, & ab Henrico V. Imp. datus est an. 1111. qui an 2dus vel 3tius fuerit, non sat definitum puto. Quod si tamen Frælichius ostenderet,

Bertholdus Dux Aleman. † succ. Berthold. Zarin.

nullum

nullum Rudolpho Regi fuiſſe filium, & Bertholdum II. generum, vel per adoptionem, vel vulgi more filium fuiſſe dictum pro genero, crederem Authores citatos improprie fuiſſe locutos, uti an. 1080. dictum eſt. Hæc inſinuaſſe ſufficiat, pluribus eam rem enodare, aliorum intererit.

Dum Henricus IV. Italiam ſuperiorem Mathildi ſubjectam depopularetur, Salisburgi, expulſo Bertholdo Mosburgico invaſore, Thiemo rite electus Archi-Epiſcopus introductus eſt a fidelibus S. Petri, quem ſtatim teſte Bertholdo Conſtant. Altmannus Patav. Ep. & Urbani Papæ Legatus cum Wirzburgenſi & Friſingenſi Epiſcopis ſolenniter conſecravit. Chron. Admont. addit: *ei ad defenſionem Eccleſiæ caſtra & munitiones Epiſcopii* tradita fuiſſe; ita nempe non deſeruit Deus, quem elegit mirabiliter, uti enim refert Anonymus in vita ejusdem cum quidam non Thiemonem, ſed Adalberonem Friſing. Eccleſiæ Decanum ſibi Metropolitam depoſcerent, contigit, ut die ad electionem condicto convenirent omnes, quorum intererat, *quo, dum ſimul,* inquit cit. Anonym. *navigio prædictus Decanus pergeret, medio amne ſub oculis admirantium paventiumque immergitur, taleque omnis controverſia compendium judicio Dei ſortitur.* Idem refert Chroniſtes Reicherſpergenſis. *Electio ejus divinitus facta.*

Non longe poſt 7. Id. Aprilis, quo conſecratus eſt B. Thiemo, obiit Adalbero Ep. Wirzburg. religioſiſſimus, 6. nempe Octobris, de cujus natalibus, progenie, meritis, ac ſanctitate jam plura detexi, ſepultus eſt Lambaci eo in loco, quem lapſa ex Pontificali annulo gemma ſignavit, dum aram S. Joan. Evang. ibidem conſecravit, id enim ominis loco habuit vir ſanctus, ſtatimque adjecit; *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi:* quæ omnia fuſe videri poſſunt apud ejus Biographum in Hier. Pez tom. 2. *B. Adalbero Ep. Wirzb.†*

Obiit etiam hoc anno *Eggebertus Marchio de Saxonia,* ſeu Miſnia, *in cauſa S. Petri ſtrenuus, dolo cujucdam Abbatiſſæ a Quentileninburg,* ſeu Quedlinburg, *ſororis inquam Heinrici Regis, ut ajunt, per inſidias occiſus.* Ita Berthold. Conſtant. ſed Author apologiæ Henricianæ utcunque in aliis ſuſpectus, in molendino obſeſſum, oppreſſum, ac interfectum ſcribit, id ſolum obſervo, Adelheidem ſororem Henrici, & Abbatiſſam Quedlinburg. jam an. 1071. dedicationi Halberſtad. præſentem (ut teſtatur Author Chron. Halberſtad) non potuiſſe anno 1075. eſſe uxorem Leopoldi pulchi March. Auſtr. Itha proin Henr. IV. ſoror uxor Leopoldi pulchri fuit, quamvis nec hanc Pezius Hier. Diſſert. 6. & Chryſoſt. Hantaller in faſtis Campililienſ. ſororem Henrici IV. fuiſſe velint. *Eckert. Mar. de Miſnia occiſus.*

In Monaſterio Styriæ Admontenſi obiit etiam Iſengrinus I. Abbas e S. Petri Monaſterio ad clavum vocatus. Cenſeo eum in fine anni hujus obiiſſe, cum primum an. ſeq. ſucceſſor ſit ei ſubſtitutus, etenim *Iſengrinus Abb. Admont.†*

ANNO 1091. *An. 1091.*

Indict. 14. Urb. II. P. 4. Henr. IV. Imp. 36. Ottoc. IV. March. Styr. 4.

Thiemo Archiep. Salisb. veteris aſyli ſui, ſeu Cœnobii Admont. cura tactus, charam eam ſolitudinem luſtravit, eamque Giſelberto *Giſilbertus II. Abb. Admont.*

Hirſaugienſi Monacho commendavit. Audiatur teſtis domeſticus, omni exceptione major, Chroniſtes Admont. ad hunc annum: *Tyemo Archiepiſc. Giſilbertum Abbatem de Reinbereſprunnen, Admontenſi Cœnobio præfecit, & tam pro Chriſti, quam pro ejus amore, terminos Monaſterii antea nimis anguſtos dilatavit, totamque in valle Parochiam cum omni jure ſuo, & alia plura nobis contulit.* Plura de hoc Giſilberto ſuppeditat ſeries Abbatum Admont. apud Cl. Frælich Diplom. S. Duc. Styr. part. 2. fol. 234. dicens de Giſilberto: *Poſtquam a S. Wilhelmo Abbate ſuo teſte Tritbem. in Chron. Hirſaug. ad an.* 1083. *deputatus eſt Abbas Haſſungenſis, Moguntinæ Diœceſeos, in partibus Turingiæ, quo Monachorum colonias deduxerat; indeque ab Henrico IV. expulſus, ab eodem S. Wilhelmo conſtitutus eſt Abbas in Reinhartzborn (vel ut habet lib. 3. MS. num. 20. in Reinersbrune) ac demum Monaſterium Erfordenſe gubernavit.*

Admont. res. Parochia Admont. S. Amandi.

Thyemonis ſpecialis Evergetæ Admont. ſæpius fit mentio in tabulis Admontenſ. cujus dono acceptam ferunt curtem ex altera parte alvei, qui dicitur Admont, *ad Eccleſiam S. Amandi* Epiſcopi, & reliquum nemoris, Parochiam, & præconium ultra flumen Anaſis cum Eccleſia S. Amandi, patellam apud Halle in Augia, quæ adjacet prædicto flumini, quas donationes una cum aliis ratas habuere Romani Pontifices.

Welf. IV. Bav. Duc. res.

Mantua ab Henrico IV. jam anno priori obſeſſa, hoc anno in deditionem eſt coacta, unde Romani metu adacti Guibertum Antipapam in urbem admittunt, Welfo itaque ſenior, ſeu 4. Dux Bav. cum ſuas & filii Welfonis V. ſpes labi cerneret, Longobardiam petiit, ut Henrico reconciliaretur, ſed cum Henricus Cæſar nec Guibertum deſerere, nec bona filio ablata reſtituere vellet, rediit in Alemanniam, & prope concitaſſet plures, ut novum ſibi Regem ſtatuerent:

Gebhardi Epiſc. Conſt. res. Arnold. Pſeu-Epiſc. Conſtant.

In Germania, rebus cæteroquin ſat tutis, Gebhardo Conſtantienſi e familia Ducum Zæringenſium, novus Pſeudo-Epiſcopus, Arnoldus Monachus S. Galli, quod Monaſterium Henrici partibus adhærebat, eſt oppoſitus ab Henrico Imp. erat is Monachus ex Comitum S. monti, ſeu Heiligberg ſanguine oriundus; quem Udalricus etiam Patr. Aquil. & ſimul Abbas S. Galli acerrime defendit; introducturus etiam in ſedem, ni cives Conſtantienſes reſtitiſſent, multis de Udalrici militia interfectis, unde dein S. Galli loca etiam ſunt vaſtata &c. quæ fuſe deſcribit Burcard. de caſibus S. Galli cap. 7. pag. 70. pergit vero citatus Burcardus hiſce: *Marchio autem Bertholdus, ob injuriam fratri ſuo Gebehardo illatam, quam plurima e vicino poſita loca præda & igne vaſtavit.* Cenſet Burcardus, Gebhardum Conſtantienſem Epiſcopum, fratrem fuiſſe Bertholdi, atque, ut videtur, ſecundi ex Zæringiis, qui eodem hoc anno Dux Alemanniæ factus eſt, de quo anno priore plura diſſerebam. V. an. 1092.

Udalr. Aquil. res

Bertholdi II. v. III. Zæring. res.

B. Altman. Ep. Patav. mors.

Obiit B. Altmannus Patav. cujus elogium idem Bertholdus Conſtantienſis adfert hiſce: *Altmannus S. recordationis Epiſcopus Patav. in cauſa S. Petri, & in Eccleſiaſtica religione ſtudioſiſſimus, poſt multa pericula tribulationes, & exilia, quæ pro Chriſto ſuſtinuit, in ſenectute bona migravit ad Dominum 6. Id. Aug. hic in Epiſcopatu ſuo 3. Cœnobia Clericorum juxta regulam S. Auguſt. communiter viventium inſtituit, & 4tum in Friſingenſi*

Amator, & inſtituor Can. Reg.

Epiſco-

Epiſcopatu in allodio Welfonis Ducis per Clericos ſuos ædificavit, & regularibus diſciplinis inſtituit. Hic fuit tantæ ſanctitatis, continentiæ, & religionis, ut reverendiſſimo Papæ Gregorio, ſanctoque Lucenſi Epiſcopo, immo omnibus religioſis reverendus eſſet, & amabilis, ſchiſmaticis vero, & ſcelcratis odioſus & formidabilis. Unde in obitu ſuo bonis magnum mœrorem, malis vero malam reliquit exultationem. Tria illa in Epiſcopatu Patav. Cœnobia Clericorum Regul. S. Auguſt. cenſeo fuiſſe *S. Nicolai prope Paſſavium, S. Floriani in Auſtria ſuper.* & *S. Hippoliti in Auſtria infer.* quæ duo ultima ab eo aucta potius, & ad novam meliorem formam revocata ſunt. *Gotvvicenſe* quidem etiam Clericis Reg. S. Aug. datum eſt, ſed an. 1094. jam Monachis oblatum, quartum vero Diœc. Friſing. per ſuos informatum, videtur fuiſſe *Raitenbuchenſe*, cujus dotem a Welfone Duce, & Juditha ejus conjuge impetraverit; v. Hund. Metrop. Salzb. tom. 3. pag. 109. & fuſiſſ. prodromum hiſt. gener. ord. Can. Reg. S. Auguſt. tom. 2. fol. 731.

S. Nicolai Paſſ. S. Floriani & Hippol. Cœnobia

Gotwic. olim Can. Reg. Raitenbuch Monaſter.

Acta B. Altmanni brevitate poſſibilii adduxeram, mortem ejus perpendere adhuc oportet, ita vero de ea inquit Anonymus in ejus vita: *Zeiſemuræ febri corripitur, a religioſis viris oleo conſecrato perungitur, & ſic Dominicis Sacramentis munitus, omnes ſibi ſubditos benedicens, vinculis carnis lætus abſolvitur - - -* Tiemo etiam Salzb. Archiep. *ab ipſo Altmanno conſecratus ad dilecti amici corpus venit anhelus, lacrymas ubertim cum omni Clero & populo fudit, hoſtiam laudis pro anima ejus cum omni devotione Deo obtulit, corpus vero cum debito honore in Eccleſia S. Dei Genitricis in monte Gotevvich terræ tradidit:* plurima apud ejus biographum videnda. Tiemo vero eodem hoc anno Eccleſiam Monaſterii S. Pauli in Carinthia ab Engelberto Sigefridi Comitis Lavant. fratre conditam conſecravit. v. an. 1128.

Zeiſelmuræ ægrotat, & moritur B. Altman.

Sepelitur in Gotwic a B. Tiemone Salisburg.

S. Pauli Monaſt. in Carint. a Tiemone Salzb. conſecratur.

ANNO 1092.

An. 1093.

Indict. 15. Urb. II. P. 5. Henr. IV. Imp. 37. Ottoc. IV. Styr. March. 5.

Dum Saxones hoc anno ad quietem aſpirarent, Alemanni denuo ad arma currebant, atque ea de cauſa Bertholdum Zæring. Ducem ſibi conſtituebant, ita enim refert Berthold. Conſtant. *iterum Principes Alemanniæ ad defenſionem S. Matris Eccleſiæ contra ſchiſmaticos unanimiter convenerunt, ſibique ad hoc negotium exquendum fratrem Conſtantienſis Epiſcopi Bertholdum Ducem totius Sueviæ conſtituerunt, qui nondum aliquem Ducatum habuit, etſi jam dudum nomen Ducis habere conſueverit.* Ex his Bertholdi Conſtant. verbis colligit Frælichius Archont. Carinth. part. 2. fol. 27. Bertholdum III. Ducem Alemanniæ factum, & Bertholdum II. an. 1090. obiiſſe, ego vero potius ea Bertholdi verba, ex Zæringenſibus Bertholdo II. applicarem, quia Burcardus ait: *qui nondum aliquem Ducatum habuit*, etſi jam dudum nomen Ducis habere conſueverit, ſane ſi Bertholdus II. an. 1090. obiit, Bertholdus III. filius intelligi non poteſt nomen Ducis *jam dudum* habuiſſe. Frælichius ipſe loco cit. & in tab. Geneal. 2. ait, Bertholdum III. an. 1092. Ducem I. Sueviæ factum, & an. primum 1106. Ducem Carinthiæ titulo dictum fuiſſe. Certe ſi hoc anno primum Dux Sueviæ factus eſt, antea, & *jam dudum* Dux

Berthold. II. Zæring. Dux Suev. ſeu Alem.

dici nec Carinthiæ quidem, vivo Patre appellari potuit. Hæc itaque omnia Bertholdo II. applicanda cenſeo.

Udalr. Aquil. res Conſtantia civitas interim non ſine periculo fuit: Udalricus enim Abbas S. Galli, ſimul & Patriarcha Aquilej. Arnoldum S. Galli Mo-
Arnoldi Pſeudo-Ep. & Gebhardi Epiſc. Conſt. res. nachum, inducere denuo in Conſtantienſem Epiſcopatum volebat, ante natale Domini. Sed civibus integra ſtetit in Gebehardum Epiſc. ſuum fides, ſicque Patriarcha infecto negotio redire eſt coactus, teſte Bertholdo Conſtant.

Tiemon. Salzb. & Tiem. Pſeudo-Ep. Pat. res. Felicius res ceſſit Tiemoni Salzburg., qui Paſſav. Eccleſia a Tiemone Canonico Wirzburgenſi, ut jam an. 1087. dictum, oppreſſa denuo, poſt 9. ab obitu Altmanni menſes, Catholicum induxit, & con-
Udalr. Ep. Pat. ſecravit Epiſcopum Udalricum ipſo S. Pentec. die. Erat Udalricus hic antea Eccleſiæ Auguſtanæ Præpoſitus, & ætatis jam 75. annorum vitam tamen ad an. 105. protrahens, cujus laudem eximiam texit Paulus Berniedenſ. in vita S. Greg. VII. ſub finem, cujus ſæpius memoria recurret.

Ottoc. IV. res. Inter egregios ſedis Apoſtolicæ defenſores ex Principibus, numerandus certo Ottocarus IV. Marchio noſter, cujus quidem pro Eccleſia Catholica acta, antiquitas nobis legenda invidit, cœlum ſibi præmianda reſervavit. Illud exploratum Marchionem noſtrum, tramite ab anteceſſoribus ſuis bene cœpto ingredi, laudabiliſſimo ſtudio perſeveraſſe: ita enim de eo ait Biographus B. Bertholdi I. Abb. Garſt. apud Cl. Hier. Pez tom. 2. fol. 88. *Erat enim egregius ille fundator* (de Ottocaro IV. loquitur, & II. fundat. Garſtenſi, quem *avum illius Ottacher*, ſeu Ottoc. V. vocat, *qui noviſſimus in Ungaria obiit itinere, quod ad viſitandum & honorandum S. Domini ſepulchrum devotus arripuit*) *vir valde memorabilis, & licet Princeps ſæcularis, tamen aliis potentibus multum diſſimilis, cultor pacis, amator juſtitiæ, & contra immanitatem perſecutionum, turris Eccleſiæ inexpugnabilis*, qui proin cum Leopoldo Auſtriaco adſtiterit Tiemoni Salzb. ut Catholicum antiſtitem Patav. præficeret Eccleſiæ.

An. 1093.

ANNO 1093.

Indict. 1. *Urb. II. P.* 6. *Henr. IV. Imp.* 38. *Ottoc. IV. Styr. March.* 6.

Conradus filius Henr. IV. deficit a patre. Conradus Henrici IV. filius, dum an. pr. juſſu parentis hæreditatem Adelheidis maternæ aviæ ſuæ Com. Taurinenſis invadit, hoc anno ſe a patre ad partes oppoſitas transtulit, inde patris dolo
Fit Rex Longob. captus, ſed feliciter cuſtodia elapſus, a Longobardis in Regem coronatur, Henr. IV. patre pene ad deſperationem conſternato, ſicque partes Pontificiæ in Germania, Suevia, & Lotharingia invaleſcere cœperunt.

Adelhais v. Praxedes ux. Henr. IV. ab eod. abit. Auxit Henrici IV. malum, uxor Praxedis ſeu Adelhaides ob innumeras, quibus laceſſita, injurias, ad Welfonem V. & Mathildem profuga, quæque dein querelas ſuas depoſuit in Synodo Conſtant. a Gebhardo celebrata: querelas Praxedis, de portentis verius libidinis, quam flagitiis referre piget. Synodo Conſtantiæ anno ſeq. celebratæ ade-
Welfo V. Dux Bertold. Alem. Dux. rant etiam Welfo Bajoariæ & Bertholdus Alemanniæ Dux præcellenti juſtitiæ ſtudio omnibus admirabilis, pax inter eos & Alemanniæ Principes facta uſque in Hungariam propagata eſt. Ottoc. IV. Marchio

noſter

noſter devotiſſimus egit cum Udalrico Epiſc. Patav. ut concambium, quod pater ejus Ottoc. III. cum Altmanno Ep. Patav. an. 1082. inierat, hoc anno ab Udalrico confirmaretur, ut v. fuſius in fine Diplom. 3. & ejus annotat. *Ottoc. IV. concambium cum Udalr. Patav.*

ANNO 1094. *An. 1094.*

Indict. 2. Urb. II. P. 7. Henr. IV. Imp. 39. Ottoc. IV. Styr. March. 7.

Peſtilentia gravis provincias fere omnes, Bavariam maxime depopulabatur, Ratisbonæ enim, ut teſtis eſt Berthold. Conſtant. tribus menſibus non integris 8000. plures occubuere, quod plures, nominatim in Alſatia, ut ab excommunicatione ſolvi peterent, impulit. Quam proin peſtem, ſi eo fine immiſit Deus, Styriam noſtram vix attigiſſe opinor, quæ ſub Principe intime Catholico, in Catholica ſemper perduravit communione. *Peſtis in Bav.*

Gotwici, ſoluta cum morte Altmanni regulari diſciplina, Canonicis Regularibus Monachi ſubſtitui cœperunt, cum enim Gotwici teſte Anonymo in vita Altmanni, externi, de locis ſuis expulſi, aut fugitivi ſuſciperentur, eorum infandis actibus locus ille infamatus eſt, & obſcuratus; ſed malo ab advenis importato, medelam adhibuit Joannes Scotus advena item, qui cellæ prope Eccleſiam incluſus a B. Altmanno in ſomnis monitus eſt, ut monaſticum odinem eo loci induceret. Miſſus ea de re Romam Conradus loci Præpoſitus, qui authoritatem Papalem, Udalrici Patav. Epiſc. conſilio conſentientem attulit, illico enim Monaſterium ad ord. S. Bened. reformatum, & Hartmannus in Monaſterio S. Blaſii Prior, primus Abbas eſt conſtitutus ab Ottone S. Blaſii in ſylva nigra Abbate cum nova colonia ſubmiſſus. *Gotwic. conſtituuntur Monachi* *Hartmannus I. Abb. Gotwic.*

Inſignem virum fuiſſe Hartmannum, vel ex eo patet, quod ab Urbano II. Gebhardo Conſtant. Epiſc. legato adjunctus ſit adjutor, atque eum ad regendum S. Udalrici Cœnobium, Epiſcopus Auguſtanus, ad S. Lamberti Dux Carinthiæ, ad Campidunenſe Henricus V. deſtinaverit. V. Biogr. B. Altmanni cap. 40. fuſius. Certum tamen minime eſt, an hic ipſe Hartmannus Prior S. Blaſii in nigra ſylva, fuerit Hartmannus I. aliis Hermannus Abbas S. Lamberti in Styria, ac Henrici Carinthiæ Ducis frater, domeſtica S. Lambertini Cœnobii documenta Hartmannum ſeu Hermannum, & fratrem Henrici Ducis, & S. Blaſii in ſylva Hercinia Priorem fuiſſe tradunt, ſed difficulter combinatur, quomodo Hartmannus 20. annis Abbas in Gotwich, jam an. 1096. Cœnobio S. Lamberti Abbas datus fuerit, niſi ſimul utrumque rexiſſe dicatur, v. fuſius ad an. 1096. & 1105. *Dein coadjut. Gebhardi Epiſc. Conſtant. Mox Ab. S. Udalric. & S. Lamberti in Styria.*

Eodem hoc anno Udalricus Patav. Epiſc. Fornpacenſibus Perngerum I. Abbatem dedit, quod Monaſterium ſequens ſumpſit exordium, erat ædicula B. V. M. ad occidentalem æni ripam duabus leucis ſupra Pataviam, Hilmetrudis Monaſterium ſtruxiſſe fertur Regis Hungariæ filia, cujus tamen Bengerus Abbas in litteris fundat. non meminit. Ex cella probabilius ſurrexerit Monaſterium per Ekkbertum Comitem, Henrici Com. Neunburg. fratrem, quem ego Eggebertum I. ex Naunburg. cenſeo & maritum ſororis Godefridi Marchion. de Puttene, qui etiam *Udalr. Ep. Patav. res. Vornpac. I. Ab. Perngerus. Fundatio. Ekkbertus I. Com. Neunburg marit. ſororis Godefr. March. de Putten, dein Comes Puttin.*

a morte Godefridi Puttinenſis Comes factus eſt, ut v. annot. ad Dipl. 4. hæc mea ſententia ex eo firmatur, quod teſte eod. Berngero in litter. fund. Ekkebertus hic fundator donaverit Fornbacenſibus ea, quæ in orientali Provincia fuerant Comitum Puttinenſium, *uti villam* Neukirchen *cum Parochia, Parochiam Putinenſem* ſub caſtello Butino, villam Werth, & alium locum juxta fluvium Glokniz, quæ nempe bona, eidem per nuptias advenerant, ut v. Diplom. 4. annot.

Udalr. Patr. Aquil. fit Marcb. Iſtriæ, & Carn.

Udalricus Aquilej. Patr. & Abbas S. Galli hoc anno Carnioliæ poſſeſſionem adiiſſe videtur, quamvis enim Carnioliæ Marcham Henr. Cæſar datis an. 1091. novis Carnioliæ donatæ tabulis ſe dediſſe fateatur, Udalrico Henr. Carinthiæ Ducis fratri (v. Urghell. Ital. Sacr. tom. 5. pag. 59.) ne tamen Iſtriæ ac Carnioliæ poſſeſſionem adiret Udalricus, impedivere & turbæ præced. annorum, quibus involutus eſt, & Engelbertus Henrici junioris ſeu 3. Ducis Carinthiæ Pater, qui Iſtriæ Marchio ab an. 1090. fuerat. V. Archont. Carinthiæ part. 2. fol. 60. Megiſerum lib. 7. cap. 44. de Rubeis cap. 48. num. 5. de quo plura ad an. 1120. &c. Valvaſarius Marcham Carnioliæ remanſiſſe apud Henricum II. Carinth. Ducem, & eo defuncto obveniſſe Ariboni vel Erboni Palatino Ratisbon. & Naunburgenſi, quem tamen Archont. Carinthiæ parte 2. fol. 201. nobilem de Carinthia Principem, forte Marchionem nominat.

Arbo vel Erbo an Marchio Carinth. v. Carniol.

An. 1095.

ANNO 1095.

Indict. 3. Urb. II. P. 8. Henr. IV. Imp. 40. Ottoc. IV. Styr. March. 8.

Welfon. 5. divortium.

Welfo Junior ſeu 5. divortium fecit a Mathilde conjuge ſua. Divortii cauſæ latent, conjicit vero Muratorius, Mathildem inter conjugii pacta conſtituiſſe, ut uſu corporis invicem abſtinerent, cumque ea jam an. 1077. patrimonium ſuum Eccleſiæ tranſcripſerit, nihil fuiſſe videtur, quod Welfonis juvenis amorem alliceret, vel retineret: fors nupera Conradi Regis Italiæ electio, ſpem ſimul obtinendi per eas nuptias Italici regni præcidit. Welfo Pater, ut divortium impediret, fruſtra in Italiam abiit, & Henr. IV. ſibi adjutorem adjungere voluit, quem etiam de Italia reverſus regni Principibus commendavit.

Placent. Synod.

Placentina interim Synodus media quadrageſima ab Urbano II. eſt coacta Kal. Martii, aderant ex Germania Tiemo Salzburg. & Udalricus Paſſav. cum Gebhardo Conſtantienſi, aliisque plurimis: Praxedes Regina querelas de Henr. IV. marito denuo depoſuit. Dehinc in Ruſſiam patriam reverſa Cœnobii antiſtes data eſt, venerant etiam legati Philippi Galliæ Regis ab Hugone Lugdun. Archiep. excommunicati, Rex inducias uſque ad Pentecoſten impetravit, Hugo vero ſuſpenſus eſt, quod ad Synodum non venerit, nec excuſationem miſerit. Aderant quoque Alexii Comneni Græci Imp. legati, auxilium ſibi contra Turcas jam ipſius Conſtantinopolitanæ urbis muris propinquos, poſtulantes, unde & promiſſa in Palæſtinam expeditio, Guibertus denuo fulmine ictus, aliaque ſaluberrima ſtatuta emanabant.

Adalbaid. Imprec.

Bertholdi Mnſburg. Diæc. Saliſb. invadit.

Redierant in Germaniam Epiſcopi, ſed Tiemonem ingens brevi calamitas oppreſſit. Bertholdus enim Mosburgenſis, invaſor ſedis Salisbur-

lisburgenſis, Welfonis ſenioris fluctuatione uſus, impetum denuo in diœceſim eam fecit, obviam ſe quidam ejus conatibus ſtitere Tiemonis propinqui (quos Comites a Waſſerberg & Mödling Lazius putat) ſed ubi ad manus ventum, *vincitur ab adverſa parte acies Præſulis, fuſi ſui partim, alii fugati, ſpolia direpta, ſimul cum pallio ſuo, intactus ipſe fuga evaſit.* Sed non multo poſt, *cum per Taurum montem in Carinthiam iter legeret, ab Udalrico Comite partium Cæſaris in ipſo monte circumventus, captusque eſt, jugi quinquennio in cuſtodia manſurus*, ita Anonym. in vita S. Tiem. apud Caniſium tom. 3. p. 2. pag. 106.

De Waſſerberg Medling Comit.

S. Tiemo capt. & 5. an. detent.

Hæc quoniam res Styriæ modernæ ſuper. tum adhuc Carinthiæ implexæ concernunt, fuſius enarranda videntur: egit nempe Bertholdus cum Dynaſtis Carentanis Udalrico Comite, Starchardo Marchione ejusque fratre Werigando ac Poppone Comite de Celſach, ut bellum in Tiemonem pararent, conſenſere hi; atque Tiemo ut hoſtes caperet, copias quas poterat, & ipſe eduxit, quarum *Conradus & ejus frater, Comites Medlingenſes*, Tiemonis propinqui Duces erant. Conventum eſt juxta civitatem in loco Saldorf, ibi, ut refert Anonymus, *pugnatum eſt a duobus propinquis Archi-Epiſcopi - - - quos adjuvabant miniſteriales plena fide, igneo ſtudio*, ſed victi hi fuſique Tiemone ægre fuga dilapſo: author vitæ Conradi ait: *duos fratres Tiemonis ſeniores* (ſeu familiæ capitis) *de Meglingen occubuiſſe*, v. Chron. Salisb. ad an. 1097. hæc male allegans.

Tiemo dein *Salisburgenſem civitatem tranſiens potu ſibi miniſtrato Taurum montem tranſivit, ibique a quibusdam Principibus captus eſt Marchione videlicet Starchardo & fratre ejus Weringando, nec non & Comite de Celſach Poppone*, ita author vitæ S. Conradi. Salzb. Eadem fere habet Anonym. in vita S. Tiem. ſupra cit. in eo diverſi, quod hic Udalricum Comitem, ille Starchardum & Weringandum Duces facinoris appellet: erant nempe hi tres fratres, & author vitæ S. Thiem. Udalricum, præcipuum, capti & male habiti Archi-Epiſcopi authorem, author vero vitæ S. Conradi, duos fratres ætate & dignatione priores reſpexit.

Author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 193. cum Lazio nomen Starchardi familiæ opinatur, ſed ea de re jam contrarium ad an. 1070. oſtenderam, hos Carinthiæ Dynaſtas exhibet Genealogia, quam in præfatione hujus ſæculi in orig. Comit. Celejenſium detexi, hos nempe tres fratres fuiſſe, & filios Udalrici I. Marchionis Carinthiæ.

Starchard itaque, ſeu *Poppo*, ut an. 1070. dictum *Marchio*, filius erat primogenitus Udalrici I. ejusque in Marchia Carinthiæ Succeſſor, atque ideo *Marchio* etiam dictus, immo ut an. 1103. patet *Marchio de Soune* ſeu *Sounegg* appellatus, ubi etiam Udalricus II. ejus frater adducitur, ac *Poppo Comes de Celzſach*. Weringandum etiam fratrem mox adducenda acta S. Tiemonis indicabunt, uti & dicenda an. 1106. & 1139., ubi etiam de Rudolpho de Wittenwald fratre Weringandi occurret mentio.

Zeltſchach de Poppo.

Ab his itaque captus eſt B. Tiemo & per 5. annos detentus, oppidum erat Carinthiæ *Friſacum inter oppida Juvavenſia maximum*, quinque annis licet obſeſſum, tamen in fide vera & Præſulis perſiſtens; hoſtes ſacrilegi, ut id oppidum facilius caperent, virum Dei cum cognatis

Friſacum per 5. ann. obſeſſum

gnatis ejus captis in loco aggreſſionis ſtatuunt, Tiemonem ad machinam bellicam jaculandis Saxis comparatam (vulgo mangonem) alligant, telisque Oppidanorum objiciunt dicentes: *Non ſit manus ſuper eum, ſed manus Oppidanorum, ut occidatur*, ſed agnoverunt oves Paſtorem ſuum. Inde cognatos ejus producunt optionem dantes, ut vel oppidum dederet, vel capita propinquorum truncanda videret, ſed *dixit Tiemo obſidionis Principibus, Udalrico ſcilicet Comiti cum Germanis ſuis duobus* (en 2. Germanos Udalrici ſtatuit author vitæ S. Conradi) *res ſunt Rudberti - - - abſit, ut eorum diſtractione fluxam & fragilem vitam ſeu cognatorum, ſeu meam redimam:* atque ubi cognati ejus occiſi ſunt, Tiemo *ad Udalricum ejusque Germanos duos* converſus eisdem maledixit, Deo dein vaticinium implente, ut ad an. 1099. oſtendam.

Heſtium ſævitia in Tiemon. Salisburg.

S. Tiemo mortem evadit miraculo an. 1099.

Tandem Tiemo in cuſtodiam reductus, poſt quinquennium militi cuidam obtruncandus traditur, qui tamen piaculum horrens id alteri militi delegavit, cumque ictus vibraretur, rediit enſis non ſecus, ac ferro aut ſaxo percuſſo, ſumma ſolum cute perſtricta, ſed, cum Miniſter diaboli alterum tentaret ictum, ſublatum ſuper verticem ferrum in trabem ſuperne pendentem illiſit, enſis offenſione valida ruptus in partes diſſiliit; unde in genua procidens, oravit veniam, & obtinuit, monitus tamen, ut cum Deo rediret in gratiam. Reliqua ad an. 1099. pluribus.

Cunrad. Com. de Medling, & Theoderic. Yberack. Abra. Cbiemgav. Com. Aribo, Wagingen de Rudiger, Seekirchen de Udalr. Vagernſt. de Beringer, Högl de Henr. Surberg de Meginward. Hallen. Ecc. ded.

In prælio illo ad Saldorf, die 8. Id. Decembr. quinam occubuerint, recenſet Necrologium capituli, nempe *Chuonomem, vel Chunradum Comitem de* Medling (qui diſtinquendus eſt ab illo, qui inter teſtes adducitur notitiæ cujusdam apud Hund. tom. 3. pag. 346. & cujus meminit ſcriptor vitæ S. Conr.) *& fratrem ejus Theodericum*, cum *Abramo Yberackern* Armigero, quorum corpora in Monaſterio Rott humata ſunt, *Aribonem Com. de Cbiemgav, Rudigerum de Wagingen, Udalricum de Seekirchen, Beringerum de Vagernſtorff, Henricum de Högl, Meginwardum de Surberkh*; duobas annis prælium hoc prævertit Chronogr. Salisburg. apud Hier. Pez tom. 1. fol. 342. unde, quod ait an. *MXCV. apud Halla Tiemo Archi-Epiſcopus dedicavit Eccleſiam*, id ad annum etiam præced. ſpectabit, teſte Chronogr. Admont. apud eund. Pez tom. 2. fol. 181. *Apud Halle MXCIV. dedicata eſt Eccleſia a Ven. Archiep. Tyemone 6to ordinationis ſuæ anno.* Nam an. 1094. reſpondet 6tus ordinat. Tyemonis annus.

Claramont. Conc.

Inter hæc Urbanus II. P. in Galliam veniens Synodum *ad montem Clarum* celebravit, in qua præter alia ſaluberrima ſtatuta, Philippus Rex Galliæ, dimiſſa Regina ſua, aliam Bertradam Andegav. Com. filiam, uxorem ſibi inducens conſanguineam excommunicatus eſt, & expeditio in terram S. decreta, utque ea his in turbis facilius promoveretur; *Placuit omnia bona eorum, qui Hieroſoymas pergunt, ſemper & ubique eſſe ſalva in pace & Treuga quousque redierint.* Pro ſtipendio militari propoſita erat indulgentia peccatorum, utque feliciter ſuccederet, omnibus Clericis officium minus de B. V. M. ſingulis ſabbatis recitari injunctum.

Exped. in terram S.

S. Ladisl. Rex Hungar. † Sophia ſor. ejus.

Eodem vero hoc anno obiit S. Ladislaus Rex Hungariæ, atque ante eum ſoror Sophia Wilhelmi Thuringiæ March. ſponſa, ac dein uxor Udalrici, Marchionis Carinthiæ, hocque defuncto Magni Saxoniæ Ducis: de qua v. Præfat. ſæculi hujus & an. 1060. Hübnerus tab. Geneal.

Geneal. 108. eam Geyſæ fratris S. Ladislai filiam, alii vero authores ſororem ſolum, & Belæ filiam dicunt.

ANNO 1096. *An. 1096.*

Indict. 4. Urb. II. P. 9. Henr. IV. Imp. 41. Ottoc. IV. Styr. March. 9.

Ubique hoc an. agebatur de expeditione S. & claſſicum canebatur, ingens paſſim ardor innumeram populi vim ad ſequenda crucis labara attrahebat, Welfo vero ſenior Dux Bajoariæ a partibus Pontificiis ad Henricum IV. rediit, a quo in Ducatus jura & gratiam eſt reſtitutus eodem tempore, quo Wirzburg. & Strasburg. Epiſcopi in Galliam profecti, ab Urbano II. in gremium Eccleſiæ ſunt recepti, ac Philippus Galliæ Rex pœnitens ab anathemate eſt abſolutus, adultera ſua relicta. *Welfo 4. reſtit. in Duc. Bavar.*

Ad ſacram militiam itaque ubique prædicatam, centum facile armatorum millia ex Normannia Anglia, Scotia, Gallia &c. confluxere, Germanis ſolum initio eam abhorrentibus, dein tamen etiam accedentibus: & hoc quidem anno quatuor cruce ſignatorum agmina, totidem cum Ducibus per Germaniam in Palæſtinam movere, ex his hominum 15. millia cum Petro Eremita Duce, tranquillo itinere per *Bavariam*, *Auſtriam*, *Hungariam* migrabant, & Kal. Aug. Conſtantinopolim attigerunt Reinaldo Duce, qui tamen ibi multa indigna geſſerunt, atque a Deo ultore in caſtello a Turcis obſeſſi, Reinaldo ipſo ad Turcas transfuga vel capti ſunt, vel enecti, alii ad 12000. Duce Folemaro Sacerdote, per Bohemiam in ſuper. Hungariam delati, cum cogente inopia prædas agerent, a Sclavis & Hungaris ad Nitriam ſunt penitus deleti. *Expeditio ſacra.* *Infelix primum.*

Demum quidam Godeſcalco Presbytero Duce, per *orientalem Franciam in Auſtriam devenere*, non ſine damno *orientalis Noricæ ſeu Auſtriæ*, ut loquitur Annal. Saxo, cumque ibidem prædis moleſti eſſent, trucidati, capti, diſperſi ſunt. Authores quidem alii plures injurias has excuſant, & culpam in Hungarorum ferociam conferunt, illud tamen ſatis patulum videtur, cruce ſignatos hos, nec de armis, nec de commeatu ſollicitos, tantæ molis iter temere auſpicatos, cum neceſſitate ad prædas agendas adigerentur, id ſibi mali inde attraxiſſe: conſtat enim S. Leopoldum Auſtriæ Marchionem, de quo mox, pro eximia ſua pietate, iis iter in Hungariam expediviſſe, non levia tamen incommoda ab egente & rapace hac peregrinantium turba pertuliſſe. *Auſtriam vexant Jeroſol. peta.*

Bertholdus Conſtant. Dodechinus, Abbas Urſperg. Chronogr. & Annal. Saxo Leopoldi pulchri Auſtr. March. mortem ad an. priorem referunt, ſed Chron. Auſtrale, Mellic. Salzburg. Clauſtroneob. incerti authoris Chron. Auſtriac. uti & Bern. Norici, Zwetlenſe cum vito Arempeckio & Chronogr. Admont. pro hoc an. pugnant, cui ſucceſſit S. Leopoldus Auſtriæ Marchio & filius ejus, ob vitæ probitatem pius dictus, cui dein nomen ſancti Roma adſcripſit. *Leopold. pulch. March. Auſtr. † Suc. S. Leopold. ſeu pius.*

Inter hæc fulgentiſſimum, Carinthiæ quondam, nunc Styriæ ſuperioris aſceterium non quidem primitus exortum, ſed perfectum, & colonia S. Benedicti eſt informatum, Lambertinum nempe Cœnobium, *Monaſt. S. Lamberti perficitur.*

deficientibus me aliis documentis aſſigno verba ſcriptoris domeſtici in præmio Beatæ Virginis Cellenſis, ita vero ſcribit: *Henricus Imp. Imperii ſui anno tertio* (adde decimo) *ſalutis vero* 1096. *Veronæ, & anno* 1094. *in pleno Principum & Electorum conſenſu Moguntiæ, Henrico Carinthiæ Duci pro remedio animæ ſuæ & patris ſui, Luitpurgæ matris, & Luitkardæ uxoris ſuæ, erigendi Abbatiam Lambertinam a Marquardo cœptam, conſummandique dat poteſtatem. Is itaque non ſolum Monaſterium ædificando perfecit, verum etiam piis paternæ liberalitatis veſtigiis inſiſtens, agris, ſylvis, patris, pagisque non paucis locupletat, addita valle, quæ poſtea a Cella nomen accepit, placuit vero Principi e D. Benedicti familia religioſos accerſere, iisque Monaſterium titulo S. Lamberti inſignitum tradere, ac ne alicujus prætenſionis vel impugnationis prætextu, in futurum dilabercntur bona, Abbatiam cum omnibus pertinentiis, ut immediate a Rom. ſedis tutela & protectione dependeret, approbante & confirmante Cæſare ordinariorum poteſtati exemptam ſingulariter voluit.* Ita Author cit. Alia tamen S. Lambertinorum documenta, Græcii an. 1740. in gradu Philoſophica edita, eam confirmationem an. 1104. Moguntiæ factam docent, uti & ea clauſula in Dipl. Ducat. Styriæ part. 2. fol. 277. adducta, ac ex ipſo autographo Lambertinæ fundationis deſumpta: unde pluribus eo anno; Frælichius Archont. Carinth. part. 1. fol. 32. in tabulario ejusdem Cœnobii fatetur haberi Diploma, quo Abbatiam eam *Henricus Dux* præſente Imperatore, *in tutelam Rom. Principis, Petro Apoſtol. Principi tradidit* præſente etiam *Duce Welfone per manus Burchardi Marchionis an. Dom. Incarn.* 1096. *Indict.* 4. *Henrico anno* 43. *regnante, imperante vero* 13. *Veronæ feliciter actum eſt.* Henricus Diploma hoc Veronæ omnino confirmare potuit, hoc an. in Italiæ agens, ac dein hoc ipſum anno 1104. in Conventu Mogunt. ſolemniter denuo in conſeſſu Principum ratum habere.

Cellenſis vallis additur.

Datur ordini S. Bened.

Cœnobium fit Imperiale.

Exemptum ab Epiſcopo.

Hartmannus v. Hermannus I. Abbas S. Lamb. Frater Henrici Duc. Carinth.

Ut vero a capite etiam ſuum perfecto Monaſterio adderetur decus, primum ibi cum poteſtate Abbatem præfectum fuiſſe volunt *Hartmannum*, aliis *Hermannum Henrici Ducis Carinthiæ fratrem*, & dudum jam Monachum ad S. Blaſium in ſylva nigra, ac dein Priorem, de quo v. an. 1094. & 1045. in Genealog. Docum. domeſt. ſuperius cit. eundem Hartmannum ab Urbano II. Papa Conſtantienſi Epiſcopo Gebhardo in legatione ad Germanos adjunctum, concilio Guaſtalenſi an. 1106. interfuiſſe docent. Ajunt, eundem hunc Hartmannum an. 1094. Gotwici primum Abbatem fuiſſe conſtitutum, Bucelinus in Catal. Abbatum S. Udalr. Hartmannum hunc e Gotwic. eo vocatum, ſed ſimul an. 1096. *obiiſſe* tradit, aſt in pluribus jam erraſſe deprehenſus eſt Bucelinus, & fortaſſe pro *obiit* legendum *abiit*, nempe ad Monaſterium S. Lamberti in Styria, uti ex Biogr. B. Altmanni cap. 40. ad an. 1094. oſtendi. V. an. 1105.

Beatrix ſoror Henr. II. Duc. Carinth.

Ejus vita.

Utroque tamen fratre Henrico nempe Carinthiæ Duce, & Hartmanno Abbate S. Lamberti altior ibat Beatrix eorum ſoror, teſte Cl. Puſch. Chronol. Sacr. Duc. Styr. part. 1. fol. 266. ex Bollando ad diem 19. Junii (l. 29.) Hæc præpotente conjuge, filioque orba, ſic aulæ pompam calcavit, ut opes, laresque regios cultui Divino cederet, ſtipem ſibi, qua ſola victitabat, oſtiatim legeret: frater vecordiam ejus increpabat ſæpius, ſed Deus eam prodigio firmabat. Mendicata

dicata cerere onuſta ſinum, in Henricum incidit, ab eoque rogata, quid gremio foveret, cum floram ſe geſtare diceret, exhibere juſſa, attonito fratri roſas exhibuit, coluit dein majorem ſe ſororem, eique libertatem vitæ inopis poſthac indulſit. Ejus Beatricis Mauſoleum in Aulæ Marianæ, ejusdem Cœnobii Lambertini Baſilica viſitur, idque multis ornatum verſibus, quos vide 29. Jun. act. Bolland. poſt acta S. Hemmæ Fundatr. Gurc. *Miraculum de pane in roſas converſo.* *Sepultura.*

Domeſtica S. Lamberti documenta mihi benigne communicata ita de Beatrice loquuntur: *Venerabilis Beatrix Marquardi & Henrici Fundatorum Monaſterii reſpective filia & ſoror, Aulæ noſtræ Marianæ Dotatrix, præclara in pauperes miſericordia nobilis, collectos pro iisdem panes in roſas mirabiliter converſas, fratri vel marito obviam facto oſtendit. Obiit circa annum* 1120. *in Aula Mariana tumulata.* Ita antiquiſſimæ tabulæ S. Lamberti, quæ ante 40. annos ſervata inſcriptione fuerant inſtauratæ; *Aula Mariana*, Parochia Lambertinorum, *diſtat duabus horis a Monaſterio S. Lamberti, olim etiam S. Mariæ in Graslupa dicta; poſtquam autem ab Ottocaro I. Styriæ Duce* (ita pergit in informatione mihi ſubmiſſa Pl. R. ac Cl. P. Erneſtus Säringer, Prior meritiſſimus celeberr. Monaſt. ad S. Lambertum) *aulam, quam ibi habuit (eſt enim locus ferme in via publica Carinthiam verſus) dono acquiſiviſſemus, vocari cœpit S. Mariæ in Hove, hodie autem dicitur Hoff. At hic hodiedum in capſula nigra aſſervantur oſſa hujus Beatricis.* *Dotat aulam Marianam ſeu B.V.M. in Hoff.* *Hoff B.V.M. ſeu aula Mariana Paroch. Lambertinor. olim B.V.M. in Graslupa.*

De qua codex Gurcenſis MS. an. 1115. *hæc habet:* **Die ſeelig Frau Beatrix ein Schweſter der ſeel. Frau Hemma ein Gemahl ains Graffen, dann ſie gebert hat ein Sunn, der in der Chindhait verſchaiden iſt; Sie ligt begraben Zum hoff in Cherndten, und hat vill groſſe Wunder-Zeichen begangen.** *Beatrix an ſor. B. Hemmæ.*

Præter Eccleſiam B. V. M. in Graslupa, erat etiam eodem in loco Eccleſia S. Michaelis, quam Ottocarus V. Fundator Vorav. an. 1148. Cœnobio S. Lamberti donavit, ut v. Diploma 80. mihi ex eod. monaſt. ſubmiſſum. In Eccleſia illa B. V. M. in Graslupa, hodie B. V. M. in Hoff, exſtat noſtris etiam temporibus lapis vetus memorialis, qui docet non ſolum hunc locum ab Ottocaro Fundatore Hoſpitalis in Cerewald (docum. S. Lamberto id de filio Ottocari illius ſeu 5ti aſſerunt) Monaſterio S. Lambeati fuiſſe attributum, ſed etiam milites Mathiæ Corvini ad eum uſque locum igne & ferro omnia vaſtaſſe, ita liber *fons ſignatus*, ſeu *hiſtoria B. V. M. Hoſpitalis*; cum vero lapis, hæc ſub Mathia Corvino circa ſæc. 15. medium geſta, referat, antiquitas ejus jactari adeo non poteſt, ut eidem plus, quam documentis S. Lamberti credi debeat. *S. Michael in Graslupa Eccl. ab Ottoc. V. datur S. Lambert.* *De Hoff B. V. M. Eccl. varie tradit.*

Papebrochius librum fundationis Lambertinæ (quo plerique utuntur, cum vetuſtiora eo documenta hactenus non prodierint) rejicit, eo quod multa legitimæ hiſtoriæ adverſantia in eo occurrant. Codicis hujus author erat Chriſtophorus Jäger, qui vixit an. circiter 1675. Franciſcus Petrus Can. Reg. in ſua Suevia Eccleſiaſt. pag. 176. de Hartmanno I. Abbate hæc ex quodam ſcriptore anonymo notat: *Hartmannus ad Gotvvicenſem in Auſtria, qui ſimul 3. aliis Cœnobiis Campidonenſi, S. Udalrici Aug. Vindelicorum, & S. Lamberti in Styria præfuit, extractus fuit*, nempe ex Cœnobio S. Blaſii, quod credo hunc ſcriptorem ex Bio- *S. Lambertinæ fundat. liber cuius authoritat.* *Ejus author.* *Hartman. I. Ab S. Lambert. an frater Henr. II. Duc. Carinth.*

grapho S. Altmanni accepiſſe, quo vetuſtior teſtis non exſtat; quia vero nec hic Hartmanni progeniem memorat, etiam aſſertio hæc fraternitatis cum Henrico Duce Carinthiæ pondus non habet. Suyskenus in vita S. Lamberti ennumerat Monaſteria in ejus honorem fundata, inter quæ Styrienſe, aſt omnia exſcribit ex libello gradus Philoſophici Græcii an. 1740. edito, nec potiora Mezgerus, qui Hartmannum ait ad regimen Lambertini Cœnobii accerſitum ex Priore S. Blaſii, ſed addit, *ut creditur.* Ex quibus proin dubia fere omnia videntur, quæ de Ven. Beatrice, & Hartmanno I. Abb. S. Lamberti referuntur: etenim Papebrochius in appendice 1. pag. 525. &c. n. 41. ad 29. Jun. epitaphium metricum de miraculo illoP uſchii pag. 266. relato refert & addit: *Beatricis frater Henricus* quidem dicitur, ſed de aliis altum ſilentium: ita veroſonat epitaphium: *Principis Henrici ſoror hæc, titnloque Beatrix.* At an Henrici Ducis Carinthiæ, an alterius Principis ſoror fuerit? obvium non eſt. Certe quemadmodum Genealogia Marquardi tenebris multum eſt obvoluta, ut ex Mezgero, Stengelio, Frælichio, & documentis S. Lamberti conſtat, ita & Beatricis. Albertus in ſuo Breviario hiſtorico pag. 133. ad an. 1090. *Hujus*, inquit, *Henrici* (Carinthiæ Ducis) *Beatrix fama beatitudinis clara, haud dubie ſoror fuit &c.* Schönlebenius in anno Auſtriaco ad 9. Jan. ita ait: *Beatrix incertum filiane fuerit, an ſoror Henrici Ducis Carinthiæ (alterutrum verum eſt) qui priusquam Carinthiæ Dux inauguraretur, Marchionatu Tauriſciæ ſive Styriæ potitus eſt.* Mox infra: *Sacros ejus ſeu Beatricis cineres Hovenſis Styriæ Eccleſia adhuc habet in pretio: quo die cœlos petierit, & an publico cultu venerationem habeat, nondum mihi compertum eſt.*

B. Beatricis epitaphium.

Dubia de B. Beatrice.

En! denuo nova undique dubia, ſed nec documenta S. Lamberti quidquam certi ennunciant: quæ, ut mihi ſubmiſſa ſunt, hic ſubjungo: *Sunt, qui ſcribunt, Marquardum primum Monaſterii noſtri fundatorem ex conjuge Luitburga 5. filios procreaſſe, Marquardum, qui juvenis obiiſſe fertur, Luitoldum, qui Patri in Ducatu Carinthiæ ſucceſſit, Henricum, cui Comitatus Tarviſiæ & Dominium in Eppenſtain obtigit, quique decedente ſine liberis Luitoldo in Ducatu ſucceſſit, Hermannum ſive Hartmannum, quem Pater Monachum factum primum Abbatem noſtri Monaſterii conſtituit. Ita Megiſerus ex Lazio, cum alias non conſtet, quo devenerit, vel quæ ei hæreditas ex bonis paternis obtigerit, & Ulricum natu minimum, qui (ut habet Burcardus Monachus S. Galli in lib. de caſibus ſui Monaſterii) factus eſt Monachus Sanct-Gallenſis, deinde Abbas ibidem, poſtea Abbas Augienſis, tandem decimo Abbatiæ ſuæ anno Patriarcha Aquilejenſis. Filias Marquardo tribuunt Richardam Comiti Ulrico in Eberſperg, Hemmam Comiti in Zeltſchach & Frieſach, Chunegundem Comite Mainhardo de Maletin nuptas, & Beatricem Venerabilem aulæ noſtræ Marianæ dotatricem.* Hæc jam nec nummis nec Diplomatibus roborari poſſunt, & plurimis aliis obnoxia ſunt difficultatibus, ut an. 1045. & alibi in Geneal. Eppenſteiniorum oſtendi.

Burcardus Carinth. March.

Unum adhuc inquirendum, quisnam *Burcardus* ille Marchio fuerit, per cujus manus Henricus Dux Carinthiæ, perfectam S. Lamberti Abbatiam tradidit ſub tutela imperii & S. Petri anno non MCXVI. ut Frælichius Archont. Carinth. part. 2. fol. 198., ſed MXCVI. ait ibidem cit. author, probabiliter Burcardum Marchionem Carinthiæ fuiſ-

ſe,

ſe, cum conveniens videatur Marchionem Carinthiæ ad id eligi, ſed cum eodem teſte aliud nil de hoc Burcardo exſtet, inter illos ſecundi generis Marchiones ablegandum cenſeo, de quibus an. 1045. loquebar.

ANNO 1097. *An. 1097.*

Indict. 5. Urb. II. P. 10. Henr. IV. Imp. 42. Ottoc. IV. Styr. March. 10.

Meliore conſilio & eventu ad expeditionem ſacram, hujus anni exordio, ſubiit in Palæſtinam Godefridus Bullionius, Lotharingiæ Dux, hic cum ſuis iter æſtate incepit, atque *in Auſtriam deveniens*, ſeu, ut loquitur Albertus Aquenſis, *in terram Oſterreich ad civitatem Tollenburg, ubi fluvius Lintax* lege Leytha) *regnum Galliæ* (lege *Germaniæ*) *terminat, & dividit, hoſpitio reſedit curriculo* 3. *hebdomadarum menſis Septembris.* Cauſa morandi erant Hungari, qui nuper liberum tranſitum Emiconi Com. de Leiningen cum 12000. ſuorum negarunt. Hoc incommodum, ut præverteret, *Godefridum de Aſcha*, Colomanno Regi Hungariæ jam antea notum, atque, ut opinor, ex illa Auſtriaca familia ortum, de qua ad Diplom. 2. dicetur, legatum præmiſit, tranſitum ſibi liberum exoraturum: annuit Rex, & amico prius habito colloquio, Balduino fratre obſide in Hungaria relicto, per Colomanni exercitum Godefridus cum ſuis, ad Savi uſque littus deductus eſt. *Expedit. S. Godefr. Bullionius Lotb. Dux.* *Aſcha de Godefrid.* *Hungariæ vet.*

Henrico Imp. ſat quiete in Germania degente, Welfo Dux Bajoariæ Italiam turbavit; cum enim Azzo II. Marchio Eſtenſis ultra 100. annos natus obiret, Welfus ejus ex Cuniza ſeu Cunegunde uxore primus filius, totam hæreditatem ambiit, liberi vero cæteri ex altera uxore paternis ſe juribus ſpoliari indigne tulerunt, unde Welfoni vi aditus in Italiam præcluſus; perrupit tamen clauſtra Italiæ. Welfo, ab Henrico Duce Carentaniæ, & Udalrico fratre ejus Patr. Aquilej. adjutus, ſicque magnam partem hæreditatis ſibi vendicavit; ita Berthold. Conſt. *Welfo IV. Dux Bav. Ital. turbat* *Azzo II. Eſtenſ. March. †*

Pataviæ, reverſo in Bajoariam Henrico ſecurus non erat Udalricus Epiſc. ſed Tiemo ſchiſmaticus eam denuo Cathedram prenſavit, procul tamen non abfuerit Udalricus, in ditione vel Leopoldi Auſtriaci vel Ottocari Marchionis noſtri conſtitutus, cum an. ordinat. ſuæ 8vo, id eſt, an. 1098. conſecraverit Eccleſiam in Chirchberg a Volmaro Abbate Cremifan. exſtructam, ut teſtatur Bern. Noricus & Schritovinus. *Udalr. Ep. Pat. res & Tiemo Pſeudo-Ep. ibid.*

Chriſtianorum in Palæſtina expeditio ſat fauſte decurrebat, cæſa enim innumera Saracenorum menſe Majo multitudine, Nicæa per 2. menſes obſeſſa, mox novo prælio contra 300. & amplius Barbarorum millia decertatum, inde vero cum Nicæa 40. urbes 200. caſtra a Chriſtianis capta, ſic ut 12. Kal. Nov. Antiochia obſideri cœperit, qui tamen obſidionis labor ſumma cum difficultate in 8. menſes extractus eſt. *Expeditio ſ.*

ANNO 1098. *An. 1098.*

Indict. 6. Urb. II. P. 11. Henr. IV. Imp. 43. Ottoc. IV. Styr. March. 11.

Henricus IV. Moguntiam veniens cum Principibus colloquium habuit, de regno a Conrado ſeniore filio, quem patris, patriæque *Henr. IV. Conr. filium regno vult ſpoliare, & in Henr. V. defer.*

proditorem dixit, in Henricum jun. transferendo, a quo tamen dein ipſemet regno privatus eſt, ſed res ea dilata eſt adhuc.

Interim vero Henricus idem, jus ſucceſſionis in Ducatum Bajoariæ uni filiorum Welfonis IV. jam Henrico addictioris contulit.

Exped. 5. Antiochia capta. Antiochiæ obſidio ingentia incommoda, quotidiana pericula attulit cruce ſignatis, quæ tandem poſt bina prælia, Boamundi Apuliæ Principis induſtria Chriſtianis per proditionem ceſſit. Sed lætitiam hanc mox interturbavit nova Saracenorum ſub Corbagatho Principe obſidio, in qua fame & inopia, etiam nobiliſſimi preſſi ſunt, Hartmannus certe *Aſcha de Henr. egreg. miles.* illuſtris ex Alemannia Comes, & *Henricus de Aſcha* clarum bello nomen, certam panis portionem quotidie a Godefrido Bullionio obtentam, inter maxima beneficia numerabant. Jam in eo res erat, ut urbs Saracenis traderetur; admotis enim ſcalis jam 30. hoſtes mœnia conſcenderant, *Aſcha de Henr.* ſed *Henrici de Aſcha*, & propinquorum ſuorum, aliorumque virtute ſtrenua de mœnibus ſunt dejecti. Dein ſuos milites adjuvit Deus, lancea enim, qua Chriſtus in cruce confixus eſt, a Petro Bartholomæi Clerico cruce ſignato per B. Andream Apoſt. ter, quaterve in ſomnis monito, reperta eſt, qua animati Chriſtiani acie inſtructa, hoſtes fugarunt, caſtra cœperunt, annonæque plurimum intulerunt; inde Boamundo Antiochia relicta eſt, reliqui vero viam ſibi ad Palæſtinam, laborum metam, facile aperuerunt.

Dietrichſtein de Reinpert. II. Aderat bello huic Saracenico, ex noſtra jam, olim Carinthiæ nobilitate inter alios *Reinpertus II. Dominus de Dietrichſtein*, teſte Bucelino, cum Ulrico Comite Palatino eo delatus, aſt non an. 1090., quo nondum hæc expeditio cœpta, ſed hiſce annis: Ulricus hic Comes pecuniæ nimis inhians teſte Adlzreit. malo fine an. 1099. obiit. Unde probabilius Reinpertus noſter non Ulrico, ſed Godefrido Lothar. Duci vel Bertholdo de Zæringen adhæſiſſe videtur. v. pl. an. 1059. & 1090.

An. 1099.

ANNO 1099.

Indict. 7. Paſchal. II. P. 1. Henr. IV. Imp. 44. Ottoc. IV. Styr. Mar. 12.

Henr. V. Rex Germ. Conrad. rejectus. Henricus IV. Aquiſgrani Henricum V. rejecto Conrado, Regem nominat, qui modeſte tamen hanc pertulit injuriam, inde rediit Henricus Ratisbonam, ubi Paſcha celebravit, quo certe tempore Tie-*Tiemo Pſeudo-Ep. Patav.* mo ſchiſmaticus ſedem Patavienſem tenuit, legitur enim in litteris Henr. IV. Cæſaris, quo ablata Cremifan. Monaſterio bona in Petenbach reſtituta ſunt, ea tradita fuiſſe in manus Tiemonis electi Patavien-*Udalr. Ep. latet in Raitenpuch.* ſis v. Rettenpacher in Annal. Cremifan. lib. 2. Udalricus itaque Epiſcopus Patavienſis Catholicus, perfugium ſuum in Raitenpuchenſi Can. *Moniales ibid.* Reg. Cœnobio invenit, ut teſtatur Paulus Bernried. in vita B. Herlucæ apud Henſchen 18. April. *Ubi Juditham Rudberti & Hedvvigis nobilium conjugum filiam a Ven. Udalrico Patav. Epiſc. tunc apud Raitenpuch hoſpitante, & Henricianam perſecutionem declinante, ſacro velamine fuiſſe communitam* narrat, erant itaque Raitenpuchii præter Canonicos etiam ſanctimoniales, more tunc paſſim recepto: refert præterea Gerhohus Rei-*Manegold. Duc. Raitenp. ſcript. illr.* cherſperg. de hoc tempore circiter: *Catholici Epiſcopi propter Wibertinum ſchiſma expulſi frequentabant clauſtrum Ratenbuchenſe, ubi etiam exhibi-*

bitum

tum librum Manegoldi ejus loci Decani, ipſis placuiſſe, ait, *in quo aſſeritur fornicantes & interdicta officia uſurpantes Clericos, Nicolaitas eſſe & hæreticos.*

Coloniæ Agrippinæ Hermanno Archiep. demortuo ſucceſſit *Fridericus* Henrici III. & Engelberti II. Carinthiæ Ducum frater, ex Sponheimenſ. & Ortenburg. ſanguine oriundus, ut docet Gallia Chriſtiana tom. 3. col. 6. 71. fuiſſet proin Engelberti I. Iſtriæ Marchionis filius, quem Fridericum tamen inter filios Engelberti I. non refert, Hübnerus, Haſelbachius, Bucelinus, atque Frælichius, ut v. an. 1023. *Frid. Archiep. colon. ex Ortenburg & Sponheim fam.*

Roma defuncto Urbano II. Reinerium ſub nomine Paſchalis II. obtinuit Paſtorem, ac per totum orbem Catholicum Chriſti Vicarium. *Urban. II. P. † Paſchal. II. ſuc.*

Jeroſolyma fauſtis auſpiciis capta eſt a cruce ſignatis 15. Julii feria 6. hora 9. ea feria & hora, qua Chriſtus pro nobis crucifixus eſt: Godefridus inde Bullionius Rex electus, moxque inventa SS. Crucis portio in templum eſt translata, quæ omnia fuſe proſequitur Willelmus Tyrius, lib. 8. concordant Chron. Salzburg. apud Cl. Hier. Pez tom. 1. col. 342. hiſce: *Anno milleno centeno quo minus uno, Jeruſalem Franci capiunt virtute potenti*, Clauſtroneob. ibid. col. 440. imponit medium verſum, *quindecies Julio jam Phœbi lumine tacto &c.* *Jeroſ. capitur, SS. Crux inven. Godefrid. Bull. Rex orient.*

Jam an. 1095. de B. Tiemonis Salzb. captivitate plura diſſerebam, ſub hoc vero tempus e ſua captivitate liberatus eſt; Conradus quidam vir nobilis, inter fratres conſcriptos, nuper in Wilhelmi Hirſaug. Abbatis inſtituto cooptatus liberator fuit, qui corrupta certa argenti ſumma, milite cuſtode Tiemonem in Sueviam abduxit, ubi cum Gebhardo Conſtant. Epiſcopo in luſtrandis cœnobiis biennium exegit. *S. Tiemo Salzb. e captiv. ſolutur. In Suevia 2. an. exul.*

Miſera vero dein fortuna, tortores Beati Tiemonis exercuit, etenim, ut notat Chronogr. Reicherſperg. *Ex eo tempore in adverſis ſemper decreſcebant, & ut hodie quoque perſpicuum eſt, Judico Dei non dimidiant dies ſuos, nec aliquis fere de poſteritate eorum.* Idem habet author vitæ Conradi: *Poſtquam Archi-Epiſcopus de hac captivitate liberatus eſt, ultio Divina iſtos ita percuſſit, ut cum duo illi fratres Starcandus Marchio, & Werigandus, tota Carinthia potentiſſima dominatione potirentur, nullius hominis habentes contradictionem, ſubito per Comitem Bernhardum, qui cum pauciſſimis militibus Carinthiam intravit, funditus contriti ſunt, & ad nihilum redacti, omni priſtina potentia perdita. Poppo quoque validiſſima paralyſi percuſſus eſt in tantum, ut cum multis annis vixiſſet, non dubitaret - - - & ſingulis noctibus lotio ſe, & uxorem ſuam perfundens, mane ſemper propter fœtorem veſtes mutare compulſus ſit, ac nonnunquam expergefactus de ſomno, uxorem ſuam jugulare voluerit.* Ex his ad an. 1139. oſtendam, Rudolphum illud de Wittenwald dubium eſſe Udalrici, ac Werigandi fratrem, ut jam in Genealogia eorum ſæc. hujus initio præfixa notavi. *Popponis ſeu Starcandi Mar. Carinth. & Udalrici frat. Ac Werigando.*

ANNO 1100. *An. 1100.*

Indict. 8. Paſchal. II. P. 2. Henr. IV. Imp. 45. Ottoc. IV. Styr. March. 13.

Godefridus Bullionius Rex Jeroſol. geſtis hoc etiam an. proſpere rebus inſignis obiit, magno Latinorum æque, ac Græcorum, Syrorumque dolore, cui Balduinus frater ſucceſſit. *Godefr. Bullion. Rex Jeroſol. † ſuc. Balduino fr.*

In

Guibert. Antip. † ejus ſepultura. In Italia etiam Guibertus ille, ſub Clement. III. nomine Antipapa obiit, Ravennæque ſepultus, aſt cum factio ejus quædam miracula ſpargeret, an. 1105. exhumatus, in profluentem abectus eſt juſſu Paſchali II. Papæ.

Sæc. XII.

SÆCULUM XII.

An. 1101.

ANNO 1101.

Indict. 9. Paſchal. II. P. 3. Henr. IV. Imp. 46. Ottoc IV. Styr. March. 14.

Sæculum aggredior, Ottocaris noſtris, atque primo huic tomo ultimum, majore jam rerum noſtrarum ubertate fæcundum, atque utinam Lectoribus, tantum primis etiam ſæculis ſuppeditandi copiam nactus fuiſſem; ſed quoniam & Styriæ nomen ad ſæculum uſque decimum & undecimum incognitum, & Patria noſtra adhuc ſub vocabulis Norici & Panoniæ latuit, nemo mirabitur, ſi deſtitutam utcunque, atque per Metropolitarum noſtrorum hiſtorias adjutam hiſtoriam inibi ſit deprehenſurus.

Styra de Gund. an Comit. & arcem Styræ poſſederit. Ineunte hoc ſæculo, ſi Lazio lib. 8. de migr. gent. fol. 178. credimus, *Gundaccarus de Styra*, & *primus Dominus de Berneck*, Comitatum Styræ poſſedit. Dubito, an Lazius hæc recte docuerit, vel Prevenhueberus fol. 389. ea rite exſcripſerit, Comitatum enim Styrenſem avitum Marchionum noſtrorum fuiſſe, ac penes eos ad Ottocari VI. mortem uſque permanſiſſe, abunde hactenus oſtendi. Rectius ſenſiſſe videtur Excell. Wurmbrandius in collect. Geneal. hiſtoricis fol. 214. dum ex eodem Lazio ſcribit, Gundaccarum illum non *Comitatum*, ſed *arcem*, ſeu *Burgum* Steyer, caſtrum Marchionum gentilitium in ſuo patrimonio habuiſſe, immo non tantum Dominos de Styra, ſed eorum etiam poſteros de Loſenſtain, multis ſæculis inde *Burggraviatum*, germanice Burglehen arcis Styrenſis poſſediſſe, quamvis Dynaſtia ipſa, ſeu Comitatus Styrenſis penes Principes Styriæ permanſerit. Gundaccarum hunc I. filium Bernardi Comitis de Styra & Satorem Perneggenſium fuiſſe, dixi jam Diſſert. IV. in Ottoc. IV. & plura recurrent in annot. ad Diploma 6.

Conrad. Rex Longobard. † Dum rerum in Germania ſatis tranquille potiretur Henricus IV. Imp. Conradus ejus ſenior filius & Longobardiæ Rex obiit, non ſine veneni ſuſpicione; cauſa vero quod quietæ ceteroquin res Germaniæ eſſent, erat fama circumvolitans, ac vera Jeroſolymæ occupatæ, quæ complures Germaniæ Principes ſeu ad ferenda Chriſtianis auxilia, ſive ad oſculanda patientis redemptoris veſtigia in Aſiam attraxit.

Expeditio ſacra. Ottocar. IV. Leop. Auſtr. non eam ſubierunt. Hæc quoque, quoniam res noſtrarum terrarum attingunt, paulo uberius expendenda videntur; Ottocarum quidem noſtrum, uti & Leopoldum Auſtrium, iter id adornare non admiſere curæ Patriæ, & rerum Eccleſiaſticarum, ne nempe iis abſentibus intruderentur paſtores ſchiſmatici, more vicinarum Provinciarum, Leopoldus Auſtriacus, *quia ipſe in obſequium crucis ire non poterat*, inquit excerptum Rickardianum, *ut boni operis meritum quæreret*, jam an. *MXCIX. per nobiles, Adalramum de Perge, Hadamarum de Coupharn, & Udalricum de Wolinſteine,*

Perge de Adelr. Coupharn de Hademar. Wolinſtein de Udalr.

tantam

tantam pecuniam pro ſublevanda penuria Chriſti in orientem miſit, quæ potuiſſet 300. *milites illuc ducere, & alere.*

Simile quid Ottocarum noſtrum præſtitiſſe, etſi ſcripto non exſtet, pietas tamen cogitare facile perſuadet.

Inter Principes terram ſanctam luſtrantes, infelici quidem fato deſcendit Itha S. Leopoldi Mater, vidua Leopoldi pulchri: hos omnes inſinuat Chroniſta Admontenſ. ad hunc annum: *MCI. Tiemo Archi-Epiſcopus, comitante ſecum Monaſterii noſtri Abbate Giſiberto cum Welfone Duce Bajoariæ, & Itha Marchioniſſa Auſtriæ, aliisque multis Jeruſalem proficiſcitur, & a Paganis captus, atque in Chorozdam urbem deportatus, multisque pro fide Chriſti ſuppliciis laniatus, tandem Martyrio conſummatur. Tunc etiam prædictus Abbas Giſilbertus Kal. Octobr. apud Jeruſalem obiit.* Idem docent Chron. Mellic. Salisburg. & Clauſtroneoburg. apud Hier. Pez. Ithæ tamen Marchioniſſæ fata nemo horum detexit, excerptum Rickardianum, & illud fatum, & plures ſocios oſtendit his verbis: *Itha Marchioniſſa &c. cum Guelfo Duce Bavariæ, & Tiemone Archiep. Salzburg. & Udalrico Ep. Patav. devote peregrinata eſt in terram S. cui filius iterum dedit* 300. *marcas argenti, offerri in Jeroſolymis pro bello ſacro. Ipſa vero prob dolor! cum theſauro ſuo præda facta eſt infidelibus.* Idem habet Orator Romanus ad Sixtum IV. an. 1483. pro Canonizatione S. Leopoldi declamans his verbis: *Mater vero Itha nomine - - - pro tutela Chriſtianæ religionis Jeroſolymam petitura, dum Græciæ fines permeat, Alexii Conſtantinopolitani fraude intercepta, cum omni Comitatu periit.* Id ipſum diſerte docent tabulæ Clauſtroneoburg. Ortilo Campililienſ. Aventin. lib. 6. Annal.

Itha Mar. Auſtr. abit Jeroſ.

Cum S. Tiemon. Salzb. & Giſilb. Ab. Adm. Welf. Bav. Duc. Udal. Ep. Patav.

Ithæ Mar. fata.

Et moritur.

Periit itaque Itha, nec redivit amplius e ſacro hoc itinere, ut proin male quidam eam reverſam ac Mellicii conditam crediderint, nam author coævus a Conrado Urſperg. cit. & mox adducendus clare etiam docet, Itham ibidem fuiſſe trucidatam cum aliis, quare neſcio, an ſubſcribendum iis, qui tradunt, Itham a Saraceno Principe ad impuriſſimum connubium raptam. Nam author ille ita habet: *Inter longiſſimam cruciatuum ſuorum hiſtoriam de noſtratibus Archi-Epiſcopum Salzburg. captum, Marchiſiam, Itham trucidatam &c. referebant:* nec facile credibile Itham S. Leopoldi jamjam 30. prope annos numerantis matrem, ad connubium fuiſſe impurum raptam.

Non eſt Mellicii ſepulta.

Udalricum Patav. in Palæſtinam abiiſſe dixi ex Richardiano excerpto, dubitare tamen videtur author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 289. eo quod Otto Friſing. Conradus Urſperg. aliique veteres eum inter itineris ſocios omittant, ætasque octogenarii obſtare videatur; cum tamen Chron. Haſelbachii eundem inter ſacri itineris ſocios ponat, probabile admodum mihi id videtur, id certum, eundem incolumen evaſiſſe, propitiato ſibi per votum condendi Monaſterii Numine, de quo anno 1105.

Udalr. Patr. redit e Palæſtina.

Omnium tamen *horum* peregrinantium *caput & fidus, quo cuncti regerentur, ſacer Tiemo factus eſt*, inquit biogr. ejusd. Iter ſpe ingenti inceptum, in fædam calamitatem deſiit. Exercitus trajecto Boſphoro perfidia Græcorum, quos itineris Duces Alexius Græcorum Imp. addidit, ad Aquilonarem plagam, ut ſcribit author Synchronus a Conrad. Urſperg. citatus, contra terram Chorizanam Turcarum Patriam ſedu-

S. Tiem. Salzb. Martyrum.

ctus eſt, ubi telis hoſtium in latere continenter hærentium, æſtu, ſiti, inedia maximam partem abſumpti ſunt, ita, ut teſte cit. auth. *De tam innumero populo non credamus mille viros remanſiſſe, quos poſtea vix oſſibus hærentes Rhodo, Papho, cæterisque portubus, raros autem etiam Joppæ vidimus, e quibus Bernardus Comes, & Henricus Comes Ratisbonenſis Hieroſolymæ obierunt. Dux vero Wanilphus* (Welfo) *revertendo moriens Papho eſt humatus.*

An Bernard. Com. Carinth. in Palæſtin. abit.

Welfo Dux in Palæſt. †

Tiemo Præſul exquiſita ad tormenta eſt abreptus, lento enim cruciatu viſcera ei filatim extracta, ac membratim conciſus dicitur ab authore coævo apud Germ. Sacr. author. tom. 2. fol. 196. &c. corrigendus tamen videtur anonymus 1. quoad locum Martyrii quem vocabuli deceptus ſimilitudine *Chorozaim* urbem Palæſtinæ putavit, cum fuerit ſolum *Chorizana* Regio Perſiæ perampla, Tartariam verſus porrecta ad axum fluvium uſque. 2. Quoad Idoli confractionem, nam notat Otto Friſing. Saracenos eo tempore unum verumque Deum coluiſſe, idololatriam horruiſſe.

Annum Martyrii hunc, non ſeq. fuiſſe notat Chron. Reicherſperg. Mellicenſe, Cremifan. &c. Mortilogium Stainhauſeri, Andreas Küenburgius, ac præcipue Chronicon Admontenſ. ſupra cit. quod mortem ſui Præſulis vix ignoraverit.

Bernard. & Henr. Com. Ratisbon.

Welfonem IV. Bav. Ducem Jeroſolyma reducem in inſula Papho obiiſſe jam ſupra dixi, quinam vero fuerint *Bernardus Comes, & Henricus Comes Ratisbon.* qui *Jeroſolymæ obierunt*, non conſtat, non tamen credo, Bernardum hunc fuiſſe Comitem Carinthiæ, qui quidem in Palæſtina circa an. 1147. obiit, & cujus uxor erat Chunegundes, Ottocari IV. filia, quia, ut ea ex relatione conſtare videtur, Bernardus & Henricus Comites illi, ante Welfonem proin hoc anno exſtincti referuntur. Fuerint itaque fratres ambo Comites Ratisbonenſes. Otto Friſing. lib. 7. cap. 7. inter ſocios itineris hujus refert etiam *Guilhelmum Comitem Pictav. & Ducem Aquitaniæ, Guilhelmum & Stephanum Italicos Barones.*

Giſilbert. Abb. Admont. in Palæſt. †

De Giſilberto Admontenſi in Styria Abbate, Chron. Admont. habet ſolum: *Tunc etiam prædictus Abbas Giſilbertus Kal. Octob. apud Jeruſalem obiit:* Aſt an Martyrio? an naturali morte? nihil notat. Documenta domeſtica Græcii an. 1740. in gradu Philoſoph. edita Martyrii gloria apud Chorozaim inſignem tradunt. Catal. Abbat. Admont. in Diplomat. S. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 234. ſubjungit: *Creditur a quibusdam cum B. Tiemone Martyrii palmam apud Chorozaim Palæſtinæ urbem conſecutus*, ſed præter inſinuatum jam urbis *Corozaim* errorem, plus deferendum credo Chron. Admont. antiquiori, Martyrium id, ſi contigiſſet, certius enarranti. Lambertus Comes Rotenburgius e Franconia, an iter hoc ſacrum etiam ſuſceperit? ignoro, illud author Germ. ſacr. tom. 1. fol. 289. ſcribit, eum conſilio Udalrici Patav. Epiſc. ſub initium ſæc. 12. ſe inſtituto Can. Reg. Raitenbuchi tradiſſe, cum eſſet Canonicus Colon. & iter ſacrum inire Jeroſolymam meditaretur.

An Martyr.

Lambert. Com. Rotenb. e Can. Colon. Can. Raitenburch.

ANNO

ANNO 1102. *An. 1102.*

Indict. 10. *Paſchal. II. P.* 4. *Henr. IV. Imp.* 47. *Ottoc. IV. Styr. March.* 15.

Henricus IV. Imp. paulatim meliora ſapere viſus eſt, dum hoc an. ad Comitia Romana in Lateran. palatio celebranda Patres evocari petiit, ut Tiara Pontificis & corona Cæſaris priſtino fœdere necterentur. Concilium quidem Later. habitum eſt ſub illuſtri Præſulum præſentia, ſed Henr. IV. Imp. nec adfuit, nec legatos miſit, qui cauſam dicerent abſentis, aut debita ſummæ Cathedræ obſequia jurarent, unde rurſus damnatus, ut labem hanc Cæſar larva pietatis tegeret, inter ſacra nativitatis ſolennia, quæ Moguntiæ magno procerum Comitatu agebat, palam edixit, ſe reclinata in filium Imperii mole, ſacra in Aſiam ſigna deducturum. Plaudente populo ea vox excepta eſt, nec defuere optimates, qui in eandem expeditionem admitti magno ambitu poſtulabant. Sed ea in belli ſimulati pompa, ſequens annus prope etiam eſt elapſus. *Lateran. Conc.* *Henr. IV. damnatur.* *Mogunt. Conc.*

Salisburgi denuo ovile Chriſti ſubiit invaſor Bertholdus Mosburgicus, ita enim ait Chron. Admont. *MCII. ſæpe fatus invaſor Bertholdus Salzburgenſem, metropolim iterum incubat, & per tres annos oves Chriſti & Eccleſiæ atrociter laniat, locumque noſtrum fortiter devaſtat, qui & iisdem annis ſine Abbatis regimine fuit.* Id ipſum queritur Chronogr. Reicherſperg. *Huic* Tiemoni, inquit, *quidam ſchiſmaticus ſuperpoſitus erat ab Imperatore, qui hæreditatem S. Michaelis in Reicherſperg crudeliter invadens eundem locum Laicis in beneficiando, & regulares Canonicos, quos b. m. Dominus Wernherus ibi congregaverat, inde fugando multa gravamina illic ſuſcitaverat.* *Bertold. Moſburg. invaſor Salisburg.* *Admont. & Reicherſp. vaſtat.*

Ex his jam vertitur quæſtio, quando Chunradus I. electus fuerit Archiep. Salzb. an hoc vel ſeq. anno, an primum an. 1106., item an antea electus hoc nempe, vel ſeq. anno, & conſecratus ſolum anno 1106., tandem an non vicaria poteſtate, Tiemone in Palæſtinam abeunte, ovile Salzburg. adminiſtraverit? cenſeo, Conradum Salisburgenſem jam a fine anni 1102., quo mors Tiemonis 2. Kal. Octob. an. prioris Martyrio affecti, innoteſcere potuit, vel initio anni 1103. vicaria poteſtate vel ab ipſo Tiemone abeunte, vel ab hujus morte per capitulum Cathedrale, & Catholicos Salzburg. fuiſſe conſtitutum Archiep. ita 1*mo* Chron. Reicherſperg. *MCII. Chounradus ſenior poſt B. Tiemonem ſubſtituitur.* 2*do*: Biographus ejusdem ſcribit Conradum *in patatio Henrici ſenioris electum eſſe ſperantis ultionem de illo capere per Salzburgenſium perfidiam, nam illa gens eo tempore indomita eſſe ferebatur, & modicæ fidei ſemper quoque Epiſcopos ſuos perſequens.* 3*tio* - Exſtat inſtrumentum ex codice traditionum capituli Salzburg. deſumpum anno *MCIII.* confectum, quod *ſub Henr. Imp. & Chuonrado Archiep.* datum dicitur, v. author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 938. qui tamen author his non obſtantibus electionem etiam Conradi ad an. 1106. differt, variaque objicit illorum ſententiæ, qui Conradum an. 1103. Archi-Epiſcopum factum, an. vero 1106. conſecratum volunt. His non obſtantibus exauthoritate biogr. Reicherſp. & documentorum Admont. mox adducendorum cenſeo Conradum circa an. 1103. Archiep. factum: nam licet Chron. Admontenſ. *Conrad. I. Arch. Salzb. quando electus.*

montenſ. ſupra cit. aſſerat, *Monaſterium* Admontenſe *annis iisdem ſine Abbatis regimine fuiſſe*, nempe, ut idem computat ab an. 1102. per tres annos, proin ad an. 1105. ſeries tamen Abbatum Admont. in Diplom. S. Duc. Styr. p. 2. fol. 235. &c. notat Wecilonem Abbatem tertium, antea Lambac. Abbatem a Conrado Archiep. Salisb. *ſecundo ordinationis ſuæ anno*, in Admont. fuiſſe conſtitutum, qui tamen paulo poſt reverſus, domi mortuus eſt, atqui Wecilo hic an. 1106. quo Conradus conſecratus eſt, jam mortuus vel certe non amplius in Admont fuit, utpote cum ex lib. 3. MS. Admont. num. 24. Henricus IV. Abbas Admontenſ. jam fuerit an. 1105. proinde Conradus aliquot ante an. 1106. annis Archiep. electus fuiſſe debuit.

Wecilo Abb. 3. Admont.

Itaque ut hæc Admontenſium documenta inter ſe combinentur, nullumque falſitatis arguatur, dicendum, Conradum an. 1103. vel ſeq. electum, ac Archi-Epiſcopatum per modum Adminiſtratoris Catholici ſuſcepiſſe, anno vero 1106. pallium a Paſchali II. P. obtinuiſſe: unde Salisburg. Catal. Chronica varia uti & Admont. de anno accepti pallii, Chron. Reicherſperg. vero & Docum. Admont. alia de anno 4. initæ adminiſtrationis intelligi debent.

S. Lambert. Monaſt. res.

Ad hunc vel ſeq. annum pertinet Diploma Henrici Ducis Carantaniæ, quo Monaſterio S. Lamberti Ord. S. Bened. in Styria ſuper. olim in Carinthia varia donavit, ſimulque familiæ ſuæ notionem nobis reliquit, ita enim habet Diploma: *Quod Carinthiæ Dux Henricus pro animæ ſuæ remedio & dilectæ conjugis ſuæ Liutkardæ, & pro animabus patris & matris ſuæ Marchvvardi & Luitpirgæ, fratrumque ſuorum, & aliorum parentum &c. ſcripta eſt notitia hæc an. Incarn. Dom. Milleſimo CIII. Indict. X. VII. Id. Jan.* Ita Bernard. Pez theſ. anecdot. tom. 6. ſeu Cod. Diplom. part. 1. pag. 283. ad 286. Sed vel indictio XI. vel annus M. C. II. poni debuit. Inter teſtes referuntur *Udalſchalch Comes, Walt Comes de Riuna, Chunrad. filius Udaſchalci Comes Wilibalm de Kuninpurch & Starchant Marchio de Soune, & frater ejus Udalrich &c.* Ex horum ſubſcriptione teſtium & genuina quidem, patet licentia aliquantum major Lazii, qui, ut jam an. 1070. notavi, ex charta hac hujus anni ſcribere auſus eſt: *Wilhelmum & Conradum Comites de Starchant* fuiſſe ſubnotatos, qui tamen nullibi comparent.

Henr. II. Duc. Carinth. familia.

Runa de Com. Walto, Hunenburch de Wilh. Starchant Mar. de Soune Udalr.

Walto Comes de Riuna, ſeu Runa ille eſt, e cujus defuncti potiſſimum bonis Leopoldus fortis Styriæ Marchio monaſt. Runenſe fundavit.

Hunenburch Comites cum Souneggiis conſang.

Wilhelmus de Huninpurch, de quo plura in fine ad Diplom. 4. recurrent, id ſolum de eo noto ex reg. Diplomat. cum nomina teſtium in Diplom. non conjungantur interpoſita part. *Et*, niſi nomina ſint patris, filii, fratrum vel ſanguine junctorum, Wilhelmum hunc cum Starcanto Marchione fuiſſe conſanguineum, eoque magis, quo ſcuti gentilitii (in quo 3. aureæ ſtellæ viſebantur, cæruleo in campo apud *Sounekios*, ſed in rubro apud *Heunburgios*) ſimilitudo accedat, atque emortua Heunburgiorum ſtirpe poſſeſſiones fere omnes ad Souneckios devenerint. Cur vero Wilhelmus Comes Starchando fuerit Præpoſitus, ratio eſt, quod Wilhelmus, Udalrici I. March. Carinthiæ frater, proin patruus eorum, eoque titulo prælatus fuerit. Unde aſſequor, quomodo Frælichius Genealog. Sonneck. ſpecim. 1. fol. 32. docuerit

Souneck origo.

Wilhel-

Wilhelmum hunc de Huniſpurch tutorem fuiſſe Popponis, ſeu Starcandi Marchionis & Udalrici, tum nempe, quando Udalricus an. 1070. obiit, & quo tempore hi omnes infra 10. annum ætatis erant, non vero hoc anno, quo jam 40. annos ſupergreſſi erant: Wilhelmum patruum ſequens ſchema docet. *Wilhelm. Hunenburg. tutor Popponis March. & fr. Udalr.*

Poppo Comes de Wimar, v. præfat. ſæc. 11.

Udalricus I. Marchio Carinthiæ 1062. obiit 1070.	*Wilhelmus I.* Comes de Huninpurch an. 1096. 1102. 1103.
Poppo Marchio ſeu *Starchand &c.* reliqua vide in Geneal. allata in præfat. ſæc. 11.	*Wilhelmus II.*, & *Udalricus I.* de *Huninburch.*

Reliquam horum Geneal. v. Dipl. 4. *Starchand Marchio de Soune, & frater ejus Udalrich.* de his pl. jam dixi ad an. 1070. 1090. 1095. &c. dixi, aſt cur *Marchio de Soune* ſcribitur? cenſeo legendum eſſe *de Sounec*, caſtrum erat Carinthiæ, & alterum Sounegk Styr. infer. prope Cilejam, hoc etiam tempore Carinthiæ adhuc inſertum, ut Diſſert. 1. fol. 58. dixi, hujus caſtri Dynaſtæ erant hoc tempore Marchiones Carinthiæ, atque inde ſubin etiam *Marchiones de Sounec* dicti, præſertim cum Petovienſem & Celejanum agrum, hoc adhuc tempore, portionem veteris Marchæ Carinthiæ fuiſſe cenſeam, ut Diſſert. 4. cap. 5. §. 4. & 5. &c. oſtendi. *Sounec March. qualis. Sounec caſtrum.*

Præter hos ſubſcripſit dicto Diplomati etiam *Rutprecht de Dietrichſtein*, hujus, ut an. 1059. oſtendi, mentio fit etiam ad an. 1088. in tab. Geneal. 751. apud Hübnerum, ſine tamen linea vel aſcendente, vel deſcendente. *Luipolt*, *Huntheri*, *Gerhoh de Traveſſe*, hi extra patriam noſtram conſtituti erant. *Popo de Selelſach*, *ſeu Selſach*, *vel Zeltſchach*, alius proinde longe a Poppone ſeu Starcando Marchione. *Dietrichſtein de Rupert. Traveſs de Luipolt, Huntber, Gerhoch, Zeltſchach de Poppo.*

Diploma hoc totum Lambertinum, refert Diplom. S. Ducat. Styriæ part. 2. fol. 271. atque in ea ennumerantur bona ab Henrico eidem Monaſterio donata, quæ ſunt *1mo: Eccleſia S. Mariæ in loco Grazluppa*, attamen exceptis Miniſterialibus, prædiis & beneficiis eorundem. Eccleſia hæc, licet Hartmanno Abbati & ſucceſſoribus donata fuerit, abalienari tamen debuit, cum eam Ottocarus V. Fundator Voravienſis an. 1148. denuo eidem Monaſterio donaverit, ut v. in fine Diplom. num. 80. *2do:* Varia in eadem valle mancipia donat. *3tio: Mercatum Judenburch cum uſu, qui muta dicitur, theloneo & prætereuntium merce.* Unde Judenburgum hoc tempore locus jam utcunque celebris fuerit, ubi mercatus inſtitui, merces publica via advehi conſueverunt. *4to: Eccleſiam Wicanchircha cum omni uſu &c. Eccleſiam S. Martini Linthe, vallem eandem cum piſcina molendinis piſcatoribus, ſtabularicam curtem, vallem Avellance cum Eccleſia inibi conſtructa &c.* primam ſuſpicor nunc eſſe *S. Viti in Weiskürchen*, quam cum Eccleſ. *S. Martini in Linth*, & *S. Petri in Affienz*, hodie adhuc procurant in Sacris Lambertini. *5to: Eccleſiam S. Mariæ in Comitatu Müerzthall, & ſtabulariam curtem Schlachdorff.* Hæc Eccleſia, quænam ſit, & an adhuc ſub cura ejusdem celeberr. Cœnobii exiſtat, ignoro. *6to: Parochia S. Georgii ad Adriach* cum uſu, quem modo tenet &c. hanc penes Fraunleithen oppidum, ejusque Parochiam oppidi, nunc Clerici ſæculares tenent. *7mo: Tale prædium, quale habuit*, nempe Henricus Dux, *in loco, qui vocatur* Biberthall, *Parochiam*, *Grazluppa S. Mariæ Eccl. datur S. Lamb. bis. Judenburg mercat. & teloneum. Weiskirchen Eccl. Linth S. Mart. Eccl. Avelanz Eccl. vallis, S. Mar. in Müerzthall, Eccl. Schlachdorff, S. Georg. in Adriach Eccl. S. Andr. in Bib.*

cum prædio S. Margar. Eccl. ext. Voitz Perg.

ſcilicet S. *Andreæ, & Eccleſiam S. Margarethæ*, ambas has parochias poſſident adhuc Lambertini, & illa *S. Margarethæ* ſita eſt extra Voitſpergæ pomœria. Porro Eccleſia S. Andreæ in Piber, & Margarethæ, S. Martini in Lindt, S. Viti in Weiskirchen ita celeberrimo huic Cœnobio ſubſunt, ut eorum controverſias componendi, ſalva appellandi libertate, penes Præſulem S. Lamberti ſit poteſtas. 8vo: Donatur etiam *Saltus Vorſt* dictus, & *flumen Cheinach* cum omni uſu &c. villa *Sedinge*, & curtes ſtabularia *Zedernica*. Hæc interim de pereximio hoc Monaſterio, plura cum tempore patebunt.

Vorſt Saltus Cheinach flum. Seding. Zedernica.

An. 1104.

ANNO 1104.

Indict. 12. Paſch. II. P. 6. Henr. IV. Imp. 49. Ottoc. IV. Styr. March. 17.

Henr. IV. Imp. deſertus.

Teſte Chron. Reicherſperg. Henricus Imp. ſenſim ab omnibus principibus deſeri cœpit, cum enim viderent fictam ejus pietatem, atque expeditionem illam in Palæſtinam mere commentitiam eſſe, ſeſe ab eodem ſejunxerunt; ea fors cauſa fuerit, cur S. Leopoldus Auſtriæ Marchio antehac Henricum etiam coluerit, atque cum eo in conventu Mogunt. de expeditione ſacra egerit, ita enim habet excerptum Rickardianum. *Anno MCIII. fors MCII. Leupoldus pius fuit Moguntie in curia Henrici Imp. qui promiſit ſe ire in Jeroſolymam, quo Principes valde lætati ſunt, & habens Levvpoldus animum comitari Imperatorem an. MCIV. 3. Id. Nov. in Melick per Udalricum Ep. Patav. accinctus eſt gladio, ut militis honorem acciperet.*

S. Leop. Auſtr. vult abire in Paläſtinam.

Pius nempe hic Princeps, poſtquam jam binis vicibus, profuſas opes eo dimiſerat, nunc non obſtante Ithæ matris ſuæ atrociſſima morte, vitam etiam ſuam in obſequium crucis devovere volebat.

Leopold. pius accinctus gladio ab Udalr Epiſc. Patav.

Accinctum hoc anno Leopoldum gladio teſtantur authores plurimi, Chronicon Clauſtroneob. Zwetlenſe, Anonymi Leob. &c. miror tamen, ſi id Mellicii actum, cur Chroniſta Mellicenſis id referre intermiſerit, de quibus proin circumſtantiis nempe, quod gladio accinctus ſit *Mellicii*, & die 11. *Nov. S. Martino* ſacra, ac per Udalr. Epiſc. Patav. ſolum excerptum Rickardianum mentionem facit, reliqua vero Chronica mox cit. uti & auſtrale apud Freherum, ſolum hoc anno gladio accinctum memorant.

Accingi gladio quid.

Quid ſi *accingi gladio* non convenit inter authores: quidam idem volunt, ac prætextam ponere, togam virilem ſumere, de pueritia tranſire in adoleſcentiam, ſeu ut hodie fere dici ſolet, Majorennem declarari. Aliis videbatur, accinctu gladii Principes ad regimen capeſſendum deſtinari, aliqui idem ac cruce ſignari, tandem nonnulli putabant cæremoniam militarem eſſe ſimilem illi, qua hodie Principes ſummi per lenem ſuper humeros ductum gladii novos equites creant.

Id veterum exemplis conſtat, gladio non fuiſſe accinctos, niſi jam adoleſcentiores, & pugnare potentes, præterea aliud fuiſſe gladio accingi & cruce ſignari, exhibet nobis Chron. Clauſtroneob. de Leop. 7. ad an. 1200. referens eum gladio accinctum, atque an. 1208. primum cruce inſignitum fuiſſe.

Quanto

Quanto verò inde gaudio perfuſa eſt Auſtria, tanto etiam dolore correptam Styriam noſtram hoc anno opinor, dum morte perdidit, piiſſimam Marchioniſſam Eliſabetham, Ottocari IV. uxorem, jam Diſſ. 4. cap. 4. §. 7. oſtendi, & annum, quo Ottocarus Eliſabetham duxit, & annum, quo mortua eſt, incertum eſſe; pro hoc tamen anno pugnat conjectura non levis, cum Canonicorum in Garſten immutatio, atque in ordinem Monachicum translatio anno 1107. contigerit, eaque Canonicis propoſita ſit, cum de more *ſingulis annis* ſolito, Canonici ad anniverſarium Eliſabethæ convenirent, verba vero ea, *ſingulis annis* jam loco cit. oſtendi, ad minus 3. annis applicari poſſe. Diem obitus Necrolog. Admontenſe Campililienſe ac plumbea lamina Garſtenſis 6. *Id. Octobr.* Mellicenſe vero Necrologium ad 7. *Id.* ejusd. menſis reponit. *Eliſabeth Auſtr. Ottoc. IV. uxor†*

Eliſabetham hanc filiam fuiſſe Leopoldi pulchri, ac ſororem S. Leopoldi Auſtr. Marchionis ibidem oſtenſum, inſinuatque id MS. noſtrum Genealog. Vorav. dicens de Ottocaro IV. *Qui accepit uxorem Eliſabeth ſororem Marchionis Auſtriæ Leopoldi ejus videlicet, qui poſtea*, ſeu an. 1106. *ſororem Henrici V.* Imperatoris accepit. De qua uti & dote plura jam Diſſert. 4. cit. dixi, ubi etiam in Garſten ſepultam eſſe oſtendi.

Reliquit vero duas Eliſabetha Ottocaro proles, Leopoldum nempe fortem, & Chunegundem, uxorem dein Bernardi Comitis Carinthiæ, de quibus Diſſert. 4. cit. §. 7. fol. 230. &c. & per decurſum plura. Alteram, quam duxiſſet uxorem Ottocarus, apud neminem invenio.

An vero Ottocarus noſter cum Leopoldo Comitiis illis Moguntinis adfuerit? iterque Jeroſolymitanum animo conceperit? non eſt, quod afferam, illud credo, utrumque hunc Principem optime Catholicum nunquam ſimul terris ſuis exceſſiſſe, ne ſchiſmaticorum Paſſavii & Salisburgi turbæ copiam terras haſce inficiendi obtinere potuerint, præſertim cum optimates Bavariæ nonnihil hoc anno turbati fuerint; hi etenim haud leviter offenſi erant, quod ſe neglectis a Cæſare Saxones ad aulæ munia & familiaria Auguſti alloquia ſoli propemodum admitterentur: audiebantur quorundam publice queritantium voces, ſe etiam intra ſuæ Provinciæ limites inſigni dedecore alienis poſthaberi. Inter hos *Sigehardus Comes de Purghuſen* cum ſæpius efferbuiſſet, Auguſti odium, & exinde plebis furorem adeo accenderat, ut populari tumultu accurrente incaſſum Cæſaris filio, *Ratisbonæ occideretur* ut teſtantur omnia Chronica Auſtriæ apud Cl. Pez Hier. Res hæc, ut Bavariæ magnatum animos Henrico V. arctiſſime devinxit, ita ſupremum Henrico Patri exitium attulit, ut anno ſeq. patebit. *Ottoc. IV. an iter Jeroſ. ſit meditatus.* *Burghuſen de Sigbard. occiſus.* *Henr. V. vet.*

Jam an. 1102. de Admont. Cœnobii Abbate Wecilone quæpiam dixi, eum nempe cenſeo hoc an. a Conrado Archiep. electo, *ſecundo ordinationis ſuæ anno* e Lambacenſi Abbate, Præfectum Admont. Cœnobio, ita ſeries Abbatum Admont. in Diplom. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 235. ſilet tamen de Wecilone hoc Chronicon Admontenſe apud Cl. Hier. Pez, ſed Chronographus alter Admont. apud Caniſium tom. 3. fol. 441. ejusdem mentionem habet. In catalogo Abbatum Lambac. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 46. Wecilo idem omiſſus eſt. *Wecil. Ab. Adm.*

Ab uno ad alterum digredior Styriæ noſtræ celeberrimum S. Lamberti Monaſterium, Frælichius Diplom. S. Ducatus Styriæ part. 2. fol. *S. Lamb. Monaſterii confirm.*

274. &c. refert litteras fundationis Monaſterii S. Lamberti ex apographo Arch. Run. lit. G. XII. ſed tam hic, quam in Archontol. Carinth. part. 1. fol. 34. vel indictionem 7. corrigendam, & 12. ponendam, vel annum 1114. ſubſtituendum putat, cui indictio 7. competit, & quo Henricus V. menſe Jan. Comitia Moguntiæ habuit, quia tamen clauſula ex ipſo autographo fundationis Lambertinæ Puſchio communicata, habet etiam an. 1104. cum indictione 7. hæc quidem erronea tuto ſupponitur, attamen utrique anno, huic nempe & 1114. diverſa confirmatio attribui poſſe videtur.

Margeſt. valles. Hoc in Diplomate præter ea, quæ donata ſunt Lambertinis jam anno 1102. ſequentia etiam commemorantur, *1mo: In ambitu Monaſterii, in valle Margeſtall a lapide, qui* Grabeſtein *dicitur, & alpe Worguſte dicta, & ab ortu fluminis Laznika uſque ad introitum ejusdem in alveum, qui Mura dicitur - - & ſecus decurſum fluminis ejusdem quoddam prædium* Berndorff *dictum cum adjacente alpe Ceyrike, 2do: Eccleſiam* Weizzenkirchen cum omni uſu &c. hæc Eccleſia in Diplom. an. 1102. dicta eſt *Wicankircha*, hodie Weißkirchen. *3: In Comitatu, qui Murzthall dicitur: Eccleſiam S. Gregorii ſitam in prædio, quod* Lobink *vocatur, Eccleſiam* S. Mariæ &c. reliqua omnia in Diplomate an. 1102. expoſita ſunt; quæ proin amplam Cœnobii hujus dotem oſtendunt.

Worguſt. valles Alpes Laznich flum. Berndorff prædium Ceyrik alpes,

S. Gregorii in Lobnik Eccl.

An. 1105.

ANNO 1105.

Indict. 13. Paſch. 11. P. 7. Henr. IV. Imp. 50. Ottoc. IV. Styr. March. 18.

Henr. V. in Patrem rebellet. Henricus *V.* Rex, ut accurati ſcriptoris Chronico Urſpergenſi inſerta notant, *hoc anno rebellionem adverſus patrem in Bajoaria parat, machinantibus ſcilicet Diepoldo Marchione* (Vochburgico) *Berengero Comite & Ottone quodam nobili viro, ſibique materna ſtirpe cognato. Primo quippe hæreſim proſcriptam anathematizans, Apoſt. ſedis Pontifici debitam profitetur obedientiam, indeque fœderatis ſibi Noricis Principibus, atque ab Alemannia, nec non orientali Francia nonnullis nobilibus ad Saxones convertitur, a quibus honorifice ſuſceptus, in Quintilinburg Paſcha celebrans, in brevi univerſis Saxoniæ civitatibus potitus conſilio, atque miniſterio Ruothardi Moguntini, & Gebehardi Conſtantienſis Epiſcopi totam Saxoniam Rom. Eccleſiæ reconciliavit, Epiſcopis vero & Clericis Conventum generalem in Northuſen 4. Kal. Junii indixit, vidimus inter hæc, quod ſilentio præterire non poſſumus, Regem Henricum non modicam bonæ indolis ſpem, magna ſimul humilitate & autboritate prætendentem: nam inter hæc obortis lacrymis ipſum Regem cœli teſtabatur, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi regimen uſurpare, neque patrem ſuam a Romano deponi Imperio exoptare, ſique S. Petro, ſuisque ſucceſſoribus lege Chriſtiana ſubjici velit, ſive regno cedere, ſive ſerviliter ipſi ſubeſſe promiſit,* Ita accuratus ille Chron. Urſpergenſi inſertus author.

Solutis Comitiis Henr. V. Rex legiones Moguntiam verſus promovit, Henr. IV. vero, ne filius ſuperato flumine exercitum urbi admoveret, navigia ſubtrahi, ripasque obſervari juſſit, nuntii ultro citroque miſſi, quibus diviſum cum patre imperium reſpuens filius petiit ſolum, ut debita Romano Pontifici obſequia præſtaret; nil ubi effecit, Herbipolim dein Norimbergam Patri addictam, trimeſtri obſidione filius fregit, totamque ubi patri Germaniam cis Rhenum abſtulit, impro-

improvidus adoleſcens manumiſſo milite Ratisbonæ conſedit, inde etiam pater raptim collecto milite Herbipolim, ac Ratisbonam vix elapſo filio, cepit, & Vohburgicos agros, Bohemorum agmine vaſtavit. *Henr. V. aegre fuga lapſus.*

Quare mox ad arma conclamatum, decem millia mox ſe filio denuo addixere, poſt velitationes aliquot, utriusque exercitus Principes, civilia arma deteſtati, ſe neutiquam pugnaturos amplius dixerunt, monitus Henricus Pater adeſſe, qui vitæ inſidiarentur, clam Miſniæ agros, conceſſa a filio corporis cuſtodia fugit, filius vero patris iter prævertens Herbipoli munita, ſpiram cum theſauris patris occupatam milite firmavit.

Indictus erat menſe Decembri Moguntiæ conventus, ſed pater eum, ut impediret, vel principum animos emolliret, eo maturius venit, cum vero eo præſente convenire nollent Principes turbas veriti, monitus Henricus Pater, in caſtro quodam vicino divertit, appoſita dein cuſtodia ob quietem publicam, quæ publicæ famæ occaſionem dedit, ut Cæſar a filio captus diceretur. *An Henr. IV. a filio captus.*

Comitiis his Moguntinis tanta Principum aderat frequentia, ut ſolus Saxoniæ Dux Magnus gravioris ætatis cauſa abeſſe notaretur, aderant Legati Apoſtolici, denuoque Henr. IV. ut contumax excommunicatus eſt. Cum ipſe dein Moguntiam venire vellet Henr. IV. ei obvii facti Principes, ut Ingelheimii ob turbas remaneret, perſuaſerunt ſimulque, ut pro pace concilianda filio Auguſta inſignia mitteret, & de ſe arbitrium Pontificis exſpectaret. *Mogunt. Conc.*

Acquievit Henricus Pater, & *crucem, lanceam ſceptrum, globum, atque coronam filii poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus ſignat. multo fletu commendans, & juxta ſummi Pontificis totiusque Eccleſia decreta ſuæ conſulturum animæ promiſit.* Sed fictam fuiſſe hanc promiſſionem ſequens annus docebit, falſa interim eſt eorum narratio, qui Cæſarem a Moguntino, Colonienſi, & Wormatienſi Præſule violentis manibus e ſolio detractum, direptisque ornamentis ſpoliatum memorant. Dictum eſt ſuperius, Henrico V. *Noricos Principes* fœderatos fuiſſe, hos inter an Ottocarus noſter & S. Leopoldus Auſtriæ fuerit? inquirendum. Jam an. 1102. oſtendi, Henricum IV. Patrem pluribus, ut ſibi crederent, principibus ſimulata S. expeditione impoſuiſſe, ubi tamen ii an. 1104. ſimulationem adverterunt, ab eodem ſe etiam retraxerunt, inſinuat id de S. Leopoldo excerptum Rickardianum ita ſcribens: *Altero anno MCV. Levvpoldus cum nobilibus ſuis proceſſit obviam Ratiſponam Henrico Imp. in auxilium contra filium Henricum, qui regnum arripuit. Sed quia ab hoc Patris fallaciam didicit circa bellum ſacrum, e caſtris Imp. receſſit; & quia promiſſa fuit ei a filio Rege ſoror ſua Agnes in uxorem, pie præparavit ſe ad nuptias propter amorem prolis & bonum Provinciæ* pro an. 1105. puto reponendum eſſe an. 1104. ejusdem vero mentis fuiſſe, Ottocarum noſtrum pietas ſuadet, & affinitas intima cum Leopoldo ob Eliſabetham uxorem contracta, quam demortua quidem conjuge, nondum tamen exſtinctam judico. *Henr. IV. reſtituit.* *Ottoc. IV. reſtituit.*

Henricus V. in regnum ſublimatus, illico omnibus Epiſcopis Catholicis ad ſuas ſedes redeundi facultatem indulſit, acta mox quæſtio fuerit de Arch. Salzb. conſtituendo, cum vicaria interim poteſtate ſolum utere-

tur Conradus vel a clero ſolum, & populo Salzb. Cath. electus eſſet, inter rivales Archi-Epiſcopatus Salzb. fertur Udalricus Pat. fuiſſe, utpote per cujusæmulationem factum, ut Hartmannus Abbas Gotwicenſis (ſimulque ut an. 1094. & 1096. dixi, Abbas S. Lamberti & Henrici Car. Ducis frater) a Rege deſtinatus excluderetur, ita enim ait Biogr. B. Altmanni num. 40. de Hartmanno: *Hic Principibus totius regni erat acceptiſſimus, & ipſi Regi Hainrico V. familiariſſimus, qui & eum in Archi-Epiſcopatu Juvavenſi ſublimare diſpoſuit, ſed Zelus Udalrici Patav. Epiſcopi eum prohibuit, qui eum ſibi in dignitate præferri doluit.* Hæc quia in fine anni celebrato Moguntiæ in natali Domini conventu acta ſunt, ad ſeq annum transfero enarranda.

Udalr. Ep. Patav. res.

Hartman. Abb. S. Lamb. poſtulatur ab Henric. V. ad ſed. Salzb.

Hartmannum Abbatem Gotwicenſem ſimul fuiſſe Abbatem S. Lamberti in Styria multis durum videbitur, conjecturas tamen meas jam ad an. 1094. & 1096. dedi, quas novo exemplo a rebus Admontenſibus probo; etenim Wecilo Abbas Lambacenſis an. 1103. vel præced. a Conrado electo Salisburgenſi Abbas conſtitutus eſt ſimul Admontenſis, ut notat lib. MS. Admont. num. 24. & Caniſius tom. 3. fol. 441. ſi itaque Wecilo Abbas ſimul Lambac. & Admontenſis fuit, nil obſtat, quo minus Hartmannus etiam Abbas Gotwic. ſimul, & S. Lamberti dicatur.

Hartm. Abb. S. Lamb. ſimul Ab. Gotwic.

Wecilo vero Abbas paulo poſt reverſus dicitur, & domi, ſeu Lambaci mortuus, unde Monaſterio Admontenſi Conradus Salzburg. hoc anno Henricum I. Monachum Cremifanenſem, præfecit Abbatem, ut colligitur ex MS. lib. Admont. qui ſeptem fere annis laudabiliter rexit, & confirmationem donationum Gebhardi, & Tiemonis impetravit a Paſchal. II. eodem hoc anno: quam v. in Diplomatar. Admontenſi, ſeu anecdotor. theſaur. noviſſ. P. Bern. Pez tom. 3. fol. 659. &c. Chronicon Admont. hæc omnia tardius conſignat, cum Chunradum Salzb. an. 1106. electum primum doceat, Wecilonem enim Abbatem I. Lambacenſem, an. 1107. Admont. Monaſt. præfectum docet, & Henricum ad an. 1110. cui etiam confirmationem Paſchalis II. affigit, ſequor tamen catal. Abbat. Admont. in Diplom. S. Ducat. Styr. part. 2. editum, & ex pluribus MSS. domeſticis conflatum.

Wecilo Abb. Adm. redit ad Abbatiam Lamb. Henr. I. Ab. 4. Admont.

Admont. confrm. Paſch. II. P.

De rebus expeditionis ſacræ ita loquitur Chron. Admont. citatum: *Baldvvinus frater Godfridi Rex Jeruſalem cum 4. millibus, 50. millia Saracenorum fugit, Rege eorum occiſo, & Aſcalonam captam ſubegit.*

Exped. S.

An. 1106. ANNO 1106.

Ind. 14. Paſch. II. P. 8. Henr. V. Imp. 1. Ottoc. IV. Styr. Mar. 19.

Conrad. I. Salzb. & Comit. Schyr. ſeu Wittelſp.

Chunradus e Principibus Schyrenſibus hodie Wittelſpachiis 7. Idus Jan. ſeu poſtridie Epiphaniæ Domini, in Cathedra Salisb. quam interim vicaria ſaltem poteſtate adminiſtrabat, a Rege Henrico V. confirmatus eſt, pedumque & annulum ab eodem recepit, more adhuc vel potius abuſu vigente. Erat prius Henrici IV. Capellanus, cui vitia ſua improbare nunquam timuit. Erat Conradus hic *genere, ſcientia, ac moribus egregius*, diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtaurator tam egregius, ut teſte Gerhoho Reicherſperg. *pene omnes parochiæ ſuæ congregationes fecerit regulares.*

Con-

Confirmatus ſic regia voluntate Conradus *in converſione B. Pauli Salzburgum venit in Comitatu ſuo habens duos fratres ſuos Ottonem, & Wolframmum nobiliſſimos Comites, ac ferme* 1000. *milites*, ita Anonymus B. Chunradi, Genealogiam eorum refert Hübner. tab. 564. & auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 203. ſtupebant tantam novi Præſulis potentiam miniſteriales Salzb. in caſtello recluſi, & ſedilia, & menſas ad excipiendam Epiſcopi Comitivam evertebant, nil tamen motus Conradus omnes convocavit, eisque beneficia ab anteceſſoribus Cath. conceſſa, nec violenter invaſa, nec fraudulenter uſurpata confirmata voluit, pertinaces vero a ſua gratia & beneficiis excluſit. *Scheirn de Otto Welfram.*

Primo vero omnium in Bertholdum ſchiſmaticum, ejusque fautores, & illos etiam Tiemonis ſacrilegos hoſtes diras Eccleſiaſticas iteravit. Bertholdus itaque miſer *excommunicatus in tantam decidit miſeriam, ut vitam ducens in Mosburch, Chriſtiana communione careret annis fere triginta,* nempe ab an. 1078. *uno prædictorum Clericorum in fine vitæ pœnitentiam deſiderante, & abſoluto, altero impœnitente & in excommunicatione mortuo; ſane ipſe Bertholdus imminente jam ſibi termino vitæ per Abbatem Seonenſem Guntherum pœnitentiam affectans reconciliari petiit, juſſuque Archi-Epiſcopi ab eodem Abbate communioni reſtitutus vix 2. ſeptimanis ſupervixit.* Obiit vero hoc vel ſequenti anno, ita Anonymus cit. *Bertbold. Moth. miſere obit. Ab excom. ſolut9*

Præter hunc Bertholdum, alius ejusdem nominis Bertholdus de Celſach Gurcenſem Cathedram juſſu Bertholdi Mosburg. per 16. annos uſurpavit, quem etiam juſſu Paſchalis excommunicatum ejecit, atque Eccleſiæ Gurcenſi Hildeboldum Capellanum ſuum præfecit. *Zeltſchach de Bertbold. Gurc. Pſeudo-Ep.*

Fictas fuiſſe Henr. IV. pœnitentis lacrymas, hic annus aperuit, ſub cujus initio miſſis ad Germaniæ, Italiæque urbes nunciis, ſe immani Procerum conjuratorum ac filii proditione, proditum, captum per vim ſpoliatum regno querebatur. Movit quosdam ac inter hos Lotharingiæ Ducem & Leodii Epiſcopum, quorum ope, Juliacum, Bonnam, Coloniam invaſit, eaque munita Leodium receſſit, quod dum dein filius obſidet, finem bello & vitæ metam poſuit Henricus IV. Leodii mortuus, pœnitens quidem, nondum tamen ab excommunicatione ſolutus, unde corpus ejus ſpiram delatum eſt, donec ab excommunicatione ſolveretur. *Hildeb. Ep. Gur. Henr. IV. ad Imperium redire vult. Obit.*

Auſtriæ dein conſentientibus omnibus Chronicis, Hymeneus optatus, gaudium maximum attulit, Leopoldo Marchione Auſtriæ, cum Agnete Matrona Regia, ſimulque piiſſima non ſoli ſibi, ſed univerſæ pariter patriæ fauſtas ac felices nuptias agente. Has cum omnibus circumſtantiis manifeſtat excerptum Rickardianum: *Poſtea* an. ſeq. (MCVI.) *Kal. Maji cum Agnete Vidua Friderici de Hochenſtauffe fecit nuptias magnificas in Melick in præſentia Udalr. Epiſc. Patav. Otacbari Marchionis Styriæ, & Sophiæ ſororis ejus, & nobilium plurimorum de terra noſtra, & de Suevia.* *S. Leopold. Auſt. nupt. cum Agnet. Ottoc. IV. adeſt cum ſorore Soph.*

Aderat his nuptiis Ottocarus IV. Marchio Styriæ, affinitatis vinculo eidem Leopoldo conjunctus. Aderat etiam Sophia Ottocari ſoror, quam Dominam hucuſque omnis hiſtoricorum Styriæ ætas ignoravit, de hac paucula jam Diſſert. 4. cap. in Ottoc. IV. §. 5. 7. diſſerebam, atque utinam tanta exſtarent de ea, ut ſpecialem ei paragraphum impendere poſſem. *Aquilej. vet.*

Ad res Aquil. denuo dilabor; Cl. de Rubeis referre omiſit, quod ex collectaneis MS. R. P. Sigismundi Puſch S. J. edidit Frælichius Geneal. Souneck ſpecim. 1. fol. 33. ab Udalrico Patriarcha hoc anno Canonicis Oberndorffii (pagus eſt in Carinthia ſitus prope arcem Souneck, Eberndorff hodie olim Doberndorff appellatus) pagum huncipſum Doberndorff cum Eccleſia Junenſi datum fuiſſe ex bonis Comitis Cazelini Iſtriæ Comitis ibidem ab Udalrico ſepulti. Megiſerus in Annalibus Carinthiæ Udalricum Ducem Carinthiæ an. 1190. Oberndorffenſium fundatorem ſtatuit fol. 24. lib. 1. ſed ſecum pugnat, dum lib. 7. fol. 811. Oberndorffii fundationem ad an. 1164. reſcribit. Author prodromi hiſt. Can. Reg. tom. 2. fol. 758. documentorum penuria id non multum requirit, illud tamen vel Udalrico Carinth. Duci, vel Achatio Comiti Bogenſi an. 1164. attribuit, aſt antea jam extitiſſe ex adducta donatione conſtat, unde Lazii opinio non omnino rejicienda, qui Wilhelmum & Chunradum Haynburgios, non adſcripto anno fundatores ſtatuit. Udalricus I. certe Dux Carinth. an. 1164. in vivis non fuit, jam antea 1143. vel ſeq. mortuus.

Oberndorf. Can.

Fundatores.

Ande Humenb. Wilhelm & Conrad.

Guaſtall. Conc.

Quaſtallæ 12 Nov. celebratum Conc. præſente ipſo Pontifice Paſchali II. in quo ſtatutum, ut Epiſcopi & Clerici in ſchiſmate ordinati ſuſciperentur, ſi alias probatæ eſſent vitæ, vetitum de novo, ne inveſtituræ Eccleſiarum de manibus Laicorum ſuſciperentur; ſed hic ipſe ſcopulus erat, in quem pax publica brevi iterum alliſa. Aderant vero huic Conc. Legati Henrici V. Regis cum innumera turba Clericorum & Laicorum de diverſis regni partibus, Udalricus Ep. Auguſt. & Hartmannus Abbas Gotwicenſ. & Lamberti in Styria, ut dixi an. 1096. in eodem præſens, & manibus ipſius Paſchalis II. conſecratus eſt Conradus Archiep. Salzb. 12. Kal. Nov. ut prodit. Urſpergenſ. & Chronogr. Salzb. cum Admont. Chron. dicente: *Dominus Conradus genere ſcientia ac moribus egregius patruus 2. Comitum de Ambinberch Ottonis & Rappotonis 7. Idus Jan. Archiep. conſtitutus Salzburg. poſtmodum ipſo anno XII. Kal. Nov. a Paſchali P. ordinatus, & pallio honoratus eſt.*

Udalr. Ep. Aug.

Hartman. Ab. S. Lamberti.

Chnrad. Salzb. Conſec.

An. 1107.

ANNO 1107.

Indict. 15. Paſch. II. P. 9. Henr. V. Imp. 2. Ottoc. IV. March. Styr. 20.

Henr. V. fit deterior.

Hoc jam anno Henr V. Rex larvam pietatis deponere cœpit, vel jam anni prioris fine; ita enim ſcribit Chronogr. Reicherſperg. ad an. præcedentem *Henricus Junior Imperator V. in regno confirmatus, primo modeſte agere, affabilem ſe exhibere jura Eccleſiaſticæ libertati conſervare cœpit, ubi vero pietas, velut auri ſuperinducta ſpecies, paululum uſu dominandi detrita eſt, apparuit, qualis apud ſe intus fuerit &c. Epiſcopatus enim ad gratiam perſonarum, ad pecuniæ quoque vel obſequii acceptionem* conferre cœpit &c. Interim ſperabat Henricus Rex Papam in Germaniam venturum, ſed is in Galliam divertit; *quaſi proterviam Teutonicorum declinans*, Catalauni ſubſtiterat velut in Germaniam venturus, jamque Rex Papæ, Paſchate Moguntiæ celebrato ad confinia Lotharingiæ, & Franciæ progreſſus obviam, Papæ Legatos miſerat, inque his Welfonem V. Bajoariæ Ducem, quorum poſtulatio de inveſtituris repul-

ſa,

ſa, fremitumque, minas, & convicia excivit frendentium, *non hic, ſed Romæ*, inquiebant, *determinabitur querela.* *Welfo V. Dux Bav.*

Secuta dein eſt Synodus Frecenſis Idibus Maji, in qua rurſum decreta eſt libera Paſtorum electio, vetitæque Laicorum inveſtituræ, aderat procul dubio huic Synodo Conradus Salzburgenſis a qua redux univerſum ſtudium in Eccleſiæ Cœnobiorumque diſciplinam inſtaurandam impendit, teſte authore vitæ Gebhardi, Eccleſiam Reicherſpergenſem a Bertholdo invaſore facultatibus privatam eliberare cœpit, maxime vero pro vita Canonica laboravit, unde in Saxoniam dimiſit nobiles Legatos, qui regulares viros undique accerſerent, ex his Saxoniæ regularibus viris unus erat Berbinus, ab eo Reicherſpergenſ. Canoniæ Præfectus. Ita Chronogr. Reicherſperg. *Lis inveſtit. agitur. Frecenſ. Synod. Reicherſp. ref. Berbinus Præp.*

Inter hæc Ottocarus IV. piiſſimus Princeps noſter Benedictinæ familiæ primitias in Garſtenſe Cœnobium induxit, ſicque ſibi fundatoris ſecundi, ſeu Monachorum in Garſten nomen aſſeruit, qua de re jam Diſſert. IV. cap. 4. §. 8. egi. Occaſionem rei libet ex vita B. Bertholdi apud Hieron. Pez tom. 2. fol. 88. deſumere, ubi ſic ait: *Fundator memorati Cœnobii venerabilis Marchio Styrenſis Dominus Otacher exſtitit, qui & ibi in Eccleſia S. Laurentii in Chriſto requieſcit, avus illius Otachari, qui noviſſimus in Ungaria obiit in itinere, quod ad viſitandum & honorandum ſanctum Domini ſepulchrum devotus arripuit:* Patet hic indigitari Ottocarum IV. qui avus erat Ottocari V. fundat. Vorav. qui in itinere Jeroſ. quinque Eccleſiis obiit. *Quæ fundatio ſive inchoatio primo per Clericos inſtituta eſt ſub præpoſito nomine Eberhardo, quo mortuo, quadam die, dum clerici in flumine locum præmanante balnearent, quidam eorum ſubmerſi ſunt, talique levitate ſeu infortunio fundatoris voluntatem mutaverant.* Ottocarum IV. licet primus, ſeu clericorum fundator non eſſet re, erat tamen etiam clericorum fundator dicendus jure ad ſe a patre devoluto, quod Diſſert. 4. cit. §. 9. oſtendi. *Ottoc. IV. Monachos in Garſten inducit. Et cur?*

Igitur dum quadam die Clerici Garſtenſes ad celebrandum anniverſarium Eliſabethæ convenirent, Marchio eis propoſitum ſuum de immutanda religione & quidem per Monachos inſinuavit, neve amplius ad anniverſarium hunc convenirent, atque ab hoc concurſu deſiſterent, præcepit. V. Diſſert. loc. cit. Hæc menſe Octobri, quo anniverſarius Eliſabethæ celebrabatur, contigere. *Ottoc. IV. ex Gotwic coloniam primam adfert cum Wirntone Priore.*

His ita peroratis, pergit cit. Biographus, *cunctisque ad ſua properantibus, ipſe Gotvvic perexit, & auxilio amici ſui Auſtrienſis Marchionis Liupoldi, cujus ſororem, videlicet Dominam Eliſabeth habuerat, fundationem ſuam Abbati regendam ſubjecit, & diligentiſſime commendavit.* Hartmannus Abbas Gotwicenſis a Guaſtall. Synodo domum redierit; ait enim Biographus idem: *Prioremque nomine Wirnt cum aliis Monachis acquiſitum Gerſten adduxit.* Hæc omnia, & quæ mox narrabo, an hoc vel ſeq. primum anno contigerint? dubito; non diſſentior itaque Chron. Admont. dicenti MCVIII. *ordo Monachorum cœpit in Garſten*, nempe propoſitum ſuum anno hoc expoſuerit Ottocarus, aſt Wirnto cum Colonia ex Gotwic an. ſeq. primum venerit.

Itaque Clerici, ait Biograp. cit. *per quos primo in Gerſtenſi Monaſterio Divinum ſervitium initiatum fuerat, Monachis ſupervenientibus receſſerunt.*

ANNO 1109. *An. 1109.*

Indict. 2. Paſch. II. P. 11. Henr. V. Imp. 4. Ottoc. IV. Styr. March. 22.

Cum autem in Germania pax vigeret, Udalricus Epiſc. Patav. condendo novo Canon. Reg. Ducumburgenſi collegio, quod an. 1112. abſolutum eſt, manum ſuam appoſuit, quod voviſſe eum volunt anno 1101. pro felici ex itinere Jeroſolymitano reditu; inchoatum eſt hoc Cœnobium ab Udalrico in Danubiana inſula circa urbem Drasmauer, Eccleſiam jam an. 1017. ibidem exſtitiſſe dixi; translatio dein ex inſula ad modernum locum ob inundationes aquarum facta eſt an. 1244. ut tabulæ domeſticæ loquuntur; operam ſuam Udalrico contulit S. Leopoldus Auſtr. ita enim ait excerptum Rickardianum *an. MCXI. & ſeq. Domino Udalrico Epiſc. Patav. adjutor fuit in ſuo erecto Monaſterio ad Traſamure* Leopoldus nempe, an collata pecunia, fundis vel teloniorum immunitate? expreſſum non lego. *Ducumburg. Can. Reg. Cœnobium fund. ab Udalrico Patav. Ep. & Juvante S. Leopoldo March.*

Præter Monaſterium Ducum burgenſe, Udalricus etiam Seitenſtettenſe per fratrem ſuum Udalſcalcum exſtruxit, *ubi communis etiam Canonicorum vita inſtituta eſt*; de quo fuſiſſime agit Gundacherus ejusdem loci Abbas in hiſtor. fund. hujus monaſterii apud P. Hieron. Pez tom. 2. a Col. 301. ad 319. ſubſcripſit inter alios fundationi huic teſtis *Eckbertus de Butine*, quem primum & fundatorem Formpacenſem exiſtimo, ut v. an. 1094. vel certe Eckbertum II. ejusdem filium, non enim mihi adhuc annus mortis Eckberti I. comparuit. *Seitenſtet. Monaſt. fundat. Eckbert. I. de Buten.*

Plura quoque contulit Udalricus Epiſc. Patav. ad perfectionem Monaſteriorum Garſtenſis, Gotwicenſis ac S. Nicolai Pataviæ, quin & interceſſor fuit, ut Monaſterium Mellicenſe eximeretur a ſua ipſius poteſtate & jurisdictione, bulla enim exemption. Mellic. an. 1110. a Paſch. II. data inter alia habet, *juxta Udalrici poſtulationem Epiſcopi Pat.* Henricus vero V. Rex expeditionem hoc an. in Sarmatas feliciter geſſit, gentem enim illam ad vetera Imperii vectigalia rurſus adegit, redux eo a labore, ut diadema Romani Imp. a Pontifice acciperet, ampliſſimi ſenatus Comitia ad an. ſeq. Ratisbonam convocavit. *Udalr. Pat. vet. Henr V. vet.*

ANNO 1110. *An. 1110.*

Indict. 3. Paſch. II. P. 12. Henr. V. Imp. 5. Ottoc. IV. Styr. March. 23.

Convenerant 8. Idus Jan. Ratisbonæ Principes Imperii, quibus ab Henrico V. iter Romanum indictum, atque ut ad id ſe præpararent, 6. menſium intervalla adornando itineri ſunt conceſſa: Papa his auditis Laterani etiam Synodum celebravit nonis Martii, in qua denuo inveſtituræ Laicis ſunt abrogatæ, quam tamen alii jam anno 1107. habitam volunt, ex qua dein Legati Leodium ad Henr. V. ſunt miſſi. *Ratisbon. Conv. Iter Roman. Henr. V.*

Antequam vero Rex in Italiam abiret, ad Paſcha Trajecti regio more ſibi Mathildem Angliæ Regis filiam deſponſavit, appetente dein æſtate Henricus gemino exercitu, uno per Rhæticas alpes, altero per montem Jovis ducto Italiam eſt ingreſſus, ac ſub anni finem Florentiam attigit, ubi natale Domini celebravit, abierant cum Henrico Fridericus Archiep. *Henr. V. nuptiæ Abit Ital. cum Conr. Salzb. Udalr. Aq. Patr.*

Archiep. Colon. Bruno Trevir. Adelbertus Cancellarius ac Chunradus Salzburg. cum Udalr. Patr. Aquil. aliisque quam plurimis Præſulibus & Principibus, non tamen etiam eo ibant S. Leopoldus Auſtriæ, & Ottocarus IV. Styriæ Marchio, ut an. ſeq. patebit.

Conr. Salzb. rev. Chunradus Salzb. antequam in Italiam abiret, domeſtica prius negotia compoſuit, Cœnobitis S. Petri domicilium ſuum cum ædibus vicinis in hoc opus commutatis conceſſit, ut commodiorem invenirent habitationem, inſtrumentum deſuper confectum v. apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 206. Dein vero iter Romanum, alia tamen mente, cum Henr. V. adornavit, ſecumque egregios & ſtrenuos milites duxit, quibus tamen aſſultus ad caſtra & pugnandi audaciam interdixit.

An. IIII.

ANNO IIII.

Indict. 4. Paſch. II. P. 13. Henr. V. Imp. 6. Ottoc. IV. Styr. March. 24.

Henr. V. Rom. venit. Rex Henricus cum omni comitatu ſuo, primo Aretiam, dein Suarium eſt progreſſus, poſtquam venientibus ex urbe legatis, ſe neque læſurum, nec inveſtituras Præſulum retenturum promiſiſſet, Romana mœnia incredibili ſenatus populique Romani obviam effuſi lætitia 3. Id. Febr. eſt ingreſſus: luce poſtera, in quam Dominica quinquageſimæ inciderat, e monte Martis triumphali pompa deductus eſt ad porticum S. Petri, ubi a ſtipato Cardinalibus Pontifice exceptus, & mutua inter oſcula ter repetita ſalutatus eſt.

Acta ejus Romæ ſacrilega. Ex atrio progreſſi ad Baſilicam, cum in rota Porphyretica conſediſſent, prolatis tabulis petiit Pontifex ab Henrico, an ſuas agnoſcat, adeoque juxta præſtitam in hiſce fidem, inveſtituram Præſulum ppſthac abdicet, eamque ſoli Eccleſiæ permittat. Digreſſus tantiſper Henricus, non modo id præſtare renuit, ſed etiam, circumfuſis armis Papam & adhærentes Præſules cinxit, ut ab invito Romanum diadema extorqueret. Perſtitit imperterritus Papa, & injectæ ſibi ac Cardinalibus manus ſacrilegæ, ut ex Eccleſia pertraheretur.

Conr. I. Salzb. conſtantia. Eminuit tunc Conradi Salzb. Arch. virtus ac Conſtantia, qui tetrum facinus ardente vultu graviter deteſtatus (ut Chronologus Admont. & Otto Friſing. referunt) intentanti feralem ictum Cæſaris militi, ultro jugulum porrexit.

Paſch. II. Pap. captus Udalr. Sed fruſtra hæc omnia, Cardinales capiuntur, & *Papa* ipſe captus *Udalrico Aquil. Patr. cuſtodiendus traditur; quæ res odii inter eundem Patriarcham & Archi-Epiſcopum cauſa exſtitit, quia Dominum ſuum & Magiſtrum in captivitate ſervandum receperat.* Ubi fama de capto Papa & Cardinalibus emanavit, ad arma conclamatum eſt, biduoque pugnatum, donec Henricus exercitum a muris deduceret, Terbicoque caſtro Paſchalem includeret. Suorum itaque calamitate & lacrymis motus Papa ſe Henrico cum diademate etiam inveſtituras permiſſurum promiſit;

Papa cedit inveſturas.

Henr. V. Imp. coronatur. reſtitutus itaque poſt 61. captivitatis dies, Idibus Aprilis Henricum coronavit, & privilegium de inveſtituris contulit, ſicque Henricus mox Roma & tota Italia exceſſit. Alias plures circumſtantias nominatim de regalibus juribus omnibus Imperatori tradendis adferunt

De-

Dodechinus, Chronogr. Reicherſp. & Otto Friſing. contra quod acerrime denuo proteſtati ſunt Epiſcopi Germaniæ, quæ apud alios videnda.

Deteſtabantur interim Paſchalis acta Cardinales cæteri, qui in eo urbis tumultu incolumes evaſerant, & metuendum erat, ne ſciſſo patrum ſenatu alter quoque Papa eligeretur. Chonradus Salzburg. Archiep. qui ob captum Pontificem, Henr. Imp. in faciem reſtiſtit, *exinde odium Imperatoris, & ejus fautorum in tantum incurrit, ut in ejus perſecutione, ſicut de B. quondam Athanaſio leginus* (verba ſunt Biogr. B. Gebhardi) *totum pene conjuraverit regnum &c.* unde reverſus domum plurima pertulit, maxime a domeſticis, *nam Præpoſitus Salzb. quidam ex miniſtris* (pergit idem Biogr.) *non tamen ex nobilioribus Albinus nomine elatus in ſuperbiam conſpiravit contra eum, & hortantibus, qui ejus honori inſidiabantur, ad fodiendum ei foveam, Romam eſt profectus, qui poſtquam reverſus eſt nocte Salisburgum civitatem timens Archi-Epiſcopum, qui in caſtro tunc morabatur tranſivit, pontem quoque tranſiturus, Caſtellanus hoc audiens, Fridericus de Flunſperg* (lege *Hunſperg*, vel *Haunſperg*) *deſcendit, & cum cepiſſet eum, tanquam inſidiatorem, & rebellem Domini ſui oculos ei continuo eruit.*

Conr. I. Salzb. perſecutio.

Etiam a ſuis Canonicis.

Albinus Præp. Salzb. excæcatus.

Hunſperg de Frid. Caſtellan. Salzb.

Factum eſt hoc ignorante Conrado, qui tamen inde maximam ſubivit invidiam, *Miniſteriales* enim *eapropter*, ut ait cit. Biogr. *inſidiarum ſuarum capite prædicto, materiam damnationis & petram ſcandali ſe inveniſſe contra Dominum ſuum arbitrantes, ad Imperatorem ſe contulerunt, accuſantes eum, & crimen ſacrilegii illi imponentes.*

Conrad. accuſatur Imperatori.

Celebravit Henricus Imp. Moguntiæ Conventum Principem feſto Aſſumptionis, ad quem proin evocavit Conradum, qui comparuit baculo paſtorali, huc illucque in medium Principum aſpiciens ait tandem: *Neminem ſe in loco eorundem videre, cujus accuſationem vel ſententiam vellet recipere ſuper officio ſuo vel Epiſcopali, vel Sacerdotali, ad hanc vocem factum eſt ſilentium, & tam Imperator, quam univerſi ejus adverſarii conticuerunt ignorantes prorſus, quid reſponderent,* ſicque cum ſuis domum iterum rediit; non tamen diu duravit domeſtica quies, furentibus in eum non modo miniſtris & clientibus, ſed & Canonicis, regularem vitam ſibi imponendam exoſis, aliisque Eccleſiæ Prælatis; ita enim narrare pergit Biogr. citatus: *Quum vero ad Eccleſiam ſuam reverſus infinitis affligeretur preſſuris, foris habens pugnas, intus timores cogitare cœpit, qualiter inveniret requiem, ſaltem ad tempus aliquod ſpiritui ſuo, audiens itaque de nobiliſſima & opulentiſſima muliere Mathilde (cujus ditioni tota Tuſcia ſerviebat) ad eam ſe contulit, & apud eam fere 5. annis,* lege *in quartum annum commoratus eſt, & in magna reverentia habitus,* apud quam proinde manſit uſque ad an. 1115. ut dicetur.

Vocatur Moguntiam.

Redit domum.

Fugit ad Mathildem in Ital.

Udalrici Aquil. Patr. factum Papam captivum tenentis execratus eſt Conradus, ut ſupra dictum, excuſat tamen Udalricum Patriarch. Chron. Aquil. dicens, quod Patriarcha, *non ſicut cuſtos, ſed ſicut humilis ſervus,* famulatum Pontifici exhibuerit; addit idem: *Tandem factis compoſitionibus Henricus coronatur, & procurante eodem Patriarcha pax firma inter Imperatorem & Papam facta eſt,* quo an laudem ſibi meritus fuerit Udalricus? ægre diſpicio.

Udalr. Aquil. ob captum Pap. odit.

Henrici Ducis Carinth. res.

Erat cum Henrico Imp. in Italia etiam *Henricus Dux Carinthiæ* frater Udalrici, & Bertholdus Zæringius, ita docet Muratorius ſcript. rer. Ital. tom. 3. part. 1. pag. 360. *Mediatores dabit Rex Domino Papæ Principes, quos petiit - - - Henricum Ducem Carinthiæ, Bertholdum filium Ducis Bertholdi:* & inſerius in formula juramenti: *Ego Henricus de Carinthia, ego Bertholdus filius Ducis Bertholdi &c.* dedit, ut dixi, perfidus Imp. Henricus obſides, ut ſe melius fingeret promiſſa impleturum, quæ dein feſellit, dum capto Papa & Cardinalibus hos obſides liberavit, & pacta non ſervavit.

Bertol. III. Zaring. ret.

Berthold. II. Zaring. †

Bertholdus Zæringius hic quis fuerit? indagandum, ego Bertholdi II. filium cenſeo, cum enim non Dux, ſed *filius Ducis* dicatur, ſuſpicor, Bertholdum II. patrem adhuc in vivis egiſſe, ut jam an. 1092. oſtendi. Hoc tamen eodem anno adhuc Bertholdus II. obiit, biſtorio teſte, hæcque cauſa fuerit, cur Bertholdus ipſe II. titulotenus Dux Carinthiæ, electus vero an. 1092. Dux Alemanniæ ſeu Sueviæ, Romam non abierit, impeditus nempe morbo vel ſenectute jam graviore.

Udalr. Pat. ret.

Aberant ab expeditione hac Italica Udalricus Ep. Pat. ſenio præpeditus S. Leopoldus Auſtriæ Marchio, & Ottocarus Princeps noſter, pietatis operibus intenti, dum impietas armis in ſummum Chriſti Vicarium Romæ ſæviret, & Udalricus quidem Patav. conſecravit Eccleſiam parochialem in Muzzlich ſeu Meusling, ac diploma conſecrationis deſuper confici juſſit, quod primus edidit author Fauſtor. Campililienſ. tom. 1. fol. 171. In eo legimus 1. eam conſecrationem ad inſtantiam Marchionis Leopoldi factam. 2. Canonicos Patav. hujus temporis *de clero majoris Eccleſiæ*, ait Diploma, *Pabo Udalricus ſcholaſticus, Wernzo Archi-Presbyter, Adololdus Archi-Presbyter, Elbuvinus, Herbord Decanus, Udalricus Plebanus, Wolfo Plebanus, Vokko Capellanus, Oppold & Immo Capellani.* 3. Dicuntur ibi *teſtes per aurem attracti*, ſeu *teſtes attracti*, mos enim erat veterum, pluribus e chartis comprobatus, ut ii, qui teſtari rogabantur, auribus ad Notarium attrahi ſolerent, ſi Laici eſſent, Clero tamen hac in re pro ſua dignitate ab irreverenti hac imploratione parcitum eſt.

Pat. Can. h. temp.

Teſtes per aurem attracti.

Berngero Abb. Formbac. ſucc. Wirnto Prior Garſt.

Ottoc. IV. Bertholdum I. Abb. Garſtenſ. ſtatuit.

Ottocarus eodem hoc anno provehendo Garſtenſi ſuo Cœnobio invigilabat; Virntonem Priorem Garſtenſem Formpacenſes def. ſuo Abbati Perngero ſucceſſorem poſtulabant, novus inde & aptus, ut Garſtenſibus proficeretur, laboravit Ottocarus noſter; rem hanc ex fonte ſeu biogr. B. Bertholdi audiamus ſic referente: *Sed cum isdem Virnt ad Formbacenſe Monaſterium eſſet in Patrem aſſumptus, tunc Dominus Bertholdus a Garſtenſibus, & ipſo Marchione* (nempe Ottocaro, de quo hic loquitur) *Abbas electus eſt, optimo quidem omine, quoniam ex tunc & deinceps nunquam locus ille divino deſtitutus eſt ſolamine:* plura jam de B. Bertholdo Garſtenſi expenſa ſunt, duo adhuc excutienda videntur, & 1mo quidem cum dicatur antea, quam Gotwicum veniret Monachus S. Blaſii fuiſſe, an fuerit S. Blaſii in ſylva Hercinia, vel Admontenſis Alumnus. 2do: Qua ex progenie idem B. Bertholdus prodierit, quidam enim cum Ottocaris noſtris cognatum volunt.

An antea Monachus S. Blaſii in ſylva Herc. vel in Admont.

Ejus munia.

Primum quod attinet, neminem adhuc legi, qui negaret, eum Monachum S. Blaſii in ſylva Hercinia fuiſſe, vita quidem ejus utra-

que

que, eum ſolum in Monaſterio S. Blaſii nomen dediſſe, ibique *Armarii* (vel Bibliothecæ Præſidis vel Præcentoris) & Prioris Clauſtralis officio functum; noviſſime tamen in ſerie Abbatum Admontenſ. edita in Diplomat. S. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 235. &c. lego in Henrico I. Abbate Admontenſ. Bertholdum Abbatem Garſtenſem ſub Henrico Abbate ſub an. 1105. conſtituto Prioris officio functum fuiſſe, idque probat ex lib. 1. MS. Admont. num. 18. & authore quodam MS. litt. K. ſane in libro 1. MS. cit. *Bertholdus* expreſſe dicitur, *Profeſſus Admontenſis*, author ſeriei, ſeu Catal. Abbat. Admont. cenſet, eum utriusque S. Blaſii Alumnum fuiſſe, primum quidem Hercinii dein ad montes, antequam ad Gotwicenſes deveniret. V. an. 1141. *Armarii munus.*

Ego in re a pluribus diſputata litem non moveo, id ſolum obſervo, Bertholdum ſors antea ad montes, dein primum ad S. Blaſium in ſylva Hercinia Monachum fuiſſe, ſuſpicor enim, in illa perturbatione Salisburg. Diœc. & Monaſt. Admont. circa an. 1078. Bertholdum hunc, ſecuritatis & religioſæ quietis cauſa ex Monaſterio Admontenſi ad S. Blaſii Hercinienſe ſors commigraſſe, ac dein an. 1094. cum Hartmanno tum Priore S. Blaſii ad Monaſterium Gotwicenſe fuiſſe deſtinatum ab Ottone Abbate S. Blaſii in ſylva Hercynia. Et quid? ſi idem fatum Hartmanno Abbati Gotwic. & dein S. Lamberti in Styria obtigiſſet? cur enim, ſi Hartmannus Henrici Carinth. Ducis frater, florente jam in terris noſtris vita Monachica, ad ſylvam plane Hercinianam commigraſſet? an non cenſeri poſſet ex Admont. eadem de cauſa cum Bertholdo primum ad ſylvam Herciniam abiiſſe? ſcio nullis me hac in re documentis adjuvari, attamen quæ cogitem, liberum erit ex hypotheſi proferre, ſalvo præſertim relicto aliorum judicio. *Hartman. I. Ab. S. Lambert. an profeſſus Adm.*

Id tamen in ſententia illa Bertholdum profeſſum Admont. ſtatuente ægrius capio, quomodo Bertholdus ſub Henrico I. Abbate ad montes eſſe potuerit? Henricus I. Abbas præſſe cœpit Admont. Cœnobio an. 1105. immo ut Chron Admont. apud Hier. Pez tom. 2. col. 183. an. 1110. Bertholdum vero cum Hartmanno Gotwicum miſſum an. 1094. ſatentur nonnulli, ut proin B. Bertholdus jam ſæc. priore & quidem primum ad montes Monachum induiſſe videatur. *Objectio contra Monachat. Admont. B. Berth.*

Altera difficultas eſt de patria & parentibus B. Bertholdi, de quibus tum ambæ vitæ, tum authores antiquiores nec quidquam retulerunt, ſed nec recentiores aliquid firmi adhuc produxerunt, Martinus Cruſius eum ex antiquo Wirtemberg. in Suevia Dynaſtarum ſanguine ortum, quamvis non fidenter ſcribit, conſonant MSS. quædam Garſtenſia ſed recentia. Prevenhueber ex 2. chartis recent. Garſtenſibus eum ex *Comitum de Rachez* familia deſumit, *Rachez* locum Wolfg. Laz. Rezzenſe Auſtriæ transdanubianæ municipium, vulgo Retz interpretatur. ambas has ſententias expendit Cl. Hier. Pez tom. 2. fol. 81. & ſeq. nec plura adjicienda ſunt, id ſolum inſinuo, ſecundam ſententiam, ſi debite enodaretur longe accommodatiorem videri vitæ B. Berthold. in qua cap. 14. ſcribitur, *quodam tempore quidam nobilis de Rache* (MS. Mellic. habet *Ragtz* edit. *Rachez*) *cognatus hujus* *B. Bertholdi patria genus parentes.*

S. Patris &c. prima ſententia aliqualiter ad an. 1118. expendetur, ne hic longior eſſe cogar.

An. 1112.

ANNO 1112.

Indict. 5. Paſch. II. P. 14. Henr. V. Imp. 7. Ottoc. IV. Styr. March. 25.

Lateran. Conc. Interea contra ſacinus Henrici Imp. fremebat orbis Catholicus, neque paſſi ſunt Italiæ, Galliæque Præſules, ut piaculi, quod in Papam Henricus patraverat, fructum meteret, unde 15. Kal. Aprilis congregata eſt Synodus Lateran. 125. PP. quo (privilegium dicebatur) Henrico conceſſum a Paſchali revocatum, & inveſtituræ Laicorum denuo damnatæ, Henricus tamen Imperator a Papa excommunicatus non eſt, ſcripſit Paſchalis P. Conrado Salisburg. & Frider. Colon. eosque de ſententia concilii edocuit.

Paſchalis indultum revocatur.

Auſtria vexatur ab Hungaris. Inter hæc *Rex Ungarorum de terra ſua egreſſus*, inquit Chron. Mellic. *manubias ac prædam magnam de noſtra Provincia abduxit, in ejus ultionem Liupoldus Marchio cum valida manu quasdam Regis Provincias invaſit, & cæde magna perpetrata, ac quadam civitate deprædata, atque combuſta ſic cum pace remeavit ad propria.* Idem ex Mellic. exſcripſerit author incerti Chron. Auſtr. apud Hier. Pez tom. 1. col. 556. & Bern. Noricus ib. col. 693, ſilent tamen omnes authores reliqui etiam vetuſtiſſimi, ut proinde dubitent quidam, an hæc non ad an. 1117. vel ſeq. ſint reponenda. Certius proin Judico eſſe illud, quod refert Annal. Saxo de Udalrico II. Carinthiæ Comite: *Moritur eo tempore*, inquit ille, *quidam de Principibus Saxoniæ Udalricus de Wimar, Ludovici Comitis de Turingia dudum genere, ſed jam propter ejus filiæ repudium inviſus, cujus poſſeſſiones prædictus Palatinus Comes Sigefridus hæreditaria ſibi vendicabat poſſeſſione, ſed Dominus Imperator eadem in jus regni conabatur attrahere.* Ex hoc loco diſcimus 1. Udalricum II. Comitem Carinthiæ e ſtirpe Wimmarienſium fuiſſe, nam Patrem Udalricum I. idem Saxo Wimmarienſem vocat ad an. 1062. & ſimul Marchionem Carinthiæ. 2. Udalricum II. bona avita in Turingia, niſi per nuptias ei obtigerint, in partitione inter fratres ab Udalrico I. patre obtinuiſſe, cum patris Marchionatum & fundos in Carinthia Poppo accepiſſet, ut v. an. 1070. 3. Hunc ipſiſſimum eſſe, qui an. 1095. ſacrilegas manus B. Tiemoni Salisburg. intulit. 4. Ejus conjugem fuiſſe Ludov. Comitis in Turingia filiam, ſed repudiatam ſorte, quia ſterilis erat. Eam Adelheidem Joan. Eccardus in orig. Saxon. pag. 345. &c. vocat.

Udalr. II. Com. Carinth.†

In hoc itaque Udalrico II. verificata eſt ea Tiemonis imprecatio de qua Chron. Reicherſp. ita habet: *Ex eo tempore in adverſis ſemper decreſcebant* (captores nempe, & perſecutores Tiemonis) *& uthodie quoque perſpicuum eſt, judicio Dei non dimidiant dies ſuos, nec aliquis fere de poſteritate.*

Udalr. Patr. Aq. bellum cum Engelb. Iſtr. March. Com. Lavant. ſeu Sponheim. Si Megiſero credimus, hoc quoque anno inter Engelbertum primum Iſtriæ Marchionem, & Udalricum Aquilejæ Patriarcham novum exarſerat bellum; narrat enim Megiſerus lib. 7. cap. 44. teſte de Rubeis cap. 98. num. 9. attrociſſimum a Patriarcha junctis cum Henrico fratre Carinthiæ Duce copiis, commiſſum cum eodem Engelberto prælium, non procul Aquileja, ipſum vero victum Engelbertum ſanguinolenta

nolenta palma & victoria crudeliſſima obtenta: fuſiſſime eam rem Megiſerus deſcribit, aitque hoc in prælio Styros interfuiſſe, quod de illis in valle Martia & tota ſuper. Styria tum Carinthiæ inſerta intelligendum opinor. Bellum hoc contigiſſe, teſtatur Udalricus Patr. ipſe in tabulis apud Rub. cit. num. 8. allatis, in quibus habetur, *Engelbertum Marchionem Ducem manſos contuliſſe pro ſacrilegio: quod fideles ſui per incendium Eccleſiæ in Carniolia commiſerant.* Engelbertus hic Comes Lavendenſis erat (Pater Henrici III. & Engelberti II. Ducum dein Carinthiæ) obiitque circa an. 1121. vel ſeq. ſeu ut recentiores dicunt Comes de Sponheim & Ortenburg. v. an. 1128. *Sigiſmundum II. de Dietrichſtain*, Henrico II. Duci Carinthiæ egregie adſtitiſſe hoc in bello, notavi an. 1059. errat tamen Bucelinus, dum Sigiſmundum hunc Henr. III. hoc an. in bello Iſtrico adſtitiſſe docet, cum Henr. III. Dux Carinthiæ primum an. 1127. fuerit.

Styriæ res.

Dietrichſt. de Sigiſm.

Henricus I. Abbas vero IV. Admontenſ. dum amnem Wizzenbach equo trajiceret, fatalibus undis abſorptus eſt, ac dein conſepultus Iſengrino in atrio Baſilicæ B. V. M. ita Catal. Abbat. Admont. in Diplom. S. Duc. Styr. p. 2. fol. 235. ſeptem ergo annis præfuit, idem docet Chron. Admont. ſæpius cit. ſubjungens: *Sicque locus Abbate 4. fere annis carebat, Ottone Priore loci, poſtea Milſtadienſe Abbate ipſius loci proviſionem adminiſtrante;* cauſa interregni tam diuturni erat ex perſecutionibus Henricianorum in Conradum per 9. fere annos exercitis, de quibus pl. ad an. 1115.

Henr. Ab. Admont.† Interregn. ibid. 4. ann. Otto. Prior. dein Ab. Milleſiad.

A rebus Admontenſibus ad Garſtenſes progredior, quas munificentia ſua promovit piiſſimus Marchio noſter Ottocarus IV. Garſtenſibus enim ſuis ſub B. Bertholdo Abbate conſtitutis, confirmavit donata omnia a patre ſuo. V. Diploma inter mea num. 4. uti & annot. deſuper. Ex eodem Diplomate invicte probantur fundatores 2. Garſtenſes, fatetur enim Ottocarus IV. a patre ſuo, qui Romæ defunctus dormit, Clericos, a ſe vero Monachos in Garſten conſtitutos: reſervat præterea Advocatiam Garſtenſem Principi terræ, oſtenditur, etiam ex eo Diplomate ſumma Ottocari in his terris poteſtas, cumque Laureaci hæc acta fuerint, eum quoque Styræ reſediſſe judico, de quibus fuſiſſime in annot. cit. ſcio quidem, hoc ipſum Diploma rejectum fuiſſe ad an. 1143. Immo in ipſis Garſtenſis Monaſterii ſcriniis haberi datum de an. 1143. ſed ea de re jam Diſſert. 4. cap. 4. actum, & pluribus agam in annotationibus meis Diplomat. ubi illud num. 10. referam; id ſolum noto, Diploma id ab Ottocaro IV. ad Bertholdum Garſtenſem an. 1143. dari non potuiſſe, cum oſtenſum fuerit, Ottocarum IV. an. 1122. Bertholdum vero an. 1142. jam defunctum fuiſſe.

Garſt. confirm. ab Ottoc. IV.

ANNO 1113.

An. 1113.

Indict. 6. Paſch. II. P. 15. Henr. V. Imp. 8. Ottoc. IV. March. Styr. 26.

Mellicenſe Cœnobium hoc an. 3. Idus Octobr. ipſo D. Colomanni feſto eſt conſecratum, novemque prædia a S. Leopoldo Auſtr. ſunt adjecta, conſecravit Udalricus Ep. Patav. v. hiſtor. fundat. Mellic. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 299.

Mellic. conſecr.

Viennæ S. Jacobi Eccl. Can. R.

In urbe Vienna quidam exortam putant S. Jacobi Eccleſiam (cui cum tempore ſacer Canoniſſarum Reg. S. Aug. Parthenon adjectus eſt) a Leopoldo V. filio S. Leopoldi, occaſionem ſtructuræ dante imagine ſculpta S. Jacobi aquæ ſubſidio, dum prope Viennam ad littus torrentis venaretur, delata ad Leopoldum, ſed cum teſte excerpto Rickardiano Leopoldus hic an. 1108. natus primum fuerit, vix fidem omnem origini hujus fundationis deferendam cenſeo.

Saxon. bellum.

Bellum interim civile recruduit, primaque tempeſtas iterum Saxoniæ incubuit, quam Cæſar occupato Hornburgenſi caſtro, ſparſisque per agros incendiis quidem perculit, non tamen conjuratorum animos expugnavit.

An. 1114.

ANNO 1114.

Indict. 7. Paſch II. P. 16. Henr. V. Imp. 9. Ottoc. IV. Styr. March. 27.

Henr. V. nupt.

Hoc vero anno Imperator, cum ſibi Moguntiæ Mathildam Angliæ Regis filiam jam ante 4. an. deſponſatam matrimonio junxiſſet, adornatam in Friſios expeditionem, adverſus Fridericum Archiep. Colon. ad Saxones deficientem vertere coactus eſt, Coloniam inani tamen conatu machinis impetiit, cum interim provinciam miles rapinis exhauriret. *Colonienſes tamen deditionem faciunt, mediante Duce Bertholfo Carinthiæ*, ita Chron. S. Pantaleon. apud Eccard. tom. 1. pag. 924. & 926. & infra paulo: *Plures ingenui & militares trucidantur, & capiuntur, inter quos & Bertolfus Dux Karinthiorum Cæſari fidiſſimus captus.* Bertolfus hic Dux Carinthiorum appellatus, fuit Bertholdus III. Zæringius titulotenus Dux ſolum, non vero ipſa poſſeſſione, aut jurisdictione; *omnes enim* Bertholdi Zæringii, ait author fragmenti hiſtorici apud Urſtiſium part. 2. pag. 84. *uſque ad præſentem diem Duces dicti ſunt, nullum Ducatum habentes, ſoloque nomine, ſine re participantes, niſi quis Ducatum eſſe dicat Comitatum inter Juram & montem Jovis, vel a Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine honorandos contendat.*

Colonia obſeſſa Berth. III. Zær.

Voravv de Gundac. Fridberg de Theoder. Thalberg de Bereng. Stubenberg.

Megiſerus lib. 7. cap. 31. meminit inter varios terrarum noſtrarum nobiles *Gundaccari de Voravv, Theodorici de Fridberg, Berengarii de Thalberg, Yowvintheri, Ruelandi & Wulfingi, Pincernarum de Stubenberg*, & hæc quidem e Lazio, qui Yowintherum de Stubenberg militem fuiſſe docet, *Wulfingum vero & Theodericum de Fridberg, ac Gundelochum de Varare* (lege Varove) adducit. *Stubenbergios* Pincernas fuiſſe jam a tempore Marchionum noſtrorum ſtatui anno 1073., qui dein cognatis ſuis Dominis a *Kapfenberg*, & *Pettau* Mareſchallis Styriæ exſtinctis obtinuerunt a Ducibus Auſtriæ in Styria poſt Ottocaros regnantibus Dominia Kapfenberg, Mueregg, Ehrnhauſen, Wurmberg, Stubeckh, aliaque plura etiam in Carinthia, de quibus v. Lazium de migrat. gent. fol. 192. plura in annot. ad Diploma 4. ubi genealogia Stubenbergica exponetur.

Caſtra Kapfenberg, Mueregg Ehrnhauſen, Wurmberg, Stubeckh.

Fridbergii illi Domini arcis illius penes Urbeculam cognominem exiſtentes, ſæculo 13. crebrius occurrunt, nominatim *Wulfingus de Fridberg* circa an. 1230., quo Canoniæ Voravienſi plurima damna intulit, ut eo anno dicetur.

Fridberg. Wulfing.

Thalbergii Domini arcis ſic dictæ, hora ab Urbecula Fridberga, ac penes Eccleſiam parochialem in Dechantskirchen exiſtentis, varii omnino fuere, *Berengarius* hoc ſæc. ſe prodit, ſæculo 13. circa an. 1230. Thallberg caſtrum erat Domini *Henrici de Hertenfels*, ut in MS. Chron. Vorav. diſertis verbis habetur, antea certe vel poſt Henric. de Hertenfels *caſtrum Thallberg erat in poteſtate Domini Gerardi de Krumbach*, ait idem Chron. Vorav. varios dein Dominos id caſtrum obtinuit, nempe an. 1250. *Eberhardum de Thallberch*, uti & Gotſchalcum & Gerardum, qui teſtes egerunt donationis a Gertrude relicta Domini *Rudolfi de Hertenfels* Voravii ſepulti factæ, de Curia in Haideck ad Eccleſiam Voravienſem, uti habet Inſtrum. authent. archiv. Vorav. tom. 2. fol. 81. & 82. Idem caſtrum Rottaliis, Dietrichſteiniis, ac tandem Schitteriis paruiſſe conſtat, a quibus circa an. 1601. ad collegium S. J. Græcii tranſiiſſe videtur, nam an. 1601. Benedictus Præp. Vorav. ſupplicavit Ferdinando, ut (quoniam anno 1530. neceſſitate Turcarum urgente prædium ſeu das Amt Schwaighoff cum decimis Dominio Thalbergenſi venditum fuerit a Voravienſibus ſub Oſwaldo Præpoſito, attamen ſub reluitione 1500. fl.) eodem hoc pretio illud redimere poſſit; ita inſtrum. orig. archiv. Vorav. tom. 2. fol. 292. in eo vero apertis verbis dicitur, quod Dominium Thalberg Euer Fürſtl. Durchlaucht der Schütteriſchen Verbrechung halber anjetzo heimgefallen, auch *judicialiter* zuerkennet worden ſeye ꝛc. plur. ſeq. tom. Nihil tamen magis me movit, ac dum in Lazio ad hunc eundem annum legerem *Gundelochum de Varave*, ſeu ut Megiſerus *Gundaccarum*, de his Dominis idem Lazius de migr. gent. lib. 5. fol. 212. teſtatur ad an. 1300. ita ad hunc an. loquens: *Ubo Gundelius & Witelius Domini a Vorav. ubi hodie Præpoſitura nobilis in Styria viſitur.* Item an. 1390. *Joannes Dominus a Vorau accepit ab Alberto Auſtriaco pecuniam junioris nomine Comitis Hardeccenſis.* Laz. ib. Quinam hi Domini de Vorau fuerint? & quidem de eo loco, ubi Præpoſitura jam anno 1163. erecta eſt? nemo ſane divinabit, tribuiſſem aſſertum hoc licentiæ Lazianæ, niſi inſtrum. orig. archiv. Cancell. Vorav. tom. 2. fol. 83. ad annum 1252. inter teſtes donationis a *Conrado Caſtellano de Fridberg* Eccleſiæ Vorav. factæ referret, *Leopold. Ottonem, & Cbundoldum de Woravve*, quinam itaque hi fuerint, unde nomen Worav geſſerint? præſertim ubi prædium Vorav ab Ottocaro V. fundatæ Canoniæ ejus nominis an. 1193. eſt impenſum, arduum erit decidere, niſi fors ſubſequentia documenta lucem majorem afferant. Hæc interim.

Thalberg Dynaſtæ, & arx Hertenfels de Henr. Krumbach & Gerhard.

Vorav de Dom.

Fridb. de Cour.

Eodem hoc anno Henricus Carinthiæ Dux ab Henrico V. Imp. obtinuit, ut confirmarentur privilegia Cœnobii S. Lamberti a Marquardo Patre inchoati, *dat. XVI. Kal. Febr. indict. 7. anno Dom. Incarn. MXVIIII. corrige XIIII. regnante Henr. IV. Rege Rom. an. 7. Imp. 2. actum eſt Moguntiæ in Chriſto feliciter Amen.* Ita tabulat. S. Lamberti in anno Chriſti pro V. ponendus numerus X, cum indictio & anni regni & imperii Henrici vulgo V. re ipſa vero Imperatoris IV. eum annum evincant. Annus enim imperii completus Henrici V. hoc anno 2dus & 3tius eſt, Idibus enim Aprilis an. 1111. Romæ coronatus, eſt Imperator ſicque an. 1113. Idibus Aprilis 2dus annus completus hoc an.

S. Lambert. Monaſt. rec.

16. Kal. Febr. inſcriptus eſt, quia 3tius nondum integer erat. Unde probe ſemper advertendum ad annos completos & incompletos. Annus porro regni ſeptimus ſumendus eſt denuo ab anno 1106. quo *Liber fund. S. Lamb. cuj. fidei.* Henricus IV. defunctus regnum filio ſuo Henrico V. reliquit, qui anno præcedenti completus, hoc adhuc anno currebat. Id ſolum hic noto codicem fundationis, tabularium S. Lamberti ad diphteram Jovis non eſſe probatum, & quamquam jam a ſæculo elapſo in eo emendando laboraretur, uſque nunc tamen nihil novi prodiiſſe.

Chron. Admont. rem nobis pandit Styriæ hiſtoriam concernentem, ita enim habet hoc an. *Dominus Hartmannus primus Chotvvicenſis Abbas* *Hartman. Abb. S. Lamb.† obiit.* Jam an. 1094. & 1096. dubia mea de Harmanno I. Abbat. S. Lamberti expoſui, certum nempe non eſſe, an hic ipſe Hartmannus Gotwic. ſimul & Lambertini Monaſterii Abbas fuerit, ac frater Henrici Ducis Carinthiæ: quia tamen teſte anonym. in vita B. Altmanni Hermannus Abbas Gotwicenſ. præfectus eſt etiam Monaſterio S. Lamberti, ejusdem mortem, & vacuam præfecturam Monaſterii Lamber- *Suc. non Jacob. ſed Udalricus.* tini eidem an. huic aſſignemus, oportet. Succeſſit ei non Jacobus, ut Bucelinus in Germ. Sacr. ſtatuit, qui licet archiva ſancti Lamberti ſuis oculis luſtraverit, mortem tamen Hartmanni I. Abbatis ad an. 1109. & regimen ad annos 36. extendit, ducto nimirum ab an. 1072. calculo, in quo tamen utroque ægre fidem merebitur, ſi ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, bene advertatur, etenim an. 1072. nondum ex Eppenſteiniis quisquam, ſed Bertholdus I. Zæringenſis Carinthiæ præfuit, cui an. 1073. Marquardus Eppenſteinius ſuffectus eſt, nec ante annum 1094. Monaſterium S. Lamberti ab Henrico perfectum, conſummatumque fuit. Succeſſerit itaque ſecundus Abbas Udalricus hujus nom. I. ut v. an. 1149.

Annus hic feliciter exiit Leopoldo Marchioni Auſtriæ; deliberabant inter ſe piiſſimi conjuges de loco condendi Monaſterii, atque ex edito montis Cetii viciniam ſubjectam luſtrantibus forte evenit, ut flammeolum capiti Agnetis abreptum, in ſaltum Danubio contiguum ventus deferret, id pro indicio nutus divini ſumptum, ut eo, quo *Clauſtroneob. I. Fundat.* velum repertum eſt loco, clauſtrum Neoburgenſe ædificaretur. Cimelia inter Clauſtroneob. hodie adhuc flammeolum illud ſervatur. Saxum in fundamenta primum mittere fundator modeſtia recuſavit, ejus- *Otto I. Præp.* que mandato Otto Clericus, dein I. Præpoſ. immiſit, atque hæc eſt prima parvæ colleg. Eccleſia Clauſtroneob. Fundatio. 2da anno 1122. ubi adjectum integrum Canon. ſæcul. Collegium. 3tia an. 1133. ubi Canon. Regulares ſub Hartmanno I. Præp. ſunt ſubſtituti.

An. 1115.

ANNO 1115.

Indict. 8. Paſch. II. P. 17. Henr. V. Imp. 10. Ottoc. IV. Styr. March. 28.

German. res. Germania novis tumultuum motibus concuſſa eſt ob Saxones denuo Henrico rebelles. Dietericus Cardinalis, Legatus Pannoniæ ſeguiter laborans inventus eſt; unde Arch. Magdeb. cæterique Epiſcopi reconciliationem recepere, Moguntini rebelles Adalbertum ſuum Archiep.

chiep. a Rege captum eliberarunt, qui dein in Concilio 2. Colon. hujus anni conſecratus eſt, ubi relictis Cæſaris partibus Papæ adhæſiſſet.

Conradus vero Archiep. noſter Salisb. annum jam quartum in Longobardia degebat, cum eodem hoc anno 24. Julii incomparabilis illa Juditha Mathildes, ad vitam meliorem abiit in caſtello Bondeni 8000. paſſuum ab urbe Ferraria; mox directi ab Italia nuncii Henricum Cæſarem ad ejus terras ampliſſimas hæreditario jure poſſidendas invitant, unde coactus antiſtes noſter Italiam deſerere, atque ad ovile ſuum redire, aliquantum temporis ibidem exegiſſe videtur ſub tutela *Ottocari Marchionis noſtri* in Monaſterio *Admontenſi*. *Conrad. I. Salzb. redit ex Italia.* *In Diœceſſuam.*

Antequam vero ad Monaſterium Admontenſe abiret Conradus, veroſimilius Ottocarum adiiſſe videtur, qui teſte Lazio *ſedem ſuam ſive ſit, uti & Regiam habebat in Styræ caſtro natalis Comitatus:* immo ad Monaſterium Garſtenſe eundem Conradum veniſſe, prodit nobis author biogr. B. Bertholdi apud Hier. Pez tom. 2. fol. 88. ita ſcribens: Ottocarus *licet Princeps ſæcularis, tamen aliis potentibus multum diſſimilis cultor pacis, amator juſtitiæ, & contra immanitatem perſecutionum turris Eccleſiæ inexpugnabilis. Nam Salzburgenſem Epiſcopum Dom. Chunradum, qui in ſilvis & montium latebris per multos dies perſecutionem fugiens latitaverat, ad ſe venientem cum honore magno ſuſcepit, manu tenuit, quod nullus Principum auſus fuit. Hoc factum ſub B. Bertholdo, etiam ipſum Pontificem devote ſuſcipiente, atque in Monaſterio ſuo cum reverentia, quamdiu voluit, ſervante.* Ex hiſce colligo, Conradum ex Italia reducem primum ad Ottocarum noſtrum Styrenſi in caſtro morantem, dein ad B. Bertholdum Monaſterii vicini Garſtenſis Abbatem, tandemque in Admunt abiiſſe. *Ottoc. IV. invitat.* *B. Bertold. Garſt. Ab.* *Dein in Admont abit.*

Quæ vero Conradus in Admont egerit, deſcribit Chron. Admont. apud cit. Pez fol. 183. &c. his verbis: *MCXV. Chunradus Archiep. ab exilio revocatus, Monaſterium noſtrum adiens, idque penitus deſolatum, & ſine paſtore inveniens, funditus indoluit.* Jam enim an. 1112. dictum Henricum I. Abbatem IV. amne Weiſenbach ſubmerſum, atque Ottonem Priorem per hæc tempora ſolum adminiſtratorem egiſſe. Proviſurus itaque Monaſterio huic, *ſtatim Legatum ſuum nomine Oudalricum Elſindorf, poſtea Monaſterii noſtri Monachum, cum litteris in Sueviam ad reverendiſſimum Abbatem Monaſterii S. Georgii nomine Theogerum deſtinavit, ſuppliciter exorans, ut ſibi venerabilem virum ſui Monaſterii profeſſum transmitteret Dominum Wolvoldum in adminiſtrationem Admuntenſis Eccleſiæ. Qui cum veniſſet, atque in eo ſolertiam, atque prudentiam multam prædictus Archi-Præſul cerneret, eum in partem ſolicitudinis ſuæ adſcivit, & Archi-Diaconum ordinatum, cæteris Eccleſiæ Archi-Diaconibus prætulit &c.* *Admont. rer.* *Wolvoldus 5. Abb. Admont.* *Fit Archidiac.*

Wolvoldus hic primum Canonicus Friſingenſis, inde audita B. Theogeri, S. Georgii in ſylva Hercinia Abbatis fama motus, Monachus ibidem factus eſt, ab eoque Abbate Abbas Huſenhovenſis, hodie Eiſenhofen deputatus fuit, qui locus erat ſecundus fundationis Schyrenſium, in quem ex Viſchach ſunt translati. Dum vero hic Wolvoldus in Admont poſtularetur, dimiſſus eſt a B. Theogero cum hoc elogio: *Ducite eum cum gaudio, & ſcitote pro certo, quia per eum in divino ſervitio tota veſtra proficiet regio.* Ita liber 3. MS. Admont. num. 25. & ſane eventus reſpondit effato, nam numerum fidelium Deo ſan- *Fundator Partheu. Admont.*

Reinbertus Pr. Adm. Ab. S. Pet. Ep. Brix. Dietmar. Ab. Offiac. Engelſcalc. Abb. Beyr.

ſte famulantium mire auxit, Monaſterium monialium ad montes non fundavit ſolum, ſed etiam ita ad profectum deduxit, ut inter omnia ſuperioris Germaniæ præcipuum haberetur; ex ejus Conventu Reimbertus Prior ad clavum S. Petri Salisburgi poſtulatus, dein Epiſcopus Brixinenſis fuit, Dietmarus in Offiach, Engelſcalcus in Beyrn Abbates facti.

Quæ tamen uno eodemque anno contigiſſe non arbitror, licet Chronographus Admont. eodem filio omnia narret. Parthenonis Admont. fundationem citatus Chronogr. ita deſcribit, *ſanctimoniales primus apud nos inſtituit, quarum in brevi tantus fervor honeſtatis, atque religionis percrebuit, ut nonnulli etiam Principum ſeu Comitum, ſed & plures nobilium filias ſuas Deo ibidem ſub regulari ſervituras inſtitutione offerentes, Cœnobium ipſum cunctis pæne in Germania ſanctimonialium Monaſteriis celebrius reddiderint.* Fundationis tamen hujus determinatum annum nondum deprehendere licuit, forſitan an. 1122. ea facta eſt.

An. 1116.

ANNO 1116.

Indict. 9. Paſch. II. P. 18. Henr. V. Imp. 11. Ottoc. IV. Styr. March. 29.

Chunrado Salzburgenſi non diu in Admont. Monaſterio latuiſſe licuit, nam, ut primum rumor de antiſtite eo in Cœnobio latitante emanavit, ad inveſtigandum eum omnes ſunt commoti, quo ille coactus eſt in ſylvis & montium latebris denuo aſylum quærere; ait enim elogiaſtes Gebehardi de B. Chunrado, *infra vallem Admuntenſem in cujusdam ſpelunca montis dimidium pene annum eſt occultatus. Rurſus infra ejusdem Monaſterii cellulæ ambitum in cellario ſubterraneo ſedecim hebdomadis latitavit. In cujusdam gurgite amnis, uſque ad mentum immerſus, diem integrum exegit.*

Conradus I. Salzb. quæritur. In Admont latitans.

Quum itaque in Epiſcopatu ſuo, inquit ejusdem biographus, *nullam pacem, & proſperitatem ſe inveniſſe cognoſceret, miniſtris & hominibus ſuis, Canonicis quoque & Prælatis Eccleſiæ, paucis exceptis, vel manifeſte contra ſe furentibus vel occulte inſidiantibus, quum prius Wolvoldo Abbati vices ſuas, ne quid Eccleſia detrimenti caperet, mandaſſet, eumque Archi-Diaconum ordinatum, cæteris Eccleſiæ Archi-Diaconibus prætuliſſet, cum magno periculo corporis in Saxoniam abiit. Imperator quippe omnes vias, omnesque ſemitas cuſtodiis diſpoſitis obſtruxerat, ut niſi Deo protegente nulla ei pateret ſecuritas, multo itaque labore, multisque anxietatibus per medium adverſariorum ſuorum tranſiens, milite uno & ſerviente contentus, Saxoniam venit benigne exceptus ab Epiſcopis Hildesheim. & Halberſtad. Reginhardo & Algoſo Magdeburgenſi ſub Duce Lothario, qui ſolus cum terra ſua, id eſt, Saxonia, ſanctæ Romanæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ ſervabat obedientiam. Ibi 4. ut creditur annis, imo 5. & amplius, commorans a contagione ſchiſmatici erroris conſcientiam ſervabat immunem.* Ita author cit. ſeu biographus Conradinus, author vero vitæ Gebhardi ſpecialius laudat Magdeburg. Archiep. Adilgoz omne obſequii & officii genus & Conrado & equitibus ejus exhibentem. Adilgotus hic Magdeb. moliebatur hoc tempore Cœnobium Canon. Regularium, ad quod opus ei Conradus quoque noſter omnem ſuam operam lubens addixit, ut habet biograph. anonym. in vita B. Lamberti

Fugit in Saxoniam.

I. Præ-

I. Præpoſiti Monaſt. novi operis in Saxonia. Evocavit autem viros primarios, ſeu primam coloniam huic Monaſterio dedit Cunrad. Archiep. non anno primum 1121. quo Adalgotus jam obiit, ſed hocce tempore, viros Canonicos egregios, tum eadem ſchiſmatis cauſa in Saxonia commoratos, atque inter hos *Berenvvigum Præpoſ. de Redenbach* fors *Reitenbuech*, *Everhelmum Decanum ejusd. Eccleſiæ*, *Wichmannum de Frekenſee cum aliis*, in quibus etiam *B. Lambertus I. Præpoſitus*, qui olim Canonicus Colonienſ. cum Pataviam peregrinationis Palæſtinæ cauſa veniſſet, ab Udalrico Epiſc. Patav. ad inſtitutum Canon. Regul. traductus fuit. v. an. 1101. *B. Lambert. Præp. I. novi operis mon. Can. Reg. in Saxon.* *Berenwic. Præp. de Raitenbuch. Everhelmus Dec.*

Inter hæc turbatiſſimæ erant res Germaniæ, quanquam enim Henricus Cæſar voce Paſchalis ob juramentum ei factum condemnatus non fuerit, tamen in Conc. Later. & Vienn. an. 1112. excommunicatus eſt, & privilegium inveſtituræ a Paſchali extortum revocatum, quam ſententiam Theodericus Cardinalis in Panonnia dein an. 1115. in Saxonia promulgavit; idem de Cunone Card. Præneſt. Coloniæ actum, Epiſcopi Germaniæ inde in partes diſceſſere, Salzburgenſis cum Colon. Wirzburg. Halberſtad. & Moguntino a Cæſaris partibus abhorrebant, *Epiſcopi Bavariæ*, inquit author vitæ B. Lamberti I. Præpoſ. novi operis *Imperatori favebant*, Friſingenſis nempe, & Brixinenſis, quos ideo Conradus officio & communione privavit. Patav. vero Udalricus, Papæ addictiſſimus erat, Ratisbon. Hartwicus dubius hærebat, Principes Bavariæ in partes Pontificias inclinabant, ideo a colloquiis imperialibus excluſi; unde hoc in rerum ſtatu concilium Later. 2. non. Martii habitum eſt, in quibus Papa acta & ſententias Cunonis Legati probavit, Henricum tamen diris non devovit. *Germ. turbæ ob ſchiſma & inveſtituras.* *Later. Conc.*

Ut pax Germaniæ redderetur, Præſules Catholici Salzburgenſis Moguntinus, Colonienſis Magdeburgenſisindixere conventum ad urbem Moguntiam, invitati Epiſcopi & Proceres Catholici, atque Hartwicus Ratisb. Ep. fluctuans a Conrado Salzb. eſt per litteras evocatus, quas ex cod. Udalriciano refert auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 213. non tamen venit Hartwicus pericula viarum cauſatus, & quod Conradus non eſſet Metropolitanus in re, ſed ſolum in ſpe; impeditus dein, hic ipſe conventus fuit per turbas Germaniæ. *Mogunt. Conv. impeditur.*

Udalricus Patav. Diœceſi ſuæ ſtrenue invigilabat, nam teſte Chron. Reicherſp. conſecravit Eccleſiam S. Martini, ac dein fundationem Seitenſtetenſem a fratre Udalſcalco factam ſub tuitionem Eccleſiæ Patav. recepit, adjectaque Parochia Aſpach ampliavit, de quibus v. Hieron. Pez tom. 2. ſcript. Auſtr. fol. 301. Seitenſtet. Monaſterium eriam Monachis S. Benedicti datum, antea a Canonicis incultum, atque Eccleſia conſecrata. *Udalr. Pat. rer.*

Hoc etiam anno, ut jam an. 1048. inſinuavi, cenſeo, Atham Ottocari III. filiam, ac IV. ſororem, reſtaurato novo monaſterio Traunkirchenſi fuiſſe Proto-Abbatiſſam datam, quæ, quamvis documentis legitimis evincere nequeam, conjecturæ tamen, loco cit. & Diſſert. 4. cap. 3. §. 4. datæ utcunque ſuadere videntur. *Atha Proto-Abbat. Traunk.*

An. 1117.

ANNO 1117.

Indict. 10. *Paſch. II. P.* 19. *Henr. V. Imp.* 12. *Ottoc. IV. Styr. March.* 30.

Henricus V. Romam abit.

Hujus anni æſtate Romam adiit Henricus, mox autem ob abſentiam Pontificis, qui ejus adventum evitaverat, coactus fervore æſtatis ſeceſſit, ut ſcribit Pandulfus in vita Paſchalis. Uberius rem hanc expreſſit Henricus in ſuis ad Hartwicum Ratisb. litteris, quibus memorat, ſe Synodo Epiſcopor. atque Abbatum collecta legatos ad Papam direxiſſe expurgandi ſui cauſa, ubi Dominus Apoſt. in præſentia Principis Apoſtolorum ſe Chunonem in Coloniam vel Saxoniam miſiſſe negavit, irritumque judicavit, ſi quid maledictionis effuderit; præterea iis in litteris ait Henricus, ſe nunquam a Paſchali, excommunicatum, litteras bullatas a Paſchali Moguntino, Colon. Salzb. & Halberſtadenſi inimicis Henrici nunquam datas fuiſſe, imo eidem Henrico Romæ nec clam, nec palam quæpiam nota criminis impacta dicitur &c. v. litteras has apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 214. quid vero Legatis Cæſaris reſponderit Papa, refert Urſpergenſis, nempe diffitebatur ſe Henricum anathematis vinculo colligaſſe, ab Eccleſiæ tamen potioribus membris excommunicationem connexam, nonniſi ipſorum conſilio ſe poſſe diſſolvere, conceſſo nimirum utrique Syndalis audientiæ jure.

Udalricus Patav. licet jam nonagenario major, munia tamen Eccleſiæ ſuæ vegetus obibat, atque hoc anno Eccleſiam in Wickendorf dedicavit ad petitionem Abbatis Mellicenſis Engelſcalci, commutationem etiam prædiorum cum eodem fecit, cujus inter teſtes occurrit etiam *Eckibrecht de Butine*, qui an primus hujus nominis & fundator Formpacenſis fuerit? vix certo pronunciare auſim. *Arnoldi & Sigefridi de Saurauvv* memoriam ſuppeditant nobis antiquæ hujus anni litteræ teſte excell. Wurmbrandio ex MS. Kainach, & Lazio de migr. gent. lib. 6. pag. 214. inclyti hi Comites origine Styri ſunt, & ſupremum Styriæ Mareſchallatum jure hæreditario obtinent, quod officii, ut an. 1073. dixi, teſte Wurmbrandio a Ferdinando II. Sauraviis eſt conceſſum, cum antea Sub-Mareſchallos Styriæ ſæc. 15. initio agerent. Antiquam Illuſtriſſimæ hujus familiæ deſcriptionem negligit Bucelinus, adducit vero Hübnerus tab. 843. eamque a citatis Arnoldo & Sigefrido de Saurau anno adhuc 1176. viventibus orditur, licet eorum lineam aſcendentem & deſcendentem non attingat.

Eggeb. de Puten.
Saurau de Arn. & Sigefrid.
Geneal. eorum.

Mareſchal. Styriæ quando eis conceſſus.

Antequam ideam quandam genealogicam de celeberrima hac patriæ noſtræ familia detegam, id de Mareſchallatu Styriæ eidem collato, noto ſolum, Excellentiſſimum Wurmbrandium in collectan. geneal. hiſtoric. fol. 292. &c. non rite ſenſiſſe, dignitatem eam a Ferdinando II. Sauraviis datam fuiſſe, atque *Carolum Comitem de Saurau* an. 1625. litteris inveſtituræ 22. Martii in feudum rectum datis, decoratum fuiſſe; etenim licet hæ litteræ in archiv feudal. Styr. exſtent, licet Diploma dignitatis hujus primum 1625. emanaverit, longe tamen jam antea, & quidem ſub Ferdinando I. an. 1549. *Franciſcus de Saurau Mareſchallus Styriæ* ſubſcriptus legitur litteris Georgii Herberſteinii Prætoris in favorem Theutonicorum Equitum datis, ut vid. diplomatar. Styr.

Carolus Com.
Franc. de Saur.

Frælich.

Frælich. part. 2. fol. 219 unde Sauravii jam ſub Ferdin. I. id munus geſſiſſe, & confirmationem cum diplomate collati honoris an. 1625. obtinuiſſe videntur.

Genealogiam Sauraviorum Hübnerus citatus, utcunque remiſſe explicat, ab Arnoldo enim & Sigefrido mox ad Wilhelmum an. 1327. tranſilit, inter quos tamen, plures medios hujus familiæ obſervavi, itaque fragmentum quoddam genealogicum hujus clariſſimæ familiæ ſuppedito ad ſupplendam lacunam Hübneri inter Arnoldum & Sigefridum, ac Wilhelmum de Saurau relictam. *Wilhelmus.*

Arnoldus de Saurau an. 1117. & 1176. Hübn.

Sigefridus de Saurau an. 1117. & 1176. Hübn.

Offo de Saurau, citatur an. 1286. in litteris Henrici Abb. Admont. Capitanei Styriæ datis pro Seccov. Canonia, v. diplom. Sacr. Ducatus Styr. Frælich. part. 1. fol. 247. &c. *Offo & Conradus de Saurau.*

Conradus de Saurau, citatur an. 1192. in privilegiis Styriæ, ſeu Land-Handfeſt, in Archiv. ſtatuum Auſtræ num. 590. v. Excell. Wurmbrand cit. fol. 123.

Caſparus de Saurau cognatus *Dietmari Galler* dicitur, in docum. aliquo de an. 1300. ex Archiv. cit. num. 648. ibid. *Galler Dietm.*

Ottocarus de Saurau an. 1292. & 1302. invenitur, primo quidem in diplom. Seccov. 119. apud cit. Frælich. fol. 249. &c. ubi an. 1292. die 7. Octob. teſtem egit apud Göſſe, an. vero 1302. hic ipſe aviculam nigram expanſam ſine pedibus, quam Styri Schicken vocant, alii Veſpertilionem, campo aureo impoſitam in inſignibus geſſit. Ita Wurmbrand. cit. fol. 123. ex Archiv. ſtat. Auſtr. num. 824. *Scutum Sauraviorum.*

Ortelinus de Saurau, an. 1304. claruit Wurmbrand. ex Archiv. ſtat. Auſtr. num. 1003.

Otto, Eliſabetha, Vandula, & Bertha de Saurau vendiderunt Dietmaro de *Breitenburg* bona quædam in loco Gurcken dicto an. 1305. ita cit. Wurmbrand. ex Archiv. ſtat. Auſtr. num. 1100. *Breitenburg de Dietmar.*

Fridericus de Saurau an. 1318. claruit, & filium reliquerat *Henricum de Saurau*, qui an. 1326. celebris fuit. Idem vero Fridericus de Saurau etiam an. 1295. reperitur in docum. Seccov. 122. apud cit. Frælich. fol. 252. quo eum *Fridericus Reiſacher* ſocerum ſuum vocat his verbis: Herrn Friderich von Saurau meines Schwagers. *Reiſacher Frid.*

Tele de Saurau in antiquis chartis citatur de an. 1318. apud Wurmbrandium Geneal. fol. 123. ex Archiv. ſtat. Auſtr. num. 1210.

Mathias, Fridericus, Erhardus, & *Ulricus de Saurau* citantur in diplom. apud Wurmbrand. loc. cit. in quo an. 1376. Ulrici jam defuncti memoria occurrit, & vidua ejus *Catharina Münzbergerin* vocatur. *Ulricus* obiit 6. *Kal. Jan.* ex Necrol. Run. apud Frælich. diplom. Styr. p. 2. fol. 352. *Münzbergerin Catharina.*

Hos, inquam, Sauravios præteriit Hübnerus, quos tamen adducta documenta exſtitiſſe confirmant, quis tamen inter eos nexus deſcendentis & aſcendentis lineæ fuerit? obſervare hactenus non licuit, reliqua ſequenti tomo reſervo, ſperans interim, legitimam eorum ſeriem mihi communicandam fore.

An. 1118.

ANNO 1118.

Indict. 11. *Gelaſ. II. P.* 1. *Henr. V. Imp.* 13. *Ottoc. IV. Styr. March.* 31.

Gelaſ. II. Pap. Annus hic die 12. Kal. Febr. Paſchalem II. abſtulit, cui pridie Kal. Febr. ejusdem menſis a Vaticanis Patribus Gelaſius II. ſuffectus

Henr. V. Rom. abit. eſt; Cæſar id ſe inconſulto actum, ægerrime ſentiens, repente cum armis Romam advolat, & occupata Principis Apoſtolorum Baſilica Mau-

Burdinus Antip. ritium Burdinum, Bracharenſem, e Luſitania antiſtitem, ne minus parente ſceleratus eſſet, Petri ſolio intrudit, eo in tumultu elapſus ad oſtia Tiberina Gelaſius, ubi Capuam venit, Henricum ſimul & Burdinum, ſacro fulmine perſtrinxit, atque Viennam Galliæ receſſit.

Eodem hoc an. inquit Chron. Mell. *per plurimas mundi partes magna*

Aquar. inundat. *inundatio aquarum facta eſt*, cum præc. annis terræ motus etiam magnus per univerſam terram Teutonicam & Italicam eſſet, teſtante eodem Chron. Mell. Acceſſit his Auſtriæ & ex parte patriæ noſtræ malis, aliud ab Hun-

Hungari Auſtr. turbant. garis, qui ſub Stephano Rege Leopoldum Auſtriæ March. coegerunt ad arma jungenda cum Duce Bohemorum, ut graves Auſtriæ vaſtationes, & abductas prædas ulciſceretur, bellum id fere per tres annos protractum teſtatur excerptum Rikardianum, atque primo & ſecundo an-

Caſtrum ferreum deſtructum. no Ungaros gravi clade repulſos, tertio vero anno caſtro ferreo deſtructo mulctatos fuiſſe docet; horum aliquid inſinuat Chronicon Auſtrale apud Freherum, item Clauſtroneoburg. Zwetlenſe, Vatzonis, & Anonymi cujusdam apud Hier. Pez hac omnibus fere communi periodo: *an. MCXVIII. Ungari juxta Lytham Theutonicos vel nos vaſtaverunt.* Scriptores tamen Ungari de Auſtriæ turbis nec verbum memorant, attamen cum Otto Friſing. hoc tempore apud Patrem Leopoldum adoleſcens in Auſtria id ipſum inſinuet, Hungarorum ſilentium obeſſe narrationi domeſticæ vix poterit, ita vero loquitur Chronic. lib. 7. c. 15. in fine: *Stephanus Hungarorum Rex, Colomanni filius, cum magna multitudine fines regni clanculum invaſit, ac vaſtatis terminis manubias abduxit; quem illuſtris vir Leopoldus Marchio, adjuncto ſibi Duce Bohemorum ſubſecutus uſque ad clauſtra terræ progreditur, captoque ac ſuccenſo caſtro, quod ferreum vocatur, & cuncta in circuitu ferro igneque vaſtata terra ſine damno ad propria revertitur.*

An Auſtria moderna ſuperior, eique innexa Styriæ portio damni quidpiam tulerit? nemo expreſſit, nec an Ottocarus ſuam Leopoldo junxerit operam?

An. 1119.

ANNO 1119.

Indict. 12. *Callixti II. P.* 1. *Henr. V. Imp.* 14. *Ottoc. IV. Styr. March.* 32.

Henr. V. excom. Cuno ex Aroaſienſium celeberrima Can. Reg. congregatione Epiſcopus Prænestinus, ac Legatus Pontificius, hoc anno Coloniæ primum, deinde Fritislariæ, coacto Principum, Præſulumque cœtu feralem in Henricum ſententiam promulgavit. Indicta dein Herbipoli comitia, in quibus aut Cæſar ſe præſentem ſiſteret, aut abſens imperio dejiceretur. Henricus ex Italia in Germaniam accurrens, ferro flammisque

que Principum fœderatorum populatur provincias, qui eisdem terris parem reddidere vicem, ita, ut nulla propemodum imperii pars ab immani hac tempeſtate foret immunis.

In Gallia interim 4. Kal. Febr. Gelaſius II. deceſſit, eique Callixtus II. antea Guido Vienn. Archiep. pridie Idus Febr. eſt ſubrogatus, Henricus ſe deſtituendum metuens, aut mitiora a novo antiſtite expectans, collecto Triburiæ Senatu armiſtitium indixit, Legatisque e Gallia præſentibus ſpem fecit, ſe quoque ad Rhemenſe Concilium, ut coram Pontifice cauſam ageret, affuturum. Convenerant vero ad illud plures 400. Patres, cumque Imperator fruſtra expectaretur, ſtatutum, ne quis Principum per baculum & annulum inveſtituras conferat, neve ullus præſulum eas recipiat, qui ſecus egerit, e fidelium cœtu exturbetur. Expeditus cum tabulis ad Henricum illico nuntius ejus mentem Pontificia authoritate exploraturus, ſed ubi contumax id detrectavit, atro calculo damnatus eſt.

Gelaſ. II. † ſuc. Calliſtus II. P.

Rhem. Conc. de inveſtit.

Teſte Chronic. Mellic. & anonymi cujusd. Auſtriaci *Welf Dux Bajoariæ obiit, cui ſucceſſit Henricus frater ejus*, cui Wolfhildis Magni ſeu Maginonis ex Sophia Hungari Colomanni ſorore filia, & hæres unica, conjux erat, ac mater Sophiæ Leopoldi fortis conthoralis.

Welf. V. Dux Bavar. † ſucc. Henr. VIII. fr.

ANNO 1120.

An. 1120.

Indict. 13. *Calliſti II. P.* 2. *Henr. V. Imp.* 15. *Ottoc. IV. Styr. March.* 33.

Henricus Imp. cum ſe in Saxonia minus acceptum animadverteret, in Franconiam declinavit, donec pax anno ſeq. reducta ſtabiliretur. Udalricus vero Patav. Epiſc. 7. Id. Jan. conſecravit Eccleſiam in Draßkirchen jam priore etiam ſæculo a Sigilberto Epiſcopo ſuffrag. conſecratam, v. an. 1079. Eodem vero anno Udalricus jam centenario major corpus B. Valentini Epiſc. quondam & confeſſoris invenit, atque ad majorem Eccleſiam honorifice transtulit.

Draßkirchen

Eccl. conſ. ab Udalr. Pat.

S. Valent. inv. & transl.

Inter res Styriæ referendum, quod narrat Megiſerus lib. 7. cap. 31. hoc anno *Wulfingum de Weiſſeneck* floruiſſe. De inclyta hac Styriæ familia ita ſcribit Lexicon Baſileenſe: *Weiſſeneck familia Baronum Styriæ*, cum arce ejusdem nominis ad Muraviam. *Wolfgangus* an. 1120. vixit *Dietericus* bello contra Ottocarum Bohem. Regem inſignis, *Ortolphus* an. 1365. Archiep. Salzburg. & ejus frater *Gotfridus* vel *Georgius* Epiſcopus Paſſav. *Ulricus* vero an. 1371. Epiſc. Seccov. fuit &c. exiſtit vero & aliud *caſtrum Weiſſeneck* infra Græcium, Wildonium verſus, quod an. 1245. tertio Idus Junii Eberhardus II. Archiep. Salzb. dum apud Straßgang prope Græcium moraretur, *Hernido de Ort* ademptum transtulit ad manus Friderici Ducis, qui illud Eccleſiæ Seccovienſi tranſcripſit. Hertnidus enim ille inſolentias varias in Eccleſiam patravit, unde dein poſt annos 40. variæ turbæ ortæ ſunt inter Rudolphum Archiep. & Albertum Ducem, de quibus ſuo loco ad an. 1258. &c. Weiſſeneckii ſæc. 14. &c. Dapiferi erant Salisburg. Eccleſiæ, qua ex familia inſignes viri prodiere. Author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 462. Barones hos Carnici generis fuiſſe, eorumque caſtrum gentilitium in Carinthia inferiore, prope gentiforum ſtatuit. Lazius lib. 6. de migr. gent.

Weiſſeneck de Wulfing.

Wolgang. caſtr. Dietericus, Ortolfus, Gotfrid. vel Georgius, Ulricus, Weiſſeneck caſtrum.

Ort de Hernid.

Weiſſeneckii dapif. Ecc. Salzb.

Caſtr. ejus nom. in Carinth.

gent. eos appellat regulos potentiſſimos, qui Duces etiam tentare bello non ſunt veriti. Genealogia eorum ſatis obſcura eſt, quos invenire poteram, hic breviter ſubjungo:

Wolfingus vel Wolfgang. *Wulfingus*, ſeu *Wolfgangus de Weiſſeneck* an. 1120. *Fridericus de Weiſſeneck* Burggravius, ſeu Præfectus arcis Griffenſis in Carinthia, ditionis olim Babenberg. qui partes Archiep. Salzb. contra Mainhardum Carinth. Ducem, & Albertum ſecutus Auſtrium, cum *Ulrico de Haimburg*, & *Wilhelmo Scherffenbergio*, attamen an. 1293. a *Conrado de Auffenſtein*, & *Henrico Toldone* Ducibus Mainhardi captus, brevi dein ex vulneribus obiit.

Haimburg de Ulric. Scherfenb. de Wilb. Auffenſtein de Conrad. Toldo Henric.

Hujus probabilius filii erant:

Ortolfus Salzb. Areh. Godef. II. Ep. Pat. Ulric. Epiſc. Seccov. Dietmarus. *Ortolphus* Archiep. Salzb. an. 1343. *Godefridus II.* Ep. Pat. 1342. antea Paroch. *in Prugg.* teſte vel ut Hund. *Præp. Patav.* *Ulricus* Epiſc. Seccov. 1351.

Dietmarus de Weiſſeneck an frater vel verius Pater Friderici fuerit? non conſtat, an 1250. Legatus Styrorum fuit ad Henr. Ducem Bavariæ ad capeſſendam Styriæ rempubl. in necrolog. Run. legitur 7. *Kal. Sept. Dietmarus Weiſſenecker.*

Otto. *Otto de Weiſſeneck* an. 1289. Prætor Friſacenſ. atque an. 1311. ab Henrico Carinth. Duce ſubſtitutus Dapifer Eccleſiæ Salisburg.

Hartnid. I. & II *Hartnidus* an. 1308. Prætor Friſac. a Conrado IV. Archiep. Salzb. factus. Diſtinctus ab hoc videtur.

Hartnidus alter an. 1359. a Rudolfo Archid. Auſtriæ per Ortolfum Salzb. inveſtito in officio Dapiferi, ſuboptatus Dapifer Salzburg.

Ulricus. *Ulricus de Weiſſeneck* an. 1364. Capitaneus Mülldorff. egregius, uti habet Chron. Salisburg.

Chriſtoph. *Chriſtophorus* an. 1519. Canon. Salisburg. erat, dum iidem a Leone Papa diſpenſati, ſæculares fierent.

Jacobus. *Jacobus* an. 1525. cum Matthæo Salisb. Archiep. in tumultu civium Salzb. ægre in arcem ibidem confugit.

Genealogiam Weiſſeneckiorum ommittit Hübnerus fragmentum vero ejus pandit Bucelinus ſtemmatogr. part. 4. fol. 252. quod breviter ſic adduco.

Wulfingus an. 1120. de uxore & liberis nil conſtat.

Theodericus. *Theodericus* contra Ottoc. Boh. rem ſtrenue geſſit, uxor N. hunc ego *Fridericum* exiſtimo.

Otto I. II. *Otto I.* claruit an. 1284. uxor N. *Otto II.* cl. an. 1308. uxor N. Unde Otto I. Prætor Friſac. alter vero Dapifer Salzb. videtur. *Theodericus*, & plures liberi videntur juvenes deceſſiſſe.

Ortolfus Archiep. Salzburg.
Georgius, mihi *Godefridus II.* Patav. Ep. } Friderici, ut dixi, filii.
Ulricum Seccov. omittit Bucelinus.

Hartnidus de Weiſſeneck. I. cl. an. 1360. ux. N. hic mihi ſuperius viſus eſt Hartnidus II. Dapifer Salzb. cum Hartnidus I. an. 1308. jam fuerit Prætor Friſacenſ.

Otto III. *Otto III. & Dietmarus.* Ottonem III. nondum deprehendere licuit.

Harte-

Hartelius cl. 1380. uxor N. *Rudolphus* cl. 1380. uxor N. *Hartelius Rudolph.*
Otto IV. an. 1400. uxor N.

Georgius I. ux. N. *Eispeckin*, fors *Weiſpöckin*. 2. N. *Mattſchakerin*. Filia Joan. & Cathar. de *Kienburg*. *Georgius.*

Bartholom. I. ux. Barb. de *Klöch*. | *Anna* D. de *Weiſſeneck*, & N. ſoror. | *Georg. II.* ux. 1. N. *Gallerin*, fil. Andreæ 2. *Barb. de Kienburg*. *Bartol. Anna, Georg.*

Chriſtoph. Wolfg. I. Can. Salzb. ux. N. | *Jacobus* uxor N. | *Joan. I.* ux. An. de *Spangſtein*. | *Andreas* ux. 1. Martha de *Haunſperg*, 2. Marg. *Winklerin*, fil. Georg. & N. B. de *Lamberg*. | *Barbara* Mar. 1. Joan. *Leininger*, 2. Aug. *Paradeiſer*.

Georgius Wolfg. III. ux. N. | *Wolfg. II.* | *Joan. Barth. II.* cælebs. | *Helena* Mar. ux. Soph. de Herberſtorf. | 1. Chriſtoph de *Lamberg* 2. Adam de *Lengheim*. | *Sebaſtian.* ux. Cath. *Allapii* filii, & N. Schweinböckin. | *Nicol.* cælebs. | *Petrus* cælebs.

Joannes Frideric. ux. Catharina Domina de *Stadel*, filia Georgii. | *Balthaſſar*, ux. Roſina *Wackin* ex Melchiore & Cæcilia de *Eibisvvald*. | *Plures liberi*, quorum nomina nondum meruimus.

Suſanna Mar. Eraſm. de *Glojach*. | *Alii item liberi.*

Ita Bucelinus, qui tamen, ut ex præced. patet, aliquot e ſeniori-bus hujus familiæ neglexit, & Fridericum illum male Theodericum dixit. Hæc interim, donec documentis aliis inſtruar.

Plura nobis de Styriæ rebus ſuppeditat Lazius de migr. gentium lib. 6. fol. 178. ait enim Leopoldum fortem Ottoc. IV. filium hoc anno ab Henrico V. Imp. Ducem Carinthiæ factum, atque Waldone ultimo Com. Ranio ſeu de Rain, ſine prole maſcula defuncto, ab Imperio tractum Græcenſem obtinuiſſe in beneficio, ubi dein Monaſterium Runenſe fundavit, hac in narratione plura ſubleſtæ fidei videntur; *primo* enim vix cenſeo Leopoldum fortem, vivente adhuc Patre Ottocaro IV. obtinuiſſe ab Henrico V. Carinthiam (ſeu tractum ſup. Styr. modernæ, ſeu infer. tractum Petav. Cilej.) præſertim cum Henricus adhuc turbator Eccleſiæ, & excommunicatus fuerit, cui proin Ottoc. IV. & Leopoldus filius Eccl. Cath. junctiſſimi, nondum fuerint reconciliati. *Secundo*: Ducem Carinthiæ Leopoldum nemo dixit, niſi in ſenſu mox expoſito. *Tertio*: Ottocari IV. filius Leopoldus fortis, bona Waldonis Com. Runenſ. non ſtricte in beneficium, ſed cum titulo oneroſo obtinuit ædificandi Monaſterii, ut Diſſert. 4. cap. 5. §. 2. oſtendi, nec videtur tractus Græcenſis, ſed ſolum Runenſis ſub proprietate Waldonis fuiſſe, ut clare teſtantur diplomata Runenſia apud P. Frælich. in diplomat. 5. Ducatus Styr. parte 2. *Waldo Com. de Runa.* *Leopold. fortis an Dux Carint.*

Idem Lazius cit. adducit, *Chunradum Comitem de Marchburg*, & *Ottonem* ejus filium, ubi nunc eſt oppidum, ſeu urbs ejus nominis ad Dravum ſita: & *Meinhardum & Herrandum Mareſchallos de Wildonia* ca-ſtro & pago infra Græcium, ſed de clariſſimis his Styriæ familiis occurret mentio uberior, ubi in annot. ad diplomata, eorum genealogiæ excutientur. *Marchburg de Com. Conrad. & Otto.*

An. 1121.

ANNO 1121.

Indict. 14. Calliſti II. P. 2. Henr. V. Imp. 16. Ottoc IV. Styr. March. 34.

Burdinus Antip. captus, & in Monaſt. truſus.

Sutrium Burdinus Antipapa magnis latrociniis tenebat, & exinde frequenti eruptione agros Romanos infeſtabat, unde Calliſtus II. Pontifex appetente vere locum obſidione cinxit, ac deditione captum in poteſtatem redegit: idolum dein hoc Henricianum ſtrigoſo Camelo impoſitum, inter populi exſibilantis ludibria Romam deductum, atque in Cavenſe Monaſterium pœnitentiæ cauſa eſt relegatum. Ne vero Henricus novum aris imponeret ſimulacrum, Albertum Mogunt. Archiep. Papa ſedis ſuæ legatum dixit, ut ſic Principum fœderatorum armis, aut in meliora Henricum flecteret, aut refractarium frangeret.

Agitur de pace.

Et vero egregie impoſito ſibi munere Præſul functus eſt, Cæſaremque eo compulit, ut delecti ex utraque parte biſſeni arbitri 3. Kal. Octobris Herbipoli convenirent, eorumque nutu respublica componeretur: hebdomadam integram ea conſultatio tenuit, qua firmata pax domeſtica, & exules Pontifices ad ſedes, cives ad pomœria remearent &c. De anathemate Cæſaris nil adjectum, ſolumque legatos ad urbem mittere placuit, qui æque Principis ac imperii nomine, Papæ opem ac clementiam implorarent: ad præſentes etiam Boicæ proceres miſſi legati, qui hæc curiæ Ratisbonæ habitæ Kal. Nov. intimarent. Ita fuſius Chronic. Urſperg.

Conrad. Salzb. ab exil. redit.

Exules inter Epiſcopos redeuntes numerandus eſt metropolita noſter Chunradus Salisburg. qui mox ad charum ſibi Cœnobium Admontenſe ſe contulit, illudque recens exquiſito marmore eleganter exſtructum ſecundo dedicavit. Ita Chron. Admont. adjiciens: *Opus illud ſatis pretioſum temporibus Gotfridi Abbatis poſtmodum ignis aſſumpſit.* Idem legitur in excerptis ex veteri Garſtenſi Chron. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 144. &c. his verbis: *Hoc anno ſecundo dedicatum eſt Monaſterium Admuntenſe a Ven. Cunrado Archiep. Salzburg.*

Admont. dedicat.

Conradus in ſedem reducitur a Leopoldo forti.

Poſt conſecrationem Monaſterii Admont. teſte biogr. B. Gebhardi idem Conradus *a Leopoldo Styrenſi Marchione in manu forti requiſitus, ad ſuam poſt 9. annos honorifice reductus eſt ſedem anno Incarn. Domini* 1121. Quomodo vero Leopoldus fortis, vivo adhuc Patre Ottocaro dictus fuerit Marchio Styriæ? expoſui Diſſert. 4. cap. 4. §. 10. ubi biographum Gebhardinum per prolepſim locutum oſtendi, præſertim cum Leopoldus fortis eo & prioribus annis jam ſeniculi patris munia expleverit, atque hoc ſenſu etiam intelligendum eſt illud MS. Geneal. Vorav. dictum, *quod Ottocarus IV. jam ſenex fideliter Conrado aſtiterit*, per filium nempe ſuum Leopoldum, v. plura an. ſeq.

Udalr. Epiſc. Patav. † Reginmarus ſeu Reymarus ſucc.

Obiit inter hæc 7. Id. Aug. Udalricus Pat. Ep. uti habent Chronica Auſtrale, Reicherſperg. Mellicenſe, Oſterhofenſe Cl. Neob. aliaque, ſuc. Reginmarus ſeu Reymarus, cujus in Annal. Pat. memoria non ſatis laudata occurrit, aſt ſine cauſa, cum ejus ob inſtitutionem Cœnobiorum, & recuperationem decimarum, e manibus Principum, fervor ſatis enituerit.

Udalric. Patr. Aquil. †

Eodem hoc an. defunctum cenſeo Udalricum Patr. Aquilej. Henrici Carinthiæ Ducis fratrem, cujus obitum ad an. 1112. Ughellus

&

& Palladius ad an. 1117. Joachimus Vadianus in Chronol. Abbas S. Galli apud Goldaſtum tom. 1. rer. Alemanic. referunt, utramque epocham convellit conſecratio templi Moſacenſis an. 1119. *Præcipiente, favente, ac etiam benedicente Ven. Patriarcha Uodalrico* peracta: & Burcardus, qui in ejusdem vita ſic habet: *Cum autem hanc Eccleſiam Aquilejæ & illam S. Galli per 46. annos & tres menſes rexiſſet, plenus dierum viam univerſæ carnis & ipſe ingreditur;* unde cum Udalricus Patr. Aquil. factus fuerit anno 1077. & an. præced. Abbas S. Galli, patebunt ab an. 1076. ad 1121. vel ſeq. anni regiminis 46. hinc vel Idibus Dec. hujus anni, vel 2. Aprilis an. ſeq. obiit, cum 21. Maji Aquilejæ an. ſeq. jam Gerardus præeſſet, de villa Præmariaci ortus. *Gerard. ſucc.*

ANNO 1122. *An. 1122.*

Indict. 15. *Cailiſti II. P.* 4. *Henr. V. Imp.* 17. *Leopoldi Styr. March.* 1.

Redierant ex urbe Romana legati Bruno Spirenſ. & Arnulphus Fuldenſ. Præſul cum Lamberto Oſtienſi Apoſt. ſedis legato, quorum opera res eo deducta eſt, ut Wormat. in Conventu Cæſar abdicata per annulum & baculum paſtoralem inveſtitura liberam electionem Eccleſiis cederet, electi tamen regalia per ſceptrum Auguſti obtinerent: quæ publicis tabulis hoc an. 9. Kal. Octob. inſerta præſtant apud Urſpergenſ. & Baronium. *Pax imperii, & Eccl. ob inveſtituras.*

Quantum gaudii pax hæc univerſalis, tantum quoque mæroris attulit Styriæ noſtræ mors Principis noſtri Ottocari IV. quam huic anno affigendam eſſe oſtendi Diſſ. 4. cap. 4. §. 10. &c. ubi etiam dubium quoddam ex diplom. Gluniac. exortum diſſolvi. Quæ de legatione ejus Romana quidam ſtatuunt, ibidem ſunt rejecta, ab apro ferino occiſum ſcribit Haſelbachius, ſepultus eſt in Garſten. Sed cur a MS. noſtro Geneal. aliisque dicitur, *obiiſſe ſenex & plenus dierum?* enodavi rem iſtam Diſſert. 4. & ad an. 1088. *Ottoc. IV. obit.*

Succeſſit Leopoldus fortis filius, ut docet MS. Geneal. Vorav. aliique, unde non credendum, Styriam hoc tempore bicipitem fuiſſe & Leopoldum ac Ottocarum V. fratres diviſo principatu imperaſſe, ut dixi Diſſert. 4. cap. 5. §. 1. &c. P. Frælichius Archontolog. Carinth. part. 2. fol. 201. ait Leopoldum fortem ab hoc an. ad 1128. Marchionem Carinthiæ fuiſſe; ex dictis jam Poppo ſeu Starcandus Marchio Carinthiæ poſt 1126. & Udalricus II. an. 1112. obiit, ablatus eſt dein iis Marchionatus Carinthiæ, atque Ottocaro IV. vel ejus filio Leopoldo datus, id evincunt Chron. Auſtrale Freheri tom. 1. pag. 444. & anonymi Leobienſ. qui Leopoldum Marchionem Carinthiæ vocant, cum Chron. Clauſtroneoburg. hinc mortuo vel exauthorato Marchione Starcando circa an. 1126. vel antea Marcha Carinthiæ, ea parte, qua Hungariæ finitima erat, nempe Celejanus & Petovienſis ager, hodiernæ Styriæ inferior. portio, Leopoldo commiſſa videtur, licet hic Marchionis Styrenſis titulo, contentus ſe nunquam Carentinorum Marchionem ſcripſerit, v. Diſſert. 4. cap. 5. §. 4. *Leop. fort. ſuc.* *An March. Car. fuerit poſt Popp.*

Obiit eodem hoc anno Bertholdus III. Zæringiæ Dux 19. Febr. Molesheimii occiſus; ex fragm. hiſtor. Urſtiſii part. 2. & Chron. S. Pan- *Berthold. III. Zæring. †*

Sophia ejus vid. xx. Leop. fort.

taleonis viduam reliquit Sophiam Henrici nigri Bavariæ Ducis filiam, quæ dein uxor in manus convenit Leopoldo noſtro, Sophiæ hujus nobiliſſimæ lineam utramque paternam, & maternam pro uſu rerum ſequentium ſubjungo.

Sophiæ genealog.

Linea paterna.	*Linea materna.*
Welfo II. aliis III. Dux infer. Bavar. melius Comes Sueviæ, v. an. 1027. uxor *Irmengardis* ſoror S. Cunegundis Imper.	*Bernardus* II. Dux Saxoniæ, obiit anno 1065. uxor *Bertrada*, Haraldi Norweg. Regis filia &c.
Chuniza vel *Chunegundes*, filia Welphi III. ſine prole defunct. ſoror. Mar. *Azo* Marchio Eſtenſ.	*Ordulfus Saxoniæ* Dux obiit 1074. ux. 1. Giſela Olai Norw. Regis fil. 2. Gert. March. Conr. Landsb. fil.
Welpho IV. aliis *V.* Dux Bavar. v. an. 1071. *ux.* 1. Ethelina Otton. Sax. filia. 2. Juditha Balduini Fland. Com. filia. 3. Agnes Vid. Henr. III. Imp.	*Magnus V.* ultimus Saxon. Dux hujus lineæ obiit an. 1106. ux. *Sophia* Geyſæ I. Hung. Reg. filia, Colomanni Regis Hungar. ſoror.
Henricus VIII. ſeu *niger* Dux Sax. & Bav. ux. Wolfhildis, Magni ult. Sax. Ducis filia & hæres.	*Wolfhildes*, ut mox dicetur, Mar. *Henr. niger.*

Sophia Marchion. Styriæ Mar. I. Bertholdus III. Zæring. Dux. 2. Leopoldus fortis Marchio Styriæ.

Ex his nemo non videt nobiliſſimam fuiſſe Sophiam Marchioniſſam noſtram, cum Reges Hungariæ, Norwegiæ, Duces Saxoniæ, Bavariæ &c. contingeret. v. pl. Diſſert. 4. cap. 5. §. 6.

Salesburg. Can. Reg. inducuntur.

Conradus Salisburg. nuper redux, hujus anni initio Canonicos ſuos ad inſtitutum regulare deduxit, teſte Chron. Salzb. *MCXXII. vita communis in Eccleſia S. Ruodberti a Chunrado Epiſc. inſtituitur XIII. Kal. Febr.* jam an. 1108. dixeram Chunradum ipſum, ut genus hoc invectum Can. Reg. exemplo firmaret, Canonicam vitam profeſſum eſſe teſte Chronogr. Reicherſperg. Canonicus Monaſterii novi operis in vita B. Lamberti I. Præp. id etiam docet, in eo diverſus a Reicherſp. Chron. quod habitum Canon. hoc primum anno induiſſe tradat Conradum, difficultatem non modicam inducendi Can Reg. fuiſſe oſtendi an. 1111. & 1115. vicit tamen Conradus, & teſte biographo, Canonicos, qui profiteri vitam votivam nolebant, alibi conſtituit, & perſonas ſuo deſiderio aptas undique collegit.

Hermann. Præp. & Hartm. Dec. I. Salzb. Can. R.

Præcipui coadjutores erant *Hermannus Præpoſ.* & *Hartmannus*, quem ex Monaſterio S. Nicolai prope Paſſavium obtinuit, Decanumque ordinabat, Hermannus ille, ut habet Chron. MS. Salisburg. ad an. jam 1119. Præpoſitus ordinatus erat, de cujus actis plura infra dicentur. Hartmannus vero ex Decanatu Salzb. ad Præpoſituram Chiemenſem, Clauſtroneoburg. tandemque ad Brixinenſ. Epiſcopatum eſt evectus, cujus Beati viri vitam ex MS. Tirnſtein. Canoniæ edidit P. Hier. Pez tom. 1. fol. 495. &c.

Ejectus quidem Salisburgo jam erat invaſor ſchiſmaticus Bertholdus, Epiſcopatus tamen Salisburg. ob procellas turbarum *pauperrimus* erat,

erat, & *valde vaſtatus*, ut teſtatur Conradus ipſe in privilegio quodam. Aſt ei reparando mox curas omnes adjecit, etſi per Cunradum ſtetiſſet, in omnibus omnino ſui Epiſcopatus Eccleſiis vel Can. Reg., vel Monachi fuiſſent ordinati. Ingens exſtat copia donationum, & traditionum Eccleſiæ Salisburg. & Canon. ibi regulariter viventibus ſub Chunrado factarum, Canonici vero ipſi præſcriptis legibus ad arctum Apoſt. ſobrietatis modum eodem cænaculo, eodem utebantur dormitorio. Famulatus domeſticus duobus *menſalibus* ſeu menſæ Miniſtris & duobus *cubicularibus*, qui cubilia curabant, teſte Duckero definiebatur.

Ad hæc adjecit antiſtes ſodalitium virginum ex eadem norma Canonica viventium, quæ dein *Dominæ Cathedrales* dicebantur, ad Eccleſiam S. Ruperti, ut Chronogr. ſcribunt, vel ut alii, ad Eccleſiam parochialem, quam hodie ſodales S. Franciſci incolunt. Conradi ſtudium æmulatus videtur Wolfholdus Abbas Admontenſis, qui Monaſterio ſuo, junxit etiam Virginum ſacrarum collegium, de quo an. 1115. loquebar, quod Conradi adhuc tempore Sophia, Belæ Hung. Regis filia nobilitavit. Sub idem fere tempus ſurrexit in Carinthia *Parthenium S. Georgii in Lengſee* fundatum ab Otwino Com. Gorit. & Wichburge conjuge, de quo Chronogr. Admont. ad an. *MCXX. Monaſterium monialium S. Georgii in Carinthia Chunradus Archiep. authoritate ſua clauſit, & curæ ac regimini Dom. Wolvoldi Abbatis traditum commendavit.*

Canoniſſæ Reg. Salzb. Dnæ. Cathedral. dictæ, Wolfhold Abb. Admont. Parthenon. erigit.

S. Georgii in Lengſee Mon. Admont. ſubigat.

ANNO 1123.

An. 1123.

Indict. 1. Calliſti II. P. 5. Henr. V. Imp. 18. Leopoldi Styr. Mar. 2.

Quod Chunradus Salisburgi, hoc Hildeboldus Epiſc. Gurcenſis effecit Gurcenſi in collegio, ut nimirum Canonici ſui regularem vitam profiterentur: exſtat vetus fragmentum in bibliotheca Cæſarea id ipſum probans, & viſitur Hildeboldi Gurc. declaratio, qua prodit ſe in Eccleſia Gurcenſi *Clericos Apoſt. paupertatis ſecundum Reg. B. Auguſtini ordinaſſe.*

Gurc. ſiunt Can. Reg. ſub Hildeb.

Callixtus II. Papa, ut ſupremam paci Eccleſiæ admoveret manum, omnes fere ultra Montanos Præſules ad Conc. Later. menſe Martio celebrandum evocavit, eo ſe etiam contulit Chunradus Salzb. cum Hermanno Præp. ſuo, cui etiam Papa privilegium dedit *de vita Canonica*, ſeu regulari *ſervanda in perpetuum in Epiſcopali ſede Salisburg.* quod refert author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 941. &c. Ex eo Conc. miſſi legati ad Cæſarem anathemate ſolvendum Canones ſtatuti 17. quos apud Harduinum & Labbeum vide.

Later. Conc.

Conrad. Salzb. firmantur Can. Reg. Salzb

Pace ſic reducta rediit cum Henrico V. Imp. in gratiam Conradus, ſed mox alium expertus eſt inimicum Henricum Carinthiæ Ducem, *qui cum Salzburgenſem Eccleſiam*, inquit biogr. B. Conradi, *variis tribulationibus & præſſuris afflixiſſet, omnia, quæ in foro Julii poſſidebat, diripiens & in ſuos uſus transferens, tandem collecto exercitu tranſire diſpoſuit, totam Carinthiam invadere, & ſuæ ditioni ſubjugare deſiderans.* Monuerat Conradum Gurcenſis Epiſcopus, & mox cum 1000. militibus in Carinthiam venit, caſtris in loco Crapfeldt poſitis, & reſipuit Dux, ac

Conradi Salzb. cum Henr. Duc. Carinth. bellum.

tertio pacem exorans, *venit humiliter, nudis pedibus, laneis indutus, ut absolveretur poſtulans*, quod etiam obtinuit.

Wolfold. Archi-Diac. & Abbas Admont. Eodem hoc tempore Wolfoldum Abbatem Admont. arbitror a Conrado Salzb. Archi-Diaconum factum, de quo v. an. 1115.

Styriæ noſtræ res ulterius ſunt indagandæ, Leopoldus fortis Marchio noſter Garſtenſibus confirmavit omnia, *quæ*, ut ait ipſe, *Pater meus piæ memoriæ Ottockar Marchio Styrenſis* Eccleſiæ in Garſtine donavit, ut vide inter diplom. mea num. 5. & annot. deſuper: ex quo omnino jam Diſſert. 4. cap. 4. §. 12. oſtendi diplomati Glunicenſi num. 6. adducendo decedere fidem, quod Ottocarum IV. an. 1125. adhuc in vivis fuiſſe teſtatur. Unde, ut loco cit. dixi Glunicenſe Monaſterium jam an. 1121. vel anteriore conceptum, & fundari cœptum cum conſenſu Ottocari IV. atque an. 1125. primo perfectum ac diplomate munitum, cujus nævos jam Diſſert. detexi 4. cit. Ad annum 1121. pertinet etiam, quod Chron. Bern. Norici Auſtriacum habet: *Monaſterium Glunich eſt conſtructum anno Dom.* 1123. *a Brunone nobili & Otacherus Marchio dedit eidem prædium Cheſeravv, quod a Babenburch habuit.* v. plura annot. in diploma 6.

Glunic. Monaſt. fundat.

An. 1124.

ANNO 1124.

Indict. 2. *Honorii II. P.* 1. *Henr. V. Imp.* 19. *Leopold. Styr. March.* 3.

Henr. V. ret. Henricus Imperator tumultuantes Batavos compreſſit, geminaque comitia prima Rhenanis Wormatiæ ſub medium quadrageſimæ, altera nonis Maji, Saxoniæ, Boicæ, ac Bohemiæ Magnatibus indixit Bambergæ, deſideratus in his Lotharius Saxonum Dux, Cæſari infenſus, quod ſororem Hollandico Toparchæ nuptam armis infeſtaſſet.

Calliſt. II. P. † Honor. II. Ingruente hyeme & quidem pridie Id. Dec. Calliſtus II. P. vivere deſiit, cui Lambertus Oſtienſis Epiſcopus aſſumpto Honorii II. nomine de Germania optime meritus eſt ſuffectus, qui pariter Herman-

Salzb. Can. R. res no Præp. Salzb. privilegium de vita votiva Canonica Salisburgi firmanda in perpetuum firmavit. De nuptiis Leopoldi noſtri cum Sophia hoc vel præc. an. v. Diſſert. 4. cap. 5. §. 6.

An. 1125.

ANNO 1125.

Indict. 3. *Honorii II. P.* 2. *Henr. V. Imp.* 20. *Leopold. Styr. March.* 4.

Henr. V. † Henricus Cæſar ultrajecti, feria 5. Pentecoſtes obiit 12. Kal. Jun. & periit cum eo ſtirps Auguſta, quæ in Conrado II. cœperat, imperatura diutius, ni ad Petram Eccleſiæ alliſa fuiſſet, Spiræ ſepultus eſt. Auguſto dein menſe convenere Moguntiam Proceres Germaniæ:

Lothar. II. Imp candidati erant, teſte Ottone Friſingenſi, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Suevorum, Leopoldus Marchio Auſtriæ, & Carolus Comes Flandriæ, adnitente Moguntino Præſule prævaluit Lotharius 2. Idibus

S. Leopoldi Auſtr. res. Sept. Aquisgrani coronatus. *Leopoldus* Auſtriacus, teſte anonymo narrationis de elect. Lotharii Saxon. Ducis in Imp. apud Pezium tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 570. *Marchio idem de ſe publice profeſſus, & regni ambitionem,*

bitionem, & futuri Regis æmulationes Sacramento a ſe removere volebat. Non tamen idem ſenſus Friderico Suevorum Duci fuit, qui *ſine conſilio ſuorum in caſtris relictorum ſe reſpondere nec poſſe, nec velle aſſeruit.* Cujus tamen intempeſtivæ ambitioni præ reliquis Henricus Dux Boicæ reſtitit, ut ex dicendis patebit. Aventinus more ſuo in Pontifices dicax, ait aſtu Pontificum Alberti Moguntini & Conradi Salisburg. Lotharium electum, exhæredatis Friderico Sueviæ, & Conrado Alemanniæ Ducibus fratribus, Henrici IV. nepotibus.

Conradus Salzb. quod vivente Henrico non poterat, eo mortuo eſt perſecutus, Hugonis nimirum Brixinenſ. & Henrici Friſing. exauthorationem, uterque jam ab eo ſacris motus ob partes Henrici dum in ſchiſmate viveret, Aventinus ait templum Viſchpacenſe, aliaque ab Henrico Friſing. conſecrata, fuiſſe a Conrado execrata, inde Friſingam veniſſe, ſed a Friſingenſibus myſtis acta Paſchalis reſcindentibus expulſum, dum Henricum dignitate pellere vellet, inde vero etiam a Salisburg. excluſum in Saxoniam fugiſſe. Hæc, ſi Aventinum ſequimur an. 1115. contigiſſent, quod tamen credibile non videtur, cum Conradus tum in publico comparere non potuerit, nec illud probatur Aventini aſſertum Conradum a Welfone Bav. Duce fuiſſe adjutum; hic enim licet Papæ partes tueretur, amicitiam tamen Cæſaris non abjecit, minus in Conradi gratiam Friſingam deſtruxit. Verius itaque, Conradum hæc ſub Lothario Catholico Cæſare auſum fuiſſe. Exſtant ſane litteræ ad Henricum Bavariæ Ducem, quibus Conradus ejus opem contra Ratisbon. implorat, quas habet author German. Sacræ tom. 2. fol. 943. Henricus VIII. ſucceſſit Guelfoni fratri an. 1119. & huic an. 1127. Henricus IX. filius, priori ſcripſit eas litteras, vivente adhuc Henrico Cæſare, ſed nihil effecit Cæſare ſibi contrario: anno quidem hoc Brixinenſem ſede movit, eique Reinbertum Abbatem S. Petri ſubſtituit, ut ex ſupplem. vitæ Conradi contra Chron. Honorii docet author Germ. Sacræ cit. Et ſane efficere nil poterat Conradus contra Friſing. quia hic & cognatorum potentia nitebatur (erat enim ex Eberſtorfiorum ſupr. per Auſtriam Camerarii & Mareſchalli munere inſignium, ac in Auſtria potentiſſimorum ſanguine oriundus) & a Callixto II. erratorum veniam impetravit: acta dein Romæ cauſa & an. 1127. Conradus ab Honorio Papa juſſus eſt deſiſtere ab infeſtatione Friſingenſis Epiſcopi. plura ſeq. annis.

Conradi Salzb. acta.

Hugo Ep. Brix. deponitur Reinbert. Ab. S. Petri ſuct.

Henr. Ep. Friſ. e Com. de Eberſt.

ANNO 1126.

An. 1126.

Indict. 4. Honor. II. P. 3. Lothar. II. Imp. 2. Leopoldi Styr. March. 5.

Jam an. 1124. inſinuatum & Diſſert. 4. cap. 5. §. 6. uberius digeſtum eſt, Leopoldum Styriæ Marchionem eo vel præced. anno nuptias cum Sophia nobiliſſima Bertholdi III. Zæring. vidua contraxiſſe: author vero Chron. MS. Styriæ tom. 1. cap. 64. docet, inde Styriæ noſtræ magnam calamitatem acceſſiſſe, cum enim an. hoc Bela II. & Borichius nothus ſolium Hungariæ occupare niterentur, illi Welfo Dux Bavariæ adſtitit cum Leopoldo noſtro, inde vero factum, ut Borichius cum ſuis Styriam incurſaret, ac vaſtaret, & damnum incredibile ſubliſ-

Styr. an ab Hungaris vexata.

ſet

ſet Styria, ni Conradus III. Dux Sueviæ, dein Imperator, jam vero in imperii ſocietatem a Lothario adſcitus, Styriæ tanquam imperii feudo ſuccurriſſet, miſſis cum 20000. bellatorum ſub Conrado de Abenſperg. Belliduce, & Conrado etiam Archiep. Salzb. Egenberto Ratisbon. ac Hildeboldo Gurcenſi, dum enim hi Petovio, Strigonium occupaturi abirent, felix Archiep. Strigon. obviam factus facundia ſua pacem conciliavit.

Inſigniter demum in Chronologia & reliquis peccat hæc narratio, etenim 1. Stephanus II. Rex Hungariæ in morte tantum pœnitentiæ cauſa more tum recepto habitum induit monaſterium an. 1131. poſt Leopoldum noſtrum jam defunctum, ut pl. Chron. antiq. nominatim Admont. Item Bonfin. ſcript. rer. Hungar. calamitas ergo illa oriri hocce tempore non potuit. 2. Welfo Dux Bavariæ hoc an. nullus, utpote jam an. 1119. defunctus, quo Leopoldus noſter nondum Marchio Styriæ fuit. 3. Bela II. cæcus non Colomanni Regis Hungariæ, nec Stephani II. ſed Almi fratris Colomanni filius fuit. 4. Conradum III. Sueviæ Ducem & deim Imp. a Lothario conſortem imperii factum, non lego, bene vero ab Anſelmo Mediol. Archiep. Regem inunctum, quare & Anſelmus a Papa depoſitus eſt. Conradus vero diutius Lothario repugnans, demum huic ſubjectus ab eodem moriente Cæſar eſt deſignatus, unde hoc an quo graves cum Lothario geſſit inimicitias, Styriæ providere nullatenus potuit. Ex his itaque narratio dicta fabulis inſerenda videtur, v. plura an. ſeq.

De Ottocari IV. morte ad an. 1122. ſigenda jam anno eodem & Diſſert. 4. cap. 4. plura dixi, porro Archivum Garſtenſe teſte Excell. Wurmbr. in collectan. geneal. hiſtor. & Prevenhueber Annal. Styr. fol. 453. hoc habet: *Ottocarus Marchio Styriæ in feudat, bonis in Seiſenburg Henricum nobilem virum & miniſterialem ſuum de Polheim: quæ olim pater ejus Dominus Weicardus poſſederat anno* 1126. De Illuſtriſſima hac familia alibi diſſerendi erit occaſio, nemo tamen ex his inferet Ottocarum IV. hoc adhuc anno vixiſſe, non enim inſtrumentum hoc ait, Henricum de Polheim inveſtitutum fuiſſe ab Ottocaro IV. an. 1126. ſed ſolum Weiccardum adhuc ea bona poſſediſſe an. 1126. quamvis & hoc durum videatur; quomodo poſt filium infeudatum Pater ea bona poſſederit, cumque ex tab. 741. Hübneriana & geneal. Prevenhueberi Weicardus Pater jam an. 1099. obierit, error in numero annorum contigerit, ut pro an. 1126. legendum ſit 1120., quo Henricus inveſtiri potuit ab Ottocaro Marchione.

Polheim. Weicardus & Henr. Miniſter.

An. 1127.

ANNO 1127.

Indict. 5. Honorii II. P. 4. Lotharii II. Imp. 3. Leopoldi Styr. March. 6.

Styriæ ver ab Hung. vexata reſeruntur.

Alia jam apparet & genuina narratio de rebus Styriæ per Hungaros ſubin turbatæ, quam Biographus B. Conradi Salzb. nobis ſincere pandit. Diœceſeos Salisburg. pars Styriæ nunc infer. reſpondens, dudum afflicta erat populationibus Hungarorum. Conradus itaque Archiep. Salisburg. in Marcham ſeu Styriam infer. ſe contulit pacem revecturus, quam etiam comitantibus ſe 3. Epiſcopis perfecit,

ita

ita quidem, ut auxilio Archiep. Strigorienſ. Feliciani, jubente Rege, tam valida interminatione pax fieret, ut ſi quis unum de captivis detineret, pro captivo ipſe captivus fieret, & in ſervitio maneret Archi-Epiſcopi perpetuus exul, captivi omnes redderentur & terræ ſuæ ac Domino reſtituerentur: tres Epiſcopi Comites erant Chuno Ep. Ratisbon. Eckenbertus Monaſterienſis & Hildeboldus Gurcenſ. fama vero per totam Hungariam volabat, Conradum cum exercitu infinito venire nonnullisque aliis Principibus, ad ulciſcendas injurias populi ſui capti, ac fœderis violati, unde dein conterriti Hungari & captivos reddiderunt, & pacem reſtaurarunt. *Hildebold. Ep. Gurc.*

Hæc eſt genuina narratio rerum inter Styros & Hungaros geſtarum, longe diverſa ab ea fabuloſa, quam ex MS. Chron. Styr. an. præc. adduxi, non quidem negaverim, inter ſocios Conradi, fuiſſe etiam Leopoldum noſtrum, cum Conradus in Hungariam, *cum nonnullis Principibus* veniſſe legatur, cauſa tamen belli longe alia, & Salzburg. ob partem Styriæ noſtræ cum Leopoldo noſtro communis.

Ut vero Conradus ab Hungarorum invaſionibus & turpi hominum utriusque ſexus venditione Hungaris conſueta, caveret terris ſuis in Styria poſitis, inquit idem anonymus: *Libnize a fundamento ædificare cœpit, ſed imperfectum dereliquit, ideoque plus in robore militum, quam ex ſe firmitatis habet. Dechove antiquum exſtitit caſtrum, ſed dirutum a multis temporibus, atque ab illo, ſicut hodie cernitur reædificatum eſt. Reichenburg a novo reædificatum, hæc tria caſtra ſuper Hungaros ædificavit, poſt compoſitum inter ſe & illos fœdus amicitiæ &c.* De Leibniz, & Reichenburg caſtris Diſſert. 1. dictum eſt, quale vero fuerit caſtrum illud *Dechove?* nondum invenire licuit. *Leibniz ædificatur Dechove Reichenburg.*

Eodem hoc anno exeunte feſto natali celebrata ſunt Comitia Wirzburgi præſente Lothario, quibus etiam Conradus Salzb. aderat, ubi, quum rumor tuliſſet, Conradum Friderici Sueviæ Ducis fratrem, nomen ſibi regium ſumpſiſſe, Conradus noſter cum Mogunt. Magdeburg. aliisque Epiſcopis anathema in Conradum tulit 15. Kal. Jan. quam an. ſeq. Sacro Paſchatis die Honorius Papa confirmavit ſententiam. Irruperat nempe Conradus Alemanniæ Dux in Italiam, & Mediolani coronatus eſt ab Anſelmo Archiep. Mediolan. acceſſit Conradi partibus Gerardus Aquil. Patr. quem Papa dein per Cardin. Petrum tit. S. Anaſtaſiæ in Synodo Raven. exauthoravit. pl. an. ſeq. *Wirzburg. Comitia.* *Conradi Alemann. Duc. res.* *Rex Ital.* *Gerardus. Patr. Aquil. depositur.*

Conradus Salzb. accepta ab Honorio de Friſing. Epiſc. canonice compeſcendo epiſtola, Gerhohum acerrimum illum ſchiſmaticorum inſectatorem, & dein Canon. Regularium in Reicherſperga Præpoſitum Romam miſit ea in cauſa, qui tamen etiam parum profecit, cum abſolutus a Paſchali fuerit, & Friſingenſes alium ſibi Epiſcopum imponi nollent, ut v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 221. compoſitio dein inter Salzb. & Friſing. coaluiſſe videtur circa an. 1129. *Gerhochi Reicherſp. res.*

Obiit hoc an. Henricus II. Eppenſteinius Dux Carinthiæ die 25. Martii teſte Lazio lib. 6. de migr. gent. pag. 167. & Megiſero lib. 7. cap. 36. pag. 755. de cujus genealogia hactenus actum, Megiſerus cit. ejus epitaphium in monaſterio S. Lamberti ſcriptum in tabula chori exſtare ait exaratum an. 1132. ſub his verſibus: *Henr. II. Dux Carinth. obit.* *Ad S. Lambert. ſepultur.*

Sacra ſub hoc Saxo, tenet oſſa Carinthius Heros,
Henricus, quondam gloria ſumma Ducum,
Inclyta, qui Divo hæc Lamberto Clauſtra dicavit,
Marquardi exequitur dum pia vota Patris,
Prætulit humanis Divina, Deoque caducas
Obtulit orbis opes, cœlica regna tenens.

Eppenſteinii & Murztall. exſtincti.

Obiit vero Henricus ſine hærede maſculo ſolam relinquens filiam

Richardes filia.

Richardem, quam *Friderico de Sponheim & Laventhall uxorem dedit, Ducatus Carinthiæ a familia Muerztballenſium, & Eppenſteiniorum* Comitum translatus eſt ad ſtirpem haud dubie cognatam, Comitum de Lavanda

Lavanda de Comit. v. Sponheim. & Ortenburg.

valle, in Henrico III. Engelberti filio, quos recentiores vocant *Comites Sponheimenſes de Ortenburg.* v. tabul. 3. genealog. P. Frælichii Archontol. Carinth.

Henricus vero II. Dux hæredem bonorum ſuorum ſcripſit Leo-

Henr. III. Dux Carinth.

poldum Marchionem noſtrum, ita MS. Genealog. Vorav. *Et factus eſt hæres Luipoldus Marchio ex teſtamento poſſeſſionum & miniſterialium voluntate Henrici Ducis de Eppenſtein*, in bonis nempe gentilitiis, ſeu avitis Eppenſteinii Ducatus prædiis, erant vero hæc *vallis Martia & omnis moderna Styria ſuperior*, Eppenſtein arx enim prope Judenburgum erat, in ruderibus adhuc exiſtens, unde Ducatus Eppenſteinius idem cum valle Martia & Styria ſuperiore fuerat. Jam vero Diſſert. 4. cap. 5. §. 4. obſervavi, Styriam ſub Leopoldo noſtro eximie fuiſſe auctam, nimirum non ſolum Styria moderna ſuperiore, ſed etiam inferiore, cum Marchiam eam Carinthiæ adhuc adminiſtraret Leopoldus, ut ibid. obſervatum, & Lazius cit. docet, errans in eo, quod Leopoldum hunc fratrem Henr. II. Eppenſteinii cenſeat. Errat etiam Megiſerus lib. 7.

Leop. fort. hær. Eppenſtein. & Murztall.

Eppenſtein arx.

An Arbo vel Erbo Dux Carinth.

cap. 49. docens Henrico II. def. Duci ſucceſſiſſe Arbonem vel Erbonem Ducem Carinthiæ, cum hic teſte Urſpergenſi jam an. 1102 obierit, v. Frælich. Archont. Carinth. p. 2. fol. 201.

An. 1128.

ANNO 1128.

Indict. 6. Honorii II. P. 5. Lotharii II. Imp. 4. Leopoldi Styr. March. 7.

Runenſe monaſt. fund. a Leop. for.

Ne tantæ, ſuperum munificentiæ ingratus foret Leopoldus noſter, ſacræ Ciſtercienſium familiæ, cujus fama de B. Bernardo Clarevallenſi Abbate jamjam ubique percrebuerat, altero ab urbe Græcenſi lapide domicilium primum ſtatuit in valle Runenſi, ita nos docet MS. geneal. Vorav. dicens: *Reinenſe ſeu Rovvnenſe monaſterium fundavit, tam de ſuis, quam de Comitis Waldonis mediis prædictis &c.* Waldo Comes Runenſis an. 1103. adhuc in vivis erat, ut ibidem oſtendi, quo vero anno obierit, definire non poſſum, vivente adhuc Ottocaro IV. defuncto, huncque a Waldone hæredem factum, attamen ſub titulo oneroſo fundationis cujusdam religioſæ, exhibui Diſſert. 4. cap. 4. §. 9. ſecus enim hæc Comitis Waldonis bona, non ita probe diſtinxiſſet author cit. a mediis Leopoldi. Litteræ fundationis non exſtant quidem, colliguntur tamen eædem ex alio Leopoldi fortis diplomate hoc an. Græcii dato (v. mea diplom. num. 7.) quo expreſſis verbis teſtatur: *Hunc enim locum*, inquiens S. Mariæ ad Rune, *ipſi ſanctæ Dei*

Waldo Com. Runenſ. ejus hæres Ottoc. IV.

geni-

genitrici, ſemperque Virgini Mariæ pro mea meorumque ſalute a fundo conſtruxi, fovi, dilexi. Idem habet tabula Conradi an. 1138. data, inter mea diplom. num. 8. v. plura Diſſert. 4. cap. 5. §. 2. & 3.

Eodem vero hoc anno Leopoldus noſter Græcii exiſtens, eidem monaſterio Runenſi benefecit, *dum inſtinctu dilectæ conjugis Sophiæ* cuidam miniſteriali ſuo *Rudigero prædium quoddam in Hartperch Bavaricæ metæ &c.* ea conditione tradidit, ut ſi Rudiger ſine prole maſcula decederet, idem prædium Runenſi moaſterio obveniret, v. diplom. 7. in fine & annot. deſuper. *Græcii exiſtit Leop. fortis.* *Hartberg prædium donat Run.*

Nondum tamen perfecta & completa eſt fundatio Runenſis hoc anno, templum ex quadro lapide erexiſſe adhuc Leopoldum ſcribit Cl. Puſchius Chronol. Sacr. Duc. Styriæ part. 1. fol. 302. Illud certius, eundem adhuc Leopoldum de prima Runenſi colonia egiſſe, ita enim habet tabula Conradi de Leopoldo noſtro: *Hic ergo monaſticum ordinem diligens quosdam ferventiſſimi propoſiti monachos de Eboracenſi monaſterio adſcivit, eosque in valle, quæ dicitur Rune collocans &c.* *Runicenſ. I. colonia.*

Gerlacus itaque de Dunkenſtain nobili Styrorum familia (de qua in fine inter diplom. recurret mentio) oriundus, Runenſis Ciſtercii Abbas primus, ad petitionem Leopoldi Marchionis noſtri datus eſt ab Adamo Abbate Eboracenſi hoc vel ſeq. anno, cœpitque hanc Abbatiam conſtruere in honor. SS. Trinit. & B. V. M. ſumptus ſuperflue ſuppeditante non ſolum Leopoldo & Sophia, ſed ſubſequis etiam Styriæ Principibus, ut per decurſum patebit. *Gerlacus I. Ab. Run. ex fam. de Dunkenſtein.*

Conradus Alemanniæ Dux Lothario Regi rebellis varios ſibi Epiſcopos hosque inter Anſelmum Mediolan. Archiep. & Gerardum Aquil. Patriarcham attraxit, hunc ſede movit Honorius II. Papa, teſte Baronio ad hunc an. quo *Petrus Presbyter Cardinalis tituli S. Anaſtaſiæ Ravennam miſſus eſt, ubi congregata Synodo depoſuit Aquilejenſem & Venetiarum ſeu Gradenſem Patriarchas.* Ita Baron. ex vetere Pontificali. Cauſam tamen ſe non inveniſſe teſtatur; in magno Chron. Belgii cauſa datur, *quia invenit ipſos ſchiſmaticis favorabiles exſtitiſſe*, eandem cauſam adfert, Dandulus ad an. 1130. diligentiſſime rem totam exequitur Conradus I. Salzb. Archiep. binis deſuper datis epiſtolis, altera ad Ottonem Epiſc. Bamberg. altera ad Canonicos ejusdem Eccleſiæ, in iis ait, *abjectum de ſede* Gerardum *indignam ſatis omni Eccleſiaſtico regimine perſonam - - - eliminatam fuiſſe veterum ſpurcitierum, quæ longo illic* Aquilejæ *tempore dominata fuerat, credebamus fæditatem*, quæ verba non recentem ſolum Conradi Regis factionem, ſed etiam ſchiſma Henricianum innuere videntur, cui ſe involvit Gerardus. *Gerard. Aquilej. deponitur.* *Et cur?*

Dejecto Gerardo in ejus locum *Decanum Eccleſiæ Babenbergenſis* ſuffectum diſſerte prodit Conradus Salzb. Archiep. ex littera initiali Egelbertum vocari potuiſſe conjicit author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 225. aſt mox turbæ ortæ ſunt, pluresque pœnituit electionis peractæ, nec ſedis poſſeſſionem adiit Engelbertus, qui mox ad Conradum fugit Juvaviam, ab eoque, cum manere nollet, enixe commendatus eſt Ottoni Epiſcopo Bamberg. unde ſedes Aquilej. ad an. uſque 1132. vacaſſe videtur, ut oſtendit de Rubeis monum. Aquil. cap. 59. num. 6. & 7. *Egelbertus Patr. Aquil.* *Expellitur Aquil. interr.*

Salzb. exuſtum. Has inter turbas Eccleſiarum, Salisburgenſis Cathedra cum urbe non minimum recepit damnum, dum 4. Maji Baſilica S. Ruperti cum tota civitate conflagraret, ita Chronograph. Admont. *an. MCXXVIII. Baſilica Salzburgenſis exuſta eſt, totaque civitas ignibus abſumpta*, Chron. vero Salzb. ad an. præced. ait: *Baſilica S. Ruperti exuſta eſt in nonis Maji*, uti & Vitus Prior Eberſpergenſis, ſed hoc anno id contigiſſe inde arbitror, quod incendium hoc poſt pacificationem Hungaricam æſtate vel autumno prioris anni factam evenerit.

Nova Baſil. Salzb. a Conr. I. exſtruitur juvante Stephano II. Reg. Hung. Caſum hunc triſtem nil moratus Conradus antiſtes, eodem anno novam Baſilicam ad culmen perduxit, adjuvitque Conradum egregie Stephanus II. Hungariæ Rex nuper eidem conciliatus, ita commentarius vitæ dicens, a Stephano miſſum eſſe nuntium *oneratum auro, argento & palliis innumeris, quibus ditatum adhuc apparet ejusdem Eccleſiæ ſacrarium.* Et ſane magno fuiſſe ſubſidio hunc Regem apparet ex eo, quod *cum hæc eadem Eccleſia exuſta fuiſſet &c. in die B. Rudberti conſecrata eſt dedicationis ſolemnitate antiqua non mutata.* Conſentit Chronogr. Admont. cit. ad hunc an. dicens: *Secunda dedicatio Baſilicæ Salzburg. a Domino Conrado Archiep. facta*, cauſam incendii, aliaque de epocha exuſtionis hujus adfert author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 949.

Salzb. dedic. ada

Henr. III. Dux Car. e Com. de Sponheim. Dixi anno præc. Henricum juniorem ſeu III. Ducem Carinthiæ ex familia Comitum de Sponheim & valla Lavanda fuiſſe factum, hujus frater erat *Bernardus Comes Carinthiæ*, cujus uxor *Cunegundes Ottocari IV. filia* Leopoldi fortis ſoror. Dixi jam an. 1099. Starcandum ſeu Popponem March. Carinth. & Weringardum ejus fratrem, tortores crudeles B. Thiemonis Salzburg. Archiep. licet Dominos in Carinthia potentiſſimos a Comite Bernardo cum pauciſſimis militibus Carinthiam ſubeunte, funditus contritos, & ad nihilum fuiſſe redactos, hoc itaque anno id factum opinor, quo Bernardi frater Henr. III. Dux Carinthiæ eſſet.

Bernardus Com. Carinth. Expellit Popponem &c. March. Carinthia.

Uxor Chuneg. Ottoc. IV. filia. Bernardi hujus pluribus meminiſſe oportet, cum Chunegundam Ottoc. IV. filiam uxorem habuerit, docet id MS. geneal. Vorav. in Ottoc. V. ita diſſerens: *Bernardi Comitis de Carinthia, qui amitam ipſius Chunegundem habuit in uxorem.* Si itaque Chunegundes amita fuerit Ottocari V. conſequenter Leopoldi fortis ſoror, atque Ottocari IV. filia eſt dicenda, atque hæc affinitas Bernardi Comitis Carinthiæ, cum Leopoldo Styr. March. perterruerit Popponem, ac Weringardum, longe plus, quam modica manus militum in Carinthiam ducta, præſertim cum eum Henrici Carinthiæ Ducis fratrem noſſent, Bernardi hujus Comitis Carinthiæ Genealogiam breviter attingo, Frælichius Archont. Carinthiæ tabul. 3. Genealog. Bernardum hunc Engelberti Comitis de Sponheim, & valle Lavanda, ac circa an. 1120. Iſtriæ Marchionis filium ſtatuit, ac fratrem Henrici III. ac Engelberti II. Ducum Carinth. uti & Hartwici Epiſc. Ratisbon. ab an. 1110. ad 1126. hunc tamen Hartwicum ea in ſerie omittit in ſpecimine 1. Geneal. Souneck. fol. 8. ubi Bernardum an. 1147. in Palæſtina mortuum docet, ſed in Archontol. Carinth. cit. 1148. Bernardum hunc fratrem Henrici III. fuiſſe, proin filium Engelberti prodit etiam author vitæ Conradi I. Salzb. ita loquens: *Poſt hunc Henricum* (II. nempe & Eppenſteinium) *perſecutores habuit*, Conradus nempe *etiam Henricum III. qui junior eſt appellatus*,

Bernardi Gen.

Hartwicus Ep.

&

Richard. Sigefr. I. de Sponheim uxor quæ?

gelberti I. & filii Friderici ac Richardis dictæ, uxor denuo tribuitur Richardes, non quidem ab Haſelbachio, nec a Frælichio, ſed ab Hübnero cit. Hæc quænam fuerit, ignoro? certe non Henrici II. Eppenſteinii & Ducis Carinthiæ filia, eam enim Hadwigem & Engelberti nobis 1*mi* Marchionis Iſtriæ uxorem nominat Hübnerus & Haſelbachius cit. 3*tio* Henricorum ordinem jam a me in textu ipſo correctum, legitimum & cum Haſelbachio convenientem eſſe ex eo liquet, quod Haſelbachius Henricum III. per IV. expulſum dicat, quod vulgo ſolum de Henrico IV. & V. ſtatuitur. 4*to* Gothardo Salisb. ſubſtituendus eſt Gebhardus. 5*to* Helwigem Henr. II. Ducis Carinth. unicam filiam docet Hübnerus, Haſelbachius, quænam fuerit hæc Helwiges? tacet, uti & Frælichius in tab. 3. Geneal. Archontol. Carinth. probabile id tamen videtur eo, quod alias ratio non appareat, cur Henricus II. Eppenſteinius Leopoldum noſtrum hæredem avitarum ditionum ſcribens, eum tamen in Ducatu Carinthiæ poſtpoſuerit Henrico III. niſi hic nepotis titulo præferendus videretur, Helwigem hanc tanquam fundatricem Monaſteaii S. Pauli in Carinthia cum marito Engelberto ibidem ſepultam teſtatur Megiſer. lib. 7. cap. 40. 6*to* Bellum illud Engelberti I. Iſtriæ Marchionis cum Henrico II. Duce Carinthiæ fors ortum fuerit, ante annum 1090. ob Gebhardum Salzb. cui Engelbertus I. adſtitit contra partes Henric IV. Imp. Luitoldi Ducis tum Carinthiæ & fratris ejus Henrici II. tum Iſtriæ Marchionis. De bello Engelberti I. contra Udalricum Patr. Aquilej. & Henrici II. fratrem dixi an. 1112. ubi etiam notavi Engelbertum pœnitudine ductum an. 1120. Udalrico Patriarchæ Aquilej. de damnis ſatisfeciſſe. 7*mo*: Inter filios Engelberti I. erat etiam Hartwicus, quem Frælichius Ratisbon. Ep. Hübnerus vero, Megiſerus, & Haſelbachius Magdeb. Archiep. vocat. Idem ſe teſtatur binos Hartwicos, inveniſſe Ep. Ratisbonenſes, fine ſæc. 11. & initio ſæc. 12. ad 1126. uſque, qui eo anno Wettenburgenſem Abbatiam pulſis S. Bened. Monachis tradidit Can. Reg. S. Aug. accito Hartwico Præpoſito ex Monaſterio S. Floriani, hunc Hartwicum I. appellat Frælichius, ſecundum vero, qui ab an. 1155. ad 1164. Ratistisbonæ præfuit Engelberti II. filium arbitratur, uti & Haſelbachius cit.

Engelb. I. Mar. Iſtriæ & Helwiges uxor fundat Mon. S. Paul.

Hartwic. I. ſæc. 11. fine Hartwicus II. ſæc. 12. Ep. Ratisbon.

Hartwic Præp. e S. Florian. Monaſter. datus in Wettenburg.

Bernardum Comitem Carinthiæ Cunegundis Ottoc. IV. filiæ maritum veteres ſolum Carinthiæ Comitis titulo indigitant, Haſelbachius *Comitem de Strübſin*, Hübnerus *Comitem de Liebenau*, Megiſerus *Comitem de Strichſee*, ac fundatorem Monaſterii S. Mariæ de Victoria appellat, in quo ſibi tamen cap. 44. & 46. contradicit, dum cap. 44. in Geneal. Sponheim. Bernardum hunc, & cap. 46. Mainhardum Comitem de Malentein cum uxore Cunegunda fundatorem Victorienſem decernit.

Bernard. Com. Car. an fundat Victorienſ. Mon.

An. 1129.

ANNO 1129.

Indict. 7. Honor. II. P. 7. Lothar. II. Imp. 5. Leopold. Styr. March. 8.

Conrad. I. conſ. Reicherſp. Eccl. & confirm.

Conradus Archiep. Salzb. qui an. 1126. Eccleſiam Reicherſpergenſ. dedicavit, hoc anno ejus fundationem graviſſimis tabulis confirmavit, invaſoresque bonorum perpetuo anathemate obſtrinxit, acceſſit vero

eodem

eodem anno ad palatium Regis in Saxonia, Goslariæ Paſcha celebrantis; varii Regem in loco Stocka dicto convenere Epiſcopi, hosque inter Conradus Salzburg. antiſtes. Cur Conradus eo venerit? latet quidem, veroſimilius motus Conradi Alemanniæ Ducis hiſce Conventibus pluribus cauſam dederint, nec incongrue ſuſpicari poſſem, motus Carinthiæ Conradum attentum reddidiſſe, conſtat ſiquidem etiam Henricum III. Carinthiæ Ducem cum fratribus Engelberto & Bernardo ſatis moleſtos fuiſſe Conrado, ait enim biographus Conradinus ſequentia: *Poſt hunc*, Henricum nempe II. ſeu ſeniorem, *perſecutores habuit alium Henricum, qui junior appellabatur*, ſeu III. *& priori Henrico mortuo ducatum Carinthiæ obtinuit, & fratres ejus Engelbertum & Bernhardum Comites, ſed Henricus III. feſtina morte ſublatus*, ut an. ſeq. dicetur, *Engelberto fratri crudelitatem, quam contra Eccleſiam ſuſcitaverat, proſequendam cum Ducatu dereliquit.*

Henr. III. Dux Carinth. ſequit. Conr. I. Salzb.

Eodem anno Conradus judicium celebravit apud Laufen pridie Kal. Aug. præſentibus Friſingenſis Ratisbon. Patav. & Eiſtettenſis Eccleſiæ Clericis & Monachis Principibus etiam nonnullis ac Reginberto Brixinenſi Epiſcopo, in cauſa Ellenhardi Friſing. Epiſc. an nempe in hæreſi Wicberti obierit, & definitum eſt eum in gremio Catholicæ Eccleſiæ defunctum, teſtes erant *Abbas Salzburg. Paldricus, Abbas Seilenſis Guntherus Præp. Salzb. Hermannus, Præp. Chimſeenſis Hartmannus &c.* ex quibus proin contra Hundium patet Hartmannum e Decano Salzb. non an. 1131. ſed hoc an. ante 31. Julii fuiſſe Præpoſitum in Chimſee nominatum, Sigeboldus Decanus Salisburg. ſucceſſit, ut v. an. 1158.

Laufenſ. Conv.

Hartman. e Dec. Salzburg. Præp. Chimſee. Sigeboldus Dec. Salisburg.

Hæc inter Leopoldus noſter fabricæ Runenſi intentiſſimus, antequam ei ſupremam manum adderet, præcoci funere obiit 7. Kal. Novembris, quæ dies tamen utcunque incerta eſt, ut Diſſert. 4. cap. 5. §. 7. oſtendi, Runæ ſepultus eſt, ut ibidem dictum; Princeps erat, qui felici fœdere pietatem bellicæ virtuti conjunxit.

Leopfort. obit.

Proles reliquit tres, Ottocarum V. fundatorem Voravienſem, Eliſabetham, & Margaretham filias, de quibus Diſſert. 4. citat. ſermo erat. Diepoldum Leopoldi filium Ottocari V. fratrem, aliis Luipoldum dictum, veterum documenta non ſtabiliunt, quamvis Lazius de migr. gent. fol. 178. eundem adſtruat docens, Ottocarum V. cum fratre ſuo Marcham diviſiſſe, ſuperiore ſibi reſervata, in qua ampliſſimos Comitatus hæredibus deſtitutos comparavit, ut & Comit. Budenſem, lege Buttinenſem in Auſtria, de quo inferius. Eundem Ottocarum V. in Comitatu Marchburg, ab Imp. Rom. inſtitutum, Lazius cit. docet, Enenckelius Ottocarum IV. eundem Comitatum emiſſe ſcribit, mihi vero Diſſert. 4. cap. 4. §. 9. probabilius videbatur, Comitatum Marchburg jam ſub Leopoldo forti Styriæ acceſſiſſe.

Ejus proles Ottoc. V. Eliſab. Margaretha. Diepold. v. Leopold. non fuit ejus filius.

Marchburg Comitatus Leopold datus.

Succeſſit defuncto Leopoldo Ottocarus adhuc inter Crepundia ludens, poteratque infelix videri Patria noſtra, niſi ſuperſtes Sophia mater magnitudine animi virum æquans, rempubl. gubernandam ſuſcepiſſet: quoniam vero Leopoldus Princeps noſter præter Styriam etiam Marcham Carinthiæ orbam reliquerat, Marcha hæc Hungariæ vicina, viro committi debuit, huncque Frælichius Geneal. Souneck Comit. ſpe-

Ottoc. V. ſucc.

cimine

Hocheuwart de Gunther. Mar. Car. pro Ottoc. V. Runen. Monr.es.

cimine 1. fol. 29. Guntherum de Hochenwarte appellat, de quo ad an. 1137. redibit mentio, ut & an. 1165.

Runenſis interim fabrica morte Leopoldi non ceſſavit, ſed continuis incrementis felix ſurrexit, nec mirum, cum iidem aſcetæ religioſiſſimi patrem quidem in Leopoldo amitterent, ſimul vero matrem in Sophia invenirent, nec deerat novus in Ottocaro dein adulto pater, qui, quantum Runenſibus benefecerit, uberius per decurſum patebit.

An. 1130.

ANNO 1130.

Indict. 8. Innoc. II. P. 1. Lothar. II. Imp. 9. Ottoc. V. March. Styr. 1.

Honor. II. P. †

Non multo poſt Leopoldum March. noſtrum viam univerſæ carnis ingreſſus eſt Honorius II. Papa Romanus: occultata eſt mors Pontificis imminentis tumultus formidine, donec potiores Cardinales alte-

Innoc. II. P.

ro mox die Innocentio II. Petri claves conſignaſſent; ſed ea res, non remedium, ut putabatur, attulit, ſed novo etiam ſchiſmati occaſionem dedit. Indignati ſiquidem Cardinales reliqui ſe neglectos, eadem die

Anaclet. II. Antipapa.

rejecto Innocentio, Petri Leonis Frangepanis filium appoſito Anacleti II. nomine Pontificem dixerunt, ita tenaciter, ut Innocentius urbem relinquere, ſeque in Galliam recipere cogeretur: exulis tamen Innocentii partes amplexa eſt Francia, Germania, Hiſpania, Anglia, & non modica Italiæ pars.

Conradus Metropolita noſter eidem Innocentio adhæſit, eique miſit epiſtolam, qua de illatis ab Henrico Carinthiæ Duce injuriis eſt conqueſtus, uti & de domeſticis, qui rigorem vitæ Canonicæ ſeu regularis ferre nolebant. Scripſerat etiam Innocentio Henricus III. Dux Carinthiæ ob Eccleſias quasdam a Conrado interdictas; epiſtolam Innoc. ad Conradum adfert author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 227.

Henr. III. Dux Carinth. obit, Engelbertus II. Dux ſucc.

Henricus III. Dux Carinthiæ, hoc itaque anno non præcedente obiit, ſecus enim ad Innoc. II. ſcribere non potuiſſet, feſtina morte ſublatum an. ſuper. ex anonymo Conradi oſtendi. Succeſſit ei Engelbertus II. frater, de quo omnino pauca ſuperſunt. Poſt Febr. menſem ſucceſſiſſe debuit, cum Innoc. II. Papa 17. Febr. electus Conrado ſcripſerit, *pro quibusdam Eccleſiis a te interdictis nos Henricus Dux Carinthiæ poſtulavit.* Cum vero in Untersdorff. Can. Reg. Cœnobii charta a Lothario edita *an. MCXXX. indictione* 7. Engelbertus jam Dux Carinthiæ appelletur, conjicio Henricum III. poſt menſem Febr. hujus anni, & ante Kal. Septembr. vel 8. Kal. Octobr. quo Conſtantinopolitana & Conſtantiniana indictio 8. jam currebat, fuiſſe defunctum. Henrici frater, cum fuerit Engelbertus ex familia Comitum de valle Lavanda, ſeu Sponheimenſium & Ortenburg. deſcendit.

Anaclet. II. Antipapa; Conrad. Aleman. Dux excommun.

Redeo ad Conradum noſtrum, qui poſt acceptas ab Innoc. II. litteras in Conc. Wirzburg. rem egiſſe contra Antipapam pro Innocentio videtur, quo in Conc. excommunicati Petrus Leonis Antipapa, Conradus, & frater Fridericus cum omnibus faventibus, dein a Lothario Rege Conradus noſter cum Ecberto Monaſter. Epiſc. legatus eſt ad Innoc. Papam, ubi dein Synodo Leodienſi anno ſeq. adfuit.

Buce-

Bucelinus German. Sacræ tom. 2. fol. 204. Ottherum vel Otcherum Abbatem S. Lamberti in Styria an. 1125. ſtatuit, ac Jacobo eod. hoc anno ſucceſſiſſe, ſed ex calculo meo ad an. 1114. & 1149. apparebit, Jacobum II. Abbatem non fuiſſe, & ex dicendis an. 1149. & 1159. Udalrici ſucceſſorem factum eſſe Otkerum Monach. Admontenſem. Hartmanno itaque ſucceſſit Udalricus I. Abbas, qui templum ampliavit, & multa præclare geſſit, fuit vero Udalricus hic unus eorum Clericorum Garſtenſium, qui circa an. 1108. Monachum profiteri in Garſten eſt coactus, & de quo biogr. B. Bertholdi apud Hier. Pez tom. 2. fol. 89. ſcribit: *Erant autem, qui remanere cogebantur Dominus Udalricus, poſtea apud S. Lambertum Abbas &c.* v. an. 1149. & 1159.

Udalricus I. Ab. II. S. Lamb. in Styria.

Jacob9 non fuit II. & Otckerus n. fuit III. Abb. ibidem poſt Jac.

Illuſtriſſimæ proſapiæ inter Styros, Wurmbrandiorum, hoc anno prima, ut opinor, recurrit mentio: *Othmarus* nempe *Dynaſta de Wurmberg* ex proceribus Styriæ primi ordinis occurrit in antiquis tabulis Monaſterii Admont. hujus anni, teſte Excell. Wurmbrandio in collectan. Geneal. hiſtor. fol. 41. ejus filii erant *Conradus*, & *Leopoldus Dynaſtæ de Wurmberg*, eorum inſigne primum exhibebat draconem ſeu baſiliſcum nigrum in ſolo aureo expanſis alis colli viridi inſiſtentem ad notandam duplicem paronomaſiam, quæ in nominibus Wurm & Berg reperitur. Conradi poſteritas maſcula exſtincta eſt in nepote, & Wurmbergenſis Dynaſtia per matrimonium *Margarethæ Wurmbergicæ* in familiam Dynaſtarum de Pettau eſt translata, Leopoldus vero nomen & arma gentilitia nonnihil mutavit, retento enim baſiliſco, ſive dracone nigro, veluti gentilitio ſymbolo, in area argentea collocato, roſtro ejus titionem utrimque ardentem indidit, utque cum inſignibus nomen conveniret, a vermis & titionis voculis Wurmb & Brand appellari voluit.

Wurmberg ſeu Wurmbrand fam. Styr. Othmarus Conrad. Leopold.

Inſigne eorum.

Wurmberg arx quomodo ad Pettavios translata Margareth.

Inſigne mutatur.

Unde nomen Wurmbrand.

Arcem vero cognominem, cujus rudera quædam hodiedum prope Ehrumbach Auſtriæ caſtrum ſuperſunt, e fundamentis erexit, & ſub finem ſæc. hujus vixit. Tardiore ævo, ſæculo nempe 16. *Ernricus ſeu Honorius* Auſtriacæ, frater vero ejus Styriacæ author fuit *Rudolphus*, poſſederuntque bona Stuppach, Steyersberg, Stickelberg, Reitenau, Wolkerſtorf, Sachſenbrunn &c. Supremi in Styria Magiſtri Culinæ & Bacilliferi munere funguntur.

Arx h. nom. in Auſtria.

Ehrnricus vel Honorius, Rudolphus eorum caſtra officia.

Bucelinus ſtemmatogr. Germ. Sacræ tom. 4. eorum geneſim a ſæc. primum 15. ſeu an. 1490. in Antonio orditur, maturius Hübnerus tab. 634. ſeu utcunque erronee, inſiſto veſtigiis Excell. Wurmbrandii, cui gens ſua optime perſpecta fuerit, ac ſequens fragm. Genealog. ad ſæc. 13. uſque ſtatuo, plura ſubſequis tomis dicturus.

Antonius de Wurmb. ſæc. 15

Othmarus Dynaſta de Wurmberg, an. 1130. ex docum. Admont. uxor N.

Othmarus.

Conradus Dyn. de Wurmberg. N. Filius ſine hæred. obiit. *Margaret.* Mar. N. *de Pettau*, ad quos dein Dom. *Wurmberg* devenit.

Conr. I. Leop.

Leopold. Dyn. de Wurmberg inſigne & nomen mutat dictus primus de *Wurmbrand*, vixit an. 1194.

Henricus I. Wurmbrand de Stupach, obiit an. 1265. Glocknizii ſepultus.

Henricus I.

Stephanus an. 1272. cl. † 1301. Glocknizii ſepult. *Conradus II.* an. 1272.

Stephanus. Conrad. II.

& priore Henrico mortuo Ducatum Carinthiæ obtinuit, & fratres ejus Engelbertum & Bernardum Comites. Sed aſcendamus in ſerie Bernardi hujus. De ſtirpe Sponheim. ſeu Comitum de valle Lavanda deſunt vetuſti authores. Thoma Haſelbachio ſæc. 15. ſcriptore vetuſtiorem nondum inveni, hic vero apud P. Hier. Pez tom. 2. ſcript. Auſtr. pag. 799. ita ſcribit: *Fertur etiam, quod Comes de Pfanheim* (lege *Sponheim*) *Fridericus nomine Germanus B. Hartvvici Juvav. Archiep. tempore Ottonis III. & Henrici Imp. ex Richarda majoris Carinthiæ genita, genuit Engelbertum Comitem de Lavanda, qui ſeniori fratri ſuo Sigefrido cedens Carinthiam inhabitavit, qui Engelbertus* (Frælich. in tab. 3. Geneal. cit. primus) *tempore Henrici III.* Imper. ſeu Cæſaris vulgo IV. *per Henricum IV.* vulgo V. *expulſi ſtrenua egit Gothardum Juvavenſem ob ſchiſma expulſum reduxit, monaſterium S. Pauli in valle Lavant. O. S. P. fundavit, frequens bellum cum Henrico Duce de Eppenſtein habuit, & ex Hedvvige uxore ſuſcepit filios Hartvvicum Magdeburg. Archiep. Henricum nempe III. Carinthiæ ducem hæredem in Ducatu patrini* (ſeu ut Aventin. Annal. Baj. lib. 6. pag. 640. adoptantis Patris Henrici de Eppenſtein) *Engelbertum II. Ducem Carinthiæ poſtea Sigefridum & Bernardum Comites de Strubſin &c.* Ex hoc itaque Haſelbachio & P. Frælichio ſequens ſchema Genealog. Bernardi ſtatui poſſet. *B. Hartwic. Archiep. Salzb.* *Hartwic. Magdeburg. Archiep.*

Fridericus Com. de Sponheim, & Ortenburg, uxor *Richarda* Comes de valle Lavanda. — *Hartvvicus* ex ead. fam. Archiep. Salzb.

Sigefridus Com. de Lavanda valle ux. *Richardes* hær. Comit. Lavant. ita Hübner. tab. 560. — *Engelbertus I.* Com. de valle Lavanda Marchio Iſtriæ ante 1120. ux. *Hedvviges* unica filia Henrici III. nobis II. ſeu Eppenſteinii Hübner. cit.

Henr. III. Dux Carinth. an. 1128. † an. 1130. — *Hartvv. I.* Ep. Rat. ita Frælich. ſed Hüb. & Aventin. Arch. Mogun. Haſelbachius vero Magdeb. — *Engelbertus II.* Iſtr. Mar. a. 1128. Dux Car. 1130. monachus an. 1135. † curr. 1142. — *Hartvvic. II.* Ep. Ratisb. 1155. ad 1164. — *Bernard.* Com. Car. †1148. in Palæſt. ux. Cuneg. Ottoc. IV. fil. Hübn. eum Com. de *Lilienau*, vocat Haſelb. Com. in Strubſin. — *Sigefrid.* Com. in *Strubſin*, Hübner. in Lavant.

Anteriorem horum Comitum Genalogiam licet admodum dubiam, ut fatetur ipſe, Hübnerus cit. refert, cui non immoror. Quædam tamen ab Haſelbachio contra fidem hiſtoricam narrata hic obſervo, & *primo* quidem non eſt conceptibile, quomodo Fridericus frater B. Hartwici Salzb. proin circa an. 1127. def. Richardem uxorem habere potuerit, non quidem filiam Henrici II. Richardem nominat Haſelbachius, ſed ſolum ait: *Richardam majoris Carinthiæ genitam:* quæ proin hæc fuerit? aliis diſcutiendum relinquo, veroſimilius Hübnerus judicat Richardem Friderici uxorem fuiſſe Conradi II. Ducis Carentaniæ (mihi nomine primi) ſororem, Ottonis Franconiæ, ac dein Carentani Ducis filiam, idque cauſæ etiam ſuſpicor, cur Henricus II. Dux Carinthiæ, Henricum III. Richardis hujus nepotem, & filiæ ſuæ natum ſibi Ducem & ſucceſſorem adoptaverit. *2do:* Sigefridi ſenioris fratris Engelberti *Richardes Frider. Sponheim uxor quæ.*

Carinthiæ, quorum primus an. 1161. in Jonio mari periit, Hartwicum Ratisbon. Epiſc. & Adelhaidem primam Abbatiſſam Göſſenſem in Styria, quibus Aventinus addit Rapatonem I. huj. nom. Comitem Ortenburgi, & Palatinum Craynburgi in Bavaria. Sed Genealogiæ huic contradicit P. Frælichius Archont. Car. tab. 3. Geneal. etenim 1mo Henricus ille IV. Dux Carinthiæ non Engelberti filius, ſed nepos erat, ac in Jonio mari merſus eſt, & Engelbertus, nobis III. etiam filius Engelberti illius, ſeu II. fuit. 2do omnino falſiſſimum Adelhaidem filiam fuiſſe primam Abbatiſſam Göſſenſem, prima etenim Abbatiſſa Göſſenſis an. 1004. fuit Chunegundes filia Aribonis Com. & fundatoris Göſſenſis, ut ibidem dictum, ſecundæ Abbatiſſæ Göſſenſis nomen erat quidem Adelhaides, quo tamen ex ſtemmate fuerit ea? ignotum, id certiſſimum, non fuiſſe Engelberti III. vel II. Ducis Carinthiæ & Iſtriæ March. filiam, utpote his prope 100. annis ſuperiorem.

Adelhais n. fuit 1ma Abb. Gſſ.

ſed Chunegund.

Adelhais II.

ANNO 1132.

An. 1132.

Indict. 10. *Innoc. II. P.* 3. *Lothar. II. Imp.* 8. *Ottoc. V. Styr. March.* 3.

Rediit ex Gallia in Italiam Innoc. II. Papa, ad quem circa feſtum Aſſumpt. B. V. M. Lotharius Rex venit coronam imperii petiturus, apud villam medicinam colloquium habuit, promiſitque ei Papa coronam, ſi armata illius dextera ad urbem reduceretur, de quo pl. an. ſeq. Eod. hoc an. 8. menſ. Octob. obiit Hildeboldus Ep. Gurc. ita catal. Gurc. vel an. præced. ut Chronogr. Salzburg. uti & Chronic. Honorii MS. & vulgatum. Succeſſit Romanus, de quo pl. per decurſum.

Innoc. II.

Hildeboldus Ep. Gurc. † Roman. I. ſucc.

Vacantem ſedem Aquilejæ ingreſſus eſt hoc an. Peregrinus, uti ex Diplom. Innoc. II. ad eundem patet, quo ei 16. Epiſcopatus ſubjicit, pallii uſum, atque crucis deferendæ poteſtatem largitur &c. Illuſtrem Peregrini ſtirpem innuit Thomas Eberndorfferus de Haſelbach in Chron. apud Hier. Pez tom. 2. pag. 798. *Narrant hiſtoriæ*, inquiens, *quod circa an.* 1168. *tempore Frider. I. fuit Henricus Dux Carinthiæ, cujus Hermannus & Piligernus*, ſeu *Peregrinus Patriarcha filii, morientes Ulricum filium Com. Wolfhardi hæredem reliquerunt, qui & Ducatum ſedi Aquilej. obtulit &c.* Frælichius tamen Peregrini hujus in tab. 3. Geneal. Ducum Carinth. e familia Comitum de valle Lavanda non meminit, nec leve ſane dubium in hac Haſelbachii narratione occurrit, 1mo enim anno 1168. non Henricus, ſed Hermannus Dux Carinthiæ fuit. 2do Hermannus ille non Henrici ſed Udalrici I. Carinth. Ducis filius fuit. 3tio: Fallitur Haſelbachius, licet non ſua, ſed hiſtoriarum fide narrans ab Hermanno & Peregrino morientibus *Ulricum filium Com. Wolfhardi hæredem* relictum, ac Ulricum *ſedi Aquilej. obtuliſſe Ducatum.* Hermannus enim moriens reliquit filius Udalricum II. vel III. Carinth. Ducem uti & Bernardum, quos proin in Ducatu præterire nec potuit, nec voluit. Sphalma hoc corrigit anonymus Leob. in Chronic. ad an. 1168. apud cit. Pez tom. 1. dicens: *Hainricus Dux Carinthiæ, hoc tempore Hermannum virum egregium, & Hainricus Dux Bavar. Leupoldum filium, Prigrinus Dux Bavariæ Ulricum, morientes reliquerunt. Hic*

Patr. Aquilej.

An filius Henr. III. Duc. Car.

Herman. Dux Car. an. 1168.

Ulricus filius Comitis Wolfhardi de Creven, totum Comitatum obtulit ſedi ſuæ, de quibus plura inferius.

An. 1133.

ANNO 1133.

Indict. 11. *Innoc. II. P.* 4. *Lothar. II. Imp.* 9. *Ottoc. V. Styr. March.* 4.

Lothario II. coronatur Imper.

Lotharius Rex nonniſi bis mille millitum ſuccinctus agmine, numerum virtute ſupplente, veris initio ad Innoc. in agrum Piſanum venit, Pontifex dein maritimo, Lotharius terreſtri Viterbium, inde ambo ſimul & junctis copiis Romam ſubiere, ſed perduelles cum Anacleto Pſeudo-Pontifice D. Petri Porticum obſedere adhuc, ac factioſi munimenta urbis tenebant, quibus expugnandis, cum nondum ſufficerent copiæ, Lotharius cum Richenza Aug. in Lateran. Baſilica eſt coronatus, ac dein 6. Id. Junii Innocentius Lothario ejusque genero Henrico Boico ad dies vitæ Mathildis ditiones Roman. ſedi donatas conſignavit.

Gerhohus Præp. Reicherſp.

Wejarn Can. R.

In Comitatu Lotharii non erat Conradus Salzb. cum an. priore poſt mortem Cunonis Ratisbon. Epiſc. Gerhohum ad ſe evocatum, Præpoſitum dederit Reicherſpergenſibus, & hoc an. donationem Sibotonis Com. de Niwenburch & Falkenſtein pro fundandis Can. Reg. in Wejarn confirmaverit. Eodem vero hoc an. Conradus noſter a S. Leopoldo Auſtriæ March. evocatus cum Regimaro Patav. & Romano Gurc. eo venit, horum conſilio uſus eſt Marchio piiſſimus ad reformandam Eccleſiam Clauſtroneoburgenſem, quando *Canonicos ſæculares, qui ſibi videbantur divina negligenter & nimis remiſſe agere, decentiſſime avertit, & Regularibus B. Auguſtini viam regiam, & optimam formam vitæ tenentibus eundem locum perpetuo tenendum, poteſtiva manu tradidit;* ut habet Suntheimius Clauſtron. & Vitus Arenpeck. in Chron. apud P. Pez Hier. t. 1. f. 1189.

Clauſtroneob. fiunt Can. Reg.

Hurtmannus e Præp. Chiemſee. Præp. 1. in Clauſtroneob.

Ejus laus.

Hartmannns olim Decanus Salzb. hoc vero an. Præp. Chimſeenſis cum Conrado præſens a S. Leopoldo datus eſt regularibus Canonicis Clauſtroneob. primus Præpoſitus, vir Deo & hominibus acceptus. Vir hic quanti ſpiritus fuerit? Biographus ejus apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 502. num. 2. declarat docens: *Inclytus autem Marchio, voti ſui cum gaudio compos effectus virum Dei*, Hartmannum nempe, *cum debita veneratione ſuſcepit benedicens Deum, qui, quod ei inſpiraverat, adjuvando proſequebatur. Volens autem Eccleſiam illam abundare de pinguedine terræ, obtulit beato viro plures Eccleſias, in quibus jus præſentandi habebat, ut abundaret opus bonum, & haberet, unde tribueret neceſſitatem patientibus, vir autem Domini, ſicut voluntariæ paupertatis amator, omnino recuſavit dicens: non ſibi tutum fore, ſuſcipere curam tot animarum, ſatisque periculoſum eſſe, de bis rationem reddere, qui ſecum in Monaſterio converſari debebant, & quorum regimini per ſe ipſum paſtorali ſolicitudine intendere poſſet: tandem cum poſt multa conſilia nullo modo poſſet eum inducere nobilis Marchio, ut Eccleſias illas omnes reciperet, providere volens inpoſterum ſuæ novæ fundationi perſuaſit ei, ut ſaltem illam non recuſaret, in qua illa nova Eccleſia fundata erat, dicens, nullo pacto ſe pacem habere poſſe cum Plebano, ſi alter illi Plebeſanæ Eccleſiæ præeſſe deberet. Hac ratione victus ſuccubuit, & Eccleſiam illam, licet cum magno timore, tamen pro bono pacis ſuſcepit.* Non erat ergo Hartmannus eo-

Suſcipit Paroch. Clauſtroneob.

rum

rum e numero, quibus Laici hoc ſcoma intorquere ſolent. *Papæ ſine fundo.*

Romani Gurc. ſupra meminimus, reſerendum jam, quod eo tempore, quo Conradus in Auſtriam profectus inde in Carinthiam tranſiiſſe potuit, factum videtur, quamquam vero Conradus ſæpius uti an. 1135. & 1139. Friſaci fuerit, tamen ex teſtibus inſtrumento mox citando ſubſcriptis videtur, etiam hoc anno in Carinthia fuiſſe poſt bellum nuper inibi geſtum. Gebhardum Salzb. non potuiſſe ob caſus adverſos varios ſupremam manum imponere Gurcenſi Cathedræ, nec ejus limites definire dixi ad an. 1072. & 1075. ac alibi; unde ait author vitæ, *Chunradus implevit, quod minus ille fecerat, ac Epiſcopatui terminos dedit.* Id factum in oppido Frieſach, ut patet ex notitia Admont. num. 14. &c. in codice Diplom. Admont. & apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 231. ex qua proin etiam videmus domum hoſpitalem Frieſach in hon. B. Mariæ Magdalenæ ab eodem conſtructam, ac decimis apud Modniz dotatam, uti & prædio cujusdam Totilonis &c.

Gurc. Ep. term.

Friſac. hoſpit. erigitur.

Dabat præterea operam Conradus, ut caſtrum Frieſacenſe nupero bello vaſtatum reſtauraretur, de quo author vitæ cap. 15. ſcribit: *Quorum alterum, id eſt civitas* Friſacenſis, *a fundamento præcepto ejus ædificata eſt, alterum, id eſt, caſtrum ex majore & meliore parte conſtructum, ac munitum, atque decoratum eſt ab illo; ut potius videatur eſſe domus Imperatoris, quam Epiſcopi, undique verſum intuentibus præbens gratiſſimum aſpectum, quodque cæteris præſtantius caſtris eſt, cum ſitu humile, & ad capiendum non multum difficile videatur, omnino tamen inexpugnabile ſit, multas habens in circuitu munitiones.* Quæ omnia reſerre neglexit Megiſerus lib. 8. cap. 36.

Friſac. civitas ſurgit,

Arx reparatur ab eod. Conrad. Salzb.

Peregrinus Patriarcha Aquilej. Monaſterium Syticenſe in Carniolia ord. Ciſterc. fundavit, ita anonym. Leob. apud Hier. Pez tom. 1. col. 780. Valvaſorius tom. 3. Chron. Carniol. in topographia Sitticii ſat parce de fundatione prima per Peregrinum facta loquitur, uti & tom. 2. fol. 637. in Peregrino Aquilej. nec memorat fundationem hanc factam, ſuſius tamen eam rem omnem exequitur ex eod. tom. 2. fol. 694. &c. qui videri poteſt, ubi & Peregrini fundatoris cum laude meminit.

Peregrin. Patr. Aquil. Sittic. Monaſt. fundat.

ANNO 1135.

An. 1135.

Indict. 13. *Innoc. II. P.* 6. *Lothar. II. Imp.* 11. *Ottoc. V. Styr. March.* 6.

Hiſtoria Friſing. chartam exhibet tom. 1. part. altera inſtrum. pag. 535. ſeq. num. 1282. quæ neſcio, an huic vel præced. anno ſit affigenda? in ea Henricus I. Friſing. Epiſc. cum Friderico Comite de Pilſtein 3. prædia commutavit. Teſtes primi chartæ: *Leopoldus Marchio Auſtriæ: Otacher Marchio Styriæ &c.* acta ſunt hæc in monte Medlicenſi, annus & reliqua inter calamum adhæſerant. Adoleſcebat nempe Ottocarus noſter ſub piiſſimæ matris cura, nobilemque indolem virtutibus, litterisque ſic ornabat, ut Leopoldo Auſtrio magno avunculo in deliciis eſſet, ſibique ſemper a dextris eſſe vellet Ottocarum, ut ex an. ſeq. pluribus patebit denuo.

Pilſtein de Com. Frider.

Ottoc. V. Medlicii agit.

Bamb. Conv. Frid. Suev. Dux reconciliatur Lothar. Imp.

Conventus Babenbergæ celeberrimus habitus eſt die 16. Kal. April. in quo Fridericus Sueviæ Dux obſequium hactenus Lothario abnegatum detulit, atque in gratiam Imp. rediit, quamvis admodicum tempus. Intererant inter plurimos Epiſcopos etiam *Conradus Salzb.* & *Regimarus Patav.* &c. quos uti & Principes præſentes ex Diplom. Lotharii pro cœnobio Mallerſtorff dicto eruere licet.

Inter Principes Ottocarum noſtrum adeſſe, ætas adhuc tenella, & his rebus non ſat apta prohibuit, ſed inter ſubſcriptos Principes etiam legitur *Udalricus Dux filius Engelberti Ducis*, nempe Carinthiæ, ex quo proin inferimus, Engelbertum Carinthiæ Ducem non amplius fuiſſe, ut nempe ex tradit. Monaſterii S. Pauli in Carinthiæ colligunt recentiores. Engelbertus Dux ante actæ vitæ pœnitens Monachum induit, & regni gubernacula filio reliquit, id ipſum habet necrologium Admont. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 202. ubi legitur: *2do Idus Aprilis Engelbertus ex Duce Monachus*, obiit nempe, quo vero anno ea abdicatio facta fuerit? incompertum. Cur vero filius ſenior Engelbertus III. in Ducatu Carinthiæ a patre neglectus fuerit? cenſeo fors ideo factum, quia Pater Engelberto III. filio ſuo jam circa an. 1130. Iſtriæ Marchiam contulit, nondum de abdicatione cogitans, ut filio ſuo juniori Udalrico etiam provideret, huic Ducatum Carinthiæ decrevit, eaque videtur ratio eſſe, cur in nonnullis Diplomatis Engelbertus III. Marchio Iſtriæ, utpote ætate major, præponatur Udalrico juniori licet Duci, neque enim novum eſt, Marchiones ante Duces in teſtium ordine collocari. Genealogiam Engelberti II. ad an. 1131. tractavi: fallitur igitur Megiſerus lib. 7. cap. 52. docens Engelbertum an primum 1147. obiiſſe, atque eo uſque Carinthiæ præfuiſſe, uti enim de anno mortis (quem Frælicius an. 1142. circiter ſtatuit) non diſputo, ita ex dictis patet, Engelberto in republ. Carinthiæ jam Udalricum filium ſucceſſiſſe. An vero, ut idem Megiſerus, Engelbertus cum uxore uta in Monaſt. Leonenſi in Bavaria ſepultus ſit? mihi incompertum eſt. Udalricum Ducem neglexit Megiſerus, quem tamen tot exhibent Diplomata.

Engelb. II. Dux Car. fit Monach.

Udalricus Dux Carinth. non Engelb. III. fil. ſen.

An. 1136.

ANNO 1136.

Indict. 14. *Innoc. II. P.* 7. *Lothar. II. Imp.* 12. *Ottoc. V. March. Styr.* 7.

Runenſes an in Sittic. Monaſt. pro prima Colonia miſſ.

Neſcio, undenam hauſerit Cl. Puſchius Chronol. S. Duc. Styr. p. 1. fol. 308. e valle Runenſi primam coloniam a Peregrino Aquil. Patriarcha & fundat. fuiſſe in Carnioliam ad Sitticenſe Monaſterium evocatam an. priore, dum primum ejus Ciſtercii lapidem poneret. Valvaſorius tom. 2. fol. 694. ait quidem a Peregrino locum Sitticenſem coemptum, Roma adſcitis, & prope Græcium ad tempus morantibus Ciſtercienſibus fuiſſe datum, qui Runenſes fuiſſe videntur, primum tamen Abbatem e Gallia a S. Bernardo miſſum ſcribit ex docum. antiq. mihi tamen, quamvis domeſtica Runenſium documenta eam rem innuant, veroſimile non videtur, neo-erectum hoc Ciſtercium, ac alienis etiam ex Eboracenſi Monaſterio ſubſidiis incultum, mox denuo ſuos in terras exteras dimiſiſſe, dum domeſtica nondum firmata erant.

Peregrinus Pat. Aquil.

erant. Catal. Abbat. Runenſ. apud P. Frælichium ea de re nil memorat, libellus tamen Græcii an. 1740. in gradu Philoſoph. diſtributus ejusdem meminit.

Conradus Salzb. Arch. in aula Imp. verſatus pridie Id. Maji Merſeburgi aderat, dum Formpaceuſium privilegia confirmarentur, cum vero dein iter in Italiam appararet Lotharius Imp. contra Rogerium Siciliæ tyrannum, Conradus iter hoc obſenium & morbos deprecatus in Auſtriam rediit, ibique Eccleſiam Clauſtroneob. cum Reginmaro Patav. & Romano Gurcenſi conſecravit die 3 Kal. Octobr. ubi Leopoldus Marchio ſimul exemptionem ejusdem Cœnobii ab Innoc. II. in Conc. Piſano editam promulgavit. Aderat dedicationi huic etiam *Ottakarus Marchio Styrienſis*, & quidem ordine primus ſubſcriptus tum dignitate, tum ſanguinis nexu ab avia Eliſabetha Auſtriaca Ottocari IV. uxore, & S. Leopoldi Marchionis ſorore, de quo plura v. Diſſert. 4. cap. 6. §. 3. tabulas tamen Clauſtroneoburg. Leopoldi Auſtr. refert Vitus Arenpeckius in Chron. Auſtr. tom. 1. Hier. Pez col. 1189. &c.

Clauſtron. dedic. a Conr. I. Salzb. *Ottoc. V. aderat*

Vix opus hoc abſolverat Leopoldus, ad beata in cœlis præmia evocatur hoc anno 17. Kal. Dec. in Nuwenburch ſepultus, cui anno ſeq. (cum Adalbertus filius ſenior graviter cum morte colluctaretur an. ſeq. defunctus) ſucceſſit natu minor Leopoldus cognomento largus.

S. Leop. Auſtr. ſuc. Leop. larg.

Chronicon Salisburg. apud Hier. Pez tom. 1. col. 343. ita habet: *Diemout Abbatiſſa obiit*; hanc ego Diemudem Göſſenſ. Abbatiſſam III. non arbitror, ne 3. ſœminis Abbatiſſis ducto ab anno 1003. quo Chunegundis I. præeſſe cœpit, ad hunc uſque annum calculo, regimen 131. annor. tribuere cogar, & tribus ſubſequis, a Diemude, Margarethæ, Hæmmæ & Wilburgæ, quarum hæc an. 1144. circ. in itinere Romano obiit, regimen ad 8. annos ſolum reducam. Diemudis itaque Abbatiſſa hoc anno mortua ſorte Nunbergenſis ſuit, cujus meminiſſe intererat Chronographi Salisburgenſis. Id de Adelhaide II. Abbatiſſa Göſſenſi refert topogr. Germaniæ Auſtr. ejus cor tumulo inſtaurationis ergo poſt aliquot ſæcula reſerato, in Coralium tranſiiſſe, atque intra reliqui corporis cineres ſuiſſe repertum, ac Cæſari Maximiliano ſubmiſſum, de quo tamen documenta domeſt. Göſſenſia ſilent.

Göſſenſ. ret. Diemudis n. fuit Abb. III. Göſſ. ſed Nunberg. *Adelhaid. Ab. II. Göſſ. Cor in Corall. converſum.*

Ad res Styriæ pertinere arbitramur, ſubſcriptionem *Rudolphi de Pechac vel Pecka* in Diplom. Clauſtroneob. 3. Leopoldi ſupra cit. familia hæc erat nobiliſſima Styriæ ab arce ſupra Græcium ſita *Pegga* nomen ſortita? teſte Lazio lib. 6. de migr. gentium jam ante Rudolphum legitur *Poppo de Pecka*, & Comites hi, quorum inſignia ibidem refert, magnam olim ad Satlam, proxime Sclavinis ditionem habuere, præter arces Græcio vicinas Pegga & Pfanberg, de binis his Peggavienſium & Pfonbergenſium familiis, quas Hübnerus & Bucelinus prætereunt, dicam plura in annot. ad Diploma 9. Præterea *Poppo* ille I. Rudolpho D. de Pegga coævus fuiſſe videtur, & *Poppo II. de Peccab junior* Rudolpho ad annos 1172. 1173. 1449. & 1243. cum Poppo alter & junior an. 1243. occurrens, unus, idemque cum Poppone 1136. & 1149. ſubſcripto ſupponi non poſſit, ſed plura de his ad Diploma 9. Rudolphos vero duos etiam hoc ſæc. circ. fuiſſe, idem

Peccab de Rudolf & ſenior. *Poppo I. & ſen* *Poppo II. & jun.* *Rudolf II. jun.*

Diplo-

Diploma 9. notat, cui ſubſcriptus eſt *Rudolphus junior de Peccab*, qui proin unus idemque cum hoc Rudolpho fuerit. De Pfanbergiis vid. tom. 2. annot. Diplom. 40.

An. 1137.

ANNO 1137.

Indict. 15. *Innoc. II. P.* 8. *Lothar. II. Imp.* 13. *Ottoc. V. Styr. March.* 8.

Wolvold Abb. Admont. †

Res Patriæ noſtræ ad hunc annum illuſtrat hiſtoria Admontenſis, ita vero ait Chron. Admont. ad hunc annum: *Eodem anno Dominus Walvoldus venerandus Abbas Admontenſis migravit a ſæculo, qui virilis Conſtantiæ ac Innocentis vitæ duo nobis præclara reliquit monimina*, quæ tamen ad annos anteriores ſpectare opinor. Virilis Conſtantiæ ſpecimen edidit, dum *clauſo Monaſterio S. Georgii Karinthia*, pergit cit. author, *idem beatus Pater velut bonus hortulanus hortum conſignatum volens emundare eas moniales, quæ - - - non omiſit exſtirpare*, quod an. 1122. factum dixi. *Unde latus integrum unius chori ſororum noſtrarum, radices profecto bonitatis neceſſe fuit illo transplantare.*

S. Georg. in Langſee Mon. reformat per Adm. monial.

Hochenwart de Gunth. March. Cyl. eum indigne habet.

Pro hujusmodi a Guntbero Marchione de Cylie captus & Vinculatus & equo indecenti deportatus, indigna multa ſuæ perſonæ, & ordini perpeſſus adeo fatigatus eſt, ut vitalia ejus rumperentur. Guntherus hic Marchio Ciliæ vel de Hochenwart dictus, Marchio fuerit Carinthiæ, tum adhuc agrum Celejanum complexæ, ut Diſſert. 4. cap. 6. §. 1. oſtendi, qui anno 1129. Leopoldo forti def. in Marchia Carentana ſuffectus eſt, Ottocaro noſtro fere adhuc in cunis vagiente, aſt poſt indignum hoc facinus, eum gradu motum, ac Carentanam Marchiam Ottocaro noſtro paulo poſt collatam opinor.

Hochenwart de Gunther. excom. & a March. Carinth. depoſitus.

Excommunicatum merito fuiſſe Guntherum, innuit cit. Chron. ita ſcribens: *Pro cujus ſceleris compoſitione, & anathematis abſolutione, idem Marchio prædia quædam S. Ruelberto contulit; Eccleſiam vero S. Martini ad ſuperius Strazgancb cum ſubjacente prædio, ob gratiam Domini Wolvoldi, nobis delegavit, ac ſepulturæ locum, in quo nunc quieſcit, apud nos elegit.* Quæ prædia Eccleſiæ Salzburg. dederit Guntherus a Conrado Salzburg. excommunicatus? non conſtat. De Strasgangenſi vero prædio id ipſum docet codex Diplom. Admont. ſub num. 102. in notitia Godefridi Abbatis Admont. ubi ſcribit: *Qualiter Marchio Guntherus de Hochenvvarte, cum Ratisbonæ ægrotaret, finemque vitæ ſibi imminere non dubitaret, recognoſcens, quod Dominum Abbatem Wolvoldum olim captivaverat &c. homines ſuos, qui ſecum erant Ratisbonæ, rogavit, ut eum mortuum ad locum noſtrum transferrent, prædiumque ſuum in Marchia apud Hempſach, & Eccleſiam S. Martini cum dote ſua Strasganch &c. traderent - - - Prædium Strazganch pater ejus Pilgrinus de Hochenvvarte per violentiam invaſit.* v. plura an. 1144.

Strazgang prædium P. ejus Pilgrinus invaſit.

In Adm. ſepult 9.

Wolvoldus ſuſpic. malam purgat contactu ferri condentis.

Alterum Innocentis vitæ munimentum a Wolvoldo Abb. editum deſcribit Chron. Admont. cit. his verbis: *Secreto a ſenioribus ſuis Uodalrico cuſtode, Uodalrico Elſindorff, & Witilone percepit idem pater, penes congregationem ſiniſtram ſe incurriſſe opinionem pro frequenti viſitatione monialium, quarum commodis, utilitatibus, & eruditioni utpote primus cultor novellæ plantationis illius continue ſtuduit invigilare. Quo audito noluit quidem vir prudentiſſimus bonam conſcientiam ſuam præcipitare, verum eisdem objurgatoribus ſuis,*

qui

qui vel de ſtupro illum purgari, vel de loco paſtoris cedere jam deliberaverant, cum omni modeſtia ſe promiſit reſponſurum tertia die. Qua veniente peracto miſſæ officio, Abbas cum tribus fratribus illis equos aſcendit, & ad vicinam ferri fodinam Plaberch acceſſit, ubi jam in fornace maſſa ferri coquebatur. Os ergo fornacis aperiri jubet, maſſam forcipibus educi, ſuper incudem mitti. Tunc remotis omnibus, præſentibus ſolis tribus fratribus, ille trium puerorum imitator puriſſimus de objectione ſtupri ſeſe purgaturus, nudatis manibus candentem maſſam apprehendit, in aera tollit, ſtupentibus, qui aderant, & retrocedentibus, licet fieri non poſſet, capiendam protendit, tandem ſine omni læſione ſuper incudem remiſit. Sicque hoc modo ſe ab infamia purgavit.

Hæc tamen, ut præmonui, anterioribus contigerint annis, cum Chroniſtes Admont. hæc narrata jam ejus morte referat, quam loco cit. ad hunc eundem an. ſtatuit, uti & excerpta ex veteri Chron. Garſt. apud cit. Pezium col. 145. ſub eodem Wolfholdo completum eſt ab Archiep. Salzb. Conrado ſumptuoſum Monaſterii Admontenſis ædificium multo marmore magnificum, poſtea ſub Godefrido Abbate incendio aſſumptum, cujus meminit Irembertus, nec dum Abbas, oculatus teſtis in ſuo commentario ad libros Regum. De Godefrido ſucceſſ. ad an. ſeq. *Admont. Monaſt. perficitur.*

Sacrum interea claſſicum ad opprimendam Rogerii Siculi potentiam, ac tyrannidem in Eccleſiam Romanam canebatur, lectiſſimus exercitus Italiam ſubiit, Lotharius cum parte Apuliam, Henricus Boicus cum Pontifice Campaniam ita feliciter, ut Rogerius in Siciliam ejiceretur, ſed mox Lotharius, cujus armis victricibus Majeſtas Pontificia propugnata erat, rediens per vallem Tridentinam 3. Non. Dec. obiit, ut Pagius contra Baronium mortem ejus anno ſeq. affigentem oſtendit. *Loth. Imp. obit.*

Expeditioni huic Italicæ Conradus Salzb. probabilius non adfuerit, conſtat enim eum hoc anno Carinthiam luſtraſſe, ac Friſaci privilegium Monaſterio Reicherſperg. ad petitionem Gerhohi contuliſſe, quod refert author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 234. *Teſtes* erant & *conlaudatores Romanus Gurcenſis Epiſc. Hermannus Præp. Baldricus Abbas Salzb. Udalricus Abbas S. Lamberti, Babo Præpoſ. de Gurca, Hartmannus Præpoſ. de Nivvenburch, Engilſcalcus frater Gurcenſis Epiſcopi &c.* de quibus jam plura ſuperius egimus, & quidem de Udalrico Abb. S. Lamberti an. 1130. de Hermanno Præp. Clauſtroneob. an. 1132. &c. *Conr. Salzb. rex. Udalr. Abb. S. Lamb. Hartm. Præp. de Neob.*

Hermannus Præp. erat Cathedræ Salisburgenſis, qui cum adhuc nominetur, aberrat Chron. Salzb. Pezii quod an. 1130. Hermanno def. ſucceſſiſſe ait Gebenonem Præp. hoc tamen vel ſeq. anno e vita ereptus fuerit, nam ante 6. Martii an. 1139. jam Gebeno Præpoſitus erat. Diem obitus Hermanni notat necrologium Admont. 14. *Kal. Dec.* ſeu 18. *Nov.* Hæc vero Conradi in Carinthia geſta facta fuiſſe videntur Udalrico I. Duce abſente, quem cum Lothario II. in Italia moratum, etiam in curia Aquinenſi probat Jo. Jac. Maſcovius in Loth. II. pag. 105. & 107. lib. 2. §. 29. & 31. in annotat. pag. 349. ex Gattola. *Herman. Præp. Salzb. ſucc. Gebeno.*

Hoc etiam anno, ſi non antea obiit *Otto Comes de Naun* (quæ Dynaſtia dein villa & portus Naonis dicta eſt, ut habet Diploma Milleſtad. per Rudolphum Archiducem datum) qui Ottocarum V. ſucceſſorem ſcripſit teſtante MS. Vorav. Genealogico his verbis: *Nam præ-* *Naun de Com. Otto † Ottoc. V. hæres portus Naonis.*

ter alia plura trium Principum prædia, munitiones, ac miniſteriales ei per teſtamentum accreverunt Ottonis Comitis de Naym, Bernardi Com. de Carinthia &c. anno enim ſeq. Ottonis dicti Comitis jam demortui memoria occurrit in tabula Conradi, de quibus plura jam Diſſert. 4. fol. 268. dicta.

An. 1138.

ANNO 1138.

Ind. 1. Innoc. II. P. 9. Conradi III. Imp. 1. Ottoc. V. Styr. Mar. 9.

Conr. III. Imp. Henricus Boicus Lothario Imp. defuncto intra Principatus ſui limites, cum ei etiam ſanguine proximus eſſet, inſignia imperii cuſtodienda recepit, donec ſucceſſor eligeretur. Comitia electioni futuræ ad 9. Kal. Jun. Moguntiæ indicta, ſed jam 6. Martii electus Conradus hinc cum Henricus & potentia & meritis illuſtribus ſperaret ſibi regnum addicendum, non vero obtineret, animi indignantis ardore, ob Conradum Franconem ſibi prælatum abreptus, electionem hanc vitioſam impugnare præſumpſit cum ſuis, a quibus tamen dein eſt deſertus, ut annus ſequens dabit.

Henr. VIII. Dux Bav. reſiſt.

Runenſ. fundatio a Sophia perficit. Eodem vero tempore, quo Henricus Boicus turbas cœpit, Sophia ſoror Styriæ noſtræ Domina, Ottocari parvuli loco inchoatam a marito pietatis arcem ad culmen perduxit; lubet ea de re loquentem in ſuis tabulis (v. Diplom. mea num. 9.) Conradum Salzburgenſem audire: refert Conradus Runæ ipſe præſens, integram primo Leopoldi Marchionis Styriæ fundationem Runenſium, prædium præcipue quod Pater Leopoldi Ottoc. IV. *a Comite Waldone in valle Rune Lungviz & Stangerſtorff per traditionem acceperat.* De quo dixi pl. Diſſert. 4. cap. 5. §. 2. & 3. Cum vero Leopoldus antea obiret, operis conſummationem Sophiæ reliquit, quæ etiam non ſegnius ac maritus Monaſterio dicto conſulere cœpit.

Runæ exiſtunt Sophia Ottoc. V. Conrad. Salzb. Rom. Gurc. Aderant vero in Monaſterio Runenſi non ſolum Conradus Archiep. cum Romano Gurcenſi, aliisque Monachis ac Clericis, ſed etiam Sophia ipſa Marchioniſſa *cum filio ſuo Marchione Ottocaro*, quem idem Conradus hoc in Dipl. *parvulum filium* nominat, an. circ. 12. & ubi dictam fundationem ſolenniter confirmavit, & poteſtativa manu tradidit, Conradus Salzb. nemine contradicente pacem Monaſterio, fratribus, rebusque fratrum inbannivit. v. Dipl. dictum.

Ottoc. V. ſorores Eliſab. Margar. Ex hoc Dipl. varia diſcimus 1. Ortocaro V. fuiſſe ſorores binas Eliſabetham, ac Margaretham, de quibus Diſſert. 4. cap. 5. §. 7. 2*do* Ottonem Comitem de Naym, & Waldonem Runenſem jam defunctos 3*tio* Gerlacum fuiſſe hoc tempore Abbatem Runenſem. 4*to* Romanum Gurcenſem fuiſſe Salzb. Archi-Epiſcopi per Styriam Vicarium generalem, ita enim huic Diplomati ſubſcripſit: *Ego Romanus Gurcenſ. Eccleſiæ Epiſcopus, vices Generales Archi-Epiſcopi tenens recognovi.* Plura v. Diſſert. 4. cap. 5. §. 56. & ad Diplom. hoc idem Runenſe 2. apud P. Frælich Diplom. Styr. parte 2. fol. 6. &c. Romanum ſic ſubſcriptum habet: *Ego Romanus &c. vicem Chunradi Archiep. tenens recognovi.*

Rom. Gurc. Ep. per Styr. Vicar. Salzburg.

Sophia dat Runenſ. decimas. Eodem vero hoc tempore *Sophia & Ottocarus V.* concambium feciſſe videntur cum Conrado Archiep. Salzb. quo huic Sophia, pro decimis

cimis in valle Runa dedit manſus duos in locis Hundeſtorf. & Wiere dictis, in favorem Runenſium, Diploma deſuper inter mea num. 8. adfert Bern. Pez in cod. Dipl. Admont. num. 17. tom. 3. fol. 694. theſ. anecdot. noviſſ.

Hæc ubi in Styria ac Runenſi Monaſterio die 8. Kal. Martii peracta ſunt, Conradus Salzb. Archiep. ex Marchia ſeu Styria, iter ſuum in locum Reicherſpergam direxiſſe videtur, cui collegio Gerhohus Præpoſitus ſodalitium Parthenium adjunxit: ædem ſacram Romanus Gurcenſis præſente Conrado dedicavit hoc an. teſte Chronol. loci. Dixi ſupra Conradum Regem, præterito Henrico Bojo electum fuiſſe Romanorum Regem, ab hoc dein Principes cæteri feſto Pentecoſtes Babenbergam ſunt evocati, quo tamen Conradus ſalzb. ſe non contulit, nec electionem Regis probavit, ſtitit tamen ſe Regi Ratisbonæ 3. Kal. Julii, ubi cum rurſum a Duce Zæringenſi requireretur ad juramentum Regi Conrado præſtandum, teſte authore vitæ cap. 4. *Reſpondit intrepide, vide Domine Dux, ſi plauſtrum eſſetis, boves præcurrere non dubitaretis, inter me & Dominum Regem ſic cauſa determinabitur, ut nullam noſtri in hac cauſa curam habere ſentiatis, unde Rex, ne Archi-Epiſcopus indignatione motus, in verbum aſperum amplius erumperet, & negotium omne turbaret, averſa manu os Ducis compreſſit, & ab omni reſponſione compeſcuit, dicens ſe ab Archi-Epiſcopo nihil prorſus expetere, niſi bonam voluntatem ipſius.* Prudenter nempe Henrici Boici partes non illico reliquit Conradus, conſiderans quanta per Henrici potentiam, per univerſum regnum mala fieri poſſent.

Reicherſp. Parthenon.

Conrad. Salzb. non vult probare election. Conrad. III. Imp.

Ab Henr. Bav. patent.

Ducem hunc Zæringenſem Auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 235. putat fuiſſe Bertholdum, ego Conradum, etenim Bertholdus III. an. 1122. obiit, Bertholdus filius vero ante patrem an. circ. 1111. Bertholdus IV. vero Conradi Zæringenſis filius, vivente patre nec Dux dictus eſt, nec vir clariſſimus appellari potuit, vixdum adoleſcentiam egreſſus, vel pueritiam, cum an. primum an. 1154. in titulo Ducis Carinthiæ, an vero 1152. in Ducatu Zæringenſi patri ſucceſſerit. V. tab. 2. Geneal. Archont. Carinth.

Conr. Dux Zæring. Berthold. II. Berthold. III. Berth. IV.

Ratisbonenſi in Conventu ſtitit ſe etiam Henricus Boicus, nil tamen cum eo geſtum aliud, quam ut Majeſtatis inſignia Cæſari reddere juberetur, fecit hoc Henricus Boicus, vulgo etiam ſuperbus dictus, ſed cum poſtulata ſua ad comitia Auguſtana rejecta videret, Cæſare vix Auguſtam urbem ingreſſo, illico adverſam Lyci ripam explicatis ſignis occupavit, miſſisque nuntiis fidem promiſſarum a Cæſare popoſcit, cumque Saxoniam, ut redderet, peteretur, antea e manibus ſibi ferrum, quam Saxoniam extorquendam reſpondit Henricus; Cæſar vero noctu Herbipolim fugit, ibique primo, ac dein in Natali Dom. Goslariæ Henricum proſcripſit, Bavaria Leopoldo Auſtr. Saxonia Alberto Miſnenſi data, qua de re motus Henricus paulo poſt in Saxonia anno ſeq. obiit.

Henr. Bav. ſeu ſuperbi res Dux nil Saxon. proſcribitur.

Leopold. Auſtr. fit Dux Bavar. Albert. Miſnenſ. Dux Saxon.

Ante Novembrem hujus anni obiit Reginmarus, ſeu Reymarus Patav. Epiſc. cui Reinbertus ſucceſſit, e clariſſimo genere Comitum de Peilſtein oriundus, ut volunt quidam, aſt author Germ. Sacr. tom. 1. fol. 305. ex hiſtor. Monaſt. Seittenſtet. apud Hier. Pez tom. 2. pag. 307. oſtendit, fuiſſe filium Reinberti Com. de *Hagenovve* & *Hayde* ex

Reginm. Pat. † Reinbert. Com. Perillustr.

Helena Udalr. Patav. Ep. ſorore, & antequam Reinbertus Ep. Patav. fieret fuiſſe Præpoſitum S. Hypoliti, conſecratus eſt a Conrado Salzb. cum hoc an. facellum ad ripam Æni, in loco Pataviæ vicino, ubi nunc Brunnovium eſt, Divo Stephano dedicaſſet.

Conr. I. Salz. ves. Cl. Bernard. Pezius theſauri anecdot. tom. 3. pag. 697. exhibet, traditionem Werigandi factam Conrado I. Archiep. Salzburg. cui ſubſcripſerunt *Romanus Gurc. Ep. Udalricus Dux de Carinthia, & Bernhardus Comes*, deſideratur quidem annus, ſed cum hi omnes hoc tempore floruerint, etiam hoc tempore facta videtur. Quis hic Werigandus fuerit, charta alia Admont. apud cit. Pezium in cod. Dipl. Admunt. num. 11. *Admont. ves.* pag. 685. declarat, in qua ad hunc vel ſeq. an. legitur: *Prædium illud ad Radella ſcilicet manſus, quos nobis Weriandus Comes pro ſcelere, quod in Ven. Thiemonem Archiep. commiſerat, tradidit*, at paulo inferius in eod. docum. ita habetur: *Prædium illud apud Jeringen inferius cum Eccleſia & attinentiis omnibus, quod nobis Rudolphus de Wittenvvald frater Weriandi tradiderat.*

Weringandus fr. Rudolphi Wittenwald an id. cum Werigando Poppon. Mar. fratre. Ex his jam admodum arduum erit decidere, an Weriandus vel Weringandus hic, Popponis ſeu Starcandi March. Carinthiæ, ac Udalrici II. frater fuerit? an diſtinctus? cenſeo Werigandum, qui donationem Salisburg. fecit, diſtinctum fuiſſe a Werigando illo fratre Rudolphi de Wittenwald. Ratio mihi *prima* eſt, qui Werigandus ille frater Popponis ſeu Starcandi, ac perſecutor S. Thiemonis Salzb. filius Udalrici I. March. Carinth. an. 1070. mortui, hoc tempore non amplius vixiſſe videtur, cum Chronogr. Reicherſp. an. 1099. a me citatus de perſecutoribus S. Thiemonis ita loquatur: *Ex eo tempore in adverſis ſemper decreſcebant, & ut hodie quoque perſpicuum eſt judicio Dei non dimidiant ſuos dies, nec aliquis fere de poſteritate.* Quod ſi ergo nec Werigandus Comes dimidiavit dies ſuos, vix credibile eſt, eum ab an. 1095. quo ſcelus in Thiemonem patravit, ad an. hunc uſque ætatis ſaltem 69. vitam prorogaſſe. Ratio *ſecunda* dixi ad an. 1128. ſi non antea a Bernardo Comite Carinthiæ, Comites duos Starcandum & Werigandum in Carinthia funditus contritos, & ad nihilum fuiſſe redactos, unde donationes has non potuere hoc anno facere. *Ratio tertia* in charta alia Admontenſi apud cit. Pez Bern. num. 20. *Weriandus Aſciuni filius* teſtis legitur, & *Comes* appellatur, non vero Weriandus alter, ſed ſolum *Rudolfus & Weriandus de Wittenvaldt nobiles* appellantur. Ratio *quarta* in eod. codice Diplom. Admont. num. 33. pag. 697. memoratur *Weriandus de Wittenvvald* ceſſiſſe Jaringen inferius præſente *Ulrico Duce Carinthiæ* proin poſt an. 1135. jam vero Weriandus de Wittenwaldt, frater Popponis & Udalrici II. non fuit, cum hi non ex familia *nobilium de Wittenvvald*, ſed Marchionum Carinthiæ fuerint.

Jeringen inſer. præd. cum Eccl. datur Admont.

Werigandi 3. tatus Aſciuni filius & Comes alter Popponis Mar. frat. 3tius Werig. de Wittenw. fr. Rudolf. Unde itaque 3. Werigandi mihi probe diſtinguendi videntur. 1mus filius *Aſciuni* & *Comes*, proin nec *Werigandus de Wittenvvald*, qui *Comes* non legitur, nec Werigandus Popponis frater, qui filius fuit Udalrici I. March. Carinthiæ. 2dus *Werigandus de Wittenvvald*, frater *Rudolphi*, non autem Popponis & Udalrici II. 3tius denique Werigandus ille Com. e familia Marchionum Carinth. & complex ſceleris in S. Thiemonem, qui poſt an. 1106. non diu ſuperſtes fuerit, quare charta illa, in qua Weriandus pro ſcelere in S. Thiemonem præ-

dium

dium ad Radella tradit, non vult, traditionem Weriandi hoc anno factam, ſed ſolum a Conrado fuiſſe Salzburg. confirmatam Admontibus vel ut habet author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 195. a Weriando fratre Udalrici prædium illud ad Radella vel Radlacha Conrado circa an. 1106. donatum, hoc vel ſeq. an. Admontenſibus a Conrado Salzburg. eſt tranſcriptum.

Prædium illud Jaringen cum Parochia, Admontenſes hodie adhuc tenent. Eodem vero anno hoc teſte Chron. Admont. *Dominus Gotfridus Prior S. Georgii in Abbatem Admuntenſem electus, Chunradi Archiep. nunciis & litteris expeditus, & ad nos deductus eſt.* Erat hic ex Priore S. Georgii in ſylva Hercinia jam Abbas antea Vinearum poſtulatus, ſed ob infructuoſam loci culturam, munere ſuo Abbatiali reſignato, ad Admontenſes miſſus eſt, inſigni Monaſterii Admont. emolumento. *Gotfrid. I. Abb. 6. Admont.*

Sophia Belæ Ungaror. Regis filia, Henrico Chunradi Regis filio jam in Regem electo deſponſatur, ut ait idem Chron. Admont. de qua an. 1150. plura exponentur, utpote Parthenium Admont. ingreſſa. *Sophia Belæ fil. ſponſa Henr. filii Conr. III. Imp.*

ANNO 1139. *An. 1139.*

Indict. 2. Innoc. II. P. 10. Conr. III. Imp. 2. Ottoc. V. Styr. March. 10.

Lateranenſe 2. Conc. inter œcumenica decimum, media quadrageſima habitum eſt a Patribus fere millenis. Ejus acta præcipua erant, reſciſſio actorum & annullatio ordinationum Petri Leonis Antipapæ, Rogerii Regis ſiculi excommunicatio, damnatio Petri de Bruis & Arnoldi de Brixia, dein pro diſciplina Eccl. 28. Canones ſtatuti. Huic conc. an ex noſtris Peregrinus Aquilej. Conradus Salzburg. & Reginbertus ſeu Reinbertus adfuerit? liquido non conſtat. Apud Cl. Hier. Pez tom. 2. pag. 307. Gundacharus Abbas Seittenſtett. in hiſtoria ſui Cœnobii refert Reimbertum Patav. iter Romanum deficientibus ſumptibus, prædium Eccleſiæ Seittenſtet. ad Pfaffenſtetten cum conſenſu Friderici Abbatis & conventus, nobilibus de Amynsbach vendidiſſe, & Monaſterio pro eo prædio dediſſe Eccleſiam in Wolfsbach. Ex his author Germ. Sacr. ſtatuit tom. 1. fol. 310. eundem huic concilio adfuiſſe, ego vero contrarium colligo, etenim Seitenſtettenſe Cœnobium an. circiter 1109. Can. Reg. erectum, circa an. 1116. ceſſit monachis Benedictinis ut v. diploma deſuper in citat. hiſtor. Seitenſtett. pag. 301. primus Benedictinis Abbas an. 1116. præeſſe cœpit Leupoldus Monachus Gotwic. qui rexit 24. an. ſeu uſque ad an. 1140. ſecundus Sifridus per annos duos & paulo plus præfuit uſque ad an. 1143. poſt quem primo Fridericus præeſſe cœpit, ut adeo iter illud Romanum Reimberti primo poſt an. 1143. ſub regimine Friderici Abbatis contingere potuerit, ſicque ex hoc argui non poteſt Conc. Later. adfuiſſe: iter ergo Romanum Reimberti poſt an. 1143. quo Fridericus Abbas in Seitenſtetten præeſſe cœpit, differendum eſt. *Later. 2. œcum. 10. Reinbert. Pat. an adfuerit.*

Peregrinum Aquil. etiam inter PP. Later. non invenio, minus Conradum Salzburgenſem, quem domeſtica negotia hoc anno multo crebrius premebant, etenim primo omnium curam parochianam a Cœnobitis S. Petri ad Canonicos ſuos Regulares Juvavenſes transtulit, ut *An Peregrin. Aqu. Conr. Salz. Dat curam anim. Can. Salz. & monachis eam adim*

ſic Monachorum quieti conſuleret, & Canonicorum inſtituto ac dignitati, decretum deſuper ex cod. Bibl. Cæſar. producit author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 236.

Hoc ex Diplomate ſequentia ſunt notanda: 1. Illud editum eſſe ante diem 6. Martii, cum Diplomati inſertus ſit annus I. Chunradi Regis Romanorum, qua die anno priore Conradus præventione aliquorum electus eſt Rex. 2. Colligo Chunradum Conc. Later. hujus anni non adfuiſſe, quod media quadrageſima habitum dixi. 3*tio*: Canonicis ſuis præter plebeſanam Eccleſiam civitatis Salzb. adjecit etiam Eccleſiam Marzig cum conſenſu Wiradis Abbatiſſæ & totius Conventus S. Erentrudis, quoniam in proprietate ejusdem Conventus ea Eccleſia erat. 4*to*: Gebenoni Præpoſito Cathedrali Archi-Diaconi officium uti & omnibus ejus ſucceſſoribus tribuit, Gebeno itaque Hermanni def. ſucceſſor & ſecundus Præpoſ. Regularis in Cath. Salzb. fuit, ut ex conſeq. etiam patebit.

Et Parochiam Marzig.

Gebeno Præp. Cath. Archid. fit.

S. Petri Salzb. Monach. privil.

Hiſce peractis, cum Monachi S. Petri ob ablatum ſibi parochiale officium, commoda quædam & prærogativas ſibi reſervatas vellent, eis etiam aſſenſit Conradus Diplom. die 22. Martii dato, & allato a cit. Auth. Germ. Sacr. pag. 237. &c. ex eo Diplom. denuo varia patent 1. Monachos ipſos petiiſſe liberari a cura parochiali, ut ſic vitam quietam & contemplativam in otio Mariæ melius agere poſſent. 2. Reſervantur eisdem decimæ & libera ſepultura. 3. Abbati ipſorum jus ſuffragii in electione Archiep. Salzb. 4. In memoriam ſui antiqui juris plebeſani, poſſint in Sabbato S. vel Pentecoſtes, 2. vel 3. parvulos baptizare, & ſingulis quadrageſimæ & Paſchæ temporibus omnem ſuam ſnmiliam cum ſcholaribus Sacramentis Euchariſtiæ & confeſſionis providere. 5. In conventibus & proceſſionibus civitatis Salzburg. ſemper fruantur loco poſtremo & digniore; ſubjungitur dein Severi Præp. & totius capituli S. Rudberti Can. Reg. de obſervantia, obligatio ad hæc omnia perpetuo præſtanda. Teſtes ſubſcripti *Vener. Ep. Gurcenſis Romanus Gotfridus Abbas Admont. Ulricus Abbas S. Lamberti, Otto Abbas Milſtadienſis &c.* Severus Præpoſ. Cathedr. non diſtinctus apparet a Gebenone, neque enim intra 16. dies duo Præpoſ. diverſi ſupponuntur, præſertim cum an. 1142. denuo occurrat Gebeno. Unde Severi nomen proprium, cognomen vero Gebeno fuiſſe colligo, vel errorem irrepſiſſe. Petrenſibus iisdem in favorem Conradus idem litteras dedit ad Reginbertum Epiſc. Patav. pro capella in Als ſeu Hernals *prope Viennam*, ad quam Dornbach ditio Monaſterii pertinet, mox etiam Reginbertus eam conſecravit, & decimas eidem capellæ contulit, ut v. Albertum in Catal. Abbatum num. 38. & auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 305. &c.

Udalr. Abb. S. Lamberti.

Severus Præp. Salzb. idem cum Gebenone.

Hernals prope Viennam S. Petri Salzb. mon.

Interea volebat Conradus noſter onere prælationis levari, eaque de re ſcripſit ad Innoc. II. Papam, volens Archi-Epiſcopatum in Romanum Gurcenſem transferre, vitæ Canonicæ melius excolendæ ſtudio; renuit Pontifex Rom. eique ex obedientia, ut poſthac præeſſet, injunxit, literas adfert author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 948. cum vero litteræ datæ ſint Laterani 2. Kal. Maji, hoc an. id factum arbitror, quoniam ante hunc annum (defuncto an. priore 29. Maji Petro Leone,

Conradus Salzb. reſignat & cur? non impetrat.

&

& Victore Anti - Papa, ut Antipapam ſe non gereret, a S. Bernardo Clarevall. perſuaſo) Later. palatium incolere non potuit. Cum itaque onere ſuo liber eſſe non poſſet, officio denuo ſuo inſtitit, & mox Canonicis ſuis donationes quasdam fecit, quas v. apud auth. Germ. cit. *Victor Antipap.*

Adulto vero anno in Carinthiam deſcendit, Friſacum luſtravit, ibique donationes Admontenſibus, quas an. priore retuli, confirmaſſe videtur, addidit ipſe etiam his donationibus domum hoſpitalem in Frieſach. Inter teſtes donationis hujus aderant etiam miniſteriales, Marchionis nempe *Ottocari V.* Styriæ *Landfridus de Eppenſtein*, *Berenger de Capella*, aliique, de quibus alibi. Teſtes vero hos noſtri Marchionis miniſteriales ideo fuiſſe credo, quia nempe Leopoldus Styriæ Marchio eum terrarum tractum ad Friſacum, ab Henrico II. Eppenſteinio Duce Carinth. ex teſtamento obtinuiſſe videtur. *Frieſach hoſpitale Adm. datur.* *Eppenſtein de Landfrid. Capella de Bereng.*

Hoc circiter tempore Sophia Marchioniſſa Styriæ, mater Ottocari V. obiiſſe videtur, ut Diſſ. 4. cap. 6. §. 2. & cap. 5. §. 2. oſtendi, Ottocarus hoc anno, ætatis circiter 13. vel 14. annorum erat, quod ſi de anno nativitatis Sophiæ conſtaret, quædam de anno mortis conjectura fieri poſſet, jam vero, cum poſt an. 1138. ac completam fundationem Runenſem, Sophiæ nomen amplius in actis publicis non occurrat, poſt eum annum obiiſſe concludo, quamvis pro anno certo non litigem: diem mortis 6. Idus Julii Necrolog. Seccov. & Runenſe ſtatuunt. *Sophia March. Styr. obit.*

ANNO 1140. *An. 1140.*

Indict. 3. *Innoc. II. P.* 11. *Conr. III. Imp.* 3. *Ottoc. V. Styr. March.* 11.

Inter plurimos bellorum turbines, qui Bavariam ad Vallejam arcem & caſtrum Winsbergenſe vexabant, nova per Styriam noſtram ſurrexere aſceteria: Ex his Oberburgenſe, ad Carnioliæ terminos, nunc Epiſc. Labac. Regia per nobilem virum Theoboldum de Khaag cum Trutta conjuge, ut Bucelinus, D. Benedicti aſſeclis eſt erectum, contulit egregiam operam Peregrinus Patriarcha Aquil. concordat his Diploma Obernburg. primum apud P. Frælich. Dipl. Sacr. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 286. vocatur fundator *Dyeboldus nobilis de Chagere*, & uxor ejus *Trutta*, qui prædium ſuum *Oberburg* ad eam fundationem dedit, adjecit vero Peregrinus Patr. cum conſenſu capituli 2. partes decimarum *plebis Obernburgenſ.* & 2. partes decimarum plebis *B. V. de Frazlau.* Item 10. manſus in foro Julio ſitos *in villa Budriach*, item pro ædificio 30. marcas; teſtis fundationis hujus inter alios erat etiam *Comes Bernhardus* nempe Carinthiæ, *actum eſt hoc Aquilejæ in Eccleſia S. Mariæ feliciter.* Hæc diligentiſſimum cæteroquin rerum Aquil. ſcrutatorem P. Bernardum de Rubeis fugiſſe miror. *Oberburg Mon. Styr. fundat.* *Chagere de Thiebold & Trutta.* *Peregrinus Aq. auget fund. Oberburg* *Bernard. Car. Com.*

Celebrior longe eſt fundatio collegiatæ, nunc vero Cathedralis ac exemptæ *Canoniæ Seccovienſis*, quam, cum adjecto Parthenone *Adelramus* de Waldeck præpotens Dynaſta fundavit, originem hanc vetus Chronicon, quod bibliotheca noſtra Voravienſis continet narratione per triennium extenſa refert, ad hunc annum itaque ſic loquitur: *Anno MCXL. fundata eſt Seccovienſis congregatio in valle Feiſtrice dicta, ab Adelramo de Waldecke valde ingenuæ nobilitatis viro, qui Adelramus, cum ex 2. legiti-* *Seccov. Canoniæ fundat. ab Adal. de Waldek.*

Seccau Parben. *legitimis uxoribus non haberet liberos, quibus dimitteret hæreditatem, piam Dei Genitricem Mariam cum filio ſuo Domino Jeſu Chriſto, ſanctumque Auguſtinum elegit habere hæredes, malens illi, a quo acceperat, cuncta offerendo perennis vitæ gloriam conſequi, quam inter fratres, ſuosque conſanguineos diſſenſionis & odii controverſiam pro his oriri, ſuper quo mentis deſiderio Chunradum ſeniorem tunc temporis Archiep. Salzburgenſem, Romanumque Gurcenſem ejus vices gerentem, alacer adiit, eorumque conſilium & auxilium petiit, & 2. capellas in fundo parentum ſuorum fundatas, & quondam a parochiali jure exemptas, unam ſcilicet S. Mariæ in loco Feiſtrice cum dote Blaſe, & alteram S. Joannis Evangeliſtæ cum dote Altendorf eo tenore obtulit, quatenus in unam earum videlicet S. Mariæ capellam viros Canonicos ſecundum regulam S. Auguſtini deſtinaret, jus vero patronatus ſibi reſervavit, donec arma ferens militavit. Transmiſſis ergo illic fratribus de choro S. Rudberti venerabilibus Wernhero poſtmodum Præpoſito, cum aliis utriusque ſexus religioſis perſonis advenientibus, feria 6. in feſto S. Margarethæ ſupradictus Adelramus mire lætificatus, quidquid verſus Carinthiam, & circa Hartbergam, & juxta Mueram fluvium vel in Marchia poſſeſſionum, ſeu familiarum habuit, totum contradidit, cujus bonam voluntatem memoratus Archi-Epiſcopus volens confortare Eccleſiam matricem Chumbenz, nec non filias ipſius S. Margarethæ S. Benedicti, & S. Laurentii addidit;* ita Chron. cit. celeberrimi hujus Cathedralis collegii diplomatarium integrum ac inſigne edidit P. Frælichius in Diplom. S. Ducat. Styr. part. 1. a fol. 139. ad 299. ex quibus quam plurima memorabilia eruentur, ſubmiſſa mihi etiam quæpiam ſunt ex eadem Canonia Cathedr. quæ ſuis locis adducentur.

Datur ſimul Ec. S. Mar. in Feiſtr. & S. Joan. cum dote Altendorf.

Seccau colon. 1. ex Salz. Cathed. & quidem tam Can. quam Canoniſſæ dantur bona in Car ad Hartberg, Mur. fluv. Chumbenz Par. cum fil. S. Marg. S. Bened. & S. Laurent.

Ex his Diplom. Seccov. a Frælichio adductis, inſtrumentum eſt publicum & ſimplex nullo titulo præfixo, quod I. loco inter Seccov. chartas refertur, quod eandem fundationem Seccov. teſtibus corroboratam habet, nullum vero melius ſeriem totius fundationis Seccov. continet, quam Diploma Seccov. num. 27. editum ab Adalberto II. Archiep. Salzb. quod inſtar regulæ in ordine originis & progreſſus fundati Seccovii reſpicio: in hoc igitur Diplom. eadem omnia, quæ ex cit. Chronico Vorav. adducta ſunt, recenſentur accurate, præterea pateſiunt ex eo, 1. nomina duarum uxorum Adalrami, nempe *Berhta & Richinza.* 2. Dos Eccleſiæ *S. Mariæ in Feiſtrice non Blaiſe, ſed Platſe vocatur.* 3. Inſeritur etiam exceptio quædam Adelrami fundatoris, ſi nempe quis Archi-Epiſcopus vel Præpoſitus, collata minuere, caſſare &c. præſumeret, ſi ſecundo & tertio monitus non reſipuerit, proximus ejus conſanguineus dato ſuper altare S. Ruperti nummo aureo, eundem locum emancipet, & denuo divino tradat obſequio. 4. Inter transmiſſos e Choro S. Ruperti recenſetur etiam præter Wernherum Præp. Leopoldus Decanus, quem dein 1mum in Vorau Præpoſitum factum, ſuo loco dicam. Omittuntur autem ea verba: *Cum aliis utriusque ſexus religioſis perſonis.* Moniales itaque primæ Seccov. etiam de choro Salzb. ſeu de Dominabus Cathedr. fuerint. v. an. 1122. 5. Diploma Adalberti II. cit. pro bonis *verſus Carinthiam, & circa Hartbergam* ponit, *citra Cervvaldam & Hartbergam & juxta Mueram fluvium &c.* quodnam ex his probabile appareat, ex eo deſumendum, ubinam bona Adelrami ſita fuerint? ſubjungit vero Diploma Adalberti, & *alpes*

Adalrami de Walteck ux. 2. Berchta & Richinza.

Wernher. Præp. I. Seccov. Leop. Decanus, dein Præp. I. Vorau.

Seccov bona varia fundata.

Teufen-

Teufenthall, Stainec, Frezen, Pueebſchachen, excepto uſufructu, & exceptis propriis militibus, & fidelium a ſe inbeneficiatorum poſſeſſionibus totum tradidit. 6to: Diploma Adalberti donationem Conradi Salzb. Archiep. amplioribus verbis recenſet: *Cujus bonam voluntatem memoratus Archi-Epiſcopus volens confortare, a ſupradictis capellis Ortolfum Sacerdotem removens parochianum Wides conſtituit, ac omnem decimationem precibus ejusdem Adelrami in valle Feuſtriz pleniter fratribus ipſis donavit. Duas quoque portiones Epiſcopalium decimarum Heinrichſtorff, ſive Nordenſtett, Chüenburg, Vorindorff, Manger (fors in Anger) Stocheim, Hermanſtorff, Willebalmſtorff, novellatianes ſub monte Seckkel, Mogelnic, Püchel, Faringen inferiorem, juxta Mornovac, de agris vineis, & pecudibus ſuperaddidit.* 7. Poſt Eccleſias Chumbenz &c. addit idem Diploma, Sacerdotem vero Waltfridum inde auferens in Plebeſanam Eccleſiam Vanſtorff transtulit.

Decimæ in Feuſtriz, Heinrichſtorf &c. Parochianus id. ac Parochus.

Fuſius omnino filum deduxi de fundatione Seccovienſi, fateorque libere, me id deinceps facturum, haud enim ſcio, an ullum Styriæ Monaſterium vel collegium, plura aut illuſtriora Seccovio numeret monumenta, antiquitate, arte, marmore, ſignis præſtantiſſima, hæc luſtrandi copiam uberrimam nactus ipſe fueram, binis vicibus Seccovio hoſpes, omnibusque ibidem gratiis exceptus. Eccleſia Cathedralis antiqua (nunc innovatam multum volunt) quam plurima numerat ſenii ſui monumenta ſtupenda; de Mauſolæo alibi loquendi erit occaſio, habitum ſacrum veſtalium Seccovienſium, & oculis meis vidi, & manibus tractavi, bibliotheca MS. vetuſtate & codicibus MSS. celeberrima, de quibus omnibus ſuo loco plura.

Secco. Eccl. antiquit. plurima.

Admontenſis Monaſterii denuo recurrit memoria ex Chron. Admont. apud Hier. Pezium, quod ſequentia habet: *Dominus Wernherus ex Admuntenſi Monacho fit Abbas Brulenſis.* Idem habent excerpta ex vet. Chron. Garſt. apud cit. Pezium tom. 2. fol. 145. Jamjam enim res Styriæ noſtræ eo provenerant, ut aliis provinciis de gremio ſuo providere debuerit, de Admont. enim Cœnobio docet Catal. Abbatum Admont. apud P. Frælich. Diplom. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 239. ſub Godefrido Abbate, tantum fuiſſe Monaſterii emolumentum, *ut & temporaliter & ſpiritualiter multum proficeret, atque inter cætera Germaniæ Monaſteria præclare eluceret:* Sub eodem nempe Godefrido Abbate pergit cit. Catal. fol. 240. *Tredecim numerantur Abbates, qui temporibus Godefridi diverſis in locis religioſis cœtibus poſtulati præſederunt, omnes prius Monachi Admontenſes, ſcilicet Reimbertus Prior, tum Abbas S. Petri, ac paulo Epiſc. Brixinenſ. (fundator Monaſterii S. Georgii O. S. Benedict. in Tyroli, alteriusque itidem pœnes Ænipontum in Wietau ord. Præmonſtr.) Ambroſius Fuldenſi Wernerus Brüelenſi, Bertholdus Ratisbonenſi ad S. Emerammum, Engelſchalcus Mellicenſi, Joannes Gotvvicenſi, Irimbertus Bamberg. ad S. Michaelem, Hartmannus Campidunenſi, Dietmarus Oſſiacenſi, Otto poſt Reimbertum Prior, Milleſtatuarum &c. & alii aliis Abbates dati, quin interim Monaſterium domi careret viris illuſtribus, quos inter Rhabanus poſt Ottonem Prior, annis 50. in hoc munere exactis &c.*

Admont. vet. Wernberg Admunt. Mon. Abb. fit Brulenſis. Tredec. Abbat. eod. temp. ex Admont. Monaſter. Reinbertus Ab. S. Petr. & Ep. Brixin. &c. Rhabanus Prior 50. an.

Ad res Styriæ noſtræ referendum etiam eſt hoc anno vel ſeq. an. certe ante mortem B. Bertholdi Garſt. Abbatis, quod narrat Prevenhueb. Annal. Styr. fol. 454. ex libro tradit. Garſtenſi incerto an. his

Polheim Albero. Duringus Paro. verbis: *Plebanus de Abbenſtetten Duringus nomine, frater Alberonis de Polheim tradit Monaſterio noſtro cum manu Domini ſui Otochari Marchionis de Styra, per manum Domini Bertholdi Abbatis, in audientia Leupoldi Marchionis Auſtriæ quasdam vineas apud Thallen. teſtes Adalbertus Comes de Bogen de Miniſterialibus Marchionis Auſtriæ Albero de Chunringiis, de Styrenſibus autem Reinberg (fors Reinbert) & Arnbelmus, & Helmhardus, Deinhardus, Cunradus de Prundar, Otto & frater ejusdem Gottſchalcus de Stubenberg & Albero frater ejusdem.* Alberonem hunc inter Stubenbergios, alias non inveni. v. annotat. Dipl. 4.

An. 1141.

ANNO 1141.

Indict. 4. Innoc. II. P. 12. Conr. III. Imp. 4. Ottoc. V. Styr. Mar. 12.

Wernherus ſit Præp. I. Seccov. Res Canoniæ Seccovienſis ad hunc annum enarrat denuo vetus Chronic. biblioth. Vorav. his verbis: *Anno MCXLI. Dominus Wernherus Salisburgenſis Canonicus, cum fratribus ſuis a Domino Adlramo, eos ducente veniens, ab ipſis communiter electus in Præpoſitum, ab Archiep. Chunrado ſolemniter confirmatur, Romano Epiſcopo Gurcenſe, aliisque non paucis ſpiritualibus & ſæcularibus viris præſentibus.* Integram hanc ſtropham negligit Diploma Seccov. 27. cit. fors manu Amanuenſis omiſſam, reliqui tamen authores confirmant, uti & Diploma 2. Seccov. ex quo clare diſcimus *1mo:* Adelramum cum fratribus Frieſacum, ubi morabatur hoc

Friſaci coram Conr. Salzburg. an. Conradus, veniſſe, ibidemque electionem Præpoſiti novi Wernheri inſtituiſſe. *2do:* Præſentes fuiſſe huic electioni, *Romanum Gurc. Epiſc.*

Udalr. Abb. S. Lamb. *Baldricum Abb. S. Petri Salzb. Henricum Decanum Salzb. Udalricum Abb. S. Lamberti &c.* author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 1045. poſt Hartmannum Decan. Salzburg. ſtatuere videtur Wolfgangum Decanum Salisb.

Wolfg. quando Dec. Salzb. cui tamen hoc Diploma & Seccov. inter mea in fine num. 83. contradicit, unde inter Hartmannum, Sigeboldum, & Wolfgangum inſerendus erit Henricus Decanus Salzb. & poſt Wolfgangum alius denuo Henricus. *3tio:* Inſeritur huic Diplomati augmentatio præbendæ fratrum ab Adelramo facta, *verſus Karinthiam circa Corvaldum & Hartbergam, & circa Mueram fluvium.* *4to:* Datum eſt hoc Diploma *apud S. Lambertum* 11. *Kal. Jun.* Unde ſcriptor domeſticus Seccov. inde legitime non concluſit Wernerum 11. Kal. Jun. electum fuiſſe, electio enim Friſaci

Conradus Salzb. agit. in Monaſt. S. Lamberti. & antea contingit, quam Dipſoma hoc ederetur. *5to:* Colligitur Conradum Salzburg. in Monaſterio S. Lamberti hoc anno fuiſſe, qua de cauſa ignoratur.

Wernher. Præp. ex fam. Com. de Galler ejus gen. Wernherum I. Præp. Seccov. ex familia illuſtriſſ. Comitum de Galler fuiſſe, ſcribit Excell. Wurmbrand. & confirmant documenta Seccov. hactenus inedita, mihique gratioſe communicata, quæ inter mea Diplom. num. 79. profero: Pater Wernheri in eisdem Henricus, Alhaides mater vocatur, quæ converſa dein Seccovienſis fuit, frater Præpoſiti Perngerus Laicus, & fratruelis Perngerus Presbyter: quos omnes neglexit Excell. Wurmbr. in collect. Genealog. hiſtoricis cap. 60. Bucelinus part. 3. Germ. ſtemmatogr. pag. 49. Hübnerus vero totam Gallerianam familiam reticet, plura in annot. ad Diploma 79.

Admon-

Admontenſium res a domeſticis neglectas refert biographus B. Bertholdi Garſtenſ. Abbatis apud Hier. Pez tom. 2. col. 105. cap. 17. his verbis: *Non longe ante obitum ejus Admuntenſis Pater ſanctæ memoriæ Dominus Gotfridus valde ægrotabat, miſſumque eſt pro eo, ut ejus exequiis adeſſe, immo ipſe eum terræ commendare dignaretur. Verum cum ſuam legati legationem dediſſent, Pater ſanctus tali eos reſponſione eſt conſolatus, dicens, revertimini, Dominus noſter melius habere cœpit, & bene convaleſcet, ſed rogate eum, ut ſi ei nuncius meus venerit, mihi venire non pigritetur, ita factum eſt. Convaluit ille Pater, & poſt modicum iſto invitante venit, eumque ſepelivit.* Hæc inter acta Admontenſium domeſtica nuſpiam invenio. Quæpiam neſcio, conjectura me ſubit, an non ex hac relatione B. Bertholdum profeſſum Admont. judicem, uti an. 1111. innui, cum enim Bertholdus de Gotfrido Abbate Admont. dixerit: *Dominus noſter &c.* ſuſpicor, eundem quondam ſpirituali Admont. Dominio ſubjectum fuiſſe.

B. Berthold. Garſt. Ab. Prophetia. *Gotfrido Abb. Adm. facta, a quo dein ſepultus eſt.* *B. Berthold. an monaſt. Admont.*

Leopoldus Auſtriacus Dux ſæpius, quia Bavariæ Princeps dictus, hoc an. Can. Reg. Reicherſperg. beneficus fuit, compenſando damna illa, quæ exercitus Patris & ejus etiam in agris eorum fecerat, dedit beneficia 2. in villa Laubeſt. teſtem primum egit *Otaker Marchio* nempe Styriæ, ſubſignatio in Chronico Reicherſp. omiſſa, quod tamen paulo antea ſcripſit *eodem anno 1141. Luitpoldus Dux Bavariorum dederat privilegium Reicherſpergenſi Eccleſiæ &c.* mox additur: *eodem anno ipſe Luitpoldus Dux Bavariorum obiit.* Concordat Chron. Mellicenſe, & Salisburg. cui *Henricus frater ſucceſſit* dictus Jaſomir-Gott.

Leop. Auſtr. & Ottaker S. Styr. March. † *Leop. Auſtr. ſuc. Henr. fr. Jaſomir-Gott.*

Antequam vero obiret Leopoldus (exiſtens Ratisbonæ cum Embricone Epiſcopo Wirzburg.) & Otto Friſing. jura civilia nuper obtentæ Provinciæ diſponebat præſente Rege Conrado, qui eadem in urbe *Eckenberto II.* Comiti Butinenſi affirmavit forum & monetam *in villa* Neunkirchen ante diem 13. Martii, unde poſt eam obiiſſe colligimus. Chron. Salisburg. ad hunc an. habet *Eccleſia S. Amandi a Romano Gurcenſi* conſecratur, hanc Eccleſiam fuiſſe Salisburgi, pluribus oſtendit author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 6164. 65. &c.

Pütten de Eckbert. II. obtinet in Neunkirchen for. & monet. Rom. Ep. Gurc. res & Salisb.

ANNO 1142. *An. 1142.*

Indict. 5. Innoc. II. P. 13. Conr. III. Imp. 5. Ottoc. V. Styr. March. 13.

Res Seccov. proſequitur cit. vetus Chron. biblioth. Vorav. his verbis: *Fratribus ſupra memoratis in loco Feiſtrice, manentibus, nullamque religionis quietem propter vicinum ſtratæ tranſitum & villarum circumjacentium quotidianum tumultum habentibus, præfatus fundator, aſſumpto Præpoſito Dominum Archi-Epiſcopum adiit, & ut cellam in poſſeſſionis ejus adjacentiam, in locum ſcilicet Seccove dictum transferret, obnixe concupivit. Communicato itaque ſapientum conſilio, prænominatum præpoſitum Romam ad Innocentium Papam dirigendum cenſuit ſuper hoc negotio, qui proſpero curſu iens & rediens, privilegium cum Banno Apoſtolico ſuper obſervantia Canonici ordinis, mutatione loci, traditionibus prædiorum factis, & deinceps faciendis reportavit.* Idem paucis adjectis docet Diploma Seccov. num. 27. editum ab Adalberto II. uti & Diploma 4. Secc. quo Conradus eam translationem confirmat Friſaci. Diploma hoc integrum non retulit Frælicius

Translatio Canoniæ ex Feiſtrica in Seccau. *Wernberg Præpoſ. ideo Romam miſſus.*

Feiſtriz loc. 1. fund. parochia ſit Seccov.

lichius Dipl. S. Duc. Styr. part. 1. fol. 143. Id vero, cum mihi Seccovio transmiſſum ſit, in fine inter mea Diplom. num. 78. integrum refero, ex eo vero clare habetur, quod locus primarius fundationis Seccovienſis, in Feiſtrice erectus fuerit in Parochiam ita: *Ut unum ex confratribus Monaſterii ibidem jugiter manentem inſtituant, & cum opus fuerit, deſtituant pro ſuo arbitrio voluntatis, qui tam capellæ ejusdem, quam S. Joannis Evang. curam habeat, divina obſequia in utrisque pro viribus expleturus &c. Actum eſt hoc Frieſach an. Incarn. Dom. milleſ. centeſ. quadrag. ſecundo, Indictione 5ta, præſentibus & adſtipulantibus Vener. fratribus Altmanno Trident. Romano Gurc. Epiſcopis. Hæc autem ut in convulſa permaneant, ſubſcriptis certificamus teſtibus Udalrico Duce Carinthiæ, Ottocaro Marchione Styriæ, Adalberto de Olsniz, Adalarico Depifero, Herrando de Haranſteine, Engelſchalco de Beccab, Gottefrido de Wittingen, Godepoldo de Oſtervvize, Engelberone de Hoſtelbach, Wilfingo de Steine, Landfrido de Eppenſteine, Hertnido de Rougerſpurg, Winthero de Wilare, Amen.* Ita Diploma cit. pl. in notis.

Ottoc. V. Friſaci exiſtit.

Decimæ Seccov.

Eodem tempore, eodemque in loco Friſaci nempe, atque iisdem teſtibus Conradus Salzburg. Seccovienſibus decimationem prædiorum Adalrami in Chunenberg & Nordenſtett tradidit, atque donationem decimarum quam prædeceſſori ſuo Gebhardo Ven. Archiep. Hartnidus ejusdem loci fundator recognoverat eidem loco confirmavit. v. Diploma Seccov. num. 3. in Diplom. S. Ducat. Styr. part. 1. fol. 143.

Seccov. Eccl. atrium bened.

Quæ deinceps contigerint, enarrat Diploma Seccov. num. 27. his verbis: *Venientibus equidem de priore loco in locum Seccove fratribus perſonarum religioſarum numero, largitate nobilium & prædiis, vineis, & devotis fidelium oblationibus Cottidiano proficere cœpit augmento, præſertim Romano Epiſcopo per mandatum Domini Archi-Epiſcopi illuc veniente, & atrium Eccleſiæ benedicente.* In MSS. documentis Seccov. Græcii an. 1740. in gradu Philoſoph. editis lego: *Hartmannus Brixinenſis antiſtes, templum triumphanti cælitum Reginæ, præcipue dicatum, religioſum fecit.* In vita B. Hartmanni Epiſc. Brixin. apud Hier. Pez tom. 1. a col. 495. &c. nil de conſecratione Eccleſiæ Seccovienſis lego, bene tamen de Eccleſia S. Lamberti, ut infra dicetur, unde Seccov. dedicatio Hartmanno ita eſt tribuenda, ut Romanus Gurcenſis ſolum atrium, Hartmannus vero ipſam Eccleſiam jam completam conſecraverit, v. an. 1164.

Eccleſiam dein B. Haatm. Ep. Brixin.

Pergit de rebus Seccov. idem Diploma Seccov. num. 27. ita loqui: *Propter quæ omnia ſupra memoratus Adelramus hilarior redditus ea, quæ infra Birdin, Cervvald, & Hartberg habebat, tres ſcilicet villas, Wilendorff unam, Strelz duas & Geroltſtorff cum vineis ac decimis ex eis provenientibus per Dominum Archi-Epiſcopum contraditis, aliisque attinentiis ſed & ruricolis in locum mutatum, dans omnem familiam ſuam contradidit, exceptis quibusdam ad cenſum 5. denariorum laxatis.*

Augment. Can. Seccov. a fund. Waldeck.

Seccau nom. orig.

Illud adhuc obſervo ex docum. Seccov. Græcii an. 1740. editis haberi famæ conſtantis traditione, Adalramo in colle Seccov. viciniam circumſpicienti iconem B. V. M. filium gremio foventis fuiſſe collocutam *hic ſeca*, ſicque novæ fabricæ locum deſignaviſſe, atque ne illius rei memoria periret, eandem B. V. M. iconem in ſignum majus ac ſolenne translatum fuiſſe, hiſce verbis adſcriptis: *Signum capituli S.*

Mariæ

Mariæ Seccovienſis. Scio quidem fama & traditione plura detegi, quæ monumenta ſilent ſcripta, aſt non omni mox traditioni ſubſcribendum eſſe notant critici, quod ſi proin nomen *Seccau* inde deſumptum credatur, vix aſſenſero, cum tardiore ævo nomen *Seccau* invectum fuerit, hoc vero tempore nomen ſolum *Seccovve* in antiquis chartis legatur, verius illud, quod ibidem refertur, eidem Virgini maculæ omnis experti ob prohibitam a collegio luem epidemicam poſitum a Seccovienſibus ex ære ſimulacrum columnæ marmoreæ inſiſtens, immani quidem illud turbine everſum, aſt tribus abhinc (ſeu ante an. 1740.) annis eleganter refectum fuiſſe. *Ibidem B.V.M. Immac. ſtatua erecta.*

Inter hæc felicia Seccovienſis Eccleſiæ primordia eodem hoc an. die 6. Kal. Aug. Garſtenſium Proto-Abbas Bertholdus ad cœlitum gaudia eſt evocatus, inde Monaſterio ſuo, ut promiſerat, tutelam perennem allaturus; dignas cenſebant exuvias Angeli, quas feretro impoſitas ſtupentibus bajulis ſuccollarent. Exequias duxit Godefridus Abbas Admontenſis, qui nuper ad extremna deductus, id officii a Bertholdo poſtulaverat, ſed ab hoc valere juſſus, & ad præſtanda ſibi funeralia comparere eſt rogatus, ut v. vitam B. Bertholdi apud Hieron. Pez tom. 2. col. 105. 106. *B. Berthold. Garſt. Ab. obit.* *Sepultus a Godefr. Ab. Adm.*

Chron. Admont. quod hæc reticet, aliud ad hunc annum commemorat, dicens: *Dominus Bertholdus ex Admontenſi Monacho ſit Abbas S. Emerammi*, Engelfrido nempe Abbate inibi defuncto: cui quidem primo ſubſtitutus eſt quidem *Pabo vel Pavo*, quem Henricus Ratisbonæ Epiſcopus de Simonia petitum loco movit. Res ad Innocentium Papam delata eſt, qui cognitionem cauſæ Conrado Salisburg. per litteras mandavit, qui rem in ſynodali conventu retexuit, & Abbatem abſolvit, unde Innoc. Papa reſtitutionem Abbatis urſit, Henricus vero Ratisb. Epiſcopus litteras Papæ cum latore contempſit, re denuo ad Innoc. delata mandavit Conrado Salzb. ac Henrico Ratisbon. præter alia ut Abbas intra 20. dies reſtitueretur. Quid inde factum? ignoratur, in catalogo Abbatum S. Emerammi nullus hoc tempore Pabo, ſed Engilfrido ſuffectus legitur Bertholdus Admontenſis, veriſimile proin Pabonem ſponte ſua ceſſiſſe, & Conradum pro ſtudio ſuo in Admontenſes aſſenſum fuiſſe, ut inde novus peteretur Abbas, quod fors anno primum ſeq. contigerit, quo Henricus Ratisbon. Salisburgum venit. *Berthold. mon. Adm. fit Abbas S. Emer. Ratisp.*

Inter res Conradi noſtri referenda eſt etiam fundatio Canoniæ Regularis in Suben, Aventinus in ſuis Annal. fundatores adſtruit, *Engelbertum Carinthiæ Ducem* cum *Uta* ſeu *Tuta* uxore *Comitiſſa de Sulzbach*, vel ut alii de *Putten*, Hundius vero ex Catal. MS. quemdam Altmannum Trid. Epiſcopum. Utrumque combinari poteſt ita, ut Altmanno dicti duo conjuges fuerint cooperati. Certe Tutam excludere nefas eſſet, cum ejusdem ſepulchro ad aram S. Crucis in hoc collegio exſtanti inſcriptum epitaphium diſerte illam enuntiet Cœnobii hujus fundatricem, cum vero Tuta an. 1136. Kal. Maji obiiſſe dicatur, Monaſterium id eo anno, ſi non conſumatum, cœptum certe fuerit, ac fundatio hæc a Conrado hoc an. ſuſcepta ac confirmata. *Conrad. fund. an Subenſis.* *Engelbert. Dux Carinth. monach.*

Engelbertum Carinthiæ Ducem an. circ. 1135. Monachum factum dixi qui proin bona ſua fundando huic collegio antehac addixerit, ac con-

jugi ſuæ opus perficiendum reliquerit, porro hoc anno Engelbertus Dux olim, jam Monachus, obiiſſe videtur, authori Germ. Sacr. tom. 2. p. 242. & quidem *pridie Idus Aprilis*, ut vetus MS. habere ait, quale hoc ſit, ignoro, niſi fors eo nomine indigitaverit Necrol. Admont. apud Hier. Pez tom. 2. col. 202. tradens, 2. *Idus* April. obiit *Engelbertus* ex *Duce Monachus* annus mortis ex Aventino deſumptus eſt.

Quando obierit.

Reginberto Ep. Brix. † ſucc. B. Hartmannus Præp. Clauſtron.

Reginbertus Epiſc. Brixinenſ. Prior olim Admontenſ. ac fundator ſane Georgiani & Wilthinenſis Cœnobii in valle Oenana obiit etiam, cui ſucceſſor B. ille Hartmannus ex Præp. Clauſtroneob. poſtulatus, qui exorto poſtmodum Fridericiano ſchiſmate, Salisburgenſium Præſulum ſigna conſtanter ſecutus, non unam palmam retulit. Epiſcopus hic Hartmannus, quo neſcio anno, S. Lamberti, Eccleſiam in Styria ritu ſolenni dedicavit, ut habent docum. edita an. 1740. in gradu Philoſ. Græcii: digna eſt omnino dedicatio hæc Lambertini templi, ut pluribus commemoretur; tria enim miracula in eodem contigerunt, quæ refert anonymus Clauſtroneob. in vita B. Hartmanni apud Hier. Pez tom. 1. col. 508. ea breviter refero: 1*mo*: Petiit B. Hartmannus ſeparato in cubili, refici cibo & potu, quod ubi obtinuit, rogavit pincernam, ut ſibi pro vino aquam propinaret, ægre id, ubi impetravit Hartmannus, aqua illa in vinum converſa eſt optimum. 2. Altare majus ita diſpoſitum erat, ut in anteriore parte altaris oſtium fuerit, in quo reliquiæ imponerentur, & lapis artificum diligentia ita poliebatur, ut poſt impoſitionem reliquiarum foramen illud impleretur, & de lapide illo nihil abundaret. Cum vero in conſecratione lapis jamjam imponendus eſſet, ita ex omni parte excedebat, quod nullo ingenio imponi poſſet; cum opus per artifices accelerari non poſſet, acceſſit B. Hartmannus, & manu impoſita ita lapidem adaptavit, ut foramen ex omni parte impleretur, & nusquam aliquid excederet. 3. Ad eandem dedicationem venerat quidam, qui occiderat fratrem *Tholonis de Truchſen*, quem idem Tholo (fors Colo) ubique perquirebat, ut occideret, veniens ad S. Lambertum, audiit hunc coram pedibus Epiſcopi proſtratum, quo comperto cum militibus ſuis acceſſit præcipiens eis, ut non parcerent, ſi etiam reus in gremio Epiſcopi hæreret. Sed ſubito tantus metus & tremor inceſſit Cholonem, ut nec lædere inimicum poſſet, & præciperet ſuis, ut illum nullo modo offenderent; hæc fuſius in cit. anonymo videri poſſunt. Fallitur vero Cl. Hier. Pez, dum loco cit. in obſervat. præviis num. 2. docet Abbatem illum, cujus invitatu B. Hartmannus Eccleſiam S. Lambertinam conſecraverat, fuiſſe Berengerum, etenim ipſe fol. 495. fatetur, Berengerum ab an. 1181. ad an. 1208. Abbatem S. Lamberti fuiſſe, atqui idem Pezius fol. cit. num. 1. cum aliis docet, B. Hartmannum an. 1165. 10. Kal. Jan. obiiſſe, proin antequam Berengerus Abbas S. Lamberti eſſet; tria hæc miracula anonymo ſcriptori & Canonicis Clauſtroneoburg. retuliſſe videtur Berengerus.

Dedic. Eccl. S. Lamb. in Styr.

3. Miracula in ea facta.

Truchſen de Tholo, fors Colo.

Berengerus Abb. S. Lamb. ab an. 1181. ad 1208.

ANNO

ANNO 1143. *An. 1143.*

Indict. 6. Cœleſtini II. P. 1. Conr. III. Imp. 6. Ottoc V. Styr. March. 14.

Chunradus Salisburgenſis approbans translationem Canoniæ ex Feiſtriz in Seccove *Wernherum tamen Præpoſitum prænominatum*, ſeu Seccovienſem, *Romam ad Papam Innocentium II. dirigendum cenſuit ſuper hoc negotio cum petitionis, litterarumque ſuarum teſtimonio, qui proſpero curſu iens ac rediens privilegium, quod adhuc ſupereſt, cum Anno Domini Apoſt. ſuper obſervantia Canonici ordinis mutatione loci, traditionibus prædiorum, vinearum, decimarum, oblationum, primitus illuc factis, & in loco mutato deinceps faciendis reportavit &c.* Privilegium confirmatorium Seccovienſium Innoc. II. P. vide inter Diplom. Seccov. num. 5. apud P. Frælich. Diplom. Sacr. Duc. Styr. part. 1. fol. 144. datum eſt Laterani 4. Idus Martii. v. etiam Diplom. Seccov. num. 27. *Seccov. tranſlatio confirmat. ab Innoc. II. P.*

Poſt hæc Innoc. II. Papa 8. Kal. Octobr. vitam clavesque poſuit, quas biduo poſt Cœleſtinus II. legitimis Patrum ſuffragiis eſt adeptus, cui non integro ſemeſtri elapſo 6. Idus Martii anni ſeq. ſuffectus eſt Lucius II. Papa. *Innoc. II. † Cœleſtin. II. † Lucius II. an. ſeq. Pap.*

B. Hartmannus Canonici ordinis ſidus clariſſimum Epiſc. Brixin. Reinberto nobili Dynaſtæ de Suben & Caſtellano Sabionenſi author fuit exſtruendæ Canoniæ Neocellenſi prope Brixinam, cui etiam Henricum Clauſtroneoburgenſem Canonicum præfecit Præpoſitum; eodem vero tempore Wolfframus de Tegernwanck cum Hemma conjuge Beato Rudberto tradiderunt prædium in Schyzingen ad fundandum Ciſtercium, quod hoc an. in Raitenhaslach eſt collocatum, teſtes primæ traditionis ennumerat Conradus ipſe, & inter hos e terris noſtris Romanum Gurcenſ. Epiſc. Bertholdum Abbatem S. Emerammi profeſſum Admontenſem, ac Gottfridum Abbatem Admont. *B. Hartman. Brixin. rec. Suben de Reinb. Neocellenſ. Canonia, Berthold. Ab. S. Emerami, Gottfrid. Abb. Admont.*

ANNO 1144. *An. 1144.*

Indict. 7. Lucii II. P. 1. Conradi III. Imp. 7. Ottoc. V. Styr. March. 15.

Hoc anno Conradus Salzburg. in Carinthiam venit, teſte auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 242. & progreſſus in locum Libnitz ſeu Leibnitz, fors hoc tempore Marchæ Carinthiæ inſertum, ibidem cum *Romano Epiſcopo Gurc. Udalrico Duce Carinthiæ Engelberti filio, Bernhardo Comite* nempe Carinthiæ, *Henrico Præp. Gurc. Gerlacho Runenſium Abbate &c.* aliisque ſolennitatem Pentecoſtes ibid. Maji 12. feſtive *celebravit*, ut v. notitiam in Cod. Diplom. Admont. num. 33. ubi ſimul Pilgrinus de *Hochenwarte Marchio* (Pater Guntheri Marchionis v. an. 1137.) *prædium* Stratzgang, *quod per violentiam invaſerat, & Marchioni de Styra injuſta traditione delegaverat, recognoſcens ſe in S. Blaſium, & animam filii ſui peccaſſe (prædium illud a Marchione de Styria recuperatum, cui beneficium ſuum, quod a Patriarcha Aquilej. habuerat, cujus pincerna eſſe debuerat, dimiſit) ſuper reliquias S. Blaſii in præſentia Domini Chunradi Salisburgenſ. Archiep. Domino Godefrido Abbate cum manu ipſius Archi-Epiſcopi, eam ſuſcipiente depoſuit*, ut v. cit. eod. Diplom. Admont. num. 33. & 102. ubi *Weringandus de Wittenwald* frater Rudolfi, ceſſit juri in prædium ſuum. *Conrad. Salzb. in Leibnitz Rom. Ep. Gurc. Bern. Com. Car. Gerlochus Run. Abb. Holbenwarte de Pilgrin prædium Stratzgang ab Ottoc. V. ekbesat, & Admont. tradit. Wittenwald de Weringand.*

Libuiz de caſtel. Eberhardus. ſuum inferius Jeringen &c. inter vários teſtes etiam reperitur *Eberhardus Caſtellanus de Libeniz*, de Werigando de Wittenwald actum eſt an. 1138. de Pilgrino & Gunthero de Hochenwarte an. 1137. ubi dictum, Guntherum eo anno morti proximum prædium Strazganch Admontenſibus donaſſe, ſed mortuo filio prædium hoc invaſit Pilgrinus Pater, atque Ottocaro noſtro adhuc juveni, regno nondum apto, ſeu potius miniſterialibus ejus tradidit: interea vero reatum ſuum agnovit, egitque cum Ottocaro, ut prædium ſibi Strazgang reſtitueretur, pro quo beneficium Aquilejenſe aliquod reſignabat, ſicque hoc anno in præſentia Conradi Salzb. Admontenſibus plenarie tradidit.

Udalr. I. Dux Carinth. † ſucc. Henricus IV. Ex hoc loco evaneſcit dubium P. Frælichii in Archontol. Carinth. p. 1. fol. 41. de morte Udalrici I. Ducis Carinthiæ, cum enim hoc anno 12. Maji præſens in Leibnitz fuerit, non anno priore, ſed poſt 12. Maji, ante 10. Kal. Novemb. defunctus fuit, ut ex mox dicendis patebit de Canonia Reicherſperg. ſucceſſit ei Henricus IV. filius, cujus fratres erant Udalricus frater Ducis ſæpius dictus, & Hermannus Marchio Veronæ, ut v. tab. Geneal. 3. cit. Frælichii.

Reicherſperg. donantur a Conr. decimæ Puttin. Conradus ex Leibnitz Juvaviam reverſus novam donationem fecit Canonicis Reicherſpergenſibus, decimarum nempe in *Parochia Puttine* vel Pittin & Brunberg, una cum novalibus in ſylva Putinenſi uſque ad terminos Hungariæ & montem Harchberg ſeu alias Hartberg, ſubſcripti varii teſtes, inter hos ex noſtris *Romanus Epiſc. Gurc. Gotfridus Abbas Admontenſis &c.* actum in caſtro Salzburch 10. Kal. Nov. teſtes per aurem attracti *Henricus Dux Carinthiæ, & frater ejus Udalrich &c.* ex quo diſcimus, Udalricum Henrici fratrem, Engelberti filium diſtinctum fuiſſe ab Udalrico Duce anno hoc defuncto, & jam non amplius inter vivos exiſtente, cum ei Henricus ſucceſſerit.

Rom. Ep. Gurc. Gotfridus Abb. Admont.

Wilburgis Ab. VI. Göſſenſ. quando mortua. • *Wilburgis VI.* Abbatiſſa Göſſenſis, *poſt hunc annum mortua* refertur in *itinere Romano*, ita catalogus Göſſenſ. ſeu Necrologium Abbatiſſarum ibidem apud P. Frælich. Diplom. Sacr. Duc. Styr. part. 1. fol. 133. ſed in anno errorem cubare puto; dicitur enim ibidem *mortua poſt an.* 1044. cum vero Göſſenſe Monaſterium an. 1004. fuerit fundatum, vix intra 40. annos 6. Abbatiſſas præfuiſſe opinor, præſertim cum ex eodem Necrologio, 8va Abbatiſſa Adoleuſia circa an. 1148. floruerit, quare ne Wilburgis ſucceſſori Richardi 100. circiter annos tribuam, Wilburgem poſt an. 1144. obiiſſe, & Richardem 7. Abbatiſſam breviſſimi regiminis fuiſſe ſuſpicor, cum Adoleuſia 8va Abbatiſſa jam an. 1148. floruerit. Unde ſæculum 11. expleverint, 4. primæ Abbatiſſæ Göſſenſes nempe Chunegundes, Adelhais, Diemudis, & Margaretha, quæ in Laſgaden ſepulta eſt, & ſæc. 11. fine vel hujus initio Hemma 5ta Abbatiſſa, ſepulta ad S. Pancratii præſederit, cui ſucceſſit Wilburgis, tandemque Richardis ſepulta etiam ad S. Pancratii.

Richardes Abb. VII. Göſſenſ. *Adoleuſia Abb. VIII. Göſſenſ.* *Göſſ. Ab. ſæc. 11.* *Marg. ubi ſepult.*

Runenſ. res. Runenſium res varia nobis Styriam concerentia detegunt, Cunradus nempe Rex prædium aliquod Werendorf dictum Runenſibus contulerat, prædium hoc Werendorf, *nobilis quidam homo Engelſcalcus de S. Dyoniſio* a Marchione Ottocaro in beneficium tenebat, & mox eidem reſignabat, petens tamen ſimul, ut Ottocarus id Heinrico Bavariorum Duci, ac Auſtriæ Marchioni, a quo eam villam Ottocarus obtinuerat,

De S. Dionyſio Engelſcalcus. *Ottoc. V. res.*

tinuerat, reſignaret. Juſtis precibus non defuit Ottocarus, prædium- *Werendorff*
que Werendorff Henrico Auſtriaco Bavar. Duci reſignavit, qui Henri- *præd. Runenſ.*
cus dein eam Conrado Regi reſtituit, hic vero Runenſibus benefice contulit. V. Diplom. inter mea num. 11. Unde non ſolum Conradus Rex, & Engelſchalcus a S. Dionyſio, ſed etiam Henricus Auſtriacus Dux Bavar. & Ottocarus Marchio noſter Runenſium emolumenta promovere.

ANNO 1145. *An. 1145.*

Indict. 8. *Eugenii III. P.* 1. *Conr. III. Imp.* 8. *Ottoc. V. Styr. March.* 16.

Res Styriæ aliquantum hoc anno turbatæ, cauſam rei ex antecedentibus annis profero: Leopoldo Auſtriaco & Bavariæ Duci ſine ſobole an. 1141. defuncto, ſucceſſit Henricus Jachſomirgotus frater, cui Conradus Cæſar deſponſata Henrici ſuperbi Bavar. & Saxo- *Henric. Auſtr.*
niæ Ducis vidua, Boicum Ducatum denuo addidit, Saxoniam vero *Duc Bav.*
Henrico privigno contulit; exulceratus ea diviſione Guelfo, integras nepoti Provincias reddi volens, fœderato ſibi Ratisbon. Epiſc. Bavariam armatus ſubiit, & agros Auſtriaco adhærentium, ferro flammisque vaſtavit anno Chriſti 1143. Interea bello protracto Guelfo Ottocarum V. *Welfo & Ot-*
Marchionem noſtrum ex Sophia ſorore nepotem ſibi junxit, quocum *toc. V. Auſtriam*
Auſtriam hoc anno magna clade eſt populatus, ut ſic ad tuendos la- *populatur.*
res patrios Henricum e Bavaria revocaret, ſparſa ubique incendia, quibus præcipue meſſis, ſeu adhuc in agris flaveſcens, ſeu in granariis recondita fæde eſt aſſumpta, ita docet Chron. Clauſtroneob. apud P. Hier. Pez tom. col. 445. *Miniſteriales præfati Ducis Henrici Bavariæ, & Marchionis Auſtriæ, & milites Marchionis Styriæ Otochari totam pene Auſtriam præda, & incendiis devaſtaverunt.* Idem habet Chron. Baltrami, ſeu Watzonis conſulis Vienn. apud cit. Pez. col. 708. anonym. Leob. ibid. col. 783. loco non ſuo. Chron. Auſtrale apud Freherum tom. 1. pag. 445. facile erat Styris transdanubiana Auſtriæ loca depopulari, ad quos utpote hoc ævo magna pars regionis ejus, quæ hodie Auſtria ſuperior dicitur, attinebat. Quod vero Ottocarus contra Henricum Auſtriacum, cujus etiam ex Eliſabetha Auſtr. Ottoc. IV. uxore, & magna matertera nepos erat, æque ac Guelphonis, id vel juvenili animi ardori, vel potius conſiliariis ejus adſcribendum videtur. Belli eventus alternus erat, jam hac, jam illa parte vincente & victa.

Interveniſſe, finemque bello voluiſſe videbatur Deus, qui fame, *Fames valida*
aliisque fatis non quidem has ſolum, ſed alias etiam terras premebat, *in Styria.*
unde miror, Puſchium Chron. S. Ducat. Styr. fol. 325. docentem ex Annal. Vorav. diram adeo famem, in Auſtria hisque terris graſſatam fuiſſe, ut paſſim arborum cortices & radices in alimenta verterentur. Nam nec Voravienſes, nec Reicherſperg. Annales de his tantum terris loquuntur, ſed ajunt *per omnes fere terras*, v. Chron. Reicherſperg. apud Ludewig tom. 2. fol. 256. Mellicenſe apud Hier. Pez tom. 1. cap. 230. *Fames valida totum Theutonicum regnum duobus annis devaſtavit.* Item Chron. Auſtr. authoris incerti ibidem col. 558. Inter Miniſte- *Enenkl Dietrici*
riales Ottocari Marchionis noſtri erat *Dietricus Enenckl*, nobilis miles *miniſter. Ott. V.*

filius Dietrici & pater Friderici, qui eodem hoc anno tradidit Eccleſiæ in Garſten bona ibidem & fundum in Gaubenperch prope Wolfn-
Fridericus. ſpach ſitum, & quidem pro *abſolutione patris ſui Dietrici & filii Friderici*, ita Diploma Garſt. 7. inter mea num. 12. cur Pater ejus Dietricus ac filius Fridericus abſolutione eguerint? ignoro. Forſitan in turbis his participes facti plurium Eccleſiarum violatarum, de quibus Chron. Reicherſperg. apud Ludew. cit. ita habet: *Hoc anno plures Eccleſiæ violatæ ſunt in Epiſcopatu Ratisbonenſi a Boemis, qui erant in obſidione ejusdem civitatis cum Heinrico Bavariæ Duce.* Hæc cum Boemi, aliique Heinrici Auſtriaci auxiliarii tentarint, neſcio, an non Styri Heinrico Auſtriaco oppoſiti ſimilia improvido Marte perpetrarint, præſertim cum totam Auſtriam ab iis præda & incendio devaſtatam ſuperius oſtenderim. v. annot. ad Diploma 12.

Admont. res. Geſta Admontenſium hujus anni detegit nobis Diploma Eberhardi Salisburg. in cod. Dipl. Admont. apud P. Bern. Pez tom. 3. anecdot. num. 30. pag. 712. his verbis, nempe *Conradum deceſſorem ſuum, cum jam per 40. fere annos Salisburgenſi Metropoli præſediſſet, Pataviam veniſſe, & cum ſuffraganeis ſuis, Domino Henrico Ratisbon. Epiſc. Reginberto ejusdem loci,*
Patav. colloq. ſeu Patav. *Epiſcopo, Domino Romano Gurcenſi, præſente etiam Domino Eberhardo, tunc quidem præpoſito, poſtea vero Babenbergenſi Epiſcopo, præſentibus etiam quam plurimis Abbatibus & Præpoſitis, aliisque perſonis, diverſæ profeſſionis colloquium habuiſſe, ibi etiam ab omnibus ventilata, & communi conſilio & conſenſu terminata controverſia, quæ de poſſeſſionibus quibusdam inter Abbatem S. Petri Salisburgenſem, & Abbatem Admontenſem, pluribus annis*
Eberhardus ex agitata fuerat. Annus conventus hujus præſens fuiſſe colligitur ex an-
Præp. Ep. Bamb. no 40. Conradi, qui anno 1145. accurate reſpondet; Eberhardus porro ille Præp. dein Epiſcopus Babenbergenſis probe diſtinquendus eſt, ab Eberhardo Salisburg. Archiep. Conradi ſucceſſore, qui anno 1139. cum Egilberto Babenb. Ep. & Eberhardo noſtro, tum Monacho Prufeningenſi Romam profectus eſt, effecitque, ut Eberhardus Prufeningenſis ab ipſo Papa conſecraretur Abbas Biburgenſis, ut v. auth. German.
Hallenſ. Præp. Can. Reg. fund. Conr. Salzb. Sacr. tom. 2. fol. 246. Hallenſem etiam Can. Reg. Præpoſituram fundavit Conradus, ſeu ex Parochia Præpoſituram ſtatuit, dans ad uſus Canonicorum ejus loci quartam partem decimarum ſalis, cum tres partes jam antea Canonicis ſuis Salisburgenſibus tribuiſſet. MS. capit.
Parochianus id ac Parochus. Salzb. collaboraſſe, ait fundationi huic Lanzonem ante *Parochianum* (eo enim nomine venire *Plebanum* ſeu *Parochum* antiquitus, jam diu obſervavi) dein loci ejusdem Præpoſitum. v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 943.

Conrad. Zæring. ſe Ducem Carnt. ſcribit. Refert Tolnerus in cod. Diplom. pag. 43. poſt hiſtoriam palatinam, chartam quandam a Conrado III. Rege editam, apud Trajectum 15. Kal. Nov. hujus anni exſtare, cui ſubſcriptus eſt *Conradus Dux Carinthiæ.* Conradus hic Dux Zæringius ſolum erat, attamen antiquo æmulorum jure, a majoribus ſuis deſumpto, ſe adhuc Ducem Carinthiæ ſcribebat. v. plura ad an. 1138. & Archont. Carinth. tom. 1. tab. Geneal. 2. & parte 2. fol. 28. &c.

ANNO

ANNO 1146. *An. 1146.*

Indict. 9. Eugenii III. P. 2. Conr. III. Imp. 9. Ottoc. V. Styr. March. 17.

Dum claſſicum ſacrum expeditionis ſacræ caneretur, Auſtria novum ab Hungaris hoſtem obtinuit; Auſtriacorum nobilium quidam, a Boritio pecunia conducti, Duce Rapotone quodam, Pannoniam latenter ingreſſi, Poſonium caſtrum nocte intempeſta adoriebantur & capiebant, teſte Ottone Friſing. de geſtis Frider. I. cap. 30. indignatus Geyſa II. Hungariæ Rex, copiis illico ad arma vocatis occurrit, & licet audiret incurſum hunc nec Conradi Regis, nec Henrici Bavar. Ducis ac Auſtriæ Marchionis imperio, ſed Boricii duntaxat nutu factum fuiſſe, illico urbem obſedit, itaque urſit, ut obſeſſi, Henrico Duce in Bavaria pugnante, Boritio alibi ſuppetias quærente, deditionem facere cogerentur, eo pacto tamen impetrato, ut urbem tradentes, tria millia librarum argenti numerati ab Ungaro Rege reciperent. Boritius hic ſeu Borichius naturalis erat filius Colomanni IX. Regis Hungariæ, qui regnum Geyſæ II. juveni adhuc, eripere volebat. Henricum Auſtriacum Bavariæ Ducem, harum omnium turbarum ignarum fuiſſe inſinuat Clauſtroneoburg. Chronic. tom. 1. col. 445. dicens: *Miniſteriales Ducis Henrici caſtrum Regis Hungariæ, quod dicitur Poſonium clanculo cœperunt, ſed poſt pace facta reddiderunt.* Chron. Zwetl. vetuſtum ibid. col. 522. *Caſtrum* Preßburg *a noſtris in dolo capitur, & pro pecunia redditur.* Item Chron. Auſtriac. Haſelbachii tom. 2. col. 709. quidquid Bonfinius culpæ in Henricum & Auſtriam novarum, ut inquit, rerum ſemper cupidam temere conferat. *Auſtr. & Hungar. bellum.* *Poſonium capit.*

Geyſa interim II. Rex admodum juvenis, qui cogitabat, Henricum Ducem id ſuis præcepiſſe, lectiſſimum 70. & amplius millium parat exercitum, atque cruento inter Litaham & Wiſchacham amnes prælio Henricum cum noſtris devicit ita, ut plerisque in campo cæſis, fugitivus Dux Viennæ mœnia perquam ægre aſſequeretur. Ita Chron. Clauſtroneoburg. cit. *Eodem anno*, nempe 1146. *Rex Hungariæ cum præfato Duce* Henrico *juxta flumen, quod dicitur Lytba, bellum contulit, & victor heu! exſtitit:* Chron. Zwetl. vetuſtum, *cædes facta eſt juxta Lytba* 13. *Id. Sept.* Chron. Haſelbachii cit. *cui* Geyſæ, *cum præfatus Dux & Marchio cum ſuis copiis occurrere nititur conſerto bello ad fluvium Lytham cedere cogitur, non ſine ſuorum jactura modica* jacturam hanc deſcribit Otto Friſing. cit. *cecidit in hoc prælio virorum nobilium & illuſtrium pars magna, vulgi vero multitudo innumerabilis, major tamen, ut dicitur, ex Hungaris.* *Auſtriici ad Leitam & Viſchamcæſi.*

Sopitas fuiſſe inter Ottocarum noſtrum & Henricum Auſtr. lites ſuſpicor ex, eo quod nullius partes amplexus Ottocarus legatur, unde expeditioni ſacræ futuro anno ſuſcipiendæ ſeſe apparaverit. Refert vero ulterius Haſelbachius in Chron. Auſtr. cit. de Geyſa: *Contra quem ob prædas, quas Geyſa in Auſtriam admiſerat, Conradus Rex, ad Heinrici Ducis inſtantiam, Bavarorum & Saxonum ad ultionem expetendam validam manum deſtinarat, qui & primam aciem Ungarorum proſtraverant, ſed tandem multitudine & jaculorum miſſilium ictibus fatigati cedere coacti ſunt.* Hæc ſcriptores Hungari gloriæ ſuæ nimium cupidi altum tacent. *Ottoc. V. exped. S. ſe accingit.* *Hungari victi.*

Runenſ. res. Runenſis Monaſterii commoda promovit Ottocarus noſter, & Conradus Rex Germaniæ, quatuor id probant hujus anni Diplomata, quæ inter mea num. 13. 14. 15. 16. vide. Primum horum eſt, quo *Ottocarus*, ut ſe ſcribit, *miſericordia & permiſſione altiſſimi Marchio Styrenſis*, Runenſi Monaſterio, *dat 2. ſalis patellas in Ennsthall ad Aborn beneficia 2. in Mitelendorff, & in Hartberg unum beneficium, & 2. curtes cum vinea.* Non dubito, Hartbergam Styriæ urbem hic indigitari, ad quam vineæ variæ noſtro etiam tempore exiſtunt; addit præterea *villam in Racze*, nunc *Rezhoff*, & *aliam, quæ dicitur Straſſindl*, & *tertiam, quæ vocatur ad Judæos*, ſeu *Judendorff*. Ex eodem hoc diplomate diſcimus, Ottocarum noſtrum jam uxoratum fuiſſe; ait enim eo in Diplomate, *ſed & uxor mea Chunegundis Marchioniſſa, cum huic ſtipulationi non adeſſet, prompto tamen animo, & libenti meæ devotioni annuens, per manum cujusdam nobilis ministri, nomine Conrad de Wiſtrice &c.* ſubſcripſit. De Chunegunde Vochburgica, uxore Ottocari noſtri jam Diſſert. 4. cap. 6. §. 8. plura dixi, quo vero anno uxorem duxerit? non conſtat, matrimonio capacem jam fuiſſe, ex dictis patet, cum hoc an. jam ætatis circiter 20. ageret. v. plura ad Dipl. hujus annot. in fine. Subſcribitur Diploma ita *acta ſunt hæc Runæ an. ab Incarn. Dom. 1146. indict. 9. Sexto Id. Junii, regnante Conradq Rom. Rege 2do, anno regni ejus 9no*, ex quibus proin colligimus, Ottocarum hoc anno Runenſi in Monaſterio egiſſe, neque eſt, quod iſthic Conradum appellari ſecundum miremur, nam ex antea dictis, imperante Conrado I. Berengerius Diadema Romanum tenuit, primitusque ſub Ottone III. ſtatutum, ut impoſterum ſolus Germaniæ Monarcha, Romanorum Rex & Cæſar deſignatus haberetur.

Ottoc. V. munific. in eosd.

Jam erat uxoratus Chunegund. Marchion.

Viſtriz de Cunr.

Ottoc. V. Runæ agit.

Conrad. Rex ſeu Imp. III. cur II. ſubin dictur.

Dunckenſtain de Henric. Miniſt. Ottoc. V. Run. benef. Eodem fere tempore, *Henrici de Dunkenſtain* traditionem prædiorum in Weickerſtorff Runenſibus factam cenſeo, ut Dipl. Runenſe 5. inter mea num. 14. exhibet. Henricus hic erat, *ſtrenuus Ottocari Marchionis Miniſterialis*, quicum ad expeditionem militiæ Jeroſolymam proficiſci decreviſſet, hoc anno Monaſterio Runenſi *manſum unum in Sullendorff*, & *curtifera, quotquot ſui juris erant in Wickerſtorff ſita*, tradidit, ita, ut manſus ille, & unum ex curtiferis jam nunc, reliqua vero poſt mortem Gertrudis filiæ fratris ſui Alberonis, cui hæc ad tempus vitæ in uſum conceſſit, cederent Runenſibus, *actum* eodem anno *die 16. Kal. Julii in loco, qui vulgo Stanga dicitur*, præſente & miſſarum ſolemnia in prato ejusdem loci peragente Gerlaco Runenſ. Abbate, adſtante etiam, & atteſtante Ottocaro Marchione, & traditionem hanc proprii ſigilli adjectione curante.

Albero Gertrud. ex ead. fer. uti &

Gerlacus Ab. I. Runenſ. Gerlacum Abbatem I. Runenſem, nobili inter Styros Dunckenſteinenſium procerum ſtemmate ortum, ſcribit Puſchius Chronol. S. Duc. Styr. part. 1. fol. 302. documenta Runenſ. an. 1740. Græcii in gradum Philoſ. edita Gerlacum e Comitibus de Dunckenſtain, ſed Franconem ſtatuunt, Catal. Abbat. Runenſ. in Diplom. S. Duc. Styr. part. 2. fol. 43. de patria Gerlaci ſilet, id certum, ſi etiam Dunckenſteinia familia e Franconia repetatur, eam jam hoc ſæc. in Styria floruiſſe, & prædiis auctam fuiſſe, ut hoc Diploma oſtendit. Plura in annot. huj. Dipl. 14. in fine.

Con-

Conradus etiam Rex, dum hoc an. 6. *Idus Julii in Epiſcopatu Ratisbonenſi* ageret, *pagum & poſſeſſionem regno pertinentem ſitam inter flumina Suſtrizam, & Sedingam uſque ad diſcrimina alpium deſuper adjacentium, a Marchione Ottocaro & Henrico Duce Bavariæ eliberatam*, utpote, *qui prædictum pagum jure beneficiali poſſidebant*, Runenſibus donavit. V. plura Diplom. 15. in fine. *Runenſ. ret. Ottoc. V.*

Udalricus Abbas S. Lamberti, & Gerlacus Abbas Runenſis hoc anno concambium celebrarunt ab Ottocaro Marchione roboratum *Græcii* 11. *Kal. Sept.* anni hujus, ut habet Dipl. Run. 7. inter mea num. 16. *Sedingam* prædium Monaſterii S. Lamberti datum Runenſibus, & ab his Monaſterio S. Lamberti ceſſum eſt. *Cellarium petrinum ad Mottersdorff, vinea una ad Gunboldeskirchen* cum una curte, & *vinea una ad Viſchach &c.* ut v. Dipl. cit. *Udalricus Abb. S. Lamberti ret cum Gerlaco Run. Abb. Ottoc. V. ret Seding. in Styr. datur Runenſ.*

Conradus Salisburgenſis in feſto S. Dionyſii apud Halle Synodum congregavit, multæ & memorabiles perſonæ ei aderant, quas recenſet Diploma 6. Seccov. apud Frælichium Diplom. Sacra Ducatus Styr. part. 1. fol. 145., eo itaque ſe contulit Adelramus fundator Seccovienſis, ibique obtinuit, ut fundatio Seccov. jam a ſede Apoſtolica etiam confirmata, publico a Conrado Diplomate confirmaretur, bannoque afficerentur omnes, qui injuriam facerent; id ipſum nobis maniſeſtat Diploma 27. Seccov. editum ab Adalberto II. Archiep. Salzb. Synodi hujus Hallenſis non meminit author Germ. Sacræ, quam ſors primo in lucem traxerunt documenta Seccovienſium. *Hallenſ. Synod. Seccov. fundat. confirmatur.*

Chronicon Salisburg. apud Hier. Pez tom. 1. col. 344. ita habet: *Gebno Præpoſitus Salzburg. obiit, & Lanzo primus Præp. Hallenſis obiit*, de hoc an. præc. quæpiam dixi, de Gebone vero obſervat author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 1039. eum anni 1144. litteris ſubſcriptum, atque Henricum I. ejus ſucceſſorem jam an. 1148. in litteris publicis ſubſcriptum Præpoſitum inveniri. *Gebno Præp. Salzb. † & Lanzo Præp. Hallenſ. Henr. I. Præp. Salzburg.*

Chronicon vero Admont. apud cit. Pez tom. 2. fol. 187. ad eundem hunc annum, *Diepoldus Marchio obiit.* Necrolog. Admont. ibid. fol. 207. 6. *Id. April. obiit Diepoldus ex Marchione Monachus*, Diepoldum avum, vel patrem Cunegundis Marchioniſſæ noſtræ, hoc anno obiiſſe non dubito, cum Diepoldus I. avus, Diepoldus vero II. pater fuerit, non vero apparet, an Diepoldus I. vel II. item qualis Diepoldus Marchio ex Marchione Monachus factus fuerit? interim, cum Necrologio Admont. inſertus fuerit, omnino conjectura quæpiam Diepoldo, uni e Marchionibus Vochburgenſibus faveret. v. an. 1156. &c. *Diepold. Vochburg. Marchio. An Monachus fuerit.*

ANNO 1147. *An. 1147.*

Indict. 10. *Eugen. III. P.* 3. *Conr. III. Imp.* 10. *Ottoc. V. March. Styr.* 18.

Hoc anno S. Bernardus Claræ-vallenſis claſſicum ſacrum jubente Pontifice e Gallia in Germaniam inſigni facundia transtulit, teſtis irrefragabilis erit Otto Friſing. qui & ipſe ſacræ militiæ nomen dederat, hic itaque l. 7. Chron. cap. 30. ita rem hanc enarrat, *innumerabilibus in occidentali Francia ad transmarinam expeditionem excitatis, Bernardus orientale Francorum regnum adire diſpoſuit &c. Poſt hæc Princeps* anno *Belli ſacri ret.*

1147. *Bajoariam ingreditur, ibique menſe Februario generalem curiam celebravit, ducens ſecum vice Clarævallenſis Abbatis, Eboracenſem Abbatem Adam, qui miſſarum ſolemnia ex more celebrans, invocataque Spiritus ſancti gratia ambonem aſcendit, brevique exhortatione pene omnibus, qui aderant, præfatam militiam perſuaſit, accipere crucem: eadem hora* 3. *Epiſcopi videlicet Henricus Ratisbonenſ. Otto Friſing. Reginbertus Patav. & Dux Noricorum,* ſeu Bavariæ & Auſtriæ Marchio *Henricus frater Regis, Guelpho quoque in ipſa nativ. Dom. nocte eandem militiam cum multis aliis profeſſus erat; ſed & Dux Bohemorum Sobieslaus & Styrenſis Marchio Odoacer & Carintbiæ illuſtris Comes Bernardus non multo poſt cum magno ſuorum Comitatu cruces accepere.* Ita Otto Friſing. qui tamen, licet eadem caſtra ſecutus, eo itinere geſta pauciſſima notata reliquit, priusquam vero Cæſar Conradus Germania excederet, Francofurti in Comitiis, Henricum filium, licet nondum ephebos egreſſum, imperii collegam dixit, & Aquisgrani 12. Kal. April. purpura donavit, confluxere interim ſacri milites, quibuscum Cæſar 13. Kal. Jun. Ratisbona digreſſus, decima die *ad Viſchæ ripam* caſtra metatus eſt, ibidemque tantiſper ſubſtitit, donec reliqui cum ſuis legionibus Principes appuliſſent, huc pariter nobile agmen duxit Ottocarus noſter, etſi magnatum ſuorum nomina, præter Henricum Dunckenſtainium, de quo anno priori, veteres Annales, quos mihi huc uſque videre contigit, non adducant; poſtquam ergo ſigna omnia convenere, Cæſar per Hungariam, Thraciamque ad Præpontidem tetendit, premente veſtigia Ludovico Galliarum Rege, ut geminus ille exercitus, ſi qua nonnullis annalibus fides, ultra 700. capitum millia, pleraque tamen miſerando funere peritura numeraret. Ita anonym. Leob. ad an. 1144. his verbis: *Frater Regis Hainricus Dux Noricorum filius fratris ſui, Fridericus Dux Suevorum, Bernbardus Comes Carinthiorum prædicto Principi ſe jungentes, Hainricus Ratisbonenſis, Otto Friſing. frater Regis, Reginbertus Patav. Præſules Wenceslaus Dux Bobemorum, Welfo Noricus, Ottokarus Marchio Styriæ per Bulgaros iter capiunt. Rex Francorum Ludovicus cum maxima multitudine per mare vadens applicuit Antiochia & Conradus, Ptolemaide & convenerunt inter Tyrum & Ptolemaidem mutuo ſe videntes, & de negotio diſputantes.* Ex his ergo patet, bella & lites, quæ inter Henricum Bav. Ducem & Ottocarum noſtrum, ac Henricum illum & Hungaros exarſerant, ſopita fuiſſe, docente Ottone Friſing. *Repente ſic totus pene occidens ſiluit, ut non ſolum bella movere, ſed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur.* Nullum fuiſſe expeditionis ſacræ effectum Græcis, & Palæſtinis Principibus infideliter agentibus, copioſe alii referunt.

Ottoc. V. eruc. aſſumit Bernard. Com. Car. etiam.

Henr. fil. Conr. fit Rex Germ.

Bell. S. initium.

Ottoc. V. res.

Dum ſacro huic bello inſtat Europa, Conradus I. Salsburg. Archiep. 5. Id. April. ad Dominum ſuum in cœlos abiit, de quo Chron. Admont. ita inter alia habet, *exceptis enim duobus Monaſteriis ſanctimonialium Chimſee & Göſſe nulla Eccleſia vel Monachorum vel Clericorum, vel Monialium in toto ejus Epiſcopio fuit, quæ non aut ſub ipſo conſtructa, aut per eum meliorata, & augmentata fuit.* Succ. *Dominus Eberhardus Abbas Biburgenſis, interventu præcipue Godefridi Abbatis Admont.* ut habet Catal. Abbat. in Diplom. Duc. Styr. part. 2. fol. 239.

Conrad. I. Arch. Salzb. †

Göſſ. res.

Eberhardi I. Archid. Salzb.

Cur vero Conradus Chimſeenſi & Göſſenſi Eccleſiæ non benefecerit, exponit author vitæ Gebhardi his verbis: *Quæ illum audire noluerunt,*

Göſſ. res.

luerunt, & illi obedire contempſerunt. Locum obitus Cunradi detegit Chron. Admont. dicens: *Chunradus Archiep. Salzb. apud Lungou obiit 5. Id. April.* Alia ejusdem Conradi acta nondum adducta, author vitæ refert, præter arcem & oppidum Friſacenſe, etiam *caſtrum, quod civitati Salisburgenſi ſupereminet, a Gebhardo Archiep. inceptum, ab iſto ita conſummatum eſt, ut ſi victualia & propugnatores habeat, inexpugnabile videatur. Similiter caſtrum in Werfin & Cluſa, quæ vel ad Carinthiam, vel Bongouve, vel Pinzgove ire volentibus ipſo ſitu & facie quaſi loquuntur, bucuſque tranſibis, & non ſen amplius procedes, caſtrum Hoinburch ab Epiſcopo nobiliſſimo Trident. Eccleſiæ Altmanno, qui ex hæreditate hoc obtinebat, impetravit, ſicut & Præpoſituram Subonenſem ſuper agrum poſitam, in Bavaria etiam conſtruxit caſtrum, quod a fluvio præterfluente Tylam nomen accepit, & hodie Eccleſia poſſidet.* *Salzb. caſtr. perficit Conradus.* *Werſen, Clauſen, Hoinburch, Tylam.*

Eberhardi ſucceſſoris genus, patriam parentes &c. deſcribit fuſe author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 245. pallium eodem hoc anno recepit, v. ibid. fol. 950.

Adalramus de Waldecke fundator Seccov. miſſo militiæ temporalis cingulo die 5. Kal. Martii inter converſos Seccovienſes eſt receptus, id docet nos Diplom. Seccov. 27. ab Adalberto II. Archiep. editum in Diplomat. Duc. Styr. part. 1. fol. 176. quod ita habet: *Ad ultimum depoſitis armis cum ſæculari vita mundo renuncians anno Dom. Incarn. 1147. 5. Kal. Martii ad eum locum, quo omnem ſuam ſubſtantiam præmiſerat, ſe ipſum homini videlicet Wernbero Præp. propter Deum obediturus humiliter, & ultro obtulit.* Sepultum ibidem fundatorem viſere licuit, dum Cathedralem eam Canoniam adirem ante annos 22.; vener. ejus corpus duabus aris incumbebat, uni capite, alteri pedibus, atque e privilegio ſummi Pontificis conceſſum Seccovienſibus, ut in feſto S. Stephani 26. Dec. ſacrum ſolemne ſemper de Requiem eſſet. Immutata nunc Eccleſia & ſepulchro, quid factum ſit? ignoro. Obiit vero teſte Necrol. Seccov. Adelramus 7. Kal. Jan. *Adalram. de Waldek fund. Seccov. ſit converſ. ibidem.*

Monaſterii Obernburgenſis confirmationem expedivit Conradus Rex, antequam per Hungariam iret in Palæſtinam Idibus Febr. hujus anni, ut v. Diplom. Ducat. Styr. parte 2. fol. 290. & Valvaſor Carniol. lib. 10. pag. 207. &c. ſubſcr. inter alios *Henricus Dux Carinthiæ.* Idem vero Conradus per Carinthiam, ut videtur iter inſiſtens, Oſſiacenſi Cœnobio quædam contulit *in foro S. Viti 2. Id. Maji, & Indict.* 11. præſens & ſubſcriptus idem Dux Carinthiæ Henricus. Archont. Carinth. parte 1. fol. 42. ſed legendum erit an. MCXLVIIII. & Indict. 12. dum rediit e Palæſtina Conradus, hoc enim anno 13. Kal. Junii, ut dictum, Ratisbona primum digreſſus eſt Conradus, atque poſt 10. dies primo ad Viſcham venit. *Obernburg Monaſt. ref.* *Henr. Dux Car.* *Oſſiac. Cœn. ref.*

Chronicon Auſtrale ad hunc annum habet: *Reimpertus Epiſc. dedicavit Eccleſiam Viennenſem, & deinde eo anno obiit*, alia Chron. addunt: *Sub Eberhardo Plebano*, uti anonym. Leob. qui ea & plura alia ad an. 1144. refert, ego tamen hoc anno & ante ſuſceptam peregrinationem ſanctam id factum ſuſpicor, cum & Henricus Dux Auſtriæ & Reginbertus Patav. Epiſc. in Palæſtinam abierint, & Reinbertus 4. Id. Nov. an. ſequenti in finibus Græciæ obierit: Primum itaque S. Stephani odeum Viennenſe videtur ab Henrico Auſtr. & Duce Bavariæ an. 1144. *Viennenſ. S. Stephani Eccl. dedic. a Reinberto Ep. Pat.* *Eccl. huj. fund.*

exci-

excitari cœpiſſe, nec contrarius eſt P. Antonius Steyerer in comment. ad hiſt. Alberti II. Ducis Auſtriæ, id ſolum negat p. 282. in addi-
Henrici Ducis Auſtr. rer. tion. templum hoc primigenium fuiſſe ab Henrico Duce *OO. SS. bonoribus dicatum*, quod Lazius in comment. rer. Vien. ſæpius tradit. Adducit P. Steyerer plura Diplom. & chartas quæ docent antiquam illam Eccleſiam ab origine titulum S. Steph. geſſiſſe, donec Rudolphus IV. Archidux, Præpoſituram ſuam ad novam Eccleſiam a ſe conditam, omnibusque ſanctis ſe petente conſecratam anno 1365. transferret, ita enim in Diplom. Rudolphus ait: **Haben wir dieſelbigen Stift ⁊ ⁊ gelegt in die Pfarrkirchen zu Sand Stephan ze Wien Pazzauer Biſtumbs unſers Lechens, die fürbas genannt iſt zu allen Heiligen.** Unde erravit dupliciter Lazius, 1. dum veterem Eccleſiæ hujus titutum omnium Sanctor. recentem S. Stephani opinabatur. 2. Dum eam in ſuburbanis ſitam putabat, nam in litteris fundat. Monaſter. Scotorum Viennæ ad an. 1158. nominatur *Eccleſia S. Stephani ejus Plebanus Magiſter Gregorius, & platea* Wolzeil *intra civitatem ſita.* V. plura in Auſtria mappis Geogr. diſtincta, atque an. 1727. Viennæ in gradu Philoſ. edita parte 1. fol. 21. &c.

An. 1148.

ANNO 1148.

Indict. 11. *Eugen. III. P.* 4. *Conr. III. Imp.* 11. *Ottoc. V. Styr. March.* 19.

Exped. ſacr. eventus. In expeditione ſacra, cum Cæſar Conradus ex acta priore hyeme, quæ magnam exercitus florentiſſimi partem, non tam barbarorum incurſantium ferocia, quam Græcorum, militarem annonam immixta calce corrumpentium perfidia miſere abſumpſit, tandem ipſa Paſchali hebdomada anni hujus Ptolemaidem claſſe ſubducta tenuit. Prævertit eum Francorum Rex, qui medio eſurialium tempore Antiochiam ingreſſus fuerat; cum uterque luſtrata Solyma, iisque ſtativis, quæ olim Redemptor noſter ſuis veſtigiis preſſerat, pietati litaſſet, Damaſcum primam Syriæ totius urbem, junctis viribus oppugnare licuit. Ceſſere feliciter primi obſidentium labores, at infauſtum laboribus exitum, non tam hoſtium ea mœnia propugnantium robur, quam orta inter gentis utriusque Principes diſcordia dedit, quod eorum quilibet imperare magis, quam alteri vellet obſecundare. Unde ſolutis caſtris quæ præter vulnera etiam morbi æſtivis caloribus aucti, & alimentorum inopia plurimum attriverant, utrinque ad Hyberna eſt diſceſſum.

Bernard. Com. Carinth. in Paleſtina obit. Inter funera nobiliſſima expeditionis hujus ſacræ numero Bernardum Carinthiæ Comitem, Henrici Carinthiæ Ducis fratrem, & maritum Chunegundis amitæ Ottocari V. filiæ Ottocari IV. ita anonym. Leob. cit. aliique, & quidem exeunte Martio, vel inuente Aprili ex Necrologio Moſacenſi MS. quod ad 8. *Kal. April.* Bernardi hujus defuncti memoriam habet: ab hujus morte quandam Carinthiæ partem acceſſiſſe Ottocaro noſtro inſinuat MS. noſtrum Geneal. Vorav. his verbis: *Nam præter alia plura trium Principum prædia munitiones & mini-*
Ottoc. V. fit ejus hæres. *ſteriales ei*, ſeu Ottoc. V. *per teſtamentum accreverunt, Ottonis Com. de Naym & Bernardi Comitis de Carinthia, qui amitam ipſius Chunegundem in Conjugio habebat.* Quæ vero hæc prædia fuerint? non ſatis conſtat, forte

Mar-

Marchionatus ille Carinthiæ ſeu *de Souneck vel Celeja* fuerit, e quo Starcandum ſeu Popponem ejecit Bernardus an. 1128. ut v. ibid. & Diſſert. 4. cap. 5. §. 5. quod ſi ita, eo anno ob juventutem Ottocari vix Trimuli Guntherum de Hochenwarte interim præfecerit Bernardus Carinthiæ Comes. Bernardi uxor Chunegundes Ottocari IV. filia Admontenſibus dein contulit prædium Waltenbach. V. cod. Diplom. Admont. fol. 795. *Chuneg. Ottoc. IV. filia Admontenſ. benef.*

P. Frælichius Archont. Carinth. parte 2. fol. 187. ex tabulario S. Lamberti ad hunc annum refert, donationem Ottocari V. Monaſterio S. Lamberti factam, Eccleſiæ nempe S. Mariæ, ſanctique Michaelis in Grazluppa cum omnibus eo ſpectantibus hiſce verbis: *Otachar divina favente Clementia Styrenſis Marchio - - fecit hoc pro remiſſione peccatorum ſuorum, pro ſalute Chunegundis uxoris ſuæ dilectæ, cæterorumque cariſſimorum ſuorum, maximeque pro redemptione patris ſui Luipoldi Marchionis & matris ſuæ Sophiæ - - - anno ab Incarn. Dom. MCXLVIII. Indict. 10. die 9. Kal. Martii data Græze feliciter Amen.* Frælichius cit. corrigit indictionem ponitque Indict. 11. anno huic reſpondentem. Diploma ipſum obtinui e celeberrimo Monaſt. S. Lamberti, cui annus 1148. Indictio 10. & dies 9. Kal. Martii ſubſcripta. Ego tamen donationem hanc ad ſeq. annum differo, cum manifeſte conſtet, Ottocarum V. hoc anno in Palæſtina moratum, atque anno primum ſubſequo ex eadem rediiſſe, ut ſeq. anno oſtendam. V. inter Diplom. mea num. 80. *Ottoc. V. dat Mon. S. Lamb. Eccl. S. Mariæ & S. Michaelis in Graluppa.*

Salisburgenſes quidam Canonici impetere cœperunt Monachos S. Petri pro ultimo in proceſſionibus loco, Eberhardus litem diremit, atque ut jam ſub Conrado conſtitutum erat, pro Monachis S. Petri ſanxit, menti Pontificis acceſſit etiam ſententia venerandi capituli Salisburgenſ. quam adfert auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 249. innoteſcit Præpoſitus & Decanus ex titulo hujus inſtrumenti, qui ſic habet: *Nos Henricus Dei gratia Præpoſitus, & Archidiaconus, Wolfgangus Decanus, & totum capitulum Canonicorum Regularium Eccleſiæ in Salzburg.* quæ omnia ſeq. an. Eugenius III. Papa confirmavit. V. ibid. fol. 250. &c. *Salisb. Can. reg. Henric. Præpoſ. Saleb. Wolfg. Decanus.*

Contra Chronicon Auſtrale an. priore citatum dicendum videtur, Reinbertum Patav. Epiſc. hoc anno in finibus Græciæ 4. Id. Novembr. defunctum, eique ſuffectum Chunradum Leopoldi pii filium ac Conradi Regis fratrem, ita Chron. breve Waldhuſ. Garſtenſe &c. Admontenſe vero ad an. ſeq. quod de adito a Chonrado Epiſcopatu intelligendum cenſeo. *Reinbert. Epiſc. Pat. † ſucc. Conradus.*

Göſſenſi Styriæ noſtræ Parthenio celeberrimo præfuit hoc tempore Adoleuſia Abbatiſſa 8va, uti habet Catal. Göſſenſ. Abbatiſſ. in Diplom. S. Ducatus Styriæ part. 1. fol. 133. cætera ejus acta non memorantur, v. quæ an. 1144. dicta ſunt. *Adoleuſia Abb. 8va Göſſ.*

ANNO 1149. *An. 1149.*

Indict. 12. Eugen. III. P. 5. Conr. III. Imp 12. Ottoc. V. Styr. March. 20.

Rediere initio hujus anni pugiles Chriſtiani ex Jeroſol. expeditione per *alpes Noricas* re nulla memorabili peracta, præterquam ſola tanti exercitus jactura; hoc in tranſitu Rex Chunradus Friſacum venit; *Exped. S. finit. Chunr. III. Imp. Friſaci exiſtit.*

Seccov. rel. nit; ita nos docet Diploma 7. Seccov. apud Frælichium Dipl. S. Ducat. Styr. p. 1. fol. 146. id enim inter varias donationes factas refert primo: *Rudolphum de Perge cum uxore ſua Richinza*, omnia prædia ſua in *Windeberg* culta & inculta, una cum *Waltmarch ab Engilboltesdorf per aquam Rutziſche Michel, uſque ad Pebam-Geſchaid*, item duas vineas in *Aſchach*, & 3. in *Poeſenbach* tradidiſſe cum conſenſu filiorum *Alrami & Alberti*, ſuæ filiæ Richinzæ, hujusque mariti *Adelrami de Waldecke* Fundatoris nempe Seccovienſis, a quo dein hæc bona Seccovienſibus data.

Perge de Rudolph & Richinza Adelram, Albertus, Richinza fil. marit.

Waldeck de Adelram.

Eam cur dimiſerit. Præterea idem *Adelramus de Waldecke* cum uxore ſua ingenua *Richinza, ab eo peccatis exigentibus dimiſſa* (cum nempe ad peccata ſæcul. vitæ ſuæ eluenda an. 1147. converſus Seccov. factus ſit) ſed poſtmodum divina miſeratione in ſancta converſione recenciliata (cum & ipſa monialis Seccov. facta fuerit) omnia prædia ſua unanimiter Seccovienſi Eccleſiæ tradiderat. V. Diplom. 7. *Facta hac traditione*, pergit idem Diploma, *intra 10. dies Chunradus Rex Rom. Friſachiam venit, cauſamque ſuperius dictam judicio Principum roboravit, & teſtes adduxit, quorum ſunt nomina*, quæ adduco, ut ſocii expeditionis Jeroſol. aliqui innoteſcant, nempe Ortlieb *Baſilienſ. Epiſcopus*, *Hainricus Dux de Carinthia*, & *avunculus ejus Hartmannus Marchio de Baden* (diſtinctus ab Hermanno vel Hartmanno Veronæ Marchione & Henrici Ducis Carinthiæ fratre) *Otto filius Palatini de Witlineſpach*, *Engelbertus Comes de Gorze*, *Wilhelmus Comes & frater ejus Udalricus de Hunenberch*, *Henricus Comes de Ortenburch*, *Poppo de Peccah*, *Duringus & Waltherus de Glonecke*, & alii quam plures. Henricus Auſtr. Dux Bavariæ, & Ottocarus noſter jam alia via in terras ſuas abierunt.

Dein fit monial. Seccov.

Exped. S. ſocii, & pugiles.

Hunenberch. Ortenburg, Pecka, Gloneck.

Eberhard. Salzb. in Seccov. Eodem hoc circiter tempore ex Diplom. 27. Seccov. eruimus, Eberhardum Salisb. Seccovienſibus fuiſſe beneficum, imo eadem in Canonia diverſatum, ita enim habet: *ſuccedens Chunrado Eberhardus antiſtes præteralia multimoda bona rerum mobilium Monaſterium fundavit* (ſors viſitavit) *altare S. Mariæ Magdalenæ primum dedicans manſo in Chumbence dotavit, Chumbence matricem Eccleſiam lapideam factam denuo dedicavit, & privilegiavit, capellam S. Laurentii dedicans ſanctificavit litem ſuper prædium ad S. Stephanum prope Friſacum inter Seccov. fratres, duasque ſorores Hildegardem de Tunſperch, & Fromudam de Sibdat, & utrarumque filios diligentiſſime diremit.* De hac lite prodiit Diploma Eberhardi an. 1156. *manſum quoque in ſupradicto Jaringen, quo decimæ ejusdem villæ de agris, vineis, pecoribus duarum portionum Epiſcopalium, quas Chunradus ſenior antea largitus fuerat, poſſent conduci, donavit.* Ita cit. Diplom. in Diplomataria Styr. p. 1. fol. 177. quæ proin, cum inter inchoatum & finitum iter Jeroſolymitanum Chunradi Regis locentur, hocce tempore facta opinor.

In Chumbenz,

Tunſperch de Hildegard, Sibdat de Fromuda.

Chunrad. Imp. venit Salisb. Chunradus Rex Friſaco Salisburgum veniſſe videtur, ita habet Chron. Salisb. apud Hier. Pez tom. 1. col. 344. *Chunradus Rex de Jeroſolymorum expeditione rediens Salzb. venit*, & Otto Friſing. *Rex transactis aliquot, quibus in Græcia quieverat diebus - - - per Illyri, Dalmaticumque remeans æquor, in propriis imperii ſui finibus apud Polam Hiſtriæ civitatem applicuit, ibique ſonipede inſidens, ac per Aquilejam tranſiens in Juvavia (quæ nunc Salzeburga dicta Bajoariæ Metopolitana ſedes eſſe noſcitur) Pentecoſten*

cele-

celebravit &c. Aquileja itaque Salisburgum abiens, medio itinere Friſacum diverterit, licet eum locum Otto Friſing. non memoret, cum etiam alia loca omiſerit, in quibus divertit Chunradus, uti Forumjulii, Clemone &c. ubi pro Udalrico Abbate Moſacenſi Diploma edidit 8. 8. *Id. Maji an.* 1149. Item in oppido S. Viti Diploma pro Oſſiacenſ. ut dixi an. 1147.

Menſe itaque Majo Salisburgum venit, ibique feſtum Pentecoſtes in 22. Maji incidens celebravit, curiamque dein habuit. Quanta fuerit tum Canonicorum Regularium in Salzburg gratia ac gravitas, teſtatur author vitæ Conradi ſcribens, Regem inter miſſarum ſolemnia, ejus Eccleſiæ Clerum ſuiſſe intuitum, teſtatumque nunquam ſe vidiſſe Clerum, tonſura, vultu, habitu univerſaliter tam ſplendidum aut oculis intuentium ita gratum &c. *Can. Salisb. glor.*

Salisburgo Ratisbonam venit Rex, ibique curiam celebravit præſente etiam Eberhardo Salisburg. in qua Admontenſes concambium inierunt cum Bertholdo Comite de Andechſen de bonis in Halle. Ita codex Diplom. Admont. ſub num. 25. *Factum eſt hoc concambium Ratisbonæ in curia Regis Chunradi in præſentia noſtra, & Comitis Gebhardi de Purchuſen ejusdem Monaſterii advocati.* *Admont. vet.* *Andechs de Bertbold. Com.* *Burghuſen de Com Gebhard.*

Ottocarus vero Marchio noſter e Palæſtina redux, egregium pietatis ſuæ monumentum retulit, ut chartæ Runenſes memorant. Tabella erat, quæ Deiparam ætate teneram, fluentibus capillis, compoſitis ante pectus manibus veluti precantem exhibet, talem nempe, qualis trimula virguncula Salomonis templum ſubiiſſe creditur; cærulea ei inſtita, quam auro textili ſpicæ variant, aureumque pariter cingulum adſtringit. Hanc ſibi ex archetypo, quod a Divo Luca pictum, Solymea tum Baſilica habebat, Marchio deſumi juſſerat, eamque redux cultui publico exponi voluit. In Clivo mille paſſus a Ciſtercio Runenſi diſtante, ædiculam primo ligneam exſtruxit, ejusque colendæ curam Aſcetis illis tradidit, qui ſucceſſu temporis lapideam erexere. Sic Marchio noſter pietatis fundamenta jecit, qua Peregrini continuo eam iconem multis beneficiis inclytam venerantur hodie adhuc: locus in *Straſindel* antea jam Runenſibus donatus ab Ottocaro, inflexo veteri nomine jam *Angelorum ſemita*, ſeu Straßengel appellatur. *Ottoc. V. e Palæſtina redux adfert Runenſ. icorum B. V. M.* *Straßengel locus nomen.*

Aucta eſt plurimum loci hujus celebritas, dum anno 1255. radix illa, in qua natura morientem in cruce ſervatorem prodigio formavit, per pecora in pedes procumbentia, crebrisque mugitibus linguæ officium ſupplentia, prodita, ex abiete, cui adhæſerat, avulſa, in eandem B. V. Baſilicam eſt translata: eam tabulæ Runenſes memorant huic ineſſe virtutem, ut ferro duriora aſpectus ejus ad pœnitentiam compungat pectora. Inter prodigia illud anni 1441. longe celeberrimum eædem tabulæ memorant. Fridericum IV. Imp. cupido ſubiit hoc ſimulacrum Viennam deferendi, & jam Comite Pontificio legato, ad pontem Peggavienſem uno ab Eccleſia militari remotum ſacer hic theſaurus deportatus erat, cum equi repente ſubſiſtere, nec vi, nec calcaribus impelli ulterius poterant. Antequam vero Imperator de referenda in locum ſuum ſtatua cogitandi obtineret ſpatium illa jam eodem, quo antea fuerat, loco reperta fuiſſe ſcribitur. Id certum, ſi *Crux ibid. mirae* *Deferri Viennam non potuit.*

prodigia abeſſent omnia, divini aliquid huic radici ineſſe ipſa perſuadet antiquitas, quæ omnia conſummens hanc tamen integram, incorruptamque reliquit, ut peregrinantium foveant pietatem Runenſes, plures ædes templo continentes incolunt, locusque hic apud eos Præpoſitura dicitur.

Vorav. Ottoc. V. prædium.

Voravienſis loci prima hoc anno occurrit memoria ex Chronic. MS. Vorav. quod poſt fragm. Geneal. de Ottocaris Diſſert. 4. in præfat. citatum ſequentia ſubjungit: *Hoc prædium* Vorau, *erat ſub dominatione Otochari, & habuit olim unicam Eccleſiam cum ſepultura ſitam in loco hujus Monaſterii an. MCXLIX. Ind.* 13. (jam menſe Sept. inchoata) *dedicata ipſa erat Eccleſia Idus Decembris a Vener. Romano Gurcenſi Epiſcopo, in hon. S. Thomæ Apoſtoli.* De hac Eccleſia, e qua dein collegiata Voravienſis ſurrexit, plura jam dixi Diſſert. 4. cap. 6. §. 6. uti & de prædio Vorav. hanc Eccleſiam parochialem fuiſſe, non ſolum adjuncta ſepultura aliqualiter innuit, ſed etiam quod Eberhardus Archiep. vivæ vocis oraculo, & Conradus II. per Diploma an. 1168. Parochialem nobis Eccleſiam dederit, cum nec moderna S. Ægidii in oppido Vorav. nec S. Nicolai in Rauberg, nec S. Crucis, nec S. Joannis tunc exſtiterint, plura de his, uti quæ antiquior ex illis ſit, ad Diploma inter mea num 38. Illud interim hic ſubjungo, me poſthac in rebus Styriæ & collegii Vorav. allaturum etiam MS. noſtrum Chronicon Vorav. ſingulis quidem annis applicatum, varia enim continet Styriam etiam noſtram dilucidantia. Scriptum vero eſt manu ſæc. 16. ineuntis, initio caret & fine, finitur vero an. 1499. autographum eſſe ex eo probatur, quia multa corriguntur, notantur ad marginem, interſeruntur, ut fieri ſolet in libro primitus conſcripto, eſt præterea apographum aliquod in archivo Decanatus, & explicit an. 1518. in fine tamen 5. folia exciſa obſervantur, hiſtoriaque ulterius ab authore ſæc. 16. deducta videtur. Autographum characterem habet ſæc. 16. ineuntis, apographum vero circa medium ſæc. 16. prodierit, utpote ad an. 1518. pergens, & 5. foliis reſiduis carens.

Ecc. ib. S. Thomæ cum ſepultur. Dedicat. a Rom. Ep. Gurc.

An olim Paroch. fuerit.

Vorau MS. Chron. antiquit. fides an autogr.

S. Lambert. Monaſt. res.

Obſcura eſt admodum ſeries Abbatum celeberrimi Monaſterii ad S. Lambertum in Styria ſuperiore. Bucelinus, qui tamen monumenta ejus Monaſterii ſe vidiſſe, ac luſtraſſe videtur, Germ. Sacræ tom. 2. fol. 204. Hartmannum I. dein Jacobum, Otkerum, Udalricum, ac Wolframum Abbates S. Lamberti ordinat; ſed refutatur ex Diplom. Runenſi 9. (plura alia documenta inferius patebunt) Ab Eberhardo Salisburg. edito an. 1159. in quo hæc leguntur: *Anno debinc milleſ. centeſ. quinquageſ. nono Dom. Incarn. cum poſt felicis memoriæ exceſſum Udalrici Abbatis, Otkerus quidam ex Admontenſi Cœnobio Monachus, regendo S. Lamberti Monaſterio tertius ſucceſſiſſet.* Hoc itaque Diploma ordinat ſeriem Abbatum S. Lamberti, ita, ut primus Hartmannus, ſecundus Udalricus I. tertius præfuiſſet Otkerus. Tandem P. Frælich. Archont. Car. part. 2. fol. 62. refert ex diplomatario S. Lamberti Conradum Regem Monaſterio S. Lamberti Ord. S. Bened. *Abbate Wolframo* confirmaſſe privilegia *an. MCXLVIIII. ſeu Kal. Junii &c.* Jam inter controverſa hæc documenta combinatio ſequens fieri poſſet Hartmannus I. Abbas præfuit Cœnobio S. Lamberti ab an. 1094. ad an. 1114. huic 2dus ſucceſſit Udal-

Otker9 Admont. Monach. fit Abb. S. Lambert. Ord. 3tius.

Wolfram9 Ab. 4. S. Lamberti.

ricus

ricus olim Clericus, dein Monachus Garſtenſis, qui proin, ſi Dipl. cit. Runenſi credimus, 33. circiter annis præfuit ab an. 1115. ad an. 1148. finem vel ſeq. initium (de Wolframo Abb. v. an. 1159.) Tertius datus eſt Abbas Otkerus, Monachus Admont. qui, cum Romam abierit ſub Hadriano IV. ut ait Diploma 9. Runenſe, debuit ad annum uſque 1155. in vivis perſtitiſſe.

Aquilejenſis in parte inſer. Styriæ Metropolis etiam meminiſſe oportet, jam ab initio hujus anni dixi, Conradum e Palæſtina reducem *Aquilejæ* applicuiſſe, & *aliquantiſper* ſe detinuiſſe, tum *propter diuturnam peregrinationis moram*, tum etiam ut Abbatias & Præpoſituras, earumque *poſſeſſiones enormiter ſub nomine feudi alienatas & diſtractas* levaret. Peregrinus Patriarcha venerabilis erat, ſubſcripſitque Diplomati Moſacenſi Glemonæ edito, erat vero in Diœceſi Aquil. Capella quædam S. Udalrici juris Canon. Salisburg. hanc itaque, ut reſtitueret, Peregrinus Patriarcha, nec Telonium de viris religioſis exigeret, mandat Rex Conradus epiſtola hoc an. probabilius, dum Salisburgi, verſaretur, data ad Peregrinum Patriarcham, quam exhibet author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 951.

Aquilej. ret.

Peregrini Aquil. Pat. ret.

ANNO 1150. *An. 1150.*

Indict. 13. *Eugen. III. P.* 6. *Conr. III. Imp.* 13. *Ottoc. V. March. Styr.* 21.

Rem Ottoc. V. March. ab omnibus neglectam adfert de Rubeis mo-num. Aquil. cap. 60. num. 4. ex MS. quodam libro variorum Engelbertus nempe filius Mainardi & frater Henrici Goritiæ Comitum, advocatus Eccleſiæ Aquilejenſ. authoritate ſua abutebatur, eoque proſiluit audaciæ, ut Peregrinum Patriarcham captivum faceret, & cuſtodiæ manciparet; in libertatem reſtituit Patriarcham Ottocarus V. valida manu, Bertholdus Comes Andacenſis Volfradus Comes de Treven, aliique fideles Eccleſ. Aquil. v. cit. de Rubeis, ubi etiam adfert compoſitionem, dein inter Peregrinum & Engelbertum Com. Goritienſem factam.

Peregrin. Aquil. captus liberatur ab Ottoc. V. March.

Acerbum luctum aulæ Conradi Regis, gaudium vero Partheno-ni Admontenſi attulit mors Henrici, filii Conradi Regis ab hoc an. 1147. Regis declarati. Deſponſata huic erat Sophia, Geyſæ Regis Hungariæ ſoror, quæ huc uſque in Parthenio Admontenſi egerat, eam Rex Geyſa jam, ſponſo mortuo ad repetendos lares patrios invitavit. Sed abnuit illa, ſeque alium feliciore Hymenæo ſponſum delegiſſe ait, quem fata nunquam, niſi volenti raperent, indignatus frater, cum puellam, aut violente retentam, aut a Monachis deluſam crederet, legatos grandi apparatu miſit, adjecta in pompæ ſpeciem, equitum caterva, quæ perſtringendo, ſi opus foret, monaſterio, aſſerendæque in libertatem virgini haud impar videretur. Armorum conſpectus, ſimulque truculenta legati Reginam poſcentis vox haud leviter eos, qui primi fors occurrerant, cœnobitas perculit, donec ſuperveniens Godefridus Abbas comiter auditos, dilato in alteram diem negotio, tecta ſubire, feſſaque ab itinere corpora juſſit recreare.

Henric. fil. Conr. Imp. obit. Sophia ejus ſpon. Reg. Geyſæ Hung. ſoror. fit monialis Adm.

Godefridi Abb. Adm. acta cum legat. Hung. de eod. reducenda.

Poſtera die Abbas hoſpites amice rogat, an quoque in mandatis haberent, regiam puellam etiam nolentem ad fratrem devehendi? negarunt illi, ſeque contentos fore teſtati ſunt, ſi libertati redditam alloqui liceret: *Placuit ſermo Abbati* (inquit author coævus in vita S. Ottonis Bamberg. Epiſc.) *venientesque in atrium Baſilicæ ante fores clauſtri quo Virgo S. cum Virginibus clauſa degebat, duos faciebant globos, ſeorſim legati & milites, populusque multus, qui ad ſpectaculum venerat, & ſeorſum Abbas cum fratribus. Reſerantur poſtes, januæ clauſtrales panduntur, Regina ad nuntios exire rogatur. Negat illa nihil ſibi, & eis eſſe dicens, lege ſe loci limen januæ, niſi morte obita non tranſituram. Docetur ergo, quid inter Abbatem & legatos ſententiæ ac rationis de ipſa conſtiterit. Illam de ſub clauſtris egredi oportere in apertum, liberam fieri, coactione ſolvi, cæterum in ejus arbitrio locandum, quam ſibi viam elegerit. At illa fœmineo corpore viriles animos gerens, ubi vidit, quia ſic neceſſe eſt, neque litem aliter poſſe decidi, pede limini impoſito: En! ait ſancta Maria, Domina mea, Patrona mea, Mater Domini mei Jeſu Chriſti, Sponſi mei, ſalva gratia tua & pace, te Duce, te Comite, limina tua tranſeo, te adjuvante, te protegente cito reverſura. Tibi commendo cauſam meam Virgo Virginum. Et tu B. Blaſi Martyr Chriſti, Patrone Admontenſium, Domine ac Dominator hujus loci, qui me a parente meo commendatam divina ordinatione in hæc tua tecta ſuſcepiſti peregrinam, obſecro, ne me derelinquas. His dictis flebant Virgines, fratres flebant univerſi. Egreditur illa modeſto gradu, ac lento in medium tendens, ſtabant legati immobiles veſtes tantum ac purpuram, gemmasque pretioſas incultum ſæculi ei offerentes ac protendentes ad Reginæ animos pelliciendos. Omnes igitur, qui aderant, immoti ſtabant, avide ſpectantes & aperientes, quid eſſet factura, nullo ei propinquante. Sacræ autem Virgines ſtabant ardentiſſime flentes, & orantes, veritæ admodum, ne tantum decus ſocietatis amitterent. Itaque ubi libertatem, & abſolutionem ſuam in medio propoſita ſatis omnibus oſtenderat, ad nuntios converſa, Regina Virgo modeſte inclinans valefecit eis. Deinde via, qua venerat, ad ſorores rediens clara voce, multam compunctionem omnibus excitans cantare cœpit: Regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contempſi: ſuccinentibus cæteris virginibus, quæ illam in limine ſtantem operiebantur, ſuccinentibus pariter, & Monachis & proſequentibus eam in gaudio & lacrymis uſque ad introitum januæ. Omnis quoque populus voces & laudes dedit in excelſum, gratias agens Deo, quod Virgo nobilis, & tenera tam virili mente ſæculi abjeciſſet delicias. Nuntii quo non minus aliis Dominum magnificabant, omniaque ornamenta ſeu veſtes, quas in uſum ſæculi ei portaverant, Monaſterio conferunt, & Reginæ valefacientes, ejusque ſe orationibus commendantes in pace, & gaudio ad Dominum ſuum revertuntur, quæ geſta erant ei referentes, mitigatus eſt itaque Rex ultra a propoſito ſuo illam revocare deſiſtens.* Illuſtre omnino & regiæ & virginalis Conſtantiæ documentum, cujus virginei cineres in ejusdem loci Baſilica ante aram S. Crucis quieſcunt, monumentum tamen ſepulchrale ejusdem, aliaque tum flamma tum ferrum hoſtile perdidit.

Sepulta ibidem Sophia.

Chron. Admont. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 187. Sophiam hanc Belæ Regis filiam docet his verbis ad annum 1138. *Sophia Belæ Hungar. Regis filia Henrico Chunradi Regis filio jam in Regem electo deſponſatur;* aſt non an. 1138. ſed 1147. Henricus Rex Germ. dictus eſt.

Et

Et ad an. 1150. idem Chron. ſeq. habet: *Per idem tempus Sophia Ungarorum Regis Belæ filia, a filio Chunradi Regis deſponſata, & regaliter ipſi cum in æſtimabili peccunia transmiſſa (mundo quod ſuum eſt, diligente, ſcilicet bona temporalia, & fidem, & veritatem negligente) prædicta Regina regnum cœleſte pro terreſtri commutavit. Conſilio namque & auxilio Comitiſſæ Ratisbonenſis Liukardis Monaſterium Admuntenſe expetiit, & cum ſacris virginibus humillima converſatione Cœlibem vitam deinceps duxit.* Liber 1. MS. Admunt. n. 27. eandem Sophiam Belæ Regis filiam teſtatur. Itaque Sophia hæc filia fuerit Belæ II. Cæci Hungariæ Regis XI. filia, & ſoror Geyſæ Regis XII. Hungariæ, qui Patri Belæ an. 1141. def. ſucceſſit, & pro ſoro re ſua legationem in Admontenſe Monaſterium pro ea dimittenda miſit.

Inſigniter vero fallitur Thwrozius & Antonius Bonfin. dum Sophiam Salomonis Regis conjugem, & Henrici IV. Imp. ſororem una cum ſocru ſua in Admont. Styriæ Cœnobio vita deceſſiſſe, ibique ſepultam eſſe docuit. Hæc enim Sophia an. 1088. defuncto Rege Salomone vidua, dein Wladislao Poloniæ Duci copulata eſt, nuptias conciliante S. Ottone Ep. Bamberg. ut v. Sefridum ſeu authorem coævum in vita S. Ottonis tom. 1. Julii apud Bolland. pag. 380. qui tamen author de Sophia Belæ Regis filia, moniali Admont. longe aliter loquitur ibidem a pag. 421. cujus verba ſupra adduxi.

Eidem huic Admontenſi Cœnobio Henricus I. Dux orientis ſeu Auſtriæ (dictus nempe Dux, non Auſtriæ, cujus tantum Marchio erat, ſed Bavariæ, indeque Dux orientis appellatus) beneſecit hoc anno; caſum refert Codex Diplom. Admont. Bern. Pez. 3. theſauri anecdot. noviſſ. part. 3. col. 768. his herbis: *Anſelmus miniſterialis Hainrici Ducis de oriente vendidit, & delegavit ipſe, & uxor ejus, & filii ejus locum curtis apud Chremeſe* (hodie Crembs) *in oriente pro* 15. *talentis, quod quia ſine licentia Domini ſui Ducis præſumpſerat, idem Dux locum curtis eundem Cœnobio* (nempe Admontenſi) *auferre voluit, ſed cito converſus traditionem illius curtis, quam fecerat ſuus miniſterialis ſua traditione confirmavit.* Traditio hæc Ratisbonæ facta eſt, idem Dux Bavariæ, & Auſtriæ Marchio Henricus prædium Dombach prope Viennam & pagum Alſæ Dominorum ſitum donavit Monaſterio S. Petri Salisburgi æmulaturus patrem S. Leopoldum, qui eidem Monaſterio Eccleſiam Dornbach donaverat. V. cit. Bern. Pez, & Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. tom. 1. Diſſert. 2. §. 20. ubi Diploma ejus refertur.

Admont. rer.

S. Petri Salisb. rer.

Eodem hoc an. 1150. *Synodus* 5. *Epiſcoporum ſub Eberhardo Archiep. apud* Salzburch *habetur* ait Chronogr. Salisburg. quid ibi tractatum ſit, non conſtat. Alia etiam Synodus Ratisbonæ habita eſt præſente B. Eberhardo, in qua *octavas matris Mariæ Beatæ inſtituit.* Eximia ejusdem ſuit in B. V. M. veneratio, ait enim author vitæ cap. 4. *Omni petenti tribuere ſolebat, quod S. Mariæ nomine* petitum fuiſſet.

Salzburch. Syn. & Ratisb.

ANNO 1151. *An. 1151.*

Indict. 14. *Eugen. III. P.* 7. *Conr. III. Imp.* 14. *Ottoc. V. Styr. March.* 22.

Non anno ſolum priore in Styria noſtra, ſed hoc etiam, florebat vigebatque pietas authore potiſſimum, Ottocaro, qui ne ulterior virtuti

Seizenſ. fundat. auth. Ottoc. V.

virtuti paleſtra deeſſet, novi rurſus Aſceterii fundamenta jecit hoc an. idque ſingulari cælitum juſſu pius Marchio eſt exorſus: ſi quid enim recentioribus chartis, ex veteri traditione deſumptis credendum, res ita habuit. Venabatur forte in Gonovicenſi inferior. Styr. tractu Ottocarus noſter, & illico miri candoris cervam conſpicit, quam dum admotis equo calcaribus conſectatur, ſpes una & fera e conſpectu ſublata per varias ambages eundem invallem deductum deſtituunt, curſus celeritate in languorem dato, mollior forte ceſpes torum, quo vires reficeret, præbuit, fuſum in herba ſomnus complectitur; inquiete Divus Chriſti Domini prodromus S. Joannes Bapt. ſpecie ſupra humanam auguſta, Marchioni ſeſe objicit, monetque hic loci ejus inſtituti viris, quos veſte exhiberet (candida ea erat, & in cucullam ſurgens) ſedem conſtitueret. Hærenti Ottocaro, & neganti eo, quod, unde gentium evocandi eſſent, non noſſet, e Delphinatus rupibus, quibus Cartuſiæ nomen, huc eſſe invitandos, repoſuit, ſimulque diſparuit S. Joannes Baptiſta, non tamen ea ſpecies ſomnum adhuc excuſſerat Marchioni, ſed lepuſculus auxit, cui venatorum turba herum per avia veſtigans, fugam omnem injecerat, in dormientis gremium velut aſylum ſe conjiciens. Eo ſolutus valli huic D. Joannis nomen, & Cartuſiæ erectæ indidit nomen Seitz, quod ea vox Vindis leporem innuat, comparato dein a Leopoldo Dynaſta Gonovicenſi, ejus loci prædio, & Eccleſiam & Cartuſiam mox moliri cæpit. Ita recentiorum Seizenſium documenta, vetera enim, quæ ſuperſunt, anno 1164. conſummatum opus teſtantur. Certe ante annum 1160. colonia prima Seizenſis non advenit, immo ab eo anno ad 1164. in domo parochiali ſubſtitit, donec congrua Seizii habitacula piis incolis perficerentur.

Gonoviz de Leopold.

Seiz Colon. 1ma.

Cerewald hoſpitale ab Ottoc. V.

Ejusdem Ottocari noſtri pia fundatio erat hoſpitale in *Cerewalde*, cujus uberiorem notitiam, me hic loci expreſſurum pollicebar Diſſert. 4. conabar etiam & Vienna, Græcio, ac Salisburgo librum illum, *fons ſignatus*, ſeu *Divæ Hoſpitalenſis hiſtoria* inſcriptum, obtinere, ſed fruſtraneus erat conatus meus, nec ad hanc horam quidpiam de eodem libello vidi, quod ſi tamen is adhuc meis obveniret manibus, plura in explicando Diplomate confirmatorio hoſpitalis hujus num. 36. in fine adjiciam, quo proin lectorem interim ablegare cogor. Cæterum nec quo anno, nec quibus circumſtantiis fundatum ſit; hactenus mihi conſtitit, v. quæpiam an. 1166.

Ottoc. V. advoc. Eccl. Bamberg.

Ottocarum etiam Marchionem noſtrum Eberhardus Epiſc. Bambergenſis binis in chartis hujus & anni 1154. *fidelem ſuum & advocatum* vocat, quas videre licet in Chron. Reicherſp. Ludewig. ſcript. Bamberg. Vol. 2. pag. 266. Erat itaque Marchio noſter Advocatus etiam Eccleſiæ Bambergenſis, cur vero *fidelis* vocetur ab Eberhardo Epiſc. Bamberg. judico, non ſubjectionis alicujus titulo, ſed inde factum, quod Ottocarus vicum Münſter in Bavaria ſitum, ab Eccleſia Bamberg. feudum haberet, quem locum dein an. 1154. Reicherſpergenſibus concambio tradidit, ut ex Chron. Reicherſp. tradit. Prevenhueberus fol. 395.

Vicum Münſter in feudum habet.

Chumbenz Parochia datur Can. Seccov.

Eberhardus I. Salzb. Archiep. an. 1149. Seccovii præſens, variaque eis nominatim manſum in Chumbenz donans &c. hoc anno eisdem Canonicis Seccovienſibus conſilio Ven. Romani Gurc. Epiſcopi &c.

Paro-

Parochiam *Chumbenze* cum omni juſtitia donavit ita, ut Præpoſitus per fratrem ejus Monaſterii curam animarum ibi valeat explicare, ita Diploma Seccov. num. 8. in Diplomat. Ducat. Styr. part. 1. fol. 148. Conſtat vero ex Diplom. Seccov. 27. ibid. fol. 175. Parochiam Chumbenz jam a Conrado I. Archiep. Salzb. donatam fuiſſe Seccov. unde Eberhardus eam ſolum pleno jure contulit, ac Seccovienſibus confirmavit. Eodem hoc an. idem Eberhardus Archidiaconatum in hac Parochia hærentem eisdem univit. *Et Archidiac.*

ANNO 1152. *An. 1152.*

Indict. 15. *Eugen. III. P.* 8. *Frider. Barbar. I. Ottoc. V. March. Styr.* 23.

Conradus Rex dum iter Italicum pro obtinenda Imperii corona, antea expeditione Palæſtinæ, jam turbis Gulphonis & Rogerii impeditus, hoc anno ad vernum tempus indicit, in ipſo rerum apparatu 15. Kal. Martii magno totius Germaniæ luctu obiit Bambergæ. Auguſtalia ergo Comitia 3. Nonas Martii ſunt celebrata, in quibus Fridericus I. Germaniæ Monarcha eſt appellatus, cui moriturus Conradus inſignia tradidit, & Fridericum filiolum commendavit. Ortus erat ex Hochenſtaufiana familia, cui Fridericus avus ducales Sueviæ faſces primus intulit. At ille diſſimulata paterna origine Weiblingenſem, Italis Gibellinam ſtirpem jactabat, quod aviam Henrici IV. Cæſaris filiam haberet, matremque Juditham ex illuſtri Guelphorum ſtirpe gemitam. *Conr. Imp. obit. Succ. Frider. I. Barbar. de Hochenſtaufe.*

Aderat electioni huic Francofurti etiam Eberhardus Salzb. Archiep. ac cum Friderico in Saxoniam profectus eſt, ubi diſſidentibus in electione Magdeburgenſi datus eſt a Rege Wicmannus. Ea res Pontifici non placuit, unde ad Eberhardum Salzburgenſem Conradum Patav. aliosque Regem aſſectatas litteras dedit reprehendens, quod officio defuerint ſuo, nec ſecundum Canones, ſed Regis placitum egerint. In feſto Apoſtolorum Comitiis Ratisbonenſibus adfuit, ut ipſe teſtatur in Diplomate Admontenſibus dato num. 25. *Nos*, inquit, *poſiti Ratisbonæ in feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli prima curia glorioſi Regis Friderici, in præſentia noſtri multorumque frequentia Principum Conamen Wolframmi de Dornberch ratione patrocinante deſtruximus, & a propoſito removimus.* *Eberhardi Salzburg. rest.*

Præterea hac in prima curia Friderici Regis Ottocarus noſter conſtitutus eſt advocatus Seccovienſium: rem hanc Diploma Seccov. 27. totam enarrat his verbis: *Revertente vero poſt biennium Chunrado Rege de Jeraſolyma, & poſtmodum tribus annis non expletis moriente, Fridericus fratruelis ejus regnum & imperium obtinuit: ex eo dira calamitas & hominum malitia contra Dei Eccleſias inſurrexit. Quamobrem ſæpe dictus Wernherus Præpoſitus, & frater Adelramus, pii Patris noſtri Eberhardi præſentiam adeuntes, quem in advocatum poſſent aſſumere, auctoritatis ejus maturitatem cæperunt conſulere. Qui deliberato meliorum ſano conſilio Styrenſem Marchionem Ottockarium in advocatum decrevit aſſumendum, in cujus poteſtatis ditione maxima pars prædiorum Seccovienſis Eccleſiæ videretur exiſtere. Itaque in prima curia Friderici Regis, nondum Imperatoris Ratisbonæ celebrata anno Domini 1152. Indict. 15. 3. Kal. Julii feria tertia, ipſo Arebi-Epiſcopo favente, & Wernhero Præ-* *Ottoc. V. fit advocat. Seccov.*

poſito inſtanter petente, coram Rege ac Principibus, Marchio Ottackar factus eſt ſolemniter advocatus interpoſita conditione, ut ſolo divini amoris & timoris intuitu, ac ſpe ſupernæ mercedis eandem Eccleſiam per ſe, vel hæredem ſuum defenſandam ſuſciperet, nullumque ſubadvocatum vel genus exactionis, quod vulgo Vritmutte appellatur, ipſe vel hæres ejus imponeret - - - Eandem conditionem Ottocarus clementer recipiens &c. Eadem habet codex MS. Bibliothecæ noſtræ Vorav. cujus textum attuli Diſſert. 4. cap. 6. §. 11.

Adeſt curiæ Ratisbon. Ex his proin conſtat 1. Ottocarum noſtrum curiæ huic Ratisbonenſi interfuiſſe. 2. Ejusdem jam fuiſſe Styriam ſuperiorem omnem cum dicatur, in *ejus ditione* fuiſſe *maximam partem prædiorum Seccovienſis Eccleſiæ.* 3. Styriam etiam inferiorem Ottocaro V. paruiſſe, cum in eo tractu Carthuſiam Seizenſem erexerit, de quibus omnibus fuſius actum eſt Diſſert. 4. cap. 6. Quænam vero fuerint bona Seccovienſium ex Diplom. Alex. III. P. ad an. 1171. patebit.

Admont. Cænob. conflagrat. Chronogr. Salisburg. ad hunc an. ait: *Admontenſe Cœnobium exuritur* vetus Chron. Garſt. diem addit: *Admuntentenſe Cœnobium flagravit incendio 5. Idus Martii.* Denique Chron. Admont. ſic ait - *Admuntenſe Monaſterium miſerabili flagravit incendio 5. Idus Martii.* Dolendum omnino de ſumptuoſo hoc, ac multo marmore magnifico ædificio, ac Baſilica a Conrado I. Archiep. Salisb. ſub Wolwoldo V. Abbate erecta.

Eberhard. Salzb. in Admont. Triſtis hæc mutatio Eberhardum Archi-Epiſcopum, ut eo veniret a Godefrido Abbate rogatus, impulit. Quid vero inibi egerit, pulchre diſtinquit notitia in codice Admont. Diplom. num. 24. quæ ita habet: *Anno Inccarn. Dom. MCLII. poſt Lugubre incendium Admontenſis Cœnobii, quod eodem anno contigit poſt mediam quadrageſimam 5. Idus Martii, Dominus Eberhardus Ven. Salzburg. Eccleſiæ Archi-Epiſcopus petitione Domini Abbatis Advocatus ad Admontenſe Cœnobium 12. Kal. Octobris, ſcilicet in vigilia S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ venit, ibique per ſubſequentes 4. dies continuos manſit, in quibus ſingulis, quid ibi tunc fecerit, ut poſteri ſcire poſſint, litteris mandare curavimus. 1. die virgines velavit &c. Secunda die, id eſt 11. Kal. Octobr. ſcilicet in feſto S. Mauritii ſociorumque ejus capellam Abbatis reparatam & renovatam, quia & ipſa incendio perierat, dedicavit. Tertia die, id eſt, 10. Kal. Octobr. in ſylva Cœnobio propinqua & propria, Eccleſiam in novalibus ejusdem ſylvæ noviter conſtructam dedicavit, dedicatam omnibus decimationibus cunctorum novalium, quæ tunc ibi facta erant, vel per ſæcula circum circa longe vel prope in eadem ſylva fieri poſſent, dotavit, dotatam baptiſmalem conſtituit, atrium quoque ejus poliandum fecit. Quarta die quoddam Concambium, quod factum fuerat inter fratres Cœnobii, & Ottonem Palatinum Comitem: delegatione confirmavit &c.* Ita codex cit.

Eberhard. Salzb. cum Godefr. Ab. Admont. in Langſec. Poſtquam ſic & præſentia & affatu ſuo, mœſtos Admontenſium animos erexit, inde iter in Carinthiam promovit, aſſumpto ſecum Godefrido Abbate Admont. ibi Cœnobium Virginum S. Georgii inviſit, eisque litteras confirmatorias dedit de poſſeſſionibus, quas Uta ejus Monaſterii Abbatiſſa, ab Henrico Carinthiæ Duce 30. marcis Argenti comparavit, ſylvam nempe Seliſſenſem cum attinentibus &c. teſtem egit præter Romanum Gurcenſem Epiſc. etiam Godefridus Abb. Admont. & Romanus Præpoſ. Gurcenſ. &c. id actum 17. Octobr.

Chronic. Admont. addit etiam hoc anno: *Chunradus Dux Zarenſis*, lege Zæringenſis, *obiit*, Piſtorius notat diem mortis 8. Jan. Guillimanus vero lib. 5. Habſpurg. pag. 284. 4to ita ſcribit: *Paucis poſt* Martium anni 1152. *menſibus obiit etiam Cunradus Dux Zæringenſis, ſepultusque eſt in Monaſterio D. Petri ad Harciniam &c.* certus eſt itaque annus, incerta dies an. 8. Jan. an. 2. Junii, ita author cit. Chunradus hic titulotenus etiam Dux Carinthiæ ex Clementia Gotfridi Namurci & Lucemburgi Com. filia liberos reliquit S. Bertholdum IV. Zæringiæ Ducem, Rudolphum electum Mogunt. dein Leodii Epiſcopum &c. v. Archont. Carinthiæ tab. 2. Geneal. *Conrad. Dux Zæring.† Suc. Bertbol. IV*

ANNO 1153. *An. 1153.*

Indict. 1. Anaſt. IV. P. 1. Frider. Barb. II. Ottoc. V. Styr. March. 24.

Anaſtaſius IV. Papa factus eſt poſt Eugenium III. defunctum 8. Idus Julii. Eberhardus inter hæc Archiep. Salisburg. adhuc in Carinthia apud *Villach* oppidum in præſentia *Hartmanni Brixin. Epiſc. Romani Gurcenſis Epiſcopi, Henrici Ducis de Carinthia, & Bertholdi Comitis de Pogone ſeu* Pogen, ſuſcepit traditionem ſalinæ Hallenſis a *Bertholdo* Com. *de Andechſen*, eamque Cœnobio Admontenſi hoc anno firmavit. Dein caſtro Frieſach de Curte ad Planchinowe, quam *Rudgerus de Pongouve* Pincerna ejus, dum adhuc viveret, habuit ab ipſo, dimidiam partem dedit Canonicis Salzburgenſibus, dimidiam Admontenſibus. Factum præſente D. *Romano Gurcenſ. Epiſc. Heinrico Abbate de Salzburch, Eberhardo Abbate de Vitringen Præpoſito, Gerhobo de Richerſperge, Præpoſ. Gurc. Romano, Decano Heinrico de Salzburch &c.* *Anaſtaſ. IV. P. Admont. ver. Bogen de Com. Bertbold. Andechs de Com. Bertbold. Pongowe de Rudgerus.*

Exin in *Libniz*, deſcendit, atque pro Monaſterio Subenſi documentum dedit ſuper lite cum *Marchione Engilberto de Chrayburch*, teſtes fere iidem ſubſcripti. Atque hoc anno Eberhardus ex Carinthia per Leibnizium Seccovium rediret, vel anno 1159. quo ex Göſſenſi Monaſterio, ut ibidem oſtendetur. Eberhardus in Seccovienſe Monaſterium divertiſſe videtur, id deſcribit denuo Diploma 27. Seccov. editum ab Adalberto II. Archiep. Salisburg. hoc tenore: *Idem ſupradictus Archi-Epiſcopus* (antea loquitur Diploma de curia Ratisbon. an. 1152.) *Eberhardus duo altaria S. Petri, ſanctique Joannis in Monaſterio conſecrans, duo prata, in quorum uno eſt Curtis Forwiz ſita, ſervandis gregibus apta, decimasque Wernberi Capellarii in 2. manſis apud Pelſe ſitis contradidit, manſum Chachal juxta flumen Lamerdans* (omiſſum eſt in Harberch) *fontem ſalis coquendi cum vicina ſylva ad focum nutriendum, ſed & manſus duos Pillegrini Hecendorff tradens* (ſubjunge etiam) *miniſterialibus ſuis illic convertendi, ſepeliendi, & quæ pro remedio animarum vellent conferre, conferendi poteſtatem indulſit, unde Signarus & Rudolphus fratres manſum ſuum Hecendorff, Rudiger de Luega prædium ſuum Wengelit, Ortolf de Chuchel prædium ſuum Puſchachen delegavit. Cœmeterium antea a Romano conſecratum ampliavit, Monaſterii fundum deſignans nobilibus rebus provexit, capellam Strelz per Hartmannum Brixinenſem dedicavit.* Hæc uno eodemque anno geſta vix fuerint, huc tamen referenda cenſui, quia debitus cuique annus non apparet. *Eberh. Salzb. in Leibniz. Conſercat Seccovii 2. aras. Eis donat Forwiz curiam. Capel. de Wern. Luega de Rudiger Chuchel de Ortolf.*

An. 1154.

ANNO 1154.

Indict. 2. Hadriani IV. P. 1. Frid. Barb. III. Ottoc. V. Styr. Marcb. 25.

Frider. Imp. Italiam ſubit.

Fridericus, ut laborantem diſſidiis Italiam componeret, inſubriamque contumacem flecteret, ac imperii Rom. inſignia reciperet, menſe Octobri per alpes Rhæticas primo Veronam, & exinde ad agros Placentinos militem deduxit, armis Cæſareis primo arrogantia Mediolanenſium, expugnatis ſub anni finem 3. caſtris compreſſa eſt. Eodem fere tempore 4. Nonas Decembr. Anaſtaſius IV. e vivis exceſſit, & quinta poſt die ſummi Pontificatus apicem, etſi reluctans conſcendere juſſus eſt Hadrianus IV. antea Nicolaus Malbesburienſis, Cardinalis Albanus, ac Can. Reg. S. Rulfi Aven. olim Abbas.

Ottoc. V. cum eod. abit.

Fridericum Cæſarem inter reliquos Germaniæ Principes ſecutus eſt etiam Ottocarus V. Marchio noſter, utpote quem ſanguinis nexu attingebat, ut v. Diſſert. 4. cap. 5. §. 6. Inter alios Friderici Comites in Italiam erat etiam *Bertholdus* Dux Zæringenſis, qui Diplomati Friderici, Theobaldo Veron. Epiſc. hoc an. dato apud Ughell. Ital. S. tom. 5. pag. 64. ſubſcriptus eſt *Dux Carinthiæ*, ex quo vel errorem in apographo irrepſiſſe, & pro Zæringiæ ly Carinthiæ poſitum ſuſpicor, vel Zæringenſes nondum ab uſurpando Ducis Carinthiæ titulo deſtitiſſe opinor. Certe apud Ludewig ſcript. Bamberg. tom. 2. pag. 263. in litteris Eberhardi Epiſc. Bamberg. in territorio Brixinenſi datis 13. Kal. Dec. hujus an. *Henricus Dux Carentanus* ſubnotatus legitur.

Berthold. IV. Zæring.

Ottoc. V. dat Reicherſp. vicum Münſter.

Antequam vero in Italiam abiret cum Friderico, Ottocarus noſter Reicherſpergenſibus Canonicis concambio tradidit vicum Münſter in Bavaria, quem vicum Ottocarus a Cathedra Bamberg. in feudum habuit, atque ab eo in ſub-feudum *Eckenberto de Runa* collatum fuiſſe ex Chron. Reicherſp. teſtatur Prevenhueb. fol. 395. Parochiam hanc Chunradus Ephiſc. Patav. iisdem Canonicis tradidit, ut v. auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 313.

Runa de Eckenbertus.

Ottoc. V. res.

Præterea idem Ottokarus noſter in commutatione Conradi Epiſc. Patav. cum Sigehardo Abbate Garſtenſi, tanquam ejusdem Monaſterii Advocatus prædia tradidit, & teſtem egit, cum Cadelhoho Præp. Patav. licet enim inter acta Chunradi Patav. nulla occurrat commutatio cum Garſtenſibus facta, nec illus Sigehardus hoc tempore Abbas Garſtenſis, ſed ex vet. Chron. Garſtenſis excerptis apud Hier. Pez tom. 2. fol. 144. an. 1111. B. Bertholdus Abbas Garſtenſ. uſque ad an. 1142. & Garſtenſibus Abbas a morituro B. Bertholdo commendatus legatur Eberhardus Prior, quem tamen Monachi non receperunt, ut v. in vita B. Bertholdi apud cit. Pez. cap. 19. ſucceſſorem tamen B. Bertholdi (quem reticent cit. excerpta Garſtenſia, & quidam Bertholdum II. ſtatuunt alii Guntherum ex cap. 25. vitæ B. Bertholdi) Diploma 18. Garſtenſe (v. mea in fine) Sigehardum vocat, hinc ante Chunradum Abbatem Garſt. 10. Kal. Nov. an. 1182. defunctum, Sigehardus ponendus erit. Ex his itaque ſuſtinenda videtur commutatio illa Chunradi Patav. Epiſc. cum Sigehardo Abbate Garſt. ſi Sigehardus poſt B. Bertholdum Abbas ſtatuatur. V. Dipl. 18. in fine.

Garſtenſ. ſæc. 12. Abb. Sigehardus an ſæc. 12 Ab. Garſt.

Pere-

Peregrinus Patriarcha Aquil. hoc anno in Eccleſiam Junenſem induxit Canonicos Reg. S. Auguſtini, ita ex charta Peregrini, hoc an. Aquilejæ data oſtendit Frælichius ſpecimine 1. Geneal. Souneck. fol. 34. quam rem in ſuis monum. Aquil. neglexit de Rubeis. *Peregrin. Patr. Aquilej.*

ANNO 1155. *An. 1155.*

Indict. 3. Hadr. VI. P. 2. Frider. Barb. IV. Ottoc. V. Styr. March. 26.

Terdona Cæſarem diutius in Italia detinuit, quam ineunte Febr. hujus anni vallare cœpit, quæ tandem medio Aprili direpta eſt ac incenſa; dein 15. Kal. Maji Longobardiæ Rex eſt coronatus Fridericus. Celebritatis Bononniæ Pentecoſtes diebus per Apennini juga exercitu ducto prope viterbium caſtra metatus eſt. Obviam ei cum Cardinalibus progreſſus eſt Hadrianus Pontifex, de populi ſenatusque Romani faſtu non leviter conqueſtus, Arnoldus enim Brixinenſis Clericus ob ſacrilega dogmata damnatus, cives ad inſtaurandum capitolium, & Romæ veteris reſtituendum imperium eſt adhortatus, eo inde eorum proceſſit audacia, ut legatos ad caſtra Friderici mitterent nuntiaturos, eum ad imperialem coronam non antea admiſſum iri, quam argenti pondo 5000. ærario capitolii inferret. *Frider. Imp. redit Italicæ.*

Ridens ſtolida poſtulata Cæſar, nocte media 1000. equites præmiſit, urbem Leoninam occupaturos, ſubſequa Aurora Papa in Eccleſia Principis Apoſtolorum Fridericum exſpectans, mox Imp. Romanum 14. Kal. Jul. coronavit. Senatus id ſe non conſulto factum ægerrime ferens, correptis per plebem armis, digreſſo ex Eccleſia Imp. quosdam trucidavit, ſed vindictam ſumpſit immiſis ſuis equitibus Imperator, plus mille ferro peremptis vel in Tyberim præcipitatis 200. captis. *Fit Imp. Romanos ſubjugat.*

Siry ardentis calores Imperatorem cum exercitu urbe diſcedere coegerunt, unde Anconam profectus fatigatos præliiſſet aeris intemperie Principes a caſtris dimiſit. Ita habet anonymus Leob. apud Hier. Pez tom. 1. col. 786. licet loco non ſuo: *Fridericus Imperator ab Adriano coronatur, & rediens, cum Mediolanenſes faſtu ſuperbiæ tumentes, pro tunc aggredi non videret competere, dimiſſis primatibus ſcilicet Pilgrimo Patriarcha,* ſeu Peregrino Aquilej. *Eberhardo Babenberg* Epiſc. *Duce Karinthiæ* Henrico, *Otakaro Marchione Styriæ ipſe per clauſuras vero menſes in Alemaniam eſt reverſus.* Hæc ſub finem menſis Septembris contigiſſe reor. *Peregr. Aquilej. Ottoc. V. ex Italia redeunt.*

Chronicon Salisburg. apud Hier. Pezium ad eundem hunc annum ſequentia tradit: *Hartvicus Salzburgenſis Canonicus fit Epiſc. Ratisbonenſis,* quo eodem tempore Chunradus Pat. Ep. Canonicos ſuos, ſi non ad S. Aug. regulam, certe ad communem vivendi, & ſeorſim a Laicis habitandi normam reduxit. *Hartwig Epiſc. Ratisb. ex Can. Salzburg.*

Anno priore Fridericus Goslarienſi in conventu, citatis Auſtriæ & pax Saxoniæ Principibus, & illo non comparente, Ducatum Bavariæ ab Henrico Auſtr. ademptum in Henricum Leonem Saxoniæ Ducem transtulit, quod Henricus Auſtriacus modeſte tulit; interim tamen titulum Ducis Auſtriæ etiam hoc anno retinuit Henricus Auſtriacus, ob Provinciam ante habitam, ita enim ex cod. tradit. Sittenſtet- *Henr. March. Auſtr. deponitur a Duc. Bavar.*

tenſ. ad hunc annum refertur Diploma, in quo ſe Henricus Auſtriacus *Ducem Auſtriæ* ſcribit. V. Diploma hoc apud Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. Diſſert. 2. §. 20. inter ſubſcriptos teſtes ultimo loco legitur, *Hildebrant de Farovve & alii quam plures.* De quibus Dominis de Warowe jam aliqua diſcuſſi ad an. 1114. pluraque dicentur tomis ſubſequis, ubi forte planiora de hiſce occurrent documenta.

Hildebrand de Varowe.

An. 1156.

ANNO 1156.

Indict. 4. Hadr. IV. P. 3. Frid. Barb. V. Ottoc. V. Styr. March. 27.

Fridea. Imp. divortium & nuptiæ ſecundæ.

Fridericus jam ipſe in Germaniam reverſus, menſe Julio hujus anni Beatricem Rainaldi Burgundiæ Comitis filiam Thalamo induxit ſuo, Adelhaide priore conjuge, Diepoldi March. Vochburgici filia, & Chunegundis Marchioniſſæ ſorore, ſibi conſanguinea ex Præſulum ſententia repudiata. V. Baron. num. 10. arctum inter Fridericum & Adelhaidem ſanguinis vinculum ex eo apparet, quod Juditha Guelphica, Friderici mater, & Mathilda Adelhaidis mater ſorores eſſent, ex quo ſimul pateſcit Chunegundem Marchioniſſam noſtram affinitatis, Ottocarum vero ipſum ſanguinis nexu contigiſſe Fridericum, ſchema utriusque rei exhibeo.

Henricus magnus, ſeu *niger*, Dux Bavariæ & Saxoniæ.

Juditha Mar. Frid. Sueviæ Dux.	*Sophia* Marit. Leop. fortis. Styr. March.	*Mathildes* Mar. Diepold. II. March. Vochburg.
Fridericus I. Imp. Barbaroſſa dictus.	*Ottocar. V.* fundat. Vorav. ux. Chuneg. Vochburgica.	*Adelh.* ux. 1. Frid. I. Imp. 2. N. Co. de Ravenſperg.

Ottoc. V. Frid. Imp. 2. gr. conſang. Chuneg. 2. gr. affinis. Ottoc. V. ux. ſuæ Chuneg. nec affinis, nec conſang.

Ex quibus proin patet 1. Fridericum Imperatorem, & uxorem ſuam primam Adelhaidem Vochburgicam fuiſſe ſecundo gradu conſanguineos. 2. Eundem Fridericum Imp. & Ottocarum noſtrum fuiſſe ex linea materna, etiam ſecundo gradu conſanguineos, non tamen 3. Ottocarum V. & Chunegundem uxorem ſuam, quamvis etiam Adelhais eundem cum Chunegunde patrem habuerit, nempe Diepoldum II. Marchionem de Vochburg: matre tamen alia, nempe Adelhaide Duce Poloniæ, & Diepoldi II. prima uxore edita erat Chunegundes Ottocari V. conjux; unde nec affinis erat Ottocaro Chunegundes (quamvis Friderico Imperatori ob maritum Ottocarum, ſecundo gradu affinis fuerit) moderna affinitatem computandi ratione.

Auſtria fit Ducatus & cur?

Septembri hujus anni menſe, & quidem feſtiva B. V. naſcentis luce, dirempta eſt in ſenatu Ratisbon. lis illa, quæ inter Henricum Auſtrium Cæſeris patruum, & Henricum Saxonem, ejusdem Friderici amitinum vertebatur. Henricus Auſtr. dominatum Bociæ Friderico ceſſit, quem hic in Fridericum Leonem Saxonem transtulit, viciſſim vero Fridericus Henricum Auſtriæ Ducem creavit, Marchionatumque Auſtriæ in Ducatum erexit. Diploma deſuper ſeu de erecto in Ducatum, Auſtriæ Marchionatu adfert Chronicon Auſtr. viti Arenpeckii tom. 1. Hier. Pez col. 1195. &c. & auth. faſtorum Campilienſ. tom. 1. fol. 329. quale illud in plena reſponſione regia ad Bavaricam deductionem Viennæ in folio editum eſt an. 1742. fol. 99.

Ex

Ex hoc Diplomate colligit author faſtor. Campilienſ. tom. 1. fol. 330. &c. 1. Auſtriæ Ducatum hoc tempore nondum continuiſſe terras infra Anaſum ſitas, Styriæ adhuc noſtræ proprias, ita enim ait Diploma exſtitiſſe litem *ſuper Ducatu Bavariæ & ſuper Marchia a ſuperiore parte fluminis Anaſi.* 2. Duces Bavariæ in ſolam Auſtriam ſuper Anaſum ſitam, nullatenus vero in modernam Auſtriam infra Anaſum ſitam, jus aliquod & actionem habuiſſe, 3. terras infra Anaſum ſitas non fuiſſe ducales factas, ait enim cit. Diplom. *Marchionatum Auſtriæ & dictam Marchiam ſupra Anaſum commutavimus in Ducatum*; terræ enim infra Anaſum hoc tempore Ottocaro & Styriæ ſuberant. 4. Ducatum Auſtriacum factum fuiſſe feudum etiam fœmineum, quia collatum, *prædicto Henrico - - - Prænobili uxori ſuæ Theodoræ & liberis earundem*; *liberi* vero vox communis eſt indicans maſculos & fœmellas, quod ne in quæſtionem deinceps verteretur, Imperator in altero laudo ſeu charta diſſerte ajebat: *Perpetuali jure ſancientes ut ipſi* (dicti nempe Henricus & Theodora) *& liberi eorum poſt eos, indifferenter filii & filiæ eundem Ducatum Auſtriæ hæreditario jure a regno teneant, & poſſideant.*

Auſtria mod. ſub Anaſo adhuc pars Styriæ.

Auſtria feudineum feudum.

Teſtes huic Diplomati ſubſcripti proin Ratisbonæ præſentes fuiſſe leguntur: *Pilgerinus*, Patriarcha *Aquilej. Eberhardus Salzburg.* Archiep. *Otto Friſing. Conradus Patav.* Ep. *Eberhardus Babenberg. Hartmannus Brixinenſ. Hartvvicus Ratisbon. Trident. Epiſc. Dominus Welfo, Dux Conradus* frater Imp. *Fridericus filius* Regis Conradi, *Henricus Dux Carinth.* Marchio *Engelbertus de Hyſtria*, Marchio *Adelbertus de Staden*, *Marchio Diepoldus*, *Herimannus Comes Palat. de Rheno* &c. ita apud cit. auth. faſtor. Campilienſ. Aſt Vitus Arenpeckius cit. melius quædam exprimit nempe *Hartvvicus Ratisbon. Ep. N. Trident. Epiſc. Guelfo Dux.* Easdem tabulas integras adfert Chron. Auguſtanum SS. Udalrici & Affræ.

Pilgrinus Aquil. Eberhard Salzb. Conrad. Patav.

Erectionem Ducatus Auſtriaci referunt omnia propemodum Chronica, præſertim domeſtica, Mellicenſe, Salisburgenſe Chronic. Auſtr. breve auth. incerti, Poltrami ſeu Vatzonis, anonymi Leob. Viti Arenpeckii, Haſelbachii, ubi etiam Diploma hoc refertur &c. Aventin. Megiſer. &c.

Ottocarus noſter curiæ huic Ratisbonenſi præſens non fuerit, neque enim ſubſcriptus inibi inter teſtes legitur. Quæ eum cauſa detinuerit? ignoro, paulo antea certe in Vienenſi civitate exſtitit, teſtemque ſe ſcripſit chartæ Henrici Auſtriaci, qua hic S. Petri Cœnobitis Salisburg. benefecit, quam exhibet Bern. Pez cod. Diplom. part. 1. col. 382. primus enim inter teſtes notatur Ottocarus his verbis: *Huic autem traditioni in Vienenſi civitate a nobis factæ interfuerunt de fidelibus noſtris Ottokarus Styrenſis Marchio - - - Erkbertus Comes de Putino* &c. vocatur *Ottocarus fidelis*, Henrici Auſtr. quia feuda quædam ab eo habuerat, uti idem Ottocarus an. 1151. fidelis Epiſcopi Bamberg. eadem de cauſa dictus eſt.

Ottoc. V. rès. Vienna agit.

Ecbertus Com. de Putten.

Idem Ottocarus vero noſter eod. vel priore anno Leibnitii exſtitit, dum ibidem Eberhardus Salzb. Archiep. Monaſterium Runenſe ſub Gerlaco Abbate a decimis omnibus immune eſſe declarat. V. Dipl. 8. Runenſe in Diplomat. Styr. part. 2. fol. 13. Sic enim in eo legitur: *Interfuit huc actioni Romanus S. Gurcenſis Eccleſiæ Vener. Epiſc. & hujus teſtes*

Ottoc. V. in Leibnia.

Runenſ. res. *ſes ſunt ipſe Epiſcopus, Otackar Marchio, cujus & Bullam intrinſecus pagina continet &c. facta eſt autem hæc traditio apud Leibnitz, privilegium Freſaco perſcriptum tradidimus apud Modniz 5. Kal. Mart. anno Dom. Incarn. 1156. Indict. 4. &c.*

Diepoldus II. March. de Vochburg. *Diepoldum* vero *Marchionem Vochburgicum* inter teſtes Diplom. Auſtriæ in Ducatum erectæ ſubſcriptum lego, hinc magis firmor in eo, quod an. 1146. Diepoldus I. Marchio Vochburg. & avus Chunegundis noſtræ obierit, & Diepoldus II. Pater Chunegundis hujus an. Diplomati Auſtriaco cit. ſubſcripſerit.

Seccov. res. Varia adhuc de rebus Patriæ noſtræ occurrunt, & quidem Seccovienſium Canonicorum res quasdam pandit Diploma Eberhardi Archiep. Salzb. mihi ſubmiſſum e celeberrima illa Cathedrali, ac hactenus nondum lucis publicæ factum, illud inter mea num. 82. integrum ac ſincerum exhibeo. Fragmentum ejus habetur in Diplom. 27. Seccov. apud Frælich. Diplom. Styr. p. 1. fol. 177. ita vero ait: *Litem ſuper prædium ad S. Stephanum prope Friſacum inter Seccovienſes fratres, duasque ſorores Hildigardam de Tunſperch & Fromudam de Sibidat, & utrarumque filios diligentiſſime diremit*, nempe Eberhardus Archiep. Salzburg. de hac re, quoniam Genealogiam veterem multum reſpicit, agam prolixius in annot. meis ad Dipl. 82. litem vero hanc jam antea a Romano Gurc. Epiſc. conſopitam, denuo vero reſuſcitatam, hoc anno Friſaci compoſuit Eberhardus Archiep. Salzb. Chronic. Admont. hoc anno etiam

Admont. res. habet: *Bergenſe Monaſterium per Admuntenſes inſtituitur, ſub Domina Regilla Abbatiſſa.* Hoc Bergenſe Monaſterium an in Bavaria, vel in Ducatu Wirtembergenſi ſitum ſit, vel alibi? ignoro.

An. 1157.

ANNO 1157.

Indict. 5. Hadriani IV. P. 4. Frid. Barb. 6. Ottoc. V. Styr. March. 28.

Leopold. Auſt. natus. Dum Auſtriæ lætitiam publicam, novus novo Duci, filius natus Leopoldus, etiam Dux Styriæ quondam futurus, augeret, non-

Frid. Imp. & Hadriani turbæ. nihil turbarum Frider. Imp. Pontifici Hadriano movit, captus erat in Burgundia redux e palatio Vaticano Epiſc. Londin. & tamdiu concluſus, donec auro emeret libertatem. Imploravit Papa Cæſarem ſceleris vindicem, tandemque, ut rem urgeret, legatos veſontionem mittit cum litteris querelarum plenis, Fridericus in litteris Papæ ægre tulit voces eas, quibus monebatur, ne obtenti beneficii, quo Romanam coronam ab Eccleſia receperat, ſe immemorem adeo exhiberet, illico ad omnes Germaniæ præſules, Principesque de faſtu Papæ conqueſtus eſt Fridericus, ſeque vitam & ſanguinem ante daturum aſſeverabat, quam admiſſurum, ut coronam Imperii ſedis Apoſt. beneficium numeraret. Præſules veriti, ne atra ſchiſmatis nubes obduceretur, Pontificem eo deflexerunt, ut Friderici animum novis legatis, litterisque blandioribus emolliret.

Eberhardi Salzb. res. Salisburgenſis Metropolita Eberhardus litem etiam compoſuit, quæ inter Ottonem Friſingenſem, & Hartwicum Ratisbon. Epiſcopos de terminis Diœceſium orta erat. Eidem vero Canoniæ Salzburg. ſub

Can. Reg. Salzb. Hugone Præpoſito Hadrianus Papa litteras dedit, quibus ordinem Can.

Reg.

Reg. S. Auguſt. ea in Cathedra in perpetuum ſtabilit, & Canonicorum facultates confirmat. V. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 254. &c. prohibet inter alia Papa, *ſane ne quis veſtrum Clericus vel Laicus poſt profeſſionem exhibitam proprium quid habere, neve ſine Abbatis vel congregationis licentia clauſtri cohabitationem deſerere audeat, interdicimus.*

Henricus proin primus Præpoſitus Salzb. in vivis non amplius fuerit, Necrol. Admont. ad 4. *Kal. Octobr.* ſer 28. Sept. habet: *Depoſitio Chunradi Arcbiep. Juvav. Heinricus Præpoſitus*, annus quidem adjectus non eſt, probabilius itaque præced. vel hoc an. (cum Bulla Hadriani cit. ad Hugonem 3. Kal. Jan. ſeu 30. Dec. data primum ſit) obierit Henricus. *Henr. I. Præp. Salisb. obit,*

Hugo antea Præpoſitus Berchtolsgadenſis fuit, ut habet Catalogus Præp. Salisb. apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 1039. Interim vero ab an. 1153. Wolfgango Decano ſuffectus eſt Henr. V. ibid. f. 1045. *Hugo ſucc. antea Præp. in Berchtolsgad. Wolfg. Dec. Salisb. † ſucc. Henricus.*

Cellarum Marianarum in Styria originem plures ad an. 1200. referunt, ego huic circiter affigendum opinor ex Bulla Hadriani IV. qua benigne annuit, ut in adjecta Eccleſiæ Avelazenſi S. Petri, cella religioſus ad divina celebranda manipulus perpetuo habitaret; quoniam vero vallis Avelanz ingenti latitudine, & transverſo inſuper jugo ſecta, perquam arduam remotioribus colonis ſemitam relinquebat, eamque hybernante cœlo plerumque immenſæ nives obſtruebant, ne ſacris officiis plebs ruſtica careret, expeditus in montium interiora vir piiſſimus, qui ſacri ibidem Curionis munus obiret. Is ædiculam, quæ Eccleſiæ imitaretur ſpeciem, eodem loco, quo Auguſtæ fabricæ templum, utut amplum, vix tamen ſufficiens, e ligno conſtruxit, excitatæ in medio aræ, cubitalis magnitudinis ſtatuam imponit, quæ e tilia ſculpta, ſuisque illuſtrata coloribus divam Virginem dextro parvulum ſuſtentantem brachio refert, matre pyrum, filio contra matri pomum, ut vilia, ita ad ruſticæ plebeculæ, a qua ſolum primitus colebatur, guſtum, accommodata dona porrigente, utriusque vultum juncta Majeſtati clementia ſic temperat, ut intuentium animis arcano motu venerationem ingerat, ſimulque ad ingentem fiduciam pia ſupplicum vota erigat. Cella hæc Mariana ad confluxum Golradi & Salzæ ſita toti dein valli nomen dedit, inde Cell-Thal etiamnum appellatæ. Hæc fuere Cellenſis Baſilicæ, innumeris nunc beneficiis inclytæ, exigua quidem, ſed feliciſſima primordia, quamvis vero certa temporis æra non ſuppetat (ut in ſynoptica rerum Cellenſium narratione Chriſtophorus Jäger San-Lambert. Cœnobii olim Prior meritiſſimus, fatetur) quamvis anguſtioris dein fabricæ propylæo ex majorum traditione eæ voces inſcriptæ ſint. *Anno Dom. M. CC. inchoata eſt hæc Eccleſia glorioſæ Virginis Mariæ*, ut tamen ad hunc annum ejus referrem originem, me & Bulla Hadriani IV. & celebratum an. 1757. ab ipſis Cellenſibus, ſextum Eccleſiæ ſuæ ſæculum permovit. Plura ad an. 1286. & 1363. *Cellæ Marianæ in Styria.*

An. 1158.

ANNO 1158.

Indict. 6. Hadr. IV. P. 5. Frid. Barb. 7. Ottoc. V. Styr. March. 29.

Frid. in Italiam arma ſumit.

Per Inſubriam vetera recruduere diſſidia, vicinasque ſibi urbes Papiam & Navaram infeſtis armis Mediolanenſes incurſabant. Fracturus contumaciam Imperator exeunte vere delectum ad campos Lycatios inſtituit, præmiſſisque trans alpes legatis ſuppetias auxiliorum contrahi, & annonam caſtrenſem parari juſſit. Diviſio dein quadrifariam exercitu, Italiam ingreſſus, cum Brixiam obſiſtere auſam primo impetu obruiſſet, Mediolanum arcta obſidione preſſum, tandem 6. Idus Sept. deditum ea lege recepit, ut ſenatus Sordidato habitu, impoſitis cerici enſibus, plebs collum fune cincta contumaciæ veniam peteret, ac impetraret.

Ottoc. V. in Ital. Eggebert9 III. Putin. Com. obit de ejus hæred.

Complures Fridericum Principes ad hanc expeditionem ſunt ſecuti, hosque inter cenſet Prevenhueberus etiam Ottocarum noſtrum, & Eckkebertum Comitem Putinenſem, quod de Ottocaro tradit Prevenhueberus fol. 15. efficaciter non contradixero, quamvis illud falſum ſit, Ottocarum cum Bertholdo Marchione Auſtriæ certaſſe de hæreditate Eggeberti Putinenſis, huicque Neoburgum ad ænum Ottocaro vero Farnpacum, Schardingam, Lambacum ceſſiſſe, de quo jam Diſſ. 4. cap. 6. §. 4. abunde loquebar, nemo certe Bertholdus Auſtriæ Marchio hoc tempore legitur. Corrigit errorem hunc Brevenhueb. fol. 895. ſed novo errore docens Ottocarum cum Leopoldo Auſtr. de hæreditate Eggeberti pugnaſſe, Henricus enim Dux Auſtriæ fuit, & Leopoldus puer adhuc bimulus. Illud tamen paſſim Chronica enuntiant, Eggebertum Comitem Putinenſem, mihi 3. & ultimum (cujus Genealogiam in annotat. ad Diploma 4. exhibebo) hac in expeditione Mediolanenſi abiiſſe, ita ad annum licet ſeq. primum, Necrol. Mellic. *Expeditio Italica ab Imp. Frider. facta eſt, & famoſiſſima Italiæ civitas Mediolanum datis 300. obſidibus capta eſt, ubi & Eckebertus Comes, & Dietmar de Spielberch occiſus eſt.* Chron. Zwetl. vetuſtum ad eundem an. *Fridericus Imp. Mediolanum ſubegit, Comes Eckebertus ibidem occiditur.* Chron. Auſtr. incerti auth. eadem - - - *ubi & Eckebertus Comes occiſus eſt, & Tietmar de Spillberch occiſus eſt.* Chron. Admont. *Eckebertus Comes occiditur.* Sive proin huic, ſive ſequenti anno hæc obſeſſæ Mediol. urbis deditio adſcribatur, patet, Eggebertum Comitem Putinenſem poſt an. 1157. quo adhuc teſtis ſubſcripſit, & adfuit Conventui Bambergenſi, & ante an. 1162. quo ejus jam defuncti memoria recurrit, obiiſſe.

Spilberch de Dietm. Com. †

Hæres Eggeberti def. factus eſt Ottocarus V. Marchio noſter, ut uberius Diſſert. 4. cap. 6. §. 4. oſtendi, ubi etiam de amplitudine Comitatus Putinenſis actum.

Zeyring. fodinæ collapſæ.

Ditiſſimæ ſuperioris Styriæ argenti fodinæ *Zayringenſes* dictæ irreparabili jactura hoc anno perierunt, erumpentibus enim perfracto hydrophylacio aquis, 1400. foſſores, ſubterraneo hoc dilyvio abſorpti ſunt, omnisque ſimulque aditus ad eruendas opes intercluſus. Deplorant miſerandam cladem rythmi Germanici Maximiliani I. Cæſaris

ævo

ævo conſcripti, atque in regio caſtri Heinfeldenſis conclavi exhibiti, dum ibidem Auguſtus hoſpes de his inſtaurandis, conſilia ſed irrita agitaret. *Heinfeld caſtrum.*

Ex Admontenſi Styriæ Cœnobio anno priore Joannes Abbas poſtulatus eſt in Chotwic. ita Chron. Admont. *Dominus Johannes ex Admuntenſi Monacho ſit Abbas Chotovicenſis*, & excerpta vet. Chron. Garſt. *Johannes ex Admontenſi Monacho Chotevvigenſium Abbas efficitur.* *Admont. res Joan. Adm. Abb. Gotw.*

Seccovienſium etiam fundationem, donationesque Adelrami, & Richinzæ confirmavit hoc an. Frid. Imp. in Conventu Ratisb. ut v. Dipl. Seccov. n. 9. inter Dipl. Styr. f. 149. Ex hoc vero Diplomate addiſcimus *1mo:* donationes Seccovienſibus ab Adalramo primitus factas fuiſſe caſſatas, etenim, ut habet Diploma cit. *Cum Chunradus Rex in reditu de Jeruſalem*, proin an. 1149. *Friſacum veniſſet, nobilis quædam fœmina, nomina Richinza, querelam coram ipſo depoſuit, a viro ſuo Adalramo, nomine per injuſtas delegationes, omni conjugali dote ſe privatam, quia cauſa diligenti examinatione diſcuſſa, ipſo jam dicto viro præſente, nec contra ſe prolatam querelam negante, mulier judicio Principum, coram præfati prædeceſſoris noſtri*, Chunradi nempe, *præſentia plenam juſtitiam obtinuit.* Adalramus fundator Seccov. an. 1147. 5. Kal. Martii converſus Seccovienſis factus eſt, unde donationes ejus impetitæ, quaſi in dotis præjudicium ceſſiſſent. Reſtituta itaque dos Richinzæ, ſed poſtmodum, ipſa etiam Richinza (ut ait Diplom. Seccov. 7.) poſt annum 1149. *Divina miſeratione in ſancta converſione conciliata*, utpote etiam converſa Seccov. facta, *omnia prædia ſua, quæ ſingillatim in ſequentibus annotabimus, pari conſenſu, & voto concordi ſuper altare ſanctæ Mariæ in Seccovve tradiderunt.* Hæc, ubi dein rata Chunradus Rex eſſe voluit, privilegium tamen morte præventus expedire non potuit. Fridericus iis omnibus in ſua præſentia vivo Principum teſtimonio comprobatis, Diplomate edito ad inſtantiam Eberhardi confirmavit hoc an. in Conventu Ratisbon. *An. Dom.* 1158. *Indict. 5. regn. D. Frid. anno regni ejus ſexto, imperii vero tertio.* Indictio tamen, & anni Friderici annum præced. 1157. oſtendere videntur; atque Conventum Bamberg. *2do:* Ex eodem colligimus circiter tempus, quo Richinza Fundatrix Seccov. facta eſt converſa Seccovienſis nempe poſt annum 1149. (quo exceptionem de dote ſua Friſaci coram Rege depoſuit Chunrado) & ante an. 1152. quo Chunrado Regi ſucceſſit Fridericus. V. plura in annot. Diplom. 7. *Seccov. res. Richinza de Waldek impugnat Seccov. dot. Richinza Fund. ſeu Monial. ib.*

Eodem hoc circiter tempore, quo Hugo Præpoſitus Salzburgenſ. fuit Eberhardus ejusdem ſedis Archi-Epiſcopus Canoniæ Seccov. fundos auxit, teſtatur id Diploma inter mea num. 84. nondum typis editum, & mihi e cit. Cathedrali Canonia noviſſime communicatum; caſus erat ſequens: Eberhardus pro neceſſitate matris Eccleſiæ de Provincia ſua egredi debuerat, cumque itineris ſtipendia deficerent, curtem ſuam decimalem in Hundesdorff Seccovienſibus, fratribus pro 30. marcis argenti montani oppignoravit, uſum vero fructum eisdem fratribus pro remedio animæ ſuæ contulit. Itaque cavet hoc in Dipl. 1. Eberhardus, ut, ſi prædium hoc redimi contigerit, tantundem reddatur, quantum pro pignore accepit. 2. Ne pro uſufructu quid computetur. Actum eſt hoc in Eccleſia S. Rudberti præſente *Hugone* *Seccov. res ab Eberhardo Arch. augentur.*

Præpoſito, Meingoto Decano, omnique capitulo, Abbate Henrico de S. Petro &c. rei hujus non meminit Diploma 27. Seccov. quod alias accuratam rerum Seccov. continet geneſim.

Hoc itaque Diploma referendum eſt 1. poſt annum 1160. quo Hugo Præpoſ. Salzburg. fuit. 2. Si anno 1160. affigatur hoc Diploma, dari debuit poſt 8. Junii, quo Diplom. ejusdem Eberhardi dato Reicherſpergenſibus ſubſcriptus eſt Henricus Dec. Salzb. vel 3. Diploma referendum eſt poſt an. 1160. quo Henricus Decanus jam defunctus erat, & iter illud forſitan Eberhardo ſuſcipiendum erat an. 1160. ad Pſeudo-Syn. Papienſem evocato, præſertim cum dicat: *quod pro neceſſitate matris Eccleſiæ labor nobis gravis de Provincia noſtra exeundi incumberet.* V. an. 1160. Author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 1045. in Catal. Decan. Salzburg. poſt Henricum, locat Wilhelmum Decanum, quem Mezgerus ad an. 1204. collocat. Diploma hoc Salisburg. Meingotum Henrici ſucceſſorem aperte loquitur: certe teſtantur litteræ Conradi II. & Adalberti II. Meingotum an. 1167. 1168. & 1170. fuiſſe Decanum Salisburgi. Aliud quoddam documentum ex præſtantiſſimo MSS. Gazophylacio Seccovienſi, nondum editum obtinui, quod inter mea num. 83. ſubjicio continet illud confæderationem quandam inter Regulares jam Canonicos Salzb. & Monachos Admont. factam, ut ego conjicio, nam 1. in ea clare dicitur de Canonicis S. Rudberti matricis Eccleſiæ Salzburg. eos jam olim *apud nos* (inquit inſtrum. hoc, proin ex Admont. documentis deſumptum fuerit) ſub *Sigeboldo* eorum Decano mediante confæderationem, ſeu fraternitatem inſtituiſſe, eamque confirmatam fuiſſe *a Ven. Abb. Wolvvoldo & ipſorum Præpoſito Dom. Hermanno.* Hermannus hic primus Can. Reg. S. Aug. Præpoſitus Salisburgi conſtitutus ab Archiep. Conrado I. an. 1122. præfuit ad an. 1137. atque Wolwoldus Abbas Admontenſis ab an. 1116. ad 1137. gubernavit. Sub his ergo prima fraternitas inter Salisburg. & Admontenſ. coaluit. Ex eodem hoc Diplomate innoteſcit ſecundus Decanus Regularis in Salzburg, ab auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 1045. omiſſus, nempe Sigeboldus, qui B. Hartmanno I. Decano ad Chimſee Præp. poſtulato an. 1129. ſucceſſit, atque ad an. circiter 1147. Decanum egerit. De hoc Necrolog. fratern. Can. Seccov. ita habet: 12. *Kal. April. Sigeboldus primus Decanus Salisburg.* præter hunc etiam alius hujus nominis Decanus, exſtiterit Salisburgi. 2. Fraternitas hæc prima, partim ex ignorantia, partim ex oblivione obliterata nuper renovata dicitur *a Godefrido Abbate*, & *Hugone Præp.* Hugo Præp. Salisburg. fuit ab an. 1157. ad 1167. Godefridus Abbas Admont. ab an. 1137. ad 1165. quare hæc renovatio fraternitatis inter annum 1157. quo Hugo Salisburgi Præpoſitum agere cœpit, & an. 1165. quo Godefridus Abbas Admontenſis obiit, facta fuiſſe debuit. Reliqua in annot. ad Diplom. 83. patebunt. Additur quidem in fine: *Hæc in Necrologio fraternitatis*, quale exſtare Seccovii ſcio, ſed etiam ad montes ſimile exſtare non dubito.

Meingotus Decanus Salzburg.

Conſæder. Can. Salzb. cum Admont.

Sigebold I. Decan. Salzb. ab anno 1129. ad 1147.

ANNO

ANNO 1159.

An. 1159.

Indict. 7. Alex. III. P. 1. Frid. Barb. VIII. Ottoc. V. Styr. March. 30.

Exorta inter Imperatorem ac ſummum Pontificem lis acrior acerbum Chriſtianæ Reipubl. luctum attulit, lis orta erat de quibusdam Italiæ provinciis, ad quam dirimendam Auguſtus e Vaticano cœtu 6. arbitros petiit, quibus ipſe totidem Principes ſubjungeret, abnuiſſe hoc ajunt Hadrianum, unde Fridericus Eberhardum Salisburg. monuit, ut ſi quando opus eſſet, illico ad Imperii ſenatum evocatus veniret. *Diſſidium inter Frid. Imp. & P. Hadrianum.*

Interea Hadrianus pridie Kal. Sept. curas mortales cum carne exuit, eique a plerisque Cardinalium Rolandus Eccleſ. Vatic. Cancellarius ſub nomine Alexandri III. ſuffectus eſt, aſt a geminis Cardinalibus Octavianus nuper ad aulam Frider. Legatus etiam Pontifex ſub nomine Victoris eſt acclamatus, ſanctuarium armis repletum, & Alexander 20. Sept. per Oſtienſem & Portuenſem, Victor vero 4. Octob. per Tuſculanum deſertorem eſt conſecratus, uterque fulmina vibravit, uterque Friderico electionem ſuam intimavit. Fridericus tum Cremam obſidens, utrique diem ad Id. Jan. celebrandumque inibi conc. gener. Papienſe dixit, atque id ipſum B. Hartmanno Brixin. Epiſc. quo conſcientiæ arbitro utebatur, litteris 10. Kal. Nov. datis inſinuavit. *Hadr. IV. P. obit. ſucc. Alex. III. Victor Antip. ſeu Octavianus. B. Hartm. Ep. Brix. Confeſſarius Frid. Imp.*

Hartmannum *ſpecialem Friderici præceptorem* vocat Radevicus. Scripſit etiam Eberhardo Salzb. Fridericus Imp. inſinuans Hadrianum in nocte B. Egidii obiiſſe, & Eccleſiam Rom. electione jam eſſe turbatam, monens, ut ſibi aſſentiretur, ſicque pax Eccleſiæ redderetur. Eidem Friderico etiam Eberhardus Bamberg. Epiſcopus ſcripſit, cujus & Frider. litteras v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 256. &c.

Rebus ſic pendentibus Eberhardus Salzb. Archiep. Göſſenſi in Monaſterio 4. Kal. Jun. conventum celebravit: cauſam conventui dederat, lis orta inter Monachos S. Lamberti & Runenſes de prædio dicto Sedingen, ita Diplom. Runenſ. 9. poſtquam enim Udalrico Abbati *S. Lamberti Otkerus Monachus Admont. Tertius Abbas* datus eſt, *Otkerus Abbas importuna fratrum ſuorum ſuaſione, ſpe prædii Sedingen recuperandi Romam* eſt profectus *ſub Hadriano IV. Papa.* Papa motus litteras Eberhardo dedit præcipiens, *ut vocato in præſentiam ſuam utraque Abbate partium queſtiones dirimeret, quatenus in reſtituendo prædio Monachis S. Lamberti omnimode aſſiſteret.* Hæc cauſa Conventus Göſſenſis, quo Eberhardus ipſe venit, Otkerus Abbas ſancti Lamberti cum fratribus & Gerlaco Abbate Runenſi corporis infirmitate prohibito Dom. Bero Prior cum fratribus Runenſ. etiam acceſſit. Poſt rei integram diſcuſſionem prædium Sedingenſe Runenſibus eſt aſſignatum, ita Dipl. 9. Run. *Göſſenſ. S. Lambert. Runenſ. res*

Dixi jam an. 1149. magnam difficultatem adferre ſeriem Abbatum San-Lambertinarum, præſertim cum ex hoc Dipl. Otcarus Ab. S. Lamberti & ex Dipl. anni 1149. Conradi, Abbas Wolframmus dicatur, ut v. an. 1149. Primum Abbatem S. Lamberti Hartmannum vel Hermannum omnes fere agnoſcunt, ut dixi an. 1094. Secundus vero Udalricus & tertius Otkerus nominatur ex Dipl. cit. Run. cum vero hoc Diploma an. 1159. ſignetur, & Dipl. Chunr. Regis an. 1149. Wolframmum Abbatem *Abbatum S. Lamberti ſeries obſcura.*

dicat, præterea cum Otkerus Romam abiiſſe, atque ab Hadriano P. litteras obtinuiſſe dicatur, impoſſibile eſt combinare, quomodo Wolframmus ante an. 1149. Abbas vocari poſſit, cum Otkerus, 3. Abbas Lambertinus Romam Hadriani tempore, proin inter an. 1154. & 1158. adierit, ſi enim Wolframmus antea Abbas fuit, Otherus non tertius, ſed quartus Abbas Lambertinorum erit dicendus.

Vel itaque Diploma Conradi Regis an. 1149. Wolframum Abbatem S. Lamberti vocans, vel documentum hoc Runenſe erroneum erit, documenta San-Lambertinorum Græcii edita an. 1740. poſt Hartman num* primum Abbatem: omiſſo Udalrico, & Otkero ponunt Wolframum dein Ottonem, qui primus ordinis ſuiviros auctoritate Adriani IV. in ſubjectas cœnobio Eccleſias introduxiſſe fertur.

Explicandæ huic difficultati me non ingero, quæpiam ſolum hic ex domeſticis documentis ſolvenda propono: etenim *Abbas I. Hartmannus vel Hermannus* ad S. Lambertum non controvertitur *Abbas II. Udalricus*, conſtat ex dictis an. 1107. 1114. 1149. &c. Hic an. adhuc 1146. præfuit ex Dipl. Runenſ. 2. *Abbas III. Otkerus* ex Dipl. Runenſ. 9. pateſcit, ſed ſimul etiam *Wolframmus* an. 1149. Abbas dicitur ex Dipl. Chunradi Imp.

Otkerus, cum ex Dipl. cit. Runenſi 9. ſub Hadriano P. Romam adierit, atque cum Eberhardo litem eo præſentia in Göſs an. 1159. deciderit, utique vivere debuit, & tamen *Otto* Abbas ſub Hadr. IV. vixiſſe (qui an. hujus initio obiit) & ab eo privilegium de expoſitione Religioſorum ſuorum in ſubjectas parochias impetraſſe dicitur in docum. domeſt. præterea anno 1170. ex Dipl. Frid. I. confirmatorio fundat. & privil. S. Lamberti *Bernherus Abbas* dicitur, v. Dipl. Sacr. Duc. part. 2. Styr. f. 278.

Bucelinus in ſerie Abbatum longe aberrat, Udalricum enim poſtponit Otkero, cujus contrarium mox oſtendi, Jacobum 2dum Abbatem ponit, cum tamen Hartmanno ſucceſſerit Udalricus huic Otcherus. Hæc proin ex domeſticis, mihi hactenus ignotis S. Lambertinorum documentis dirimenda, & concilianda erunt.

Eberhard. Salzb. in paroch. S. Michael. prope Leob. divertit.

Unum adhuc obſervo de itinere Eberhardi Salzb. cum hoc anno in Göſſe litem hanc diremerit, cenſeo eodem itinere factum, quod refert codex Diplom. Admont. fol. 705. eundem nempe Archi-Epiſcopum apud S. *Michaelem in Styria* divertiſſe, parochia hæc Admontenſibus hodie paret, non procul Göſſenſi a Monaſterio ſita, cujus ſacer præco, ut audio, ſingulis hebdomadis ſemel in Göſs deſcendit, veſtalium ibidem confeſſiones, tanquam arbiter extraordinarius auditurus. Vocatur parochia hæc *ad Lieſnich & Mueram.*

Seccov. dat ſalinas ad Hartb.

Idem vero Eberhardus Archiep. Salzburg. Canonicis Regularibus erat addictiſſimus, hoc enim anno circiter Canonicis Seccovienſibus donavit *fontem aquæ ſalſæ prope montem* Hartberch *nuncupatum, & dimitium manſum fonti vicinum, jure, quo mihi ſerviebat.* V. Diplom. 10. Seccov. Epocha quidem deeſt, ſed ſcriptor domeſticus teſte Frælichio in Dipl. Styriæ putat pertinere ad hunc annum, quo idem Archiep. pridie Kal. Junii in Baſilica Seccovienſi duo altaria S. Petri & S. Joannis conſecravit prout ex Dipl. Alberti II. Salzb. inter Seccov. n. 27. patet, cum enim 4. Kal. Junii Göſſenſis Conventus habitus fuerit &

Seccov. ref.

fini-

finitus, inde facile in Monaſterium Seccovienſe non longe diſtans devenire, ibique altaria dicta conſecrare potuit Eberhardus.

ANNO 1160. *An. 1160.*

Indict. 8. Alex. III. P. 2. Frid. Barb. IX. Ottoc. V. Styr. March. 31.

Crema urbs portas ſuas 6. Kal. Febr. Friderico pandit, vita ſolum civibus pacta, inde Papiam movit ad indictum ibi concilium de caſu 2. Pontificum celebrandum, evocatus eſt etiam a Friderico Eberhardus Salisburgenſis, ſed in itinere medio ad civitatem Vicentiam jamjam perventurus, dum graviter ægrotare cœpit, redire compulſus eſt, ſuique loco miſit Præpoſitum Berchtolsgadenſem abſentiam ſuam excuſaturum; qua de re videri poteſt Eberhardi ad Romanum Gurc. Ep. epiſtola apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 258. Excuſationem ſuſcepit Fridericus, & tandem in Pſeudo-Synodo Papienſi, impellente Friderico a 50. Præſulibus Octavianus Antipapa receptus eſt, & Alexander rejectus. Quidam tamen horum PP. ut Peregrinus Aquilej. Patr. Eberhardus Babenberg. Chonradus Patav. & Hartwicus Ratisbon. ſuffragia ſua ita temperarunt, ut Eccleſiæ cenſuræ rem integram relinquerent. B. Hartmannus Brixin. Epiſc. conciliabulo non adfuit. Rem hanc mox Eberhardo Salzburg. Alberto Friſing. Hartmanno Brixin. ac Romano Gurcenſi inſinuavit litteris datis Frider. Imp. eosque ad Octaviani partes adhortatur. Sed Eberhardus Salzb. probe videns a tantillo Epiſcoporum cœtu, Majeſtatem concilii generalis minime attingente, tiaram inique Alexandro ereptam, ſpretis Auguſti litteris, ſe ſuosque ad legitimi Papæ Alexandri obſequia obfirmavit, præſertim ubi integram rei ſeriem ab Alexandro Papa ſibi perſcriptam legit, ut v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 259. &c. qui dein pene ſolus cum Hartmanno Brixin. pro Alex. III. vero Pontifice pugnavit.

Frid. Imp. ret. Papienſe concil. Eberhard. Salisb. ret. Octavian. Antip. Peregrini Aquil. Chonr. Pat. ret. Hartm. Brix. ret. Roman. Gurc.

Peregrinus Patri Aquilej. quamvis primum ſuffragium ſuum mitigaret, Imperatori tamen nimium ceſſit, juvitque Fridericum in Octaviano Pſeudo-Papa inthronizando: quæ ad Cremam egerit Peregrinus, refert Radevicus lib. 2. cap. 60. cum *Cremenſes in anguſtiis poſiti eſſent, Peregrini Aquilej. Patriarchæ ſimulque Henrici Ducis Bajoariæ & Saxoniæ colloquium expetierunt, quo dato, Patriarcha vir eruditus, plurimisque virtutibus adornatus, & cui præter officii authoritatem magna facundiæ gratia inerat, prior ad eos ortus memoratur &c.* effecitque, ut cives abire poſſent, civitas tamen ſubverteretur. Dein vero turpiter deliquit Peregrinus, primus enim Octaviano Antipapæ ita ſubſcripſit: *Ego Peregrinus Aquil. Patr. cum fratribus ſuffraganeis interfui, & conſenſi.* Dein ait Hermannus Reicherſperg. in Chron. ad hunc annum Victor ſeu Octavianus ille *ab Imperatore & Epiſcopis ſubjicitur, & inthronizatur in Monaſterio S. Syri Imperatore frenum equi & ſtivam ſellæ illius tenente, & eum de equo ſuſcipiente, & ad altare una cum Patriarcha Aquilejenſi Pilgrino inter manus eum deducente.*

Peregrin. Aquil. adhæret Antip.

Dolendum omnino, eximium Patriarcham hunc fœdo adeo ſchiſmate laboraſſe; Fridericus Imp. ut gratiam ei referret, in gen. conc. Papiæ 15. Febr. *Bellunenſem Epiſcopatum, cum Comitatu, Arimanniis* (erant, qui ſub Comitibus, judicibus, & regiis miniſtris in oppido & caſtris

ſtris militabant, eorumque tuitioni invigilabant, incolæ ſubin villarum, a ſervis tamen diſcreti, & liberæ conditionis homines) *& omni juriſdictione.* V. de Rubeis cap. 60. num. 9.

Ottoc. V. Alex. III. P. adhæret. Ottocarus Princeps noſter, medius inter Eberhardum Salzb. Alexandro addictum, & Beregrinum Patr. Antipapæ defenſorem, hujus partibus ſpretis Alexandro vero Chriſti Vicario adhæſit, Fridericum Imperatorem deſeruit, transmiſſa epiſtola prona legitimo Pontifici obſequia detulit. Refert. P. Puſchius Chronol. Ducat. Styr. fol. 352. part. 1. epiſtolam ad Alex. III. jam in Gallia conſtitutum, proin an. 1162. datam qua & confirmationem Seizenſis Cartuſiæ, & primos colonos a Pontifice ſibi exorat, ſed ea Ottocari V. epiſtola quam inter mea Diplom. num. 51. vide) de Seizenſibus nec verbum memorat, ſed ſolum de Garſtenſibus, ac anno 1177. ab Ottocaro VI. data videtur. Judico tamen, Ottocarum noſtrum anni prioris fine vel hujus initio dediſſe litteras Alexandro Papæ, ab eoque promiſſa ſimul veræ fidelitatis obedientia colonos primos Seizenſes obtinuiſſe, quod, licet litteræ eæ Ottocari V. non exſtent, teſtatum tamen facit catalogus Priorum Seizenſum in Diplom. Duc. Styr. part. 2. fol. 100. qui ita habet:

Ottoc. V. Papæ Alex. III. ſcribit pro Seiz.

Seiz. ves. Beremundus I. Prior. *Dom. Beremundus, Cornobiæ, ut dicitur Comes ex regia Anglorum ſtirpe an. MCLX. a D. Julio Epiſc. Præneſtino, & D. Petro titulo S. Euſtachii Diacono Cardinalibus introductus cum ſuis in* Gonowitz, *ibi in domo parochiali tam diu, uſque dum Seizii ædificia conſtruerentur habitationi congrua, ſubſtitit.* Adjunxit labores ſuos in recipiendo vero Chriſti Vicario, Ottocaro noſtro Eberhardus Salzburg. Diœceſim ſuam omnem ad legitimi Pontificis faciem formans: varia hoc anno dedit Diplomata, & primum pro Admontenſibus, quo collata prius firmat, nova addit nempe in *valle* Admont, patellas ſalis, fodinas cujuslibet metalli, præconium totum, & omne jus, quod Salisburg. Eccleſiæ inibi habuerat a temporibus Hemmæ Comitiſſæ: *in oppidis Salisburgenſibus*, ubi Salisburgenſes forum habent, & *apud Cluſam juxta* Werfen liberum tranſitum ſine exactione Telonei. *Advocatus*, ut nil exigat a Monaſterio, & ne advocatiam deleget. Confirmavit etiam *duas capellas baptiſmales Zözen & Muckernovve.* Item *Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ apud domum hoſpitalem Frieſach*, ſimiliter *Parochiam totam in valle Admunt cum Eccleſia S. Galli* in ſylva nova, quam Eberhardus dedicavit, & baptiſmalem fecit &c. *Item parochialem Eccleſiam S. Mariæ Magdal. apud Jaringen inferius* in prædio Monaſterii conſtructam. Item *S. Georgii apud Strasganch a Geberhardo Arch. & Fund. Admont. donatam, item S. Martini ad Straſsganch*, actum apud Laufen. V. auth. Germ. Sacr. tom. 2. f. 261.

Admont. ves.

Irembert. Mon. Admont. ſtatuitur Abb. Cremiſ. ſed antea Bambergæ ſit Abbas ad S. Michael. Item Eberhardus colloquium cum Conrado Epiſc. Patav. habuit in Monaſterio Cremiſan. ubi deliberatum de evocando ad Præfecturam hujus Monaſterii *Iremberto Monacho* Admont. quem propter celebrem virtutem, jam antea Cœnobio S. Michaelis Bambergæ commendaverat, ut v. Gretſerum in ſerie epiſt. Bamberg. num. 32. dein vero ad preces Conradi eundem Irembertum Abbatem Cremiſan. voluit litteris ad Godefridum Abbatem deſuper datis. Irembertus hic frater erat Germanus Godefridi Abbatis Admont. ſed hoc ipſo anno Abbas S. Michaelis Bambergæ poſtulatus, cumque litteris Eberhardum prævenif-

ſet

ſet Epiſcopus Babenberg. & Monachi S. Michaelis, aſſenſum præſtare non potuit Godefridus, cumque urgeret Eberhardus, contigit interea Monachos Cremifanenſes, & Conradum invicem diſſentire, ita, ut hi Irembertum Admontenſem nolentes ad Papam appellarent, dein vero, ubi per Eberhardi præſentiam emollirentur, Irembertus jam interea Babenbergenſibus eſt transmiſſus. Irembertus dein X. fuit Abbas Admont. ut v. pl. an. 1172.

Reicherſpergenſibus Eberhardus eod. hoc an. confirmat conceſſionem de Eccleſia Brambergenſi factam. Diploma datum Salzburgi, ſubſcripſit ipſe Eberhardus Archiep. Hartmannus Brixin. Roman. Gurc. Hugo Præp. majoris Eccleſiæ & Henricus Decan. ibid. &c. qui proin hoc an. 8. Junii adhuc vixit, cum vero litteris Eberhardi datis 19. Aug. ſubnotatus non legatur, eum interea obiiſſe cenſuit auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 1045. ſed ex Diplom. Seccov. inter mea num. 84. & dictis an. 1158. ad annum uſque 1170. Meingotus Decanus legitur, & probabilius Heinricus Decanus poſt 8. Junii, hujus anni mortuus, eique tunc ſucceſſiſſe Meingotus videtur, cum Diploma illud Seccov. ad an. 1161. circ. pertinere arbitrer, v. dicta an. 1158.

Reicherſp. obtinent Bramberg. Paroch.

Henri c. Decan. Salzb. obit. ſucc. Maingotus.

Altero hujus anni Diplom. 14. Kal. Sept. dato confirmavit idem Eberhardus Reicherſpergenſibus, ut nullus ejus loci ſit advocatus, niſi ſimul advocatus Eccleſiæ principalis Salisburg. cui, cum cæteri teſtes prius nominati excepto Henrico Decano, ſubſcripſiſſent, hunc obiiſſe, & Decanatum adhuc vacaſſe ſuſpicor.

Souneckiorum tanquam primarum Celejenſis familiæ plantularum quædam occurrit mentio in charta codicis Diplom. Admont. apud Bern. Pez tom. 3. Theſaur. anecd. part. 3. pag. 709. in notitia num. 27. legitur enim ibi *Starchant junior*, hunc ego, ex dictis in præfat. ſæc. 11. Popponis ſeu Starcandi Marchionis Carinthiæ filium ſuſpicor, etenim circa an. 1128. eam familiam ob ſcelus in B. Thyemonem Salzb. patratum, e Carinthia pulſam, vel depreſſam dixi: Starchant igitur junior ſuperfuerit adhuc, licet jam provectæ ætatis, & forſitan Pater Gebhardi de Sunec, a quo dein Celejenſes derivantur: Certe Frælichius teſtatur in ſpecimine 5. Geneal. Souneck. fol. 28. ſe vidiſſe ſigillum Comitum Celejanorum an. 1455. ab Ulrico Comite, in quo præter tria ſcuta, infra medium ſcutum ſtat leo (Turingorum ſignum) tenens ſcutum quartum. V. dicta an. 1102. & 1112. &c.

Celejani Comites a Souneck.

Poppo ſeu Starchant jun.

Soucci de Gebh.

ANNO 1161.

An. 1161.

Indict. 9. Alex. III. P. 3. Frid. Barb. Imp. 10. Ottoc. V. Styr. March. 32.

Cum plures jam per orbem Eccleſiæ, Alexandrum III. verum recepiſſent Pontificem, ſolus Fridericus Victorem Antipapam fruſtra urſit, Alex. Papa, cum ſibi in Italia tuto agere non liceret, in Galliam abiit, Mediolanenſes autem denuo in Fridericum inſurrexere, hos, ut compeſceret, Germaniæ Principes cum copiis evocavit ad diem 14. poſt Paſcha hujus anni, hosque inter Aquilejenſem & Salisburgenſem, epiſtolam ad Salisburgenſem refert auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 262. hic vero cum non compareret, acriter a Friderico objur-

Fridericus Imp. urget Antipapam.

Eberh. Salz. res. gatur, & denuo urgetur, reſpondit modeſte Eberhardus ſe excuſans, quod *cum Provinciam domi variis calamitatibus, incendiis bellisque oppreſſam* haberet, vix venire poſſet, venturum tamen ſe pollicetur, modo ſecurum habeat conductum, in cujus certitudinem nuncium ſuum ſit præmiſſurus.

Henric. Duc. Bav. bellam. Bellum, de quo ſcribit Eberhardus, erat Henrici Ducis Bav. cum Hartwico Ratisbon. Epiſc. etenim Dux Bavariæ, teſte auth. vitæ S. Eberhardi cap. 3. fiſcum maximum Epiſcopi ſeu caſtrum Stáufen occupavit &c. unde totus Epiſcopatus incendiis & rapinis eſt vaſtatus. Idem habet Chron. Reicherſperg. poſtquam hos inter ſe conciliaſſet, Eberhardus Salisburgi 4. Id. Julii egit firmans transactionem litis inter Eccleſias Salzb. & Bamberg. & huic decimatio in monte Grivinberg conceſſa, Salzburgenſi vero Eccleſiæ data *Houba una in Enital, &* *Styriæ res. Anaſt. vall. Chrovat.* *piſcatio quædam in villa Chrovvat*, his itaque in Styriæ locis etiam Bamberg. olim Eccleſia bona habuit, quæ tamen hoc anno Salisburgenſi obvenere.

Poſtea in Carinthiam abiit Eberhardus, ubi principio Sept. in op- *Friſac. Synod.* pido Friſaci capitulum ſeu Synodum habuit, de qua docum. 12. Seccov. in Diplom. Duc. Styr. p. 1. fol. 151. ſequentia tradit: *Eberhardum Archiep. an. 1161. Eriſaci Conventum Prælatorum, haud dubie in cauſa ſchiſmatis elapſo anno exorti celebraſſe, ex Diplomate per eundem antiſtitem Cœnobii Reicherſp. in caſtro Strasburch Carinthiæ Indict. 9. 8. Id. Sept. dato patet, vi cujus quædam decimæ confirmantur, ſimulque Friſaci negotium iſtud actum dicitur, teſtibus & collaudatoribus Prælatis, itemque toto capitulo, cujus* *Roman. Epiſc. Gurc. Wernb. Præp. Secc. Ottocar Archipreſ. Viſchac.* *in audientia cauſa propoſita fuit; nominantur autem ſequentes: Romanus Epiſc. Gurc. Hecil Abbas Offiac. Pilgrinus Abbas S. Pauli, Wernherus Præp. Seccov. Chuno Præp. Subun. Magiſter Adalbertus de Hoven, Hademar Archipresb. Friſ. Ottaker Archipresb. de Viſiach &c.* Indict. 9. annum præſentem declarat, vel certe ſeq. ſi verum, ut ait pag. an. 1160. Germanos indictionem a 25. Sept. inchoaſſe author Germ. Sacr. tom. 2. fol. 263. inter teſtes præſentes addit etiam: *Hugonem Præp. majoris Eccleſiæ, Godefridum Abbatem Admont. Romanum Gurc. etiam Præp.* & dein ita ſcribit: *Hademarum Archipresb. Friſac. Pleban. Engelmarum de S. Maria Archidiac. Zolienſem Otakarum Archipresb. de Viſchach*, de quo pl. inferius.

Gerhobi Præp. Reicherſp. doctrina. De Synodo hac Friſac. refert Gerhohus Præp. Reicherſp. in lib. de gloria & honore filii hominis cap. 17. ventilatam fuiſſe, quæſtionem de æqualitate hominis aſſumpti cum patre, & ita ſcribit: *Quidam prudens apud ſemetipſum & in oculis ſuis magnus in capitulo Friſaci habito protulit maledicta in eos, qui a fide ſua, quam ibi recitaverat, diſſentirent. Alius etiam eidem conſona loquens, magis ſcholaſtice peroravit, quibus pro tempore ſatis reſponſum eſt a duobus fratribus noſtris, qui illic aderant, nam quod Jeſum Chriſtum profeſſus eſt ex 2. & in 2. naturis exiſtentem, Deo Patri æqualem ſecundum divinitatem, & minorem Patre ſecundum humanitatem, poteſt approbari utpote ſane dictum, & Catholicæ fidei conſonum. Sed quod homini aſſumpto negat omnipotentiam, & cætera divinitatis bona potiora (in quibus Patri ſuo Deo factus æqualis jam ſedet, & quieſcit, conregnat in dextera ipſius Dei Patris) omnino conſonat Pauli Samoſateni & Neſtorii ſimulque Photini hæreſibus in Epheſino Conc. damnatis.* Ex quibus proin non ſolum cauſam ſchiſmatis

ventila-

ventilatam, ſed etiam doctrinam Gerhohi a ſuis Canonicis defenſam fuiſſe arguo.

Jam ſub Conrado I. Salzb. an. 1130. doctrina Gerhohi excuſſa eſt, qui nimiæ vitæ Canonicæ zelo, vitam Clericorum ſæcularium inſectabatur, & negabat ab hæreticis & excommunicatis verum confici Sacramentum, de quibus tamen ei dein ſilentium eſt impoſitum; circa doctrinam autem *de gloria hominis in Deum aſſumpti, & in Deum nati* ingentes habuit contradictores, atque jam an. 1151. in conventu Babenberg: coram Eberhardo I. inquiſita hæc ejus doctrina, ad cujus dein conſilium, quæpiam retractavit Gerhohus, nemo vero magis impetiit Gerhohum ac Folmarus Præp. Trieffenſtein. ſeu Petræ ſtillantis in Diœc. Wirzburg. qui præſentiam Chriſti in Euchariſtia negans, mendacia & blaſphemias in Gerhohum effudit. Contra hujus Folmari errores apologeticum ſcripſit Decanus Reicherſp. cujus præfatio habetur tom. 23. Bibl. PP. pag. 239. liber autem prælo datus non eſt ob quasdam admixtas Eutichis propoſitiones. Item tom. 25. pag. 312. ibid. exſtant epiſtolæ 7. anonymi contra deliria Folmari.

Folmarı Præp. Can. in Trieſenſtein ejus doctor.

Forſitan hic ipſe Decanus Reicherſp. probabilius Adam dictus, unus earum fuit, qui Gerhohi doctrinam in conventu Friſac. defendit.

Adam Decanus Reicherſp. ſcript.

Abſoluta ſic Synodo Friſacenſi, deſcendit Eberhardus in caſtrum Epiſcopi Gurcenſis Straßburg dictum, ubi pro termino decimarum Reicherſpergenſium in novalibus ſilvæ Putinenſis conſtituit fluvium *Pineach.* Inde fors Tardioræ ævo nempe an. 1325. nonnihil litis exſtiterit inter Canonicos Reicherſpergenſes & Voravienſes, Dominium arcis Fridberg nondum eo tempore quidem, bene tamen Parochiam Fridberg obtinentes, quam proin, ut citius componerent, Ottocarus tunc judex civitatis Fridbergenſis & communitas civium teſtabatur ſub juramento, nec Præpoſitos Voravienſes mortuos, nec conventum Voravii, vel ejus procuratores voluiſſe imminuere cenſum 12. nummorum in loco Hofſtätten inter Tucham & Pincam ſito, in præjudicium Reicherſp. ut habent doc. noſtra dom. ſuo tempore uberius communicanda.

Pinea ſi. termin. decimar. Reich. in Puten.

Eccl. Fridberg. nond. parochial.

Hoc quidem anno Parochia Fridbergenſis nondum exſtitit, ſed tota quanta in Eccleſia Dechantskirchenſi concluſa fuit, hanc vero Eberhardus I. Archiep. Salisb. hoc anno in Parochiam elevavit, ut habet Diploma elevat. hujus Eccleſiæ inter mea Diplom. num. 20. lubet breviter verba Diplomatis audire: *Primo*, ait, *ſe conſilio Ven. Gurcenſis Epiſcopi Romani, aliorumque Prælatorum Eccleſiæ noſtræ*, hanc elevationem ſuſcepiſſe, unde fors in Synodo Friſac. deſuper eſt conſultatum. Ait etiam *Eccleſiam* Dechantskirchen *dictam ab Ottocaro Archidiacono*, ſeu Archi-Presbytero *in quadam ſylva hactenus inculta conſtructam.* Ottocarum hunc Archi-Presbyterum Viſchacenſem cenſeo in Synodo etiam Friſaci præſentem. 3. Ait etiam Eccleſiam *nullius Parochiæ terminis adhuc modo quolibet attinentem*, atque ideo ei ſe conferre *jus Plebeſanæ Eccleſiæ.* 4. Terminos ejus deſcribit hiſce: *a proximis alpibus*, nempe Wechſel, *inter fluenta Lavenz & Tuchne uſque ad terminos Hungariæ*; ex quibus verbis manifeſtum eſt, Parochiam Fridbergenſem, nunc ad Tucham uſque extenſam, & Parochiam S. Laurentii ab alpibus Wechſel ad Layenz protractam, primitus in Parochia hac delituiſſe, donec dein

Dechantskirch. Eccl. fit paroch.

2. Ottocarus Archipresb. fund.

Ejus Eccl. Par. termini.

S. Laurent. in Wexl & Fridb. ſub ea.

ob culturam locorum, & incolarum copiam, eæ in ſeparatas Parochias erigi debuerint, ſed de his fuſius ad Diploma 20. ubi hæc exacte tradentur, Diploma Eberhardi Salisburgi datum eſt.

Eadem hæc habet MS. Chronicon Vorav. *An. Dom. MCLXI. Eberhardus Archiep. Salzeburg. per ſpeciale privilegium Eccleſiam Techanzkirchen, quæ inculta, & in ſilva conſtructa erat, fundare cœpit, & jura parochialia cum decimis perpetuare, videtur in lib. privileg. Monaſt. Vorav. fol. 12. hoc modo in nomine S. & Individuæ Trinitatis &c. & Eccleſiam præfatam limitibus diſtinxit, videlicet, a proximis alpibus inter fluenta Laffniz & Tuchne uſque ad terminos Hungariæ, decimas quoque dotis ejusdem Eccleſiæ ex integro illi donavit, reliquas vero decimas jure parochiali, tertia videlicet portione eam retinere ſtatuit, jus quoque petitionis pro locando ibidem ſacerdote tantum (*omittitur *perſonæ) jam dicti fundatoris conceſſit, ſalva tamen in omnibus, ipſius Archiepiſcopi ac ſucceſſorum ſuorum Canonica juſtitia.*

Admont. res. Wietingen de Gotfrid. Eberhardus idem in Carinthia loco, *inter montes* dicto, Admontenſium conventionem cum *Godefrido de Wietingen* factam firmavit, & quidem non an. 1160. & Ind. 8. ſed hoc anno, & Indict. 9. quia ſub an. Frid. Regis 10. Imperii 7. Jam an. priore dixi, & Eberhardum & Conradum Pat. egiſſe apud Godefridum Abbatem Admontenſ. ut Irembertum Monachum Admont. & Germanum Godefridi obtineret Monaſterio Cremifan. Abbatem, ſed quoniam Irembertus hic ab Epiſcopo Bamberg. & Monachis S. Michaelis ibidem poſtulatus Abbas eo jam abierat, irritæ erant utriusque preces, non tamen offenſus eſt inde Chonradus, nec deſtitit Iremberti loco poſtulare a Godefrido Admont. Abbate Rhabanum Monachum Admont. Cremifan. Monaſterio præficiendum, litteras Conradi Patav. Epiſc. ad Godefrid. Abbatem Admont. exhibet author Germ. ſacræ tom. 1. fol. 319. junxere litteras ſuas ſupplices Monachi Cremifanenſes, ut v. ibid. fol. 320. &c. non tamen obtinuere Cremifanenſes Rhabanum, qua de cauſa neſcio, etenim nec Chron. Admont. nec Annal. ſeu Catal. Abbat. Cremifan. apud Hier. Pez tom. 2. Rhabani Abbatis Cremifan. meminere, immo catalogus Abbatum Admont. in Diplom. S. Duc. Styriæ parte 2. fol. 240. ſub Godefrido 1. Abbate 6. Admont. memorat Rhabanum poſt Ottonem ad Prioratum Milleſtad. promotum, antea priorem Admontenſem, geſſiſſe officium Prioris in Admont. annis 50., idque an. 1169. reſignaſſe, proin ab an. 1119. Priorem in Admont. fuiſſe. Hæc adduxi, ut videatur, quæ gloria Admontenſis in Styria Cœnobii fuerit, ex quo Formatores religioſæ vitæ, exterarum Provinciarum Monaſteria ſibi paſſim expetebant.

Rhabanus Mon. Admont. petitur Abb. Cremifan.

Qui dein Prior fuit Milleſtad.

Eberhard. Salzb. citatur a Frid. Imper. Fridericus interim Mediolanum urbem acri obſidione premebat, cumque ad feſtum Nativ. B. V. M. Eberhardus Salzb. non compareret in caſtris, acerrimas ac comminatorias ei miſit litteras, quas v. in auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 263. Eberhardus iram potius Dei timens, caſtra non adiit, ſed miſſis in belli expenſas pecuniis non venit, & infirmitatem & monaſticam profeſſionem cauſatus, Imperator per Eberhardum Babenberg. & Udalricum Cancellarium mitigatus pecunias remiſit, ſimul ſcribens, ut quamprimum poſſet, ad caſtra veniret.

Hæc

Hæc dum in caſtris geruntur *Henricus Dux Carinthiæ periit in Jonio mari*, inquit Chron. Admont. & Henricus Stero in Annal. apud Caniſium. Tertio nonas Junii ſubſcriptus adhuc erat Diplomati Frider. I. dato ante portas urbis Mediolan. v. author Germ. Sacræ tom. 1. fol. 321. poſt quod tempus a Friderico I. miſſus eſt ad Manualem Imperatorem orientis, de legatione hac Anonym. Leob. apud Hier. Pez tom. 1. pag. 792. licet male ad an. 1168. ita loquitur: *Interea Friderico Imperator prædictus Ducem ſtrenuum, virum ſtrenuum, poſtea Hainricum Ducem Auſtriæ cum viris dirigit ad Imperatorem Græcorum, quia Wilhelmus filius Rogerii in Apulia imperium multipliciter moleſtavit.* Et Radewicus de geſtis Frid. I. lib. 1. cap. 74. Urſtiſii part. 1. pag. 556. male etiam ad an. 1160. *Ad Imperatorem quoque Græcorum Manuel nuncios dirigit*, Fridericus I. *videlicet Henricum Ducem Carentanum, fortem & exercitatum in bellicis conſiliis virum, & Henricum Sacri Palatii notarium*, hæc hoc anno contigiſſe plura diplomata notant. Henrico IV. Carinthiæ Duci ſucceſſit

Henr. IV. Dux Carinth. obit.

Henr. Dux Auſtriæ legatus in orientem.

Hermannus frater, Marchio Veronenſis, ut habet cit. Anon. Leob. Eodem hoc anno & poſt tertio nonas Junii, quo cit. ſuperius Diplomati Frider. I. cum Henrico Duce Carinth. ſubſcriptus fuit, obiit etiam Pilgrinus Patr. Aquil. ita cit. Anonym. Leob. & Chron. Admont. *Pilgrinus Patriarcha obiit, pro quo Oulricus.* Conſentit Stero in Annal. apud Caniſium & Chronica Auguſtenſis, diem notat necrolog. Aquilej. 8. Aug. his verbis *6. Idus Aug. hic Patriarcha pius cœlum petiit Peregrinus.* In Chronico Aquilej. Muratorii, aliisque anachroniſmus latet, dum Peregrino ſucceſſor datur Godefridus, cum ex cit. hactenus monumentis Udalricus legatur ſucceſſiſſe, hujus ſtemma Anon. Leob. ſupra cit. memorat dicens: *Pilegrinus Patriarcha Ulricum moriens reliquit ſucceſſorem, hic Ulricus filius Comitis Wolfhardi de Creven* (lege de *Treven* ex docum. Aquil.) *totum Comitatum obtulit ſedi ſuæ.* Id ipſum confirmat Diploma Frider. I. an. 1780. ad Udalr. inquiens: *Caſtrum de Treven cum omnibus ſuis pertinentiis & utilitatibus, miniſterialibus, famulis, terris cultis & incultis, nemoribus in integrum, ſecundum quod præfatus Patriarcha* Udalricus *una cum patre ſuo Comite Voldrado & matre ſua* (quam Emmam vocat Bellonus ex charta anni 1163.) *Eccleſiæ contradidit &c.*

Hermannus Dux Carinth.

Pilgrinus Patr. Aquil. obit.

Succ. filius Com. de Treven Wolfhardi & Emmæ.

Ottocarus Princeps & Marchio noſter, Alexandro Papæ addictiſſimus, caſtra Friderici, ne inficeretur, vitavit, Diploma Seccov. 11. inter mea num. 19. & 85. eum Leobii exſtitiſſe 16. Kal. Maji innuit, convenerant nempe Leobium Wernherus Ven. Præp. Seccov. & fratres ejus, unaque Reginwardus fidelis Ottocari, hi concambium inter ſe fecerunt, Seccovienſes 4. manſus Sclavonicos in villa juxta Greze, quos olim vir nobilis Urle poſſederat, ejusque dein uxor Juditha Seccov. Eccleſiæ donaverat, ceſſerunt dicto Reginwardo, hic vero viciſſim ipſis tradidit quosdam agros in Hucenbuchele ſitos, manſum Schendorff &c. & Ottocarus hæc præſens ſua authoritate tanquam advocatus Seccov. Eccleſiæ firmavit.

Ottoc. V. Leob. agit. Seccov. rer.

Hucenbiebel obtinent.

An. 1162.

ANNO 1162.

Indict. 10. *Alex. III. P.* 4. *Frid. Barb. Imp.* 11. *Ottoc. V. March. Styr.* 33.

Mediolani excisio.

Mediolano ſuprema clades illata, cives enim fame coacti cervicem ſuadere, in 4. agmina ſe diviſerunt, totidem ſibi oppida, ſed mœnibus deſtituta fundare juſſi, metropolis incenſa, & ſolo æquata, ne ſcilicet ſua Italiæ Carthago deeſſet.

Eberhard. Salzb. ad caſtr. Cæſar. abit cum Præp. Gerhobo Rich. & Hartman. Ep. Brixin.

Ebberhardus, cui pro ſua conſtantia Alexander Papa gratias retulit, tandem ad iter in caſtra Cæſaris ſe apparavit, ſocium itineris ſibi delegit Godefridum Abbatem Admontenſem, qui tamen iter id excuſavit, unde Gerhohum Reicherſperg. Præp. hæreticorum malleum, & ſchiſmaticorum, ac Hartmannum Epiſc. Brixin. ſibi adjunxit, Papiæ primum convenere tres invicti pugiles Fridericum Imp. a quo Mediolanum perducti, cum in partes Victoris Antipapæ non potuiſſent perſuaderi, cum gratia & pace Imperatoris ſunt dimiſſi, Octavianum Cremonæ habitantem nec acceſſerunt, nec cum Cardinalibus ejus loqui voluerunt, ut hæc omnia inſinuat ipſe Eberhardus Archiep. in ſua ad Godefridum Admont. epiſtola apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. f. 268.

Godefridi Abb. Admont. res.

Udalr. Aquil. ab Eberhard. Salzb. ad part. Alex. III. permovetur.

Ubi ſic ſecurus rediit Eberhardus, eo mox vires omnes contendit, ut neo-electum Patriarcham Aquilej. Udalricum II. ad partes Alexand. III. & veri Pontificis permoveret, cui proin novam dignitatem gratulatus per Gerardum Concordienſem in partes Alex. III. tranſire perſuaſit. Cum vero Alexander III. confirmationem Udalrici protelaret, inſtitit Eberhardus, eumque Pontifici commendavit: ſane author hiſtor. calamit. Eccleſ. Salzb. cap. 5. ita ſcribit: *Quum Dominus Patriarcha Udalricus in toto Patriarchatu vix Catholicum repererit, in tantum, ut in Sabbato ſancto Paſchæ in benedictione cerei non inveniretur, qui vellet, vel auderet nomen Alexandri Papæ pronuntiare, ille ſolus ſtrenua virtute contra univerſum clerum & populum pugnavit, & cum uno tantum Diacono egreſſus ad populum, ſolam mortem intuens, Alexandrum nominandum adſtruebat.* Unde fallitur Ughellus docens Udalricum an. primum 1177. Venetias ad Alexandrum Papam abiiſſe, eique abjurato ſchiſmate adhæſiſſe.

Udalr. idem invadit Eccl. grad.

Aliud quidpiam ab Udalrico Aquil. hoc an. tentatum docet Dandulus, nimirum invaſionem inſulæ Gradenſis, ſed pœnas dedit Udalricus, etenim *gradum bello aggrediens*, ait Dandulus, *a Galeis Venetorum obviam deſtinatis cum pluribus nobilibus Forijulii, in die Jovis de Carnis-privio capitur - - Victores itaque Veneti redeuntes Patriarcham cum 700. fere nobilibus in carcere recludunt, qui denique 12. porcos magnos & 12. panes unius ſextarii annuatim in die Mercurii de carnis privio perpetuo Duci in ejus palatio exhibere promittens cum captivis liberatus eſt.* Et hæc forſitan etiam cauſa fuerit, cur confirmationem Udalrici protraxerit Alex. III. Papa.

Sed capitur a Venetis.

Ab eodem Udalrico Aquil. electo, & Epiſcopo Concordienſi edoctus eſt Eberhardus Salzburg. Fridericum velle concordiam in Eccleſia revocare, & quidem inſtituendo & convocando concilium in Burgundiæ, Galliæque finibus, cum autem poteſtatem convocandi concilii Cæſari non competere probe animadverteret Eberhardus, conſuluit Hartmannum Brixin. cum neuter a Friderico ad id concilium evocatus eſſet.

Eberhardi Salzb. & B. Hartman. Brixin. res.

eſſet. Scribit dein Henrico Rem. Archiep. eique fidelitatem Alex. Papæ commendat, a quo tamen per litteras audiit, & ſe & regnum totum cum Rege Alexandro eſſe devotiſſimum, id ipſum per litteras Geyſæ Regis de regno Hungariæ lætiſſime intellexit. Evanuit tamen grandis illius conventus expectatio opera Ludovici Regis Galliæ.

Ottocarus inter hæc a ſchiſmate alieniſſimus, munificentiæ & pietatis operibus inſtabat: oſtendunt eandem varia Diplomata & notitiæ, quas v. inter meа Dipl. a num. 21. ad 31. & *primo* quidem donavit Admontenſibus in præſentia D. Godefridi Abbatis *alpem unam Scobern in Carinthia verſus caſtrum ſuum Eppenſtein*, & quidem *ea juſtitia, qua ipſe hanc hæreditario jure* (ab Henrico II. Duce Carinth. & Eppenſteinio) *poſſederat*. Actum hoc eſt in *caſtro Gruſcarn*, dies & annus deſunt. 2*do* *Bernardus de Erlach miniſterialis quondam Eggeberti Comiti de Putine*: in Admont. ſepultus, & habitum Monachi induens 2. vineas donavit Monaſterio Admunt. *ad Potſchach*, nunc in Auſtria. Marchio vero Styriæ Ottocarus, *Cui hæreditas Comitis per mortem ipſius acceſſit* (proin poſt an. 1158. quo Eggebertus Putin. obiit) ſine licentia id factum ſua audiens, proteſtationem objecit per oeconomum ſuum, ſed monitus a fratribus Admont. illico & benigne remiſit &c. v. Dipl. 22. 3*tio*: *Meginhardus miniſterialis* ejusdem Ottocari V. cum ejus licentia prædium ſuum *ad Hüzendorff* Admontenſibus tradidit, ſive hæredes haberet, ſive non. V. Dipl. 23. 4*to*: *Ota de Olisburch*, quæ *Adelheidem* filiam in Monaſt. Admont. monialem habebat, Curtem ad fl. Cremeſe cum licentia Ottoc. eidem Monaſterio donavit. V. Dipl. 24. 5*to*: *Reginhardus de Tunwiz*, de licentia ejusdem Ottocari ſtabulariam Curtem, & *Cholomannus Trevia* concambio prædium *Zuchethal* cum ſervo quodam tradidit, viciſſimque recepit ab Admontenſibus prædium *Havenaren*, quod *Udalricus de Græce*, Cœnobio Admont. donavit. V. Dipl. 25. 6*to*: *Gerhohus de Glizenveld*, cujus filia monacha Admont. fuerat, tradidit vineam ad Curtem apud *Potſchach*, & manſum unum ad *Vuſtriz*, v. Dipl. 26. 7*mo*: *Leopoldus de Putine*, Miniſterialis Ottocari cum ejusdem licentia, prædium quoddam in Wirwilach Admont. Monaſt. dedit. V. Dipl. 27. 8*vo*: *Leopoldus de Erlach*, dimidium manſum *in Parochia* Techantskirchen (proin poſt an. 1161. quo hæc parochia erecta eſt) eidem Cœnobio delegavit. V. Dipl. 28. 9*no*: *Luipoldus de Neiteſpach* vineam *ad Wulflache*, & aliam quandam pro ſepultura in Admont dedit, traditio hæc ad Viſchach facta eſt. V. Dipl. 29. 10. *Leopoldus Troje*, Ottoc. V. miniſterialis, cum ejusdem Marchionis ſui licentia, varia *ad Wolfesol & vineam ad Potſac. tradidit*. V. Dipl. 30.

Ottoc. V. in Admont. liberalis.

Scobern alpes ad Eppenſtein.

Erlach de Bern. Puten de Eggeb.

Hüzendorffprad.

Olispurch de Ota Adelheit.

Tunwiz de Reg.

Trevia de Chol.

Græce de Udalr.

Glizenwald de Gerhard.

Putine de Leop.

Erlach de Leop.

Techantskirch.

Neiteſpach de Luipold.

Troje de Leop.

Exhauſtam quis crederet Ottocari munificentiam, quam tamen anno ſeq. denuo uberrime declaravit pius Princeps, ut videbimus.

ANNO 1163.

An. 1163.

Indict. 11. *Alex. III. P.* 5. *Frid. Barb. Imp.* 12. *Ottoc. V. Styr. M.* 34.

Eberhardus Salzb. hoc an. legatus Apoſtolicus ab Alexandro III. juſſus, *altera vice apud Moguntiam occurrit Imperatori cum Hartmanno Brixinenſi Epiſcopo, & ambo honorifice ſuſcepti ſunt ab Imperatore*, inquit

Eberhard. Salzb. & Hartmanni Brixin. ves.

Chron.

Chron. Reicherſperg. *diſpoſitisque his, pro quibus venerant ambo, cum pace & honore ac laude ab Imperatore dimiſſi ſunt, utpote ut honorati homines.*

Garſt. vel Ottoc. Styræ exiſtit.

Ottocarus noſter in caſtro ſuo Styræ agebat, ibique Garſtenſium donationes a Leopoldo patre ſuo, uti & ab aliis majoribus ſuis factas confirmavit. V. Dipl. mea num. 31. memorat in eo Diplom. Ottocarum avum ſibi fuiſſe, & patrem Leopoldum. Adjectum quidem in Diplom. Garſtenſ. num. 10. a P. Frælichio *inveſtituræ teſtes ſunt Leopoldus Marchio filius meus*; ſed verba hæc ex alio Ottocari IV. Diplomate aſſuta fuiſſe oſtendi jam Diſſert. 4. cap. 6. §. 9.

Ottoc. VI. naſcitur.

Neſcio: an Styræ? an alio in loco, publica Ottocaro & toti Provincia lætitia acceſſerit? dum Ottocarus VI. hæres ei & filius natus eſt, optatus jam diu avitæ dignitatis ſucceſſor. Rem hanc a reliquis Chronicis omiſſam refert Chronic. Admont. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 189. his verbis: *Otaker Marchioni filius naſcitur ejusdem nominis 14. Kal. Sept.* ſeu 19. Aug. Inde Marchio, ne quid erga ſuperos gratitudinis omitteret, B. V. M. Divoque Apoſt. Thomæ Canoniam Voravienſem erexit, & quamvis litteræ fundationis cauſam erectionis, in neonatum ſibi filium non referant, id tamen ipſe Ottocarus VI. teſtatur ſæpius dicens ſe cœlo quaſi emptum pretium eſſe, ſe Voravienſem plantationem novellam nimio affectu diligere, utpote a patre ſuo fundatam. Vorav. fundationis circumſtantias, & ordinem fuſe digeſſi Diſſert. 4. cap. 6. §. 5. 6. 7. Litteras fundationis hujus inter Diplom. mea vide num. 32. adjungam hic ſolum verba Chron. noſtri MS. Vorav. quod ita habet: *Poſt fundationem Eccleſiæ Techantskirchen fundator noſter litteram fundationis hujus Monaſterii confecit.* Dein proſequitur fundationem Eccleſiæ in Techantskirchen, quam an. 1161. retuli. Mox hiſce pergit: *Poſtquam præfata Eccleſia Techantskirchen juribus parochialibus ſic erecta & fundata erat, infra ſpatium trium annorum poſt, videlicet an. M. C. LXIII. Ottocarus Marchio Styrienſis ſenio confectus* (ſed vix adhuc annorum 40. fuerit) *Ob intuitum divini amoris, pro ſalute omnium anteceſſorum ſuorum, quoddam prædium Vorav. dictum ad Juvavenſem ſedem poteſtativa manu tradidit, ſub tali conditione, ut in eodem prædio viri religioſi Canonicorum regularium ſecundum regulam B. Auguſtini viventes, jugiter Deo ibidem militarent; privilegium & ſuam fundationem petiit confirmare auctoritate Domini Eberhardi præfati Archiep. Salzburg. ſub tali quoque forma, ſi quod abſit, aliquis Epiſcoporum, ſive aliorum Prælatorum quiſpiam ipſius prædia a Monaſterio alienare, aut in uſus proprios redigere quocunque modo præſumpſerit, omni altercatione ſemota in ſuam & hæredum ſuorum poteſtatem eadem prædia ex integro voluit redire, ſic litteram fundationis ſufficienter propriis nominibus ac limitibus confectam, ut patet ex libro privileg. Mvnaſt. Vorav. fol. 14. ut ab Eberhardo Archi-Epiſcopo confirmaretur, contulit.* Ita Chron. Vorav. cit.

Vorav. Canoniæ fundatio.

Eberhard. an. fund. Vorav. confirmaverit.

Quæri hic poteſt, an Eberhardus confirmationem Canoniæ Vorav. fecerit nec ne? MS. Chron. noſtrum, ubi narravit mortem Ottocari anno ſeq. ait: *Sic præfata fundatio devoluta eſt ad Archiep. Salzb. Eberhardum, dictum amatorem pauperum, qui an. Dom. M. C. LXIII.* (pone *MCLIX.*) *ab Eugenio Papa pallio honoratus eſt*, & præfuit annis 19. (in completis ſolum ab an. 1147.) *morte ſubſecutus eſt, fundatorem eod. an. videlicet 10. Kal. Jul. quapropter fundationis decretum ſæpe dicti Ottocari ab Eberhardo Archiep. confirmari*

mari non potuit, & ſic prælibata fundatio in Salzburga detenta eſt. Chron. itaque inſinuaret, fundationem non fuiſſe confirmatam ab Eberhardo, id, quod de Diplomate deſuper ab Eberhardo confecto non abnuo, vivæ tamen vocis oraculo confirmatam firmiter credo, etenim in litteris fundationis noſtræ Ottocarus diſſertis verbis ait: *& in eodem prædio* Vorav. *viros religioſos ſecundum regulam B. Aug. viventes, jugiter ibidem permanſuros authoritate Domini noſtri Eberhardi Archi-Epiſcopi collocavimus.* Si jam colonia inducta fuit vivente Ottocaro, utique Eberhardi authoritas accedere debuit, quamvis, quod Diplomate non confirmaretur fundatio Ottocari, mors Eberhardi impedierit, quæ proin ante 21. Junii ſeq. anni, quo Eberhardus obiit, facta fuiſſe oportet. Id ipſum docet confirmatio Conradi II. Archiep. Salzb. de fundatione Vorav. an. 1168. inter mea Diplom. num. 38. in qua & Conradus de Ottoc. fundat. ait: *Et in eodem prædio viros religioſos ſecundum regulam S. Aug. jugiter ibidem permanſuros auctoritate fel. memoriæ anteceſſoris noſtri Eberhardi Archiep. collocavit &c.* Item ait: *Sicut anteceſſor noſter verbo quidem fecerat, ſed ſuo privilegio non confirmaverat duas Parochias, videlicet Voravve & Techantskirchi &c.* contradidit; ex quibus proin clarum eſt, Eberhardum non ſolum vivæ vocis oraculo Voravienſem Canoniam confirmaſſe, ſed etiam fundationi Parochias Voravienſem & Techantskirchenſem adjeciſſe. *Idem confert Vorav. Can. Parochiam Vorav. & Techantskirch.*

De colonia prima Voravium inducta anno ſeq. id obiter hic noto Chron. Vorav. errore lapſum, dum ait Eberhardum morte ſubſecutum ſeu poſt Ottocarum mortuum fuiſſe, cum conſtet Eberhardum 21. Jun. an. 1164. Ottocarum vero 31. Dec. ejusdem anni fuiſſe defunctum.

ANNO 1164. *An. 1164.*

Ind. 12. *Alex. III. P.* 6. *Frid. Barb. Imp. XIII. Ottoc V. Styr. March.* 35.

Ottocarus, poſtquam anno priore fundationem Voravienſem perfecit *annuente conſilio & aſſenſu Dom. Eberhardi Ven. Juvavenſis Archi-Epiſcopi*, ut litteræ fundat. Vor. habent eo etiam in loco *viros religioſos ſecundum regulam B. Aug. viventes* collocavit, hoc anno vel certe jam præc. fine. Aſt unde primam coloniam Voravienſem ſollicitus Pater exquiſierit; hic inquirendum. Pro colonia ex Salzburgenſi tum regulari choro deducta, pugnat Clauſtroneoburg. & Seccovienſis, aliarumque Canoniarum exemplum, ſuadet traditio ac fundatio ipſa Vorav. conſilio & authoritate Eberhardi facta, eximius amor, & profuſa liberalitas Archi-Epiſcoporum Salisburg. in collegium Vorav. arcta inter Vorav. & Salisburg. Confæderatio, denique petiti ſæpius e Cathedra Salisburg. Præpoſiti Voravienſes, uti Bernardus III. Conradus II. Hertindus; vir tamen clariſſimus Jurichius Collector Seccovienſis, inter Diplom. Seccov. num. 15. in Diplomat. Styriæ ita ſcribit: *Inter primos Canonicos, qui de choro S. Rudberti Salzburg. ad Eccleſiam S. Mariæ in Feiſtriz venerunt, fuit Liupoldus, qui factus eſt Decanus Seccovienſis, ſed non eſt memoria ejus ſub nomine Decani in Necrologiis. In Necrologio fraternitatis: pridie Idus Aprilis Tüticha converſa ſoror noſtra, ſoror Liupoldi Præpoſiti, & 12. Kal. Aprilis Liupoldus Laicus pater Liupoldi Præpoſiti Foravienſis, & 6. Kal. Aug. Liupoldus I. Præp. Voravienſis frater noſter, quia ergo* *Vorav. colonia prima.* *An ex Canonia Seccov. an Sala.* *Leop. I. Præp. Vorav. antea Dec. Seccov.*

non eſt credibile, Leopoldum inter primos Canonicum & Decanum Seccovienſem in Necrologiis fuiſſe omiſſum, in quibus diligentiſſime & exactiſſime, omnium defunctorum nomina, eorumque ſtatus & officia conſignabantur, in promptu eſt concludere, Liupoldum noſtrum Decanum poſtea primum fuiſſe Præpoſitum in Vorau. Ita Jurichius, cujus accuratæ conjecturæ omnino non reſiſto, quacum tamen conciliari facile poſſunt ſequentia, nimirum cum Canonia Seccov. ipſa adhuc novella ante 23. annos primum erecta fuerit, ſicque ipſa manipulum integrum Vorav. coloniæ deſtinare vix potuerit, fors Ottocaro volente, & Eberhardo annuente factum, ut Liupoldus primus Præpoſ. ex Seccowe, reliqui vero Canonici ex Salzburg in Vorav. fuerint dimiſſi, qui forſitan varios MSS. libros ſecum Voravio intulerint, quos inter, Voravii adhuc videri poteſt, Chronicon aliquod Salisburgenſe. &c.

Liupoldus vero primus Præp. Vorav. mox lugere debuit mortem fundatoris noſtri Ottocari V. & Eberhardi Archiep. Salisburg. Rem hanc omnem ordine narrabo: contigit hujus anni vere circiter, ut diſſidium oriretur inter Marchionem noſtrum, & Archi-Epiſcopalis caſtri Leibnizenſis Præfectum, *quod caſtrum Epiſcopii*, inquit author vitæ S. Eberhardi apud Caniſ. tom. 3. part. 2. fol. 303. *vir clariſſimus Ottacher Marchio eadem tempeſtate obſederat, miniſterialem Eccleſiæ Præfectum oppido perſequebatur - - - vix opus compulit advenire antiſtitem, ſine opere prei tio triduo res agitur, cum demum confirmatus Pater proloquitur, jam ecce in caſtrum meum aſcendam, quis obſtet; videbo. Occupat ſereniſſimus Marchio, neceſſarios conſulit, obſidionem ſine omni pactione ſolvit, dignum honorem cedit Epiſcopo; reddidit hæc Pater, ut miniſterialem conditionibus ſatisfacere tandem perſuaderent.* Idem aliis tamen verbis adfert author German. Sacræ tom. 2. fol. 275.

Ottoc. V. cum Eberhar. Salzb. diſſidium.

Leibnitz obſidet.

Eberhard. æger Runam defertur.

Erant hæc opera ejus noviſſima, nempe Eberhardi, inquit author vitæ, *quum jam morbo decurrente migraturus 4. equis in traha iter faciebat, perducitur inter hæc ad Runenſe Monaſterium, ubi ſynodocho*, febri continua, *ut cœperat, aliquamdiu laborans, poſt tertium diem ſudore exſudato magis defecit, hinc paululum ſuſtinens ait: modo auditum amiſi, quo ſenſu ſcilicet auditus, ut ita dicam, ſupra naturam hominis ſemper viguerat, ſic ut procul ſuſurrantes audiret, & proderet. Sequenti die Dominica ad veſperam vocante Domino 10. Kal.* *Ibidem moritur.* *Jul. naturæ conceſſit, anno Epiſcopatus ſui decimo octavo menſe ſecundo anno ab Incarn. Dom. MCLXIV.* diem 10. Kal. Jul. aſſignat etiam ſcriptor vitæ B. Hartmanni, Chronic. Reicherſp. Necrolog. Admont. Collector Seccov. in Diplom. Seccov. num. 14. & MS. Chron. Vorav. anno priore citatum, author tamen Germ. Sacræ tom. 2. fol. 276. ait ponendam eſſe 11. *Kal. Jul.* quia dies Dominica eo anno ſub littera Dominicali D. in 21. Junii incidit.

Salzburgum defertur.

Corpus ejus e Runenſi Monaſterio ad Eccleſiam Cathedr. Salisb. delatum 3. Kal. Julii eſt humatum, teſte Chron. Reicherſp. ad cujus dein tumulum multa prodigia ſunt patrata, inter quæ memorabile de Dæmoniaco adjurato dicente, tum ſe liberandum, cum ad *patrem pauperum* venerit, quod etiam ad ſepulchrum ejus factum, unde etiam MS. Chron. Vorav. an. priore citatum Eberhardum hunc *amatorem pauperum dicit.*

Suc-

Succeſſit Eberhardo *Conradus II. Epiſc. Patav. S. Leopoldi Auſtriæ March. filius, Friderici Cæſaris patruus, utpote Conradi Regis, & Friderici Sueviæ Ducis, frater ulterinus.* Ita MS. Seccov. num. 14. in Diplom. Ducat. Styr. p. 1. fol. 153. & quidem eodem die vocatus, quo Eberhardus ſepultus, ne ſchiſma peſtilenz lupum pro paſtore ingereret. Conradus ſic poſtulatus menſe Sept. ad Fridericum abiit, ſed quia Paſchali Antipapæ, Victori hoc an. def. a ſchiſmaticis electo, repugnaverat, ab eodem Imperatore ſine regalibus, cum gratia tamen & pace dimiſſus eſt, qui rediens manum mox adjecit ad munienda caſtra, & delectus faciendos, quod ubi Fridericus audiit, Salisburgenſes proſcripſit, ut hoſtes Imperii, quod patruum ipſius ab eo ſeparaſſent.

Conradus II. ex Ep. Patav. Sale. Arch.

Victor Antip. obit ſuc. Paſchal.

Ottocarus Marchio noſter, an cum Eberhardo ægroto Runam acceſſerit? non conſtat, id tamen ex Diplom. Runenſi 10. inter mea num. 35. liquet, eum Græcii exiſtentem, vivente adhuc Eberhardo, ut ſubſcriptio Diplom. probat, Runenſibus benefeciſſe, Diploma hoc plura nobis manifeſtat, & 1. quidem Ottocarum hoc eod. anno, quo obiit, voluiſſe Runæ ſepeliri, ita enim ait: *Runenſem Eccleſiam, videlicet locum ſepulchri patris mei, meæque dormitionis, ſpeciali diligentia in ampliandis ejus poſſeſſionibus accurandum.* Unde ſeu dein Seizii, ſeu Voravii ſepultus jaceret Ottocarus, id non ex præpoſito ſuo (niſi fors in mortis artic. manifeſtato, de quo tamen nil conſtat) factum fuiſſe. 2. Gerlacum adhuc Abbatem Runæ fuiſſe, utpote cui *tria curtifera in ſuburbano caſtri Grez* ſita contulit, mox ſubjungit: feci hanc traditionem *manu mea in urbe Graze;* unde patet, non ſolum caſtrum, ſed etiam urbem & ſuburbanum Græcii jam fuiſſe, cujus Præfectus Udalricus erat. Pl. v. in annot. ad Diplom. 33.

Ottoc. V. Græc. exiſt. Runenſibus benefacit.

Vult Runa ſepeliri.

Græcii urbs cum ſuburbana.

Interim percrebuerat rumor, quosdam nobiles denuo ſe itineri ſacro in Palæſtinam accincturos, quibus illico ſe jungere ſtatuit, iterque hoc aſſumpſit Ottocarus noſter, quamvis eo non amplius pervenerit. Socios itineris aſſignat docum. Seccov. num. 13. in Dipl. Ducatus Styriæ, ſed omnino erronee, ita enim loquitur: *Hoc an. pridie Kal. Jan. obiit in Ungaria apud quinque Eccleſias Otakarius Marchio Styrenſis, in itinere quod ad viſitandum, & honorandum ſanctum Domini ſepulchrum, una cum Pilgrino Patr. Aquilej. Eberhardo Epiſc. Bamberg. & Henrico Duce Carinthiæ devotus arripuit. Hinc in Necrologio fraternitatis vocatur Jeroſolymita, & in Necrologio miſſalis additur: Advocatus noſter.* Etenim Pilgrinus Patriarcha, & Henricus Dux Carinthiæ jam an. 1161. defuncti erant, & Eberhardum Bamberg. Epiſc. ſcimus Cæſaris aulam fuiſſe ſectatum. Confuſio horum itineris ſociorum deſumpta fuerit per errorem ex anno 1155. quo Ottocarus ex Italia rediit cum dictis ſociis: fors ſocios itineris melius expreſſit Chron. Salisburg. Hier. Pez tom. 1. col. 345. dicens: *Otacher Styriæ Marchio, Gebhardus de Purchuſen, Sifridus de Liubnove, Liutoldus de Plein milites obiere.* Ex Italia dimiſſus eſt ab Imperatore Friderico, ut ibidem dictum.

Ottoc. ſ. terram S. vult adire.

Purchuſen de Gebhard. Liubnowe de Sifrid. Plein de Leut.

Certum nihilominus eſt Ottocarum hoc iter meditatum, & in ipſo itineris hujus procinctu fuiſſe mortuum. Iter hoc circa anni hujus finem ſuſceptum fuiſſe ex documento & Diplom. Seizenſi 1. inter mea num. 34. colligo, etenim anno priore vel hoc conſtitutus jam Beremundus

Ottoc. V. Seizium venit.

Beremundus ib. Prior.

mundus Prior, antea cum ſuis in domo parochiali Gonovizenſi habitans, hoc vero anno, perfectis jam habitaculis inductus & Prior ſalutatus eſt. Veniens itaque Seizium Ottocarus, Carthuſiam hanc a ſe fundatam dotavit, & Diploma deſuper conſcribi fecit, teſtatur in eo Diplom. Ottocarus *1mo:* a Papa ſe primos eremi hujus incolas obtinuiſſe. *2do: Pagum* Gonowitz *in Patriarchatu Aquilej.* cum prædio in eminentioribus collibus ſito ſe comparaſſe *a Liupoldo de* Gonowitz *miniſteriali ſuo*, & quidem concambio. *3tio*: Deſignat terminos Carthuſiæ Seizenſis, mox privilegia varia ſubjungit. Inter ſubſcriptos notatur etiam *Beremundus Prior loci hujus*, annus quidem adjectus eſt 1165. dies nulla. Unde ſuſpicor, vel annum 1164. ſubſtituendum, vel ſi more veterum annus a natali Domini inchoetur, poſt 24. Decembr. Ottocarum hic loci fuiſſe, atque natalem Domini cum ſanctis his Patribus egiſſe.

Gonowitz de Leopold.

Ottoc. V. obit in quinque Eccleſ.

Quidcunque demum dicatur, veroſimile videtur, Ottocarum inde ſeu ex Carthuſia hac Seizenſi iter ſuum ſacrum inchoaſſe, ſed non longe progreſſus erat, in loco Hungariæ, quinque Eccleſiæ dicto, in feliciorem ſeu cœleſtem Jeroſolymam eſt evocatus 31. Dec. ut plura teſtimonia habent, a me ubertim Diſſert. 4. cap. 6. §. 11. expoſita, quæ non repeto, conſonat teſtimoniis ibidem adductis documentum Seccov. ſupra allatum & MS. Chron. Vorav. his verbis: *Præfatus autem fundator Ottackerus Marchio Styrenſis ſequenti anno videlicet MCLXIIII. 2. Kal. Jan. deceſſit.*

Ottocari V. ſepultura.

Interea illuſtria pietatis monumenta, quibus æraium ſuum omne exhauſiſſe credi poſſet, ni ſuperi centuplum reddidiſſent, eminent præter Runenſe Cœnobium, cujus alter fundator erat, & hoſpitale Cerewaldenſe) carthuſia Seizenſis, & collegiata noſtra Voravienſis, in qua harum ſepultus fuerit? jam Diſſert. 4. cap. 6. §. 13. 14. 15. fuſe digeſſi, promiſeram quidem ibidem me in ipſo opere, ſententiam pro Seizenſibus, in quorum partes ſalvo aliorum judicio, totus inclino, ſecundum omnes regulas Criſeos laturum; Id vero, quod præſtare non potuerim, cauſa eſt, quod necdum de antiquitate Necrologii Seizenſis plene ſim informatus. Id adhuc adjicio, translationi ſolemni corporis Ottocari V. e crypta veteri Seizenſi adfuiſſe inter complures alios, etiam hos teſtes & ſpectatores gratioſiſſimos, Reverendiſſimos, ac Perilluſtres DD. Anthelmum Priorem Olomucenſem & alium Gamingenſem Priorem, Perill. Dominum Jacobum Erneſtum de Cerroni tum Commiſſarium Sylveſtrem cum Præn. D. de Döbl Secretario, ac D. Wonſidler Actuario, Plurimum Rev. Dom. de Fürmberg Parochum ad S. Spiritum, totumque Conventum Conventum Religioſiſſimum Seizenſem. De Ottocaro VI. filio & ſucceſſore anno ſequenti.

B. Hartm. Brixin. Ep. obit.

Crudelior hic annus non in Ottocarum ſolum Principem, & Eberhardum Metropolitam noſtrum ſæviit, ſed falcem etiam ſuam immiſit in vegetam firmamque Eccleſiæ Catholicæ columnam B. Hartmannum Epiſc. Brixin. & ord. Can. Reg. S. Aug. decus eximium, qui eodem, cum Principe noſtro, menſe obiit, plura de ejus actis celeberrimis ſparſim jam dicta ſunt: de morte vero ejus collector Seccov. num. 16. in Diplom. S. Ducatus Styriæ: *In Necrologio Miſſalis legitur*

ad

ad 10. Kal. Jan. Hartmannus Brixin. Epiſcopus frater noſter, in Necrol. fraternitatis 4. Idus Aprilis Poppo Laicus Pater Hartmanni Epiſc. Kal. Sept. Azevvile Laica Mater Hartmanni Epiſcopi. Chron. Salzburg. Hier. Pezii tom. 1. col. 345. *Hartmannus Brixin. & Hartvvicus Ratisbon. Epiſcopi obierunt.* Et Chron. Admont. ibid. tom. 2. col. 189. *Hartmannus Epiſc. Brixinenſis obiit.* V. plura in vita ejusdem apud cit. Pez. tom. 1. a col. 495. ad 518. ubi mors ejusdem ad 10. Kal. April. refertur.

Collector vero Seccov. mox cit. de eodem Hartmanno habet: *Qui hoc eodem anno 1164. quo ſub Conrado II. Baſilicam Seccovienſem conſecraverat, ad ſuperos obiit.* Eadem confirmat Diploma 27. Seccov. Adalberti II. Archiep. his verbis: *Obeunte poſt 17. annos 10. hebdomadas & unum diem* (ſumitur hic completus numerus annorum regiminis Eberhardi) *ipſo Dei ſervo Chunradus noſter avunculus* (Adalberti nempe II. Archiep. Salzb.) *a Patavienſi ſede translatus ſucceſſit, qui bella graviſſima contra hoſtes Eccleſiæ geſſit, cujus petitione ac præcepto Monaſterium cum publico altari per Brixinenſem Epiſcopum Hartmannum in vicino præmiſſum, dedicatum eſt, Capella S. Margarethæ per Udalricum Halberſtadenſem conſecrata eſt, qui poſt innumeros certaminum labores 4. annis ac ſeptimannis fere 14. toleratos diem clauſit ultimum.* Confirmantur proin ea, quæ an. 1142. dicta ſunt, nempe ut Romanus Gurc. Seccovienſis Eccleſiæ atrium, eo anno, Hartmannus vero ipſam Baſilicam cum Monaſterio conſecraverit. Udalricus ille Halberſtad. Ep. ob Alex. III. Papam pluribus annis a ſede ſua exul an. 1168. teſtem etiam egit Conrado II. Archiep. Salzb. ad montes cum eo exiſtens, quo vero anno Capellam S. Margarethæ conſecraverit Seccovienſibus, liquido non patet, fors eodem anno certo adhuc ſub Conrado II. Archiep. eodem anno defuncto.

Seccov. Eccl. conſecr.

Et Capella S. Margarethæ.

ANNO 1165.

An. 1165.

Indict. 12. Alex. III. P. 6. Frid. Barb. Imp. 13. Ottoc. VI. Styr. Mar. 1.

Exoriente hoc anno, novus quoque, isque inter Styriæ Marchiones ultimus, inter Duces primus exortus eſt Princeps Ottokarus VI. ſed adeo dignitatis ſuæ, ac publicæ calamitatis ignarus, ut necdum parentis funus deplorare noſſet, filium fuiſſe Ottocari V. unicum, & hæredem, nullumque habuiſſe Leopoldum fratrem, oſtendi jam Diſſ. 4. cap. 7. §. 1. & cap. 6. §. 9. matris itaque tutelæ, una cum Provincia Styriæ traditus eſt, donec regno aptus evaderet.

Ottocarus VI. Marcb. Styr.

Dum ſic malorum neſcius Ottocarus a piiſſima matre ſua Chunegunde educatur Fridericus Imp. ad profligendam ex integro pietatem, vires ſuas omnes machinasque convertit. *In proximo menſe Majo ejusdem anni*, inquit Chron. Reicherſperg. *in diebus Pentecoſtes, quod evenerat tunc in 10. Kal. Junii, Imperator curiam celebravit in civitate Wirziburgensi, ubi Epiſcopi & electi fere numero 40. de regno Teutonico juraverunt obedientiam Paſchali & ejus ſucceſſoribus.* Defuit conventui Udalricus Aquil. cum ſuis ſuffraganeis, defuit & Chunradus II. Salzburg. de cujus ſuffraganeis ſolus Rupertus Patavienſis antea Eccleſiæ ejus Decanus, & ſine conſenſu Chunradi Metropolitæ ſui ibidem ordinatus eſt Friſingenſis præſens quidem, ſed abſentiam ſui Archi-Epiſcopi

Frid. Imp. ret.

Wirzburg. Conventic.

Udalric. Aquil. Conr. Salzb.

Rupertus Pat. Epiſc. excuſans inducias impetravit ad feſtum Apoſtolorum. Ratisbonenſis Eberhardus Viennæ cum Henrico Duce Auſtriæ juravit, de quo mox pluribus.

Conr. II. Salzb. pallium obtinet. Interea vero Chunrado noſtro hoc anno *in diebus Martii menſis tempore quadrageſimali 6.* Martii incipiente *allatum eſt pallium ab Alexandro adhuc in Francia manente, per legatos ejusdem Papæ Abbatem quemdam, & per nuncios Epiſcopi videlicet Romanum Præpoſitum* Gurcenſem, ita citat. Chron. Reicherſp. conſonat Chronicon MS. Vorav. his verbis: *Præfato Eberhardo ſucceſſit Chonradus Salzburg. Archi-Epiſcopus, qui erat ſextus filius S. Leopoldi ac Epiſcopus Pat. qui poſt obitum Reinperti Epiſcopi MCXLVIII. cœpit Pataviæ præſidere, ac ſedit ibidem in Epiſcopatu XVI. annis. Sed poſt obitum Eberhardi Archiep. Salzburg. fuit idem Conradus Epiſcopus patruus Frid. Imp. ad Juvavenſem Eccleſiam translatus, ac virtutum flore redimitus, dignus amore, ab Alex. III. pallio ſublimatus, & ſedit annis fere 5. in ſede Salzeburg?* aliis, qui Erneſtum e filiis Leopoldi ultimum & an. 1114. natum volunt, Chunradus hic quintus S. Leopoldi filius dicitur. Imperator iratus, Conradum unum, Moguntino Archi-Præſule jam exule & ad Alex. III. profugo, ſuis auſibus reſiſtere, in eum omnem iram convertit, *unde proximo menſe Julio*, ait Chron. Reicherſperg. *Imperator venit in partes Bavvariæ, & Pataviam venit 3. Kal. ejusdem menſis, quando Epiſcopus ejusdem loci omnes fere Prælatos ejusdem Epiſcopatus propter præſentiam Imperatoris jurare coegit, & deinceps cogere diſpoſuerat.* ait Chron. cit. *omnes fere Prælatos* jurare coactos, etenim fragmentum coævi Chron. Neoburg. intextum auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 324. ita habet: *Verumtamen Eccleſia Nivvenburgenſis Divæ memoriæ Eberhardum Salzburg. Ep. & ejus ſucceſſorem Chunradum imitata, quanquam imperialibus nuntiis ad Dom. Ducem Auſtriæ Henricum, ut eam averteret, directis quateretur, quantumcunque ab Epiſcop Patav. Rudberto ſupra modum ſchiſmatico vexaretur, a ſano capite Alexandro videlicet Apoſtolico avelli non potuit, immo etiam ſtabilitate ſua totam Auſtriam ad idem caput, ad eandem ſedem Deo favente ſecum traxit.* Nec mirum, etenim Præpoſitus Clauſtroneoburg. erat Marquardus, germanus Gerhohi Reicherſperg. Præp. ſchiſmaticorum mallei.

Frid. Imp. Pat. venit.

Rupertus Pat. Ep. ſchiſmat.

Clauſtroneob. Alex. III. P. defendunt.

Frid. Imp. venit Viennam. *A Patavia*, pergit cit. Cron. Reicherſp. *per Danubium navali itinere partes orientis intrans* Fridericus *Viennam venit, ubi fere XIV. diebus manſit. Ibi electus Ratisbonenſis juravit, & Dux Auſtriæ Henricus patruus Imperatoris & alii Principes.* Henrici Ducis Auſtriæ opera uti volebat Imperator, ut Conradum Salzburg. flecteret, & Clauſtroneoburgenſes ab obedientia Alexandri III. abduceret, ſed incaſſum; Chonradus enim, & Clauſtroneoburgenſes Eberhardum, & ſimul B. Hartmannum ſuum quondam Præpoſitum imitati perſtitere firmi, & horruere Patavienſes tanquam ſchiſmaticos, ita, ut etiam ordinandos ſuos ad Conradum Salzburg dimitterent, ut ſeq. annis dicetur: multum ſe torquet auth. Annal. Campililienſ. ut Henricum Ducem Auſtriæ a juramento ſchiſmatico purget, de quo tamen alii agant.

Henr. D. Auſtriæ ſchiſmat.

Seccov. & Vor. adhærent P. Alex. III. Exemplum Metropolitæ ſui omnia Styriæ Monaſteria ſunt amplexa, fidemque ac obedientiam debitam Alex. III. Papæ ſervarunt, quod quamvis monumenta publica non declarent, ſatis tamen oſtendunt domeſtica, præſertim de Canoniis Seccovienſi & Voravienſi, quæ plu-

rimas

rimas a Catholico ſuo Metropolita, vel ideo gratias recepere, ut ex dicendis patebit.

Conſtantiam Conradi ejusdem, Godefridus Admontenſium Abbas ad ſupremum uſque halitum, quo 7. Kal. Julii exſpiravit, æmulatus eſt, *vir magnæ*, ut ait Chronolog. domeſt. *in Eccleſia Chriſti gloriæ ac multorum Monaſteriorum Pater*, ob Abbates nempe, quos de gremio ſuo dedit: ita referunt excerpta vet. Chron. Garſt. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 145. *Felicis memoriæ Gotfridus Abbas Admont. requievit in Chriſto 7. Kal. Julii, pro quo Dominus Luitoldus ab eo nutritus & ipſius profeſſus eligitur Kal. Julii.* Idem habet Chron. Admont. ibid. col. 189. Exſtant de Godefrido hoc homiliæ Dominicales & Feſtivales cœleſti doctrina & pietate referti, qui 2. tomis editi ſunt a Bernardo Pezio. *Godefridi Abb. Admont. mors libri Luitoldus ſucc. Ab. 7.*

Exuviis Godefridi I. Abb. Admont. ſexti, 3. Kal. Julii tumulo illatis prima Julii electus eſt Dom. Leotoldus, quem parentes illuſtris ſanguinis (familia teſte Puſchio non additur) licet unigenitum una ſecum Deo ſacrarunt. Hinc a Chron. Garſt. & Admont. dicitur a Godefrido nutritus, & ſub eo profeſſus. Par illi, quæ Magiſtro & Anteceſſori conſtantia, ut ſe nunquam ab Archi-Epiſcopi ſui latere divelli pateretur, a quo etiam ſeq. anno 15. Kal. Maji conſecratum teſtatur Catal. Abbat. Admont. in Diplom. Duc. Styr. p. 2. fol. 241.

Runenſium etiam Venerabilis Abbas I. Gerlacus hoc an. vitam mortalem poſuit, quem excepit Othmarus *ex Comitibus de Scalach*, qui 24. annis præfuit, paternæ ſoliciludinis Gerlaci continuator egregius, documenta Runenſ. an. 1740. Græcii edita, eum cognatione Ottocarum I. Ducem Styriæ attigiſſe docent, de quo tamen nil refert Catalog. Abb. Runenſ. in Diplom. S. Duc. Styriæ apud P. Frælichium. *Gerlac. Ab. Run. obit ſuc. Othmar. Ab. 1. C. de Scal.*

Catalogus Abbatum Cremifan. Bernardi Norici apud Hier. Pez. tom. 2. fol. 60. ad an. *MCLXV. ſub Alramo II. Abbate* refert inter alia prædia Monaſterio huic donata, *item in Haitenbaim ſub Otacharo;* quæ donatio, ſi hoc anno facta eſt, ita ſumenda videtur, ut donatio illa ab alio fors Ottocari miniſteriali facta fuerit cum conſenſu Chunegundis filii loco aſſenſum præbentis, vel ut jam antea ab Ottocaro V. decreta, hoc tempore ſub *Ottocaro VI.* primum Monaſterio fuerit extradita. *Cremifan. ref.*

ANNO 1166. *An. 1166.*

Indict. 14. *Alex. III. P.* 8. *Frid. Barb. Imp.* 15. *Ottoc. VI. March. Styr.* 2.

Ad 14. Febr. hujus anni condixerat Fridericus Comitia Norimbergæ, ea refert Chron. Vorav. antiquum (idem Cl. Puſchio cum Reicherſpergenſi, atque ideo ab eodem plerumque ſub nomine Chronici Vorav. citatur, quod tamen a Chronico recentiore, cujus textum, ubi ſuppetit affero, probe eſt diſtinquendum) *MCLXVI. Imperator celebravit curiam in Nuremberg 16. Kal. Martii, illucque venit Archi-Epiſcopus Chunradus poſt 3. curiam, ad quas vocaverat eum Imperator 6. ſeptimanis unicuique vocationi deputatis a feſto S. Michaelis. Ibi ergo cum conſtanter reſpondiſſet coram Principibus ad omnia, quæ Imperator ei objecerat, ſcilicet quod per rapinam teneret Epiſcopatum Salisburgenſem, cum nec ab eo unquam regalia ejusdem Epiſcopatus, nec a Papa ſuo Paſchali ſpiritualia ſuſcepiſſet, ipſeque* *Vorav. Chron. a Puſchio cit. qual.* *Conradi Salzb. conſtantia.*

que per prolocutorem ſuum Bavariæ & Saxoniæ Ducem H. illi ſufficienter reſpondiſſet, ſe non per rapinam, ſed per legitimam & Canonicam electionem cleri & miniſterialium & totius plebis eundem Epiſcopatum ſuſcepiſſe, ſeque juſtitiam ſuam, id eſt regalia tribus vicibus ab eo requiſiviſſe eodem anno, idque teſtibus probare voluiſſet, hancque ſibi negatam fuiſſe tribus vicibus, in eo ſolum quod nollet, cum nec deberet recipere Paſchalem, qui non eſſet legitimus Eccleſiæ Paſtor. Tandem poſt multa hinc inde dicta tunc primum ſine gratia Imperatoris a curia receſſit. Sententiam ſuam ſuſpendit Cæſar, die tamen Conrado dicta ad proximum conventum in loco Diœceſ. Salisb.

Henr. Auſt. ref. Laufen, dum interea per Henricum Auſtrium qua promiſſis, qua comminationibus arietem ultimum impendit.

Laufenſ. Conv. Tandem ſeq. menſe 4. Kal. Aprilis hebdom. 3. quadrageſimæ conventum in Laufen celebravit, ita Chron. Admont. *Curia apud Lauf habita, ubi ab Imperatore Salisburgenſi Epiſcopio Principes inbeneficiantur.* Pluribus conſtantiam invictam Conradi deprædicat cit. ante Chron. aitque

Salz. Ecc. perſec. vicinorum arma ab Imp. fuiſſe in Salzburg. concitata; unde dein a Palatinis & Plagenſibus Comitibus Boicæ, a Duce Carinthiæ, & nonnullis etiam Styriæ nobilibus in agros & villas Salisburgenſis Præſulis eſt ſævitum.

Plejen Com. perſec. Salisb. Refert auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 280. epiſtolam Frid. Imp. ad Comites de Plejen, qua gratias agit, quod Salisburgenſes inveſtaverint, eademque ſe præcepiſſe ſcribit Henrico Duci Auſtriæ & Epiſcopo Patav. v. plura in annot. Diplom. 29. In ſententia Friderici Laufenſi addit etiam Chronogr. Reicherſp. ſequentia: *Præſcripſit, & perſecutioni etiam expoſuit omnia Cœnobia, quæ erant in eodem Epiſcopatu, vel quæ jure feudi eo pertinebant, ſimul cum Prælatis & omnibus poſſeſſionibus ſuis, tanquam qui eſſent ſui proſcripti & excommunicati Paſchalis.* Rapinas dein, cædes ac vaſtationes Monaſteriorum contigiſſe, dubium non eſt, an vero eæ in Styriam noſtram penetraverint? non inverſio.

Conrad. Salzb. ord. SS. confert. Inter hæc Conradus noſter tanquam petra firmiſſima in medio maris, ſingulos hoſtes ſuos non ſolum fulmine perculit, ſed etiam aliquos fidorum ſibi Procerum armis compeſcuit, tantaque fortitudine agebat, ut in Baſilica Pontificali Salisburgenſi magno numero ſacrorum Miniſtros inauguraret. Admont. Chron. 70. ſacerdotes, 108. Diaconos, 101. Subdiaconos, & 200. Clericos minorum ordinum die 15. Kal. Octobr. initiatos memorat.

Seccov. ref. Perſecutionem Salzburgenſi Eccleſiæ ab Imperatore motam, in Styriam noſtram non penetraſſe, paulo ante dixi, quæpiam quietis religioſæ per Styriam exempla adduco: primum ſe oggerit in celeberrima Canonia Seccovienſi ex Diplom. ejusd. 17. inter mea num. 37.

Chuneg. March. in Hartberg. eo in Diplomate Chunegundes vidua Marchioniſſa Styriæ in *foro* ſeu oppido Hartberg conſtituta teſtatur *1mo:* quod Ottocarus Marchio & maritus ſuus in extremis conſtituerit, cifum ſuum appendentem pondus 6. marcarum confringi, & per diverſa clauſtra pro remedio ani-

Exeqnit. Ottoc. V. teſtamentum. mæ ſuæ dividi. Una marca hujus cifi Seccovienſibus obtigit (quibus Monaſteriis reliquæ marcæ datæ ſint? non conſtat; ſuſpicor tamen Runenſi, Voravienſi, Seizenſi etiam obveniſſe aliquid) qui Seccovienſes eam marcam applicuerunt luminaribus, & cæteris Eccleſiæ

Uten-

Utenſilibus, ita tamen, ut ea marca quid compararent, cujus dein annuus fructus in uſum Monaſterii converteretur. Cum vero unica hæc marca comparando bono immobili vix ſufficeret, iidem Seccovienſes, de bonis *Purcardi & Judithæ de Murecke*, ſibi oblatis, nominatim cingulum ex marca auri confectum, & 60. ulnis unionum exornatum, ac pretium 16. marcarum argenti appendens, ſupradictæ marcæ auri ex ciſo Ottocari adjecerunt, hacque ſumma cum conſenſu Chuneg. matris Ottocari VI. & miniſterialium, curtem unam *ad unnem* Viſchach emerunt, ea conditione, ut inde ſingulis annis *jus Forenſe*, ſeu Burgrecht dando 40. denarios Viennenſis monetæ filio Chunegundis Ottocaro perſolverent, ipſi vero *in planitie campi Viſchacenſis*, quamlibet utilitatem agrorum, pratorum, pomariorum, piſcinarum excolerent. Hæc omnia in Hartberch coram Marchioniſſa acta ſunt hoc an. 14. Kal. Octob. *Murecke de Burcard & Juditha.*

Alterum exemplum pacatæ Styriæ exhibet Diploma confirmatorium hoſpitalis in Cerewald ab Ottoc. V. fundati, quod Frider. Aug. hoc an. Auguſtæ edidit, in eo itaque *1mo* confirmat bonam voluntatem conſanguinei ſui Ottocari March. & Cunegundis Marchioniſſæ. *2do:* Enumerat bona hujus hoſpitalis ac prædia nempe *incultam partem ſylvæ* Cerewald, *quam propinquus Ecbertus Comes de Buttene Vornbacenſibus dederat, Ottocarus datis* 3. *excultis manſis in Niveſide*, ſeu Neuſidl, & *4to in* Wilhalmsburg *cum Ortolfo Abbate* Vornpac. *concambivit*, ac ibi *hoſpitale dictum in hon. B. V. M. fundavit* (hodie ibidem hoſpitalis loco eſt Parochia Monaſterii Novomontani dicta adhuc *Hoſpitale prope* Sembring *B. V. aſſumptæ*) *3tio:* Ad Hoſpitale hoc reſiduum ſylvæ dederunt Ottocarus Marchio, & Kunegundis Marchioniſſa, cum omni omnino utilitate, excepta venatione, & piſcatione, quam ſibi ex parte reſervarunt, partim vero in uſum hoſpitalis tradiderunt. *4to:* Deſcribuntur termini ſylvæ ad Hoſpitale deputatæ, nempe a meridie *amnis* Froſchnitz cum alpe, a ſeptentrione ſcaturigines fontium in *Moure fors* Muerz confluentium, ab occid. villa Pirckenwanc, in qua tres manſus cum curtili adjecerunt, item manſum in villa Fätzer cum prato, 3. manſus *Pacte*, & in Schergendorff cum colonis. Eccleſiam S. *Stephani in* Chrebar cum prædiis & dominiis. *5to:* Referuntur donationes aliorum miniſterialium: *Otto de* Stubenberch 10. *manſus in Vorave*, & vineam *in Spicebarte*. *Godeſchalcus de* Rechberg villam Nivenſidl *Rapato de Putene* 2. manſus ad S. Petrum. *Henricus de* Schwarzach 3. manſus. *Sifridus de* Krainichberg vineam Crottendorff *Balduinus* medicus vineam Viſchach. *Bernardus de* Stubenberg vineam Mersdorff. Hæc ubi omnia confirmat Fridericus, ac in ſuam Imperialem protectionem recipit, refert ſimul teſtes ab Ottocaro cit. quos inter *Ottocarus Archi-Presbyter* ut judico Viſchacenſis, ac fundator Parochiæ in Dechantskirchen. In fine additur: *Acta hæc ſunt anno Dom. Incarn.* 1166. *regnante Domino Friderico Rom. Imp. glorioſiſſimo, regnorum ejus* 14. *Imp.* 9. *datum apud Auguſtam civitatem Idibus Octobris* anno 1166. cohæret quidem annus regni 14. hoc anno menſe Martio completus, non tamen imperii, cum an. 1155. Romæ coronatus fuerit Imperator, unde completus 11. vel 12. incompletus reponendus. Pagius quidem ad an. 1162. num. 32. ait Fridericum quater fuiſſe coronatum, Aquisgrani, Romæ, Papiæ, Manzæ, *Cerewald hoſpitale confirmatur, hodie Paroch. eſt.* *Putten de Ecbert* *Vornpac. res.* *Cerewald Hoſp. termini.* *Stubenberg de Otto.* *Rechberg de Gotſchalc. Putten de Rapato.* *Schwarza de Henr. Kranichberg de Sigfrid.* *Stubenberg de Bern. Ottokar. Archi-Presb.* *Frid. I. Imp. 4. coronatur.*

attamen imperii anni plerumque a coronatione Romana desumpti fuerunt. Certum est illud, Diploma hoc Friderici ante an. 1165. non potuisse dari, subscriptum enim est: *Et ego Christianus Cancellarius & Mogunt. sedis electus recognovi*, hic vero an. priore Conrado Mogunt. in exilium acto ab Imperatore constitutus est Pseudo-Episc. Mogunt. pl. v. in annot. meis ad Diploma 36.

Hæc itaque satis indicant Religiosæ Monasteriorum quieti, per schisma nil turbarum objectum fuisse, immo ob Chunegundis nostræ Marchionissæ, ac Ottocari trimuli ætatem ac sanguinis nexum, nil acerbius in earum Provincias admisisse Fridericum.

An. 1167.

ANNO 1167.

Indict. 15. Alex. III. P. 9. Frid. Barb. Imp. 16. Ottoc. VI. Styr. March. 3.

Frid. Imp. crudelitas Romæ Paschalis Antip. S. Quido.

Fridericus an. prioris mense Nov. per Tridentinam vallem in Italiam movens anno hoc Anconam a Manuele Græc. Imp. auro expugnatam ferro est aggressus, interim Reinaldum Colon. Præsulem cum cohorte suppetias mittens Raimoni Comiti Tusculano ad agros Romanos vastandos, cum Alexander jam Romæ a Senatu, populoque receptus esset, Tusculum dein 40. millibus invasum, Romanique cæsi, inde Fridericus ipse in occupata D. Petri Basilica Quidonem seu Paschalem collocat, a quo etiam Beatrix Aug. est coronata. Alexander veste latens ignota, Beneventum fugere debuit.

Alex. III. fugit Roma.

Ast exultantem impietatem vindicta cœlestis repressit, nondum enim quarta post coronationem dies abierat, cum atrox pestis per castra Cæsaris sæviit ita, ut Fridericus fugiens Latium deserere cogeretur; obiere inter reliquos Principes & Præsules, tum Fridericus Sueviæ Dux & Guelpho Junior.

Salisburg exust.

Non defuere interim Ecclesiæ Salisburg. hostes, eoque processum, ut D. Ruperti Basilica cum ædibus Canonicorum, suppositis, ut ajunt, studio ignibus nonis Aprilis concremaretur, ita testatur Henr. Archid. in hist. de calamit. Eccles. Salzburg. & codex membraneus, ac Necrolog. MS. Reverendiss. capit. apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 952. &c. quod fuse hæc referens diserte ait: *Tandem dolo & instinctu eorum* (hostium nempe Salzburg. Plejensium Comitum Luipoldi & Henrici fratrum) *tota fere civitas, major Ecclesia S. Rudberti - - - cum rebus clausis, Canonicorum videlicet & fratrum, & sororum, ac ancillarum Dei combusta est. In eodem incendio perierunt cum Basilica Ecclesia* B. *Mariæ, cum Parochia S. Michaelis, S. Joan. Bapt. Capella quoque S. Jacobi cum Basilica Salvatoris mundi infra aquam. Luitpoldus autem Comes de Pleien præventus ægritudine non modica, ebannitus restaurationem damni pro posse suo jurans obiit.* Succinctius hæc Chron. Salzb. ad hunc an. habet hisverbis: *Juvavum incendio periit*, & author incertus Chron. Austr. dubius ita loquitur ad an. 1168. *Juvavia jam dudum propter Alexandrum, ab Imperatore proscripta crematur, dubium an hostium patratu, an casu proprio.*

Plejen de Com. Luipold. & Henr. hostes Sal.

Conr. Salz. Frisacenses confert.

Hæc inter Conradus Salzburgensis Præsul Frisacum abiit, quæ ibidem egerit, exponit Chronicon Claustroneob. sed anno tardius omnia referens: *Nivvenburgenses apud Frisacum a D. Salzburg. Archiep. Cun-*

rado

rado conſecrati ſunt, horrentes nempe Diœceſanum ſuum ſchiſmaticum Patavienſem, author alius Synchronus Chron. Clauſtroneoburg. ſequentia addit: *Nivvenbergenſes circiter* 30. *Clerici ex Auſtria & ab eo ordines ſacros recepimus, quia in Patav. Epiſcopatu antiſtitem Catholicum non habuimus. Qualiter autem, & quam paterne nos receperit, & quomodo in oſcula ſingulorum irruerit, maxime in Domini Wernheri Decani noſtri, qui caput illius itineris erat, & adhuc Diaconus, ſed ab eo in ſacerdotem promotus, & quomodo Dominus Rudigerus Præp. & Magiſter noſter* (qui hoc an. Marquardo Præp. & fratri ſucceſſerit) *gravi infirmitate preſſus domi remanſerit, ſcriptis commendare neceſſe non erat.* Licet jam Chron. Clauſtroneob. Pezii hæc ad an. priorem referat, codex tamen Diplom. Admont. ſub num. 38. oſtendit 6. Martii Conradum Friſaci pro Admontenſibus Diploma edidiſſe, cui ſubſcripſit *Hug. Præp. majoris Eccleſiæ, Henricus Abbas S. Petri Romanus Gurcenſ. Præp. Udalricus Kyemenſ. Præp. Albertus Friſac. Archidiac. Meingotus Decan. Salzburg. &c. actum an. MCLXVII. Indict. XV. 2. Non. Martii in palatio Friſac. anno Pontif.* 3. in Diploma quidem cit. error irrepſit anni 1168. quem tamen refutat Indict. 15. & an. 3. Pontificatus Conradi, Item ex Hugone Præp. & Henr. Abbate S. Petri, ut mox dicam. Siquidem eodem hoc an. obiit Hugo Præp. Salzb. ita Chron. Salzb. ad hunc. an. *Hug. Præp. obiit, Sibot ſucceſſit.* Necrol. Admont. diem obitus ſtatuit 4. *Id.* ſeu 12. *Julii.* Obiit præterea Romanus Ep. Gurc. teſte eod. Chron. Salisb. dicente *Romanus Ep. Gurc. obiit, Heinricus Abbas S. Petri ei ſucceſſit*, idem habet Chron. Admont.

Clauſtroñ. Can.

Wernherus Dec. ibid.

Rudig. Præp. ib. Marquardo ſuc.

Admont. rer.

Hugo Præp. Sal. † Siboto ſucc.

Roman. Epiſc. Gurc. † Henr. ſucc.

ANNO 1168.

An. 1168.

Ind. 1. *Alex. III. P.* 10. *Frid. Barb. Imp.* 17. *Ottoc. VI. Styr. M.* 4.

Pataviæ Albo ſeu Albanus vel Albero Epiſc. ad ſpeciem ſolum non animo ſchiſmaticus, utpote renuens a Chriſtiano Mogunt. conſecrari, hoc tamen anno a Patavienſibus eſt expulſus ſubſtituto ei Alberto Regis Bohem. filio, eod. dein anno ad Cath. Salzb. poſtulato.

Albo Pat. Ep. expulſus.

Eodem vero anno Paſchali Antipapæ def. a Friderico & ſectariis ſuffectus eſt Calliſtus III. & Fridericus in Conc. Lat. proſcriptus.

Paſchalis Antip. † Calliſt. III.

Chonradus vero Salisburgenſis ab initio & fine anni Admontes agebat, intermedio tempore Friſaci commoratus, unde an Juvaviam, ad cujus reparationem manum admovebat, ſe contulerit hoc anno? incompertum. Ad montes jam 6. Kal. Feb. exſtitiſſe, comprobat, confirmatorium Diploma collegii Vor. quod eo die in Admont. Monaſterio confecit. V. inter Dipl. mea num. 38. Jam an. 1163. dixeram Eberhardum I. fundationem Vorav. una cum 2. Parochiis Vorav. & Dechantskirchen voce tantum ſua & annutu, non Diplomate edito confirmaſſe, hoc vero fecit Chonradus hoc anno: audiamus Chron. MS. Vorav. quod poſt mortem Eberhardi ita loquitur: *Quapropter fundationis*, Voravienſis nempe, *decretum ſæpe dicti Ottocari ab Eberhardo Epiſcopo confirmari non potuit, & ſic prælibata fundatio in Salzburga eſt detenta; anno vero quinto poſt* proin 1168. *Conradus Salzburg. Archiep. &c.* referuntur hic ea de Chunrado, quæ ex cod. Chron. jam an. 1165. adduxi. *An*, 1168. *præfatus Archiep. Conradus fundationem Ottocari ratam*

Conradus Salzb. in Admont exiſtit

Vorav. collegii confirm.

habuit, & confirmavit ſpeciali privilegio, ut patet in libro privilegiorum fol. 7. quo contexuit ſenſum, & intentionem fundatoris ſuper terminos præfati Vorav. propriis nominibus exprimendo, qui eodem privilegio confirmando & ratum habendo ſub ejus & ſucceſſorum ſuorum hoc Cœnobium Vorau tuitione ſuſcepit, ut clare conſtat in privilegio deſuper ab eo emanato, nihilominus augmentando incorporavit duas Parochias Vorau & Dechantskirchen, cum omni integritate, & jure earum cum decimis in uſus fratrum ibidem Deo ſervientium. Ita Chron. MS. Vorav. breviter Diploma confirmatorium Vorav. fundat. a Chonrado II. editum attingo plura ad annot. ejus in fine dicturus, inſcriptum eſt *Luipoldo Vener. Voravienſi Præp. ejusque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis*, actum *an. MCLXVIII. Indict. II.* (lege I.) *VI. Kal. Febr. Pontific. noſtri IIII. apud Admunt.* Certum itaque eſt, Conradum menſis Jan. fine in Admunt fuiſſe: Indictionem erroneam oſtendit annus currens & Pontificatus Chunradi, uti & Diploma anni præced. in Admunt etiam datum. Hoc jam in Diplomate Chunradus refert 1. fundationem Ottocari, aitque clare eam ab Eberhardo morte prævento non potuiſſe *privilegio* confirmari. 2. Adducit terminos prædii Vorav. 3. Teſtatur Eberhardum verbo non tamen *privilegio* edito, Voravienſibus *duas Parochias Vorau & Dechantskirchen cum omni integritate & jure earum &c.* dediſſe, quas & ipſe privilegio ſuo confirmat. Dein terminos Parochiæ Voravienſis deſcribit. Reliqua in annot. ad hoc Dipl. in fine.

Vorav. Paroch. continebat olim S. Jacob. Wenigzellenſ. & Waldpacenſ. & Parochia Dechantskirchen olim complexa eſt Paroch. S. Laur. & Fridberg.

Ex his ergo infero 1. Voravienſes Canonicos, omnes, quas nunc poſſident, parochias, jam a fundationis ſuæ initio, & quidem ex fundatione per Eberhardum & Conradum II. augmentata poſſidere, etenim nemo contravertet, Voravienſ. Parochiam tanquam matricem habuiſſe ſub ſe Parochias modernas S. Jacobi in ſylvis, Wenigzellenſem & Waldpacenſem, præterea ex dictis an. 1161. & dicendis ad Dipl. meum 20. eruitur Parochiam Dechantskirchenſem, ſub ſe tanquam matrice habuiſſe Eccleſiam modernam parochialem in Fridberg, & ad S. Laurentium, ut proin omnes Voravienſium Parochiæ fundatæ ſint ſeu fundationi ab Archi-Epiſcopis Salisburg. adjectæ. 2. Falſum eſſe, ac ex præjudiciis tantum malis deſumptum, Parochias Fridbergenſem, & S. Laurentii olim Cæſareas, atque a Friderico Imp. Collegio Vorav. aſſertas: error hic palmaris, & neſcio, quomodo jam typis etiam excuſſus refutatur clare ex Chron. Vorav. & privilegio Friderici Regis Collegio Vorav. dato Chron. MS. Vorav. *ad an.* 1443. ſequentia refert ſub Andrea Præp. *Idem Præpoſitus a Venerab. Domino Friderico Salzeburg Eccleſiæ Archi-Epiſcopo obtinuit confirmationem omnium largitionum, Eccleſiarum decimarum, prædiorum, fundorum, & Eccleſias in* Fridberg *& S. Laurentii ab eodem incorporavit pleno jure; videtur libro privileg.* Confirmatio vero, ſeu privilegium Frider. adhuc Regis in archivo Cancellariæ Vorav. tom. 1. fol. 29. & 30. nec verbum de his Parochiis a ſe collatis habet, ſed ſolum pœnam ſtatuit violantibus res Voravienſium, die Fürſtl. ſchwere Ungnad und 100. Mark löthigen Golds halb in die Fürſtl. Cammer, halb dem Probſt und Convent zu bezahlen. Dat. Wien an. 1443. an Mantag vor St. Ulrichstag. Clarius adhuc rem hanc proponit privilegium Friderici Archiep. Salzb. an. 1443. Monaſt. Vorav. in archivo Cancellariæ tom. 1. fol. 31. &c. datum & actum in Leibniz

Fridberg. & S. Laur. Paroch. non erant olim Cæſareæ.

niz 12. Octob. in eo Frider. Archiep. ita loquitur: *Cum itaque conſtet ex privilegio quondam Conradi prædeceſſoris noſtri, Eccleſias parochiales in Vorave & Dechantskirchen, cum nonnullis bonis aliis Voravienſi Monaſterio cum omni integritate & jure eorum liberaliter fore donatas, & accepimus, S. Jacobi in Fridberg, & S. Laurentii prope Fridberg Eccleſiæ, quæ olim dictæ parochiali Eccleſiæ in Dechantskirchen tanquam matrici Eccleſiæ ſubjectæ fuerunt, nunc in matrices Eccleſias erectæ, ipſæque in Dechantskirchen, ac S. Laurentii Eccleſiæ ſupradictæ illi in Fridberg hodie ſubjectæ cernuntur - - - nos igitur præfatas duas Eccleſias videlicet S. Jacobi in Fridberg, nec non S. Laurentii prope Fridberg cum omni integritate ac jure in uſus dicti Monaſterii - - - contradimus &c.* En! clare ait Frider. Archiep. traditione tum vigente, *ſicut accepimus* etiam Eccleſias Fridberg. & S. Laurentii, olim Dechantskirchenſi matrici ſubjectas, jam a Conrado quondam anteceſſore ſuo fuiſſe donatas Voravienſi Monaſterio. Dein quomodo, ſi Cæſareæ fuiſſent, & a Friderico Rege hoc tempore collatæ, eas tamen Fridericus Salzb. Archiep. Voravienſi Monaſterio tradere potuiſſet? hæc interim ad configenda quorundam inveterata præjudicia.

Conradus Archiep. Salzb. ut cœpto hiſtoriæ filo progrediar, adhuc 13. Kal. Martii in Admont. exſtitit, exhibet id Diploma Admont. cod. in quo lego: *Actum an. MCLXVIII. Indict. 1. 13. Kal. Martii Pontificatus anno IIII. datum in loco Admontenſi.* Diploma hoc confirmat traditionem quandam Admont. Monaſt. factam. Ex Admont tranſivit Friſacum, ubi 4. Nonas Martii Henricum ex Abbate S. Petri electum Gurcenſem conſecravit aſſiſtentibus Ulrico Halberſtad. & Ulrico Tarviſienſi, teſte MS. Chron. Capit. Salisburg. & 5. *Nonas Martii Pontif. anno 4. in villa Friſaci* bona quædam Xenodochio Friſacenſi contulit teſtes inter alios *Siboto Præp. maj. Eccleſ. Hainricus Perteſgadinenſ. Wernherus Seccovienſis Præpoſiti, Adalbert. Friſac. Archidiac. Meingotus Dec. Salzburg.* Inde autem denuo rediit ad montes, ubi 4. Kal. Octobr. defunctus eſt, ſeu 28. Sept. enarrat ejus mortem antiquum Chronicon Bibl. Vorav. quod idem eſſe dixi cum Reicherſpergenſi: *Chonradus Salzburg. Archiep. an. 1168. poſt multa gravamina, quæ paſſus eſt a fratruele ſuo Imperatore Friderico - - - tandem adjutorio Dei, ejusque nobili providentia ſopitis omnibus majoribus & minoribus, qui adverſus eum arma tulerant, & in gratiam receptis, ab excommunicatione quoque, qua eos alligaverat, abſolutis ipſe dolore calculi laborans feliciter obiit 4. Kal. Octobr. apud Cœnobium Admont. ibique ſepultus eſt juxta petitionem ſuam.* Idem habent Chron. Salzb. Clauſtron. viti Arempekii ac Admont. quod pluribus ejus familiam, ac laudes texit. In die mortis conveniunt fere Necrologia, niſi quod MS. Chron. Capit. Salzb. diem 29. Sept. ponat. Quomodo vero Conradus Archiep. *Patruus* fuerit Friderici Imp. hicque *fratruelis* Conradi, hoc ſchema exhibet.

Conrad. in Admont. agit.

Mox in Frieſach Henr. Ep. Gurc.

Conrad. in Adm. † & ſepelitur.

Conrad. patruus erat Frid. Imp.

Henricus IV. Imperator.

Conradus Dux Lotharing.	*Henricus V.* Imper.	*Agnes.*	
		Marit. 1. *Frid. de Staufen Dux Sueviæ.*	*Marit. 2.* *S. Leopold. IV.* Auſtr. Marchio.
		Frid. Cocles ſeu Luſcus Dux Sueviæ.	*Conradus II.* Ep. Pat. dein Archiep. Salzburgenſ.
		Frider. I. Imp. ſeu Barbaroſſa.	

Adalbertus vel Albertus II. Archiep. Salisburg.

Ex quibus patet, Conradum Archiepiſc. Salzburg. & Friderici patrem Friderici Imp. fuiſſe fratres ulterinos, ſicque Conradum hujus patruum, Fridericum vero fratruelem, quia ex fratre Conradi genitum.

Conrado præfato Archiep. Salzeburg. inquit MS. Chron. Vorav. *anno Dom. MCLXIX. ſucceſſit Albertus filius Regis Bohemiæ in eandem ſedem, qui ab Alexandro Papa honoratus eſt pallio.* Loquitur Chron. de conſecratione futuri anni in quadrag. Idibus Martii facta, electus vero hoc anno fuerit, & intronizatus in feſto omnium SS. Chron. Reicherſp. eum *ſororium ejusd. Epiſcopi*, nempe Conradi, *filium amitæ Imperatoris, filium ſororis Ducis Auſtriæ*, ſcribit, Gertrudes enim ejus mater teſte Chron. Admont. erat filia S. Leopoldi Auſtriaci, & ſoror Conradi Archiep. & Henrici Ducis Auſtriæ, plura de eo an. ſeq.

Admont. Parthenon. rer.

Rem Admontenſis Parthenonis laudem concernentem, atque a Chron. Admont. apud Pezium omiſſam, refert Catal. Abbatum Admont. in Diplomat. Duc. Styr. part. 2. fol. 241. his verbis: *Agnes Comitiſſa Wolfratuſana ex Admuntina in Nivvenburgenſem Abbatiam a Friderico Imperatore translata.* Hæc ſub Luitoldo 7. Abb. Admont. ſine anni adjectione. Ad easdem moniales Admontenſes inter an. 1133. & 1169. ſcripſit Gerhohus Præp. Reicherſperg. epiſtolam, qua eisdem expoſuit pſalmum 50. *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, v. Bern. Pez Diplom. part. 1. fol. 513. & 663. Idem Bernard. Pez in Cod. Diplom. Admont. tom. 3. fol. 780. refert obiiſſe *apud Rotenmanne Bertholdum Comitem de Pogene*, cujus uxor *Liuckart*, dein varia Admontenſibus donavit *apud Liuzen.*

Wolfratuſea Agnes Com.

Gerhohus Præp. Reicherſp.

Pogen de Bertb. & Liukart.

An. 1169.

ANNO 1169.

Indict. 2. Alex. III. P. 11. Frid. Barb. Imp. 18. Ottoc. VI. Styr. M. 5.

Adalb. II. Salzb. conſecratio ab Udalric. Aquil.

Adalbertus II. hoc anno *conſecratus eſt in Presbyterum & Archi-Epiſcopum in quadrageſima in Idibus Martii ab Udalrico Patriarcha Aquilejenſi, non multo poſt etiam pallium allatum eſt ei ab Alexandro Papa per Conradum videlicet Moguntinæ ſedis exulem, tunc autem Alexandri Papæ ad Germaniæ partes legatum*, ita Chronic. Reicherſp. & MS. Chron. Clauſtroneob. Bibl. Cæſareæ Albertum a Conrado impalliatum docens. Chronicon vero MS. Capituli Salisb. docet, Adalbertum Friſaci, ubi Canonici ſecuritatis cauſa convenerant, electum ob genus & potentiam, ab Aquilej. vero conſecratum cooperantibus Henrico Gurcenſi & Ulrico Tarviſienſi Epiſcopis, ex quo proin colligimus Udalricum Aquilejenſem non ſolum fuiſſe egregie Catholicum, ſed etiam Diœceſim ſuam a fæce ſchiſmatis purgaſſe.

Henr. Ep. Gurc.

Adalbertus hic *multa mala*, inquit Chron. MS. Vorav. *ab Imperatore Friderico, quoniam in ſchiſma jurare noluit, poſtea patitur, ſuperpoſitis ſibi duobus videlicet Hainrico Berchteſgadenſi Præpoſito, & poſtmodum apud Venetias Conrado Moguntino Archiep. ſed tamen utroque eandem reſignante ſedem reverſus eſt in eam omnium voto, & ſedit annos 26. in ſede Salisburg.* Ita breviter Chron. noſtrum MS. de quo mox pluribus, etenim Fridericus Imp. ubi audiit Albertum, & ſuo in juſſu electum, & Alexandri

partes

partes ſecutum, diem ei dixit, ad Comitia Babenbergæ feſto Pentec. 6. Id. Junii celebranda, *cum veniſſet illuc, cum Patre ſuo Rege Boemorum, & præſentiam Imperatoris, & audientiam curiæ expoſtulaſſet, admiſſus non eſt, jam enim Imperator firmaverat faciem ſuam adverſum Eccleſiam Salzburgenſem,* inquit Chron. Reicherſp. reverſus itaque domum in Carinthiæ montana ſe abdidit, inde metus omnibus, quibusdam proditio, ita quidem ut Cæſarem evocarent, volentes ei omnes arces & caſtella tradere ſpretis juramentis Archiep. ac Domino ſuo factis.

Adalbert. citatur ad Comitia Bamberg.

Fugit in Carint.

Venit itaque Imperator e Comitiis Babenbergicis in (quibus Henrico filio purpura decreta) Salisburgum menſe Auguſto, ferro, flammaque Salisburgenſem ditionem everſurus. Adalbertus ferocienti Principi cedendum ratus, ne miſera ſtrage aræ, focique caderent, ſuadente Henrico Auſtriaco avunculo ſuo, ſe ſuaque omnia, ſalva tamen authoritate Pontificis, Friderico conſignavit, ſicque parcitum cædibus, teſte Chron. Salzb. *Imperator ad Salzburghaven curiam celebrans Epiſcopatum Salisburgenſem in deditionem accepit;* Indeque Aquisgranum adiit, ubi 18. Kal. Sept. ſeu feſto Aſſumpt. B. V. M. Henricum filium per Colonienſem Pontificem ſacro liquore, Germaniæ Regem ungi fecit.

Henr. VI. Rex.

Frid. Imp. Salzburgum venit.

Ad exulem, & fors ad tempus ad Canoniam ſuam Oſterhovenſem, cujus de ordine Præmonſtratenſi Canonicus Reg. erat, reverſum Archi-Epiſcopum ſcripſit conſolatoriam ſuam epiſtolam, H. fors Henricus, Archidiaconus Salisb. quem Bern. Pezius to. 2. Anecdot. ſuſpicatur, eſſe Henricum Præpoſitum Berchteſgadenſem, vel ut alii Hermannum Ortenburgicum Archidiaconum Carinthiæ, qui dein pro Epiſcopatu Gurcenſi contendit: epiſtolam pulcherrimam habet cit. Pezius, & author German. ſacr. tom. 2. fol. 286.

Henr. Archidiac. Salzb.

Hermannus de Ortenburg Archid. Cat.

Eodem tamen hoc anno & quidem 19. Kal. Jan. egit in Cœnobio Admontenſi Archi-Epiſcopus Salzburgenſis, iisdem Parochiam Paltenſem, quam hodie adhuc tenent, olim ab Eberhardo, cum annutu, & petitione Romani Gurcenſis, ac Canonicorum Salzburg. conſenſu collatam confirmavit. V. codic. Diplom. Admont. fol. 720. Nec minus, ut habet idem codex num. 9. fol. 683. Udalricus Patr. Aquil. eidem Monaſterio, unum manſum donavit. Præterea beneficum Admontenſi aſceterio ſe exhibuit Henricus Dux Auſtriæ, etenim poſt obitum Gebhardi Com. de Purchauſen advocati Admont. cum magna clementiæ ſignificatione ſine beneficii quocunque jure in ſe ſuſcepit advocatiam Monaſterii ejusdem, rogatis ſimul ſubadvocatis, ut Dei tantum reſpectu, & ſuæ dilectionis intuitu Monaſterium defendant. *Actum in civitate Favianis, quæ alio nomine Wienna dicitur Indict. 2.* V. cod. Diplom. Admont. col. 767.

Admont par. Palta dat Adalberto Salzb.

Udalric. Aquil. Patr.

Henr. Dux Auſtriæ benefici Admont. Purchauſen de C. Gebh

Interea in eodem Monaſterio Admont. Rabanus Prior Jubilæus, id officii a ſe abdicavit, cui ſubſtitutus Iſenricus eodem hoc anno in Abbatem Biburgenſem poſtulatus, v. Catal. Admont. Abbat. citat. & Chron. Admont. his verbis: *Dominus Iſinricus Abbas Biburch eligitur.*

Rhabanus Prior Admont. Jubip

Iſenricus Prior Abb. Biburg.

ANNO

An. 1170.

ANNO 1170.

Indict. 3. Alex. III. P. 12. Frid. Barb. Imp. 19. Ottoc. VI. Styr. March. 6.

Frid. Imp. in Leibniz.

Imperator Fridericus, licet territorium Salisburgenſe in poteſtate haberet, non tamen animos Prælatorum ab Adalberto alienare potuit. Unde 14. Kal. Martii Salisburgum, & inde *uſque ab Libniz* (hodie Leibnitz infer. Styr. oppidum) *montana noſtra intravit*, inquit Chron. Admont. apud Hier. Pez, & Chron. Salisburg. ibid. ait *ad Libniz cum Prælatis colloquium habuiſſe, deinde Pentecoſten Ratisbonæ celebraſſe.* Quæ inibi geſta, quive ibidem adfuerint Prælati? ignotum.

Adalb. Salzb. in Auſtria.

Adalbertus interea Archiep. Salzburg. in terris avunculi ſui Ducis Auſtriæ ſe continebat, ubi edidit Diploma, quo *Dominæ Chunegundi & filio ſuo Henrico de Tunchilſteino* concedit, ut in capellis duabus, quas fundaverant, in villis ſuis Eberhartſtorff, & Lintbach proprium habeant ſacerdotem, ſepulturam & baptiſmum. Inter teſtes hujus Diplomatis comparent *Liupoldus Præp. Voravienſis*, Meingotus Decanus majoris Eccleſiæ. Etholdus Miniſterialis Marchionis de Emberberg &c. actum an. 1170. Pontific. noſtri anno 2. 3. Non. Octobr.

Dunkenſtein de Chunegund. & Henric.

Liupold. Præp. Vorav. in Auſtr.

Vorav. datur curia decimalis in Grafendorf ab Adalberto.

Leopoldus Præp. Vorav. Auſtriam adierit procul dubio, ut ſuum in Adalbertum Metropolitam animum declararet; ob inconcuſſam hanc Leopoldi noſtri fidem Adalbertus viciſſim collegio Voravienſi decimalem curtem in Grafendorff donavit. V. Diplom. mea num. 40. hoc in Diplomate Adalbertus Leopoldum Præp. Vorav. vocat *venerabilem fratrem* ſuum, inde fors plura petere auſus eſt Leopoldus Præp. Voravienſis, nam habentur litteræ Adalberti de eodem anno, quibus tertiam partem decimarum, quæ Archi-Epiſcopi fuit, in Hartberg, Walterſtorf, Pölan & Feiſtritz collegio Vorav. donat, uti & *manſum* (ſpatium terræ a colono coli ſolitum teſte Cangio) in monte Zözzen ad interceſſionem Gurcenſis Epiſcopi & Seccov. Præpoſiti. Lubet de his audire Chron. MS. Vorav. *Leopoldus I. Præpoſitus Monaſterii, ut præfertur, confirmatus, inſuper in novella plantatione confratrum, ac hujus loci plurimum Deo ſolicitus & anxiatus an. Dom. MCLXX. apud jam dictum Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Albertum Salzburgenſ. Archiep. in tantum elaboravit, ut præfatus Archi-Præſul ad ſalutem animarum ſibi ſubjectarum, pietatis operibus intendens, ac pro reverentia Beatiſſ. Mariæ Virginis, ſanctique Thomæ Apoſtoli ad ſtructuram ipſius Baſilicæ, decimalem curtem in Gravendorff, cum omnibus ſuis inſtitutis, pertinentiis contulit, eo duntaxat interpoſito conventionis tenore, ut ſi Archi-Epiſcopis Salzburgenſibus ad præſens vel impoſterum ſucceſſoribus viſum fuerit conſultum, pro commutatione ejusdem decimalis curiæ ipſis fratribus conferatur in prædiis, vel in aliis quibuslibet poſſeſſionibus jure perpetuo annuatim recompenſatio ſecundum æſtimationem decem marcarum, & ex tunc illæ decimæ tali pacto redemptæ, Archi-Epiſcoporum Salzburgenſium uſibus ex integro proveniant, neque hanc traditionem & prætactæ conventionis tenorem nulla occaſione alienandi vel ſubtrahendi prædicto præpoſito ſucceſſoribus ſuis, ac fratribus licebit, decrevit, dedit, & confirmavit, ut patet in libro privileg. Monaſt. Vorav. fol. 8.*

It. tert. p. decim. in Hartberg, Walterſt. &c. Manſus quid.

Pergit

Pergit mox cit. Chron. *ſub Leopoldo Præp. idem Reverendiſſimus Archi-Præſul Albertus, voluit, ut æterna merces a Domino in retributionem juſtorum, fructibus ſuæ devotionis uberius accreſceret, ordinavit, ac dedit ad novam hujus Cœnobii ſtructuram larga manu ſpeciali privilegio, ut patet in libro privileg. noſtri Monaſt. Vorav. 1. fol. decimas, demandando videlicet Plebanis in* Hartberch, *in* Walterſtorff, *in* Pölau, *in* Feiſtritz, *ut præfatarum Parochiarum decimas præpoſito Monaſterii Vorav. tanquam ſibi ipſi a populo Eccleſiaſtica juſtitia requiſiti, taliter præcepit ac decrevit præſentandas, non minus manſum quoque unum in monte, qui dicitur Zözzen eidem Monaſterio pro Domini Gurcenſis Epiſcopi, atque Seccovienſis Præpoſiti interceſſione pari, ſicut & decimas conditione donavit, ut patet in libro privileg. fol. 9. His donationibus magna hujus Cœnobii pars fundata eſt.* Ita ſtrictim Chron. noſtrum Diploma vero Adalberti ita habet..

A. Dei gratia Salzb. Eccleſiæ Archi-Epiſcopus dilectis in Chriſto fratribus D. de Hartberch. L. de Walterſtorff H. de Polan. R. de Vuſtriz Parochianis gratiam & dilectionem fraternam. *Parochianus id. ac Parochus.*

Notum eſſe volumus fraternitati veſtræ, quod nos decimas illas, quas piæ memoriæ avunculus meus Archi-Epiſcopus C. ad ſuſtentationem & ſubſidium Halberſtadenſis Epiſcopi ad clauſtrum Vorave dimiſerat, nos pro reverentia B. Thomæ Apoſtoli ad ſtructuram Baſilicæ ipſius contuliſſe, unde per præſentia ſcripta univerſitati veſtræ mandando præcipimus, ut easdem decimas Præpoſito L. tanquam nobis ipſis a populo Eccleſiaſtica juſtititia requiratis, & Hirzelonem aliosque decimatores noſiros, qui ſunt in plebibus veſtris, ut uſque ad reditum noſtrum ſibi tanquam nobis obediant, & ſerviant, præcipiatis. Manſum quoque unum in monte Zözzen eidem clauſtro pro Domini Gurcenſis Epiſcopi, atque Sekkovvenſis Præpoſiti interceſſione, pari, ſicut decimas, conditione donavimus.

Ex hoc Diplomate ſequentia eruo. 1. Archi-Epiſcopos more horum temporum, non Præpoſitis ſolum, & Abbatibus, ſed ipſis etiam Plebanis nomen *fratris* adjeciſſe. 2. Hoc tempore jam exſtitiſſe *Parochos in* Hartberch, Walterſtorf, Pölla, & Feiſtritz. 3. Decimas has antea a Conrado II. Archiep. conceſſas fuiſſe in ſuſtentationem, & ſubſidium Udalrici Halberſtad. Epiſc. qui cauſa ſchiſmatis a ſede ſua exul, Conradi lateri fidelis adhæſit Comes; ſenſus quidem Diplomatis obſcurus eſt, videturque deeſſe verbum unum, alterumve, nempe eas decimas primo ad ſuſtentationem dicti Udalrici, dein vero ad Vorav. Monaſterii Baſilicam conſtruendam fuiſſe aſſignatas, unde transponendo modice verba ſenſus integer evadet ſequens: *Decimas illas, quas piæ memoriæ avunculus meus Archiep. L. ad ſuſtentationem & ſubſidium Halberſtad. Epiſcopi dimiſerat, nos ad clauſtrum Faravve pro reverentia B. Thomæ Apoſt.* &c. ly *quod nos* etiam omittendum videtur. *Fratris nomen olim ab Epiſcopis datum in Parochis.*

Hæc erant prima Baſilicæ & Monaſterii Voravienſis initia, cujus confirmationem ab ipſo Alex. III. Papa legitimo, idem Leopoldus Præp. acceperat, teſte Chron. eod. MS. Vorav. *Liupoldus primus hujus Monaſterii Vorau Præpoſitus confirmatus eſt tertio anno poſt præfati Conradi ratihabitionem ab Alexandro Papa III. anno 1170. qui confirmavit, ac dedit decretum ſuper litteras fundationum dicti Ottocari Marchionis* &c. Diploma hoc Alex. III. Papæ datum eſt Tuſculani 2. Kal. Febr. Indict. 4. loco *Vorav. collegii conf. Papal.*

pone 3. alias nec anno currenti, nec 12. Alexandri III. reſponderet. V. Diplom. mea num. 39.

Chuneg. March. Vorav. benef. Ex eo vero diſcimus donationem Chunegundis Marchioniſſæ factam Voravienſibus, nempe *manſum apud Luubene* (Leobium) *ubi foditur ferrum, & fontem apud Willealmesburc, ubi fit ſal.* De quo pl. in annot. ad citat. Diploma.

Vorav. res Adm. Hoc eodem anno complures Styriæ nobiles ac Marchionis noſtri Miniſteriales Voravii exſtitiſſe, colligo ex cod. Dipl. Admont. num. 81. in ea notitia (v. inter mea Diplom. num. 42.) *Marquardus de Starkenberg, poteſtativa manu Domini ſui Otagrii Marchionis*, fratribus Admontenſibus, vendidit 22. marcis partem prædii ſui ad Sundermaningen, eo pacto, ut ubicunque ille infra Salzburch obierit, apud eosdem ſepeliatur, & ut cognata ejus, quam ipſe petierit, in eodem Monaſterio recipiatur, prædii hujus traditio facta eſt *ſuper reliquias ſanctorum apud Foroove*, teſtes aderant *Otto de* Stubenberch, aliisque.

Starkenberg de Marquard.

Stubenberg de Otto.

Maſſenberg de Wigand & Adelhaid. Ex eodem codice Dipl. Admont. huic circiter anno affigendæ videntur traditiones variæ, 1. *Wigandi de* Mäſſenberg Miniſterialis Ottocari noſtri, qui cum filiam ſuam Adelhaidem monaſticæ religioni in Admont manciparet, eidem loco prædium in Sabisdorf obtulit. v. Dipl. mea num. 41. 2. *Pilgrinus de* Murzhofen petens filium & filiam in eodem Monaſterio ſuſcipi, eidem Monaſterio pro ſtipendio eorum, cum conſenſu Ottocari, dedit prædium ſuum Oberdorf ad Gomplarn, 3. Eodem hoc anno Alex. III. confirmavit omnes donationes Monaſterio Admont. factas, uti & confirmationes Lucii II. Innocentii II. & Paſchalis II. ratas habuit, & Monaſterium in ſuam protectionem recepit, ut habet MS. 3. n. 88. in Catal. Abb. Admont. & codex Dipl. Adm. n. 4.

Murzhofen de Pilgrin.

S. Lamberti Monaſt. conf. a Frid. Imp. Hos inter ſacros Voravienſis ac Admontenſis clauſtri favores ob impetratam confirmationem Pontificiam, Cœnobium ſancti Lamberti temporalem obtinuit ex confirmatione Frid. Aug. adfert eam Frælichius in Diplom. S. Ducat. Styr. part. 2. fol. 278. Datum eſt id Diploma Friſaci hoc anno 5. Nonas Martii. Unde cum per dicta ſuperius, Fridericus hoc anno 14. Kal. Martii Salisburgum venerit, inde vero in Liebniz deſcenderit, medio itinere e Salisburgenſi territorio, Friſacum, inde Leibnizium abiverit; Friſaci conſtitutus, atque eo unice tendens, ut Adalbertum Archiep. loco moveret, San-Lambertinis tamen privilegium exaravit: Hoc in Diplomate Fridericus concedit, 1. *Forum pro ſuæ voluntatis arbitrio ordinare, & ad ipſius Eccleſiæ commoda Forenſia in eo ſibi pura conſtituere.* 2. Suſcipit Eccleſiam cum omnibus bonis in ſuam & imperii protectionem. 3. Confirmat Marquardi & filii Henrici Ducis Carinthiæ donationem, eaque reſtituit, quæ Sophia uxor tertia Henrici Ducis Carinthiæ ſubtrahere nitebatur. 4. Enumerat bona, ſtatuitque, ut nemo inbeneficiari poſſit in bonis Eccleſiæ, niſi qui jure proprietario de familia Eccleſiæ fuerit S. Lamberti. Inter teſtes noſtrarum terrarum citantur *Haimricus Epiſcopus Gurcenſ. Hermannus Dux Carinthiæ, Bertholdus Marchio de Vochburg, Otto de* Stubenberg, *Wulfingus de* Kapfenberg, *Gotfridus de* Dirnſtein &c. annus regni Friderici 17. ac imperii 15. pro completis ſunt ſumendi.

Henr. Ep. Gurc. Vochburg Stubenberg Kapfenberg Dirnſtein.

Ex

Ex hoc Diplomate patet tandem iterum certus Abbas S. Lamberti, nempe *Bernberus* hoc in Diplom. nominatus, quotus in ordine Abbatum fuerit? documenta hactenus mihi viſa non oſtenderunt. Sophia tertia uxor Henrici II. Ducis Carinthiæ etiam detegitur ex hoc Diplomate, ut jam ſuperius eſt obſervatum. *Bernberus Abb. S. Lambert.*

Viennæ rem memorabilem contigiſſe refert Chron. Mellic. apud Hier. Pez tom. 1. col. 233. his verbis: *Inventio Dominici ligni apud Wiennam, quod aureæ cruci cum aliis ſanctiſſimis reliquiis incluſum quidam clericus nomine Rupertus, miniſter ſatanæ auri cupidine illectus, furatus erat, de quo furto propter communem Eccleſiæ ad Dominum clamorem publicatus, & comprehenſus, ex judiciali ſententia ſuſpendio vitam finivit.* Fuſe hanc inventionem deſcribit author anonymus apud Hier. Pez tom. 2. col. 390. ex qua ſequentia breviter noto: particulam hanc S. Crucis Eccleſiæ Mellicenſi primus obtulit Adalbertus Auſtriacus Victorioſus dictus ab an. 1018. ad 1056. Marchio Auſtriæ, dono forſitan acceptam a Poppone Archiep. Trevir. patruo ſuo, ſeu fratre, ut alii volunt, Jeroſolymis reverſo, Rupertus dein Clericus furto ſublatam, Scotorum Abbati Viennæ clam attulit, re comperta Abbas Mellic. eam, ut ſuam, repetiit, lite inter Abbates exorta, delecti ſunt arbitri, qui more horum temporum pronuntiarunt, ejus Abbatis fore particulam, ad cujus manus eadem, invocato prius cœleſti auxilio, ſponte ſua accederet. Et mirum! Crux ſacra ad Abbatis Mellicenſis manus conceſſit? Abbas Scotorum nondum motus novo prodigio rem committi petiit, hinc ex arbitrorum ſententia Crux ſancta absque remige, naviculæ impoſita, aquis Danubii commiſſa, miro & inaudito prodigio, Nusdorffium uſque, qui vicus eſt a Vienna una fere Leuca in occidentem diffitus, contra flumen deportata eſt, ſicque Mellicenſi Abbati judicio divino adjudicata. Ita anonymus cit. *Viennæ inventio S. Crucis in Mellic. Monaſt.*

Scio quidem, hanc narrationem in dubium & criſim vocari, eo quod non ex veterum Annalium documentis, ſed ſola fide relatuque majorum eam anonymus referat, cenſeo tamen ſimul, quidpiam prodigii hac in inventione contigiſſe, cum Adalbertus II. Archiep. Salzb. iis rite in examen vocatis peculiari feſto & officio, inventionem hanc 13. Febr. celebrari indulſerit.

Refert de Rubeis monum. Aquil. cap. 63. num. 1. & 6. plura documenta, ex quibus Udalricus Patr. Aquilej. hoc tempore Legatus Pontificius fuiſſe dignoſcitur, proin Præſul optime Catholicus. *Udalrici Aquil. Patr. Legat. Papæ.*

ANNO 1171. *An. 1171.*

Indict. 4. Alex. III. P. 13. Frid. Barb. Imp. 20. Ottoc. VI. Styr. M. 7.

Longobardi fœderati anno priore Mediolanum e ſuis ruderibus erexere, & novam e fundamentis urbem, auſpiciis & honoribus Alexandri Papæ, Alexandriam dictam ædificaverunt, hinc Cæſar ſibi plus magis ſolicitus, Bambergenſem Epiſcopum ad Alex. III. P. Legatum miſit, Eccleſiæ Rom. & imperii concordiam poſtulaturum, ſed pacis legis adeo implicatæ erant, ut Cæſar non tam concordiam, quam neceſſarias bello Inſubrico moras quærere videretur, unde re infecta ad 6. Id. Junii Fuldæ Comitiis actis Alexandrum ejuravit denuo, & *Frid. Imp. turbæ.*

hoc an. Chriſtianum, militem potius, quam Præſulem Moguntinum trans alpes cum exercitu miſit, ut Tuſculanos Alexandri partes tuituros coerceret.

Hall civit. exuſt. Halmberg arx. Salisburgenſis interea Præſul Adalbertus arcem munitiſſimam Halmberg ædificavit, quo receptum haberet a ſchiſmaticorum furore, quam ædificationem ad hunc an. confert author Germ. Sacr. tom. 2. f. 953. licet Chron. Salzb. vulgatum id ponat ad an. 1196. uti & Chron. Honorii his verbis: an MCXCVI. *Gundacherus Præp. obiit, cui Bertholdus ejusd. Eccleſiæ Canonicus ſuccedit*, hæc quidem ad an. 1195. vel ſeq. ſpectant. Dein *Hallenſis civitas ab Adalberto Archiep. exuſta eſt, & caſtrum* Halmberg *ab ipſo ædificari cæptum eſt.*

Henr. Pat. Ep. reſignat. Henricus Patav. Epiſcopus ex Canonico & Præp. Spirenſi factus a ſeditioſis an. 1169. 2. Nonas Auguſti, religione animi ductus, reſignavit Epiſcopatum hoc anno *ne in ſchiſmate contra Eccleſiam obediret Friderico Imp.* inquit Henr. Stero in Annal. cui dein an. ſeq. frater Diepoldus eſt ſuffectus, erant ambo e familia Comitum Bergenſium in Sueꝛia, matre Giſela Bertholdi Com. de Andechs filia, & Bertholdi March. Iſtriæ ſorore.

Diepoldus Ep. Pat. Berg. Com.

Styria interim noſtra, triſti hoc Schismatis tempore, læta vivebat, & continuis Eccleſiæ incrementis, & Ottocari, ſeu potius matris Chunegundis imperio proſpere ſuffulta. Ottocarus enim ipſe *tunc* ſeu hoc anno *admodum puer*, ut ait not. cod. Diplom. Admont. num. 62. inter mea Diplomata num. 44. *Admont venit* cum miniſterialibus ſuis eodem loco citatis, ibidemque litem, quæ inter Admontenſes & Hartnidi hæredes (fratres forte de Ort) præſens compoſuit, etenim quatuor erant fratres nobiles & liberi, Hermannus Sacerdos, Gerhohus, Harnidus, Engilramus, qui hæreditatem inter ſe juſte antea diviſerant, anno dein 1139. natu minimus Engilramus Monachus Admont. eſt factus, partemque hæreditatis ſuæ Monaſterio ſuo obtulit. Poſt mortem Hartnidi, filii hujus prædium id Monaſterio datum appellare cœperunt, matrem ſuam per id dotatam aſſerentes. Lis hæc, cum ad præſentem annum hæreret, mox a Marchione compoſita, atque in bonum Admont. Monaſt. deciſa eſt.

Ottoc. VI. pro Admont. decidit Ort de Hartnidus & Engilramus Adm. Mon.

Torvernick de Reginward. Admont. ret. Hunc Ottocari in Monaſterium Admont. adventum non retulit Chroniſtes Admont. Henricus Ep. Gurc. pratum ad Chroneke eidem Monaſterio Admont. delegavit pro Reginwardo de Torvernick, & tradidit in Monaſterio S. Georgii in Carinthia, præſente & teſtante Hermanno Duce Carinth. aliisque v. Diplom. mea num. 45.

Crevit nempe larga Ottocari noſtri manu Admontenſe præcipue Monaſterium, nec bonis ſolum & prædiis, ſed etiam nobilium authoritate perſonarum, quæ eo in Monaſterio converſionis gratiam monaſtico ſub habitu expetierunt, quas inter filia ſororis *Hartnidi de Rackerſpurch*, pro cujus dote hic prædium ſuum ad Sulz, manu & licentia Ottocari Marchionis ac Domini ſui eidem Monaſterio tradidit. V. inter Diplom. mea num. 46. paulo poſt *obiit* in Admont *Luitoldus Abbas*, ut habet Chron. Admont. & quidem 3. *Nonas Sept.* ut refert catal. Admont. Abbat. citatus & Necrol. Admunt. ſucceſſorem Chroniſta refert Rudolphum, ſed catal. Abbatum Admont. quempiam interſerit ex lib.

Rackerſpurch de Hartnid.

Luitold. Ab. 7. Adm. obiit. Suc. Henricus Abb. Milleſi. Adm. 8.

1. MS.

1. MS. num. 34. & lib. 3. MS. num. 44. ait nempe poſt obitum Liutoldi *Henricum Popponis de Giche* filium, profeſſum Admont. atque an. circ. 1169. Milleſtadienſem Abbatem poſtulatum, a majori parte ſuiſſe electum Abbatem Admontenſem, qui tamen electioni conſentiri noluit, ex humilitate inſufficientiam ſuam ad regimen Abbatiæ Admont. prætendens, & quietem Abbatiæ ſuæ Milleſtadienſis, cui tunc præerat, obtexens, quapropter hoc Abbatiæ onus recuſante, dum vota ſcinduntur, res eo devolvitur, ut nullus e gremio, ſed Rudolphus e S. Lamberti Monaſterio poſtularetur, ita non ſolum libri MS. Admont. ſed etiam Chron. cit. ad an. 1172. (ad quem facile protrahi potuit negotium illud aliquantum hærens) his verbis: *Rudolphus Prior S. Lamberti Abbas Admont. eligitur, quo poſt parvum tempus* (ſeu poſt 12. hebd. regimen, ut habet catal. Abbat. Admont.) *refutante* (& rigorem Admontenſis diſciplinæ ferre non volente, ita catal. cit.) *Irmbertus Abbas S. Michaelis eligitur.* Profeſſus antea Admont. & Germanus Godefridi Abbatis, de quo jam pl. an. 1161. Eadem habent excerpta vet. Chron. Garſt. apud Hier. Pez tom. 2. col. 145. Hæc tamen electio Rudolphi & Iremberti ad ſeq. an. ſpectans huic alligata eſt ob connexionem hiſtoriæ totius.

Dein Rudolf Prior S. Lamb. Ab. 9. Admont. Giche de Poppo & Henr. Abb. Admont.

Irmbertus Abb. 10. Admont.

Hoc eodem an. & quidem jam 4. Id. Febr. confirmata eſt Seccovienſis fundatio ab Alex. III. Pontif. Rom. per Styriam noſtram omnem legitimo paſtore agnito, v. Dipl. 18. Seccov. in Dipl. Siyr. enumerantur eo in Diplom. bona & prædia Seccovienſium hoc tempore poſſeſſa: *Seccove locus* cum Eccleſia S. Mariæ ac omnibus pertinentiis a Chunrado Arch. conceſſus, pro mutatione loci, qui dicitur Feuſtrize *Feiſtrize, Altendorf. V - - - Pleſche* cum omni familia ſua ex dono *Alrami & Richinzæ* fundatorum.

Secc. Can. conſ.

Eorum bona an. 1171.

In Bavaria Waltenſtain, cum prædiis ſuis & familia videlicet Strelz, Willendorff, Geroldſtorff cum vineis & pertinentiis, & curti, quæ dicitur *Chambe & Erla.*

In Marchia Chunberg, Arberſtorff, Hainrichsdorff, & Lever Pozendorff cum omnibus pertinentiis.

Ex dono *Udalrici cognati memorati Alrami* loci fundatoris, Henneberg cum omnibus prædiis pertinentibus & alpibus Liechtſteig & Predegai.

In Carinthia prædium *apud S. Stephanum* curiam & 12. manſus, prædium *Juon*, fors *Jaun* & montem, ubi foditur argentum & plumbum cum omni jure, *apud Glan* 6. manſus.

Ex dono prælibati Archiepiſcopi *Parochiam Chumbenz* cum omni jure ſuo decimationem apud Henrichsdorf, Erbendorf, Chumberg, Järingen.

Ex dono *Ottocari March.* ſylvas & alpes Cœnobio adjacentes, Undrimſethal, Gottesthal, Forwitz, Teufenthal.

Ottoc. V. quæ donaverit Secc.

Ex dono nobilis *mulieris Giſellæ*, alpem *Zeuze*, fors Zeyrize electionem & præſentationem Clericorum in Eccleſia Schönberg v. an. ſeq.

Ex dono *Burcardi de Murec & Juditbæ* uxoris, curtim & 2. manſus apud Thalheim. Ex quibus proin, quantum aucta jam fuerit Seccov. fundatio, facile perſpicimus. Concludo annum narratione Chron. Admont. cit. ſic loquentis: *MCLXXI. in partibus noſtris vacca vitulum peperit 2. capita, 8. pedes 2. caudas habentem.*

An. 1172.

ANNO 1172.

Indict. 5. Alex. III. P. 14. Frid. Barb. Imp. 21. Ottoc VI. Styr. M. 8.

Salisb. convent. Exul interim, cum in Bohemia ageret Adalbertus Salisburg. Archi-Præſul, hoc anno ad 11. Kal. Martii plerique Principes mandato Friderici Imp. Salisburgum convenere, ita Chron. Salisb. apud Hier. Pez tom. 1. col. 345. *Imperator curiam Salzburc. habuit, volens A. Archi-Epiſcopo alium ſuperponere, ſed dilatum eſt tunc.* Sed, dum illuc ageret Imperator, *Illuc quoque*, teſte Chron. Reicherſp. *Archi-Epiſcopus licet non vocatus ab Imperatore, repente tamen, dum curia haberetur, cum pauciſſimis ſupervenit, ſed gratiam Imperatoris non obtinuit. Imperator autem inde digrediens, per publicam ſtratam Pataviam abiit 2. Kal. Martii*, quid Salis-

Quo etiam venit Adalb. Archiep. burgi effecerit, docet Chron. MS. Clauſtroneob. his verbis: *Omnibusque Clericis & Laicis obedientia & ſervitio Alberti Archi-Epiſcopi, ſub obtentu gratiæ ſuæ prohibitis Pataviam ſeceſſit*, ſicque nil effecerit contra Adalbertum Imperator, nam Cleri populique conſtantia & fide in paſtorem ſuum, & ut codex MS. Bibl. Vorav. ait intrepidi Adalberti ſupervenientis præſentia, pravorum molimina fuere diſcuſſa.

Patav. Concil. Pataviæ quid egerit Fridericus, exponit Chron. Reicherſp. continuans: *Ibi ergo cum Dominus Henricus Patav. electus ipſum Epiſcopatum ſuperiore anno ſponte reſignaverat, ex conſenſu & collaudatione Imperatoris electus eſt pro eo frater ipſius D. Henrici, præſente Imperatore videlicet Dominus Dietpoldus juvenis admodum, ſimiliter ſororius* (filius ſororis) *Comitis Bertholdi*, de cujus familia, electione, ac conſecratione cum conſenſu Alex. III. Papæ & Adalberti Salzburg. facta. V. pl. auth. Germ. Sacræ tom. 1. col. 327.

Adalb. in Viſcha ordines conſert. Adalbertus an ante Friderici adventum ad Comitia Salisb. ordines in Viſcha contulerit? an dein? ignotum, id certo ad hunc annum affirmat Chron. Admont. his verbis: *Adilbertus Archi-Epiſcopus apud Vi-*

Locus hic qualis *ſcha ordines celebravit.* Locum hunc *Viſcha* diœceſis Salzburg. fuiſſe credo, & diſtinctum a moderno Auſtriæ loco *Viſcha* appellato, quo ſe diœceſis Salisburg. non extendit. Fors hic idem locus, ubi Ottocarus V. fundationis Vorav. litteras edidit, & in quo Conradus an. 1168. iisdem Voravienſibus decimas dedit, & quidem de tribus vineis ad Viſchach ſitis, v. Dipl. mea num. 38.

Poſt celebratam vero curiam Salzburgenſem, idem Archi-Præſul Adalbertus Voravium ſua præſentia eſt dignatus, & quidem 18. Kal. Septembr. ita codex MS. Bibl. Vorav. ſub num. 200. *Anno verbi incarn.*

Vorav. cryptam dedicat Adalber. Salzb. cum ara S. Pauli. *MCLXXII. Indict. 5. 18. Kal. Sept. feria 3. dedicata eſt crypta Voravienſis Monaſterii a venerabili & Deo digno Archiep. Salzb. Alberto an. ordinationis ſuæ 4to, in honore SS. & individuæ Trinitatis, unius ſummæque Deitatis, victorioſiſſimæ crucis, ſanctæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, ſed ſpecialiter S. Pauli Apoſtoli, continentur autem hic reliquiæ S. Mariæ Virginis, Pauli Andreæ Apoſtoli, Innocentii, Vincentii, Viti, Chryſanti, Dariæ Martyrum, Martini Ep. & Confeſſ. Agathæ Virg. undecim millium Virginum, & aliorum ſanctorum. Actum ſub Domino Leopoldo I. ejusdem Monaſte-*

Eccleſiæ Vorav. dedicatio. *rii Præpoſito, decimo poſtquam fundatus eſt locus Voravienſis anno.* Ex hoc MS. patet, aram S. Pauli cum crypta fuiſſe dedicatam, Eccleſia enim

ipſa

ipſa Voravienſis poſt annos 85. dedicata eſt nempe an. 1257. ſub Gebbino Præp. ab Udalrico Epiſc. Seccov. 8. Kal. Nov. ut ſuo loco.

Eandem cryptæ Vorav. conſecrationem ab Adalberto factam docet Chron. MS. Vorav. hiſce: *Conſiderans autem ſæpe dictus Archi-Præſul Albertus in cauſa hujusmodi ſancti operis incepti, ubi tamen virtutes, ſalus animarum, laus Dei, atque præconium ſanctorum ſolet accreſcere, non piguit parcere humano labori, ac ſumptibus, velut theſaurum in agro abſconditum ac inventum congratulando perſonaliter adivit, ac anno MCLXXII. 18. Kal. Sept. ipſe venerabilis Deo dignus Albertus Salzburg. Archi-Præſul, anno ordinationis ſuæ vero 4to in ſignum novellæ plantationis cryptam Monaſterii Vorav. dedicavit in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis, unius ſummæque Deitatis, victorioſiſſimæ crucis Dei Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, ſed ſpecialiter S. Pauli Apoſtoli, & ſic patet aram S. Pauli Apoſt. & cryptam hujus Cœnobii, quoad Eccleſiam ſumpſiſſe initium.*

Quo Voravio diſceſſerit Adalbertus Archiep. ignotum, neque etiam conſtat, an poſt curiam Salzburgenſem, denuo eam civitatem adierit. Aliud quodpiam documentum ſuppeditat MS. codex Bibl. Vorav. ſupra cit. ſubjungit enim dedicationi cryptæ Vorav. ab Adalberto celebratæ ſequentia: *Sciendum, quod quivis conventualium ſacerdotum ligatus eſt ex debito contractæ fraternitatis in remedium omnium defunctorum fratrum, ſororum & benefactorum fidelium familiarum noſtrarum dicere tres miſſas ordine ſuo prænotatatas, 1. de SS. Trinitate, 2. de B. Virgine, 3. de omnibus SS. ita quod cuilibet miſſarum addatur primæ collectæ, Deus qui charitatis dona &c. ſub una concluſione. Sciendum infra adventum Domini miſſas prædictas eſſe celebrandas.* *Voravii moniales exſtitere.*

Hoc in contextu memoria fit *fratrum & ſororum*, & ſpecialiter dein benefactorum, an proin nomine *ſororum* intelligendæ ſint moniales, quæ exemplo aliorum Monaſteriorum etiam ordinis Canonici (uti Salisburgenſis, Seccovienſis, Reicherſpergenſis &c. quæ præter collegium virorum etiam Parthenium ſacrum adjunctum habebant) conjungi eo ævo ſolebant viris in ſeparato tamen clauſtro. Sola quidem hæc notitia me non emoveret, ut aſſenſum monialibus Voravienſibus præberem, nec ea vulgi traditio, quæ in veteri Cœnobio noſtro, ambitum quemdam feneſtellis parvis, cœlum reſpicientibus exſtitiſſe noſtro adhuc tempore loquitur, movit me tamen necrologium vetuſtiſſimum Seccovienſe inſpectum meis oculis, atque ex quo beneficio viri clariſſimi piæ memoriæ Ferdinandi Mathiæ Gauſter Decani Cathedr. Seccov. octo mihi moniales inibi inſertæ ſunt transmiſſæ: documentum exhibeo.

Moniales Voravienſes ex vetuſtiſſ. necrolog. Seccov.

K. Aprilis: Irmburgis C. Forove. &c.
XII. Kal. Jun. Perchta C. in Forove.
VI. Kal. Jan. Chunigunt C. Forove.

Auguſtus.

F. VIII. K. Perchta in Forove C. S. N. id eſt converſa ſoror noſtra.

Majus.

D. II. Kal. Junii Ellis de Forove C.

Auguſtus.

G. XIIII. K. Wilburgis C. de Verovve.

De-

December.

D. VI. Kal. Johannis Apoſtoli Gerbirch. C. Forove.

Chunigunt C. Forove.

Ego ſane vetuſtiſſimo huic Necrologio fidem negare non auſim, quoniam plura, nominatim in ſerie Prælatorum noſtrorum, ex eo occurrent, quæ documenta noſtra domeſtica filent, unde cum documentum noſtrum prius allatum mentionem habeat, *fratrum* & *ſororum*, harum nomine moniales Voravienſes, uti & Seccovienſes veniſſe reor, etenim jam ab origine loci nos inter & Seccovienſes arctam coiſſe confœderationem opinor, eo præcipue capite, quod & primus Præpoſitus noſter, & manipulus colonorum, ſi non integer, ſaltem ex parte Seccovio ſit Voravium traductus.

Neque obeſt, quod Necrologium utrumque Seccovienſe in Dipl. Ducat. Styriæ impreſſum, nullam harum monialium referat, nam, ut ait ipſe editor Necrologii illius Frælichius, non integrum ibi, ſed excerpta ſolum ex Necrologio Seccov. adducuntur, eæque ſolum perſonæ, quæ ad hiſtoriam & Diplomatariam Styriæ conferre quidpiam videbantur.

Seccovienſium opportune memini, etenim hoc etiam anno Ottocarus VI. Græcii exiſtens, Seccovienſibus benigne contulit Eccleſiam, in Schonenberg, ſeu Schönberg dictam, cum petitione & jure, quo eam *nobilis matrona Giſela de Ovvſſach*, fors Oßiach, Ottocaro tradiderat, enumerat dein bona & prædia ad dotem hujus Eccleſiæ pertinentia, teſtesque adducit, quos v. in Diplom. Seccov. 19. inter mea num. 47. in annot. Unde licet anno jam priore ex confirm. Alex. III. ea Eccleſia, a nobili matrona Giſela data legatur, delegatio tamen, & confirmatio ipſius Ottocari Marchionis hoc primum anno acceſſit. Exſtitit itaque Ottocarus hoc anno Græcii die 17. Kal. Maji incidente in feriam 3. quæ inibi adhuc tractaverit negotia? incognitum, nec mirari oportet nominari *Græcium forum*, jam enim Diſſert. 1. §. 21. obſervavi, *fori, urbis, civitatis*, nomina ſæc. 12. non raro fuiſſe confuſa.

Seccov. Ottoc. VI. confert Ecc. Schönberg.

Græii exiſtit.

Fori, urbis, civ. nomina confuſa.

ANNO 1173.

An. 1173.

Indict. 6. Alex. III. P. 15. Frid. Barb. Imp. 22. Ottoc. VI. March. Styr. 9.

Wormatienſi in conventu anni prioris bellum inſubricum contra urbes Italiæ fœderatas eſt decretum, attamen permiſſa integri biennii mora, quæ adornandæ expeditioni impenderetur: tantum moræ cum datum eſſet, Henricus Leo Saxonum, Bojorumque Dux interea Palæſtinam luſtrare ſtatuit, ſelecta 500. equitum caterva Hierosolymam feliciter hoc anno attigit; Ottocarus noſter decennis & Henrici Leonis ex Sophia amita nepos an adfuerit expeditioni, ſeu itineri Jeroſolymitano? Puſchius Chronol. Duc. Styr. part. 2. fol. 65. ſui oblitus affirmat, quod tamen part. 1. ejusdem Chronol. fol. 370. contra Arnoldum Lubecenſem negat, ego tum ob ætatem Ottocari tenellam, tum ob Diplomata Ottocari hoc anno in Styria edita, uti 15. Kal. April. Leobii, & Kapfenbergii, eundem extra Patriam non migraſſe opinor; etenim ut ex Dipl. Seccov. 20. inter mea num. 48. con-

Ottoc. VI. an itineri Jeroſol. præſens.

Leobii & Kapfenberg. exiſtit.

conſtat, Ottocarus noſter 15. Kal. Febr. die Dominica in *Leuben foro* fuit, ibique Seccovienſi Canoniæ, ejusque territorio jurisdictionem civilem, & Cœnobio immunitatem a teloneis contulit, titulus Ducis adjectus, & Indictio 5. erronee poſita eſt, ut in annot. hujus Dipl. oſtendam, nec minus Monaſterii S. Lamberti res promovit Ottocarus eodem hoc anno, ut oſtendit Frælichius in Archont. Carinth. part. 2. fol. 191. Diploma hoc, cum aliis nondum editum, communicavit mihi Vir clar. pl. Rev. ac Religioſiſſ. P. Erneſtus Saringer, ejusdem celeber. Monaſterii p. t. Prior meritiſſimus, quod inter mea num. 87. adferam cum annotat. debitis, notificat vero eo in Diplom. Ottocarus, *Gotfridum de Dirnſtein*, prædium ſuum *Piſſich*, cum adjacente alpe & omni utilitate tradidiſſe Eccleſiæ S. Lamberti, pro reſtitutione præcipue damni, quod per occaſionem advocatiæ eidem Eccleſiæ intulerat, dum caſtrum *Witteſpach* in prædio Eccleſiæ S. Lamberti contra omnem juſtitiam ædificaret. Forſitan vero idem Gotfridus damni quidpiam Seccovienſibus attulit, voluit enim de eodem prædio *XL. marcas Seccovienſibus fratribus dari;* quoniam autem prima prædii hujus delegatio hæreditario jure ad manus cujusdam nobilis viri *Counradi de Chindeberch* devoluta eſt, in præſentia Abbatis & fratrum S. Lamberti, ac in præſentia Ottocari Marchionis ea delegatio Eccleſiæ S. Lamberti eſt facta, & quidem *juxta Eccleſiam S. Martini ſub caſtro Kapfenberg.*

Seccov. res. *S. Lamberti res.* *Godfridus de Dirnſtein Advoc. Eccl. S. Lamb.* *Witteſpach prædium Styriæ.* *Chindeberch de Chounrad.*

Diplomati huic demendum eſt X, ut fiat annus MCLXXIII. nam titulus Marchionis Ottocaro anno 1183. non competeret, jam 4tum in annum Duci, pl. in annot. ejusd. Diplom. & an. 1183.

Eodem tamen hoc anno, gravis perſecutio in Adalbertum Salzb. mota eſt a Friderico Imp. narrat eam codex antiquus Bibſioth. Vorav. quod nempe Cæſar occaſione capta, quod Uladislaus Pater Adalberti Salzb. Rex Bohemiæ ſenio gravis, Fridericum filium absque conſenſu Imperatoris Regem ſibi ſubſtituerit, hinc Imperator filium cum Patre, loco & dignitate movit, regnumque ad Sobeslaum quendam ipſorum conſanguineum transtulit, ita codex cit. & Chron. MS. Clauſtroneob. apud authorem Germ. Sacr. tom. 2. fol. 289. Inde tamen Imperator ſibi timuit ob Henricum Auſtriæ Ducem, cui proin, ſi quid pro Adalberto tentaret, illico Bohemos ſubmitteret, Ottocarum præterea noſtrum, vel potius tutores ejus eo impulit, ut arma Auſtriæ inferret, ut an. 1175. dicetur, nec Hermannum Carinthiæ Ducem incitare omiſit, qui filiam Sobeslai Bohemiæ Ducis nuper intruſi, Mariam Conjugem habebat, atque his ſub dolis annus effluebat Friderico, cum ſeq. jam in Adalbertum aperto marte pugnaret.

Adalbert. Salzb. res & fata. *Hermann. Dux Carinth.*

Udalricus II. Aquil. Patriacha & Metropolita diſtrictus Gonovicenſ. Seizenſibus Eremitis hoc an. beneficus fuit, etenim, ut Dipl. Seizenſ. 2. in Dipl. Duc. Styr. part. 2. fol. 60. habet, idem Patriacha, ac *ſedis Apoſt. Legatus*, ut ſe ſcribit, vineas, campos, & proprietatem omnem, quam plebs de Gonovitz apud Seize habuerat, concambio ab eadem plebe obtinuit cum conſenſu Sigehardi plebani Gonovizenſis, in pleno capitulo apud Obremberg, nunc Oberburch habito, eamque omnem proprietatem cum illa Eccleſiæ S. Joannis de Savinæ Seizenſibus donavit &c. plebi vero de Gonovitz decimas 15. manſuum in loco Ainoth reliquit.

Udalricus Aquil. Patr. Seiz. benef. *Sigehardus plebau. in Gonovitz*

Oberuburg *Ab. O.S. B. Engelb. Joannes I. Prior II. Seiz.*

Inter teſtes citatur *Engelbrechtus de* Obremberg ſeu Oberburg Monaſterii ord. S. Bened. præterea citatur *Joannes prior ejusdem Eccleſiæ S. Joannis*, ſeu Seizenſis, unde patet nobis ſecundus Prior Seizenſis, *vir valde religioſus, qui patres extrema fere inopia laborantes, induſtria ſua, & exemplo ſublevavit*, ut habet Catal. Priorum Seizenſ. in Diplom. Styriæ.

Beremundus Prior I. dein Ep. Siſtaric.

Aſt an Beremundus Prior I. obiit? idem Catalogus habet, eum rediiſſe non ſolum in Patriam, ſed etiam anno 1174. ad Epiſcopatum Siſtaricenſem promotum: qui enim Beremundus apud P. Joannem Columbi & Samarthanos an. 1174. electus dicitur, ibidem Epiſcopus, hic in Catal. Epiſcoporum ex ord. Carthuſ. aſſumptorum a Leone de Vaſeur olim collecto inter Carthuſianos numeratur.

Hoc in Diplomate Seizenſi varia notanda, & 1. quidem corrigenda eſt Indictio 4. & ponenda 6. vel 7. ut anno reſpondeat. 2. Id Diploma de Rubeis in monum. ſuis Aquilej. latuiſſe. 3. Inter teſtes Laicos citari *Gebhardum de Souneck*, & *Leupoldum de Hochene*, ſeu *Hocheneck*. Ex Souneckiis, quorum Genealogiam in Præfat. ſæc. 11. dedi, primus

Souneck de Gebhard. I.

omnino reperitur *Gebhardus de Souneck*, qui Starcandi, ſeu Popponis, aut Weringandi nepos fuiſſe videtur, pater hujus per ætatem eſſe potuiſſet, Starcandus junior an. 1160. citatus, documenta tamen id evincentia deſunt.

An. 1174.

ANNO 1174.

Indict. 7. Alex. III. P. 16. Frid. Barb. Imp. 23. Ottoc. VI. Styr. March. 10.

Frid. Imp. furor.

Uladislao emerito Regi Bohemiæ, cum nec in eo, quod fundaverat, Strahovienſi Cœnobio, ulla poſthac ſtatio ſupereſſet, aſſumpta conjuge, liberisque exul in Luſatiam receſſit, hocque anno 16. Kal. Febr. mœrore confectus obivit. Fridericus itaque Imperator impulſo ad tumulum parente, privato diademate filio Friderico, ut etiam Adalbertum Sacris ſpoliaret infulis, ad diem 7. Kal. Junii Ger-

Ratisbon. Com.

maniæ Principes ac Proceres Ratisbonam venire juſſit. Comparuere cæteri, excepto Friſingenſi Præſule, omnes ſuffraganei Salisburgenſes, comparuit, & ipſe Adalbertus teſte MS. cod. Voravienſ. & Chronic. Reicherſpergenſ. comparuit, & ejus avunculus Henricus

Henr. Ep. Gurc.

Dux Auſtriæ, Henricus Gurcenſis, & Richgerus Brixinenſis, Adalberto plurimum infenſi, datis quoque ad ſummum Pontif. litteris ſacra Tiara indignum pronuntiabant, eo commoti, quod Brixinenſem interdicente Archi-Præſule a Gurcenſi inauguratum probe noſſent.

Henric. Can. Berchtesgad. fit Archiep. Salzb. dein Ep. Brixin.

Pleno hoc in conſenſu Richgerus a Cæſare ſententiam rogatus, Adalbertum honore Pontificali indignum dixit, quem mox reliquorum vota, excepto ſolo Henrico Auſtriaco ſequebantur, lectis dein ſuffragiis, Henricus Can. Reg. in Berchtesgaden Præpoſitus vir cæteroquin clariſſimus, & dein Brixin. Epiſc. factus, pronuntiatus eſt Archi-Præſul Salzburgenſis. Dimiſſo dein ſenatu Cæſar ad bellum Inſubricum ſe accinxit, cum interim pars melior ex Prælatis, Adalberto au-

Erchenbald Can. Reicherſp. Capel. Adalb. Salzb.

thor fieret, cauſam ſuam Papæ deferendi, quorum tabulis inſtructum Erchenbaldum Can. Reg. Reicherſp. Capellanum ſuum clam ad Alex. III. Papam miſit. Hic tres epiſtolas ab Alex. III. Anagniæ 6. Id. Sept.

datas

datas ſecum deportans, ſub via obiit, ter in cauſa Adalberti Papam adiens, epiſtolas has ex Chronogr. Reicherſp. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 291. &c. adfert, easque poſt mortem Erchenbaldi Patriarcha Aquilej. fideliter in Germaniam transmiſit, quarum prima Adalberto, ſecunda Chunrado Mogunt. 3tia Sibotoni Præpoſ. & choro Salzb. Eccleſiæ inſcribitur.

Inter Prælatos, qui exauthorationem illegitimam Adalberti deteſtabantur, fuit etiam Leopoldus noſter Præp. Voravienſis, inde favores uberrimos promeritus, de quo ita loquitur Chroniſtes Vorav. *Non minore ſtudio conſideravit idem Archi-Præſul, quomodo hujus novæ Eccleſiæ evili, profuganda inopia rerum poſſit fieri augmentum laboris, ne oraminum inſtaret detrimentum. Quare melliflua manu inſuper in uſus fratrum Voravienſium legitima traditione præfato Præpoſito Leopoldo, ejusque ſucceſſoribus in perpetuum, infra terminos cujusdam terræ, quæ dicitur Luetenberga omnia Eccleſiaſtica & ſacerdotalia jura, portionem quoque decimarum, quæ de jure Salzeburgum contingit, incultis & colendis agris & paſcuis dedit, ac confirmavit, deſuper ſpeciale privilegium confecit, actum an. Incarn. Dom. MCLXXIIII. nonas* (adde ex *Dipl.* citando 2. *Non.*) *Decembris apud* Dirnſtain, *ut patet in libr. privileg. fol.* 9. autographum privilegium v. inter Dipl. mea num. 50. ex quo colligo 1. Adalbertum, cum privilegium hoc in Dirnſtain ediderit, in Auſtria apud avunculum ſuum fuiſſe commoratum. 2. Cum Voravienſibus præter decimas ſibi contingentes dediſſe etiam jura parochialia, ſeu *Eccleſiaſtica, & Sacerdotalia jura*, proin jus ſaltem conſtituendi plebanum, licet eam Parochiam collegio Vorav. non incorporaverit.

Leopold. Præp. Vorav. obtinet ab Adalb. Archi-Ep. Parochiam in Luetenberg.

Nobile pietatis monumentum Cartuſiam Gyrienſem in Styria inſ. erexit honoribus S. Mauritii Henricus Epiſc. Gurcenſis, ejusdemque glorioſi Martyris cranio donavit. Fundationis quidem litteræ in tabulario, & Diplomataria Styriæ non exſtant, adeſt tamen membrana Pontificis plumbo ſignata, quæ ad Cartuſianos Seizenſes data eſt, confirmatque Gyrienſe Cœnobium, ſine tamen anno adjecto, quam v. in Diplomat. Styr. part. 2. fol. 135. &c. quis primus Prior præfuerit? incognitum pariter, ante hunc annum vero datum eſſe hoc Diploma eruo ex eo, quod Henr. Gurc. hoc an. obiiſſe dicatur, ut mox pluribus. Varia fata hæc Cartuſia ſubiit, nam circa an. 1564. in Commendam data eſt Zachariæ Cardinali Delphino, aliisque an. 1589. Georgio Abbati Runenſi, tandem an. 1591. ab Erneſto Auſtriæ Seizenſe & Gyrienſe Monaſterium collegio S. J. Græcenſi attributum, hoc, eliberato Seizenſi manſit pro ſuſtentatione Alumnorum Seminarii Græcenſis, cujus adminiſtrationem Nicolaus Procurator Collegii ſub Emerico Rectore obivit. Seizenſis tamen Cartuſia ordini reſtituta eſt, Gyrienſe penes Convictum, Græcenſem S. J. manſit, unde Alumni Gyrienſes.

Gyrienſis Cartuſia in Styria erigitur ab Henr. Ep. Gurc.

Ejus Cartuſ. fata.

Gyrienſes Alumni Græcii.

Fundatione Gyrienſi abſoluta obiit Henr. Epiſc. Gurc. ita ad hunc annum habent Chron. Salisburg. & Admont. his verbis: *Henricus Ep. Gurc. obiit, cui Romanus Præp. ſucceſſit*, & auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 300. ex membrana veteris fragm. *Henrico ſucceſſit an.* 1174. *Romanus conſanguineus Romani ſuperioris Gurc. Epiſcopi, ipſe Gurc. Præpoſitus 3tius, vir magnæ induſtriæ, & magni conſilii electus a clero & populo confirmatus a D.*

Henr. Ep. Gurc. obit ſucc. Romanus Præpoſ.

Ab Udalr. Aquil. consecratus. *Alexandro Papa, & ejus mandato cum compatientia D. Alberti consecratus est a D. Patriarcha Walrico, eo quod gravissima tunc persecutione laboraverit Archi-Episcopus.*

Leopoldi Austr. nuptiæ. Leopoldum Austriacum, Henrici Ducis filium, hoc anno Helenam sororem Regis Avarorum, uxorem duxisse tradunt varia Chron. Mellic. Claustroneob. aliaque, ex quo dein matrimonio prodiit sponsa

Chunegund. filia sponsa Ottoc. VI. Chunegundes Ottocari VI. de quo v. pl. Diss. 4. cap. 7. §. 6. 7. 8.

Seccov. res & Ottoc. VI. Ottocarus vero noster hoc denuo anno Seccovienſibus munificus erat, dato enim Diplomate inter Seccov. num. 21. inter mea num. 49. plura latifundia contulit Ecclesiæ Seccovienſi, nimirum ſylvam gregibus alendis aptam & curiam pascualem in *Worvviz*, ſylva vero illa vocabatur *Trigole*, ſeu *Wacherſperg*, dein ejus terminos describi juſſit

Mureck de Reginbert. per procuratorem ſuum *Reginbertum de Mürecke*, varia alia adjicit, terminosque ejus describit, quæ in annot. meis vide.

Ottoc. VI. Græcii existit. *Actum* est *in foro Graece in Ecclesia S. Egidii*, nunc aulica & PP. S. J. inter testes Chunradus Mogunt. Archiep. qui, quo negotio Græcium venerit, compertum non habemus. Id hic noto, cum in Diplom. confirm. Alex. III. an. 1171. plurima hæc loca jam inserta legantur, privata horum locorum donatio antea facta, hoc vero anno in tabulas publicas ab Ottocaro fuerit redacta 13. Kal. Martii.

S. Lambert. Monast. favet Frid. Imp. Nec minus Fridericus Aug. licet arcem Romanam impugnaret, munificentiam in Monasteria posuit, exstat enim in tabulario Cœnobii S Lamberti, charta Frider. I. Aug. qua firmat privilegia Cœnobii Benedictini ad S. Lambertum, Ratisbonæ 2. Nonas Julii. Inde vero exercitum ſuum in Italiam traduxit, atque Alexandriam irrito labore totam hyemem cinctam tenuit.

ANNO 1175.

An. 1175.

Indict. 8. Alex. III. P. 17. Frid. Barb. Imp. 24. Ottoc. VI. Styr. Mar. 11.

Vix vernum hujus anni tempus illuxit, cum Alexandriæ constantia, animatæ plures Insubriæ urbes, infestis castra Cæsarea signis, a-

Frider. res. doriri decreverunt. Fridericus itaque obsidione Alexandriæ soluta eis obviam pugnaturus processit, victor factus, cum exercitum dimitteret, arreptis denuo armis negarunt Longobardi sibi pacem fore, ni pariter Alexandrini in gratiam reciperentur. His in angustiis evocat Cæsar Henricum Sax. & Bajoar. Ducem, qui tamen, cum Goslariam petitam non obtineret, cum exercitu rediit, Cæsaremque Papiæ mœnibus salutem concedere fecit.

Henrici Pseudo-Archiep. Salisb. res. Chunradus Mogunt. Apost. sedis Legatus absente in Italia Cæsare eo laboraverat, ut Henricus Berchtesgad. occupatam inique Cathedram Adalberto cederet, hic igitur lecto agmine, ipso hyemis rigore Salisburgum repente invasit, sed ab Henrico in fugam actus ad vicinam se Carinthiam recepit, alternis dein spoliis inter utrumque certatum est, quam rem Puschius Chronol. Sacr. Duc. Styriæ p. 1. fol. 377. suspicatur, causam dedisse bello illi, quod inter Austriæ, Carinthiæ Duces, ac Ottocarum nostrum intercessit.

De hoc bello juvat audire Chron. varia, & quidem Clauſtroneob. MS. ait: *Henricus Dux Auſtriæ a Bohemo, Ungaroque, nec non a Styrienſibus, multis laceſſitur injuriis. Auſtria, Carinthia, Bavaria, præda & incendio vaſtantur, ita, ut miniſteriales Styriæ Marchionis nec ab Eccleſia, in qua fere 300. homines igne conſumpti ſunt, manus continerent.* Annales ſteronis ita loquuntur, *Duces Auſtriæ* (nempe Henr. Pater cum Leopoldo, & Henrico filiis) *& Karintbiæ, nec non Marchio Styriæ prædas & incendia invicem exagitant, inter quæ Eccleſia S. Viti cum 300. hominibus arſit.* Suſpicor etiam S. Viti in Carinthia oppidum exuſtum ſimul fuiſſe, Chron. Haſelbachii plura, quam cit. Chron. Clauſtron. ſteronis & Admont. refert his verbis: *Item Henricus Dux pluribus minis a Bohemorum Duce pro terminis, & ab Ungaro pro fratre ſuo puero, quem ipſe egreſſum de Ungaria, Ductore Laurentio quodam Comite ad tempus ſervaverat, contra voluntatem Regis ſollicitatur; Styrienſium quoque multis laceſſitur injuriis, unde indignati miniſteriales Ducis Auſtriæ, civitatem Viſcba & illi continua, præda & incendio redegerunt in ſollitudinem, fideles etiam Duces Anaſim civitatem Marchionis Styriæ olim, & circumjacentia incendiis vaſtaverunt circa an. Dom.* 1175. Suſpicabar Diſſert. 4. cap. 7. §. 2. cauſam belli ab Ottocaro VI. ſuſcepti fuiſſe, quod Ottocarus cum Henrico Auſtriaco pro Adalberto Salzb. contra Henricum invaſorem arma ſtrinxerit, ſed inſpectis his aliisque textibus, vix id cauſæ amplius opinor, cur enim a Styrenſibus Auſtria vaſtaretur, & ab Auſtriacis Styriæ loca? ſi juncti armis fuiſſent Auſtriaci & Styri? ſane initium belli a Bohemis datum videtur, uti enim an. 1173. Imperator depoſito Uladislao Rege Bohemiæ, Zobeslaum ſubſtituit; præterea an. 1174. oſtenſum Henricum Auſtrium exauthorationi Adalberti fere unum reſtitiſſe, res ea bilem Friderico moverit, ut Zobeslaum in Auſtriam mitteret, cui, cum Hermannus Dux Carinthiæ, qui filiam Sobeslai uxorem habuit, ſuppetias ferret, etiam Ottocarus, vel potius ejus tutores ac Miniſteriales incitati fuerint, ut cum iisdem Auſtriam vaſtarent, ita ſane author incertus Chron. Auſtriaci non in Ottocarum, ſed Miniſteriales ejus culpam confert, cum Clauſtroneoburg. Admont. Haſelbachii Chronico his verbis: *Dux Bohemiæ Zobezlaus & Miniſteriales Marchionis de Styria, cum ipſo Domino ſuo Ottocaro adhuc puero, contra Ducem Auſtriæ Henricum conſpirant, & conjurati Bohemorum fiunt.* Ipſe certe Ottocarus in privileg. Monaſt. Traunkirch. dato an. 1191. fatetur, *ſe adhuc ſub Prædogogo poſitum, iniquis conſiliariis fuiſſe ſeductum.* Ex quo conjicio fidelitatem Miniſtrorum ſub Ottocaro adhuc puero ſatis vacillaſſe. Chunegundes certe vel monialis jam Admontina facta eſt, vel iniquis conſiliis obviare non potuit.

Ottoc. VI. bell. Styr. & Carses

Viſcba civ. Auſt. & Aniſia exuſta.

Henric. Dux Auſtr. Adalbert. Salzb. favet.

Res Glunicenſium denuo hiſtoriam Styriæ obſcuram reddere videntur, etenim hoc anno Marquardus I. Abbas II. Glunicenſ. obtinuiſſe dicitur *a Leopoldo Duce Auſtriæ, & Styriæ* privilegium, vi cujus Monaſterium ſuum ab omnibus advocatis liberaretur, v. Hieron. Pez tom. 2. col. 329. ſimiles litteras Garſtenſes & Glunicenſes de anno 1177. & 1178. de Leopoldo Duce Auſtriæ, ac Styriæ adfert Prevenhueb. ac in codice Diplom. Pezii Bernardi parte 2. pag. 44. reperitur ſimile de an. 1188. ſed in hiſce errorem intercurriſſe plura

Leopold. Auſt. an jam Dux Styr.

manifeſtant præter ea, quæ Diſſert. 4. cap. 7. §. 3. dixi. Nam 1. Styria nondum Ducatus erat. 2. Hoc anno Leopoldus nondum Dux Auſtriæ fuit, cum Pater Henrici primo anno 1177. obierit. 3. Contradicunt reliqua Diplom. tum Auſtriæ tum Styriæ, ut adeo cenſeam tranſcribentem confuſione quadam abreptum, voculas *& Styriæ* mero errore in chartam illeviſſe, cum antecedens & ſubſequens ejusdem Leopoldi Diploma, eum ſolum Ducem Auſtriæ nominet. V. plura Diſſert. 4. cit. §. 9.

An. 1176.

ANNO 1176.

Ind. 9. Alex. III. P. 18. Frid. Barb. Imp. 25. Ottoc VI. Styr. March. 12.

Ottoc. VI. Alex. III. P. adhæret.

Ejus legatum in Styriam pro conc. invitat.

Adalbertus accuſatus abſolvit.

Marchionem noſtrum Ottocarum, iniquis forſitan conſiliariis ſeductum, non ſolum pacem cum Henrico Auſtriaco redintegraſſe, ſed etiam Alex. III. Papæ fideliter adhæſiſſe, acta hujus anni comprobant, cum enim ad diſcutiendam Adalberti Salzburg. cauſam, Alex. III. Papa Gualterum Albanenſem Epiſcopum ſedis Apoſt. per Hung. legatum dimitteret, cum Conrado Mogunt. cauſam Adalberti inquiſiturum, nemo Principum præter Ottocarum noſtrum datis ad Gualterum litteris, opem, viresque eſt pollicitus. His vero promiſſis licet legatus ob teneram nimis Ottocari ætatem diffideret, Ottocarus tamen, qua ſit origine natus, ſatis ſuperque oſtendit. Eo in conventu, auditis omnium partibus Adalbertus abſolutus Simoniæ, aliorumque objectorum, adverſarii ejus damnati, ut v. Chronogr. Reicherſp. & Alban. Epiſc. Gualteri epiſtolam ad Alex. III. Papam apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 293. &c. Ea in epiſtola notandum *1mo:* Ottocarum legato huic ſcripſiſſe, ita enim refert epiſtola: *Ubi litteras Domini Chunradi Mogunt. Archi-Epiſcopi, & Marchionis Styrenſis recepimus, ſecuritatem & conductum verbis tantum, non alia nobis certitudine promittentium - - - bis & aliis litteris - - - percepimus, quod non erat nobis tutum Teutonicum regnum intrare, præſertim cum prædictus Marchio, qui nos conducere pollicebatur, puer ſit annorum* 13. *2do:* Conventum illum *Guerini*, ſeu *Faurini* habitum. *3tio:* Quamvis ex noſtris pauci conventui adfuiſſent, tamen ut ait cit. epiſt. & *Dominus Aquilejenſis* Udalricus, & *Epiſcopus Gurc.* Romanus II. *atque Abbas Admuntenſis*, Irimbertus, *pro jam dicto Archiep. nobis ſcripſerunt, & Præpoſitus majoris Eccleſiæ Salzburg.* Siboto, *& Abbas de S. Petro* Henricus *pro ſe teſtes idoneos ad nos deſtinaverunt*, hi quinam fuerint? non conſtat.

Udalr. Patr. Aq. Rom. Ep. Gurc. Irimb. Ab. Adm. Sibot Præpoſ. Salzb.

Frid. Imp. victus in Italia.

Pax Eccl.

Fridericus interea Imp. cum Longobardis conflixit initio ſat felix, ſed tandem caſtris ipſis ejectus, ipſeque ex equo prolapſus ita, ut plerique crederent eum peremptum, dein tamen Papiam fuga cum paucis cohortibus evaſit, atque hæc clades Auguſto mitiores animos, Eccleſiæ veterem tranquillitatem reddidit, nam plerique Principes aſſeverabant, ſe caſtra poſthac non ſecuturos, ſi Romanam Cathedram impugnare voluerit. Acquievit Fridericus, miſitque Moguntinum, Magdeburg. & Wormatienſem Epiſcopos Anagniam ad Alex. III. qui pronos ad pacem animos nuntiarent. Dies 15. ea deliberatio tenuit,

pacta

pacta arcani fide obſignata, donec Imp. & Papa convenirent, promulgataque mox armorum quies & plena inter utramque aulam concordia.

Auſtria tamen poſt hanc pacem promulgatam, a Bohemis, Ungaris, Polonis ac Saxonibus a ſeptentrionali parte, ad Danubium uſque vaſtata, Styri, cum non memorentur, diſſidia jam poſuerint. Refert Balbinus epiton. rer. Bohem. lib. 3. cap. 12. pag. 244. Sobieslao militaſſe *Wilhelmum Comitem de Kaunitz*, in Auſtria Barbarum in morem, nil ſacra a profanis diſcernendo, Cœnobia & templa incendiſſe, ipſamque Viennam cœpiſſe, ad mœnium diſſolutionem; dein religione tactum Romam abiiſſe, ac Cœnobium condere juſſum fuiſſe. Atque hæc dicitur origo Parthenonis Præmonſtrat. in Kaunitz juxta vetus fragmentum; vaſtationem Auſtriæ ad hunc annum breviter inſinuat Chron. Mellicenſe, Salisb. & Anonymi Leobienſ. nec futuro anno quies adhuc ab armis erat, ut ſuo loco dicetur.

Auſtriæ bellum.

Kauniz de Com. Wilhelm.

Viennam obſidet Monaſter. Præmonſtr. Kauniz.

In Carinthia arcis Dietrichſteiniæ, cujus jam memini ſæpius, non modici fructus acceſſere Bamberg. Eccleſiæ, etenim Hermannus II. Epiſc. Bamberg. Hermannum Carinthiæ Ducem conſtituit Advocatum bonorum in Carinthia, eique tutelam arcis hujus & S. Viti confert: titulus Diplom. eſt, *fideli & amico noſtro Hermanno Duci Carinthiæ*, v. Ludewig. ſcript. rer. Bamberg. tom. 2. p. 1127. annus adjectus 1166. vitioſus eſt ob annum regni Friderici 1. Barb. 24. Imperii 22. Bona Bambergenſia in Carinthia a paucis annis aula noſtra Cæſarea titulo emptionis obtinuit, quæ proin poſthac ſemper notanda erunt.

Dietrichſt. arx Carinth. juris Bamb.

ANNO 1177. *An. 1177.*

Indict. 10. *Alex. III. P.* 19. *Frid. Barb. Imp.* 26. *Ottoc. VI. Mar. Styr.* 13.

Venetiis hoc anno menſe Julio conventus celeberrimus factus eſt, in quo Cæſar cum Papa conciliatus 9. Kal. Aug. *Dominus quoque Adalbertus Salzburg. Archiep. vocatus per litteras Apoſtolicas venit illuc*, teſte Chron. Reicherſp. in eo conventu, cum Cæſar Chriſtianum Moguntinum Pſeudo-Epiſcopum deſtitui nollet, Papa vero & Cæſar Conradum Mogunt. promotum cuperent, inventum eſt medium, ut Adalbertus, quem Cæſar abhorrebat, amore pacis cederet, quamvis ab impactis ſibi criminibus, anno priori ſatis purgatus eſſet, quod ipſum inſinuat Alex. Papa in ſua ad chorum Salzburg. Eccleſiæ deſuper data epiſtola; ſimiliter Frider. Imp. peculiari Diplomate ſcripſit, *dilectis ſuis omnibus Prælatis & Miniſterialibus Salzburg. Eccleſiæ & univerſo clero, & populo ipſius Eccleſiæ per Carinthiam & Marchiam* (Styriæ nempe) *conſtitutis* utramque epiſtolam ex Chronic. Reicherſperg. adſert auth. German. Sacræ tom. 2. fol. 295. &c. Cæſar certo in ſua hac epiſtola, veteres ſuos erga Carinthiæ, Styriæque Prælatos iras ſic exprimit, ut hoc ipſo invictam illorum conſtantiam, qua legitimis archymiſtis adhæſerant, egregrie dilaudet.

Pax Eccleſiæ firmatur Venetiis.

Adalbert. Salzb. pacis amore ced.

Styria nomine Marchiæ venit.

Adalbertus itaque Paſtor in Bohemiam ſimul exul abiit ad Præpoſituram ſuam Mielnizenſem, ibique uſque ad an. 1183. hæſit, quo revocatus denuo eſt, *Chunradus* vero III. *Prælatis, a quibus electus fuerat, ſeſe comitantibus Salzburgenſis Eccleſiæ Provinciam ingreſſus, & apud Fri-*

Adalbert. Salzb. exul.

Conrad. III. Archiep. Salz.

ſacum

Irimbert. Abb. 10. Admont. obit.

ſucum conventu Prælatorum, & Miniſterialium Eccleſiæ ſolemniter ſuſceptus eſt, ibi Admontenſium cauſa eſt exanimata; obierat Irimbertus Abbas 10. Admontenſis hoc anno, ut habent Chron. Admont. & excerpta ex vet. Chron. Garſt. vel (ſi cum Catal. Abbat. Admont. in Diplom. Duc. Styr. & Necrol. Admont. 7. *Kal. Jan.* ſeu dies 25. Dec. ſtatuatur dies obitus) an. 1176. a quo tamen annum inchoabant veteres.

Ejus ſcripta.

Vir erat egregius, ut hactenus dictum, relinquens præclara ſui ingenii monumenta, nempe commentarios in 4. libros Regum, Joſue, Judicum, Ruth, & in ſelecta loca Cantici Canticorum, ac libellum de 10. oneribus, qui tamen non Irimberti, ſed Godefridi fuiſſe videtur, ut v. Bernard. Pez Diſſert. Iſagogica in tom. 2. Theſaur. anecdot. noviſſ. a pag. 11. ad 17. & part. 1. a p. 370. ad 500.

Succeſſit Abb. S. Lamberti anon. fors Wernhero Abb. 11.

De ſucceſſore lis magna agitur Chron. Admont. hoc an. mox Rudolphum electum ait vet. Chron. Garſt. an. ſeq. Catal. Abb. Admont. Anonymum Abbatem S. Lamberti an. 1178. ſuffectum & dein Rudolphum primo ſucceſſiſſe, ait enim in poſtulationem Abbatis San-Lambertini non conſenſiſſe Papam Venetiis tum agentem. Horum conciliatio ſic fieri poſſet, Irembertus obiit 25. Dec. ex Necrol. Admont. an. 1176. ſed cum veteres ab eo die annum inchoaverint, obiiſſe refertur an. 1177. unde poſtulatus eſt Abbas S. Lamberti Anonymus an. 1177., quo Venetiis egit Alexander III. Papa, qui, cum poſtulationem hanc caſſaſſet, unanimi ſuffragio eod. hoc anno electus eſt Rudolphus II. alienigena ex longinqua regione adveniens, piiſſimæ converſationis, ſed ad negotia minus aptus.

Rejectus a Pap.

Succ. Rudolph. II. Abb. 12.

Rejectus a Conrado III. Salzb.

Hunc Rudolphum unanimi ſuffragio electum, Admontenſes Friſacum ad Conradum III. Archiep. Salzb. pro confirmatione adduxerunt, aſt cum Rudolphus ab Hermanno Conſtant. Ep. Sacerdotii gradum accepiſſet, atque tam in interiorum, quam exteriorum adminiſtratione minus ſufficientem, ex relatione Congreg. Admont. ſeniorum & meliorum agnoviſſet, *extorſit a Domino Rudolpho Admunt. electo* Cunradus, *ut electioni ſuæ renuntiaret*, inquit Chron. Admont. *Iſenricum Biburgenſem Abbatem Chunradus Archiep. Admuntenſi Eccleſiæ præfecit*, quod omnino an. ſeq. factum videtur, Iſenricus hic profeſſus erat Admont. poſt Rabanum an. 1169. Prior, ac eodem an. Abbas Biburg. poſtulatus.

Succ. Iſenricus Ab. 13. Admont.

Abbas ille S. Lamberti poſtulatus in Admont. cujus nominis fuerit? nullibi exprimitur, anno 1170. ex Dipl. Frid. I. Bernherus Abbas S. Lamberti fuiſſe reperitur.

Styria interim noſtra, licet unum Metropolitarum ſuorum dejectum doleret, vidit tamen alterum, ſtrenue pro pace Eccleſiæ laborare, ſummaque Imperatoris ac Papæ gratia perfrui, exſtant in codice Diplomatico-hiſtor-epiſtolari P. Bern. Pezii plures litteræ inter Udalricum Aquilej. & Frid. Imp. exaratæ, quarum fragmenta adfert de Rubeis cap. 64. narrat vero Romualdus Salernitanus de eodem Udalrico Patr. ſequentia, Venetiis in concordia Eccleſiæ & Imperii ſancita, cum *dicto Evangelio Papa aſcendiſſet pulpitum, ut alloqueretur populum, Imperator accedens propius, cœpit verba ejus attentius auſcultare. Cujus devotionem Papa diligenter attendens, verba, quæ ipſe latine proferebat, fecit per Patriarcham Aquilejæ in lingua Teutonica evidenter exponi.* Optime cum ſic de utroque

Udalr. Aquil. litteræ ad Frid. Imp.

Ponti-

Pontifice, & Imperatore meritus fuiſſet Udalricus, ſplendida etiam obtinuit ſedi ſuæ privilegia, nempe ab Alex. III. confirmationem 16. comprovinc. Epiſcoporum, Abbatiarum, Monaſteriorum ſubjectorum uſum pallii, crucis ante ſe ferendæ poteſtatem, & Comitatum, Marchiam ac Ducatum imperialibus privilegiis conceſſa, ut v. Rub. cit. *Aquil. Ec. priv.*

Eodem circiter hoc anno Hermanno Duci Carinthiæ idem Udalricus ſcripſerit his verbis initialibus, *dilecto fideli ſuo H. inclyto Duci Ka. cum ſincera dilectione ſalutem*, certiorem in ea reddit Ducem de benevolo in eundem affectu, epiſt. hanc refert Rubeis cit. pag. 624. Auſtriæ Duci Henrico avunculo Adalberti Salzburg. pax ea univerſalis nil profuiſſe videtur, etenim ei cum Bohemis tamdiu pugnandum erat, donec cadens cum equo in acie crure fracto, tertio dein die ex dolore obiret. Unde Leopoldus filius primogenitus terram patris *iterum ſuſcepit imperiali inveſtitura coram Principibus juxta Peſauriam in montanis ad caſtrum quoddam Candelare nomine præſente Patriarcha Udalrico Aquilejenſi, Archiep. Trevir. Arnoldo Epiſcopo Babenberg. Epiſcopo Patav. Diepold. & cæteris*, inquit auth. incert. Chron. Auſtr. apud Hier. Pez tom. 1. col. 562. Atque hic eſt Leopoldus VI. ob virtutum ſplendorem virtuoſus dictus, qui Ottoc. VI. ſine prole defuncto an. 1192 in Styriæ Ducatu ſucceſſit, natus erat an. 1157. Patre Henrico I. Duce Auſtriæ, Theodora Matre Aug. ſanguinis Græci hærede, an. 1173. gladio cinctus Viennæ, eod. vel certe ſeq. anno Helenam Geyſæ II. Regis Ungar. filiam, uxorem duxit. *Hermannus Dux Carinth.* *Henr. Dux Auſt. † ſucc. Leopold. filii. virtuoſus.*

Erat Leopoldo huic frater junior Henricus nomine an. 1158. natus una cum eo an. 1173. gladio accinctus, qui cum a morte patris caſtrum *Medlingam* habitaret, dictus eſt *Dux ſenior de Medlico* ad diſtinctionem filii cognominis Henrici Ducis junioris de Medlico. Idem ille Henricus ſenior Medlicenſis, ſi Arenpeckio fides, poſſedit ſub montanis caſtra Neudorff, Salenau, Dreskirchen, Walterſtorff, & Keiſersberg, tantaque apud Ottocarum VI. gratia valuiſſe fertur, ut ex ditionibus Auſtriacis ad Marchiones Styriæ nomine dotis olim devolutis, Gumpoldskirchen, aliaque loca obtineret, ut v. Diſſert. 4. cap. 7. §. 6. quod tamen alii contravertunt. *Henr. Dux Medlicenſ. ſenior.* *Ejus poſſeſſ.*

Quoniam Ottocari meminimus, hic idem Marchio ab Alex. III. Papa petiit, & impetravit confirmationem Garſtenſium, litteras Ottocari ad Alexandrum Papam ex Diplomatario Garſtenſi num. 12. vide inter mea Diplom. num. 51. Puſchius Chronol. S. Duc. Styriæ part. 1. fol. 352. ad an. 1162. has litteras retulit: opinatus ſimul Seizenſium colonias, & Garſtenſium confirmationem ab Ottocaro adhuc V. petitam fuiſſe, Frælichius tamen in Dipl. Garſt. num. 12. ad an. 1177. & Ottocarum VI. eas retulit litteras. Si vero contextus hujus epiſtolæ conſpiciatur, ea fere ad an. 1182. (quo tamen Alexander III. non amplius vixit) referenda videtur, etenim in hac epiſtola ait Ottocarus, *ſuos parentes ab Epiſcopatu Patavienſi a 60. fere annis Eccleſiam baptiſmalem conquiſiſſe cum omnibus ad ipſam pertinentibus, in cujus etiam area prædictum Cœnobium & conſtitutum & fundatum*: Garſtenſe Cœnobium fundatum, & primum Ottoc. III. cum Altmanno concambium factum eſt an. 1082. alterum concambium an. 1088. & tandem confirmatio pri- *Ottoc. VI. Papæ ſcribit pro confirm. Garſt.*

mi concambii poſt an. 1092. obtigit, ut v. Diplomata mea, num. 1. 2. 3. ſi jam 60. anni addantur annis prædictis, evenirent anni 1142. 1148. & 1152. quibus tamen Alex. III. non præfuit. Quapropter cum confirmatio concambii primi, facta ſit ſub Udalrico Epiſc. Patav. anno incerto, hic vero Eccleſiæ Patav. præfuerit ab anno 1092. ad an. 1121. ſupponi poſſet, eam Udalrici confirmationem factam circa an. 1115. ſicque adjectis 60. annis, eveniret annus 1175. v. annot. ad Diploma 51. inter mea. Summa cum laude meminit Ottocari noſtri Alex. III. Papa in litteris ſuis ad Seizenſes datis, quibus eos ſolatur, v. Diplom. 3. Seizenſe in Diplomat. Frælichii p. 2. fol. 61. &c. in iis enim ſic ſcribit: *Nos enim dilectum filium noſtrum, nobilem virum Otokarum Marchionem Styrenſem per noſtra ſcripta attente rogavimus, ut vos propenſius diligat, manuteneat, & honoret.* Litteræ hæ Alex. III. ad Ottocarum hactenus mihi non occurrebant, ſcripſiſſe tamen eidem Alexandrum ex his ſat manifeſte conſpicitur.

Ejus laus ab Alex. III. Papa.

An. 1178.

ANNO 1178.

Indict. 11. *Alex. III. P.* 20. *Frid. Barb. Imp.* 27. *Ottoc. VI. Styr. Mar.* 14.

Synodus Salzb. in Hochenau.

Hoc an. *Synodus valde celebris habita eſt in Kal. Februarii a Domino Chunrado Salzb. Archiep. & Apoſt. ſedis Legato, & ab omnibus ſuffraganeis ejus Epiſcopis, multisque Principibus de rebus Eccleſiaſticis, habita eſt autem in Epiſcopatu Salisburgenſi in loco, qui* Hochenau *dicitur.* Ita Chron. Reicherſperg. actum in ea videtur de reparandis Eccleſiæ juribus per ſchiſma 17. annorum valde labefactatis, Adlzreiterus ait, ejuratum Callixtum Pſeudo-Papam, ſchiſma abjectum, ac forte Richero Brixinenſi Adalberti Archiep. proditori perſuaſum, ut ſedem ſuam reſignaret, quod etiam fecit ſecedens in hoſpitale in inſula S. Crucis a ſe erectum ibique defunctus 2. Junii hujus anni, cui proin defuncto Henricus Berchtesg & electus Salzburg. ſucceſſit, ut docet MS. Chron. Clauſtron.

Richerus Epiſc. Brixin. reſig. ſuc. Henricus Berchtesg. elect. Salzb.

Mahrburch de Com. Richerus. an prim. Styriæ Prætor.

Marchburg de Com. Udalr. & Bernard.

MS. Chron. Styriæ part. 1. fol. mihi 234. ſcribit, *Richardum Comitem de Mahrburg*, primum Styriæ Prætorem ſeu Capitaneum fuiſſe, eumque hoc anno, varias inter virtutes humilitatis præcipue, obiviſſe. Eundem hunc *Richerum & Udalricum* Comites de Mahrburg, uti & *Bernardum* adducit Lazius fol. 179. catalogo huic Capitaneorum Styriæ fidem ſuam intactam relinquo. Id tamen nego, Richerum de Mahrburg hoc anno obiiſſe, etenim in Diplom. inter mea num. 53. anno 1180. circiter & Dipl. 54. an. 1181. imo 1188. in Dipl. Admontenſi inter mea num. 72. adhuc vivus, & inter teſtes reperitur, quamvis hiſce, aliisque in locis, ſine adjecto Prætoris vel Capitanei, ſolum citetur: *Richer de Mahrburg*, *Udalricus* ſimiliter *de Mahrburg* citatur in Dipl. Admont. inter mea num. 69. ſed ſemper his ſub terminis *Heinricus de S. Margaretha, & filius ejus Ulricus puer de Marchpurg*, ſed de his plura in annot. ad Diplom. mea in fine.

De S. Margareta Henr.

Leopoldus Auſt. Morav. abit, & Olmiz obſidet.

Leopoldus Dux Auſtriæ *ulturus injuriam Patris manu forti Moraviam intravit, & civitatem Olomuz obſedit, viciniam totam incendio & prædis vaſtavit*, ita auth. incert. Chron. Auſtr. apud Hier. Pez tom. 1. fol. 563. hujus occaſione putat Annal. Zwetlenſ. tom. part. 202. Leopoldum

dum Zwetlam veniſſe, & 300. talenta argenti puri Monaſterio a fundatore *Hadmaro I. Chunring.* donata, mutua accepiſſe. Virtus porro Ducis hujus Alex. III. P. non latuit, unde eum arbitrum delegit, litis inter Monaſteria Mellic. & S. Crucis ſuper decimis Grangiarum in Trumau & Talern, & vineis fratrum S. Crucis in parochiis Medliche & Draeskirchen: ut v. Auſtriam ex Archiv. Mellic. illuſtratam p. 10.

Cunring. de Hadmar. I. fund. Zwetl.

ANNO 1179.

An. 1179.

Indict. 12 *Alex. III. P.* 21. *Frid. Barb. Imp.* 28. *Ottoc. VI. Styr. M.* 15.

Synodus Romæ celebrata eſt ſexcentorum & ultra Epiſcoporum ex Ital. Germ. Gallia, dicta Later. 3. in qua depoſiti Argentinenſis & Baſileenſ. Epiſcopi a ſchiſmatico conſecrati &c. Seſſionibus 3. editi Canones 27. inter præſentes leguntur: *Conradus Salzburg. Arbhiep. Cono Ratisbon. & Theoboldus Patav.* Conradus ſane ipſe inſignes favores hoc in Conc. ab Alex. III. obtinuit, inter quæ, quod Gurcenſis Epiſcopatus ſedi Salzb. confirmatus denuo fuerit, non obſtante, quod ſchiſmatis tempore Romanus Gurcenſis authoritate Apoſt. permiſſus fuerit eligi a Clero & populo. Bullam Alex. adfert auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 299. &c. Contigit vero mox Bullam hanc executioni dari, etenim obierat Romanus II. Gurc. Epiſc. Gurcenſes inde *Hermannum Ortenburgium* elegere, quem tamen Conradus Archiep. rejecit, & *Dietricum de Colniz* Præpoſ. Gurcenſem Epiſcopum nuncupavit. Res delata eſt armis, etenim Hermannus Ortenburgicus, Archi-Diaconus antea, Strasburgum, Gurcenſium, & cognatorum ſuorum ope occupavit, Conradus mox idem caſtrum obſedit, ſed mediante quodam conſilio 3. Kal. Dec. ſoluta eſt obſidio, ac 2. Febr. Dietricus Epiſcopus conſecratus, nec quies adhuc ab armis erat, nam 3. Nonas Julii Dietricus & Conradus idem caſtrum denuo obſederunt: contigit vero interea, ut Cardin. Petrus de bono Legatus Alex. Papæ veniens ad eandem obſidionem in præſentia D. Ottonis Babenberg. & Henrici Brixin. Epiſc. & Principum variorum Ducis Carinthiæ &c. litem omnem ſuſtulerit, nam D. Hermannus juri ſuo renunciavit, & incremata urbe 2. Kal. Sept. ſoluta eſt obſidio ſecunda. Inter arbitros litis Aventinus etiam Ottocarum noſtrum nominat, ſeu Odagrium Marchionem Styrenſem, quod ejusdem fidei, cum alia deſint, committo, ſane inter arbitros litis in ſententia dicta apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. p. 301. Ottocarus non memoratur, immo ex noſtris ſolus *Iſenricus Abbas de Admonte.* Certius iſtud, Ottocarum noſtrum, ad tollendos abuſus Advocatiæ Monaſterii Cremifan. novas ſtatuiſſe leges, devictum precibus Udalrici Abbatis & fratrum. Diplom. hoc exſtat in Annal. Retenbacheri Cremifan. lib. 2. eo vero in Diplom. ita ait Ottocarus: *Ego Odoakarius tertius Dei gratia Styrenſis Marbio*, nempe ut Differt. 4. cap. 4. §. dixi Marchio tertius Styriæ, magnum in modum ſub Leopoldo avo ampliatæ per marcam Carentaniæ, v. ib. cap. 5. §. 4. De eod. Ottoc. refert catalogus Abb. Cremifan. Bern. Norici. *Item Ottocarus Marchio de Styra, qui dedit vineam in Wirthizing, deputavit cun-*

Later. 3. Conc.

Gurc. ſedes confirmata Salz. Ec.

Roman. II. Gurc. Ep. & ſuc. Dietericus de Colnitz Ortenburg de Herman. rejecto.

Ottoc. VI. ren.

Iſenricus Ab. Admont.

Ottoc. VI. in Cremif. liberalis.

cta jura ſub advocatis ſuis an. Dom. MCLXXIX. Eodem hoc anno Ru-
Et in Run. nenſium favores promovit Ottocarus noſter, etenim donationem Hen-
Schala de Henr. rici & Sigenhardi Comitum de Schala eidem Ciſtercio factam ratam
Sigehard. habuit, ut v. Diplom. Run. 11. inter mea num. 52. hoc in Diplomate ait Ottocarus *Hainricum & Sigehardum Comites de Schala carne pariter & affectu fratres, nobiliſſimæ proſapiæ, ſibi quoque ſanguine proximos* fuiſſe, de quibus plura in annot.

Admont. protegit Leopoldus. Admontenſibus privilegium dedit Leopoldus Dux Auſtriæ, quo confirmat privilegium Patris ſui Henrici, ut ſub Advocatis ad nullam penitus præſtationem teneantur. Chartam hanc, licet non offenderim hactenus, allegat tamen, ac confirmat Frider. I. Imp. an. 1184. apud Bern. Pezium Anecd. 3. part. 3. in cod. Dipl. Admont. col. 687. & ad hos circiter annos pertinebit.

Aniſiæ ordinat Diepold Pat. *In civitate Anaſi* adhuc Styriæ noſtræ portione, *ſub Wernhero Præp. Nivvenburgenſes a Domino Diepoldo Patav. Ep. conſecrati ſunt*, teſte Chron. Clauſtroneob. ab Anonymo Leob. id quod pluribus annis non factum, cum Canonici Clauſtroneob. ſchiſmaticos ſuos Præſules exoſi, ad Conradum & Adalbertum ſacrorum ordinum cauſa proficiſcerentur.

An. 1180.

ANNO 1180.

Indict. 13. Alex. III. P. 22. Frid. Barb. Imp. 29. Ottoc. VI. Styr. M. 16.

Ottoc. VI. fit Dux I. Styriæ. Annus hic Styriæ noſtræ glorioſus erat, quo primi ducales honores Ottocaro noſtro, licet ſeriei hujus ultimo, obvenerunt; nonnulla quidem Chronica & Diplomata, ſed vitioſe deſcripta, ante hunc annum Ottocarum Ducem appellatum prodidere, ſed e melioribus Chronicis & tabulis publicis, jam a me Diſſert. 4. cap. 7. §. 5. memoratis certum fit, Ottocarum vel an. 1179. die forte natali Domini, vel potius an. 1180. Ducis dignitate cohoneſtatum fuiſſe, ſane coævus author Chronici MS. Garſt. (quod inter collectanea Puſchii invenit Frælichius) teſtatur Ottocarum an. 1180. Ducem factum fuiſſe, moxque an. ſeq. Chronicon a ſe finitum teſtatur.

Henr. Leo Dux Saxon. & Bav. exauthoratur. Opportunum Ottocaro ad honores hos adeundos medium attulit ruina, qua ingens Guelphicæ domus potentia in Henrico Leone prope funditus everſa concidit, poſtquam enim hic Saxonum, Bojorumque Dux Majeſtatis poſtulatus, tribunal adire, cauſamque dicere detrectavit, Imperator teſte Godefr. Colon. media quadrageſima curiam apud Geylinhuſen celebravit, in qua Ducem hunc Saxonia privavit, teſte Chron. Reicherſp. 3. Kal. Julii Ratisbonæ curiam celebravit præſentibus tribus Cardinalibus legatis, in qua etiam Bavaria Henrico Leo-
Otto de Wittelſpach Dux Bav. ni abjudicata ceſſit Ottoni Palatino Com. de Wittelſpach fratri Conradi Salzburg.

Etſi vero inter Principes Ratisbon. curiæ in Diplomate Cæſareo ad Adalbertum Friſing. dato, ac ab Hundio in Metropol. Salisburg. vulgato, Ottocarus noſter non legatur, veroſimilius tamen, hac in curia Dux factus fuiſſe videtur ex teſtimoniis Diſſert. 4. a me citatis, unde natales Ducatus Styriæ ab hoc anno removeri neutiquam poſſunt. Unicum rerum harum adduco teſtem, Chronologum nempe MS. Bibl.

noſtræ

noſtræ num. 199. *An. MCLXXX. Imperator curiam celebravit Ratisbonæ 3. Kal. Julii, cui etiam interfuere tres Cardinales Legati Domini Apoſtolici, ubi in præſentia curiæ Imperator publice conqueſtus eſt de Duce Bavariæ, & Saxoniæ cognato ſuo, quod videlicet jam multo tempore, & regni, & vitæ ipſius inſidiator fuerit, Principes quoque Saxoniæ, multas graves querimonias adverſus eundem Ducem ibidem depoſuerunt, tunc ex communi ſententia Principum adjudicatum eſt, eum debere removeri, quandoquidem adjuſtam reſponſionem vocatus non venerit, itaque poſt finitam curiam Palatinus Comes Dominus Otto ſenior Ducatum Bavariæ de manu Imperatoris ſuſcepit. Ottokarius ex Marchione Styrenſi Ducis nomen adeptus eſt, quo & gladio accinctus eſt.* Quæ ultima verba de Ottocari promotione Puſchius ex Chron. Reicherſperg. citavit, licet ſolum in MS. hoc codice noſtro legantur, cum eidem Reicherſpergenſe Chron. idem ſit, quod Voravienſe. *Chron. Reicherſperg. Puſchio idem Vorav.*

Ottocarum ex matertera Sophia Guelphica, Leopoldi fortis Styriæ Marchionis conjuge, nepotem Friderici I. Aug. fuiſſe, oſtendi ad an. 1156. quoniam vero ſimul *gladio accinctus dicitur*, poſita prætexta ſenatum adire, publicisque Imperii curis jamjam ipſe intereſſe cœperit. *Ottoc. VI. gladio cinctus.*

Hoc itaque certo tempore Chunegundes Marchioniſſa noſtra mater Ottocari, aulæ negotiis dimiſſis, Parthenii Admontenſis ſodalis jam fuerit. Chron. Admont. ad an. 1154. inſinuat ejus mortem hiſce: *Chunigunt Marchioniſſa monialis Admontenſis obiit*, ſed eam an. 1181. defunctam, & oſtendi Diſſ. 4. cap. 6. §. 12. & patebit ex Diplom. meo 54. ad eundem annum; nihil itaque de hiſce repeto, id ſolum ex dictis ead. Diſſert. 4. cap. 7. §. 6. 7. 8. probabile cenſeo Chunegundem noſtram, antequam dimiſſo mundo Parthenoni Admontenſi ſe manciparet, intentam ſaluti filii ac totius Provinciæ effeciſſe, ut more magnatibus non inſolito, Ottocaro filio Chunegundes Leopoldi Auſtr. filia, licet impubes & parvula vix adhuc 7. annorum deſponſaretur, nuptiis in maturius tempus dilatis; ſed de his jam abunde locis citatis dictum eſt. Ottocarus vero ſic Dux Styriæ factus a veteri Bojorum imperio ſimul immunis eſt declaratus, hanc vero ſubjectionem Marchionum noſtrorum, ut ad comitia Bavariæ comparere debuerint, jam declaravi Diſſert. 1. §. 31. & clare docet Henr. Stero in Annal. ſuis his verbis: *Quatuor Marchiones Auſtriæ & Styriæ, Iſtriæ & Chambenſis, qui dicebatur de Vochburg, evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavariæ veniebant, ſicut hodie Epiſcopi & Comites ipſius terræ facere tenentur.* *Chuneg. Marchionialis Admont.* *Ottocari VI. ſponſalia.*

Quod ſi jam quæratur, quasnam terras Ducatus Styriæ neo-erectus ſub ſe continuerit? cenſeo præter Eppenſteiniam ditionem in Carinthia ab Henrico II. Duce Carinthiæ, atque aliam partem a Bernardo Comite tranſcriptam, nunc Styriam ſuperiorem dictam, hoc jam tempore portum Naonis, Comitatum Putinenſem in Auſtria moderna, marcham olim Carentaniæ, modo plurimam inferiorem Styriam, circa Mahrburgum, Petovium, Celejam, verbo non ſolum totam modernam Styriam, ſed Auſtriæ etiam modernæ partem infra Anaſum ſitam, ſub Ducatu Styriæ comprehenſam fuiſſe, etenim *vetuſtiſſimus ille*, & *ampliſſimus Comitatus Styrenſis* Lazio, & Prevenhueb. teſtantibus complectebatur omne territorium circa Styriam & ſupra Anaſum ad Waidhofen uſque, Gafflenzenſe territorium, in quo nunc oppidum *Styriæ Ducatus Provinciæ.*

Weyer, vallem Anaſi, Goiſer- & Enns-Wald, unde Albero Comitis Sylveſtris nomen tulit, dein ſecundum fluenta Styræ fluminis, totum Styrenſem diſtrictum, vallem Göſſenſem, Montana Claus ſeu Piern dicta, & trans flumen Styram, viciniam Dietacenſem, Anaſinam civitatem cum ſuo territorio, viciniam a Wilhelmſpurg in Pieſtnik, Ducumburgum, Cheldorfium, Oſtram, Rapotonis, & Gumboldi-fanum &c. quæ Ottocarus IV. ut dotem Eliſabethæ Auſtr. obtinuiſſe fertur.

Ottoc. VI. in Mahrburg litem dirimit. Ex his jam Diſſ. 4. cap. 7. §. 1. cenſebam, Ottocarum noſtrum expeditioni ſacræ in Palæſtinam hoc anno non adfuiſſe: eodem tamen hoc anno vel certe ſequente Ottocarus noſter *Mahrburgi* exiſtens litem illam diremit, quæ inter Wolfingum Camerarium ſuum, & Epponem Camerarium Admontenſem vertebatur, ut v. cod. Diplom. Admont. num. 70. inter mea Dipl. num. 53. jam enim ſe Ducem ſcribebat Ottocarus hoc in Diplomate.

An. 1181.

ANNO 1181.

Indict. 14. Lucii III. P. 1. Frid. Barb. Imp. 30. Ottoc. VI. Styr. March. 17.

Ottoc. III. benefacit Garſtenſ. Ottocari Ducis noſtri pietas hoc denuo anno pateſcit, etenim cœnobitis Garſtenſibus juxta *flumen Gavelenz* 2. manſus cum nemore ac omni jure tradidit, præterea manſum unum *in Uchſenburch* cum *Eccleſia in Hus* eisdem confirmavit. Ex hoc vero Diplomate colligimus *Voluit ire Jeroſolymam.* etiam intendiſſe Ottocarum iter Jeroſolymitanum, ita enim ait: *pro his & pro cæteris bonis - - - - iter noſtrum Jeroſolyma cum una miſſa de S. Maria per unius anni ſpatium Domino cottidie commendent.* Unde omnino Ottocaro id iter propoſitum fuiſſe conjicio, & forſitan cum Leopoldo Auſtr. qui an. 1182. eo abierat, ut Chronica omnia teſtantur. Præte- *Chuneg. March. f* rea contra Chron. Admont. ex hoc Dipl. conſtat Chunegundem matrem ejus jam fuiſſe hoc an. defunctum, cum manſum illum in Uchſenberg, *ob animæ matris noſtræ*, ut inquit, *redemptionem* obtulerit, de quibus plura in annot. ad Dipl. mea num. 54. hoc tamen Diploma anno hoc vel ſeq. initio datum fuerit, cum Leopoldus Dux Auſtriæ ſigillum ſuum appreſſerit, qui an. ſeq. certe in Palæſtinam abiit.

Admont. benef. Leopold. Ejusdem Ottocari interceſſione, eodem hoc anno Leopoldus Auſtriacus Monaſterium Garſtenſe ab omni exactione tributi vel telonei exemit in aſcenſu & deſcenſu Danubii. V. Dipl. mea num. 55.

Ottoc. VI. in Admont. Ottocarum eundem noſtrum hoc anno in Monaſterio Admont. fuiſſe innuit notitia cod. Dipl. Admont. num. 84. inter mea Diplom. *Puten de Bern.* num. 56. in eo enim dicitur *Bernardus de Butine præſente & annitente Domino ſuo Ottoker Duce Styrenſe* 2. manſus apud Harde dediſſe, teſtem ipſe Ottocarus egit. Quidnam Admontii fecerit, non manifeſtatur, *Iſenr. Ab. Adm.* attamen probabilius cum Iſenrico Abbate egerit de expeditione Jeroſolymitana, quam hic Abbas tardius cum Frid. Imp. ſubiit, ibidem de- *Stein de Otto* functus, iisdem Admontenſibus *Otto de Stein miniſterialis Otagrii Ducis de Styre* pro ſepultura uxoris ſuæ traditionem fecit. V. inter Diplom. mea num. 57.

Conr. Salab. rect. Salisburgi interea Conradus Archiep. Baſilicam an. 1167. igne hauſtam reparare cæpit, id quod fuſius enarrat Anonym. Synchronus

apud

apud Caniſium tom. 6. pag. 1178. ea dum ſic repararetur, inventum eſt ſimul S. Virgilii corpus ignoratum hactenus, epigramma tumbæ adjectum erat, *Virgilii templum conſtruxit ſchemate pulchro*, adnotata dies obitus 5. *Kal. Dec.* plurima mox patrata miracula. Inventionis dies ex Chron. Reicherſp. aſſignatur 3. Kal. Martii, Chron. Mellic. ait ſimul inventa eſſe corpora *SS. Vitalis, Eberhardi, & Hartvvici*, Chron. Garſt. jungit: *S. Rudberti*, alii ſuperaddunt *Gebhardum, & Conradum I.* Chron. vero MS. Salisburgenſe in Bibl. Vorav. num. 151. ait inventa ſolum eſſe Lipſana SS. Vitalis, Virgilii, & Hartwici, illud vero ab Hier. Pezio editum addit etiam S. Eberhardi. *Inventio S. Virgilii Salisburg.*

Febr. 16. hujus anni exuſtum eſt Patavium cum Monaſterio majore S. Stephani, ſed & ibi cœperunt oſtendi miracula ad ſepulchrum B. Pilegrini Epiſc. & ad ſepulchra aliorum Pontificum hujus loci, neque dubium, hic etiam deſignari S. Maximilianum Ep. Laureac. & Martyr. cujus urna ea in Cathedr. aſſervatur. *Patavium exuſt.*

Alex. III. Papa ad immortalem coronam abiit 30. Aug. cui ſuffectus Kal. Sept. Lucius III. cujus electioni Romæ adfuiſſe ſcribitur Conradus Archiep. Salzb. paulo poſt Alexandrum ad tumbam ſecutus eſt Hermannus Dux Carinthiæ diem obitus notat Necrolog. Roſacenſe MS. 3. *Nonas Octobr. Hermannus Dux*, annum vero detegit Chron. Admont. *Hermannus Dux an. MCLXXXI. Carinthiæ obiit, cui filius Oulricus puer ſucceſſit.* Conſentiunt Chronica Auſtrale & Auguſtenſe apud Freherum I. Clauſtroneoburg. Auſtriacum incerti authoris apud Hieron. Pez tom. 1. & hoc quidem pag. 563. ita ſcribit: *Hermannus Dux Carinthiæ obiit, cujus filius, & filius Leopoldi, Ducis Auſtriæ Ducatibus patrum ſuorum in Erbfordenſi curia ab Imp.* Frid. I. *inveſtiuntur*, cur filius Leopoldi vix adhuc ſeptem annorum inveſtitus fuerit Patre adhuc vegeto, cauſam non aſſequor, niſi fors Leopoldus præcavere voluerit Provinciis ſuis, ſi quo caſu in Jeroſolymitano itinere obiret. *Alex. III. † ſuc. Lucius III.* *Herman. Dux Carinth. † Suc. Udalr. II.* *Leopoldi Duc. Auſtr. filius inveſtitur Dux Auſtriæ.*

Udalricus II. Aquilej. Patr. non ſolum ſedis Apoſt. Legatus, ſed etiam Frid. Imp. Vicarius generalis, anno priori integram Gradenſem inter & Aquilej. Eccleſias concordiam reſtituit, hoc vero anno Canonicos ſuos Aquilej. ad communem vitam traduxit, de quibus fuſius agit de Rubeis. *Aquil. & Gradenſ. lis ſimitur Can. Aquil. communitæ.*

ANNO 1182. *An. 1182.*

Indict. 15. *Lucii III. P.* 2. *Frid. Barb. Imp.* 31. *Ottoc. VI. March. Styr.* 18.

Turbatis Romæ rebus Lucius Papa urbem deſerere eſt coactus, ſeque trans montem Albanum Velitras recepit, adhæſit abeuntis lateri Conradus Salzburg. eodemque in oppido ſubſcripſit privilegiis Patav. Eccleſiæ indultis. V. auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 332. Quamdiu Conradus in Italia perſtiterit, non liquet, ultimam interea vitæ lineam duxit Udalricus Aquil. Patriarcha, cui reliqua Dravum inter & Savum obtemperabat Styria, ita Chron. Admont. *Oudalricus Patriarcha Aquilej. moritur, pro quo Gotfridus Abbas Sextenſis* conſonat Chron. Clauſtroneoburg. & Auſtriac. incerti authoris &c. *qui de regali proſapia ortus*, dicitur in Chron. Aquilej. *Conrad. Salzb. Romæ.* *Udalr. II. Aquil. obit, ſuc. Gotfrid*

Otto-

Ottoc. VI. non abit Jeroſ.

Ottocarum Principem & Ducem, cum Leopoldo Auſtriaco Jeroſolymam non abiiſſe, complura exhibent munificentiæ documenta, quæ in aſcetas ſui Ducatus diffudit, etenim, cum uſitata inter munia juri dicundo forum, in ſacro templi Ægidiani cæmeterio Græcii aperuiſſet, collegiatæ adhuc Eccleſiæ Seccov. immunitates non roboravit tantum, ſed regalibus quoque prærogativis ampliavit. Exſtat Diploma Seccov. 22. inter mea num. 58. quo refert *1mo:* Quod Adalramus fundator Seccov. prædium *ſuum montem* Starkenberg, *villamque* Trabſtetten, militesque ſuos meliores, intrans clauſtrum, Ottocari patri ſuo contulerit. *2do:* Inſinuat Ottocarum V. an. 1152. Ratisbon. in curia fuiſſe factum advocatum Seccovienſem. *3tio:* Confirmat omnia Ottocari V. privilegia, ſimulque de ſuo adjicit venas ſalis & metalli per omnem fundum Eccleſiæ Seccovienſis. *Actum an. ab Incarn. Dom.* 1182. *Indict.* 15. 3. *Kal. Dec. luna* 30. *decennoven.* 5. *in vigilia S. Andreæ Apoſt. fer.* 2. *ante Eccleſiam S. Ægidii hora diei* 3*tia foro Græce feliciter Amen.*

Seccov. benefacit

Starkenberg prædium Ottoc. V. legatum.

Ottoc. VI. Seizenſibus benefacit.

Nec Seccovienſibus ſolum, ſed Seizenſibus etiam munificum ſe præſtitit Dux noſter, eorum fundatione aucta, exſtat Diploma Seiz. 9. inter mea num. 57. in quo Ottocarus refert 1. fundationem Seizenſem a patre ſuo Ottocaro factam. 2. Plenariam fundationem perfectam non fuiſſe, tum quod pater ejus antea obiret, tum quod fratres primi Seizenſes morem gentis & terræ neſcirent, ſicque multo minus acceperint, quam eis ſufficere poterat, & pater Ottocarus dare voluerit, unde cum poſt mortem patris locus Seizenſis ad ſummam pervenerit penuriam, hinc Ottocarus VI. auxit fundationem, *ita*, ut 3tio modiis 12. ſalis in Grauſchar, 20. maſſis ferri in Leuben, 1. ſaumam olei *ibidem*, 19. menſuras mellis in Tywer &c. a parente ſuo datis, adjiceret cutes & pelles omnes, quorum carnes conſumerent *in* 3. *præpoſituris* Marchburg, Rackerſpurg, & Tywer &c. 4. Donat *villam* Sitz cum omnibus ſervis & ancillis, villam Rogotz, & manſum unum in Oplonitz. 5. Vult eis dari annis ſingulis 8. marcas de eleemoſynis patris ſui, Gretz 1. Rackerſpurg 1. Mahrburg unam, Rogotz 1. Tywer 1. Diernſtein 1. Laſcenech dimidiam, Judenburch dimidiam, Leuben dimidiam, Sachſenfelde dimidiam, 6. ſingulis annis pro ædificio, donec compleatur, 15. marcas. 7. paſcua per omnem terram ſuam in alpibus & campis. 8. Admittit eisdem donationes fieri. 9. Confirmat donationem Ortolphi, Ottocari, ac Leupoldi fratrum de Gonovitz piſcationis per aquam Oplonitz & Treuna dictam &c. Actum eſt hoc coram Ottocaro *ante Eccleſiam* Rackerſpurch, *an.* 1182. *Indict.* 1. *regn. Frid. Imp. & Gotfrido Patriarcha Aquilej. exiſtente*, dies & menſis abeſt, ob indictionem tamen 1. cenſeo menſis Septembr. fine, vel tardius hæc geſta eſſe, v. pl. in annot. ad hoc Diploma.

Ottocari V. eleemoſynæ.

Præpoſituræ Ottoc. VI. Mahrb. Rakerſp. Tyver.

Ottoc. VI. Friſacum venit.

Friſacum cum veniret Ottocarus eodem hoc anno, incerto tamen menſe ac die, confirmavit concambium inter Dietmarum de Liechtenſtein, & Perngerum Abbatem S. Lamberti; Diploma id integrum mihi e celeberrimo Monaſterio hoc transmiſſum, v. inter mea Diplom. num. 86. concambium id coram Ottocaro & Alberto Friſing. Ep. factum in eo erat, quod *Dietmarus de Liechtenſtein miniſterialis Ottocari* bona quædam ab Eccleſia Friſing. in Feudum poſſeſſa, ac inter termi-

Berngerus Abb. S. Lamb.

Lichtenſtein de Dietmar.

nos

nos prædiorum S. Lamberti ſita, viciſſim Eccleſia S. Lamberti vicinas haberet *caſtro* Lichtenſtain poſſeſſiones, inde concambium deſuper celebrarunt, bonaque hæc permutarunt, quæ enumerata v. in cit. Dipl. dubium tamen non leve facit *Rudolphus Abbas de Admont* ſubſcriptus, de quo tamen conſtat, eum an. 1177. electum, renuntiare debuiſſe, & Iſenricum conſtitutum, qui uſque ad an. 1189. vel 1190. ut habet Chron. Admont. & Garſt. præfuit, quo in expeditione Jeroſ. obiit, & quamvis poſt ejus obitum Rudolphus denuo Abbas in Admont fieret, hoc tamen an. quomodo ſubnotatus fuerit? vix apparet, dubium hoc duplici via ſolvi poteſt. *1mo:* Dicendo ex MS. lib. 1. Admont. Rudolphum ab an. 1178. ad 1183. ſediſſe. *2do:* Ex eodem Catal. Abbat. Admont. fol. 243. circa annos regiminis hujus nempe Rudolphi II. & Iſenrici Abbatis MSS. Admont. non concordare, ut adeo ex hoc ſolum loco Diploma differendum non arbitrer, v. pl. in annot. ad Dipl. 86.

Caſtrum ejus nom.

Rudolf. Abb. Admont.

ANNO 1183.

An. 1183.

Indict. 1. *Lucii III. P.* 3. *Frid. Barb. Imp.* 32. *Ottoc. VI. Styr. M.* 19.

Pacandis rebellium Romanorum turbis, cum Chriſtianus Mogunt. Archiep. & Cancellarius Imp. cum exercitu magno mitteretur in Italiam, auxilio Papæ futurus, Romani, quos contriverat, fontem, ex quo bibere ſolebat, veneno infecerunt, eumque ſic cum plusquam mille aliis, morti tradiderunt.

Chriſtianus Mogunt. †

Sed funus hoc Chriſtiani, utrique Archi-Epiſcopo noſtro aditum ad ſua fecit, mente ſimul Imperatoris a Deo ita immutata, ut teſte Chron Mogunt. *ipſe Conradum ad Moguntinenſem Eccleſiam redire poſtularet*, & ut habet Chron. Reicherſperg. *pariter & Archiep. Adalbertus ex præcepto Imp. & unanimi omnium Salisburgenſium electione Cathedram ſuam recepit, & in* 13. *Kal. Dec. anni ejusdem* 1183. *rurſus Eccleſiæ ſuæ cum favore omnium reintbronizatus eſt.* Idem habet Chron. Mellicenſe &c.

Conrad. III. Salzb. ſit Mog.

Adalbert. redit ad Salzb. ſed.

Interea Salisburgi obiit Siboto Præpoſitus ab an. 1167. qui ab Adalberto deficiens, per litteras Alex. III. reprehenſus, denuo ſe cum collegis ad eum retulerat, a quo alioquin animo nunquam defecit. Ita habet ad hunc annum Chronic. Salzb. *Siboto Præp. Salzb. obiit, Gundaker ſuccedit*, Chron. tamen Salisburg. Caniſianum Mezgerus, Hundius, & Catal. Salzburg. annum ſeq. mortis ponunt.

Siboto Præp. Salzb. † ſucc. Gundaccarus.

Laureaci ſolemnem Prælatorum conventum habitum fuiſſe, docet Catalogus Abb. Glunic. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 329. ſub Marquardo Abbate II. his verbis: *Hic Abbas an.* 1183. *ſecunda vice boſpitio excepit, Ottonem II. Epiſc. Bamberg. cum Laureacum pergeret, ubi tunc temporis* 37. *Prælati cum multitudine cleri Conventum ſolemnem celebrabant.* Conventus hic qualis fuerit? quove fine, numero, ac ordine Prælatorum conflatus ſit? nullibi reperio, ne quidem in hiſtoria Patavienſium, forte Prælati aliqui Leopoldo Duci Auſtriæ e Palæſtina redeunti obvii proceſſerint, ſimulque de rebus Eccleſiaſticis conventum egerint. Obiit hoc an. Bertholdus IV. Dux de Zæringen, ſucceſſitque ei Bertholdus V. filius ejus.

Laureac. Conv.

Bertbold. IV. Zæring. ſucc. Bertbold. V.

An. 1184.

ANNO 1184.

Indict. 2. Lucii III. P. 4. Frid. Barb. Imp. 33. Ottoc. VI. Styr. M. 20.

Mogunt. Conv. Moguntiæ generalis curia a Friderico Imp. eſt habita in Pentecoſte, in qua filios ſuos Henricum Regem, & Fridericum Suevorum Ducem gladio accingi, armisque inſigniri diſpoſuit. Adfuit ſolemni-
Iſenr. Ab. Adm. tati Iſenricus Abbas Admont. ampliſſimasque a Cæſare tabulas obtinuit Monaſterii ſui confirmatorias.

Soluto hoc Conventu Imperator in Italiam abiit Veronenſi concilio adfuturus, quo in Conc. de Romanis compeſcendis, hæreticis exſtirpandis, & ſubſidiis Palæſtinæ mittendis decretum. Eodem in
Salzb. Arch. fit Legatus perpetuus ſed. Apoſt. Conc. Adalbertus Salzburg. privilegium a Lucio Papa obtinuit, quo ſibi & ſucceſſoribus ſuis dignitas Legati Apoſtolici in perpetuum eſt corroborata.

Ottoc. VI. infirmatur. Dum hæc in Italia gererentur, graviſſimo luctu, aulam, provinciamque omnem Styriæ profligata Ducis valetudo perculit, lue enim immedicabili corporis corripi cœpit, pugnatum quidem pharmacis, ſed pertinax putreſcentis ſanguinis tabes in apertam dein lepram erupit. Ottocarus ipſe luem hanc immedicabilem ratus, faſces ponere, & Styriam Auſtriaco Principi vendere volebat, hæc ita eſſe & Chron. MS. Vorav. & Diploma Ottoc. VI. Canonicis Vorav. datum, num. 61. manifeſte indicant. Ita vero ait Chron. MS. Voravienſe: *Ottachir*
Vult Styriam vendere. *Dux Styrenſis, præfati Marchionis fundatoris filius & Patri ſuccedens, non habens liberos, non longe poſt uxoris obitum, factus Leproſus, animadvertens donum ac fundationem Patris ſui Ottacheri præfatam. An. Do. MCLXXXIIII. cogitavit Styriæ terram, dilecto conſanguineo ſuo Luipoldo Duci Auſtriæ ex nimia ſui corporis infirmitate venumdare proprietarie cum omnibus ſuis pertinentibus, exceptis 500. manſus pro ſalute ſua ad Cœnobia, quæ felicissimus Pater ſuus Ottacher Marchio fundavit, videlicet Vorave, Seyckes una cum hoſpitali in Cornbalde ad promotionem præfatorum Cœnobiorum, quorum fundator hæreditarie tantummodo ſupervixit, eosdem redditus ad iſta loca largiſſime diſtribuit &c.* ut in Diplom cit.

Canon. Vorav. id manifeſtat. Neque ſolum hanc intentionem ſuam vendendæ Styriæ, Canonicis Voravienſibus inſinuat, ſed etiam eis hoc anno *optimas villas in Mar-*
Eiſdem dat villas Lavenz & Mülldorff. *chia ſitas Lavenz & Mülldorff* contulit, & quidem, ut ait ipſe, *cum locum Vorav. ex plantatione novella & ex nimio dilecti Patris noſtri piæ memoriæ diligeremus affectu.* V. Dipl. mea n. 1. & in Dipl. Styr. p. 2. fol. 312. plura alia
Advocatiam liberam ſtatuit. privilegia Dipl. illo contenta deſcribit etiam cit. Chron. MS. Vorav. *Similiter Advocatiam poteſtativa manu voluit, quicunque Dominus terræ ſuperſtiterit, ſui loco, abque exactione qualibet humiliter in Deo ſui cauſa & chariſſimi patris ſui potegat, deinceps & defendat, emendi & vendendi ea, quæ ad neceſſitatem pertinent, ejusdem Monaſterii proviſores liberam habeant facultatem eundi, ducendive jus, ſeu etiam Thelonii exactiones ſtatuit in tota terra ſua, nullus ab eis de cætero exigere præſumat, ut patet in libro privileg. fol. 15.* Ita Chron. cit. cui Ottocari Diploma exacte concordat. Hæ vero duæ optimæ villæ dafacto a rebus collegii alienatæ adhuc hodie ſunt, ab eo tempore, quo 4ta pars bonorum in ſubſidium belli Turcici ſub Ferdin. I. Imp. pendi debuit.

Unum

Unum hic obſervo: adhuc tempore hoc, Styriam *Marchiæ* nomine veniſſe, & quidem non ſolum illam ad Marchburgum, Celejam & Petovium, ſed omnem fere etiam mediam, uti ex villa Lavenz in Marchia ſita, & a Collegio Vorav. vix tres horas diſtante patet. *Styria Marchia dicta.*

Quæ de uxore Ottocari noſtri MS. Chron. Vorav. ait, & quidem ea præmortua circa an. 1183. jam Diſſert. 4. cap. 7. §. 6. 7. 8. diſcuſſi.

In Seizenſem Ottocari fundationem, munificentiam ſuam exhauſit Papa Lucius III. in eorum favorem editis 4. Diplomatis, primo num. 4. inter Seiz docum. Joanni Priori dato Veronæ indulget privilegium ordinationis a quocunque Epiſcopo, ſi Diœceſani Epiſcopi copiam habere nequiverint, dat. Veronæ 10. Kal. Febr. altero ibidem 12. Kal. Febr. dato eos in tutelam ſuam ſuſcipit. V. num. 5. Tertio Veronæ etiam 12. Kal. Martii edito monet nobiles *de Gonovitz Ortolfum Ottacharum & Leopoldum*, ne Seizenſibus obſint. V. num. 6. 4to tandem 14. Kal. Sept. etiam Veronæ expedito Seizenſes firmat, mentionem facit in hoc *de dilectis filiis noſtris, viris nobilibus Otacher Marchione de Styria & Otacher Duce filio ejus.* Synodum Aquilejæ hoc an. habitam cenſet Ughell. & collectores conciliorum, epocham quidem vetuſta monumenta ſilent, epiſtolam ſynodicam exhibet collectio Concil. Labbeana, inſcriptio eſt. *Gotifredus Dei gratia Aquilej. Patriarcha univerſis Epiſcopis ejus Eccleſiæ ſuffraganeis venerabilibus, & in Chriſto dilectis fratribus ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.* Synodus habita eſt, *altera die poſt feſtum S. Michaelis Aquilejæ*, vocaturque *Capitulum generale*, ſaluberrima inibi edita decreta, contra *prædones & diverſi generis malefactores, ſucciſores vinearum, & arborum fructiferarum, violatores Eccleſiarum & cimiteriorum, detentores bonorum Eccleſiarum, & incendiarios.* *Seiz. rer.* *Gonoviz de Ortolphus Ottocarus Leopoldus.* *Aquil. Synodus ſub Godefredo.*

Januæ ſimul exſtitiſſe hoc anno Gotefredum oſtendit de Rubeis cap. 65. num 3. fol. 629. ubi Imperator coram Patriarcha, aliisque Proceribus, marcham Mediolani & Januæ contulit Obizoni Eſtenſi Marchioni. Plebem de Ripis jam ab Udalrico promiſſam, Canonicis ſuis hoc anno cum aliis privilegiis extradidit, v. loc. cit.

ANNO 1185. *An. 1185.*

Ind. 3. *Urbani III. P.* 1. *Frid. Barb. Imp.* 34. *Ottoc. VI. Styr. M.* 21.

Conſilio Ottocari de vendenda Styria interceſſiſſe videntur antiſtites, nobilesque Styriæ noſtræ, eo quod mutaverit ſententiam ſuam Princeps, neque deerant illis argumenta, quibus Duci meliora ſuaderent, ajebant enim, nondum adeo conclamatam Principis valetudinem videri, quo minus evocatis medicis, & melioribus adhibitis antidotis reparari poſſet, ſpem hanc fulciri ab ætate juvenili magnum pharmacis robur additura, exemplum haberi in Balduino Rege Solymorum, qui tabem hanc cum lacte contractam, ſceptro tamen conſtanter ac feliciter ſociaverat. Quod ſi tandem dicebant ultimo, ſucceſſorem legere placeat, ſibi in votis eſſe, ut ab illuſtria ſanguinis cognati decora, provinciasque ſitu & mutuis nobilium affinitatibus junctas, Leopoldus Auſtriacus Dux Styriæ nuncuparetur, & quidem ſemota omni nundinatione, quæ Majeſtati Principis parum decora, pro- *Ottoc. VI. mutat mentem de Styria vendenda*

vincialibus vero foret periciosa, cum facile contemnantur subditi ære comparati, juribusque suis non secus, ac si ferro domiti essent, priventur.

Acquievit consiliis suorum Princeps, tabulasque confici jussit, quibus Leopoldo Austriaco, illæsis antiquis juribus, ordinumque prærogativis Ducatus Styriæ transcriberetur, quod an. seq. factum. Ottocarus vero interim nuperam in Voraviensem Canoniam munificentiam, nova rursus benignitate auxit, post obitum enim Leopoldi Præp. I. Vorav. Bernardo successori mox detulit, ut si quis agros fundosque suos Vorav. Cœnobio liberaliter addixerit, ea munificentia ducali authoritate firma censeretur. Rem hanc ut ordine promam ex docum. Vorav. ita ait Chron. MS. Vorav. *Luipoldus I. Præp. laboribus decrepitus, odore bonæ famæ ubilibet dispersus, diligenter in vinea Domini elaborabat; ac otiosus in eandem, ut a fundo elaboraretur, quosdam per plurima privilegia, quosdam per eleemosynarum largitionem, quosdam per donorum temporalium traditionem, ut intuentibus patet, incitavit, introduxit, & vocavit, ut saltem sic novella hujus Cœnobii plantatio, in gloriam & laudem Dei, salutemque animarum erecta, successoribus suis hæreditarie bonum fundamentum, tanquam thesaurum optimum reliquit perpetualiter. In festo tandem Praxedis Virginis fidelis ille dispensator in modico & prudens, a Deo vocatus, clausit diem suum, non dubium, quin supra multa eum constituit.* Dies S. Praxedis juxta novum & antiquum Kalendarium incidit in 13. Kal. Aug. seu 20. Julii, unde miror, quomodo Puschius Leopoldum hunc 11. Kal. Julii obiisse docuerit, & quidem *ex chartis domesticis*, quæ mihi quidem hactenus non occurrerunt. Necrologium Seccov. obitum Leopoldi Vorav. I. Præp. ad 6. Kal. Aug. statuit, sed standum censeo documentis domesticis, donec hæc falsitatis arguantur.

Leop. I. Præp. Vorav. succ. Bernard. I. Præp. II.

Vorav. favet Ottoc. VI.

Prælaturæ cum hoc tempore diu non vacaverint, infra aliquot dierum spatium Bernardus mox est substitutus, ita docet Chron. MS. Vorav. *Bernhardus Præp. I. hujus nominis, secundus in ordine, subsecutus est præfatum Leopoldum in Prælatura. Tandem sub eo anno videlicet Dom. MCLXXXV. præfatus Dux Ottachir Styriæ concessit, ac dedit privilegium, ut quidquid de præsidiis suis locis Deo sacratis, & a parentibus suis, sive etiam a se fundatis conferre voluerint authoritate suæ licentiæ possint.* Aliter hoc Diploma refert Puschius cit. part. 2. fol. 24. nempe: *Ut si quis agros, fundosque suos Cœnobio Voravienſi liberaliter addixerit, ea munificentia, ducali authoritate rata, firmaque imposterum censeretur, actum anno Dom. Incarn. Millesſ. centesſ. octoagesſ. quinto indictione 3. 9. Kal. Augusti feria 4. in vigil. S. Jacobi in foro Græce feliciter.* Hæc mihi nonnullum dubium movent, etenim 1. cum privilegium hoc nec apographum, nec autographum amplius exstet, nescio, unde id Puschius desumpserit, cum in Chron. nostro MS. longe aliter, sine subnotatione loci anni diei referatur. 2. Difficile est, quomodo ad preces Bernardi datum fuerit, Leopoldus enim I. Præp. Vorav. obiit 20. Julii, Bernardus itaque ante 22. Julii non electus videtur, hic quomodo Voravio iter Græcium tam festinus assumere potuit, ut 24. Julii, seu in vigilia S. Jacobi, id privilegii impetraverit. Credo Ottocarum, hoc jam prius mente concepisse, dein autem membranis datis explicasse. 3. Refellitur annotator Seccovienſis docens Leopoldum post impetratum hoc privilegium 6.

Ottoc. VI. Græcii agit.

Kal.

Kal. Auguſti obiiſſe, nam Chron. domeſt. Vorav. Leopoldi mortem ad 3. Kal. Aug. refert, & privilegium hoc primo ſub Bernardo ſucceſſore datum aſſerit, cui proin credendum, donec manifeſtus error oſtendatur.

Pergit idem Chron. Vor. ita referre: *Igitur ex hujus permiſſione quidquid juxta Græce forum & ſecus locum, qui dicitur Quuntarum, cultumvel inculcum, quæſitumvel non quæſitum habuerit miniſterialis ſuus, quod etiam Ruzonis diſpenſationis ſui beneficium fuit, ſancto Thomæ Apoſtolo, fratribusque in Vorav. Deo miniſtrantibus pro animabus parentum ſuorum fideli donatione contradidit, ut patet in lib. privil. f.* 16. liber tamen hic cum Diplomate dicto non amplius exſtat. *Vorav. donation.*

Imminente autumno Ottocarus Princeps ad luſtranda Styriæ, Hungariæque confinia Græcio profectus, cum jam antea inopiam cartuſiæ Seizenſis ſublevaſſet, peculiares quoque immunitates per Diploma *datum in Rackerſpurch 5. Kal. Octobr.* indulſit. Diploma hoc Seizenſe 10. v. inter mea in fine num. 64. mitigavit piis hiſce favoribus dolorem Princeps, quo ſecundum Cœnobiarcham Seizenſem Joannem I. tumulo illatum querebantur Eremitæ, ut habet Catal. Seizenſ. in Diplom. Styr. p. 2. fol. 101. quamvis nec id penitus certum ſit, ut ibidem vide. Succeſſit *Dom. Nicolaus I. prædeceſſoris ſui ſtrenuus æmulator.* *Ottoc. VI. in Rackerſpurg.* *Seizenſ. ves.* *Joanni I. Priori* *Seiz. II. ſucc.* *Nicolaus I. Prior III.*

Eodem hoc an. Ottocarum noſtrum *in Viſcha* egiſſe oſtendit Diploma Admont. 64. inter mea num. 62. quo in loco roboravit terminationem litis inter Admontenſes & *Hartnidum de Orte* habitæ, & quidem 3. Kal. Maji anni hujus. *Ottoc. VI. in Viſcha & Chrungiſee.* *Orte de Hartnidus.*

Eodem dein anno *in Grungilſee* annuum exactionis debitum in Ennsthal, *ſeu* Burgwerch colonis Admont. remiſit, ad tempus vitæ ſuæ, ut v. Dipl. Admont. 65. inter mea num. 63. *Admont. ves.*

Salisburgi poſt Paſcha in Dom. Jubilate Adalbertus Archiep. Salzburg Ottonem Friſing. electum cooperantibus Conrado Ratisb. Theoboldo Patav. Henrico Brixin. Epiſcopis conſecravit, ut refert Chron. MS. Clauſtroneob. poſt hoc mortuo Chunone ſeu Conrado Ratisb. in eadem ſede conſecravit Gotfridum cooperantibus 14. Epiſcopis, ſimulque a Lucio Papa bullam confirmatoriam obtinuit Admont. privilegiorum datam Veronæ 11. Kal. Aug. Lucius vero Papa die 24. Nov. ſeu 7. Kal. Decembr. ex hac luce ſubtractus eſt, eique ſuffectus Humbertus Mediol. Archiep. ſub nomine Urbani III. *Adalb. Salzb. ves.* *Lucius III. P.* *† ſucc. Urb. III.*

ANNO 1186. *An. 1186.*

Ind. 4. Urbani III. P. 1. Frid. Barb. Imp. 35. Ottoc VI. Styr. March. 22.

Moleſta Eccleſiæ & imperii diſſidia jam ſub Lucio III. cœpta, magis tamen ſub Urbano erupere, etenim evocatus hoc anno a Frid. Aug. Henricus filius inter ipſa Hymenæi ſolemnia, Longobardiæ ſceptro inſignitus eſt a Godefrido Patr. Aquilej. uti & Conſtantia Regina a quodam Teutonico Epiſcopo, ut narrat Rudolphus de Diceto, ſed *quos omnes Papa a Divino ſuſpendit officio*, ita Chronol. Aquicinctinus. Diſſimulavit hoc Cæſar Fridericus, ubi vero contra hujus votum, Papa Volmarum Archiep. Trevir. conſecravit, & Cæſarem de occupatis Mathildis ditionibus, & vacantium Epiſcopatuum, exuviis vehemen- *Eccleſiæ & Imperii diſſidia.* *Henr. VI. Rex Longob.* *Godefr. Aquil. a div. ſuſpenſus.* *Frid. Imp. in Papam ſurgit.*

ter impetiit, exaſperatus non Italia ſolum exceſſit, ſed etiam omnes vias alpium & regionum vicinarum clauſit, ut nemo Romam accedere potuerit.

Styriæ comitia in mont. S. Geor.

Immunis erat ab hac tempeſtate Styria noſtra, non tamen publico luctu caruit, dum valetudine deſperata Ottocarus Dux coactus eſt, hæreditaria in faſces regales jura Leopoldo Auſtriaco deferre, ampliſſima eum in finem comitia, in ſacrum S. Georgio montem, non procul a veteri Laureaco diſſitum, indicta, ad quæ Leopoldus Dux Auſtriæ invitatus, cumque 17. Aug. omnes prope conveniſſent, Leopoldus inſigni magnatum caterva ſtipatus adfuit, conſidentibus in ſolio geminato Ducibus Ottocarus cauſam primum Comitiorum exponit, dein antiqua utriusque domus cognatæ fœdera adducit, a Leopoldo pulchro Marchione Auſtriæ inde per Leopoldum pium, hinc per Eliſabetham Ottocari IV. conjugem fœcundis talamis propagatæ. Quare cum ſe poſtremum lineæ ſuæ, & quidem non ſolum ſine ſobole, ſed etiam ſine ſpe prolis adverteret, ut ſibi, ordinibus, ac provinciæ bene conſuleret, Leopoldum Ducem publicis tabulis hic recitatis propoſuit, quas v. inter Diplom. mea num. 66. una cum varia citatione teſtium.

Leop. Auſt. Dux Styr. ordinatur.

Perlectis tabulis uterque Princeps ſigillum addidit, unum earum exemplar Leopoldo, alterum Provincialibus Styriæ obtulit Ottocarus, cui Leopoldus & grates debitas, & diuturnam vitam, ſalutem reducem, ſerosque nepotes eſt apprecatus, Provinciales vero Styriæ, gratiæ ſecuros eſſe juſſit, atque in Auſtriam ſe recepit.

Styria non eſt vendita.

Ex his, ſatis opinor, conficitur illa de Styria vendita, fabella, quamvis enim, ut an. 1184. dictum, Styriam vendere voluerit, mutato tamen conſilio, eam ſolum donatione in Leopoldum tranſcripſit, ſed de his fuſius egi Diſſert. 4. cap. 7. §. 9. Hæc omnia confirmo ex MS. Chron. Vorav. quod ita tradit: *An. Dom. MCLXXXVI. præfatus Dux Styriæ Ottochir iterum conſiderans avorum parentumque ſuorum diligentius magnificam gloriam, ſimulque vitæ mortalis inconſtantiam, neceſſario duxit pro ſua ſuorumque ſalute curam gerere, & cui rerum ſumma poſt eum eſſet relinquenda, deſignanter oſtendit: ita ſibi dilectiſſimum Ducem Auſtriæ Leopoldum, conſanguineum ſuum, & Fridericum filium, ſi ſibi ſupervixerint hæredes, deſignavit, Miniſteriales more Miniſterialium, proprios jure propriorum; excepit tamen quingentos manſus, ut præfertur, pro ſalute ſua donandos, ſimiliter petitiones Eccleſiarum, advocatias Monaſteriorum, quæ prædeceſſores & parentes ſui fundaverunt, voluit, ut ipſe Dux in defenſione ſua clementi ſine ſubadvocatis, manu teneat, jura Miniſterialium ſuorum & Comprovincialium, ſicut ſcripto comprehenſa ſunt, voluit, ut illibata maneant.* V. in lib. Privileg. fol. 16.

Vorav. res.

Penes univerſales has tabulas dedit idem Dux Ottocarus chartas ſpeciales etiam Monaſteriis variis, quibus hæredis deſignationem, & ſuam in loca S. propenſionem ſatis indicat. Charta Canonicis Vorav. data videri poteſt inter Dipl. mea num. 65. exſtat authographum in archivo collegii Vorav. ſignatum eodem die, anno, loco, ut teſtamentum ipſum; eodem hoc an. *Richerus de Hagenfeld* Miniſterialis *Marchionis* adhuc Ottocari, cum authoritate ejusdem Vorav. Eccleſiæ delegavit allodia ſua cum filio, ſi hic ſine hærede obiret. Notitiam hanc

Hagenfeld de Richerus.

Vorav.

Vorav. ex archiv. Vorav. deſumptam, v. inter mea Diplom. num. 67. donationem diu ante, dum Ottocarus adhuc Marchio eſſet, conceptam, & hoc primum anno devolutam, ac collegio extraditam cenſeo, tum ob verba *Marchionis* Ottocaro adjecta, cum ob ſigillum Marchionis appenſum, in quo clare legitur: *Otacher Marchio Styrenſis*, de hac ita MS. Chron. Vorav. *eodem anno, quo ſupra, quidam Miniſterialis præfati Marchionis Ottocari nomine Richerus, intenta ſalute propria ac communi omnium redemptione fidelium, Vorav. Eccleſiæ ſub petitione & authoritate ſæpe dicti Marchionis, prædia ſimul & allodia, ut patet lib. privil. f. 17. condonavit.*

Ottocarum Ducem poſt teſtamentum editum, Eremitam Seizenſem factum non eſſe (uti jam pluribus Diſſ. 4. cap. 7. §. 10. oſtendi) abunde loquuntur curæ ejus pro Provincia, & Diplomata annis ſeq. edita: hoc adhuc anno naſcentis Redemptoris præſepe in Admont. ſacrario eſt veneratus, ne vero illud ſine munere relinqueret, vicinam alpi Laventinæ ſylvam 6. Kal. Jan. donavit. V. Diplom. mea num. 69. enumerantur hoc in Diplomate bona plurima Admontenſium a variis donata, & quæ in Styria moderna inferiore ſita ſunt, *Marchiæ* nomine appellantur, qua de re actum eſt Diſſert. 1. §. 25. plura alia bona confirmata ab Ottocaro ac prædia 3. adjecta habet Diploma num. 70. inter mea, ex quo clare pateſcit, Ottocarum hoc an. Admontes navitatem Domini egiſſe, *atque Ortolfum de Graeze Ducis Miniſterialem* Monachum Admont. factum, 20. manſus per *Herrandum de Wildonia* obtuliſſe Duce præſente: ex eodem Dipl. colligitur filia quædam *Marquardi de Starchinberg* monialis Admontenſis facta, uti & duæ filiæ *Herrandi de Wildonia.*

Ottoc. VI. n. eſt factus Seizenſ.

In Adm. exiſtit.

Graz de Ortolfi. Mon. Admont. Wildon de Her. Starchenberg de Marquard.

Cunegundem fundatr. Vorav. Ottocari VI. matrem, prædium ad Mirtscaren obtuliſſe Admontenſibus, ex Dipl. præced. 69. habetur, erat enim hoc licet turbido ſchiſmatis tempore, Styris noſtris, exemplo Principum ſuorum, innata quodam modo munificentia in ſacra loca & ita quidem, ut Princeps non modo non obſtaret, ſed exemplis etiam ſuis ſuorum animos confirmaret.

Chuneg. March. donat Admont.

Cæterum eodem fere die Urbanus III. Papa omnia Ciſtercii Runenſis Diplomata & privilegia confirmavit urbe veteri 7. Kal. Jan. v. Dipl. Styr. parte 2. fol. 41. Dipl. Run. 67.

Runenſ. res.

Hæc dum in Styria gererentur, Fridericus Dux Bohemiæ in Auſtriam profugus venit, ſed auxilio fratris ſui Alberti Salzburg. & conſanguinei ſui Leopoldi Ducis Auſtriæ Bohemiam recepit, & æmulum ſuum ex ea ejecit. Ita Chron. MS. Clauſtroneob. apud auth. Germ. S. præcedente vero anno teſte Chron. Mellic. Idem *Luipoldus Dux exercitum ducens contra Comitem de Ortenburch, ipſum captivum in Auſtriam duxit*, quæ tamen ad annum 1192. magis pertinere reor, ut ex Chron. Reicherſp. ad eum annum patebit.

Auſtriæ & Salzb. res.

ANNO 1187.

An. 1187.

Indict. 5. Greg. VIII. P. 1. Frid. Barb. Imp. 36. Ottoc. VI. Styr. March. 23.

Annus hic eo inclementior, quo benignior præcedens, etenim ut Valvaſ. Chron. Carn. lib. 14. fol. 292. priore anno menſe Febr.

Annus fatal.

jam

jam flores arborum undique viſi, frumentum & triticum Majo ex integro maturum, ac vindemia omnis menſe Aug. peracta erat, annusque omni fertilitate repletus, ſed ut mutabilia ſunt humana omnia, annus hic ſæviſſimus erat rigore hyemis, ad Pentecoſten continuato, ita, ut omnes fruges tardiſſime colligerentur, vindemia ipſa ad nativ. Domini protracta, morborum quoque ſeges, & gravis & multiplex orbem invaſerat. Confirmantur hæc ex Chron. Mellic. docente: *MCLXXXVII. omnium penuria maxima facta eſt, & peſtilentia hominum ſimul & animalium.*

Clades Chriſtian. in Palæſtina. Dum Imperator pro pace inter ſe & ſummum Pontificem reducenda legatos mittit Romam, feralis ex oriente curſor appulit, qui Chriſtianum in Palæſtina exercitum 5. Nonas Julii internecione deletum, & triumphale lignum crucis a barbaris captum nunciavit. Urbanus inde propemodum mærore confectus 14. Kal. Nov. obiit, cui mox 12. Kal. Nov. ſubſtitutus eſt Gregorius VIII. qui tamen & ipſe 16. Kal. Jan. inopine defunctus eſt, ac electus 14. Kal. Jan. Clemens III. amiſſa dein Jeroſolyma Can. Regulares cuſtodes Dominici ſepulchri in occidentem venere, ibique ſe late diffuderunt.

Urb. III. P. † Greg. VIII. P. Clemens III. P.

Göſſ. res, Guettenberg de Luit. In Styria vero *Luitoldus dynaſta Guettenbergicus* Parthenonem Göſſenſem inſigni munificentia eſt proſecutus, ſacro huic Virginum cætui Abbatiſſæ hactenus, 8. præerant Chunegundes, Adelhaides, Diemudis, Margaretha, Hemma, Wilburgis, Richardis, & Adoleuſia, de quibus hactenus, quæ exſtabant, propoſui, nona Abbatiſſa erat Ottilia Comitiſſa de Guttenberg, Luitoldi dicti ex Eliſabetha filia, incertum, quo anno electa, hoc certe anno, opulenta dote, quam Ottiliæ dederat, non contentus genitor, aſſentientibus filiabus reliquis, Chunegunde ac Gertrude generisque *Wilhelmo Com. de Humeberg*, & *Herrando Wildonio* ſitam in agro Leobienſi, B. Martyris & Epiſc. Dionyſius Eccleſiam, 50. colonorum fundis, quos manſos appellabant, divitem, Parthenoni Göſſenſi tranſcripſit. Ratam hanc munificentiam dato Kal. Octobr. Diplomate Dux Ottocarus habuit, dum Luitoldum in caſtro Guettenberg hoſpes inviſeret. V. Diplom. Göſſ. num. 11. inter mea num. 71.

Göſſ. Abbatiſſæ primæ 9.

Guettenberg de Ottilia Abb. 9.

Ottoc. VI. in Guettenb. exiſtit.

Eliſ. de Guettenberg. dat Göſſ. Eccl. S. Viti in Prelep. Æmula marito, Eliſabetha conſors, alterum quoque fanum D. Vito M. in monte vicino conſecratum addidit, in Prelep dictum, quam pietatem idem Dux Ottocarus patentibus rurſus litteris approbavit, v. Dipl. Göſſ. num. 16. inter mea num. 74.

Seiz. res promoventur a Dieter. Ep. Gurc. Kapfenberg de Wulfing. Seizenſi Eremo Dietricus Gurcenſis Epiſcopus 11. Kal. Febr. in Pilſtein exiſtens, dedit partem beneficii de *Rohrbach*, quod *Wolvingus de Kapfenberg* in beneficio habuit a Gurc. Eccleſia, unde cum *Wulfingus Kapfenbergius* id ad dies vitæ ſolum dare potuerit, Dietricus cum conſenſu Papæ Lucii antea obtento, & rogatu Alberti Salzburg. totaliter, & in perpetum reſignavit. V. Dipl. Seizenſe 8. in Dipl. Duc. Styriæ. Item *Bertholdus de Andechs* Marchio Meraniæ iisdem Seizenſibus inter hunc annum & 1204. confirmavit donata a Patre ſuo, nempe 2. modios frumenti, & 10. menſuras de Braſio in Windiſchingrätz, v. Dipl. cit. Göſſ. 22. ex Dipl. cit. Göſſ. 8. patet etiam hoc an. *Willibalmus Prior de Gyriovva.*

Andechs de Berthold.

Wilhelmus Prior Gyriow.

In

In fine hujus anni Adalbertus Salzburg. celebravit capitulum, ſeu parvam Synodum in Libnitz, ſeu Leibnitz 18. Kal. Jan. quæ in ea geſta ſint, exponit notitia in Cod. Dipl. Admont. ſub num. 42. actum nempe inter alia de Eccleſia S. Walburgis, quam hæredes fundatoris Admontenſibus tradiderunt, confirmante Adalberto Salzb. Apoſt. ſedis legato altero an. 7. Idus Junii ſub indictione 6. præſentes erant huic Synodo *Otto Abbas Ozziac. Eckebardus Præp. de Solio, Ortliebus Archidiac. de Volkimarcht, Eberhardus de Nuvenkürchen* (hunc & ſeq. plebanos fuiſſe colligo) *Liutoldus de Widis, Heinricus de Merin, Chunradus de S. Floriano, Cadilochus de Cradvvin, Henricus de Graze, Geroldus de Murce &c.*

Leibniz Synod.

Admont. obtinent Eccl. Walburgis.

De Gradwein, Graz, Murz Plebant.

In eodem Capitulo Leibnizenſi Adalbertus donationem *Udalrici plebani S. Martini in Hartberch*, & *Reinberti plebani S. Martini de Libniz* fratrum uterinorum, factam Admont. de Parochia Lieſnich confirmavit. Ita Cod. Dipl. Admont. cit. fol. 722. & 723. deſcribitur inibi horum duorum fratrum proſapia nobilis, *Reinpertusque Decanus & Plebanus in Viſcha* eorum patruus nominatur. Inter teſtes donatæ Parochiæ Lieſnich adducitur etiam *Bernardus Præp. Wozovvizenſis*, quem eundem cum noſtro cenſeo, & *Woravvienſis* pro *Wozovvizenſis* legendum.

Udalrib. pleb. Hartberg. Reinbert. pleb. Leibn. Lieſnich Paroch. Admont. Viſcha de Decano Reinbertus Bernard. Præp. Vorav.

ANNO 1188.

An. 1188.

Indict. 6. Clement. III. P. 2. Frid. Barb. Imp. 37. Ottoc. VI. Mar. Styr. 24.

Ad vindicandam Jeroſolymam, crucisque trophæum Moguntina hoc an. curia eſt indicta, in qua de bello ſacro decernendum, convenere plerique Principes & antiſtites, Imperator, ut exemplo firmaret plures, ipſemet cum Friderico filio ſacram Crucem recepit, ac expeditio illa in ſequentis anni Majum decreta.

Expeditio ſacra decreta.

Excludebatur ab hac S. militia invitus licet Ottocarus, cui crux in afflicto corpore domi ſatis onuſta erat, plures tamen Styriæ noſtræ nobiles crucem ſecuti, relictis rebus ſuis, in Palæſtinam ſe recepere, varias horum res ex variis notitiis, diplomatibus nominatim e codice Dipl. Admont. colligo, ita codex cit. num. 113. pag. 787. *Rudolfus Dei gratia Abbas, notum ſit &c.* qualiter quidam nobilis homo *de Peckach Ulricus vocabulo, cum ejus cordi Divina inſpiravit clementia, quatinus pro redemptoris ſui, ſanctæque crucis gratia vellet ſubire laborum diſcrimina in expeditione Jeroſolymitana veniens ad nos cum fratre ſuo Luitoldo vendidit nobis &c.* Item pag. 793. num. 121. *In memoriam reducimus cunctis fidelibus &c. quod Hervvicus Boemus Mareſchallus Ducis Styriæ iturus Jeroſolymam an. Dom. Incarn. MCLXXXVIII. delegavit ſuper altare S. Blaſii &c.* pag. 794. num. 122. *Notum ſit omnibus &c. qualiter Sifridus Comes de Liubenavv iturus in expeditionem S. Crucis cum Dom. Friderico Imp. &c.* pag. 796. num. 126. *Notum ſit, qualiter Comes Chunradus de Pilſtane in expeditione illa Jeroſolymitana, cum conjuge ſua Adela, & cum filiis Friderico, Sigefrido, Chunrado, prædium, quale habuit in Marchia &c.* pag. 801. num. 140. *Rupertus de S. Georgio iturus Jeroſolymam vineam ſuam apud Averam ſitam delegavit in manum Ottonis de Cbulm &c.* pag. 802. num. 141. *Hartnidus de Ruckerſpurch iturus Jeroſolymam pro remedio animæ ſuæ &c.*

Ottocarus ei adeſſe nequit.

Rudolfus Abb. Admont.

Pecka de Ulric9 in Paleſt. abit.

Luitold. frat.

Bobemus Hervvicus Mareſch. Duc. in Palæſt. abit, item Liubenaw de Com. Sifrid. Pilſtan de Com. Conr. ux. filii S. Georg. de Rupert. Reckerſpurg de Hartnid.

Plures fuerint Styriæ nobiles, mihi tamen hactenus incogniti, Iſenricum vero Abbatem Admont. itineris ſacri ſocium annus ſequens & 1190. oſtendit.

Ottoc. VI. dat Admont. 2. Eccl. Eccl. S. Petri & S. Jacobi in Leuben.

Ottocarus interim noſter, dum infirmitate preſſus id iter ſuſcipere non potuit, reipublicæ tamen ſaluti conſtanter intendit, & cultum Numinis ſua in Provincia, inſtaurata libertate promovit, etenim geminas *ad S. Petrum & ad S. Jacobum in Liuben Eccleſias* expeditis, ad Adalb. Salzb. ſuppliciter id expoſtulantem litteris 4. Nonas Aug. Admontenſi Cœnobio contulit; ait his in litteris Ottocarus, ſe ad Adalberti *preces (quæ locum mandati apud me obtinent)* eas 2. ſuæ proprietatis capellas tradidiſſe. V. Diplom. mea num. 73. donatio *apud Chrungilſee* facta eſt. Inter teſtes *Albero Plebanus de Ruckerſpurg, Sigifridus Capellanus meus &c.* dein ſequuntur nobiles & miniſteriales, ut in cit. Diplom. vide.

Ruckerſpurg de Albero Pleban.

Ottoc. VI. res in Hilar. Mon.

Dum vero Princeps noſter eodem anno Ciſtercium Hilarienſe Danubio adſitum inviſeret, munificentiam ſuam, unico Cœnobiarchæ baſio perquam libenter expugnari eſt paſſus, ita enim habet Garſtenſis ſcheda: *Ottocarus in Monaſterio Willering ſacrificio præſens ab Hiltgero Abbate pacis oſculum accepit, & Monaſterium dotavit, eo quod Abbas Leproſo pacis oſculum dare non abhorruerit.* Sed Haſelbachius apud Hieron. Pez tom. 2. col. 713. cum Anonymo Leobienſi id de Archi-Epiſcopo Salisburg. referunt. Dotatio illa Monaſterii Hilarienſis facta dicitur per curiam *Reidlern. Plura etiam bona*, inquit cit. Haſelbachius, *Monaſterio in Gluniaco, cum veniret, larga manu diſtribuit.*

Et in Glunic. Monaſt.

S Lambert. aulam ſeu B.V.M. Imhoff.

Author fund. Mon. S. Lamberti f. 23. apud Prevenhueb. f. 398. ita etiam loquitur: *Monachis Lambertinis obtulit Ottocarus propter Dei miſericordiam aulam ſuam Principe tum temporis ſane dignam ante vitæ obitum ac templum illud adjunxit huic vulgariter ab incolis B. Virginis* Imhoff *appellatur.* Opinatur Prevenhueberus, aulam hanc Principem, fuiſſe arcem ſeu Burgum illud, quod veteres Comites de Muerzthall & Eppenſteinii Duces Carinthiæ inhabitabant.

Thaun de Com. Wolfrad an 2. Præt. Styr. Wildon. de Hemud an 3tius.

MS. Chron. Styriæ tom. 1. cap. 70. & 68. docet: *Wolfrado Comite de Thaun* ſecundo Capitaneo, ſeu Prætori Styriæ hoc anno defuncto, ac in Parochia Traven ſepulto ſucceſſiſſe *Hemudum de Wildonia* Dominum de Rackerſpurg, Gleichenberg, & Steyeregg ſimul *hæreditarium Mareſchallum Styriæ*, qui dein an. 1202. obiiſſe fertur. Sed jam anno 1178. obſervavi, *Richerum de Mahrburg*, non an. 1178. obiiſſe, cum hoc an. citetur in Dipl. Ottocari dato pro Admontenſibus: plures adhuc nævi, hac in narratione latent, quos ex vetuſtis documentis oſtendo, & quidem 1. ut plus largiar, cenſeo *Richerum de Marchburg* forſitan hoc an. defunctum poſt 4. Non. Auguſt. quo adhuc teſtis ſubſcripſit Diplomati Admontenſi citato, ac dein eidem *Wolfradum Comitem de Daun* ſuffectum. Aſt 2. Wolfradus hic Comes de Thaun (quem cit. Chron. Styriæ affinem veterum Comitum de Sternberg fuiſſe, & penes Celejam ſua habuiſſe prædia ſcribit) mihi hactenus inter Dynaſtas & Miniſteriales Marchionum, & Ducum noſtrorum nullibi occurrit. *Trauniorum* Comitum in Auſtria ſuperiore familiam ortam a Comitibus de *Abenſperg* lego in lexico univerſ. Baſileenſi tomis 6. comprehen-

Marchburg de Richerus.

Traun Com. antiq. familia orta ex Abenſperg.

prehenſo, horumque Wolframum e 32. filiis Babonis Abenſpergenſis fuiſſe, ex qua ſerie *Bernardus I. de Abenſperg & de Traun* apud Ottocarum an. 1113. & *Bernardus II.* uti & *Berengerus* an. 1169. ex Diplom. Ottocari dato Cremifanenſibus Miniſterialis Ottocari VI. invenitur. In Diplomate Admont. 71. inter mea num. 35. inter teſtes Ottocari lego *Dietricum de Trun* ad an. 1164. atque an. 1181. circiter in Diplomate Ottocari Garſtenſibus dato inter mea num. 54. comparet *Erneſtus de Trun.*

Babo Abenſp. Wolframus. Bernard. I. II. Berenger. de Traun. Dietric. Erneſt.

Seriem huj. Illuſtriſſimæ ex Abenſpergiis ortæ familiæ pandit Hübnerus tab. 562. quos inter adducti jam *Dietricus, Erneſtus, Bernardus I. & II.* leguntur, nullus tamen *Wolfradus, Wolframus, ſeu Wolfangus* author ſeriei an. 1080. & *Wolframus II.* an. 1104. defuncti fuerunt, poſthac nullus Wolframus vel Wolfradus conſpicitur. *Dietricum de Truna* exhibet Diploma Glunic. an. 1073. apud Excell. Wurmbrandium fol. 10. uti & *Bernardum* an. 1069. fol. 70. item *Berngerum, Fridericum* tardius circa an. 1208. *Henricus & Erneſtus de Truna.* Plura de hac in annot. ad Diplom. mea citata. Id ſolum concludo, *Wolfradum* illum *Comitem de Traun vel Daun* vix inter Prætores Styriæ collocandum, ſed, ſi ex Truniis quidam fuit, eum alterius nominis fuiſſe.

Wolfrem. I. ſeu Wolfg. Wolframus II. Frider. Henr.

Quod concernit tertium Capitaneum, ſeu Prætorem Styriæ, *Hemudum de Wildonia*, error denuo latebit in nomine, legendusque erit *Herrandus de Wildonia*, quem Styriæ documenta plurima manifeſtant, etenim *Herrandus* hic invenitur, citatur teſtis in Diplom. Ottocari VI. inter mea num. 53. an. 1180. item an. 1181. in Dipl. Ottoc. VI. inter mea num. 54. an. 1182. in Dipl. Ottocari VI. num. 58. an. 1184. in Dipl. meo num. 61. an. 1186. in Dipl. meo num. 70. ac in Dipl. meo num. 86. an. 1182. ac ex Diplomatario Styriæ *Herrandus de Vildonia* ab an. 1187. ad 1270. innoteſcit, unde plures fuiſſe colligo, quorum unus ſenior & I. alter junior & II. dictus fuerit. Herrandus hic uxorem habuit *Gertrudem Guettenbergicam*, ut ex dictis an. 1187. patet, plura de hac vetuſtiſſima familia in annot. meis ad Dipl. in fine, interim cenſeo Hemudo illi Wildonio ex MS. Chronic. Styr. cit. ſubſtituendum eſſe Herrandum, atque non Herrandum illum, ſed *Hertnidum Vildonium Mareſchallum Styriæ* ſubſcriptum lego ad an. 1277. & ſeq. uſque 1295. quo tamen non obſtante, ut ſæc. 11. oſtendi, Wildonii jam ab an. 1120. eam hæreditariam dignitatem tulerunt ad an. uſque 1324. de his pl. in annot. meis.

Wildon de Hemudus n. inventur, ſed Herrandus I. & ſenior, vel Hertnidus Mareſch. Styr. Herrand. II. ſub.

ANNO 1189. *An. 1189.*

Indict. 7. Clement. III. P. 3. Frid. Barb. Imp. 38. Ottoc. VI. Styr. Mar. 25.

Hoc itaque anno peregrinatio ſeu expeditio potius ſacra ſuſcepta eſt, Frider. enim Imp. curia Ratisbon. circa feſtum S. Georgii celebrata occurrentibus ſibi reliquis cruce ſignatis, conſcenſa navi prætoriana (ubi antea Henrico filio relicta rerum ſumma, ſupremos inter amplexus valedixit) abiit, cum autem Viennam perveniſſet cum exercitu, Leopoldus Dux non ſolum Imperatori, ſed etiam toti exercitui omnibus in rebus providit, delectatus ea Principis humanitate Cæſar tan-

Expeditio ſacra, Frider. Imp. eam ſubit. Viennam venit.

tiſper Viennæ ſubſtitit, tandem ulterius iter proſecutus cum ſuis, nec immemor humanitatis a Leopoldo Auſtriaco perceptæ, dein e Græcia ejdem Leopoldo litteras familiares perſcripſit, quas apud Freherum tom. 1. pag. 405. vide.

Dux Auſt. Leopoldus crucem S. non acceperint.

Cur Leopoldus Auſtriacus Crucem S. non ſuſceperit, inſinuat author incertus Chron. Auſtr. apud Hier. Pez tom. 1. col. 568. qui eodem hoc an. etiam definit: ita vero ait: *Erat etiam Leopoldus illuſtris Dux Auſtriæ ardentiſſimo deſiderio, ut in hac militia Domini arma contra inimicos Crucis Chriſti cum cæteris Principibus ferret, cum tamen recenter inde reverſus fuerit, ſed gravis diſſenſio de terra, quam Styrenſis Dux nepos ejus Ottakerus elephantica ægritudine percuſſus, aſſignaverat & coram imperio ſibi tradiderat, inter ipſum & eundem Regem* (nempe Ungariæ Belam III.) *verſabatur de diſcrimine terræ ſuæ, quam Imperator ſumma diligentia conatus, exſtirpare non potuit* (quod forte hoc in itinere Vienna in Hungariam, indeque in terram S. ſuſcepto perficere laboraverit Fridericus) *Ipſe vero Dux imperterritus, ad tuitionem terræ ſuæ remanens, ſumptus, quos ad eandem expendere propoſuit viam, in omnium peregrinorum uſus diſtribuit.* Jam Diſſ. 4. cap. 7. §. 7. dixi litem hanc non de integra Styria, ſed de parte ejus fuiſſe, doluerat enim Regi Hungariæ, magnam Styriæ ad orientem partem, Pannoniæ fuiſſe decerptam, ſpesque erat, deficiente jam Ottocaro eam lucro recuperandi, repetebat, ſi fides Chronic. cuidam Hung. germanice edito an. 1534. Styriam a monte Semering uſque ad Admont. ſecundum Anaſi fluenta, gravia cogitaſſe, minatumque fuiſſe Regem, inde conſtat, quod Imperator omni adhibita diligentia, diſſenſionem hanc exſtirpare ſruſtra conatus fuerit, nihil tamen ut auderet Pannonia, magnanimitas & fortitudo Leopoldi obſuit.

Partem Styriæ ſibi petit Bela III. Hung. Rex.

Nempe a monte Semering ad Monaſt. Admon. uſq.

Ottoc. VI. Milleſtad. benef. in Graz.

Ottocarus noſter, quo minus ad inviſendum obſequii cauſa Cæſarem, Viennam venerit, lepra prohibitus fuerit, quæ tamen impedimento non fuit, quo minus eodem tempore Milleſtadienſis Eccleſiæ colonis in ſua Dynaſtia *Naun* (nunc portus Naonis appellata) quoad ſylvas & paſcua idem jus contulerit, quo Ducis ipſius ſubditi fruebantur, datum eſt privilegium *in Grez 13. Kal. Junii.* V. Ludewig. Dipl. lib. 4. inter Diplom. Milleſtad. num. 4. fol. 176.

Et Runenſ.

Diutius perſtitiſſe Ottocarum Græcii, indeque Runæ denuo commodis obſequutum oſtendit Diploma Run. 12. inter mea num. 75. datum *Græze in civitate 4. Id. Auguſt. die S. Laurentii.* Eo in Diplomate confirmat donata a Patre & matre ſua, dein fatetur de ſe ipſo, *ſe tres ſupra dictas illas, Reze, Scraſindl, & Judendorff*, defuncto Patre ad ſuum detinuiſſe ſervitium, nunc autem ſua injuſtitia cognita, easdem villas ex integro reſtituiſſe; varii inter teſtes occurrunt Styriæ plebani, & quidem *Ortlibus Archi-Presbyter Capellanus meus de Viſchach, Heinricus Plebanus de Greze, Conradus Plebanus de Marchburg, Wernhardus Plebanus S. Ruodberti ad Rabam &c.* Quoniam vero in ſubſcriptione hujus Diplom. additur: *Runenſe porro Cœnobium regente Wilhelmo humili Abbate. Othmarus II.* Runenſ. Abbas jam defunctus fuerit, ei ex Catal. Runenſ. Abb. ſucceſſiſſe opinor *Wilhelmum Murecker*, ſeu e Dynaſtarum Murreggenſium ſtirpe oriundum, inſignis ſanctimoniæ virum, de quo Catal. cit. ita habet: *Runenſem rexit Eccleſiam 6. annis, vir Columbinæ ſimplicitatis, &*

Viſchach de Archipr. Ortlibus Graz de Pleba. Henr. Mabrb. de Conr. S. Ruperti de Wernhard. Othmar. Ab. II. Run. ſuc. Wilhelm. de Mureg.

ſacræ

ſacræ religionis zelator fervidus, plus ſpiritualibus intendens, quam temporalibus, in libris ſacræ legis comparandis applicuit animum.

Expeditionis ſacræ initium viros jam inſignes rapuit, etenim cum 3. Idus Auguſt. Frider. Imp. apud Straliten Bulgariæ oppidum cum ſuis adveniſſet, Admontenſis Cœnobiarcha Iſenricus tumulo illatus eſt, prius cœleſtem urbem Jeruſalem, quam temporaneam viſurus. Necrol. Admont. ait: 4. *Id. Aug. Iſenricus Abbas noſtræ Congreg.* obiit, annum declarat Chron. Admont. *MCLXXXIX. Frider. Imp. cum exercitu ſignatorum S. Crucis verſus Bulgariam in auxilium S. Sepulchri tendit, in cujus Comitatu Iſenricus Abbas Admunt. obiit, & Rudolphus prius electus ibidem reſtituitur*, an. ſeq. obitus notat Chron. vetus Garſtenſe. Unanimi itaque eligentium calculo, ſedi ſuæ reſtitutus eſt Rudolphus II. qui rem domeſticam inſigniter auxit, & ad an. 1199. præfuit. *Iſenr. Abb. Adm. obit.* *Rudolph. II. denuo Ab. Adm.*

Adalbertum Salzb. hoc anno in Leibniz fuiſſe, probat Diploma fundationis in Puchberg, vulgo Scheiblickirchen a rotunditate dictæ, quod Leibnizii datum eſt, inter teſtes *Otto de Lamberg.* *Adalb. Salzb. in Leibniz.* *Lamberg de Ot.*

Neſcio, an non huic, vel anno 1187. ea affigenda ſint, quæ Adalbertus II. Archiep. Salzb. in Diplom. Seccov. 27. an. 1197. Geroldo II. Præp. Seccov. dato enarrat; ait enim in eo 1. ſe poſt multas tribulationum preſſuras toleratas (proin poſt reſtitutionem ſuam) in Seccovienſi Monaſterio conſecraſſe tria altaria S. Crucis, S. Nicolai, S. Margaritæ, & quidem per ſe ipſum, quod proin hoc anno vel 1187. quibus in Styria Leibnizii morabatur, factum fuiſſe judico. 2. Se diſpoſuiſſe Petrum Parentinum Epiſcopum ad dedicanda altaria S. Sepulchri, & S. Auguſtini, & Wolfckerum Patav. ad conſecrandam Capellam S. Jacobi in hoſpitali pauperum. Wolfckerus, cum an. 1190. electus fuerit Epiſc. Patav. poſt eundem annum Seccovium miſſus fuerit. 3. Eccleſiam Heinrichſtorff per Popponem Retinenſem (fors Petinenſem nam Valvaſor. Chronic. Carniol. lib. 8. fol. 677. &c. MS. Seiz & Obernburg oſtendit Fridericum ad an. 1163. & dein Popponem ad annum 1231. Petinenſem Epiſcopum fuiſſe, v. Diplom. Seizenſe 20.) conſecratam, confirmatam Eccl. Schönberg. 4. Capellam S. *Andreæ in Vetſin* ſeu *Witſchein* a ſe dedicatam (eodem circiter tempore, utpote media vix die a Leibnizio diſtantem) datamque fratribus Seccov. ibidem manentibus dimidiam partem decimarum Epiſcopalium. Hodie hæc Parochia Admontenſibus quoad jus præſentandi ſubeſt, a ſæculari autem plebano adminiſtratur. 5. Teſtatur ſe duas partes decimarum Epiſcopalium in villis Arbendorff & Newendorff juxta flumen Wides ita contuliſſe. 6. Dimiſiſſe ſe decimas 1. manſi in Chumben; tandem confirmat omnia privilegia anteceſſorum ſuorum, ſtatuta Pontificum, & *quæcunque conſanguineus noſter dilectus Ottocarus Dux Styriæ ſuper ſalinis & metallis in fundo Seccovve &c.* dederat. *Item Petrus Parent. Wolfck. Pat. Popo Petin.* *Heinrichsdorf Eccl. Seccov.* *Schönberg confr. Witſchein Eccl Seccov.*

Conſanguineos fuiſſe Ottocarum VI. & Adalbertum II., teſtatur ipſe Adalbertus diſſertis verbis, unde ruit illorum ſententia, qui contra Synchronos Chronograph. Reicherſperg. & Archidiac. Salisburg. in hiſtoria calamitat. ejusdem Eccleſiæ Adalbertum non ex Gertrude Auſtriaca, ſed ex Juditha ſeu Cæcilia, Ludovici III. Thuring. Landgravii filia natum contendunt, hoc enim pacto Ottocaro conſan- *Ottoc. VI. & Adalb. II. conſa.*

guineus non fuiſſet, eorum vero conſanguinitatem hoc ſchemate breviter oſtendo:

Leopoldus III. pulcher Marchio Auſtr. ux. *Itha* filia Henrici III. Imp.

S. Leopoldus IV. pius & Canonizatus, *Agnes* ux. fundat. Clauſtroneob.	*Eliſabetha* Auſtriaca Mar. *Ottocar. IV.* fundat. Garſt. 2.
Gertrudes uxor prima Uladislai II. Bohemiæ Regis.	Leopoldus ſortis March. Styr. ux. Sophia.
Adalbertus II. Archiep. Salzb.	Ottocar. V. fund. Vorav. ux. Chunegundes.
	Ottoc. VI. Dux I. Styriæ.

Hæc proin conſanguineos fuiſſe Adalbertum II. Salzb. cum Ottocaris noſtris clare oſtendunt.

An. 1190.

ANNO 1190.

Indict. 8. Clem. III. P. 4. Henr. VI. Imp. 1. Ottoc. VI. Styr. March. 26.

Expeditio ſacra.

Expeditionis ſacræ labores moram hiſtoriæ noſtræ injicerent, ſi eos fuſius proſequeremur, cum vero geſta hæc undique facile videri poſſint, ea ſolum depromo, quæ ad Styriæ res pertinere videbuntur, ſecutus eſt Imperatorem non ſolum Diepoldus Patav. Epiſc. cum nobilibus aliquot, ſed etiam Leopoldus Dux Auſtriæ autumno currentis anni hujus, expeditionem felicem abrupit mors Friderici, cum enim hic ſuperatis difficultatibus immenſis, pluribusque contra Turcas ad Iconium victoriis Sultanum debellaſſet, cumque Iconium Dux Sueviæ mirabiliter cepiſſet, hoſtesque denuo fugaſſet, Imperator in fluvio Colydno ſubmerſus periit 10. Junii ætatis 69.

Leopold. D. in orient. abit. Frideric. Imp. †

Superſtites dein reliquias exercitus peſtilenti morbo correpti Fridericus Suevus ad caſtra Aconam obſidentia deduxit, ea in obſidione obiit etiam Diepoldus Patav. Epiſcopus 3. Nonas Novemb. apud Accon ſepultus, Decanus ejus Tageno, qui diarium expeditionis hujus conſcripſerat: antea jam apud Tripolim dies ſuos abſolvit. Leopoldum Auſtriæ Ducem in obſidione Ptolemaidis adeo ſtrenue pugnaſſe ajunt, ut hoſtium cruore undique tingeretur ſagum, illa modo parte candicante, quam baltheus obtexerat, quam originem Auſtriaci clypei vulgus credit, de quo conſulendi Auſtriaci, nominatim author faſtorum Campililienſium tom. 1. a pag. 430. ad 441.

Diepold. Pat. † Tageno Decan. Pat. † ſcriptor. Auſtriaci clypei origo.

Seccov. rer.

Seccovienſium commodis invigilavit Adalbertus II. Archiep. Salzb. Diploma Adalberti exſtat inter Seccov. num. 23. quo *ob frequentem obſequiorum erga nos fratrum Seccovienſium exhibitionem* (inquit Adalbertus) *duas partes* omnium decimationum, *in villas* Arbendoff, & Prodindorff, *ſeu* Nevendorff *juxta Rabam fluvium* eisdem tradit. Hæ duæ villæ in Dipl. 27. ejusd. Adalberti juxta fluvium *Wides* ſitæ dicuntur. V. anno priori, dies & locus deeſt, hoc tamen an. datum eſt Diploma, eo, quod *Wolfckerus* anno ſeq. Epiſc. Patav. factus, adhuc ſubſcriptus legatur Cellenſis præpoſitus. Ex eodem Diplomate habetur, Adalbertum (cum ſubſcripſerit *anno Pontif. noſtro* 23.) numeraſſe annos ſui Præſulatus a prima electione 1. Nov. an. 1168. concluſis ſimul annis, quibus Conradus III. Archiep. Salzburgenſem egit.

Arbendorff, Neundorff, juxta Rab. Raba fl. Wides dicitur.

Inter

Inter documenta Seizenſium in Catal. Priorum edito in Diplom. S. Duc. Styriæ part. 2. fol. 101. lego: *Sub quo* (nempe Nicolao I. Priore tertio) *in dedicatione Eccleſiæ an. MCLXXXX. per Gotfridum Aquilejenſem facta, plurima Monaſterio oblata fuerunt.* Idem habent docum. Seizenſia Græcii an. 1740. publici juris facta, quæ tamen dedicatio Seizenſis latuit Cl. de Rubeis ſollicitum rerum Aquilej. collectorem. *Seiz. Eccl. dedic. a Gotfrido Aquil.*

ANNO 1191. *An. 1191.*

Indict. 9 Cœleſtini III. P. 1. Henr. VI. Imp. 2. Ottoc. VI. Styr. M. 27.

Diepoldo fine prioris anni demortuo ſuffectus eſt Epiſcopus Patav. Wolfckerus nobilis de Ellenbrechtskirchen Can. Patav. & Præpoſitus Cellenſis, 5. Id. Martii, ita Chron. Reicherſperg. conſecratus Sabbato Pentec. Salisburgi ab Adalberto Archiep. in ſacerdotem, ſeq. vero Dominica in Epiſcopum, ab Henrico dein VI. die 18. Kal. Maji feria 2. Paſchæ Romæ coronato regalia indeptus. *Wolfger. Ep. Patav.* *Henr. VI. Imp.*

Eodem hoc anno penultimo Kal. Febr. Fridericus Dux Sueviæ obiit, qui paulo ante mortem Clementi III. ſupplicavit, ut illuſtrem equitum Teutonicorum ordinem ſua authoritate roboraret, quod dein Cœleſtinus ſucceſſor præſtitit, atque ab hoc tempore incepit ordo hic habere magiſtrum ordinis generalem, proſapia nobilem, eratque primus magiſter, frater *Henricus* Waltpot; feliciter promota ſunt initia militiæ hujus, etenim ſeculis ſeq. duo quoque in Styria domicilia obtinebat, commendam nempe Græcenſem an. 1233. a Frider. Duce bellicoſo fundatam, extra urbem in loco Lech dicto, ſeu, ut ait Diploma, *Eccleſiam ſitam in colle juxta civitatem* Pärſchgretz *in honorem Chunegundis ædificatam.* Altera commenda erat *ad S. Dominicam*, ſeu Groß-Sonntag circa an. 1222. erecta vel antea. *Teuton. equit. ord. origo.* *Waltpot Hent. I. mag. ord.* *Eorum 2. in Styr. commendæ.*

Præterea in Auſtriæ, Styriæque confiniis ſurrexit collegium Canonicorum Hoſpitalenſium, vulgo Spital dictum, de quo Bern. Noricus in Chron. Auſtr. tom. 1. ſcript. ita ſcribit: *Anno Dom MCXC. Otto Babenberg. Epiſc. conſtruxit Hoſpitale in monte Pirno, cujus Presbyterum inſtituere debent, Abbates Admuntenſis, Glunicenſis Garſtenſis, & Præpoſitus S. Floriani, ut dicitur in privilegio.* Conditum eſt, teſte Bruſchio, in uſum commodumque peregrinorum, illac fortaſſis in terram ſanctam tendentium, Hoſpitalis Præfectus Hoſpitalarius dictus eſt. An. dein 1418. hoſpitale in collegiatam converſum eſt ab Alberto Wertheimio Epiſc. Bamberg. conceſſu Martini V. conſtitutis in eo Canonicis 10., & uno, cui ſub nomine Decani, nunc Præpoſiti, cæteri parerent. Fridericus Aufſeſſius ſucceſſor Epiſcopus redditibus auxit, & ſtatuta converſationis præſcripſit, ubi dein ipſe abdicato Epiſcopatu privatam cum Canonicis vitam duxit an. 1440. ibidem tumulatus. *Canonia Hoſpit. antea Hoſpitale.* *Aufreſs de Frid. Epiſc. Bamb. fit Canon. Hoſpital.*

Bernardus Noricus in cit. mox Chron. Auſtr. ſequentia ſubjungit: *Item Ottacherus Marchio dedit Monaſterio in Glunich villam Tudich, quam ab Epiſcopo Patav. in feudo habuit, ſed poſtea Leupoldus Dux, avus Friderici Ducis, dedit eis Eccleſiam Tudich, ſcilicet an. 1201. ſub Stevens Abbate, ſucceſſore Marquardi poſt Ulricum Abbatem in Glunich.* Eadem habet Catal. Abb. Glunic. apud cit. Hier. Pez tom. 2. fol. 329. &c. ſed ſub 4. *Ottoc. VI. Glunic. dat Dietach pagum.*

Abba-

Abbate Rapotone nempe: 4. *Abbas Rappotho an.* 1201. *pagum ſeu vicum Dietach nuncupatum, quem Ottocarus Styrenſis Marchio, olim Monaſterio contulerat, Leopoldo Duci Auſtriæ & Styriæ cum omnibus juribus ceſſit, ab eodem Parochiam illius loci gratitudinis ergo recepit.* Sed, ſi Ottocarus *Marchio*, utique non hoc anno dederit, ſed ante annum 1180. hæc interim obſervanda erant, plura in annot. ad Diplom. 2. patebunt.

Eccl. & Paroch.

Trunæf. benef.

Certiora ſunt, quæ de liberalitate Ottocari in Trunæfanenſe Monaſterium referuntur ad hunc annum, etenim fatetur ipſe Ottocarus VI. ſe, ut juvenem, ſub pedagogo poſitum, ab iniquis conſiliariis ſeductum, *Arnoldum de Wartenberch* miniſterialem, ſubadvocatum huic Monaſterio dediſſe, qui vero juſtitia loci abuſus fuerat. Unde ad preces Diemudis Abbatiſſæ Trunæfanenſ. & Capellani ſui Eberhardi (qui fors Ortliebo Archipresb. de Viſchach, & Capellano Ottoc. VI. an. 2189. ut v. Dipl. mea num. 75. ſucceſſerit) Arnoldum compeſcuit, & integram Monaſterio juſtitiam reſtituit. *Acta ſunt hæc apud Aniſum, in interiore domo Rivvini, qui tunc temporis monetam tenebat.* Et quidem præſente Abbatiſſa Diemude. V. Diplom. mea num. 77. de hoc Monaſterio, origine ejus ac primis Abbatiſſis expoſui piura Diſſ. 4. cap. 3. §. 4. item c. 1. §. 4. ac an. 1048.

Wartenberch de Arnold miniſter. Ottoc. VI. ſubadvoc. Trunæf.

Diemued Ab. ib.

An. 1192.

ANNO 1192.

Indict. 10. *Cœleſtini III. P.* 2. *Henr. VI. Imp.* 3. *Ottoc. VI. Styr.* 28. *Leopoldi Auſtr. Ducis Styr.* 1.

Laufenſ. Conv.

Hoc anno *fuit magnum illud colloquium apud Luofan*, ſeu Laufen, *inter Principes majores terræ noſtræ, Epiſcopos videlicet & Duces ac Comites XII. Kal. Maji*, inquit Chron. Reicherſp. quid ibi actum ſit, non proditur. Credibile tamen eſt habitum propter diſſidia interna, quæ dein an. ſeq. violentius eruperunt teſt. Chron. Salisb. ad an. 1193. *Bavvari inter ſe diſſidentes omnem regionem incendio devaſtant.* Habitus præterea conventus Ratisbonenſis, cui etiam Henricus Imp. præſens erat, cum Wolfkero Epiſc. Patav. Ottone Babenberg. Cunone Ratisb. Epiſcopis, Luipoldo Duce Auſtriæ, Bertholdo Meraniæ Ulrico Carinthiæ, Ludovico Bawariæ, Comitibusque aliis plurimis, quos inter *Albertus de Bogen*, & *Rapoto Com. de Ortenburch* cum fratre *Henrico* memoratur, & hi Comites erant, qui Bavariam an. hujus fine & altero turbabant. Albertus enim de Pogen cum Ortenburgicis de limitibus & Monaſteriorum tutela contendebat, de quibus tom. ſeq. cum poſt Ottocari VI. mortem contigerint.

Ratisb. Conv.

Bavariæ turbæ ab Alb. de Pogen & Rapat. C. de Ortenburg, ac Henr. fr.

Seccov. benef. Ottoc. VI. donando prædia in Waltenstdorf &c.

Mors Ottocari Ducis noſtri primi, metam huic tomo, primoque labori noſtro ponet. Antequam obiret, munificentiam ſibi congenitam hoc vel certe priori anno exhibuit Canoniæ Seccovienſi, ut prolabentem jamjam valetudinem perenni apud ſuperos, poſterosque memoria innovaret. Diploma hoc Seccovienſe 24. inter mea num. 76. reperitur, donat Ottocarus Seccovienſibus pro meliore ſuſtentatione prædia ſua in Waltensdorff cum omnibus attinentibus uſque ad fluvium Pels, alpes adjicit ſupra Judenburch ſitas, Sealb dictas. Memorabilia ſunt hoc in Diplomate ea Ottocari VI. verba, *quod cum hæreditales*

les ſucceſſores ad gubernandum Principatum noſtrum abeſſe nobis prob dolor! videremus &c.

Cur enim doleret tantum Princeps omnimode celebs de abſentia hæredum, niſi deſponſatione jam peracta, a conſummando matrimonio, & morte ſponſæ, & corporis proprii infirmitate prohibitus fuiſſet. De quibus plura jam Diſſert. 4. cap. 7. §. 6. 7. 8.

Acta ſunt hæc an. Dom. MCLXXVII. apud Judenburch imperante D. Henrico VI. Imp. ſub Werenhero Præpoſito, annus adjectus 1177. vitioſus eſt, tum ob Ducis titulum Ottocaro adjectum, tum ob imperium Henrici VI. ab an. 1191. die 14. April. cœptum, ut adeo ad hunc vel priorem annum pertineat. *Judenburgi exiſtit Ottoc. VI.*

Tandem floridiſſimo anni menſe, tabe diuturna confectus Dux noſter emarcuit, funebrem ei diem 7. Id. Maji Necrol. Seccov. & Traunhirchenſe, 8. Id. Runenſe & Admont. aliique 9. Id. Maji ſtatuunt, vel etiam 6. Id. de quo ubertim dixi Diſſert. 4. cap. 7. §. 10. de ſepultura ejusdem Seizenſi ead. Diſſ. 4. cap. 6. in Ottoc. V. obiit vero an. 29. ætatis ſuæ, utpote natus 19. Auguſt. an. 1163. *Ottoc. VI. †*

Sepulta ſic cum Ottocaro Principum Styriæ domeſticorum familia Leopoldus Auſtriac. cognomento virtuoſus ab Ottocaro deſignatus hæres ſucceſſit, qui *accepit eundem Ducatum de manu Imperatoris valde ſolemniter apud Wormatiam in proximo Pentecoſtes, quod evenerat tunc in Nonis Kal. Junii*, ut ait Chronic. Reicherſperg. qui obtentis novis faſcibus illico Provinciam novam adiit, acceptoque in Comitiis Græcenſibus uſitato fidelitatis juramento, ut Ottocaros imitaretur, regimen a pietate & juſtitia eſt auſpicatus, Seccovienſeque Cœnobium in fidem & tutelam ſuam recepit. *Leopold. Virt. Auſtr. Dux Styr.* *Græcii homagium recipit.* *Seccov. rec.*

Chronologiam primi tomi cum morte Ottocari VI. & ultimi concludo, novam cum Auſtriacis Principibus tomo ſeq. Deo dante inchoaturus.

DIPLOMATA STYRIÆ,

Qua edita, qua inedita ad annum uſque 1192. ex editis illa, quæ Marchiones & Duces Styriæ, ex ineditis autem omnia, quæ noſtram attingere deprehenſa ſunt Styriam.

ORDINE CHRONOLOGICO

NUM. I.

An. 1082. Altmanni Patav. cum Ottoc. III. concambium pro Eccl. Garſtenſ.

Altmanni Patav. cum Ottocharo III. Marchione Styrenſi concambium pro Eccleſia Garſtina, Laureaci.

Ex Diplomatario Garſtenſi P. Eraſmi Frölich, S. J. Num. 1.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Altmannus Dei gratia Patavienſis Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum notifico, qualiter *nobilis vir Ottachar Marchio Styrenſis* nobiscum, & cum fratribus noſtris fecit permutationem propter rei memoriam paginæ præſenti commendamus. Siquidem *Marchio prædictus prædium unum in Behemberg*, & Eccleſiam cum area, in qua conſtituta eſt Eccleſia, per manus *advocati noſtri Udalrici* in manus noſtras libere tradidit, & quiete remittendo nobis etiam contiguarum villarum decimationes. Econtra nos de noſtrorum conſilio Canonicorum, & aliorum fidelium donavimus, & tradidimus *Marchioni prænominato Eccleſiam Garſtinam* pleno jure, ut ipſa habeat liberam inveſtituram, & omne jus ſacerdotale & parochiale, cum omnibus ſuis appendiciis, ſcilicet omnibus, quæ interjacent *inter Rubingam inferius urbem Styram manantem, & Rubingam ſuperiorem, & intra flumen Anaſum, & flumen Styram uſque in Rattenbach, & ultra Styram*, & molendinum cum jure ſuo, & curtum illarum, ubi *Rubinga* (vulgo Ramingbach) labitur in Anaſum cum omni culta & inculta decimatione, & toto jure ſacerdotali: Attendentes itaque hoc concambium, ſive hanc permutationem nihil iniquum continere, cum licitum Eccleſiam cum Eccleſia, decimam cum decima, prædium cum prædio permutare præſenti charta roboravimus eandem, ſigillum noſtrum appendentes eidem.

Siqua igitur Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona contra eam temere venire præſumpſerit, ream ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate agnoſcat, atque propter hoc inextremo examine diſtricte ultioni ſubjiciendam nou dubitet; cunctis autem obſervantibus & cuſtodientibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Hujus autem rei teſtes fuerunt *Archi-Presbyteri, Arnoldus, Eberhardus; Decani: Simpertus, Udalricus, Menigotus, Rudolphus;* Capellani, *Hartuſi de Derlingen, Gervet ex Matſee, Adelbalm, Marquard, Rembart: Milites Marchionis, Walchum, colo Udalricus, Aribo, Harttric, Arnbalm, Otto. De familiaribus* autem, *alter Duringus, Crebenger, Patto, Duringus alter, Berchtoldo, Volthold, Duringus, Iſengrin, Gerungus, Reinbalmus, Otto.*

Otto. Acta ſunt autem hæc *apud Laureacum* anno incarnationis Domini Milleſimo LXXXII.

NUM. 2.

Ejusdem Altmanni Pat. litteræ, quibus teſtatur, Ottocarum III. Styriæ Marchionem plurima beneficia reſignaſſe Eccleſiæ Patav. quæ antea ab eadem erant alienata. An. 1088. Altmanni Pat. Diploma de beneficiis ab Ott. III. Eccl. Pat. reſign.

Ex MS. Glunicenſi allatum a P. Sigism. Puſch Chronol. S. Ducatus Styriæ part. 1. fol. 255. reſectis quibusdam parergis.

Altmannus Dei gratia Patav. Epiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus.* Notum facimus cunctis Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quod nos univerſorum communi conſilio Canonicorum videlicet, atque miniſterialium noſtrorum commutationem fecimus *cum illuſtri Marchione Styriæ Otakkerio* pro commodo ſanctæ Patav. Eccleſiæ, cui indigni Deo favente præſidemus. *Ipſe quippe Marchio* reſpectu Chriſti ſcilicet, & noſtra ſedula commonitione inductus, reſignavit Eccleſiæ per manum noſtram plurima beneficia ſua diu ab ipſa alienata, ſita autem, ubi circa montem *Huſruke*, atque ſupra Hezalarwalde. Item ſparſim poſita circa iſtos rivos *Trachtina*, *Innen*, atque *Abſa* uſque in Danubium. Item ſupra *Trunfelde* ſua beneficia, quæ miniſteriales Eccleſiæ ab illo ſuſcepta in beneficio tenebant. Item reſignavit jus petitionis ac decimationis parochiarum *Püchele* & *Gundeskirchen*. Hæc omnia *prædictus Marchio, atque Pater ejus Otakkerius, qui Romæ obiit*, dudum ante ætatem noſtram *a Pilgrino Patav. Epiſcopo* in beneficium ſuſceperat, & ea *ab Arnulpho magnifico Comite de Welſa, atque de Lambacha ipſorum conſanguineo* ad eos fuerant devoluta, atque poſſeſſa. Itaque nos devotioni prædicti Marchionis obviantes quandam capellam *Tuedick* nominatam ex jure fundi ejus propriam *caſtro Styræ contiguam*, ac pertinentem libertate Eccleſiaſtici juris promovimus, ſpeciales ei terminos inſtituimus, jus altaris, ac noſtrum *Marchioni contulimus*, ut ipſe poteſtative poſſideat, ipſamque capellam incendio tum violatam denuo conſecravimus, quam etiam a præfato Pontifice, licet pridem conſecratam libertate donatam, prædiis a Cathedrali Eccleſia exemptam paucasque Eccleſias in illis locis tunc fuiſſe, in evidenti ejusdem antiſtitis Pilgrini privilegio invenimus, relegimus, ac ſicut congruebat, factum tanti Pontificis ratum habuimus.* Prædictæ itaque capellæ poteſtatem conferimus, ac confirmamus, integra jura* in decimatione, in Divinorum plenaria adminiſtratione,* cui etiam concedimus, ut ſi a diœceſano ſuſpenſio Divinorum exierit, ipſa libera exiſtat, atque ab eodem excommunicatos ad ſepulturam recipiat. Utque iſtud pro bono factum noſtrum Eccleſiæ, & *Marchioni* ſemper firmum permaneat; paginam iſtam fecimus inde conſcribi, & ſigillo noſtro communiri.

Data *apud Lauriacum* anno Dom. incarn. MLXXXVIII. decimo quarto Kal. Auguſti, anno Pontificatus noſtri XXIV. Indictione XI. regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in æternum, Amen.

NUM. 3.

Poſt an. 1092. confirmatio concambii n. 1. allat.

Udalrici Patav. Epiſcopi confirmatio primi concambii Altmanni deceſſoris ſui cum Marchione Ottocaro.

Ex Diplomatario Garſtenſi P. Eraſmi Frölich Num. 2.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti notificamus, quia ego Udalricus dignatione Dei Patavienſis Epiſcopus cum conſilio fratrum, & aliorum fidelium noſtrorum confirmamus concambium, quod factum eſt temporibus felicis memoriæ Altmanni deceſſoris noſtri, *inter Marchionem Ottakarum*, & jam dictum Epiſcopum: hoc eſt autem concambium: *idem Marchio* tradidit in manus Epiſcopi Altmanni, & advocati ejus Udalrici prædium unum *de Pebemberg*, & aream, ubi Eccleſia conſtituta eſt, & remiſit integre decimationem contiguarum villarum, eo tenore, ut *Eccleſia Garſtina* perpetuo jure obtineret conceſſu Epiſcopi& ſucceſſorum ejus, ſcilicetomnia, quæ interjacent *inter Rubigam inferius urbem manantem & Rubingam ſuperiorem, & Anaſum & infra fluvium Styram uſque Rottenbach*, & *ultra Styram*, dotem illam, & molendinum cum jure, & curtem illam, ubi *Rubinga labitur in Anaſum*, cum omni decimatione, & toto jure ſacerdotali. Et ut hæc deceſſoris noſtri conſtitutio firma, illibata & inconvulſa perpetuo perſiſtat, & nealiquis ſucceſſorum noſtrorum infringere valeat, privilegio noſtro bulla noſtra impreſſa corroboravimus. Huic etiam concambio, quod fecit Epiſcopus Altmannus intererant Præpoſiti Eccleſiarum *D. Hartmannus præpoſitus titulo S. Floriani*, *Engilbertus Præpoſitus titulo S. Ypoliti.* Archi-Presbyteri Arnoldus & Eberhardus: Decani Iſembertus, Udalricus, Megingottus, Rudolphus: Capellani Hartwicus de Checuzingen, Kerold de Matſe, Adelhalm, Marchwart, Reginhart. *De militibus ipſius Marchionis:* Walchum (Walchuno) Cholo, Udalricus, Aribo, Hartnit, Arnhalm, Otto. *De familiaribus* autem Adelram, Durinch, Erchenger, Babo, Durinch, Adalbero, Perchtold, Richero, Volchold, Durinch, Iſangrin, Gerunch, Reginhalm, Otto.

NUM. 4.

An. 1112. Ottocarus IV. confirmat cœnobium Garſtenſ. O. S. B. & auget.

Ottocarus IV. Marchio firmat cœnobium Garſtenſium a ſe Benedictinis inſtitutum, & auget.

Ex Diplom. Garſt. P. Frölich Num. 3.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Ottakar *Marchio Perthold, Abbati in Gerſten*, omnibusque ſucceſſoribus in perpetuum. *Pater meus Ottaker Styrienſis* pia in Deum ductus voluntate in fundo ſuo Gerſten, Clericos quosdam religioſos continuit, prædia etiam quædam eis contulit, quibus præpoſitus Eberhardus præfuit, qui & Canonicam ibi vitam inſtituit. Nos in religione patriſſare cupientes, Epiſcopis Patavienſibus, voto noſtro concurrentibus *ex Clericis Canonicis*, monachos commutavimus regulares, cuncta, quæ a Patre meo donata fuerant donantes, & confirmantes inſuper, & alia quædam ſuperaddendo reddentes. Primo ſcilicet dominicale illud, quo primum dotata eſt prædicta Eccleſia, ubi modo fundatum conſtat Monaſterium 1.

con-

confirmamus etiam concambium cum Eccleſia Patavienſi, ſub Altmanno ejusdem ſedis Pontifice, quod idem Garſtenſi Eccleſiæ confirmavimus, & tradidimus eo tenore, ſicut privilegium Garſtenſi Eccleſiæ ab Epiſcopo Patavienſi Udalrico innovatum teſtatur. Confirmamus etiam idem, ac in proprietatem tradimus dotem *trans Anaſum cum ſylva contigua, quæ Tamberg* dicitur, in paſcuum uſum & cæſionem lignorum, ac omnimodam utilitatem ſola venatione ferarum excepta: ſic enim & *Pater meus piæ memoriæ Ottakar Marchio, qui Romæ defunctus dormit*, Wolfgango & Erchingero mediantibus ipſi Eccleſiæ tradidit, & quidquid cultum & incultum inter fluvium *Tampach & Fruiſnik* (hodie vulgo *Frenz*) ſitum eſt, beneficium Arnhalmi *inter Rubinik (Raming)* & *Fruiſnik* per commutationem cum aliis alibi ſitis. Tradidimus etiam poſſeſſionem, *quæ Jägernberga* dicitur. *Inter flumina* vero *Anaſum & Styram* hæc ſunt, quæ tradidimus: ſcilicet cellam, quæ terminatur in *rivulo Selenche*, ubi ille influit in *Anaſum*, *Pleichberge* uſque ad viam, quæ a cella iter præbet in *Aſcha*, omnia inter jacentia ad officinas ferri: pertinet & *beneficium Hutoldi*, quod *Hutoldus* & ejus convicanei poſſident: *ad Heſmannum* duos manſos dotem illam ad *Aſcha*, qua dotata eſt *Eccleſia S. Martini*, alteram pertinentem ad titulum S. *Viti in Dernberg*: in valle autem Aneſi ad *Schietenperge* beneficium *Wolpodi*, item beneficium *Meginhardi*, & *Flatheim*, & *Stuchone*, aliud prædium ad Stemarn juncta Michelsdorf, & unum manſum: beneficium *Difridi ad Husruken* loco, qui dicitur *Autte*: prædium pro decimis *Cherbach* dandis tradidimus, cujus partem cum vinea, cum gratia meliorandi, atque commodius ponendi fratres vendiderunt. *Ad Harberge* quinque vineas *juxta Lauriacum* prædium *ad Adildam*: prædium non longe inferius *juxta Tranam fluvium*. Item *ad Aſcha* prædium unum, quod Rudolphus poſſidet, & vineæ, quæ hæ ſunt, qninque ad Wachow, tres ad Wilhemſpurg loco, qui *Crebizar* dicitur, quatuor ad Montaſtorf, duodecim manſus cum 30. mancipiis pro decimationibus dedimus, quod erat beneficium cujusdam *Etichis*, cujus filium vocabulo *Piligrinum* rogatu propinquorum in prædicto Monaſterio educandum tradidi, & quia ipſum locum noſtrum augere, & perficere deſideramus, tum pro ſalute noſtra, tum parentum noſtrorum æterna, tum etiam pro vita ſucceſſorum noſtrorum & gloria, omnibus miniſterialibus, & hominibus noſtris licentiam plenariam concedimus prædia ſua, vel beneficia ad Monaſterium noſtrum contradendi, ſeu converſionis gratiam inibi expetendi. Advocatiam autem prædictæ Eccleſiæ, & prædiorum a nobis, & miniſterialibus noſtris illis collatorum vel conferendorum miniſterialibus voto noſtro læto animo concurrentibus *Principi Styriæ* retinendum decernimus eo modo, ut ipſe ſecundum petitionem Abbatis eam exerceat ſine jure hæredis, utrique ſcilicet Principi & Abbati omni poteſtate obligationis qualiscunque ablata, ut ipſi per nos temporali ſecuritate gaudeant & nos & ſucceſſores noſtri, ſed miniſteriales noſtri æternis proficiamus augmentis (*huic juri in prædio, quod dedit glorioſus Rex Conradus eidem Eccleſiæ in Rietmarchia, nobis autem advocatiam ejusdem commiſit, communicamus*) & ut hæc omnia per manus meas & filii mei Leopoldi ſolemniter celebrata rata maneant, & inconvulſa, tam im-

preſſione ſigilli noſtri, quam ſub introductione teſtium idoneorum per aurem attractorum cenſuimus roboranda: Hi autem teſtes: *Luipoldus junior Marchio de Auſtria, Ecbert Comes de Putten, Ulricus de Pernegg,* (Pernegger) *Albertus de Pergen, Albero de Steine, Walter ad Troiſme, Dietmayr de Agſt, Fridericus de Huiſperg, Hartnidus de Rugisped, Colo de Truchſem, Wulvinc de Stubenberg, Gerunc de Strechov, Ottockar de (Schlierbach) Schierbach, Marquard Pembengirt, Archalm* filius *Prunonis.*

Acta ſunt hæc apud *Laureacum* in cemiterio S. Laurentii anno incarnationis Dominicæ MCXDII3. indict. 5. V. Idem Diploma Num. 10. ex MS. Garſtenſi.

An. 1123. Leopold. March. Styriæ confirmat, & firmat, & auget Garſtenſ.

NUM. 5.

Leopoldus Marchio Styriæ Garſtenſibus firmat data a Patre Ottokaro, & nova donat. Styræ pridie Kal. Mart. Indict. 15.

Ex Diplomat. Garſtenſi P. Eraſmi Frölich Num. 4.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *Leopoldus Marchio Styrenſis Perchtoldo Abbati ex Gerſten* omnibusque ejus ſucceſſoribus in perpetuum: quia mundus in maligno poſitus magnis & diverſis nos ſolet involvere negotiis, ut ſaltem eorum, qui Deo in locis religioſis famulari ſtatuerunt, meritis adjuvemur, quietem & utilitatem ipſorum modis, quibus poſſumus, tenemur adaugere. Hac igitur inſpectione futuræ, quam præſentium memoriæ commendamus, quod nos donationem, quam fecit *Pater meus piæ memoriæ Ottakar Marchio Styrenſis* in prædiis, quæ Garſtinæ contulit Eccleſiæ, *cujus & fundator fuit*, Abbati Perchtoldo, & fratribus ejusdem Monaſterii, ſicut eo vivente per manum noſtram eſt facta, hujus ſcripti noſtri teſtimonio in perpetuum confirmamus; hoc denuo *ob remedium animæ jam dicti Patris mei*, nec non noſtræ parentumque meorum ſuperaddentes, ut in poſſeſſionibus eorumdem prædiorum & omni, quæ amodo illis conferuntur ea, qua nos fungimur, & antequam darentur, functi ſumus, ſe gaudeant fungi libertate, hac videlicet, ut a judiciis omnium judicum eadem prædia, ſicut & noſtra prorſus ſint libera, & nulli ſucceſſorum liceat advocatiam de prædiis ejusdem Eccleſiæ, alicui in feudum concedere: ſtatuimus etiam, ut in omni terra noſtra libere in venditionibus & omnibus negotiationibus ſuas exerceant negotiationes, ita ſane, ut quocunque ierint, quæcunque duxerint, nec vectigal, nec telonium inde perſolvant; Præterea in omnibus aquis, quæ ſunt in foreſtis noſtris, libertatem piſcandi illis conferimus, exceptis *medio Rubinch & Aneſo*, in quo ſolummodo tale jus habeant in eis locis, ubi ſua prædia præterfluit, in ipſis etiam foreſtis noſtris, de cæſione lignorum, & de paſcuis animalium, & de quibuslibet uſibus, excepta venatione, plenum jus illis confirmamus.

Pro venatione autem tale ſtatutum committamus, ut de qualibet fera, quæ in eisdem capitur, ſemper dexter armus illis pro ſui juris portione aſſignetur. Inſuper ut homines noſtri cum hominibus, qui ſunt de familia jam dictæ Eccleſiæ, licite matrimonia contrahant, ut in omnibus pari jure cenſeantur, indulgemus; ut autem hæc conceſſio-

ceſſionis noſtræ ſtatuta rata permaneant, & a poſteris noſtris firmiter obſerventur, præſens ſcriptum ſigilli noſtri impreſſione dignum duximus roborare. Hujus rei teſtes ſunt *Fridericus, Henricus, Perngerus, Rudolphus, Svvicher, Marquardus, Dietmarus, Eticb, Rudolphus, Bruno, Ottakar, Erchingerus*, anno Dominicæ incarnationis MCXXIII. indict. XV. II. Kal. Mart. data Styræ.

NUM. 6.

An. 1125. Ottoc. IV. confirmat fund. Glunicenſ.

Confirmatio Glunicenſis fundationis per Ottocarum IV. March. Styriæ.
Ex MS. mihi e Celeberr. Monaſt. Glunic. miſſis.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen. *Otakerius Dei gratia Styrenſis Marchio*, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam omnium memoriam habere, & in nullo penitus peccare, potius eſt Divinæ Majeſtatis, quam humanæ virtutis, ea, quæ fiunt in tempore, ne labantur cum tempore, poni ſolent more teſtium, & commendari ſcripturarum memoriæ. Quapropter nos *Otakerius Dei gratia Marchio Styrenſis* præſentibus & futuris caſibus prævidendo, ad notitiam univerſorum præſentes litteras inſpecturis volumus pervenire, quod quondam *nobilis de conditione majori, Arnbalmus nomine*, illuſtratus gratia Spiritus Sancti, in remedium animæ ſuæ, *in ſuo prædio, quod Glunick* dicitur, cœnobium ſub regula S. Benedicti, nigri ſcilicet ordinis, cogitavit inſtituere, ſed quod pro animo concepit, opere non complevit, eo, quod prius viam univerſæ carnis Domino vocante eſt ingreſſus, videnſque ſe ex hac luce debere ſubtrahi, *filium ſuum Prunonium* exoravit, ut tanquam ſapiens filius, de quo juxta Salamonem Pater non immerito gloriatur, paternum propoſitum adimplere non negligeret, qui tanquam devotus filius petitioni Patris annuens, manum ad fortia miſit, & in dicto loco conventum Religioſorum fratrum, in quantum potuit, inſtituit, militantem ſub regula S. Benedicti, pariter & Abbate, & ut ipſum Monaſterium immunitatem plenariam reciperet, quarumcunque injuriarum, ſive quod eſſet a potentum oppreſſione ſecura & libera, & quia in temporalibus minus ſatisfacere potuit, eandem Eccleſiam cum omnibus pertinentiis ſuis *in manus noſtras, & filii noſtri Liupoldi* donatione legitima, nulla penitus exceptione obviante tradidit ſub tali conditione videlicet, ut eandem Beato Petro Apoſtolo, nec non S. Gregorio Patronis Eccleſiæ Babenbergenſis delegantes, ibidem conventus nigri ordinis ſub regula & Abbate haberetur perpetuo, hoc etiam adjecto, quodcunque dictum Monaſterium ſuarum rerum detrimentum incurreret, noſtræ pietatis largitas devote augmentaret, & ſuppleret. Prædicto itaque Prunonio ad ſuam petitionem aures accomodantes benevolas, dictam delegationem fecimus, in manus Venerabilis Domini noſtri Ottonis Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopi; de conſenſu nihilominus Domini Regenemari Patavienſis Epiſcopi, in cujus Diœceſi Monaſterium dictum eſt conſtructum; præterea eidem Eccleſiæ libertatem ac jura ſpecialia ad incrementum Divinorum conceſſimus inconvulſe, & ſtatuimus Miniſterialibus noſtris, atque aliis cujuscunque nominis,

minis, authoritate præſentium liberam dantes facultatem, quæcunque pheoda, vel beneficia cenſualia a nobis habent, ſi memorato Glunicenſi cœnobio pro ſalute ſuarum animarum voluerint dare, vel quoquo modo contradere, ab eodem Monaſterio poſſideantur quiete & pacifice in perpetuum jure proprietario, inſuper in ſpeciale argumentum noſtræ devotionis, quam habemus ad ſæpe dictum Monaſterium, cujuscunque conditionis noſtris hominibus indulgemus, ut cum hominibus Glunicenſis cœnobii viciſſim matrimonia contrahant, non obſtante jure hæreditario patrimonii vel beneficii cujuscunque, quo tali occaſione nolumus, ut priventur, curam Advocatiæ ſuper omnibus rebus ejusdem Monaſterii tam mobilibus quam immobilibus nobis ſpecialiter & poſteris noſtris reſervantes, ſub-advocatum areæ ſæpe dicti Monaſterii conſtituimus, & ordinamus unum de filiis ſupradicti Prunonii, quem Abbas & Conventus ejusdem Eccleſiæ magis duxerint eligendum, qui ſub-advocatum areæ tantum, non aliarum rerum vel bonorum Glunicenſi cœnobio attinentium ſe humiliter recognoſcat, tanquam ille, qui vocatus eſt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, ſpecialitatem ac juris tramitem in culparum depenſionibus talem hunc habere volumus, ut ſi quis hominum memorati cœnobii de effuſione ſanguinis convictus fuerit, eidem ſexaginta denarios tantum ſolvat. De ſatisfactione Minorum culparum pariter & Majorum, ſive quacunque pœna pecuniaria vel civili memorato Monaſterio reſponſurus integraliter, adjicientes nihilominus ſupradictis, ſi advocatus areæ cœnobii ſupradicti juris ſui tramitem exceſſerit quoquo modo, ipſo facto a jure ſuo, ſi, quod prius habuit in cœnobio memorato irrevocabiliter ſit excluſus. Item de conſenſu & rogatu Domini Prunonii confirmamus eidem Eccleſiæ, ut omnis homo nominis cujuscunque ea, quæ a Prunonio, & poſteris ſuis nomine pheodi, vel jure hominy habuerit, memorato Glunicenſi cœnobio libere conferat, & ut in ſæpe dicto Monaſterio cultus Divini Numinis creſcat, & augeatur, ad honorem Dei omnipotentis, nec non Beati Andreæ Apoſtoli, Patroni Monaſterii Glunicenſis in pium favorem converſi quædam pheoda in Pirno monte, quibus nos & progenitores noſtri ab Eccleſia Babenbergenſe ex antiquo fuimus inpheodati, quæ infra ſuorum nominum titulo duximus conſcribenda, in manus Venerabilis Domini Ottonis Babenbergenſis Epiſcopi tradidimus ſub hac forma, ut noſtra inpheodatia ab eodem Epiſcopo venerabili manumiſſa, in jus proprietatis cederet Monaſterio Glunicenſi, bona autem & nemus, quod ſuis attinentiis Eccleſiæ contulimus, & tradidimus memoratæ, non indignum duximus, nec inutile adnotanda, videlicet ſilvam quandam in Windiſchgarſten ſitam, quæ Chæiſerave nuncupatur, terminis iſtis veris, & legitimis evidenter expreſſis, videlicet a monte Wurchogel in uno latere montis ipſius directum per vallem uſque ad montem Langwatt ſecundum deſcenſum pluvialis aquæ per totam Augiam uſque in Tyecha, & a monte Langwatt ſecundum deſcenſum rivi & vallis ipſius montis uſque in Tyecha deſcendentia, & a fluvio Tyecha uſque ad Sepach, & per rivum Sepach ſurſum uſque ad ſtagnum, & ipſum ſtagnum, de quo nomen ſumpſit der Seebach, & a ſtagno ſurſum uſque ad lacum Lauben,

&

& a lacu Lauben uſque per fontem, & a fonte per rupes, quæ dicitur Thorſtein, & a Thorſtein ſurſum uſque ad Willeſe, & a Willeſe uſque in Pirnſe deorſum, & a Pirnſe ſecundum deſcenſum rivi Tyecha directim per totum montem Schwerzenberg infra & ſupra, culta & inculta cum alpibus uſque in Sepach, inſuper alterum montem, qui dicitur Gulch & Salinam, quæ in ipſo eſt, & omnia hinc & inde ex latere montis undique jacentia, & ſupra ipſum montem Gulch ſylvam totam cum utilitate, quæ ibi nunc eſt, aut perpetuo fieri poterit; & ut omnia, quæ in privilegium ſpeciale ſæpe dictæ Eccleſiæ tradidimus, & contulimus, permaneant inconvulſa & quieta, præſentes litteras noſtri ſigilli munimine duximus roborandas ſubnotatis nihilominus teſtibus.

Otto Venerabilis Babenbergenſis Epiſcopus, Regenemarus Patavienſis Epiſcopus, Henricus Tum Præpoſitus Babenbergenſis, Vericus Decanus ejusdem Eccleſiæ, Sigehardus Abbas Gerſtenſis, Fridericus Abbas in Syſtamſtetten, Liupoldus Marchio Styrenſis filius noſter, Rudolphus de Perge, Udalricus de Willehringe, Gottfridus de Ageſt, Gottſalchus de Hunſphach, Fridericus filius ejus, Otto de Machlande, Welchunus, & frater ſuus, Chuonradus de Sunnelpurch, Henricus & frater ſuus Hartwicus de Purchſtall, Erneſto & frater ejus Adelramus de Treiſme, Otto de Haſelbach, Bertholdus de Ipſe, Rudolphus Renherius de Steir, Pruno & filius ejus Willehelmus de Glunick, Starfridus de Wirblitze, Dietricus de Staphelarus, Engelſchalcus de Egelpach, Otto & filius ejus Duringus de Fuſtriche, Weigant de Chlamme Arnold de Wartenpurch, Udalricus de Lochuſen, Gundelbertus de Wieſtra, Altemannus de Haderichshoven, Adelramus de Urla, & frater ejus Egeno, Hartwicus Poum.

Hi quidem & alii liberi cum compluribus miniſterialibus.

Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo viceſimo quinto, Indictione ſexta ſub Lotherio Rege Romanorum, primo anno regni ejus, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto in æternum feliciter, Amen.

Data apud caſtrum Steyr per manus Wolfgeri Notarii, Amen.

(L. S.)

Hæc copia originali per omnia & ſingula conformis eſt. Ita teſtor

(*Sigill. Abbat. Glunic.*)

Glunici 3tia *Maji an.* 1762.

Andreas Schwandner, Abbas Glun.
O. S. P. B. SS. Theol. Doct. & S.
Cæſ. Regiæque Majeſt. Conſiliar.

NUM. 7.

Leopoldus fortis Fundatorem Runenſ. ſe aſſerit.

An. 1128. *Leopold. fortis fundat. Runenſ. confirmat.*

Ex Diplomataria S. Ducatus Styriæ P. Frælich p. 2. f. 1. Dipl. 1. Runenſ.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *Ego Leopoldus Dei favente gratia Marchio de Styra*, notum eſſe cupio, qualiter *inſtinctu dilectæ meæ conjugis Sophiæ*, rogatu etiam fidelium meorum, cuidam miniſteriali

meo *Rudigero* tradidi *prædium quoddam in* Hartberg *Bavaricæ metæ*, decem videlicet & octo manſus ſurſum *verſus ſtratam Hungaricam a rivo Saven dicto per Lungeviz, alterum rivum ad tertium rivum Lavenze.* Tradidi autem ei prædictum prædium in proprietatem omnimodam, ea ratione, ut, ſi prædictus Rudigerus ſine ſucceſſione legitimi hæredis obierit, idem prædium *ſanctæ Mariæ ad Rune*, & fratribus ibidem Deo militantibus de reliquo ſerviturum delegetur. Hunc enim locum ipſi ſanctæ Dei Genitrici, ſemperque Virgini Mariæ pro mea meorumque ſalute a fundo conſtruxi, fovi, dilexi. Igitur proprio hanc paginam ſigillo feci præmuniri. His etiam perſonis præſentibus in Grätz feliciter acta ſunt hæc: *Fridericus & filius ejus Gottſchalcus de Hunneſperch, & Meginhardus frater ejus, Waltherus de Treiſma, Odalricus Capellanus*, & avunculus ejus *Rudolphus, Adalram de Waldekke, Adalram de Ege, & Adelbertus frater ejus, Otto de Rukkerſpurch, Helmhardus, & Fridericus, Udalricus, Ditmarus de* Grätz, *Gotteſcalcus de Dirnſteine, Goteſchalcus de Hoveleyn, Heinricus de Dunkenſteine, Chonradus de Daven, Dietrich, & frater ejus Friderich de Miresdorff, Friderich de Waltſtein*, & alii.

An. 1138. Chunr. Salzburg. concambium cum Sophia & Ottoc. V.

NUM. 8.

Chunradi Archiep. Salisburg. concambium cum Sophia Marchioniſſa, & Ottocaro V. ejus filio in emolumentum Monaſt. Runenſis.

Ex theſauro anecdot. noviſſ. P. Bern. Pez tom. 3. fol. 694. ſeu ex Diplom cod. Admont. num. 17.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, notum ſit omnibus Eccleſiæ filiis tam futuris, quam præſentibus in perpetuum; qualiter ſanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus Chunradus præſente & cooperante Gurcenſi Epiſcopo Romano facto *cum Marchioniſſa Sophia & filio ejus Otakero de Styra* concambio, duos manſus ſuſcepit in locis *Hundesdorfvviere* dictis pro omni decima, quæ colligitur in *valle Runæ* dicta, cujuscunque ſit prædium, vel poſſeſſio de cultis videlicet, & colendis. Facta ſunt autem hæc collaudatione Clericorum & Laicorum, ut omnis illa decima duobus Bawaricis manſis redempta, in uſus cedat fratrum in prædicto loco *Runæ* Deo ſub monaſtica regula ſervientium. Hujus rei teſtes ſunt *Meginbaldus de Chreine, Wilehalmus de Rammenſteine, Friderich de Hunnesberch, Adalbero de Rune, Svvickerus de Cheſtinich, Hartvvicus de Stade; Megingoz. de Sureberch, Adalbero de Dietramingen, Gotefridus de Wietingen, Duringus, Eberardus de Liebiniz Wiſint, Reginvvardus, Iſenricus Laemfridus, Verungus, Heinrich, Engilbrecht, Otto, Willehalmus.*

Eod. an. conſummatur fundatio Runenſis.

NUM. 9.

Chunradus I. Archiep. Salzburg. fundationem cœnobii Runenſis conſummatam teſtatur.

Ex Diplomat. S. Ducatus Styriæ P. Frælich p. 2. f. 4. Dipl. Run. n. 2.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Chunradus Divina ſaviente clementia ſanctæ Salzburg. Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, *Leopoldi Mar-*

Marchionis devotam intentionem, intentamque devotionem in medium adducimus. Hic ergo monaſticum ordinem diligens quosdam ferventiſſimi propoſiti monachos *de Eboracenſi Monaſterio* adſcivit, eosque in valle, quæ dicitur Runæ collocans, quidquid futuræ illorum neceſſitati quieti ac ſtabilitati congruebat, ordinavit, aſſignavit, delegavit; denique tale prædium, quale *Pater ſuus Otakar Marchio a Comite Waldone in valle Runæ Lungvvitz & Sonegoreſtorff* per traditionem acceperat, eis delegavit, & dum viveret, ſervire fecit. Ipſe quidem obiit, uxori autem hoc egregium opus pie ac fideliter inceptum, felicius conſumandum reliquit, quæ *in adminiſtratione Marchiæ parvulum filium Otakerum ſcilicet juniorem nutriens Marchiam quidem ſtrenue ac civiliter rexit, filioque ſervavit*, Monaſterio autem non ſegnius, quam maritus providere, atque conſulere cœpit, nempe facto ibidem Abbate, & Dominico grege multiplicato agros, quos ſæculares in valle illa poſſidebant, agris foris poſitis cambivit, & fratribus contulit. Ergo his omnibus legitima commutatione redemptis, & in ſummam libertatem redactis præſentibus nobis ac venerabili fratre noſtro Romano Gurcenſi Epiſcopo, aliisque compluribus Monachis, Clericis, & Laicis in *Monaſterio*, quod dicitur *Runæ*, congregatis *proceſſit Domina Sophia Marchioniſſa matrona admirabilis ac bonorum memoria digna cum filio Marchione Otakero nomine*, factaque ſolenniter donatione, tradidit, poteſtativa manu, quidquid in *valle Rune, Lunkiviz, & Sonegoreſtorf* habuit, vel acquirere potuit, Deo & ſanctis ejus ad ſtipendium fratrum inibi Chriſto militantium cum quæſitis & inquirendis &c.

Fecit hoc pro remiſſione peccatorum ſuorum, *pro ſalute filii, ac filiarum ſuarum, Otakeri ſcilicet Marchionis, Elyzabet, ac Margarethæ maximeque*, pro redemptione animæ *mariti ſui Leupoldi Marchionis, ſocerique ſui Otokari ſenioris, Henrici Ducis, Ottonis de Naun, Waldonisque* Comitis, cujus idem locus patrimonium fuerat, nec non pro remedio animarum utriusque parentis, omniumque fidelium defunctorum. Hanc traditionem, & inveſtituram traditionis, accepi ego Chunradus Salzb. Archi-Epiſcopus *cum Abbate ejusdem Monaſterii Gerlach*, adſtante & acclamante Clero, & populo cum teſtibus ſubnotatis: *Waltero de Treiſme, Svviker de Geſtinck, Hadamar de Choteren, Dietmar Mordax, Rudolph de Buzzenberg, Sigebodo de Wolchinſteine, Rudolph juniore de Peckach, Adalberto de Rota*; De Miniſterialibus vero Marchioniſſæ: *Wulvinc de Brozzete, Luitold de Wilhalmſpurg*, & frater ejus *Luitold, Otachar de Slierbach, Richer de Churidingen, & frater ejus, Herrand, Helmhard, Udalrich de Haſilbach, Chunrad Chrovvath, Beringer de Capella, Rupert de Liboche, Volchalt de Styre Engilger de Wilhalmſpurg*, & & frater ejus *Sigibard, Simpold de Chainach*; Facta igitur donatione, teſtibusque per aurem attractis, aſſumpta ſtola & virga paſtorali in medium proceſſimus, ſi aliquis donationem illam impetere vel infringere auderet, ſemel & ſecundo, tertioque perquirentes, ſed cum nullus foret, qui ſe manifeſtaret, nos pacem Monaſterio fratribus, rebusque fratrum imbanivimus, adjicientes, ut quæcunque Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona locum illum, resque loco attinentes invadere, minuere, vel demere ulterius præſumpſerit, ſi Eccleſiaſtica eſt, ab ordinis & officii ſui dignitate cadens, etiam ſti-

pendii Eccleſiaſtici amiſſione multetur: ſi vero ſæcularis a participatione Dominici corporis & ſanguinis alienata, communione quoque Eccleſiaſtica careat &c. Acta ſunt hæc anno Incarn. Dom. milleſimo, centeſimo octavo, indictione prima die 8. Kal. Martii præſente ipſo Chunrado Salzb. Eccl. venerando Archi-Epiſcopo, regente Monaſterium Runenſe Gerlach humili Abbate, *adminiſtrante Marchiam cum filio Otokaro.*

Ego Romanus Gurcenſis Eccleſiæ Epiſcopus *vicem Chunradi Archiep. tenens* recognovi.

An. 1143. Ottoc. IV. firmat Garſt. Canob.

NUM. 10.

Ottocarus IV. Marchio firmat Cœnobium Garſtenſe a ſe Benedictinis inſtitutum, & auget.

Ex MS. mihi e Celeberr. Monaſt. Garſt. miſſis, v. Dipl. 4.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *Otacher Marchio Bertholdo Abbati in Garſten*, omnibusque ejus ſucceſſoribus in perpetuum. *Pater ms. Othacher Styrenſis pia in Dm. duct. voluntate, in fundo ſuo Garſten Clericos qsda. religioſos ctinuit, & benigne fovit, pdia etiam quæda. illis ctulit, quib. prim. Eberhard. pfuit, q. & Canonica. ibide. inſtituit. Nos igit.* in religione patriſſare cupientes, Epis. Pathavienſis Ecclie. voto nro. ccurrentib. ex Clericis Canonicis, Monachos regulares ibide. cmutavim. cuncta q. a patre meo illi Ecclie. donata fuerant, donantes, & cfirmantes inſup. & alia qda. ſup. addendo tadentes. Primo ſcil. dmcale illud, q. pmu. dotata e. ipa. Ecclia, ubi m. fundatu. conſtat monaſtiu. fecim. etia. ccambiu. cu. Ecclia Pathavienſi ſub Altmanno ei. ſedis Pontifice. Qd. ite. Garſtenſi Ecclie donatum cfirmavimu. Tradidimu. eni. in manu pfati Epi. & advocati ei Udalrici pdiu. unu. ad *Beheimberc*, & area. ubi cſtituta eſt Ecclia, & remiſimu. epo. decimatione. ctiguaru. villaru. eo tenore, ut Ecclia nra. Garſtina ppetuo jure obtineret cceſſu Epi. & ſucceſſor omia q. intiacent. int. Rubiniha inferi. urbe. manante., & Rubinicha ſuperiore., & infra fluviu. Aneſu. & fluviu. Styra. uſq; Rottinbach, & ultra Styra. dote. illa. & molendinu. cu. jure ſuo, & curte. illa., ubi Rubinicha labit. in Aneſu, cu. omi. decimatione & toto jure ſacerdotali. Sic & privilegium Garſtenſi Ecclie. Pathavienſi Udalrico ctaditu. teſtat. Confirmamu. etia. eide. Ecclie, ac in ppetate. ctradim. ſecunda dote. inaf. Aneſu. cu. ſilva ctigua, qe. *Danberc* dicit, in paſcua. animaliu. & ceſione. lignor. ac omnimoda utilitate, ſola venatione feraru. excepta. Sic eni. & *pie memorie pat. ms. Otacher Marchio q. Rome defunct. dormit, nunciis Wolgango & Erchingero mediantibu. ipſi Ecclie tradidit.* Et qcqd. cult. ſive incltu. inter fluviolos *Danbach* & *Fruſnich* ſitu. eſt. Beneficiu. Arnhelmi int. Rubinich & Fruznich p. cmutatione. etia. ſita. quæ Jagirnberge dicit, int. flumina v. Aneſu. & Styria. hæc is que tadidimu., ſcil. cella. qe. terminat. in rivulo Sabiniche, ubi ille rivu. facit in Aneſu. p. Leichpge. uſq; ad via. que a cella iter prebet Aſcha. Omia. interjacentia ad officinas frum ptinent, & beneficium Liutoldi, qd. Liutold & ei. cvicanei poſſident. Ad Huſmannin duos manſus, & qd. Othwin cu. Sclavonibus poſſidet,

dote.

dote. illa. ad Aſcha, qua dotata e. Eccla ſci. Martini, alia ptinente. ad tytulu. Sci. Viti Dernberc. Ad Svammarin dimidiu. manſu. antiquit. a parentib. nris. traditu. In valle au. Aneſi ad Scalchinperge beneficium Wolvoldi, ite. beneficum Meginardi, & Slatcheim & Strechowe. Aliud pdiu. ad Steinnarin juxta Michlindorf, & unu. manſu. beneficia Othfridi ad Huſrugkum loco q. dicit. Ritte, pdiu p. decimis Cherbach dandis, tradidim. cuj. parte. cum vinea gra. melioi andi, atque comodi ponendi, fres vendidert. Ad Hartpge. qnq; vineas juxta Lauriacum pdiu. ad Cidilheim, pdiu. non longe inferi. juxta Truna. fluviu. dmcale unu. Ite. ad Aſcaha pdiu. qd. Rudolfus poſſidet, & vineas, q. in oriente ſite s. qnq; ad Wachow, tres ad Willihalmesburc, quatuor ad Mutinsdorf, ad Willihalmesburg loco q. Crebizbar dicit. duodeci. manſus cu. XXXta mancipiis p. decimationib. dedim. qd. erat beneficium cuidam Etichis, cuj. filium vocabulo Piligmu. rogatu propinquor. in ipſo Monaſterio educandu. tradididimus. Et quia ipm. locu. ntm. augeri, & perficere deſidam. p. ſalute nra, tu. p. requie parentu. nroru. etna, tu. etia. pro vita ſucceſſor. nror. & gla. omnib. Miniſterialib. & hominib. nris. licentia plenaria concedimu. pdia ſua vl. beneficia ad ipm. monaſtiu. ctradendi, ſeu cvſionis gram. inibi expetendi. Advocatia. au. pdicte. Ecclie, & pdior. a nobis & a miniſtialib. nris illis collator. vl. cferendor. miniſtialib. voto nro. leto animo ccurrentib. pncipi Styrie retinenda decernim. eo modo, ut ipſe ſedm. petitione. Abbis. ea. cmendet ſine jure hæredis utriq; ſcil. pncipi & Abb. omi. poteſtate obligationis qaliscuq; ablata, ut ipi. p. nos temporali ſecuritate gaudeant, & nos & ſucceſſores nri., ſed & miniſtiales. nri. etnis pficiam. augmtis. Huic juri pdio qd. dedit gloſus Rex Cunrad. eide. Ecclie in Riethmarchia, nobis au. advocatia. eande. cmiſit, cmunicam. Et ut hæc omnia *per man. meas & filii mei Liupoldi* ſolempnit. celebrata rata permaneant, & incvulſa ta. impſſione ſigilli nri., qua & ſub introductione teſtiu. idoneor. p. aure. adtractor. cenſuim. roboranda.

Hi ſt. au. teſtes: *Liupold junior Marchio de Auſtria, Eckibert Comes de Buten, Ulricus de Pernecke, Albertus de Perge, Albero de Steine, Walter de Traiſime, Dietmar de Aiſt, Friderich de Huniſpc, Hartnid de Rugger-Jpurc, Colo de Truchſen, Wulvinc de Stubmberc, Gerunc de Strechovv, Otacher de Slierbach, Marqurt. Beinhengiſt*, Arnhalm. *fili Prunonis.*

Acta ſt. hæc apud Lauriacum in cymiterio ſci. Laurentii anno Dmce. incarnationis Mo. Co. XL. III. Indictione V.

(L. S. pendentis.)

Quod hæc deſcriptio cum originali ſuo, in Archivo noſtro exiſtente in omnibus, & per omnia concordet, hiſce fidem facio. Actum in Monaſterio noſtro Garſtenſi die 28. Martii an. 1762.

(Sigill. Rmi. DD. Abbat. Garſt.)

Paulus Abbas mpr.

An. 1144. Præd. Werendorf olim Ottoc. V.

NUM. 11.

Chunradus Rex confert Runæ prædium Werendorf, quod olim Ottoc. V. poſſedit.

Ex Dipl. S. Ducat. Styr. P. Frælich p. 2. f. 8. Dipl. Run. 3.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Chunradus Divina favente clementia Rom. Rex ſecundus, omnium tam futurorum, quam præſentium noverit induſtria, qualiter quidam nobilis homo *Engelſchalcus*, videlicet *de S. Dionyſio*, villam, quæ dicitur in *Werendorf*, quam *a Marchione Otakaro de Styria* in beneficio tenebat, *eidem Marchioni* reſignavit humiliter petens, ut & ipſe fratri noſtro *Heinrico illuſtri Bavariorum Duci*, a quo ipſe eandem villam habebat pro ſalute animæ ſuæ redderet. *Otakarus* juſtas preces exaudiens eandem villam fratri noſtro *Heinrico Bavariorum Duci* reſignavit &c.

An. 1145. Dieter. Enenkl Miniſt. Otto. V.

NUM. 12.

Donatio Dieterici Enenckl miniſterialis Ottocari V. acta Styræ.

Ex Diplom. Garſt. P. Frælich num. 7.

Noverint omnes Chriſti fideles, qualiter *nobilis miles Dietericus Enenkl de miniſterialibus Marchionis Styrenſis*, pro *Patris ſui Dieterici & filii Friderici* abſolutione tradiderit Eccleſiæ in Garſten, & fratribus ibidem bona & fundum in *Gaubinberch* prope *Wolfenbach* ſitum.

Teſtes traditionis ſunt *Dietericus de Perge*, *Cunradus de Aſcha*, *Ortolf de Prune*, *Harvvich de Sulza*, & alii quamplures. Acta ſunt hæc apud Styram anno Dominicæ Incarnat. M. C. XLV.

An. 1146. Ottoc. V. dat Run. Rez Straſindl & Judenb.

NUM. 13.

Ottocarus V. Marchio præter alia, tres villas Rez, Straſindl, & Judendorf Runenſibus confert.

Ex Diplomataria S. Ducatus Styriæ P. Frælich p. 2. fol. 9. Dipl. Runenſi num. 4.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego *Otakarus miſericordia & permiſſione Altiſſimi Marchio Styrenſis* tradidi, & delegavi manu propria ſuper altare ſanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis *Mariæ in Rune* delegatione rata & confirmatione perpetua duas ſalis patellas *in Emsthall ad Aborn*, & beneficia duo *in Mitelendorf*, & *in Hartberg*, unum beneficium, & duas curtes cum vinea. Et hæc omnia ad manum & in præſentiarum. Poſt dies autem vitæ meæ filiis ſuccedentibus ſive non ſuccedentibus hæc allodia illi Eccleſiæ confirmavi villam, quæ dicitur *Raeze*, & aliam, quæ vocatur *Straſindl*, & tertiam, quæ vocatur *ad Judeos*. Sed & uxor mea *Chunegundis Marchioniſſa*, cum huic Stipulationi non adeſſet, prompto tamen animo & libenti meæ devotioni annuens per manum cujusdam nobilis hominis nnmine *Conrad de Wiſtrize*, *Bernhard de Stubiach*, *Wulfine de Stein*, *Richerus de Everdinge*, *Hertnid de Orte* &c. Acta ſunt hæc Runæ an. ab Incarn. Dom. Mill. Centeſ. quadrageſ. ſexto indictione nona, ſexto Idus Jun. regnante Conrado Rom. Rege ſecundo anno, regni ejus nono.

NUM.

NUM. 14.

An. 1146. Henrici de Dunkenſtein Ottoc. V. miniſt. donatio Runenſ. fact.

Heinrici de Dunkenſtein Ottocari V. Miniſterialis donationis Runenſ. factæ confirmatio ab Ottocaro V.

Ex Diplom. S. Ducatus Styriæ P. Frælich p. 2. f. 10. inter Dipl. Runenſ. num. 5.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, omnibus Chriſtianæ fidei profeſſoribus propalamus ſtrenuum quendam *Otakari Marchionis Miniſterialem* nomine *Heinricum de Dunckenſtain* in expeditione Chriſtianæ militiæ Hieroſolymam profecturum delegaſſe ſuper altare B. Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ *in Runa* pro remedio animæ ſuæ, ac fratris & parentum ſuorum ex patrimonio ſuo manſum unum *in Sullendorf*, & curtifera, quotquot ſui juris erant *in Wickerſtorff* ſita, manſum quidem & unum ex curtiferis in præſentiarum, reliqua vero filiæ *Alberonis nomine Gertrudis* uſibus ad tempus uſque vitæ ſuæ conceſſit præfixa conditione; ut poſt ipſius deceſſum in omnimodam *Runenſis Eccleſiæ* perpetuitatem devenirent. Acta ſunt hæc an. Incarnat. Dom. Milleſ. Centeſ. quadrageſ. ſexto indictione IX. ſub die decimo ſexto Kal. Jul in loco, qui vulgo *Stanga* dicitur, præſente ipſamque delegationem accipiente Reverendæ memoriæ, *Runenſis cœnobii Abbate Gerlaco*, miſſarum ſolemniis in prato loci ejusdem ab eodem patre peractis, *adſtante & atteſtante Marchione Otakaro* cum numeroſa fidelium ſuorum multitudine, ex quibus aliquos ſubter annotari curavimus, *Wulvingus de Chapfenberg* cum filiis *Ottone & Wulfngo Sigebard de Flaze, Durinc de Starchenberch, During de Muttenſtorff, Chono, Albero, & Meingo de Chirchove, Wolfger de Lazzenkirchen, Gerhard de Hizling, Albero & frater ejus, Udalricus de Dunkenſtein, Erkebard de Erla, Otakar de Nevenkirchen &c.*

Ego Otakarus nutu ſuperni opificis *Marchio Styrenſis* perſcriptæ illius delegationis traditionem ſub præſentia mea rite celebrandam denuntio, & paginam hanc exinde conſcriptam, ſigilli proprii impreſſione confirmo: *Signum Otakari Marchionis invictiſſimi.*

NUM. 15.

An. 1146. Ottoc. V. prædium inter Sedingam & Suſtrizam tradit Conrado.

Conradus Rex prædium inter Sedingam & Suſtrizam ab Ottoc. V. eliberat, & Runenſ. Monaſterio donat.

Ex Diplom. S. Duc. Styriæ P. Frælich p. 2. f. 11. inter Diplom. Runenſ. num. 6.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus Divina favente gratia Rom. Rex ſecundus, omnium tam futurorum, quam præſentium noverit induſtria, qualiter nos ob regni noſtri firmam ſtabilitatem, & animæ noſtræ dilectæque conjugis noſtræ Gertrudis Reginæ ſalutem pagum, *vel poſſeſſionem regno pertinentem ſitam inter flumina Suſtrizam & Sedingam* uſque ad diſcrimina alpium deſuper adjacentium *a Marchione Otakaro*, & Heinrico Duce Bavariæ, qui *prædictum pagum jure beneficiali poſſidebant*, eliberavimus, & in honorem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ *Runam* ad uſus fratrum Deo ibidem ſervientium libera donatione tradidimus &c. Data ſexto Id. Julii, Indict. 9. an. Incarn. Dom.

Mill.

Mill. Cent. quadrageſ. ſexto, regnante Chunr. Rom. Rege ſecundo, anno regni ejus nono, actum in Epiſcopatu Ratisponenſi &c.

An. 1146. Concambium inter Abbat. Run. & Lamb finitur ab Ottocaro.

NUM. 16.

Ottakarus Marchio cambium inter Abbatem Runenſem, & Lambertinum firmat.

Ex Diplomat. S. Ducatus Styriæ P. Frælich part. 2. f. 12. inter Diplom. Runenſ. num. 7.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *ego Otakarus* Divina favente clementia *Marchio Styrenſis* ſignifico, quod 2. Reverendi Abbates *Runenſis videlicet Cœnobii*, & quod dicitur *S. Lamberti* res utriusque Monaſterii facta legitima commutatione in alterutram ditionem transferre decreverunt. Hujus itaque concambii juxta votum ac petitionem eorumdem venerabilium virorum ego ſequeſter ac mediator effectus concordi ſententiæ ex prædiis antedicti Martyris allodium *Sedingen* appellatum Beatæ Dei Genitrici ac perpetuæ Virgini Mariæ, fratribusque ſub ejus patrocinio *in Runa* Deo famulantibus manu poteſtativa delegavi, ex poſſeſſionibus autem pertinentibus Monaſterio S. *Lamberti*, quæ ſubjecta & nominatim expreſſa ſunt, delegavi; ſcilicet ad *Mattersdorff* cellarium petrinum vineam unam *ad Gumpoldeskirchen* una cum curte vineam unam ad *Viſchach* &c. His igitur Abbatum illorum unanimi conſenſione patratis teſtes nihilominus, quorum adſtipulatione res geſta eſt, placuit annotari *Wernhard de Stoffe*, & *Heinricus* frater ejus *Hertnid de Orte*, & frater ejus *Helmbardus*, *Hertvvich de Stade*, *Svvicher de Geſtink*, *Cholo de Truchſen*, & frater ejus, *Gotefrid*, & *Regimbertus*, *Udalricus de Greze*, *Adelram de Waldekke*, *Odalricus de Wilheringe*, *Engilger de Wilhalmſpurg*, &c. Anno ab Incarn. Dom. Mill. Centeſ. quadrag. ſexto, Indict. nona ſub undecimo Kal. 7bris. regnante Chunrado Rege ſecundo: anno regni ejus nono *Runenſi cœnobio præſidente Domino Gerlaco*, *Monaſterii S. Lamberti* Domino *Udalrico Abbate* &c. *Data Graze* feliciter, Amen.

Circa 1156. vel intra 1129. & 1164. Ottocar9 de jure advocati Garſt. ſtatuit.

NUM. 17.

Ottocarus V. Marchio de Jure Advocati Garſtenſis ſtatuit.

Ex Diplomat. Garſtenſi P. Frælich num. 8. fol. 40.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *ego Otacher*, *Marchio de Styre* - - unde & præſentibus miniſterialibus meis, antiquiores eorum de jure advocati ſtudioſe requiſiti & ipſis ſeriatim differentibus, *ſicut avus meus Marchio Ottachar ab ipſa loci fundatione conſtituit*, & *parens meus Liupoldus Marchio poſtmodum diligenter firmavit*; ita demum inſtante neceſſitate, immo compellente Divino timore, & ipſe perpetua ſtabilitate roboravi. Hæc ſunt autem, quæ ad jus Advocati ſeniorum noſtrorum judicio inventa ſunt pertinere &c. uti in Ludewig tom. 4. pag. 202. n. 20. male ibi tamen *proavus meus Liupoldus Marchio* &c. deeſt locus & tempus.

NUM.

NUM. 18.

Ottocarus V. confirmatur Garſtenſium Advocatus ſine loco & anno.

Ex Diplom. Garſtenſi P. Frælich num. 9. fol. 41.

Paulo poſt an. 1154. Ottocar9 Advocatus Garſt. ſtatuitur.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Cunradus Dei gratia Patav. Eccleſiæ Epiſcopus, notificamus omnibus veræ fidei cultoribus tam præſentibus, quam futuris, quod factum eſt inter nos, & *venerabilem Abbatem Sigebardum Garſtenſem, fratresque ibidem Deo ſervientes*, quod hoc modo perpetratum eſt. Iidem namque fratres tradiderunt nobis per manus *Advocati ſui Ottakari ſcilicet Marchionis de Styra*, tres ſtabularias curtes unam apud *Timnenbrunnen* &c. reliqua ad res noſtras non faciunt. Teſtes: *Chadelhoc Patav. Præpoſitus, Udalricus Archi-Presbyter, Adelgos Decanus, Ottachar Marchio de Styra, Adelbertus de Perge, Colo de Waſſenberc, Gottſchalcus de Kumſt, Walchun de Clame, Bibo de Ammeringen, Hartnit de Orte.* V. Diſſert. 4. §. 10.

NUM. 19.

Ottocarus V. Marchio confirmat permutationem prædiorum Seccovienſium, Leobii.

Ex Diplom. S. Ducat. Styr. P. Frælich p. 1. fol. 151. inter Diplom. Seccov. num. 11. Idem eſt cum Diplomate num. 85. afferendo.

An. 1161. Ottoc. V. confirm. Seccov. permut.

Otaker Marchio Styrenſis &c. venerabilis Præpoſitus *Wernherus & fratres Seccovienſes* rogantibus nobis fideli noſtro *Reginvvardo* concambium fecerunt quatuor manſuum *Sclavonicorum* in villa poſita juxta *Greze*, quos quidam *nobilis homo Urtive* fors *Urle* (prius poſſederat, ſed *uxor ſua Juditha Seccovienſi* Eccleſiæ poſtea potenti manu delegavit, pro quibus jam dictus *Reginvvardus Cubicularius noſter* quosdam agros in *Huceimpichele* ſitos, manſum *Sachendorf* &c. *nos* autem *functi dignitate Advocati Seccovienſis* Eccleſiæ prædia *Regenvvardi* ſupradicta *ſanctæ Mariæ in Seccove* vice delegatoris dedimus, itemque prædia fratrum jam præmiſſa ipſi donavimus. Teſtes auriculares adhibendo, qui ſunt *Chunrod de Murce, Gotto, Hartvvich, Marchvvard, Thiemo de Leuben:* ne quis audeat hæc infringere, ſigillo noſtro curavimus munire. Actum *Leuben* indict. octava XVI. Kal. Maj. anno MCLXI. imperante Friderico, Eberhardo autem Salzb. Archiep.

NUM. 20.

Privilegium elevationis Eccleſiæ in Dechantskirchen in Parochiam ab Eberhardo Archiep. Salisburg.

Ex originali colleg. Eccl. Vorav. Archiv. tom. 1. fol. 75.

An. 1161. Techantskirchen fit Paroch.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Eberhardus Dei gratia Archi-Epiſcopus Salisburgenſis. Sicut per Dei gratiam diebus noſtris per novalium dilatationes latitudo Dominicæ crevit meſſis, ita & nos debita ſolicitudine plures operarios in meſſem mittere curavimus. In præſenti pagina notificamus, quod conſilio venerabilis Gurcenſis Epiſcopi Romani, aliorumque Prælatorum Eccleſiæ noſtræ Ec-

cleſiam Techantskirchen dictam ab *Otakaro Archi-Diacono* in quadam ſylva hactenus inculta conſtructam, & *nullius Parochiæ terminis* adhuc modo quolibet attinentem jus plebanæ Eccleſiæ de cetero obtinere volumus, & in perpetuum authoritate Dei & noſtra confirmamus, & his eam limitibus diſtinquimus: *a proximis alpibus, inter fluenta Lavenke & Tuchne* uſque ad terminos Ungariæ. Decimas quoque dotis ejusdem Eccleſiæ ex integro illi donavimus, reliquas vero decimas jure parochiali tertia videlicet portione eam retinere ſtatuimus. Jus quoque petitionis pro locando ibidem ſacerdote tantum perſonæ jam dicti fundatoris concedimus, ſalva tamen in omnibus noſtra ſucceſſorumque noſtrorum Canonica juſtitia. Actum anno Dominicæ incarnationis MCLXI. Indictione IX. anno vero noſtri Pontificatus XV. Salisburgæ feliciter Amen.

Circ. 1162. Ottocarus V. donat alpem Scobern Admontenſ.

NUM. 21.

Ottokarus V. Marchio alpem unam Scobern dictam Admontenſibus donat.

Ex cod. Dipl. Admont. theſaur. noviſſ. anecdot. P. Bern. Pez. tom. 3. fol. 757. Num. 68.

Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quod *Marchio de Styra Otaker* pro remedio animæ ſuæ ſuarumque parentum tradidit Deo, ſanctoque Blaſio in præſentia Domini Godefridi Abbatis Admontenſis (qui præfuit ab anno 1137. ad 1165.) *alpem unam Scobern* vocatam in Karinthia verſus caſtrum ſuum *Eppenſtein* ea nimirum juſtitia, qua ipſe hanc hæreditario jure poſſederat, quæ his terminis diſterminatur &c. Acta eſt hæc traditio in caſtro *Gruſcarn* ſuper reliquias S. Blaſii. Teſtes hujus traditionis ſunt *Henricus de Huſrucke*, & filius ejus *Chunradus*, *Rudgerus de Hagenperch*, liberi homines. Miniſteriales vero ipſius Marchionis, *Otto de Haſelbach*, *Herrandus judex de Enstall*, *Otaker de Slirbach*, *Adalbero de Winchelaren*, *Bernhart de Stutarn*, *Pilgrinus*, & alii quam plures.

Eod. circ. temp. Idem vineas Admontenſib. cedit.

NUM. 22.

Idem Ottocarus cedit jure ſuo ſuper vineas quasdam eidem Cœnobio Admont. traditas.

Ex eod. cod. Diplomat. cit. Num. 69.

Pernhardus *de Erlach* Miniſterialis quondam Comitis *Ekkeberti de Putine* mortis præventus articulo, Monachi habitum induens, & ſepulturam apud nos ſummopere quærens tradidit Monaſterio vineas duas ad *Rotſchach* ſub præſentia plurimorum commilitonum ſuorum miniſterialium ejusdem Comitis. *Marchio autem Styrenſis Otagrius*, cui hæreditas Comitis per mortem ipſius acceſſit, vel conceſſit, ſine licentia ſua factam tunc traditionem proteſtans æconomo ſuo ſibi ſubjecere illas præcepit, quas tamen poſtmodum a fratribus commonitus benigne remiſit, & ſolemniter *cum urna*, quæ dicitur *Stechenberg* contradidit. In hac traditione præſentes fuerunt *Rapoto de Scvaldorf*, *Hainricus de Scvarzaba*, *Liupoldus Troie*, *Gerardus de Glizenveld*, *Gerardus junior de Putine*,

Putine, Liupoldus de Neiterspach, Otto de Stubenperch, & fratres ejus Gotſcalcus & Wulfingus, & multi alii.

NUM. 23.

Circa 1162. Meginhardi miniſterial. Ottocari traditio Admont.

Meginhardi miniſterialis March. Ottocari de Styra traditio facta Admontenſibus.

Ex codice Diplom. cit. fol. 759. num. 72.

Sciat omnis poſteritas, quomodo *Meginhardus miniſterialis, Marchionis Ottakeri de Stira*, petiit a Domino ſuo, & impetravit, ut omne prædium ſuum apud *Huzendorff* Admontenſi cœnobio daret, penitus in proprietatem, ſive hæredes habuerit, ſive non. Fecit hanc traditionem potenti manu *Domini Otacheri Marchionis* in manum & fidem *Adelrammi nobilis viri de Urle*, & teſtes adhibuit, quorum hæc ſunt omina: *Richerus de Everdingen, Hartnidus de Ortb, Gotſcalcus de Dirnſtain, Otto de Chapfenberg, Dietricus de Oſſendorff*, & frater ejus *Rudolf*, Dietmarus *de Pirchache, Dietmarus de Cluſe, Fridericus de Miſdorff, Heinr. de Donchenſtein, Gotefridus* &c.

NUM. 24.

Circa 1162. Othæ de Oliſpurch traditio Admont.

Othæ de Oliſpurch traditio Admont. facta authoritate Ottocari ejusdem.

Ex cod. Diplomat. cit. fol. 760. Num. 73.

Noverint omnes tam futuri, quam præſentes, qualiter *Otha de Oliſpurch* tradidit Deo, ſanctoque Blaſio curtem unam *juxta fl. Cremeſe* voluntate *Domini ſui Marchionis Otagrii de Stira* ob remedium animæ ſuæ, proque amore filiæ ſuæ Adelhaidis, quam in *Monaſterio Admontenſi* Divinæ mancipavit ſervituti. Hujus traditionis, quam ipſa manu ſua ſuper altare S. Blaſii fecit, hi teſtes fuerunt: *Heinricus de Hufrucke, Herrandus Judex de Ennstball, Meginhardus Camerarius Marchioniſſæ, Bernhardus de Stutarn, Diemarus de Pergarn.*

NUM. 25.

Circa 1162. tradit. variæ coram Ottoc. V.

Traditio Reginhardi de Tuncviz, & Cholmanni de Trevia coram eod. March. Otakero.

Ex cod. Diplom. cit. fol. 761. Num. 74.

Notum ſit generationi omni, quæ ventura eſt, quomodo nobilis homo *Reginhardus de Tuncviz*, partem prædii ſui ſcilicet *ſtabulariam cortem* Admontenſi Eccleſiæ poſt obitum ſuum delegandam in manum Traditoris delegavit in præſentia *Otagrii Marchionis*, & Miniſterialium ejus, qui & hujus rei fuere teſtes: eodemque mortuo *Gotto de Liuben liber homo*, idem prædium ſuper altare Sancti Blaſii contradidit ob remedium animæ præfati Reginhardi de Tuncviz. Teſtes fuerunt *Gotto de Liuben, Rudigerus de Haginperch, Gunthalmus de Viſcaren, Gebolfus de Palte, Sigboto de Laznich, Gotfrid de Wolfkdorff, Otto de Duringesdorf, Rudigerus, Scvikerus, Fridericus, Rupertus*: Ipſo die & loco *Cholman de Trevia* tradidit ſuper altare S. Blaſii ſervum Adelgerum uomine & prædium ad *Zuchetol*, quod Hartwicus & uxor ejus Pertha in manum illius delegaverunt, pro quo ipſi

alterum prædium *apud Havenaren*, quod *Odalricus de Graece* cœnobio tradiderat, receperunt: Hujus rei teſtis idem *Cholmanus* factus eſt, & alii ſuperius nominati.

Circ. 1162. Gerhardi de Glizenveldt Ottoc. V. Miniſt.

NUM. 26.

Traditio Gerhardi de Glizenveld manu Otakeri Marchionis Styrenſ.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. fol. 762. Num. 76.

Omnes fideles Chriſti noverint, qualiter *Gerhardus de Glizenveld* Admontenſi cœnobio tradidit vineam, & curtis locum *apud Potſach* cum dimidio manſu, itemque ad *Vuſtriz* manſum pro filia ſua in eodem Monaſterio tradita, quæ & potenti, manu *Domini ſui Otagrii Marchionis de Stire* ſuper reliquias S. Blaſii delegavit. Teſtes *Odalricus de Grece* liber homo cum filio æquivoco ſuo, *Hartnidus junior*, *Sigehardus ſtolcile*, *Marquard Painbengeſt*, *Dietmarus de Cluſe*, *Fridericus de Mirſe*, *Luitpoldus de Netzbach*

Circa 1162. Traditio manu Ottocari.

NUM. 27.

Vineæ & curtis acquiſitio favente eodem Otakero Styr. Marchione.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. fol. 762. Num. 76.

Item *apud Wirvvilach* vineam & curtis locum a quodam Rudolfo Miniſteriali Heinrici Ducis Auſtriæ argenti talentis 5. fratres Admontenſes coemerunt, quod videlicet prædium *Liupoldus de Putine* de manu *Domini ſui Otagrii Marchionis de Styre* ſuſceptum Admontenſi Eccleſiæ ſuper B. Blaſi reliquias contradidit: Teſtes *Wolfkerus de Lanzinkirchen* cum filio ſuo *Heinrico*, *Gerhart de Erlach*, & frater ejus *Otto*, *Chunradus Rocco*.

Circa 1162. Liupold. de Erlach Miniſt. Ott.

NUM. 28.

Luipoldi de Erlach traditio manu ejusdem Otakeri Marchionis.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. Num. 77.

Præſentes & futuri ſciant, quomodo *Luipoldus de Erlach* potenti manu *Domini ſui Otagrii Marchionis de Stire*, ſuper reliquias S. Blaſii *Ademunt*, dimidium manſum *in Parochia Techanskirchen* & 2. curtales delegavit. Teſtes *Engilbertus de Gorze*, *Herrant de Haginperch*, *Otto filius Arnbalmi*, *Chunrat niger*, *Gerhart*, & *Otto* fratres, ſed & plures alii.

Circa 1162. Luitpoldus de Neitteſpach Miniſter. Ottocari.

NUM. 29.

Liutpoldi de Neitteſpach traditio authoritate ejusdem Ottocari March.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. Num. 78.

Luitpoldus de Neitteſpach tradidit vineam *ad Wulflache* pro VI. Marcis, tradidit etiam pro remedio animæ ſuæ alteram vineam *cum licentia Domini ſui Marchionis* ſuper reliquias S. Blaſii tali conditione, ut ipſo vel uxore ſua vita decedente vinea Monaſterio cederet, & ſepulturam uterque apud nos acciperent. *Marchione itaque Styrenſe & Luitpoldo prædicto* traditionem hanc *ad Viſchach* facientibus teſtes acceſſerunt *Luipoldus Comes de Plain*, & cæteri Miniſteriales Marchionis, ſicut ſupra ſcripti

ſunt

ſunt &c. Teſtes acceſſerunt *Gerhardus de Glizenfeldt Pater ipſius, Gundacher, Odelſcalcus, Heinricus,* homines ipſius.

NUM. 30.

Traditio Luitpoldi Troje conſentiente Otakero.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. fol. 763. Num. 79.

Circa 1162. Luitpold. Troje Miniſt. Ottoc. V. traditio.

Luipoldus dictus Troje cum manu & licentia *Domini ſui Marchionis* tradidit Monaſterio ſuper reliquias S. Blaſii duo loca curtium ad *Wolfeſol*, & dimidiam hubam ſilvæ, poſtea vero emit a quodam homine ſuo Ruperto nomine *ad Potſac* vineam, quam dedit Monaſterio pro dimidia huba ſilvæ prædictæ in reditus ſuos, illa recepta & retenta. Teſtes vocati ſunt *Rapoto de Scvalldorff, Heinricus de Putine, Gerardus de Glizenfeldt, Gerardus junior de Putine, Heinricus de Lanzinkirchen, Ebo de Putine*, & alii complures.

NUM. 31.

Ottocar V. teſte filio Leopoldo (ut vult Frölichius) *confirmat Garſtenſibus donata a Patre ſuo Leopoldo, & a majoribus. Datum in caſto Styre.*

Ex cod. Diplom. Garſtenſi P. Frælich Num. 10.

Circa 1163. Confirmat donat. Garſt.

Otakarus Dei gratia Marchio Styre omnibus præſentem paginam inſpecturis. *Avus meus Otakarus Marchio* plantationem ſuam in Gerſten modis omnibus ampliavit, & fideliter exaltavit, & ea, quæ illi loco tribuit, & conceſſit, *Pater meus Leopoldus Marchio* fideliter conſervavit, nos igitur eorum imitantes veſtigia volumus propter Deum intendere diligenter, ut ibidem per noſtrum auxilium, & ſubſidium ſerviatur Domino libere & devote, unde nos advocatiam ipſius liberam eſſe cenſemus, ut ipſa nulli unquam in pheodum concedatur, ſed ad arbitrium Abbatis fideli alicui laico committatur, qui poſſit, cum expedierit, velociter amoveri. Donamus etiam, & confirmamus *Gerſten Monaſterio* omnia, quæ mei progenitores eidem tradiderunt, videlicet *dotem in Gerſten Gavelenz provinciam*, 3. *prædia in Cherbac*, & curiam adjacentem in *Speckn*, & in *Baibarica (Bajobarica*, ſeu *Bajoaria)* dimidiam ſartaginem ſalis; an Ubſchaff unum quartille; in *Hunpuſchrot* octavam partem etiam ibidem duos ortos, unam augiam, & pratum in *Dieſtuch*, duo prædia in *Leterhoſetu*, apud *Veterhunc* 2. prædia, quartale *Zetorf* apud *Salvelde*, & unum quartile in *Inbebirge*, unum prædium in *Michelſtampf* apud *Liechtenbach*, unum quartale in *Wiſputh*, & alia attinentia cum hominibus Ennſmano, Lechergero, & Alhaide, & liberis ipſorum, ſicut ad progenitores meos jure proprietario pertinebant, ita tradidimus hæc omnia libere poſſidenda *Gerſten Monaſterio* propter Deum & animarum noſtrarum ſalutem. Hujus traditionis teſtes ſunt per aurem attracti, *Arnhalm, Ingo, Reginch, Abrant, Reginbertus*, nobiles *Landfrit, Adalbo, Engelſcalcus, Albun, Laucho*, Miniſteriales, & familiares noſtri, & alii quamplures. Inveſtituræ teſtes ſunt *Leopoldus Marchio filius meus, Arnhalm, Reginch.* Datum in caſtro Styre anno Dominicæ Incarn. MCLXIII.

NUM. 32.

An. 1163. Voravv. Collegiat. fundatio ab Ottoc. V.

Ottocarus V. fundat collegiatam Eccleſiam Voravienſem Can. Reg. S. Aug.

Ex originali Archiv. Collegii noſtri aſſervato. Habetur etiam in Diplom. S. Ducatus Styr. P. Frælich pag. 2. f. 307. inter Diplom. miſcellan. Num. 41.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *ego Otaker Divina pietate Styrenſis Marchio*, omnibus tam præſentibus quam futuris ſalutem. Quia teſtante ſacra ſcriptura eleemoſinarum largitate peccata remittuntur fidelibus, idcirco nos Divini timoris & amoris intuitu pro ſalute noſtra, & *dilectæ conjugis noſtræ Chunegundis*, nec non *cariſſimi filii noſtri Otakari*, & omnium anteceſſorum noſtrorum *quoddam prædium noſtrum Vorovve* dictum ad Juvavenſem ſedem poteſtativa manu tradidimus, & in eodem prædio *viros religioſos ſecundum regulam B. Auguſtini viventes* jugiter ibidem permanſuros auctoritate Domini noſtri Eberardi venerabilis Archi-Epiſcopi collocavimus, qui apud omnipotentem Dominum noſtrum pro noſtris, & omnium anteceſſorum noſtrorum peccatis aſſidue intercedant, & orent. Ad removendam autem impoſterum ambiguitatem terminos *ejusdem prædii* propriis nominibus exprimere dignum duximus. *Ab aqua videlicet, quæ Voravve dicitur*, uſque ad aliam *aquam, quæ Lavenz dicitur*, quidquid inter 2. aquas iſtas continetur, quod ad noſtrum ſpectat Dominicale, *ad præbendam fratrum Voravienſium*, jure proprietatis pertinere volumus, quidquid etiam *inter eandem Laventz & Tuchaw minorem*, item a capite rivuli, qui dicitur *Sulzbach*, & a capite rivuli, qui dicitur *Zesverskere*, a capite etiam, qui dicitur *Lengerskevere*, uſque in Ungariam proprietatis habuimus ſub eadem traditione continetur. Tradidimus eis etiam *alpes uſque in Cervvalt* prænominato prædio adjacentes, ne autem malorum hominum incurſu pax ſervorum Dei turbari poſſit, in futurum eandem congregationem ab omni exactione liberam eſſe ſtatuimus tali tenore, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum hæredum aliquod ſervitium jure adocatiæ ab eis vel ab eorum colonis requirat, ſed ſolius Divini timoris intuitu, & pro futura retributione ſub eorum patrocinio & defenſione conſerventur. Statuimus etiam, ut per omne noſtrum prædium, & quocunque noſtræ ditionis, atque regiminis progreditur judicium, nullus multæ (Frælich habet mutæ) ſeu vectigalium, ſeu etiam thelonei exactiones de rebus jam dictam congregationem deputatis præſumat exigere, ſed eundi & redeundi, ducendive, vel emendi & vendendi ea (Frælich dicendive jus) quæ ad neceſſitatem pertinent, Monaſterii: proviſores ejusdem liberam etiam habeant facultatem; ſi vero quod abſit, aliquis Epiſcoporum ſive aliorum Prælatorum quispiam prædia jam ſæpius memorata a Monaſterio in Vorove alienare, aut in proprios uſus redigere, quocunque modo præſumpſerit, omni altercatione ſemota in noſtram & hæredum noſtrorum poteſtatem eadem prædia ex integro volumus redire. Ut autem hæc noſtræ traditionis kartula firma permaneat, ſigilli noſtri impreſſione roborare decrevimus. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnat. MCLXIII. *apud Fiſchac*, annuente conſilio & aſſenſu Domini Eberardi venerabilis Juvavenſis Archiepiſcopi

pi anno Pontificatus ſui xvi. præſente venerabili *Romano Gurcenſi Epiſcopo*, & aliis, quorum nomina ſubter annotavimus. Hujus rei teſtes ſunt *Marquardus Nivvenburgenſis, Gerhohus Reicherſpergenſis Wernherus Seccovienſis Præpoſiti, Adelbertus de Berge, Adelramus de Urle, Luitoldus de Hohenſtauf, Henricus de Steinberg, Gundaker de Steinbach, Rapoto de Buoten, Heinrich de Svartzach, Uthalrich de Kranikberg*, & frater ſuus *Sigefridus, Duringus de Werven, Pabo de Surheim, Willihelmus de Wagingerberg, Karolus Pincerna, Rudegerus* frater Marquardi junioris, *Goteſcalcus Skirlinkh* (Frælich *Skirchink*) & frater ſuus *Otto, Herrandus de Hagenberg, Duringus de Starchenberg*, & filius ejus *Bertholdus*, & alii quamplures.

NUM. 33.

An. 1164. Runenſibus dat curtif. Grat. Ottoc. V.

Ottocarus V. Marchio curtifera Gracenſia Runenſibus confert.

Ex Diplom. S. Ducat. Styr. P. Frælich parte 2. fol. 14. Diplom. Runenſ. 10.

Otakar *annuente Cœleſti clementia Marchio Styrenſis &c.* cum omnis ubique ſancti propoſiti viros honorandi velle mihi adjaceat, *Runenſem tamen Eccleſiam videlicet locum ſepulchri Patris mei, meæque dormitionis* ſpeciali diligentia in ampliandis ejus poſſeſſionibus accurandam *hæreditaria utriusque parentis devotio* commendat. Itaque petitioni venerab. Gerlaci Abb. libenter annuens 3. curtifera *in ſuburbano caſtri Grez* ſitâ, certisque terminis a cæterarum habitaculis diſtincta eidem domui Dei manu poteſtativa contradidi, delegavi, confirmavi &c. Feci autem traditionem ipſam manu mea *in urbe Graze* teſtibus quampluribus, ex quibus eos tantummodo, qui per aurem trahi potuerunt, in præſenti placuit annotari. *Udalricus præfectus de Graz & filius ejus Udalricus.* Albero *de Nourenberch Hartvvicus de Glanöcke, Frovven de Ottenburc, Englfrid de Grez &c.* An. Dom. Incarn. milleſ. centeſ. ſexag. quarto, Friderico Imp. Rom. Aug. præſidente, Deo amabili Archi-Epiſcopo Eberardo, Runenſi Cœnobium regente reverendo Abbate Gerlaco.

NUM. 34.

An. 1164. Dotatio Cartuſ. Seizenſ.

Ottocarus Marchio Styriæ a ſe fundatam dotat Cartuſiam Seizenſem.

Ex Diplomat. S. Ducat. Styr. p. 2. fol. 57. P. Frælich inter Diplom. Seiz. Num. 1.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, *Otacer Marchio de Styria* Divina fav. clementia. *Ego Otacer Marchio de Styria* omnibus præſentis & futuri temporis Chriſti fidelibus memorandum trado, & ut nubem oblivionis ejus omnibus detergam, privilegium inſcribi jubeo, & impreſſione ſigilli mei corroboro, qualiter *ordinem Cartuſienſis heremi in Marchia meæ ditionis transplantaverim.* Igitur ad laudem omnipotentis Dei & Virginis perpetuæ genitricis Mariæ, votum deſiderio animi diu prælibatum Divina cooperante gratia feliciter conſummavi. Et ut voti celerius compos fieri potuiſſem, miſſis legationibus Apoſtolicam clementiam interpellavi, quatenus ipſius authoritate interpoſita, monendo, rogando, & exhortando in Domino patres ſanctos prædicti ordinis ad petitionem meam inclinaret, ſicque tanto fretus patrocinio

ceptum

ceptum opus per Dei miſericordiam tandem elaboravi. Eſt *pagus*, qui vulgo dicitur *Gunivitz* in *Patriarchatu Aquilegenſi*, ubi ſitum eſt prædium, eminentioribus montibus circumſeptum, antedicto ordini aptiſſimum, quod a *Liupoldo Miniſteriali meo* legitimo concambio conquiſivi, retribuens ei 4. villas iſtas *Wides*, *Malchen*, *Chobilenach*, *Loncke*, & manſum unum in *Windisken Grætze* ſibi & uxori ſuæ & liberis ſuis in jus & proprietatem hæreditariam. In quo prædio in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ genitricis ipſius perpetuæ Virginis Mariæ, & S. Joannis Baptiſtæ, omniumque ſanctorum reverendiſſimi ordinis cellam fundavi, & prædium cambitum ibidem ſuper altare potenti manu legavi, cum omnibus ſuis uſibus, & appentitiis, ad idem pertinentinentibus quæſitis, & inquirendis cultis & colendis, paſcuis piſcationibus, aquis aquarumque decurſibus. Poſui præterea terminos illius cellæ, ſicut aquæ & nives decurrunt ab apicibus montium uſque in vallem ipſam, in parte una, & in parte altera *uſque ad prædium Gurcenſis Eccleſiæ*. Et tale dedi præceptum, ne quis terminos Heremitarum ibidem inhabitantium, venationibus, piſcationibus, vel paſcendis gregibus, vel lignis ſuccidendis, neve ullis tumultuoſis acceſſionibus, contemplatores Dei inquietare, vel ordinem illorum perturbare præſumat. Siquis vero hujus noſtræ conſtitutionis edictum recognoſcens, contemptor temerarius exſtiterit, advocato loci, ſi liber vel miniſterialis eſt, 10. libras componat, ſi de ordine plebejo eſt, XXX. ſolidos perſolvat. Hujus etiam conſtitutionis meæ ſeriem nulli ſucceſſorum meorum liceat infringere; nolo etiam & omnibus interdico, ne Patriarcha, vel aliquis Epiſcoporum poteſtatem habeat immutandi ordinem Cartuſienſem in loco memorato; quod ſi ordo prædictus, cauſis intervenientibus, quod Deus avertat, in eodem cœnobio aliquando non fuerit, prædium idem in uſus meos vel hæredum meorum redigatur. Ad confirmationem hujus traditionis & legationis meæ teſtes ſubſcripti ſunt per aurem tracti. *Ego Odacer Dei gratia Marchio de Styria. Heinricus Pris. Erchenbertus* gener ejus, *Luitpoldus de Hobeneke*, & filius ejus *Werardus*, *Alram*, *Richerus*, *Koltſchach*, *Otto*, *Wulvinch*, *Otto*, *Dietmar*, *Alber*, *Ulrich*, *Ortolf*, *Ulrich*, *Liutvvin*, *Ivvan*, *Liutold*, *Marchart*, & alii quam plures. Acta ſunt hæc anno Incarn. Dominicæ MCLXV. Alex. III. Apoſtolicæ ſedi præſidente, Friderico Imp. regnante, Udalrico in Cathedra Aquileg. præſidente, Baſilio Priore in Eremo Cartuſienſi, Beremundo Priore loci hujus exiſtente feliciter, Amen.

NUM. 35.

Circa 1164. Henr. de Trosmarsdorff min. Ottoc. V. legatio Admont.

Idem Ottocarus hæreditatem Heinrici de Troſmarſtorff Monaſterio Admontenſi delegat.

Ex codice Diplomat. Admont. cit. Num. 71.

Diſcant tam futuri, quam præſentes, quomodo *Heinricus de Troſmarſdorf* hæreditatem, quam ipſe de uxore ſua *Erintrude in Wiſtraha* habuit, per manum Domini ſui *Marchionis Otacher* Admontenſi cœnobio delegavit, prædictamque uxorem ſuam perpetuo Deo ſervituram in eodem cœnobio ſuſcipi rogavit, & impetravit. Hujus rei teſtes ſunt

aure

aure tracti, *Heinricus Eris*, *Megimbalmus de Chreina* frater ejus, *Heinricus*, & filius ejus, *Chunradus de Hufruggen*, *Richerus de Everdingen*, *Hartnidus de Orth*, *Dietricus de Trun*, *Otto de Haſelbach*, *Otakar de Slierbach*, *Beringerus de Capella*, *Gotfridus de Wietingen*, *Rudolfus de Dunſperg*, *Duting de Werven*, *Otto & Wiſint*, *de Pongovve*, *Hartnidus & Marquardus de Uccelingen*, *Sigefridus de Frieſach*, *Luitoldus de Walda*, *Rudigerus de Hove.*

NUM. 36.

An. 1166.

Hoſpitale in Cerewald ab Ottoc. fundat. confirm.

Fridericus I. Imp. fundatum ab Ottocaro Marchione Styr. & Chunegunde conjuge hoſpitale in Cerevvald confirmat.

Ex Diplom. S. Ducatus Styr. P. Frölich part. 2. fol. 313. inter Dipl. miſcella num. 44. & ex Lazio lib. 12. Reip. Rom.

Fridericus Divina providentia Rom. Imp. ſemper Aug. magnæ pietatis eſſe exiſtimamus &c. Eapropter cognoſcant omnes Imperii noſtrique fideles, tam futuri, quam præſentes, quod nos pro ſalute noſtra, noſtrorumque anteceſſorum approbavimus, & ratam habuerimus bonam voluntatem & traditionem, atque donationem, quam *noſter dilectus conſanguineus Ottocarus Marchio Styrenſis*, *una cum uxore ſua Kunigunda Marchioniſſa* in ſpem æternæ retributionis libere contulit in eo maxime loco, ubi peregrinorum & pauperum per eorum terras iter agentium inopia poſſit ſublevari. *Prædictus enim Marchio* partem *ſilvæ Cerevvald*, quam propinguus *Ecbertus Comes de Buttene*, *Vornbacenſibus* dederat, datis 3. excultis manſis in loco, qui vocatur *Niveſidel* (Neuſidl) & 4to Wilhalmsburg cum Ortolfo Abbate adſtipulantibus fratribus concambivit, ac in ea hoſpitale in honorem Divæ Genitricis & ſemper Virginis Mariæ, in uſum prætereuntium fundavit, ut ſtratum tectum forum, & quodcunque aliud divertentes poſſint habere pro facultate ſubſidium: Ad quod miniſterium tradiderunt reſiduum ejusdem ſilvæ, quod eorum cognoſcitur fuiſſe, tam *ipſe Marchio Ottocarus quam ipſius uxor Kunigundis Marchioniſſa* cum exitibus & reditibus omnique utilitate quæſita, & inquirenda excepta piſcatione & venatione quam ex parte ſibi retinuerunt, partim in uſum hoſpitalis ea uti conceſſerunt. Hi vero ſunt termini ſilvæ ad hoſpitale deputatæ a meridie *amnis Fröſchnice* cum alpe, a ſeptentrione ſcaturigines fontium *in Moure* (fors tantum *Muerza*) fluvium confluentium: Ab occidente Pircherwanc *villa*, in qua 3. manſus cum curtili, loco eidem tradiderunt. Item manſum in *villa Fæzer* cum prato adjecerunt, etiam manſus *Pacte*, & in Schergendorf cum propriis eorum hominibus, qui coloni eorum erant, donaverunt, Eccleſiam præterea *S. Stephani in Chrebar* cum prædiis & dominiis ad eam pertinentibus addiderunt in pauperum ſuſtentationem, & pro peccatorum ſuorum remiſſione videlicet ut ipſe hoſpitalis locus cum omnibus ad id pertinentibus ſub *ipſius Marchionis & filii ſui*, legitimorumque ſucceſſorum ſuorum defenſione maneat, & conſiſtat. Miniſteriales etiam Marchionis & filii ſui cum uxoribus & liberis de prædio ſuo eidem hoſpitali delegaverunt: *Otto de Stubenberch* 10. manſus *in Vorave*, & *vineam in Spicebarte*, *Gotteſcalcus de Rechberg villam Nivenſidl*, *Rapoto de Buttene* 2. manſus, *apud S. Petrum*, *Heinricus de Schvvarzach* 3. manſus, *Sifridus*

de Kranichberg vineam *Crottendorf*, *Balduinus medicus* vineam *Viſchac*, *Bernard de Stubenberch* vineam *Mersdorff*. Hæc autem omnia ex privilegio *prædicti Marchionis Ottocari* per ordinem continentur. Nos igitur pro ſalute animæ noſtræ prædictum hoſpitale ſitum in loco, qui dicitur *Cerevvald* in Epiſcopatu *Salisburgenſi*, & omnia prædia ipſi hoſpitali data, & impoſterum danda ſub noſtram imperialem protectionem recipimus, & ab omnibus ſervitiis, quæ appellantur *Voitmurce & Marchdienſt*, ſupra memorata bona hoſpitalis abſolvimus, ſtatuentes & firmiter præcipientes, ne quis exactionem vectigalium &c. præſentem inde kartam conſcribi juſſimus, & imperiali ſigillo confirmari fecimus, & communiri, adhibitis teſtibus, qui in privilegio Marchionis continentur: quorum nomina hæc ſunt: *Ottocarus Archi-Presbyter*, *Engelberus & Bernhardus Presbyteri*, *Bernardus de Muregge*, *Lutoldus de Waltſteine*, *Ulricus de Urle*, *Hermannus de Wichenſteine*, *Meginhard de Trüebasvvinckl*, *Udiſcalcus de Nitperch*, *Otto & Wulfingus de Kapfenberg*, *Ludovicus de Glanegge*, *Rapoto de Kranichberg*, *Albero & Ulrich de Dunkenſteine*, *Otto de Wolchesdorf*, *Bertholdus de Engilſchalkesveld*, *Wulfingus de Kremſa*, *Rudolfus de Stabremberg*, *Frider. de Mursdorf*, *Duringus de Stegne*, *Wernherus de Lavend*, *Udiſchalcus & Eberrardus de Viſchac*, *Merboto de Trabſtetem*, & alii quamplures. Et ego Chriſtianus Cancellarius, & Moguntinæ ſedis electus recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXVI. regnante Domino Friderico Rom. Imp. glorioſiſſimo, regnorum ejus XIV. Imperii IX. Datum apud Auguſtam civitatem Idibus Octobris.

An. 1166. Chuneg. Vid. March. liberalis Seccov.

NUM. 37.

Chunegundis Marchioniſſa Vidua, Seccovienſibus legata mariti exequitur, & alia donat.

Ex Diplom. S. Duc. Styr. P. Frælich part. I. fol. 154. inter Diplom. Seccov. num. 17.

Ego *Chunigundis Marchioniſſa* omnibus fidelibus in perpetuum. Debiti noſtri jus videtur exigere materno affectu conſulendo & auxiliando his ſubvenire, quos conſtat in Provincia noſtræ ditionis ſub tutela defenſionis mariti & filii noſtri vixiſſe, & impoſterum velle vivere; unde univerſitati fidelium tam præſentium, quam futurorum volumus eſſe cognitum, quod *beatæ memoriæ Dominus & maritus noſter Otakarius Marchio Styrenſis* inter alia, quæ in extremis vitæ Deo miſerante provide & nobiliter diſpoſuit, cifum aureum ſuum appendentem pondus 6. marcarum confringi, & per diverſa clauſtra pro remedio animæ ſuæ perpetuo mandavit. Ex quibus cum una marca *Seccovienſibus fratribus* fuiſſet collata, ipſi fratres ſano uſi conſilio eam ad luminaria, & cætera *Monaſterii Seccovienſis* utenſilia dandam eſſe ſtatuerunt, & aliquid comparandum, unde annotinum (nempe annuum) fructum in ejusdem Monaſterii uſum *ad æternum animæ Marchionis monimentum* recipere poſſint. De bonis igitur quorumdam fidelium noſtrorum, *Purchardi ſcilicet de Mureke, & uxoris ſuæ Juditæ* ſibi pro Deo collatis cingulum ex marca auri fabrefactum, & ſexaginta ulnis unionum exornatum, & ad pretium XVI. marcarum argenti æſtimatum ad marcam ſuperius dictam

adje-

adjecerunt, & cum benigna licentia tam noſtra, quam filii noſtri & conſilio, conſenſuque miniſterialium noſtrorum curtim unam *juxta amnem Viſchac* ex his emerunt, tali videlicet conditione, ut inde annuatim *jus Forenſe*, quod vulgo *Burgrecht* appellatur, XL. denarios Viennenſis monetæ dando filio noſtro perſolvant, & in planitie *campi Viſchabenſis* quamcunque voluerint utilitatem agrorum, pratorum, pomariorum piſcinarum, cæterorumque uſuum ſibi excolant, & in obſequium Monaſterii ſæpe dicti conferant, & pro ſalute tam mariti, quam noſtra filiique noſtri quotidianos Deo preces offerant. Emptio autem iſta facta eſt a quodam *Eberhardo monetario diſpenſatore noſtro* aliquando & ab uxore ſua *Truta* coram Miniſterialibus & Forenſibus noſtris *in foro Viſchac* ſub *Balduino diſpenſatore noſtro*; ubi teſtes adſciti ſunt *Durinch de Starchemberg* cum filiis ſuis *Berchto*, fors *Berchtoldo & Udalrico*, *Iſinger de Muetenſtorf*, *Durinch de Staine*, *Tycmo & Berchtold de Rotengruebe*, *Ingram de Willendorf*, *Heinrich Zilla*, *Eberman de Salchenovve*, *Diepold*, *Uſchach*, *Marchvvart*, *Amelreich de Viſchach*, *Hiemo de Wienna*, cæterique quamplures ejusdem civitatis homines. Additi ſunt poſtmodum in negotii hujus teſtimonium coram nobis in foro *Hartperch* de hominibus & Miniſterialibus noſtris *Heinrich Bris*, fors *Bruſchenk*, *Erchebert de Moſebach*, *Gotſcalc de Neuperg*, *Otto de Stubenberch* cum filio ſuo *Wulfino*, *Wulfinc de Chapfenberc*, *Gundacar de Styra*, *Ortolf de Waltenſteine*, *Otto de Volkenſtorf*, *Alber de Dunkenſtaine*, *Ortolf & Otto de Griezechirchen*, *Albrecht de Eppenſtain*, *Otto de Vurte* cum filio ſuo *Ottone*, *Ebo & Otto de Heimburch*, *Luitold de Rotengrube*, *Meginhard de Huttendorf*, cum aliis quam pluribus. Anno ab Incarn. Dom. MCLXVI. decimo 4to Kal. Octobr.

NUM. 38.

An. 1168. Confirm. fundat. Vorav. & Paroch. Dechants-kirchen.

Privilegium Chunradi Archiep. Salisb. confirmatorium ſuper prædium & Eccleſiam Voravienſem, & Dechants-Kirchen.

Ex originali colleg. Vorav. Eccleſiæ.

Chunradus Dei gratia Salzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, *Luipoldo venerabili Voravienſi Præpoſito*, ſuisque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis INPPM. hoc eſt in perpetuam rei memoriam.

Quoniam veritate, quæ Deus eſt, atteſtante beatitudo de poſſidenda terra promiſſionis mitibus per ſpiritum pietatis, opera miſericordiæ exercentibus promittitur, idcirco nos tum pro debito noſtri officii, tum etiam Divini timoris & ejusdem pietatis intuitu traditionem, quam *kariſſimus filius noſter Odoacer Styrenſis Marchio*, de prædio ſuo *Vorave* dicto ad Juvavenſem ſedem poteſtativa manu fecit, & in eodem prædio *viros religioſos ſecundum regulam B. Auguſtini* viventes jugiter ibidem permanſuros auctoritate felicis memoriæ Anteceſſoris noſtri Eberhardi Archi-Epiſcopi collocavit, quia idem anteceſſor noſter morte præventus, eandem traditionem ſuo privilegio confirmare non potuit, nos qui favente Domino in ſede Juvavenſi ei ſucceſſimus noſtra auctoritate ratam habemus, & confirmamus. Et ſicut *præfatus Marchio* ad removendam omnem impoſterum ambiguitatem terminos ejusdem prædii propriis nominibus expreſſit, ita & nos eosdem terminos ſub noſtram

ſtram & ſucceſſorum noſtrorum tuitionem ſuſceptos eisdem nominibus exprimere dignum duximus: Ab aqua videlicet, quæ *Voravve* dicitur, uſque ad aliam aquam, quæ *Laventz* dicitur, & quidquid inter 2. iſtas aquas continetur, quod ad ejusdem Marchionis ſpectabat Dominicale quidquid & inter eandem *Laventz* & *Tuchan minorem*, item a capite rivuli, qui dicitur *Sultzbach*, & a capite rivuli, qui dicitur *Zeſpherkevere* a capite etiam rivuli, qui dicitur *Lengerskevere* uſque in Hungariam proprietatis habuit *cum alpibus uſque in Cerevvald* prænominato prædio adjacentibus, nos ſecundum traditionem præfati Marchionis, ut *in præbenda fratrum Voravenſium* permaneant, noſtra auctoritate roboramus; præterea bonum propoſitum *ejusdem Marchionis* & hæredum ejus ad meliora provocare volentes, pro remedio animæ noſtræ & omnium anteceſſorum, ſicut anteceſſor noſter verbo quidem fecerat, ſed ſuo privilegio non confirmaverat, *duas Parochias Voravæ videlicet & Teckanskyrichi* cum omni integritate & jure earum in uſus fratrum ibidem Domino ſervientium, decimas etiam vini *de 4. vineis apud Harchberg*, & de tribus *apud Fiſchach*, quas in præſentiarum iidem fratres poſſident eidem Eccleſiæ contradimus. Sane quotiescunque Archi-Diaconus vice noſtra pro debito officii ſui placitum Chriſtianitatis habere voluerit, *Vorovvenſis Præpoſitus* in una prædictarum plebium *Techanskyrichen* ſcilicet honeſte eum recipiat, & de his, quæ ad ſalutem animarum populi ejusdem plebis pertinent, devotus cooperator exiſtat. Ne autem impoſterum de terminis *Vorovvenſis plebis* quæſtio oriri poſſit eosdem terminos propriis nominibus in præſenti privilegio noſtro annotavimus a ſumitate montis, qui dicitur *Maſinberg*, & per ejus cacumen uſque ad originem fluvii, qui dicitur *Fuſtritz*, & capite rivuli, qui dicitur *Wizilavenz*, uſque dum idem rivulus in *Svvarzilavenz* defluit, quidquid autem intra hos terminos in præſentiarum cultum eſt, vel in futurum Domino favente coletur, parochiali jure ad præfatam *Vorovvenſem plebem* pertineat. Siquis autem huic noſtro privilegio auſu temerario contraire, & prædictæ congregationi injuriam inferre temptaverit, ſemel atque iterum commonitus, ſi non reſipuerit iram omnipotentis Dei & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli incurrat: ſervantibus autem ea, quæ hic decrevimus, ſalus, pax, & benedictio a Domino proveniat. Ut autem ea, quæ in præſenti pagina continentur, firma & inconvulſa permaneant ſigilli noſtri impreſſione roborare decrevimus: hujus rei teſtes *Siboto* majoris Eccleſiæ Præpoſitus, *Meingoto* Decanus, *Gundaker* Cellarius, *Werenberus* Sekkuwenſis Præpoſitus, *Heinricus* Garzenſis Præpoſitus, *Albertus* Ovenſis Præpoſitus, *Heinricus* Abbas S. Petri, *Siboto* Prior ejusdem Monaſterii, *Luitoldus* Abbas Admuntenſis. Acta ſunt hæc anno MCLXVIII. Indict. II. VI. Kal. Febr. Pontificatus noſtri IIII. apud Admunt. feliciter Amen.

(L. S.)

NUM. 39.

An. 1170. Confirm. Vorav. fund. a Papa Alex. III.

Alexandri III. Pont. max. privilegium confirmatorium fundationis Vorowenſ.

Ex Archivii ejusdem Colleg. Eccl. Vorav. originali.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis *Luipoldo Vorovvenſi Præpoſito*, ejusque fratribus tam præſentibus, quam futuris

ris Canonice ſubſtituendis in perpetuam rei memoriam: Officii noſtri nos ammonet, & invitat auctoritas pro Eccleſiarum ſtatu ſatagere, & earum quieti ac tranquillitati ſalubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honeſtati conveniens eſſe dignoſcitur, ut qui ad earum regimen Domino diſpenſante aſſumpti ſumus, eas & a pravorum hominum, nequitiis, tueamur & B. Petri, atque Apoſtolicæ ſedis patrocinio muniamus. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis petitionibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua Divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Statuentes ſiquidem imprimis, ut ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque poſſeſſiones quæcunque eadem Eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque ſucceſſoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis *ex dono Ottocar quondam Marchionis Styrenſis Fundatoris ejusdem loci*, terminos ſcilicet terrarum ab aqua, quæ *Vorovve* dicitur, uſque ad aliam aquam, quæ *Laventz* vocatur, quidquid inter illas duas præfatas aquas habetis, quod ad ejusdem Marchionis dominicale ſpectabat: quidquid juris habetis inter eandem *Laventz*, & aliam aquam, quæ *minor Tucha* vocatur. Item *ex dono ejusdem Marchionis*, quidquid juris vel proprietatis habetis a capite rivuli, qui *Sulzbach*, & a capite rivuli, qui nuncupatur *Zesvveschircheer*, & a capite rivuli, qui nominatur *Lengeskevere*, & protenditur uſque in Hungariam, cum alpibus uſque in *Cerevvald* prænominato prædio adjacentibus. *Ex dono Heberhardi bonæ memoriæ Salzburgenſis Archi-Epiſcopi, & Chunradi ſucceſſoris ipſius, duas videlicet Parochias Vorvve & Thekanskirchen* cum omni integritate & jure earum, decimas etiam vini de 4. vineis apud *Hartperg*, & de aliis 3. vineis apud *Fiſchach*. Ex *dono uxoris prædicti Marchionis* (originale hujus donationis non exſtat) manſum apud *Luubene*, ubi foditur ferrum, & fontem apud *Willealmesburg*, ubi fit ſal, ſepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat: ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & B. Auguſtini regulam providerint eligendum. Chriſma vero, oleum ſanctum conſecrationes altarium, ſeu baſilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a Dyoceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam, atque communionem ſedis Apoſtolicæ habuerit, & ea gratis, atque absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere, alioquin liceat vobis, quem maluerit adire antiſtitem, qui noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur,

indulgeat. Prohibemus quoque, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem aliqua levitate ſine Prioris ſui licentia fas ſit de clauſtro diſcedere, diſcedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere; Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſionis auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate & Dyoceſani Epiſcopi Canonica juſtitia. Siqua igitur in futurum, Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, 2do, 3tiove commonita, niſi per præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisve ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat, cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen.

(L. S.)

Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

† Ego Bernardus Portuenſis & S. Rufinæ Epiſc.
† Ego Chunradus Mogunt. Arch. & Sabinenſ. Epiſc.
† Ego Odo Tuſculanenſis Epiſc.
† Ego Joannes Presb. Card. SS. Joan. & Pauli tit Pammachii.
† Ego Ildebrandus Baſilicæ XII. Apoſt. Presb. Cardin.
† Ego Albertus Presb. Card. tit. S. Laurentii in Lucina.
† Ego Gwilihelmus Presb. Card. S. Petri ad vincula.
† Ego Boſo Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Paſtoris.
† Ego Petrus Presb. Card. S. Laurentii in Damaſo.
† Ego Jacinctus Diac. Cardin. S. Mariæ in Coſmydin.
† Ego Cynthius Cardin. Diac. S. Adriani.
† Ego Manfredus Diac. Cardin. S. Georgii ad velum aureum.
† Ego Hugo Diac. Cardin. S. Heuſtachii juxta templum Agrippe.

Datæ Tuſculani per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi & notarii, 2. Kal. Febr. Indict. IIII. Incarn. Dni. MCLXX. Pontificatus vero Domini Alex. P. P. III. an. XII.

An. 1170. Decimæ in Gravendorff Vorav. dantur.

NUM. 40.

Privilegium Adalberti Archiep. Salzburg. datum Leopoldo Præp. I. Vorav. ſuper decimali Curia in Gravendorff.

Ex originali, in Archivio Colleg. Eccleſ. Vorav.

In Nomine & ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Adelbertus Dei gratia Salzburg. Archi-Epiſcopus, venerabili *Luipoldo Vorovvenſi Præpoſito*, ejusque ſucceſſoribus:

Sola

Sola potiſſimum ſcriptura, tenaci ſuffragatur memoriæ, ut & poſteris cavendum, & obſervandum innoteſcat, & quidquid a nobis rectum geritur, ſtabili tenore juſtæ rationis auctoritas noſtra munimen habeat. Proinde noſtrorum formam Prædeceſſorum ſequentes, & ad ſalutem animarum noſtrarum pietatis operibus vigilanter intendentes, attentiori cura, & propenſiori famulatu nos provocante, dilectionis & devotionis *venerabilis fratris noſtri Luipoldi Præpoſiti*, piisque laboribus ipſius & fratrum ſuorum in novella plantatione *Vorovvenſis Monaſterii*, pro modulo noſtro conſulentes legitima traditione & legatione dedimus eis *decimalem curtem Gravendorff* cum omnibus ſuis inſtitutis pertinentiis eo duntaxat interpoſito conventionis tenore, ut ſi nobis ad præſens vel impoſterum noſtrisque ſucceſſoribus viſum fuerit conſultum, pro commutatione ejusdem decimalis curiæ ipſis fratribus in prædiis vel in aliis quibuslibet poſſeſſionibus jure perpetuo annuatim recompenſatio ſecundum æſtimationem X. marcarum, & ex tunc illæ decimæ tali pacto redemptæ noſtris uſibus ex integro proveniant. Hanc itaque traditionem & prætaxatæ conventionis tenorem, ne qualibet occaſione alienandi vel ſubtrahendi prædictis fratribus ulla poteſtas audeat infringere, præſenti ſcripto ſub anathemate decrevimus in æternum valituram confirmare, appoſita ſigilli noſtri impreſſione. Acta ſunt hæc anno M. C. LXX. Incarn. Dominicæ, Indict. III. VIII. Kal. Dec. Pontificatus noſtri anno V. feliciter Amen. (L.S.)

NUM. 41.

Circ. 1170. vel ſeq. Wigand de Maſſenberg Miniſt. Ottoc. VI.

Wigandi de Maſſenberg Miniſterialis Otakeri Marchionis traditio Admont. facta.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. Num. 80.

Wigant de Maſſenberg Miniſterialis Marchionis de Styra filiam ſuam Adelheid in Admont Cœnobio Monaſticæ religioni obtulit, cum qua & prædium ſuum *ad Savvisdorf*, hubam unam, eidem Cœnobio pro remedio animæ ſuæ, omniumque parentum ſuorum tradidit, quam traditionem permiſſu & licentia *Domini ſui Otagrii Marchionis* ſuper altare S. Blaſii ſolemniter peregit. Teſtes facti ſunt *Otto judex de Luiben, Cholman liber de Liuben: Ekebart de Treboche, Albero Mulinne, Engilbertus Sororius Wigandi, Rudgerus de Arnie, Svvitkeru de Dorf*, & alii de familia Eccleſiæ.

NUM. 42.

Circ. 1170. Ottoc. probat. tradit. March. Starhemberg.

Traditio Marchwardi de Starkenberg facta Admont. Cœnobio probante Otakero Marchione.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. Num. 81.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter fratres Admontenſes emerunt *a Marchvvardo de Starkenberch* XXII. marcis partem prædii ejus ad *Sundermaningen*, quod ibidem habuit cultum & incultum, quæſitum & inquirendum eo pacto, ut ubique infra Salzburch obierit, apud nos ſepulturam obtineat, & ut cognata ejus, quam ipſe petierit, in eodem Monaſterio recipiatur. Hujus prædii traditionem *poteſtativa manu Domini ſui*

ſui Otagri Marchionis fecit ſuper reliquias ſanctorum *apud Forovve.* Teſtes facti ſunt *Otto de Stubenberch*, & alii ſicut in priori traditione deſcripti ſunt. Hujus prædii traditi omnimodam abdicationem fecerunt fratres uxoris ejus *Udalricus & Geruncb de Stutarn in urbe Graeze* ſuper reliquias ſanctorum *coram Domino ſuo Marchione.*

Circ. 1170. Ottoc. Probat tradit. Pilgr. de Muerzhoven.

NUM. 43.

Traditio Pilgrimi de Murzhoven aſſentiente eodem Otakero.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. num. 82.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter *Pilgrinus de Murzhoven* petivit in Admontenſi Cœnobio filium ſuum, & filiam ſuam recipi, ad quorum ſtipendium prædium ſuum *Oberdorf ad Gomplaren* petivit *a Domino ſuo Marchione* eidem Cœnobio dari: Igitur *ipſe Marchio* delegavit hoc in manus *Ottonis de Luiben* Monaſterio tradendum. Teſtes facti ſunt *Wulphinus de Chaphenberch, Gundaker de Styra, Otto Sun.* Veniens igitur Otto Monaſterium idem prædium poteſtativa manu ſuper altare S. Blaſii delegavit cultum & incultum, quæſitum & non quæſitum, cum molendino & omnibus utilitatibus, ſicut ipſe Pilgrinus hoc *a ſocero ſuo Guttone nobili viro* in dotem filiæ acceperat, vel conquiſierat. Teſtes facti ſunt *Ortolf de Tolet, Otto de Liuben, Reginbot de Dirnſtain, Richfrid, & Gotfrid, & Rudger de Nideckke, Udalrich Chalbſenge, Geruch de Strechavv, Dietmar & Gotfrid* homines ejus, *Heinricus de Uts, Heinric Zoph, Eberhart Mülinn, Geruncb v. Iſimgrinus de Gurzhaym, Hadot de Peiſe, Starchant de Gezendorf, Timo & Willibam de Piſcovesdorf, Meginbart de Zuchidol, Dietmar de Pergarn, Wecill* filius ejus, *Ekkebart, Rapat* œconomi. Et de familia Eccleſiæ *Rudger de Arnich, Perchtold* filius ejus, *Svvitker de Dorf, Fridericus Judex, Aſvvin de Aiche, Pilgrinus de Sundermaringen, Willibalmus de Hovebaim, Heinric*, frater ejus, *Walter de Irental*, & *Heinricus* frater ejus, *Walbrun* ſenior, Ratold Otto, Hervich, Henricus, Chunradus, Reginhalm, *Enzin de Halle.*

An. 1171. Ottoc. VI. Admont. præſens litem compouit.

NUM. 44.

Otakerus intervenit amicabili compoſitioni factæ inter Admontenſes & Hartnidi hæredes.

Ex Cod. Diplom. Admont. cit. Num. 62.

Quatuor fuere fratres liberi & nobiles, Hermannus Sacerdos, Gerhohus, Hartnidus, Engilramus. His itaque paternam ſuam hæreditatem juſta inter ſe Eriſcundia diviſerunt. Anno autem Incarn. Dom. MCXXXVIIII. ultimus ipſorum Engilramus converſionis apud nos gratiam expetens, & Monachum induens libera & potenti manu partem, quæ ſibi obvenerat, prædii tradidit Monaſterio Admontenſi, curtem ſcilicet unam *apud Paltſich*, alteram *apud Pubele.* Curtis illa *ad Pubele* fratri ipſius E. Hartnido rogatu ipſius tradita eſt in concambium pro alia curte, quam ipſe *apud Paltſich* Monaſterio reddidit. Poſt mortem vero Hartnidi filii ipſius prædium a Patre ſuo pro concambio nobis traditum, appellare cœperunt, matrem ſuam per hoc dotatam, vel

ſpon-

ſponſatam, & ſine manu vel conſenſu ſuo concambium illud ſeu traditionem factam afferentes.

Lite hac diutius protracta, *Marchio Styrenſis tunc admodum puer Admont venit*, cum quo inter cæteros Miniſteriales ipſius, unus ipſorum *Arbo* nomine, pro ipſa cauſa locuturus advenit. Tunc conſilio amicorum ad hoc uſque cauſa utrimque deducta eſt, ut pro IIII. marcis tam ſibi quam fratri ſuo communiter dandis *in manum Marchionis* tam prædii quam litis abdicationem faceret, & pro fratre ſuo eandem abdicationem facturo vadem ſe offerret; his teſtibus tunc per aurem attractis *Otagrio Marchione de Styre, Erchenberto de Moſepach, Ottone de Stubenberc, Odalrico de Chranichperch, Adalberone de Strebovve, Marchardo de Starchenperc, Rudopho de Zemzlausdorf, Dietrico de Linte, Hermanno Loſhart, Timone de Piſcovesdorf, Chunrado de Perndorf.* Paucis ergo diebus exactis, isdem Arbo ſicut promiſerat germanum ſuum Meginhardum ad nos adduxit, & uterque ſuper altare S. Blaſii prædium ipſum cum lite omnimodis abdicaverunt, & IIII. Marcas nummorum ab altari acceperunt, ubi & teſtes acceſſerunt &c. v. eos hic. Actum an. Incarn. Domini MCLXXI.

NUM. 45.

Circ. 1171. Reginhard de Tovernick Miniſt. Ottoc. VI. trad.

Reginhardi de Tovernik Miniſterialis Ottocari VI. traditio Admont. facta.

Ex cod. Diplom. Admont. Num. 61.

Reginhardus de Tovernick Miniſteriales Marchionis de Styre delegavit in manum *Dom. Henrici Gurc. Epiſcopi* pratum unum *ad Chroncke* juxta pratum noſtrum ſitum Monaſterio Admunt tradendum. Epiſcopus ergo ipſum pratum fidei ſuæ delegatum tradidit ſuper reliquias S. Blaſii. Traditio hæc facta eſt *apud Monaſterium S. Georgii in Karinthia.* Teſtes *Hermannus Dux Karinthiæ, Otto de Poche, Engilbertus Miniſterialis Epiſcopi Gurcenſ. Pilgrinus Abbas de Lavent, Romanus Præpoſ. Gurcenſ.* & alii quam plures.

NUM. 46.

An. 1171. Hartnid. de Rakerſp. trad. Adm.

Traditio Hartnidi de Rutkerſpurch manu Otakeri Marchionis.

Ex cod. Diplom. Admont. Num. 83.

Hartnidus de Rutgerſpurch, filiam ſororis ſuæ in Admontenſi Cœnobio ſuſcipi impetravit, ad cujus ſubſidium prædium ſuum *ad Sulz*, 3. videlicet manſus poteſtativa manu tam *Domini ſui Otagrii Marcb. de Styra*, quam & propria ſuper reliquias S. Blaſii contradidit. Teſtes facti ſunt *Vulpbing de Stubenberch, Hartnid de Rutkerſpurc, Ditmar Schriar, Otaker de Graeze, Hartvvicus & Ludvvicus de Glanecke, Otto de Liuben, Otto de Vurt, Chunrad de Marchburch, Richer de Marchburh, Albero de Thunenſtain, Ulricus Chalbseng, Fridericus* filius Ortberti.

NUM. 47.

An. 1172. Ottoc. VI. dat. Seccov. Eccleſ. Schönberg.

Ottoc. VI. & Marchio ult. Eccleſiam Schönberg Seccovienſibus confert Græcii.

Ex Dipl. S. Duc. Styr. P. Frælich p. 1. f. 159. inter Secc. Dipl. N. 19.

Ottokarus Marchio de Styra omnibus fidelibus in perpetuum &c. unde notum eſſe volumus, quod nos precibus Seccovienſium fratrum

commoniti *Eccleſiam noſtram Schonnenberg* dictam cum petitione & jure quo nobis a nobili quadam matrona nomine *Giſila de Ovvſſach* (fors *Oſſiach*) erat tradita, Seccovienſi Eccleſiæ delegavimus cum dote & hominibus ad eandem Eccleſiam pertinentibus, ut eum Seccovienſis congregatio vice noſtra in Dei laudibus provehat, unde ſalus tam noſtra, quam illius, quæ nobis tradidit, & prædeceſſorum noſtrorum capiat incrementum. Sunt autem hæc prædia ad dotem pertinentia *curtis Aiche* duo manſus *Viſchorn* totidemque *Pratenvurte*, *Praitenfurte*: & unus *Ratenberch*, & *Flaſach*, quinque agri *Celtvvich*, item manſus *Weiſendorff* cum mancipiis Eccleſiæ deputatis. Hæc omnia ſigillo noſtro ſunt munita, & teſtes adhibiti *Liutold de Waltſtein*, *Popo de Peccah*, *Chunrad de Chindeberch*, *Otto & Wilfingus* fratres deeſſe videatur, ejus vel a *Stubenberg*, *Otto de Wartenberch*, *Gundeker de Steinbach* (fors *Steinach*) *Ludvvig de Glaneckke*, *Dietmar de Liechtenſteine*, *Hermann & Chuno de Chremis*, *Ortolf de Waltenſteine*, *Gerold de Marine*, *Walther de Luaach*, *Wilehalm*, & *Ebino de Branich* (fors *Branck*) *Heinrich & Chunrad de Ovvenſtein*, *Rudolph de Endinberch*, *Rudolf de Peccah*, & alii quamplures. An. incarn. Dom. mill. cent. ſeptuag. ſecundo, Ind. V. feria III. die XVII. Kal. Junii *in foro Græce*, imperante Frider. Aug. feliciter, Amen.

NUM. 48.

An. 1173. Idem eisdem dat jurisd. civil. & a telon. immunit.

Ottocarus Marchio Seccovienſi territorio jurisdictionem civilem, & Cœnobio immunitatem a teloneis confert.

Ex Diplom. Ducat. Styr. cit. Num. 20.

Ottocarus *Dei gratia Dux Styriæ &c.* proinde notum eſſe volumus, quod cum *Wernherus Vener. Eccleſiæ Seccov. Præpoſitus*, Eccleſiæ ſuæ homines per injuſta judicia & exactiones indebitas moleſtari videret nimium & gravari, aures noſtræ manſuetudinis querelis & precibus ſæpius pulſavit, ut aliquo pietatis remedio hujusmodi gravamini miſericorditer ſuccurrere dignaremur. Nos vero ad piiſſimi genitoris noſtri tendentes veſtigia, qui præfatum Cœnobium ob venerationem Matris Domini ſpecialiſſima ſemper confovebat gratia, habito procerum noſtrorum ſano conſilio Monaſterium antedictum ab onere præmiſſarum vexationum duximus noſtræ magnificentiæ gratia liberare. Propterea volumus, & volendo mandamus, firmiter & diſtricte, ut ab hoc die in antea nullus judicium de hominibus Eccleſiæ *inter fluvios Leusnich & gradnam* reſidentibus, quod pro orto (horto) domeſtico, qui vulgariter Haimgart dicitur, eidem conceſſimus, jus vel auctoritatem faciendi judicium ſibi debeat vendicare, ſed ſolum *Præpoſitus, vel ſui officiales* judicandi de illis plenam & liberam habeant poteſtatem, niſi forte quisquam occaſione furti vel alterius maleficii mortem hominis requirentis inter prædictos fluvios fuerit comprehenſus, hunc officiales *Præpoſiti* tenentur Advocato cinctum cingulo rebus omnibus, quas reliquerit, Eccleſiæ remanentibus præſentare. Si vero quisquam in eisdem fluviorum terminis fuerit vulneratus, judicium ad ipſum *Præpoſitum*, vel ſuos officiales tantummodo pertinebit, ſic tamen ut advocato denarius ſanguinis reſervetur. Si autem extra eosdem terminos quæ-

ſtionis

ſtiones leves & faciles de rebus mobilibus, & aliis ſimplicibus caſibus ortæ fuerint, de hominibus Eccleſiæ memoratæ ipſa etiam *ad Præpoſitum*, vel ſuos officiales judicio volumus terminare. Cupientes quoque *idem Monaſterium* noſtræ liberalitatis beneficiis reſpicere, & ad ſtatum meliorem provehere, abſolvimus ipſum & abſolutum ex hodierno decernimus ab omni jure ſeu exactione *mutæ & thelonei*, in quibus nobis hactenus eadem Eccleſia tenebatur, ſic videlicet, ut per omnem diſtrictum noſtri Ducatus omnes res eorum, annonæ, vini, ſalis, & cætera, quocunque cenſeantur nomine, liberum tranſitum habeant, nihil exhibito ratione *thelonei ſive mutæ*. Quam utique traditionem ea conditione fecimus, ut iidem fratres pro noſtra ac noſtrorum parentum, ſimulque noſtrorum miniſterialium, qui ad hanc noſtram devotionem conſilium dederunt, ſalute, Deo inſiſtere ſtatuebant animo vigilanti. In monimentum hujus facti hi teſtes a nobis auriculariter ſunt attracti, videlicet *Leutoldus de Walſtein*, *Chunradus de Dornberg*, *Popo de Peccab*, *Otto de Stubenberch*, *Wulfingus de Chapfenberg*, *Albero de Dunkenſtain*, *Dietmar de Hochenſtain*, *Dietmarus de Liechtenſtain*, *Wernhardus de Glichenveld*, *Otto Sun*, *Fridericus de Miersdorff*, *Rudolphus de Roſe*, *Hermann de Volkenburg*, *Otto & Ortliebus de Utſe*, *Wigandus de Camera*, *Heinric de Pranckh*, *Waltmanus de Endinberg*, *Heinricus de Ovvenſtein*, *Wielandus*, *Hartvvicus*, *Sigbardus*, *Wolfkerus de Leuben*, *Gerungus de Wolmuetſtorff*, & alii. Actum anno Dominicæ Incarn. milleſ. centeſ. ſeptuageſ. tertio Indict. V. (ſors VI.) die Dom. XV. Kal. Apr. *in foro Leuben*, Imp. Frider. Rom. Auguſto.

NUM. 49.

An. 1174. Ottoc. VI. dat Seccov. bat. fund.

Ottocarus VI. Marchio Styriæ ultimus plura latifundia Eccleſiæ Seccov. donat Græcii.

Ex Diplom. Ducat. Styr. cit. Num. 21.

In - - - *Ottaker Marchio Styrenſis* omnibus fidelibus in perpetuum, glorioſiſſimorum parentum ac prædeceſſorum noſtrorum, a quibus proſapiam ſanguinis ducimus, munificentiam, liberalitatemque ſequi per omnia jure debemus, ſic enim mercedem Divinam & laudem humanam promerebimur. Si eorum, quorum memoria in benedictione eſt, geſta magnifica imitati fuerimus. Cum vero omnibus ſub ditione noſtra conſiſtentibus conſulere debeamus, ſpecialius tamen eis ſuccurrere monemur, qui pro ſtatu ſalutis noſtræ Divinis cotidie ſubjacent obtutibus. Unde notum eſſe volumus, tam ſuperventuræ, quam præſentis generationis hominibus, quod nos conſilio fidelium & miniſterialium noſtrorum precibus *Domini Alrami viri ingenui*, *nobis plurimum dilecti fundatoris Eccleſiæ & Monaſterii Seccovienſis*, *& ejusdem Eccleſiæ Domini Wernberi Præpoſiti*, fratrumque ſuorum annuentes de reditibus noſtris ſilvam gregibus alendis aptam, cum montuoſis & curia paſcuali *Worvvitz*, & planis viis, & inviis exitibus & reditibus, aquarum decurſibus, omnique utilitate quæſita & quærenda, nulla contradictione reſiſtente libera manu ſuper reliquias ſanctæ Mariæ tradidimus, quatenus ipſi fratres inde fœna pecoribus ſuis congregent, vel etiam no-

vellationes, ſi poſſint, ibidem conſtituant, ac inde memores noſtri, noſtrorumque debitorum ſemper in bono exiſtant. Eſt vero ſilva ipſa *Trigovvle*, ſeu Wacherſperg dicta, quam quidam *Popo*, agnomine Aurbech (dubium, an *Tuirperch*, an *Auerperch*) a nobis in beneficium habuit, ſed eo defuncto ad Dominicale noſtrum rediit, ſicque nobis dantibus ad jus Seccovienſis Monaſterii ceſſit; terminos etiam ejusdem ſilvæ procuratorem noſtrum *Reginbertum de Murecke* juſſimus demonſtrare, ne quis prædictos fratres in eis poſſet in futurum moleſtare, quod & fecit: ſunt autem hi termini, qui hic deſcribuntur: ſuper hæc etiam donavimus pratum in loco, qui dicitur *Gævaze*, & montem vaccarum *Chuepercb* inter *Gradam* & *Pfaſcbach* ſitam. Item in valle *Væuſtritz* circa *Pranck* etiam donavimus eidem Eccleſiæ curiam villicalem in monte Paſchali *Vrezen*, & ſilvam in valle *Væuſtritz* cum terminis ſubnotatis &c. qui hic deſcribuntur. Inde autem adhuc addicimus donando ſilvam, quæ dicitur *Erzvvald* & *Eiſengore*, & primus terminus incipit &c. cum omnibus attinentiis, quæ ſunt intra terminos præſcriptos omnes cum omni utilitate tam quæſita, quam quærenda, cum cultis & incultis, cum paſcuis venationibus & piſcationibus. Ne igitur hujusmodi noſtras donationes ſive traditiones poſſet aliquis impoſterum per calumniam infirmare, ipſos ſigilli noſtri munimine fecimus roborari cum teſtibus ſubnotatis, quorum nomina hæc ſunt: *Chunradus Mogunt. Archiep. Chunrad de Ameinſpach, Otto de Stubenberch, Wulfingus de Chapfenberch, Dietmarus & Ottocharus de Graze, Hartvvicus, & Ludvvicus de Glanekke, Reimbertus de Mureckke, Albertus de Eppenſtain, Lantfridus de Ramenſtein, Rapoto de Puten* cum aliis compluribus. Actum *in foro Graeze* in Eccleſia S. Egidii, Anno Incarn. Verbi milleſ. centeſ. ſeptuageſ. quarto, Indict. VII. decima tertia Kal. Martii ſub Imp. Frider. Archiep. Alberto, Wernhero Præpoſito, Amen, Amen.

NUM. 50.

An. 1174. Adalb. Archiep. Salzb. dat præd. Luttenwerde Vorav.

Adalberti Archiep. Salzb. privilegium datum Voravienſibus ſuper prædio in Luttenvverde.

Ex origin. in Archiv. colleg. Eccleſ. Vorav.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Adalbertus Dei gratia Salzburg. Archiep. *Luipoldo Voravvenſi Præpoſito*, ejusque ſucceſſoribus. In perpetuam rei memoriam, ut æterna merces a Domino in retributione juſtorum fructibus noſtræ devotionis uberius accreſcat, ipſam devotionem eleemoſinarum largitate ſuſtentatio pauperum Chriſti apud Dominum ſpecialius præ cæteris commendat. Ad hanc beatitudinem fiducialius nobis obtinendam, pro redemptione animarum noſtrarum & prædeceſſorum noſtrorum interventu venerabilis *Præpoſiti Luipoldi de Voravven*, & aliorum fidelium noſtrorum infra terminos cujusdam terræ, quæ dicitur *Luttunvverte* omnia Eccleſiaſtica & ſacerdotalia jura, portionem quoque decimarum, quæ nos contingit, in cultis & colendis agris & paſcuis, *in uſus fratrum Vorovvenſium* noſtra legitima traditione profutura, perpetuo jure confirmamus. Et ut hæc traditio præſentibus & futuris fidelibus cuſtodienda lucidius innoteſcat,

&

robur & munimen impoſterum obtineat, hanc Kartulam ſigilli noſtri impreſſione muniri præcepimus. Acta ſunt hæc an. MCLXXIV. incarn. Dom. indict. II. non. Decemb. *apud Dirnſtain*, anno Pontificatus noſtri V. feliciter, Amen.

NUM. 51.

Ottocarus VI. ab Alexandro III. Pont. maximo petit confirmationem Garſt.

Ex Diplomat. Garſtenſi P. Frælich. Num. 12.

An. 1177. Ottoc. VI. ab Alex. III. petit confirm. Garſt. Monaſterii.

Sanctiſſimo Domino ac Patri in Chriſto cariſſimo Alexandro ſanctæ Romanæ Apoſtolicæ ſedis ſummo & univerſali Pontifici, *Ottackar Marchio Styrenſis* perfectæ fidelitatis omnimodum obſequium.

Quoniam ſanctitatis veſtræ excellentiam, & ſublimitatem honoris, Pater & Domine ſemper augeri anhelamus, & amplificari deſideramus, veſtigia pro poſſe ſequentes parentum noſtrorum, qui pro conſervando jure & honore veſtro & B. Petri indefeſſo ſtudio decertarunt, & laudabili conſtantia Deo teſte in id ipſum promovendum interriti perſeverarunt, eo confidentius pietatis veſtræ januam nobis aperiri putamus, & donari, quæ donanda ſunt, vel petenda non dubitamus. Credimus enim non latere ſanctitatem veſtram omnes progenitores noſtros non ſolum Chriſtianiſſimos fuiſſe, verum etiam circa Eccleſiaſtica jura diligentiſſimos extitiſſe. Unde ex inſpiratione Divina de reditibus ſuis diverſis in locis diverſa Cœnobia conſtruxere, & quoniam quædam illorum tuitione veſtræ munificentiæ, ſeu veſtrorum prædeceſſorum privilegiis nondum conſtat eſſe munita, rogamus attentius paternitatem veſtram, quæ paratiſſima gratis cunctis occurrit ex pietatis abundantia, quatenus ſpeciali cuidam Monaſterio noſtro ſcilicet *Garſtenſi* manum benigne apponere curetis, & prædia ſive privilegia, quæ a nobis & parentibus noſtris præfato Monaſterio donata ſunt, & collata authoritate veſtra privilegio roboretis, & confirmetis. Hinc etiam Paternitatis veſtræ diſcretionem ſcire optamus, parentes noſtros conquiſiiſſe ab Epiſcopatu Patavienſi a ſexaginta fere annis Eccleſiam Baptiſmalem cum omnibus ad ipſam pertinentibus, in cujus etiam area prædictum Cœnobium eſt conſtitutum, & fundatum: tenemus ſcilicet pro alterius Eccleſiæ baptiſmalis concambio legali & perpetuali, horum ſcripta & Epiſcoporum privilegia apud nos tenemus, & ſubternotari volumus, & ut per vos roborentur, & confirmentur, obnixius oramus.

NUM. 52.

Ottocarus VI. Marchio ultimus confirmat donationem Comitum de Schala.

Ex Dipl. S. Duc. Styr. P. Frælich p. 2. f. 15. inter Runenſia N. 11.

An. 1179. Ottoc. VI. confirmat donat. Com. de Schala Runenſ.

In nomine &c. *Otokarus nutu ſuperni opificis Marchio Styr.* Illuſtrium perſonarum *Hainrici videlicet, & Sigenhardi Comitum de Schala*, laudabile factum notificamus; hi namque *nobiliſſimæ proſapiæ*, carne pariter & affectu fratres ex prædiis ſuis in Marchia ſitis *villam Chouleſtorff* Dom. Dei *ſanctæ Mariæ in Runæ delegantes* Advocatum, atque Tutorem me exiſtere petierunt. Sane traditionem eandem in præſentiarum fecerunt, *itaque Abbas fratresque Runenſes*, ne tantæ principalium perſonarum liberalitati quaſi minus grati, tam amplæ poſſeſſio-

nis reditibus carere illos paterentur, collectas undecunque centum marcas eis in præsenti ad manus contulerunt. Verum memorabiles illi Domini, *nobis quoque sanguine proximi* nullo horum usuros se professi sunt, quo usque centum marcas ad integrum Cœnobio prædictum prædium annis censualibus reditibus repræsentaret. Testium eorum solummodo, qui per aurem trahi potuerunt, nomina hic sunt annotata: *Otto de Welgovve, Illsungus de Brune, Landfridus de Eppenstain &c.* Ego autem donationis hujus Kartam conscribi curavi, & sigilli proprii impressione firmavi. Acta sunt hæc anno Dom. Incarn. Milles. cent. septuages. nono.

Circ. 1180. Ottoc. VI. litem Admont. finit.

NUM. 53.

Ottocarus VI. litem quandam dirimit inter Vulfingum Camerarium suum, & Epponem Admont. Camerarium.

Ex Cod. Diplom. Admont. cit. Num. 70.

Otaker *Dei gratia Dux Styrensis*, præsentibus & futuris notificamus, quia Vulfingus Camerarius noster, dum fratres Admontenses pro prædio *Alboldisfeld* injuste vexaret, ipsum Wulfingum & fratrem Epponem Admontensium Camerarium propter quærimoniam sæpe ab utraque parte ad nos delatam *in Marchburg* venire fecimus ad nostram præsentiam. Inde secundum quod nobis & aliis, qui aderant, justum videbatur, cum nostro jussu ad idem prædium accessissent, indigend (fors indigene) loci illud Cœnobio cum Sacramento jurisjurandi adjudicarunt. Qui autem Sacramentum fecerunt, hi fuerunt *Chunradus & Heim. dispensator*, & frater ejus *Laurentius Hyrzman*, & *Averam*, & *Ztavick*. Ut autem inter Monasterium & prædictum Vulfingum pax de cætero magis confirmaretur, agrum unum in eodem loco, ipsi Vulfingo fratres dimiserunt, sed & marcam unam ipsi Vulfingo pro abdicatione unius vineæ, quæ ad idem pertinet prædium, Camerarius dedit; actionis hujus testes *in Marchburg* hi sunt: *Herrandus de Wildonia, Richerus de Marchburg, Ortolfus de Guneviz, Otacher de Grez, Enkingarus de Landiser, Otto de Libeniz, Dietmarus de Liechtenstain.* In ipso loco, ubi lis determinato (fors litis determinatio) & abdicatio a Vulfingo facta est, hi sunt testes: *Liutoldus de Melnich, Mogay de Gestnich, Nogay de Pezniz, Ztoyze*, & frater ejus *Ztoyn*, & tertius frater eorum, *Ulricus de Marperch*, & *Engilbert de Järingen*, & filius ejus *Otto* &c.

An. 1181. vel seq. Ottoc. VI. fundat missas in Gerstен.

NUM. 54.

Ottoc. Dux Styr. fundat missas in Gerstен pro suo itinere in Jerusalem &c.

Ex cod. Diplom. Garst. P. Frælich Num. 15.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis *Otokarus Divina largiente gratia Dux Styrensis*; Quidquid ob Dei timorem locis sanctorum benevola deliberatione concedimus, & donamus, hoc ad salvationem corporis & animæ nostræ liquido creditur profuturum, ut qui in Dei laude jugiter persistunt, exinde sæpius & devotius in nostra possint memoria pertinere. Idcirco notum sit omnibus nostris successoribus,

&

& ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, qualiter nos juxta fluvium *Gavelenz* duos manſus cum nemore ad locum ſanctæ Dei Genitricis *Mariæ in Garſten, & fratribus inibi Deo famulantibus* propter remedium animæ noſtræ, & omnium parentum noſtrorum, quorum traditionibus, & auxilio idem locus conſtructus cernitur cum omni jure, quod ad noſtrum pertinebat ſervitium, tradidimus cum omnibus venationibus, piſcationibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, quæſitis & inquirendis, & ut fratres liberam poteſtatem habeant ex illis faciendi, quidquid ad Eccleſiæ commodum elegerint nullo contradicente & inquietante. Inſuper unum manſum in *Ubſenberch*, quem tres incolunt viri, ob Dei timorem, & *animæ matris noſtræ redemptionem* ſuper reliquias ſanctorum jam dicti Cœnobii nos delegaſſe hoc teſtimonio comprobatur. Aliam vero *juxta Eccleſiam Hus*, quem nobilis fœmina Domina *Gisla de Euſſar* eidem loco liberali manu contulit hunc in uſum fratrum redire conceſſimus. Hujus autem traditionis advocatiam vel nobis, vel alicui ſucceſſorum noſtrorum quempiam inbeneficiare non liceat. Si quis vero totius facti transgreſſor exſtiterit delictorum noſtrorum coram Deo reus teneatur. Et ut hæc noſtræ largitionis authoritas ſtabilis, & inconvulſa omni permaneat ævo, & nullus aliquid de bonis præfatæ Eccleſiæ auferre, atque ab eadem abalienare poteſtatem habeat hoc privilegium præcepto noſtro ſcriptum propria manu corroborantes ſigilli noſtri impreſſione, & *Luipoldi Ducis Auſtriæ noſtri cognati* juſſimus inſigniri, pro his & pro cæteris bonis, quæ prænominatis fratribus conferre decrevimus, *iter noſtrum Hieroſolyma* cum una miſſa de S. Maria per unius anni ſpatium Domino cotidie commendent, & aliam poſt noſtrum diſceſſum ex hac luce pro defunctis & ſalute animæ noſtræ ſingulis diebus celebrabunt, ac velut unam præbendam nobis in ævum præſtabunt. Hujus rei teſtes ſunt: *Erchingerus de Haginove, Friderich de Perge, Herrand de Wildonia, Richer de Marchburch, Dietricus de Hochenſtauffe, Arnold de Wartenberch, Erneſt de Trun, Dietricus de Polnheim, Fridericus de Miriſtorf, Fridericus de Huffove, Alberto de Ichuſe, Dietmarus*, Dapifer, & frater ejus, *Ulricus de Putenovve, Wolcher de Perneck*, & frater ejus *Ortolfus, Wulfingus* Camerarius, *Dietricus Enenckln, Ulricus Preco, Gerunc de Stutarn, Fridericus de Statove, Frider. de Petove, Eberhardus de Pernove, Erchingerus de Landeſere, Heinricus de Traiſem.*

NUM. 55.

Leopold. Dux Auſtr. a teloneo Garſtenſes eximit, & Ottocarum ſuum cognatum appellat.

An. 1187. vel ſeq. Leopold. D. Auſtr. Ottoc. cognatum ſuum appellat.

Ex Diplom. Garſtenſi P. Frælich Num. 16.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Luipoldus Dux Auſtriæ Conrado Abbati & fratribus ejus in Garſten - - - Hinc eſt, quod Monaſterium Garſtenſe ab omni exactione tributi vel telonei in aſcenſu vel deſcenſu Danubii perpetua libertate abſolvo, ob amorem ſanctiſſimi & glorioſiſſimi ſepulchri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad quod inviſendum deſiderabiliter propero, & *propter familiarem amicitiam dulciſſimi amici & cognati Styrenſis Ducis Otaker*, quem præcordialiter diligo.

In

In hujus autem libertatis locum volo nobis vice verſa ac (fors ab) eisdem fratribus annuatim talentum dari. Reliqua deſunt.

Circ. 1181. vel ſeq. Bern. de Putine coram Ottoc. in Admont prædia delegat.

NUM. 56.

Bernardi de Putine delegatio prædiorum præſente Ottakero Duce in Admont.

Ex codice Diplom. Admont. Num. 84.

Notum ſit omnibus, qualiter *Berbardus de Putine præſente & annitente Domino ſuo Otaker Duce Styrenſe* delegavit Monaſterio Admontenſi ſuper reliquias S. Blaſii prædium ſuum, duos videlicet manſos apud *Harde*, quorum unum hæreditario jure poſſederat, alterum *a Chadiloch de Schratinberch* coemerat. Teſtes extitere: *O, Dux Styrenſ. Diepoldus Marchio de Vobiburch, Rapoto de Putin, Ulricus de Chranichburg, Heinricus & Albero fratres de Dunchinſtein, Gerardus de Putin, Luipoldus, Heinricus, & Otto fratres ejus, Dietmarus de Putinovve, Marchvvardus de Storkinberch, Wielant.* Alterum e duobus manſum, quem prædictus *Berbardus a Chadiloch de Schratinberch* coemerat, idem & delegavit ſuper reliquias S. Blaſii cum filio ſuo *Ortolfo*, & filia ſua. Teſtes fuere *Luipoldus de Putin, Herman, Ulrich, Witmar*, milites, *Chadiloch, Chunradus* armiger ejus.

Circ. 1181. Ott. de Stein Miniſt. Ottoc. VI. traditio.

NUM. 57.

Traditio Ottonis de Stein, Otakeri Ducis Miniſterialis.

Ex cod. Diplom. Admont. Num. 85.

Notum eſſe volumus præſentibus & futuris omnibus Chriſti fidelibus, qualiter *Otto de Stein, Otagrii Ducis de Styre Miniſterialis*, dum defunctæ uxoris corpus allatum apud Admontenſe Monaſterium ſepulturæ mandaſſet, delegavit potenti manu ſuper altare S. Blaſii pro remedio animæ ſuæ, ac uxoris defunctæ manſum unum apud *Perchach*, quem in uſum Monaſterii ab illa die, & deinceps penitus contradidit, duos autem manſus apud *Chiebelvvanch* præterea deſignavit, pariterque delegavit Cœnobio, poſt obitum ſuum perpetim deſerviturus, ita tamen ut ſi hanc traditionem permiſſu Domini ſui Ducis ſtabilire, ejusdemque manu Monaſterio confirmare poſſet. Quod ſi non efficeret X. marcharum Cœnobio debitor exiſteret. Ob cujus rei teſtimonium idem Otto de duobus manſibus apud *Chiebelvvanch* XX. denarios, quamdiu vixerit, annuatim ſalvendos inſtituit. Cujus actionis teſtes ſunt: *Wigandus de Maſſenberg, Megibart, Otto, & Hartvvicus* germani *de Arnoltsperge, Engelmarus de Perchab, Svvithard, Wecilo*, & frater ejus *Heinr. de Stein, Alrich de Perngerſperge &c.*

An. 1182. Ottoc. I. D. ſingularia privil. dat Secc.

NUM. 58.

Ottoc. I. Dux Styriæ ſingularia privilegia confert Seccovienſibus Græcii.

Ex Dipl. S. Duc. Styr. P. Frælich p. 1. f. 166. inter Dipl. Secc. N. 22.

Otacherus *Divina faveute clementia Dux Styriæ* omnibus fidelibus in perpetuum, precibus aſſiduis, crebrisque monitis Domni *Wernheri Seccovienſis* Præpoſiti benignas aures appoſuimus, & antiquum factum *ſtrenuiſſimi Patris noſtri Marchionis Otakeri*, cum eodem Præpoſito

ſito, *fratreque Adelramo viro illuſtri & religioſo Seccovienſis Monaſterii fundatore*, ne oblivio aboleat ad memoriam, reducere duximus. Siquidem Pater noſter genere ſpecie dignitate divitiis pollens jam dictum fundatorem magna gratia familiaritatis habuit, eoque idem adhuc in ſæculari converſatione manens multo fidelitatis obſequio tam corpore quam rebus ſibi ſervivit. Prædium namque ſuum *montem Starkenberch villamque Trabſtetten*, milites quoque ſuos meliores intrans clauſtrum Patri noſtro liberaliter contulit.

Præterea in prima curia Domini Friderici Imp. invictiſſimi an. Dom. incarn. MCLII. Ratisponæ celebrata, uterque ſcilicet *Præpoſitus & frater Adalramus* Patrem noſtrum clauſtro ſuo in advocatum elegit, cum grandi honoris magnificentia congregatis innumeris Principibus, tali videlicet tenore: ut ab omni moleſtia exactionis, quod vulgo nuncupatur *Advocati jus*, idem clauſtrum immune & liberum ſub defenſione ſæpedicti Patris noſtri maneret in perpetuum. Pro quibus omnibus ſervitiis ei fideliter exhibitis Pater noſter glorioſæ (addendum videtur memoriæ) memorato clauſtro hanc prærogativam libere conceſſit habere, ut ſi quis de ſuis rebus aliquid illo tradere vel delegare vellet, in libero arbitrio tam offerentium quam recipientium conſiſtet (fors conſiſteret) de his omnibus nos per noſtros commoniti, & a dilecto noſtro *Wernbero Præpoſito* inducti per omnem ditionis & ducatus noſtri Provinciam ad imitationem nobiliſſimi genitoris noſtri, quidquid ipſe cum prædicto clauſtro fecit, vel ei contulit, nos facere, conferre, confirmare perenniter deſtinavimus, ſtatuentes idem Monaſterium ab omni exactione advocatiæ liberum, & ſi quis noſtrorum de ſuis rebus mobilibus vel & immobilibus conferre voluerit illi loco pro cœleſti præmio, licentiam noſtram habeat explendo voto ſuo. Quia vero Dominus nomen & honorem noſtrum dignatus eſt augere, immenſas gratiarum actiones debemus ei reddere, inde adhuc adjicimus decernentes, ſi Dominus humilitatem eorum reſpicere, paupertatique dignetur conſulere, venas ſalis ſive metalli per omnem fundum Eccleſiæ oſtendendo, ſine quietudine valeant excolere, & in uſus ſuos redigere. Hoc enim prius illo tradidimus, ut nunc ſtabilire, & in notitiam poſteritatis transmittere volumus, ſicut Patri noſtro ab imperiali largitate, & a nobis a Patre noſtro collatum fore ſcimus, quo ipſi pro noſtris noſtrorumque reatibus ſupplicentur (lege ſupplicent) inſtantius. Ut autem hæc certa & inconvulſa inſuper venturis maneant generationibus, ea ſigilli noſtri impreſſione roborari juſſimus, quorum hæc ſunt vocabula *Otto de Chungeſperch* (fors *Chunigesberch*) *Heinrich de Scharphenberch, Amelbrecht de Locbuſe, Popo de Albeke Rudolf de Flaze, Heinrich de Truchſen, Herrand, Reicher* (videtur deeſſe ly &) *de Wildonia, Albertus Heinrich* (iterum deerit &) *de Dunkenſtein, Wilfing de Stubenberch, Otto & Ortolf de Greze, Chunrad & Ortolf de Chindeberch, Silbung de Varin, Dietmar & Ulrich de Putinavve, Landfrid de Eppenſtein, Rapoto de Putina, Heinrich de Schvvarzah, Gerhart de Krumbach, Chalhoch de Scratenſtein, Otto Sun de Vuſtrice, Hartnid de Rabe, Albert de Grimeſtain, Ludvvich de Schlierbach, Sifrid de Chranichberg, Dietrich de Giſcovve, Heinrich de Pranic, Wigand de Maſſimberch, Pabo de Hochenſtoufe, Chunrad de Pranch,*

Durinc de Vuſtrice, *Durinc de Emerberg*, *Albert de Lochuſe*, & alii multo plures, qui viderunt, & audierunt. Actum anno ab incarn. Dom. Milleſ. centeſ. octogeſ. ſecundo, Indict. XV. 3t. Kal. Dec. Luna XXX. Decen. noven. V. in vigilia S. Andr. Apoſt. fer. II. *ante Eccl. S. Egidii* hora diei 3tia, *foro Græce* feliciter Amen.

An. 1182. Ottoc. VI. auget Cartuſ. Seiz.

NUM. 59.

Ottocarus VI. Dux Styriæ Seizenſem Cartuſiam auget.

Ex Diplom. S. Duc. Styr. P. Frælich p. 2. f. 67. inter Seiz. N. 9.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Ego Otacher Dei gratia Dux Styrenſis*, omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus per præſentia ſcripta notum fieri volo, quod *pater meus memoriæ felicis Otacher Marchio Styrenſis* ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & ejus Genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ, ſanctique Joannis Baptiſtæ, & omnium Sanctorum, Conſilio & auxilio Reverendiſſimi Papæ Alexandri fratres de ordine Cartuſienſi adduxit *in Marchiam noſtræ ditionis*, eosque in loco, qui nunc *vallis S. Joannis* dicitur, collocavit; Nos vero nominis & hæreditatis ipſius ſucceſſores votum deſiderii animi ſui prælibatum, ſed morte, quæ nulli parcit, præveniente minus perfectum plenius conſummavimus. Fratres autem, qui primo venerunt, morem gentis neſcientes, terra utrum fæcunda, an infæcunda eſſet, minus caute attendentes, multo minus, quam eis ſufficere poterat, acceperunt, cum Pater meus multo plura eis dare voluiſſet. Unde ad tantam penuriam poſt mortem Patris mei devenerant, quod locus pene deſtructus fuerat, nos vero hoc cognoſcentes, ad reſtitutionem eorum citius manum porreximus. Pater meus dederat eis XII. modios ſalis *in Grauſchar*, XX. maſſas ferri *in Leuben*, & unam ſaumam olei ibidem, XIX. menſuras melis *in Tyver*, & alia quamplura; nos vero ad hæc addidimus cutes & pelles omnes, quarum carnes conſumimus *in tribus præpoſituris Marchpurch*, *Rackerſpurg*, *& Tyver*, absque Dominicis diebus, & tribus diebus in natali Domini, & Paſca, & Pentecoſten. Dedimus etiam villam, quæ ſibi contigua eſt nomine *Sitz*, & omnes ſervos, & ancillas, qui tunc temporis fuerant in eadem villa. Dedimus quoque eis, quidquid in villa, quæ *Rogotz* dicitur, habebamus, & unum manſum in *Oplonitz*. Præterea conſtituimus eis ſingulis annis dari 8. marcas de eleemoſinis Patris meis *Grez unam*, *Ragerſpurg unam*, *Marchpurch unam*, *Rogotz unam*, *Tyver unam*, *Diernſtain unam*, *Leſcenech* dimidiam marcam, *Judenburch* dimidiam, *Leuben* dimidiam, *Sachſenvelde* dimidiam. Et quia Pater meus, quando eos adduxit, ædificia neceſſaria eis ſe facturum promiſit, nec in hoc eis ſubtraximus manum noſtræ pietatis, quin potius conſtituimus eis XV. marcas dari ſingulis annis, quouſque neceſſaria ædificia conſtruantur. Adhuc autem, quia paſcua, quæ infra terminos eorum ſunt, pecoribus eorum non ſufficiunt, conceſſimus eis paſcua per terram noſtram tam in alpibus, quam in campis planioribus, conceſſimus etiam, ſi quis miniſterialium noſtrorum prædia ſua, vel alia quælibet, quæ absque conſenſu & licentia dare non poſſunt, eis conferre voluerit, quod libere, & abſ-

que

que ullius contradictione faciat, & ipſi libere abſque ullius infeſtatione perpetuo jure poſſideant. *Ortolphus quoque de Genuvvitz, & Otacher, ac Leupoldus frater ejus* pro remedio animarum ſuarum, atque omnium prædeceſſorum ſuorum fratribus in præfato loco Deo ſervientibus libere & abſolute conceſſerunt piſcationem per totam aquam, quæ *Oploniz* dicitur, & per illam ſimiliter, quæ *Treuna* nuncupatur, & hoc ad memoriam perpetuam in hoc privilegio notari præceperunt; hæc & alia, quæ ſive Pater meus, ſeu nos, eis contulimus quæſita cum inquirendis, culta cum colendis, & cum omnibus ad ea pertinentibus agris, vineis, pratis, paſcuis, piſcationibus, venationibus, libere & abſque omnium ſæcularium inquietudine tradidimus. Tale quoque præceptum ſtatuimus, ne quis terminos Heremitarum ibidem habitantium venationibus, piſcationibus, vel paſcendis pecoribus, vel lignis ſuccidendis, ſive aliis quibuslibet tumultuoſis acceſſibus contemplatores Dei inquietare, vel quietem tantæ religionis audeat perturbare. Si quis vero hujus noſtri edicti temerarius contemptor extiterit, advocato loci, ſi liber & miniſterialis eſt, X. libras componat, ſi de ordine plebejo, XXX. ſolidos perſolvat. Advocatiam vero ejusdem loci, *neque Pater meus, neque nos*, alicui tradere voluimus, niſi nobismet ipſis, ut autem hæc rata & inconcuſſa permaneant, privilegio confirmamus, & impreſſione noſtræ imaginis arctius corroboramus. Adhuc autem ad ſupradicta addidimus, ac firmum ac ratum eſſe decernimus, ſi quando Deus eis in prædiis eorum argentum, vel aliquid tale invenire donaverit, libere & abſque ullius infeſtatione poſſideant. Hujus rei teſtes *Otto de Chuneſperg, Henricus de Trus, Leutvvinus de Sunenberg, Heinricus de Puten, Leupoldus frater Ducis, Dietmarus, & Ulricus frater ejus de Butenovve, Arnolphus de Ruſtorf, Arnolphus de Wartenberg, Otto Sun*, & filii ejus *Duringus, Otto, Henricus*, & *Hergunguerus, Poppo de Chlam, Berchtoldus de Stegne, Rodolfus de Quindeberc*, & alii multi. Illud privilegium *ego Otaker* hoc modo præcepi inſcribi, & inſcriptum coram me *ante Eccleſiam Rackersburch*, multis præſentibus eſt lectum, & a me firmiter confirmatum anno Domini MCLXXXII. Indict. I. regnante Frider. Imp. & Godofredo Patriarcha Aquilegenſi exiſtente.

NUM. 60.

An. 1184. Wieland Miniſt. Ottoc. VI. traditio.

Wielandi proprii Marchionis Ottakeri delegatio Admontenſibus facta.

Ex cod. Dipl. Admont. cit. Num. 86.

Noverint omnes Chriſti fideles, qualiter *Wielandus proprius Ducis Styrenſis O*, a quibusdam malignis hominibus lumine oculorum privatus, cum uxore ſua Juditha converſionis habitum apud Admontenſe Cœnobium expetiit, & ob remedium animæ utriusque prædia ſua *licentia Domini ſui Ducis* ſuper altare S. Blaſii prædicto Monaſterio ambo delegarunt, *apud Chravvat* 5. manſus, quorum 2. in curtem ſunt redacti, & *in Auſtria apud Wurvela* curtem unam, & ſimul ibidem dimidium manſum, quem emerat: itemque ibidem 2. vineas & vini amphoras, quas vulgari lingua *Stechamper* vocant IIII. quæ ſibi antea inibi perſolvebantur; Tradidit rurſus ibidem *ſilvam ad Eichperge* dictam,

præfatæ Eccleſiæ, & vendicationem prædii pro XVI. marcis ſibi a quodam Heinrico depoſiti, & impignorati. Item vineam unam bonam ad *Gumpoldiskirchen*, & VIII. mancipia eidem delegavit Eccleſiæ, & hæc ſunt nomina mancipiorum &c. Teſtes acceſſere per aurem tracti: *Pillungerus de Chirchaim*, *Odalricus de Holzbuſen Miniſterialis Ducis Styriæ*, *Otto de Hadmorsdorff*, *Reinhart Vullæer*, proprii ejusdem Ducis, *Hartmann de Gutenberch*, & de Miniſterialibus Salzburgenſis Eccleſiæ tres &c. Actum anno Incarn. Domini MCLXXXIV.

An. 1184. Ottoc. VI. dat Vorav. villas Laventz & Müldorff.

NUM. 61.

Ottoc. VI. Dux Styr. Voravienſibus donat 2. villas in Lavenz & Müldorff.

Ex archivo ejusd. colleg. Eccl. Vorav. origin. easd. litteras etiam refert Diplom. Styr. p. 2. fol. 312.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Ego *Ottocarus Styrenſis Dux* omnibus fidelibus ſalutem in perpetuum. Quia teſte ſacra ſcriptura eleemoſinarum largitate peccata remittuntur fidelibus, idcirco nos timoris Divini & amoris intuitu, pro ſalute noſtra & omnium anteceſſorum parentum noſtrorum, cogitavimus terram Styriæ *dilecto conſanguineo noſtro Liupoldo Duci Auſtriæ* ex nimia noſtri corporis infirmitate venumdare proprietarie, cum omnibus ſuis pertinentibus, excepto quingentos manſos pro ſalute noſtra ad Cœnobia quas (quæ) *feliciſſimus Pater noſter Ottocarus Marchio* fundavit, videlicet *Vorovve*, *Seydes* una cum hoſpitali in *Cerevvald* pro remedio animarum noſtrarum, omniumque fidelium defunctorum, & ad promotionem eorundem Cœnobiorum, quorum fundator hæreditarie nos tantummodo adhuc ſupervivimus, eosdem reditus ad prædicta loca largiſſime diſtribuendo. Cum enim *locum Voravven* explantatione novella ex nimio dilecti Patris noſtri piæ memoviæ fundatione diligeremus affectu, optimas villas in Marchia ſitas *Laventz & Müldorff*, quæ ad noſtrum ſpectabant Dominicale, eidem loco contulimus, libere in perpetuum ſerviendas. Similiter advocatiam poteſtativa manu volumus, quicunque Dominus terræ ſuperſtiterit noſtri loco, absque exactione qualibet humiliter in Deo noſtri cauſa, & cariſſimi Patris noſtri protegat deinceps, ac defendat. Emendi etiam ac vendendi ea, quæ ad neceſſitatem pertinent ejusdem Monaſterii proviſores liberam habeant facultatem, eundi & redeundi, ducendive jus, ſeu etiam telonei exactiones ſtatuimus in tota terra noſtra nullus ab eis de cætero exigere præſumat. Ut autem hæc noſtræ traditionis kartula firma permaneat, ſigilli noſtri impreſſione decrevimus roborare. Hujus rei teſtes ſunt: *Herrandus de Wildonia*, *Fridericus de Petovia*, *Luitoldus de Hohenſtouf*, *Henricus de Stainperg*, *Gundaker de Steinpach*, *Rapoto de Püten*, *Henricus de Schvvarzach*, *Gotſchalcus de Schierlinch*, & frater ſuus *Otto*, *Duringus de Stabremberg*, *Wilhelmus de Waigerberch*, *Udalricus ac Sigefridus fratres de Kranichperg*, *Carolus Pincerna*, & alii quamplures. Acta ſunt hæc anno Incarn. Dom. MCLXXXIV. vere feliciter Amen.

(L. S.) Annexum ſigillum Ottocari V. Marchionis.

NUM.

NUM. 62.

An. 1185. Ottoc. VI. litem Admont. finit.

Ottocarus VI. Dux teſtimonio ſuo terminationem cujusdam litis inter Admontenſes & Hartnidum de Orte roborat.

Ex cod. Diplom. Admont. N. 64.

Notum ſit omnibus, qualiter *Hartnidus de Orte* diutinam litem, quam cum Admuntenſi Eccleſia tam ipſe, quam Pater ſuus pro *Laimpachovve* habuerunt, pie abdicavit, *apud Viſcha* agente Monacho noſtro Domino Heinrico Tokilær. Teſtes *Otaker Dux Styrenſis*, *Amilbertus de Lochuſen*, *Luitoldus de Waltſtein*, *Gundacher de Liechtenſtain*, *Herrandus de Wildonia*, & frater ejus *Richerus*, *Hervvicus Boemus*, *Poppo de Clamme*, & frater ejus *Wigandus*, *Dietmarus de Pittinovve*, & frater ejus *Udalricus*. Actum Incarn. Dom. MCLXXXV. III. Kal. Maji.

NUM. 63.

Circ. 1185. Ottoc. VI. Admont. ab annua exactione liberat

Idem Ottoc. jam dictum Cœnobium ab an. quodam exactionis debito liberat.

Ex cod. Diplom. Admont. Num. 65.

Otaker *Dux Styrenſis* apud *Chrungilſe* poſitus anno quo ſupra, rogatu fratrum noſtrorum annuum exactionis debitum *in Emſtall*, *quod Purcgevverch* dicitur, hominibus noſtris ad tempus vitæ ſuæ remiſit. Teſtes *Adilbertus de Eppinſtein*, *Richerus de Wildonie*, *Ortolfus de Conviz*, *Lantfridus de Ramenſtein*, *Luipoldus frater Ducis*, *Ulricus de Putinovve*, *Hervvicus Boemus*, *Fridericus de Mirſtorf*, *Otakir de Strange*, *Marquardus de Linte*, *Siboto Bavvarus*, *Dietmarus de Wizinchirchen*, *Walſkanch de Gruſkarn*, *Ulricus civis Hallenſis*.

NUM. 64.

An. 1185. Ottoc. VI. dat Seiz. nova & vetera.

Ottocarus VI. Dux Styriæ Seizenſibus vetera firmat, nova donat.

Ex Dipl. S. Duc. Styr. p. 2. f. 71. inter Dipl. Seiz. N. 10.

Nos *Ottocharus Divina miſeratione Dux Styrenſis* judicibus præpoſitis, & officialibus univerſis ſub noſtro Dominio conſtitutis gratiam & ſalutem. Quoniam Divina bonitas ſuos cultores beneficiis nunquam deſtituit, ſed divitiis & honoribus circumquaque multiplicat, *fel. mem. Patris Noſtri Otachari Marchionis Styriæ*, pium erga dilectos *nobis fratres in Seiz* favorem, & inextinctum propenſius exequi cupientes, confirmamus eisdem conceſſas omnes libertates donationes & gratias ab ipſo, præcipientes easdem ab omnibus firmiter conſervari, volentes inſuper prædictos fratres majore libertatis privilegio gratulari, ne ſurreptione aliqua poſterorum a nobis indulta eis largitas, quandoque intereat, præcipimus, quæcunque ipſis de noſtra gratia ſuperaddita ſunt in ferro cutibus & ſale, & aliis ſecundum continentiam ſuorum privilegiorum indifferenter ab omnibus, quocunque nomine cenſeantur, qui vice noſtri fuerint pro tempore inſtituti capitanei, judices, vel proviſores, in Styria, inviolabiliter cuſtodiri.

Adjicimus etiam firma ſanctione, ne quis contractus donatio ſive injuriæ remiſſio, vel compoſitio circa invaſores dictæ fundationis abſ-

que communi conſenſu Prioris & fratrum prædicti loci facta teneat a quocunque, & ne quis hominem capere, occidere, ignem apponere, *intra clauſtrum ipſorum & hoſpitale* aliqua temeritate præſumat, vel ipſos fratres aut homines eorum ad aliquas præſtationes vel operas in muris foſſatis vel calce coquenda, ſeu vecturis in expeditionibus faciendis, aut ad alia quævis publica ſervitia compellere. Interdicimus quoque, & ſub noſtræ obtentu gratiæ diſtrictius inhibemus, ne quis officialium noſtrorum ſive judicum, nec non miniſterialium tractatibus, ſive cauſis in exercendis judiciis contra homines eorum aliqualiter ſe immiſceat, niſi rogatus, quidquid illud fuerit quæſtionis, & ubicunque notum fuerit, exceptis civitatibus oppidis & aliis locis principalibus, ubi de more a nobis & a noſtris officialibus cauſæ ſoleant agitari, & hoc ſolum extendi ad proprios Eccleſiæ ordinamus, interdicta etiam eis in hac parte jurisdictione qualibet, ſicut in poſſeſſionibus eorum, compitis, ſive villis, inter colonos eorum effuſio ſanguinis oriatur. Quod ſi ex occaſione hujuscemodi percuſſus interierit, & ad publicum judicium cauſa deducta fuerit per querelam, niſi præmiſſo legitimo examine utrum livore malitiæ, ſeu ulciſcendi animo, an cauſa propulſandæ injuriæ commiſſum inciderit: contra reum decernimus, nullatenus procedendum, cedentibus bonis ejus vel eorum, qui pro talibus ſive quibuslibet aliis ſceleribus indiſtincte plectendi fuerint, fratribus & Eccleſiæ ſupradictæ integraliter, jure vel conſuetudine contraria non obſtante, ſin autem officiales noſtri, vel judices ob vindictam patrati ſceleris malefactorem nequaquam expetant, niſi publicus latro vel fur fuerit, ſeu alias damnatorum varietate criminum maculatus. Concedimus etiam hominibus eorum in ſilvis & paſcuis, aquis & piſcationibus, cum noſtris hominibus ubique plenam communionem, habitam ex antiqua conſuetudine, vel præſcriptam. Inhibemus etiam, ne quis homines eorum exactione, ſteura vel tributis perſolvendis de rebus ſuis, quas conſervandas vel vendendas ad publica fora inferunt, ſeu emptas deferunt, aliqualiter audeat perturbare. Ut autem iſta firma & inconcuſſa impoſterum permaneant noſtri ſigilli munimine præſens ſcriptum fecimus communiri. Datum in *Rackerſpurch* V. Kal. Octobr. Indictione tertia, Incarn. Dom. anno MCLXXXV. præſentibus *Ottone da Kuregsberg*, *Dietmaro de Butenovve*, & *Ulrico* fratre ejus, *Rudolfo de Chinnenberg*, *Arnoldo de Wartenberg*, *Leutvvino de Sunnenberg*, & aliis quampluribus.

NUM. 65.

An. 1186. Ottoc. VI. donat Eccleſiis 500. manſos & jura varia.

Privilegium Ottocari Ducis ſuper 500. manſis & juribus fundatar. Eccleſiar.

Ex originali in archivio Eccl. Colleg. Vorav.

In nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis. *Otacher Dux Styriæ* omnibus fidelibus in perpetuam rei memoriam. Conſiderata diligentius avorum, parentumque meorum magnifica gloria ſimulque vitæ mortalis inconſtantia neceſſarium duxi pro mea meorumque ſalute curam gerere, & cui rerum ſumma poſt nos eſſet relinquenda, deſignanter oſtendere. Itaque in dilectiſſimum *Ducem Auſtriæ Luipoldum conſanguineum*

guineum meum filiumque ſuum Fridericum, ſi mihi ſupervixerint, hæredes deſignavi, minſteriales more miniſteralium proprios jure propriorum dando. Excepi 500. manſos pro ſalute mea donandos, ſimiliter petitiones Eccleſiarum, advocatias Monaſteriorum, quæ prædeceſſores & parentes noſtri fundaverunt, volo, ut ipſe Dux in defenſione ſua clementi ſine ſubadvocatis manuteneat, pro mea meorumque ſalute, jura Miniſterialium meorum & comprovincialium, ſicut ſcripto comprehenſa ſunt, illibata maneant. Præterea quæ a Patre meo, vel a me ipſo Monaſteriis, Miniſterialibus, actenus magis per violentiam, quam per juſtitiam ablata vel retenta ſunt, remittere diſpoſui, ubicunque recte commonitus fuero. Actum eſt hoc *apud Aneſim forum in monte S. Georgii* ſub Frider. Imper. Archiep. Alberto, anno Incarnat. Dom. MCLXXXVI. die Dominico, ſexto decimo Kal. Septembr. vere feliciter Amen. (L. S.) (L. S.)

NUM. 66.

An. 1186. Traditio Styriæ in Leop. Auſtr.

Ottocari VI. donatio ſeu traditio Styriæ facta in Leopoldum Duc. Auſtr.

Ex hiſt. S. Ducat. Styr. P. Puſch p. 2. f. 29. & Prevenhuebero Annal. Styr. fol. 399. &c.

In nomine ſanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis. *Ottocarus Dux Styriæ*, omnibus fidelibus in perpetuum, (Prevenhueb. addit ſalutem) Divinis & humanis legibus docemur, ac propriæ naturæ diſciplina commonemur, (Prevenh. commovemur) noſtrorum ſaluti conſulere, & eorum utilitati, tam modo quam impoſterum providere. Vita namque cujuslibet hominis divitis ſive pauperis incerta tranſit, & inſtabilis, ideoque quemlibet ante mortem deliberare decet, quid, cui, qualiter relinquat, quod poſt mortem retinere non valet. Et quia Deus ſola dignatione ſuæ miſericordiæ, primo parentibus noſtris, deinde nobis magnam contulit in hominibus & rebus gratiam (Prevenhueb. alii gloriam) ſolicitudinem habuimus non minimam, cum non haberemus hæredem, cui omnia noſtra cederent in hæreditatem. Communicato igitur meliorum noſtrorum prudenti conſilio nobiliſſ. ſtrenuiſſ. fideliſſimumque *Ducem Auſtriæ Leopoldum conſanguineum noſtrum*, ſi ſine hærede deceſſerimus, ſucceſſorem nobis deſignavimus, cujus Provincia, cum noſtræ ſit contigua, ſub unius Patris (Prevenhueb. pacis) ac Principis facilius valeat utraque moderari juſtitia, quem quia nobis amiciſſimum fore credimus, quamdiu vixerit, nihil mali in nos, & noſtros eum moliri ſatis confidimus. Verumtamen, ne aliquis de ſucceſſoribus ſuis paterni moris ſimul, & mutuæ familiaritatis obliviſcens (Prevenhueb. oblitus) in Miniſteriales & Comprovinciales noſtros impie crudeliterve præſumat agere, jura noſtrorum ſecundum petitionem ipſorum ſcripto ſtatuimus comprehendere, ac privilegio munire. Imprimus ſiquidem ſtatuentes. ut ſi *idem Dux ac filius ejus Fridericus*, quibus noſtra deſignavimus, nos ſupervixerint, noſtros (Prevenhueb. noſtras) in ſua poteſtate habeant, adeo, quod ſi etiam regni (Prevenhueb. quod ſi ejus gratiam) gratiam amiſerint, a nobis ſibi collata ammittere non valeant: Poſtea quicunque de ſuis nepotibus ſibi ſuccedentibus

dentibus ducatum tenuerit Auſtriæ, ducatum quoque regat Styriæ, cæteris fratribus nullo modo ſuper hoc litigantibus. Idem Dux petitiones Eccleſiarum, advocatias Monaſteriorum a parentibus noſtris fundatorum ſine ſubadvocatis (Prevenhueb. advocatis) manu teneat, ſua Dominicali (Prevenhueb. manu teneat ſua Dominicilia) munitiones, terram, Miniſteriales, integre (Prevenhueb. integraliter) poſſideat, niſi forte petitione parentum ex multis filiis unum contingat, alio transferri cauſa majoris emolumenti, benigna permiſſione Domini. Item quicunque de Styria vel Auſtria contraxerint mutuo (Prevenhueb. matrimonium) ejus Provinciæ jus habeant, in qua habitant; ſi Styrenſis inteſtatus obierit, & de jure hæredis, qui proximus fuerit ſanguine, lis exorta fuerit, vel altercatio negotii, ea inter Styrienſes (Prevenh. Styrenſes) non campione, ſed probabilium & certarum perſonarum dirimatur credibili teſtimonio (ſequentem §. totum omittit Prevenh. ponit autem P. Puſch: Quandocunque querimonia de prædiis fuerit habita, ejusmodi quæſtio coram judicibus terminetur probatorum ac credibilium teſtium fideli teſtimonio) in beneficiis nullam moleſtiam, quæ vulgo *Anevelch* dicitur, ſuſtinere cogantur, beneficia ab aliis Dominis aquiſita, ſi (Prevenhueb. omittit ſi) a Duce Auſtriæ in proprietatem (Prevenhueb. proprietate) fuerint empta, ei non auferat, qui jure beneficii poſſideat (Prevenhueb. hoc modo fuerint empta, & non fuerit, qui beneficium poſſideat) de prædiis, quæ Duci (Prevenhueb. Ducis) Auſtriæ poſt obitum noſtrum deſignavimus, ſi interim (Prevenhueb. interim ſi) ex his fidelibus Miniſterialibus ac propriis noſtris dederimus, ratum eſſe decernimus. Miniſterialis Styrenſis (alii Styrenſi prædia ſua vendat, *vel etiam gratis* Prevenhueb. hæc verba omittit) tribuat. Similiter, quicunque ſe convertere, & de reditibus, quod conveniens fuerit, Deo offerre (Prevenhueb. afferre) diſpoſuerit, in clauſtris ſubternominatis, cum licentia noſtra facere poterit: ſcilicet *Traunkirchen, Garſten, Glunik* (Prevenhueb. *Gleinck*) *Admund* (Prevenhueb. *Amond*) *Seccovve* (Prevenhueb. *Secau*) *Vitringe S. Pauli, Oſſiach, Rune, vallis S. Joannis, Sittiche* (Prevenhueh. omittit *Vitringe, & S. Pauli*, & loco *Sitiche* ponit *Seiz*) *Voravve* Prevenhueb. *Vorau*) *Hoſpitali in Cerevvald* (Prevenhueb. *Cornvvald*) *Lambach, Varnbach*, S. *Lamberti*, ex quibus quædam parentes & avi noſtri fundarunt, omnia autem in multis nobis miniſtrarunt. Cuicunque (Quicunque Prevenhueb.) de noſtris ſuper querimonia ſua juſta ſententia coram nobis (Prevenhueb. omittit ea verba) non fuerit terminata, eam habet optionem, ut (Prevenhueb. omittit) gratis coram Duce Auſtriæ ſuam renovat cauſam. Dapiferi, Pincernæ, Camerarii, Mareſcalci, qui de noſtris ſunt, Styriæ partes intranti Duci Auſtriæ ſinguli cum ſuis ſubditis per officia ſua miniſtrent ea diſciplina, qua nobis & parentibus noſtris miniſtraverunt. Petenti curiam Imperatoris, aut in expeditionem eunti dicti officiarii paribus hebdomodibus, paribus diebus, paribusque ſumptibus ſerviant, ſicut & hi, qui de Auſtria ſerviunt. Ab infeſtationibus & exactionibus, quas per Præcones Auſtriæ fieri (Prevenhueb. omittit) cognovimus, terram noſtræ ditionis ſicut active, exiſtit, exemptam eſſe decernimus. Quisquis ergo ille fuerit, qui rerum ſummam poſt nos habuerit, circa

noſtros

noſtros videlicet clauſtrales, Miniſteriales, Comprovinciales hanc formam petitione eorum conſcriptam modeſte conſervabit. Quod ſi ſpreta æquitate clementer gubernare deſpexerit, ſed quaſi tyrannus in noſtros ſe erexerit (totum hunc ſenſum omittit Prevenhueb.) appellandi & adeundi Imperatoris curiam, & prætendendi per hoc privilegium ſuam coram Principibus juſtitiam irrefragabilem habeant licentiam. Præterea adjicimus, ut qui de noſtris in fundo ſuo Eccleſiam conſtruere (Prevenhueb. conſtituere) velit (Prevenhueb. vellet) conſtruat, vel Parochiæ ſuæ aliquid conferre voluerit (Prevenhueb. omittit) conferat. Capellanos & Clericos noſtros ſeſſionem nobis proximam in menſa, ſicut a Patre noſtro habuerunt, habere volumus, & ne de hoſpitiis ſuis per Marſchalcum expellantur, interdicimus. Acta ſunt hæc anno Domin. Incarn. Milleſ. Centeſ. octuageſ. 6to, Indict. 4ta (addit Prevenhueb. concurrentium ſecundo) ſexto decimo Kal. Septembris, in monte S. Georgii apud Aneſum forum, ubi adſciti in teſtimonium ſunt, præſentesque fuerunt, videntes & audientes, quorum nomina ſubjunguntur. NB. Differunt valde in relatione teſtium Puſchius & Prevenhueberus, unde ex utroque eos adducere viſum eſt.

Ex Puſchio cit. *Conradus Comes de Peilſtein, Sigefridus Comes de Hagenovve, Henricus & Sighardus Comites de Schallach, Sigefridus & Otmarus de Leubenovve, Luipoldus de Plajen, Chunradus de Dornberch, Albertus & Alramus de Cham, Wernherus de Hagenovve, Wernhardus de Schaumburg, Engilbertus de Plankenberg, Hadmarus de Kuffarn, Wernhardus de Griesbach, Fridericus de Perge, Albertus de Pernecke, Ottakarus de Klam, Otakerus de Lengenbach, Henricus Preiſs, Albertus de Winkelberch, Luitoldus de Guettenberch, Chunradus & Rudolfus de Chindberg, Rudolfus de Flaze, Eberhardus de Erlach*, & alii quamplures.

Ex Prevenhueb. fol. 400. ubi hoc Diploma adducit, *Conrad. Com. de Peilſtein, Sigfridus Comes de Morlen, Henr. & Sighardus Comites de Chaloch, Sigfridus & Otto de Leubenovve, Luipoldus & Henricus Comites de Plejen, Chunradus Com. de Dornberch, Albertus & Adalramus de Chambe, Wernerus de Hagenavve, Wernhardus Comes de Schovvenberch, Engelbertus de Plankenberg, Hademarus de Kuffarn, Wernerus de Geizbach, Frider. de Perge, Ekprechtus de Pernecke, Otto Comes de Clame, Otto de Lengenbach, Henr. de Wiſchelberch, Lyfolt de Gutenberch, Conrad & Rudolf de Chymenberch, Wichard de Charlsperg, Rudolf de Fluze, Eberhard de Erlach*, & alii quamplures.

Prevenhueberus idem aliter & alio ordine eosdem teſtes refert fol. 17. *Conradus Comes de Peilſtein, Heinr. & Sighard. Com. de Schalach, Leopoldus & Henricus Com. de Plejen, Albertus & Adelramus de Clame, Wernhard Com. de Schaunberch, Hadmar de Kueffarn, Frider. de Perge, Otto Com. de Clame, Henr. de Wichſenburch, Cunrad & Rudolph de Chimmelberg, Eberhard de Erlach, Seyfrid Com. de Morlen, Sigfridus & Otto de Libenav, Conradus Com. de Dorenberch, Wernerus de Hagenav, Engilbertus de Plankenberg, Wernerus de Griesbach, Ecbertus de Bernec, Otto de Lengenbach, Lindold de Quettberg, Wiccard de Carlsberg, Rudolph de Flurze*, & alii quamplures.

An. 1186. Richeri de Hagenfeld donatio Vorav. facta.

NUM. 67.

Richeri de Hagenfeldt Miniſterialis Ottocari VI. donatio Voravienſibus facta.

Ex origin. archivii Colleg. Eccleſ. Vorav. habetur item apud P. Frælich Diplom. S. Duc. Styr. p. 2. fol. 310. inter Diplom. miſcell. Num. 42.

Noverit fidelium religio, tam omnium modernorum, quam eorum ſucceſſorum, quod *quidam Richerus & ejus filius de Hagenfeldt Miniſterialis Marchionis Ottocari* intenta ſalute propria ac communi omnium redemptione fidelium, *Voravvenſi Eccleſiæ* ſub petitione & authoritate præſati Marchionis, ſimul & allodia delegavit duntaxat, ſi filius cohæredem ex ſe genitum non habebit; hujus rei teſtes iſtos ſubnotavimus *Dom. Gotſchalcum de Tithperg, & filium ejus Luitoldum de Rotengrube, Luipold. de Chrembach, Pillgrin de Steinfeld, Henric. de Hophovve, & fr. ejus Otton. Henr. de Gumplacha, Henr. de Wilibalmſpurg, Reinhard. Camerar. Adalbert. Benihagil, Adalbert. de Potenſteine, Welchon. de Tithperg,* ne harum vis litterarum jurgari poſſit, impreſſio ſigilli Dni. noſtri Marchionis prohibet.

Aliter teſtes refert P. Frælich cit. nimirum *D. Gotſchalcum de Nithperg*, filiumque ejus *Luitoldum de Rotengrube, Luipoldum de Chrevvechpach, Pilgrinum de Steinveltb, Henricum de Hophovve, fratrem ejus Ottonem, Hainricum de Gumplacha, Heinric. de Wilhalmſpurg, Meinhard. Camerarium, Adalbert. Genshagil de Potenſteine, Wechelonem de Nithpercb &c.*

An. 1186. vel præced. Ruzzonis Miniſt. Ottoc donat. Vorav.

NUM. 68.

Ruzzonis Miniſterialis donatio Vorav. facta.

Diploma non exſtat, memoratur tamen ex MS. noſtro Chronic. ad an. 1188. his verbis:

Tandem ſub eo an. videlicet Dni. MC. 85. *Præfatus Dux Ottachir Styriæ* conceſſit, ac dedit privilegium, ut quidquid de præſidiis ſuis, locis Deo ſacratis, & a parentibus ſuis ſive etiam a ſe fundatis conferre voluerint, authoritate ſuæ licentiæ poſſint.

Ottoc. VI. Diploma pro Vorav. Eccleſia.

Meminit hujus Diplomatis ſub Bernardo Præp. II. Vorav. dati Puſch Chronol. S. Ducat. Styr. p. 2. fol. 24. nominatim, *ut ſi quis agros fundosque ſuos Cœnobio Voravienſi liberaliter addixerit, ea munificentia Ducali authoritate rata firmaque impoſterum cenſeretur.* Actum anno Dom. Incarnat. Milleſ. Centeſ. octuageſ. 5to Indict. tertia, IX. Kal. Aug. feria 4. in vigilia S. Jacobi *in foro Graece* feliciter.

Pergit dein MS. Chron. noſtrum: Igitur ex hujusmodi permiſſione, quidquid *juxta Græce forum*, & ſecus locum qui dicitur *Quuntarum* cultum, vel incultum quæſitum vel non quæſitum habuerit miniſterialis ſuus, quod etiam *Ruzonis diſpenſatoris ſui beneficium fuit*, ſancto Thomæ Apoſtolo, *fratribusque in Vorau* Deo miniſtrantibus pro animabus parentum ſuorum fideli donatione contradidit, ut patet in libro privil. fol. 16. hic tamen liber cum Diplom. dicto non amplius exſtat.

NUM.

NUM. 19.

An. 1186. Ottoc. VI. bona & poſſ. Admont. ſub ſuam recipit protectionem, & plura addit.

Ottocarus VI. bona & poſſeſſiones Admont. ſub ſuam protectionem recipit, eisque plura adjicit.

Ex cod. Dipl. Admont. cit. Num. 63.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis *ego Otacher Dei gratia Dux Styrienſis*, Iſinrico venerab. Abbati & toti congregationi in perpetuum. Pro adipiſcenda Dei gratia, & æternæ beatitudinis in futurum gloria, ſervorum Dei & ancillarum indigentiam alleviare cupientes, Admontenſe Monaſterium cum rebus & perſonis in terra noſtra exiſtentibus, in defenſionis noſtræ tuitionem ſuſcipimus, & pro ſalute omnium parentum noſtrorum præfatum Monaſterium auxilii noſtri munimine, deinceps tam per nosmetipſos, quam per Miniſteriales noſtros fideliter roboramus. Notum igitur eſſe volumus cunctis fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quod poſſeſſiones *in Ennsthall* circa *Muram*, *in Marchia*, *in Auſtria*, vel ubicunque a parentibus ſeu Miniſterialibus noſtris pro redemptione animarum eidem Monaſterio collatas potenti manu, iterata traditione confirmamus; & in hujus traditionis irrefragabile robur quorundam prædiorum propria nomina ſubjungimus; quorum primum eſt a Patre meo traditum alpis, quæ dicitur *Scobern* ſeu *Lavende*, & ſilva ei adjacens cum omnibus terminis ſuis, & quod nos propria manu tradidimus: & ſilva, quæ eſt inter *Vokir & Kamniz* & *Lofniz* uſque ad alpem; prædium ad *Mirtscaren*, quod mater mea in teſtamento tradidit. Prædium ad *Mutarn* & *Gruebe* a Domina Giſila nobili fœmina per manum Patris mei traditum in teſtamento, cujus uſum hactenus habuimus, Divino intuitu remittimus. Et a Miniſterialibus noſtris tradita, ut ſunt hæc, in *Ennsthall ad Lichenberge* manſus, *Sednich* 1. manſus ad *Mitternberg* dimidius manſus, *Zeizenberg* unus, *Wizenbach* unus & dimidius, item ibidem curtis una, *Sundermaeningen* curtis una, *Chienove* unus manſus, pars prædii ad *Haginberch*, *Sevvin* dimidius manſus. *In Bavvaria ad Geroldisberge* tria beneficia, *Hezzemanisdorff* duo, *Stadele* ſeptem, ad *Warte* 1. manſus juxta fl. *Chremſe* curtis una, *Dratina* curtis una, & manſus unus, *Wiztra* curtis una, *Rute* juxta *Welpl* curtis una, locus curtis apud vicum Forenſem *Enſe*. In *valle Palta* ad *Grieze* curtis una, prædium ad *Sigireſtorff*, *juxta Muram* ad *Chrovvat* tres manſus & curtis una, *apud S. Benedictum* curtes duæ, pars prædii *ad Lobnich*, *Treviach* manſus unus & dimidius, *Chichelvvanch* 2. manſus, & ad *Precha* unus. *In Marchia* prædium *Ladersdorf*, *Padebrunne* curtis una, *ad Sulze* 3. manſus, *Hizzendorff* duo, *Ilſungesdorff* duo, *Hetesdorff* duo, *Olſiniz* 6. *Wachrain* unus manſus, *Paldungesdorff* juxta *Rabniz* novem, ultra *Diepoldiſperge* unus, in *Gozelingsperg* octo, prædium *Liuzinsdorff*. *In Auſtria* quæcunque apud *Wurſilach* & *Potſchach* Monaſterium poſſidet, ad *Pirchenvvanch* duo manſus, *Wartperge* unus, *Miterndorff* unus, item juxta *Muram* ad *Sitze* manſus unus & molendinum, prædium *ad Savvisdorff*, *Oberndorff* curtis una, *Havenarn* unus manſus, *Zuchedol* dimidius, & ſi qua ſunt alia, quam in prædictis univerſaliter comprehendimus.

De cætero pro honore Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis Dominæ meæ, & S. Blaſii Martyris, cunctis Miniſterialibus noſtris, ſuisque ſequacibus perpetuam licentiam indulgemus, ut quando, & quantumcunque de ſuis prædiis pro redemptione animarum, eidem Cœnobio conferre voluerint, ſine porrectione noſtræ manus, ſicut Monaſteriis in noſtro fundo poſitis, liberam deinceps de jure tradendi habeant poteſtatem. His etiam addimus, ut quæcunque impendia gratiæ a noſtris anteceſſoribus, ſive a nobis præfato Cœnobio hactenus collata ſunt, inconcuſſa impoſterum permaneat, ſcilicet, ut in omnibus locis ditionis noſtræ a fratribus prædicti Monaſterii jus telonei non exigatur, ſed & per caſtra vel vicos per cluſas, per pontes, & quascunque terræ noſtræ vias liberum habeant tranſitum, ſicut a Patre meo eis indultum novimus, & a ſereniſſimo Domino Imperatore Friderico ſemper auguſto confirmatum novimus. Ipſius præterea auctoritate & noſtra ſtatuimus, ut quemadmodum ſub avo, Patre meo, idem Cœnobium ab omni judicum vel præconum noſtrorum gravamine liberum manſit, & immune, ſic & deinceps in perpetuum, ab omni fidelium & Miniſterialium noſtrorum, ſeu quorumlibet poteſtatis noſtræ hominum inſeſtatione præſcripti Cœnobii fratres & homines, ſecuri infra vallem ipſorum nec judiciorum, nec ullius exactionis occaſione, inquietentur. Similiter in omnibus poſſeſſionibus ipſorum, ſub noſtra tuitione conſtitutis, nec ſub advocatiæ noſtræ nomine, nec cujuspiam juris vendicatione alicui noſtrorum, liceat in placitorum, Bannorum modiorum, vel pecudum exactione ipſos moleſtare, ſed ſicut hactenus a progenitoribus meis ad nos transmiſſum eſt, pro ſalute animæ, ac noſtræ dilectionis intuitu, illos omnes noſtri tueantur, & defendat. Præterea uſum piſcandi *in Palta de Zedelze in Aneſum*, ſicut prius habuerunt, in venationibus liberam inſecutionem Canum ſuorum poſt feras de ſuis ſaltibus in noſtros fuga aberrantes indulgemus.

Et ne hujus ſcripti paginam impoſterum quisquam ſucceſſorum noſtrorum violare præſumat, ſigillo noſtræ auctoritatis ea communimus: nomina quoque fidelium & Miniſterialium noſtrorum, quibus præſentibus & ſaventibus iſta conſcripta ſunt, in teſtimonium actæ rei ſubjungimus.

Rudolfus de Chindeberg homo liber & nobilis, *Gundaker de Styre*, *Albertus de Eppinſtain*, & filius ejus *Lantfrancus*, *Herrandus de Wildonie*, *Dietmarus de Liechtenſtain*, *Gerungus de Strechovve*, *Gerungus de Stutarn*, *Lantfridus de Rammſtain*, *Fridericus de Petovve*, *Ludvvicus de Slierbach*, *Arnoldus de Wartinbuch*, *Luipoldus frater Ducis*, *Heinricus de S. Margaretha*, & filius ejus *Ulricus* puer de *Marchburg*, *Duringus de Emeberge*, *Dietmarus de Putinovve*, & frater ejus *Ulricus*, *Gotfridus de Lind*, *Hervvicus Boemus*, *Marquardus de Starchinperch*, *Marquardus de Poſenvvanch*, *Engilſcalcus Hucinger*, *Eberhardus de Ternberge*, *Fridericus de Mirſtorf*, *Ulricus de Holzhuſen*, & frater ejus *Etich*, *Helmvich de Wenge*, *Hartnidus de Ovvenſtain*, frater *Hartnidi de Ort*, *Bernhardus de Rukerſpurch*, *Mannegoldus de Henneberch*, *Heinricus de Trabſtetin*, *Heinr. de Tann*, *Almarus de Pubenhoven*, *Warmunt de Enſe*, *Richberus de Werſes*, *Imbrich de Loſenſtain*, *Dietmarus de Witzenchirchen*, *Volcholdus de Eppenſtein*, *Meinhardus de Wildonie*,

Richerus

Richerus Bavvarus, Chunradus Schure, Otacker Schieke, Rudigerus Meiſe, Ekebertus de Steveninge, Reinbarus & frater ejus Otaker de Taene, Ortolfus de Cherſperg, Ekhardus de Graece, Ekhardus de Laſnick, Ekhardus Junior, Guntherus frater ejus, *Egilolfus de Miterdorf, Ortvvinus* ſervus Ducis, *Oſcalcus de Salzburch, Svvihardus de Haginperge.* Actum in loco *Admontenſi* VI. Kal. Jan. an. Incarn. Dom. Milleſ. Centeſ. LXXVI. Indict. IIII. regnante glorioſiſſimo Rom. Imp. Frider. an. regni ejus XXXV. Imperii XXXII. feliciter Amen.

NUM. 70.

An. 1186. Ottoc. VI. vetera firmat, nova largitur Admontenſibus.

Ottocarus idem eidem Admunt. Cœnobio indulta quædam confirmat, & 3. prædia largitur.

Ex cod. Diplom. Admont. cit. Num. 66.

Filii, qui naſcentur, & exurgent, narrent ſuperventuræ generationi benefacta *illuſtris Principis Otakir Ducis Styrenſis* erga Admuntenſe Cœnobium. Anno denique Incarn. Dom. MCLXXXVI. *Admunti in nativitate Domini poſitus* pro ſalute animæ ſuæ, & omnium parentum ſuorum, & ob amorem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Blaſii Martyris, cunctis Miniſterialibus ſuis, ſuisque ſequacibus licentiam indulſit prædia ſua Admuntenſi Cœnobio ſine porrectione ſuæ manus pro redemptione animarum libere & poteſtative tradendi, & hanc licentiam aſſenſu & teſtimonio Miniſterialium ſuorum privilegio confirmavit VI. Kal. Januarii.

Item eadem die trium prædiorum, quæ ipſe in ſuo Dominicali habebat, delegationem ſuper altare S. Blaſii ſolemniter fecit, horum primum fuit *in Marchia* ſcilicet ſilva, quæ eſt *inter Vochir & Kamniz & Loſniz* uuſque ad alpem, quam & antea traditam fratres noſtri excoluerant XL. colonis ibi conſtitutis; alterum prædium fuit curtis ad *Mirtskaren in Emnsthall*, quam mater ſua in teſtamento nobis tradidit, cujusque uſumfructum ad tempus vitæ ſuæ retinuit; tertium fuit prædium ad *Mutarn & Grube in Emnsthall*, a Domina Giſila nobili fœmina per manus Patris ſui in teſtamento prius traditum, quod ipſe poſtea detinuerat. Ob hæc benefacta pacti eramus, XL. marcas Domino Duci, ad quas ſolvendas ex parte aureum calicem 3. marcas auri, uno ſertone minus habentem, ei dedimus, quem ipſe mox S. Blaſio dono obtulit, & cætera pari modo remiſit.

Tunc etiam *Herrandus de Wildonie* XX. manſus, quos *Ortolfus de Graeze Miniſterialis Ducis* ad converſionem *Admunt* veniens in manus & fidem ejus delegaverat tradendos, Admontenſi Cœnobio ſuper altare S. Blaſii præſente Duce delegavit, ſcilicet ad *Paltungerſtorff* juxta *Rabnitz* VII. manſus, ſupra *Diepoldisberge* juxta *Seckil* VI. ad *Gotilenſperge* IIII. *juxta Eccleſiam* II. ſupra *Chienove* I. tunc etiam *Marquardus de Starchinberg* vineam unam ad *Mutinsdorff* pro filia ſua apud nos ſuſcepta ſuper altare S. Blaſii delegavit. Horum omnium actionum teſtes fuerunt *Rudolfus de Chinnebercb, Gundaker de Styre, Adilbertus de Eppinſtein*, & filius ejus *Lantfridus, Herrandus de Vildonie, Dietmarus de Liechtenſtein, Gerunb de Strehovve, Geruncb de Stutarn, Lantfridus de Ramminſtein,*

Fridericus de Petovve, *Hermannus de Nurnberch*, *Ludvvicus de Slierbach*, *Arnoldus de Wartenburch*, *Luipoldus frater Ducis*, *Heinricus de S. Margaretha*, & filius ejus *Ulricus puer de Marchburg*, *During de Emirberge*, *Dietmarus de Putinovve*, & frater ejus *Udalricus*, *Gotfridus de Linte*, *Marckvvart de Starkinberg*, *Markvvard de Puſinvvang*, *Engilſcalcus Hucingaer*, *Eberhardus de Thermperge*, *Fridericus de Mirſtorf*, *Hervvicus Boemus*, *Heinricus de Trabſtetin*, *Heinricus de Thann*, *Ulricus de Holzbuſen*, *Etich* frater ejus, *Helmvvich de Wenge*, *Hartnidus de Ovvenſtein* frater *Hartnidi de Ort*, *Bernardus de Rutkerſpurck*, *Manigoldus de Henniberch*, *Almarus de Pubenboven*, *Warmunt de Enſe*, *Richerus de Werſes*, *Imbrich de Loſinſtein*, *Dietmarus de Wizinkirchen*, *Volcholdus de Eppinſtein*, *Meinhardus de Wildonie*, *Richerus Bavvarus*, *Chunradus Schür*, *Otakir Schicke*, *Rudigerus Meiſe*, *Ekebertus de Steveninge*, *Ortolfus de Cherſperge*, *Reinherus & Otaker* frater ejus *de Taene*, *Ekibartus de Graeze*, *Ekibardus de Laſſnick*, *Ekibardus* junior, *Guntherus* fr. ejus, *Egilolfus de Mutertorf*, *Ortvvin* ſervus Ducis, *Odilſcalcus de Salzburch*, *Svvithardus de Haginperge.*

Tertio poſt hæc die *Herrandus de Wildonie*, prædium *Mainharti* proprii milites ſui ſcilicet 6. manſus *in Marchia apud Olſinize*, & vineam unam *ad Averam* pro duabus filiabus ipſius Mainhardi apud nos ſuſceptis, ſuper altare S. Blaſii delegavit potenti manu. Teſtes fuere *Herrandus* ipſe *de Wildonie*, *Germunch de Strechovve*, *Landfridus de Rammenſtein*, *Fridericus de Petove*, *Markquard de Starchinberg*, *Mainhardus* prædictus *de Wildonie*, *Richerus Bavarus*, *Otto de Vitis*, *Heinricus Gir*, *Ekibardus de Laznich*, *Albertus de Wildonie*, *Karolus de Haginperge*, & filius ejus *Svvitardus*, *Wernherus de Wizinbach*, *Dietmarus de Hus*, *Alker de Engilhartisdorf*, de noſtris *Durinch de Halle*, *Eppo de Rute*, *Marquardus*, & *Rudigerus* ſervi noſtri.

An. 1187. Ottoc. VI. Göſſ. dat Eccl. S. Dion. &c.

NUM. 71.

Privilegium datum Eccleſiæ Göſſenſi ab Ottoc. Duce Styriæ ad inſtantiam Leutoldi de Guttenberg, quo jus patronatus Eccleſiæ S. Dionyſii una cum 50. huebis fundavit, & donavit pleno jure Eccleſiæ Göſſenſi.

Ex Diplom. S. Ducatus Styriæ parte 1. fol. 18. inter Göſſenſia Diplom. Num. 11.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Ego Ortakarus Dux Styriæ* omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in perpetuum. Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam præſentibus, quam futuris, quod *quidam nobilis Luitoldus fidelis noſter de Guetenberg*, partem prædii ſui filiabus ſuis *Chunegundi* & *Gertrudi* poteſtativa manu tradens, præſentibus *earum maritis Wilhelmo & Herrando*, & aliis quampluribus amicis ſuis & fidelibus, iſtam fecit exceptionem, ſcilicet ut jus patronatus in *Eccleſia S. Dionyſii Martyris*, quod ad ipſum velut fundatorem & prædiorum collatorem ſpectabat, cum omnibus ſibi pertinentibus, & quinquaginta huebas prædii ſui ſine contradictione omni ſive pro remedio animæ ſuæ, ſeu cuicunque placeret perſonæ, poteſtative tradere poſſit. Igitur viri præfatæ Eccleſiæ & proprietati prædii ſubſcripti filiæ præſentes abrenunciaverunt, & voluntati Patris benigniſ-

ſime

ſime paruerunt. Sed ut hoc ratum perpetuo duraret, & ne alicujus poſteritatis ſuæ audentia quidquam ex his ſurripiens temeraret, præſenti pagina noſtro ſigillo communita, teſtibusque ſubſcriptis roboravit. In his autem locis prædia ſunt aſſignata apud *fluvium*, qui dicitur *Illenz in villa Pircha* dicta 10. Eubas, in villa, quæ dicitur *Enpsdorff* 9. Eubas, in villa *Ratensdorff* 2. Eubas; item in villa, quæ dicitur *Pircha* 5. Eubas, juxta fl. *Stulbenich* unam Eubam, item apud *S. Dionyſium* unam Eubam, *in Oberdorff*, item apud *S. Dionyſium* curtim, item in *Paltal* in villa, quæ dicitur *Perndorff* 12. Eubas. Et quidquid ejusdem prædii in *Paltal* inventum fuerit, tam cultum quam incultum apud fluvium *Wides*, prædium, quod dicitur *Altenburch*, curtim una cum molendinis, aquis, pratis paſcuis, piſcationibus, ſilvis exitibus & reditibus, & tam quæſitis, quam inquirendis, & cum univerſis ejusdem prædii terminis. Hujus rei teſtes ſunt *Chunradus*, & *Rudolfus* frater ejus nobiles de *Chindenberch*, *Ortaker de Gratz*, *Otto de Gratz*, *Albertus* & frater ejus *de Dunkenſtain*, *Ruedolf de Raſe*, *Havvart de Jun*, *Haidenreich de Griffen*, *Schilbung de Haylesberg*, *Landfrid de Eppenſtain*, *Otto de Chremeſe*, *Ulreich de Stubenberg*, *Otto de Liuben*, *Heinrich de Walderberch*, *Leutold*, *Ruedolf*, *Gotſchalch fratres de Hintperch*, *Albertus de Lochauſen*, *Otto filius*, & ejus filius *Otto Saxo*, *Wichard de Waltſtain*, & *Walter frater ejus*, *Chonradus Durinch*, & frater ejus *Hartvvic*, *Hartman*, *Herman*, *Bernhard*, *Gundacher*, *Gotſchalch* milites proprii Domini *Luitoldi*. Anno Incarn. Dom. Milleſ. Centeſ. octoageſ. ſeptimo, ſedente in Apoſt. ſede Urbano, Imp. Friderico, antiſtite Provinciæ ejusd. Alberto, *Duce Otocaro* in Kal. Octobris. Actum eſt *in caſtro Guetenvverch* feliciter Amen.

NUM. 72.

An. 1187.

Confirmatio Ottochari Ducis ſuper donatione jurispatronatus Eccleſiarum S. Viti in Prelep, & S. Dionyſii ad Eccleſiam Göſſenſem.

Ottoc. Dux confirmat donat. prior. Göſſenſ. factam.

Ex Diplom. S. Duc. Styr. P. Frælich p. 1. f. 28. inter Göſſenſ. N. 16.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Ego Ottocharus Dei gratia Dux Styriæ*, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in perpetuum. Quia acta nobilium ſæpius a plerisque oblivioni traduntur, idcirco robore inſtrumentorum communiri ſolent, quatenus labili hominum memoriæ ſubveniatur, & dolus calumniantium ad effectum procedere non permittatur. Eapropter notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam præſentibus, quam futuris, quod quædam nobilis matrona *Elizabeth de Guetemberg* præſente marito ſuo *Domino Luitoldo*, præſentibus etiam filiabus ſuis *Chunegunde & Gertrude*, aſſiſtentibus quoque 2. generis ſuis *Wilhelmo & Herrando*, & cæteris amicis & Dominio ſuo deditis, ac fidelibus ſuis, hanc fecit exceptionem de omnibus prædiis ſuis, quorum copiam Divina ſibi contulit gratia, ut iſta ſpecialiter tradendi pro remedio animæ ſuæ facultatem haberet: ſcilicet jus patronatus Eccleſiæ *S. Viti Martyris in Prelep* cum univerſis terminis ſuis, quod ad ipſam velut fundatricem ac prædiorum collatricem ſpecialiter ſpectabat; univerſum quoque *prædium in Prelep* cum villicationibus, areis,

vine-

vinetis, & cum omnibus ejusdem prædii pertinentiis, terris videlicet cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, molendinis, mancipiis utriusque sexus, viis & inviis, reditibus & exitibus, quæsitis & inquirendis, omnique utilitate, quæ in eodem prædio inest, vel inesse & fieri poterit. Universum prædium *in Choceb* cum omnibus ejusdem prædii pertinentiis, & villicationem quandam *in Mell*, universum prædium *Heunsdorff* in Austria cum vinetis, & universis terminis suis ejusdem prædii adjacentibus. Quod nominatum *prædicta Elizabeth* suæ assignavit sepulturæ. Istæ autem exceptiones prædiorum ab ipsa, propter hanc cautelam factæ sunt, ne forte, sicut plerisque mortalibus accidit, improvisa, si decederet morte, ista prædia sub testimonio videntium & audientium pro salute suæ traderentur animæ, licet tamen aliud prædium suum universaliter in manu delegatoris cujusdam *nobilis Ulrici de Petab* (puto *Peccab*) staret, quo facilius & liberius etiam illud tradi posset, cui videlicet ipsa tradendum assignaret. Proprietati vero prædii prænominati filiæ suæ parentes abrenunciaverunt, & factum matris voluntarie & legitime sub testibus subscriptis videntibus & audientibus confirmaverunt. Præterea situs ejusdem prædii idcirco talis facta est adnotatio, ne fieret alicujus prædii ob errorem vel alterationem postmodum assignatio, sed ut ratum perpetuo esset, staretque, & duraret, & ne alicujus posteritatis suæ audentia quidquam ex his surripiens temeraret, præsenti pagina nostro sigillo communita, testibusque subscriptis factum prænotatum corroboravit. Hujus rei testes sunt: *Chonradus* & frater ejus *Rudolfus nobiles de Chindenberch*, *Alber* & frater ejus *Hainricus de Dunkenstain*, *Otacher de Grëtz*, *Rudolf de Rase*, *Havvarth de Jun*, *Haidenreich de Grifen*, *Salbunch de Haylesperp*, *Landfrid de Eppenstein*, *Otto de Chremese*, *Ulrich de Stubenberch*, *Otto de Liuben*, *Hainrich de Waldersperc*, *Rudolf*, *Luitold*, *Gotshal* fratres *de Nitperch*, *Alber de Lochusen*, *Wichart de Waldstain*, *Walter* frater ejus *Chunrat*, *Durnich*, *Hartvich* frater ejus, *Hartman*, *Herman*, *Berenhard*, *Gundachar*, *Gotshalt* milites proprii *Dom. Luitoldi*. Anno Incarn. Dom. Millesimo Centesimo octogesimo septimo, sedente in Apost. sede Urbano, Imp. Frid. antistite Prov. ejusdem Alberto, *Duce Otacharo*, in Kal. Octob. Actum est *in castro Gutenberc*, feliciter Amen.

NUM. 73.

An. 1188. Ottoc. Admont. dat 2. capellas SS. Petri & Jacobi juxta Leobium.

Ottocarus Dux ad petitionem Adalberti Salzb. Archiep. Cœnobio Admont. 2. capellas tradit.

Ex cod. Diplom. Admont. Num. 67.

Dilecto Domino suo A. Venerabili Salzburg. Ecclesiæ Archiepiscopo Apostolicæ sedis legato *O. Dei gratia Dux Styrensis* fidele in omnibus servitium.

Dignationi vestræ dignum duxi notificare, quod ego ad preces vestras, quæ locum mandati apud me obtinent, & specialiter pro salute animæ meæ, & omnium parentum meorum, capellas duas meæ ditionis ac proprietatis, quas a plebesano jure absolutas, præter jus conventum in placito Christianitatis convocandi, omnes progenitores

mei

mei liberas mihi transmiſerunt, quas etiam interdum per proprios ſacerdotes, interdum per plebanos *in Lieſnich* in Divinis procurabant, ſcilicet *ad S. Petrum, & ad S. Jacobum apud Liuben* Monaſterio Admontenſi poteſtativa manu contradidi, eo tenore, ut ſi poſthac plebeſana Eccleſia *in Liesnich* a vobis, vel ab aliquo ſucceſſorum veſtrorum quomodo *ab Admontenſi Cœnobio* ablata forte fuerit, prædictæ tamen capellæ in præfati Monaſterii poteſtate perpetuo permaneant. Hujus donationis *apud Chrungilſee* factæ teſtes adhibuimus, quorum nomina ſunt hæc: *Albero Plebanus de Rukerſpurch, Sigifridus Capellanus meus*, qui prius eas meo mandato poſſidens, tunc eas mihi ob gratiam mei & veſtri reſignavit, *Albero de Werſes.* De Miniſterialibus meis *Richerus de Marchburch*, & filius ejus *Richerus, Gerrandus de Wildonie, Erchingerus de Landis*, & frater ejus *Gotſchalcus, Ulricus de Stubenberch, Otto de Chrembs, Otaker de Grez, Gundaker Jun. de Steir, Ulricus de Wolchinſtein, Otto de Sibeneck*, & frater ejus *Thomas, Marquard de Starkenberch*, & alii quamplures. Actum an. Dom. MCLXXXVIII. Indict. VI. IIII. non. Aug.

NUM. 74.

An. 1188. Herwici Boemi Mareſch. Styr. donat. Admont.

Traditio Herwici Boemi Mareſcalci Ducis Styriæ facta Cœnobio Admont.

Ex cod. Diplom. Admont. Num. 121.

In memoriam reducimus cunctis fidelibus tam futuris, quam præſentibus, quod *Herwicus Boemus, Mareſcalcus Ducis Styriæ, iturus Hieroſolymam* anno Domini Incarn. MCLXXXVIII. delegavit ſuper altare S. Blaſii Admunt. poſt obitum ſuum, *licentia & manu Domini ſui Ducis* prædium ſuum totum ad *Velvvinbach* cum Eccleſia adjacente, ſicut a prænotato Duce illud in proprietatem ſuſceperat, ſcilicet XXXVII. manſus, quorum VIII. ad Eccleſiam pertinent, quæ etiam exempta eſt legitime a jure Parochitano, ſicut privilegium ſuper hoc datum atteſtatur. Teſtes hujus traditionis acceſſerunt hi: *Gerungus de Stutarn, Rapoto miles ejus, Chunradus miles de Pubele, Dietricus miles frater ejus, Herbord de Ode, Engilbertus miles de Chapfinberg, Dietricus oeconomus de Rotenmanne, Guntherus de- - - Ekihardus* frater ejus, *Heinricus miles de Tiurvvanch, Otacher Privbaven, Albertus & Chunrad de Prurndorf, Wernhardus miles de Inrpurch, Egilolfus de Pubele, Sifridus de Wulfingin* fratruelis *Herwici, Dintrichus de Sulzbach* ſervus Conradi &c.

NUM. 75.

An. 1189. Ottoc. I. Run. reſtituit 3. villas

Ottakarus Dux I. Styriæ villas 3. Runenſibus reſtituit.

Ex Diplomat. S. Ducat. Styr. P. Frælich tom. 2. f. 16. Num. 12.

In nomine &c. *Otakarus Divina favente clementia Dux Styr.* notifico, quod *Pater meus felicis memoriæ Otakar Marchio de Styra* Monaſterium *Rune*, quod *Pater ſuus March. Leupold. cognomento fortis, avus meus* a fundo conſtruxit, & ubi etiam ſepultus quieſcit, votum Patris adimplens prædiis ſuis ampliare curavit. Fecit autem hoc cum aſſenſu benevolo *conjugis ſuæ matris meæ Chunegundis Marchion.* tradens ſuper altare Dei Genitricis ſemperque Virginis *Mariæ in Rune* duas ſalis patellas *in Ennstball apud Aborn* &c.

(ut ſupra in Diplom. parentis Num. 11.) cum igitur ego Patri defuncto hæres ſucceſſiſſem, ſupradictas 3. villas, nempe *Reze*, *Straſindl*, & *Judendorff* ad meum detinui ſervitium, donec tandem Dei nutu commonitus, & meam injuſtitiam recognoſcens easdem villas ex toto abdicans domui Dei reſtitui, & teſtium, qui ſubſcripti ſunt, adſtipulatione confirmare ſtudui: fuerunt ergo per aurem tracti *Ortlibus Archipresbyter*, *Capellanus meus de Viſchach*, *Heinricus Plebanus de Greze*, *Chonradus Plebanus de Marchburg*, *Wernhardus Plebanus S. Roudberti ad Rabam*, *Conradus de Chindenberch*, *Otto de Volkinſtorff*, *Otacher de Grez*, *Hermann de Glichenberg* &c. Acta ſunt *Greze in civitate* omnia iſta anno Dom. Incarn. Milleſ. Centeſ. Octogeſ. non. Indict. ſeptima, die 4to Id. Auguſti die videlicet S. Laurentii, Romani apicem imperii tenente Frid. Imp. Aug. filio vero ipſius Henrico Rege vice ejus regnum adminiſtrante, Salzb. autem Eccleſiæ Archiepiſc. Adalberto, Runenſe porro Cœnobium regente Wilhelmo humili Abbate.

An. 1191. vel ſeq. Ottoc. I. D. donat Secc. var.

NUM. 76.

Ottocarus Dux I. Styriæ prædia, & alpes donat Seccovienſibus.

Ex Dipl. S. Duc. Styr. P. Frælich tom. 1. f. 169. inter Dipl. Secc. N. 24.

Otacherus D. G. Dux Styriæ, omnibus fidelibus in perpetuum, cognitum eſſe volumus, quod cum hæreditales ſucceſſores ad gubernandum Principatum noſtrum abeſſe nobis, proh dolor! videremus, hæredem ſaluti noſtræ congruam Bmam. videlicet matrem noſtri redemptoris ad aliquam partem noſtri patrimonii, prout gratia inſpiravit Divina, nobis duximus eligendam, ut enim apud ipſum, qui, quando voluerit, auſert ſpiritum Principum, miſericordiam conſequamur, utque noſtri memoria *in Eccleſia S. Mariæ in Seccovve*, de novo fundata devotione poſſit, & debeat celebrari ſedulo, donamus eidem Monaſterio de noſtris Dominicalibus pro meliore ſuſtentatione fratrum ibidem divino cultui inſiſtentium prædia noſtra in *Waltensdorff* nuncupata, & ceſpitem noſtrum adjacentem cum omnibus attinentibus cultis & incultis paſcuis intra & extra villam conſtitutis, cum ea utilitate, qua ad nos pertinuit uſque ad *fluvium Pels* vocatum. His etiam prædiis largitione munifica adjungimus *alpem noſtram ſupra Judenburch* ſituatam, quæ communi vocabulo *Seealb* dicitur, cujus termini per decurſum pluvialis aquæ dignoſcuntur, & mediantibus eisdem paſcuis, Præpoſitus & ſui fratres *Formalias*, quas vulgus *Svvaigas* appellat, pro domus neceſſitate inſtituere ſibi poſſint, & cum inde refecti fuerint, pro nobis ad Dominum devotius intercedant. Hujusmodi itaque noſtra donatio, ut rata ſemper permaneat, & a nullis malevolis nobis ſuccedentibus immutetur, præſentem kartam ſuper hoc eidem Monaſterio traditam ſigilli noſtri charactere fecimus conſignari. Hujus donationis teſtes ſunt: *Wilhalmus Comes de Haynburch*, *Rudolfus de Treunſtain* (ſors *Traunſtain*) *Wulfingus de Chapfenberg*, *Ulricus de Stubenberch*, *Hertnidus de Ort*, *Herrandus de Wildonia*, *offo de Offenberch*, *Dietmarus de Liechtenſtain*, *Rudolfus de Raſe*, & alii fide digni multo plures. Acta ſunt hæc an. Dom. MCLXXVII. *apud Judenburch*, imperante D. Henrico VI. Imp. ſub Wernhero Præpoſito.

NUM.

NUM. 77.

An. 1191. Ottocarus I. Dux Traunkirchenſ. Parthenoni privilegia firmat.

Ottocari VI. Diploma Traunkirchenſi Parthenoni datum an. 1191.

Ex Puſch Chronol. S. Duc. Styriæ p. 2. f. 61. Ludewig to. 4. reliq. MS.

Notum facio Chriſti fidelibus: *Cœnobium Traunkirchen* hactenus ſumma pace & quiete viguiſſe, & nullius advocati exactione vexatum fuiſſe, tum ex authoritate privilegii, *quod illi contulit unus proavorum meorum Otachar Comes*, tum ex clementia ſequentium Principum ſundatorum ipſius Cœnobii, qui etiam advocatiam propria tenebant manu. Nam ut Eccleſia illa & familia advocatorum exactione careat; prædia ejusdem Eccleſiæ poſſidebant, ſicut & ego hodieque poſſideo; ego vero adhuc ſub pædagogo poſitus & ab iniquis conſiliariis ſeductus, *Arnoldum de Wartenberg Miniſterialem* Monaſterio prædicto præpoſui, qui ob parvitatem noſtram libere abuſus eſt juſtitia ipſius loci, diverſas exactiones exercens. Quapropter fidelis *Abbatiſſæ ejusdem Monaſterii Dietmudis* &c. Capellani noſtri Eberhardi; una congregationes, & univerſæ familiæ flebili querimonia commonitus, eundem Arnoldum ceſſare feci ab omni exactione, & priora jura prioris privilegii confirmavi. Iſti ſunt, qui prædicta jurejurando confirmaverunt: *Gundaker de Styra, Otto de Volkerſtorff, Pillungus de Chircheim, Richerus de Marchburg, Hertnidus de Orte, Heinricus Glunich, Eberhardus Plebanus de Trunckirchen, Gerlach de Talheim, Engilſcalcus & Hartungus de Pulicheim, Henricus de Rullisheim.* Acta ſunt hæc anno ab Incarn. Dom. MCXCI. Indict. IX. anno I. Wolffkeri Epiſcopi Patavienſis præſente *Abbatiſſa Diemude* apud Aniſum in *interiori domo Rivvini*, qui tunc temporis monetam tenebat.

Appendix Diplomatum tardius ſubmiſſorum.

NUM. 87.

An. 1142. Canoniæ Seccov. ex Feuſtriz translatio confirmatur.

Chunradus Archiep. Salisburg. confirmat translationem Canoniæ Seccov. ex Feuſtritz in Seccovve an. 1142.

Fragm. hujus Diplomatis adfert P. Frælich Dipl. S. Duc. Styriæ p. 1. f. 143. integrum vero hoc Dipl. ex MSS. Cathedr. ac exemptæ Canon. Seccov. ſuppedito.

In nomine ſanctæ Trinitatas, individuæ & ſummæ Deitatis. Chunradus ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Dei gratia Archi-Epiſcopus. Pontificalis culminis circumſpecta, & diligens induſtria, tam animarum, quam corporum uſibus pervigili devotione debet inſiſtere, ut commiſſis ovibus ad paſcua æterna viriditatis appetenda nulla valeat diſcriminis moleſtia, aut incommoditatis adverſitas obſiſtere, maxime eorum, qui beatitudinem pauperum, ſpiritu cupiditatibus ſæculi renuntiando, nituntur Dei laudibus vacando acquirere.

Unde notum facimus tam præſentis, quam futuri ævi fidelibus, memorabile factum cujusdam nobilis viri *Adelrami nomine de Waldekke*, qui pro adipiſcenda gloria ſupernæ remunerationis, de patrimonio ſuo in loco *Feuſtrize* dicto, cellam in honorem S. Mariæ Virginis, ſancto

Rudberto Confeſſori ad regendam & protegendam, *ſub communi regula beati Auguſtini* contradidit. Transmiſſis autem illuc noſtris fratribus, & per triennium innibi commanentibus, quia locus omni regioni transeunti patebat, & ad religionis tranquilitatem nullum ſecretum habebat, eisdem fratribus cum præfato loci illius fundatore inſtantiſſime efflagitantibus, *fratrum quoque noſtrorum Salzburg.* & religioſorum tam Abbatum, quam ſæcularium annitente conſilio prædictam cellam in poſſeſſionis ejus adjacentia, in *loco Seccovve* dicto transpoſuimus, quem ad omnia commoda & religionis obſervantiæ diſciplinam conſervandam ſatis aptum comprobavimus. In evidentiam autem & memoriam poſterorum, quod in prædicta capella ſanctæ Mariæ *in loco Feuſtrize* dicto, primaria fundatio extiterit obſervantiæ regularis, volumus, & ſpecialiter indulgemus *Præpoſito & Capitulo Seccovienſibus*, ut unum ex confratribus Monaſterii ibidem jugiter manentem inſtituant: & cum opus fuerit, deſtituant pro ſuæ arbitrio voluntatis. Qui tam *Capellæ ejusdem, quam S. Joannis Evangeliſtæ curam habeat*, Divina obſequia in utrisque pro viribus expleturus. Confirmamus igitur, & ſtabilimus, authoritate Divina atque officii inhibitione, loci iſtius mutationem, cum priori loco, & omni illic facta traditione & delegatione, & ut cuncta *Seccovve* indivulſa & integra permaneant, nec filii iniquitatis ad ea diripienda manum apponere audeant, anathematis reprimimus mucrone, & noſtri ſigilli hoc chirographum munimus impreſſione. Actum eſt hoc *Frieſach* anno incarnationis Domini Milleſimo Centeſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione 5ta, præſentibus & aſtipulantibus venerabilibus fratribus *Altmanno Tridentino, Romano Gurcenſi Epiſcopis.* Hæc autem, ut inconvulſa permaneant ſubſcriptis certificamus teſtibus *Udalrico Duce, Ottochero Marchione, Adalberto de Olſniz, Adalrico Dapifero, Herrando de Harantſteine, Engelſchalco de Beccah, Gottefrido de Wittingen, Gotepoldo de Oſtervvize, Engelberone de Hoſtelvvach, Wilfingo de Steine, Lantfrido de Eppenſtain, Hertnido de Rougerſpurg, Winthero de Willare*, Amen.

NUM. 79.

MS. Seccovienſe de familia primi Præp. Seccov. Wernheri Gäller.

An. 1144. Familia Wernheri de Gäller I. Præp. Seccov.

Wernherus I. Præp. Seccov. e famil. de Galler.

Anno Chriſti Milleſimo Centeſimo quadrageſimo quarto, Undecimo Kalendas Junii, incipit annus quartus regiminis *Wernheri Præpoſiti*, quem catalogus Præpoſitorum Seccovienſium in hypocauſto aulico, *Galler* indigitat, ubi etiam habetur, eum regimen inchoaſſe anno 1140. & annis novemdecim præfuiſſe, quod etiam ponit *Leonardus Arnberger* Præpoſitus in ſuo Præpoſitorum elencho, ſed error eſt hic manifeſtus, nam Bernherus in Præpoſitum electus fuit undecimo Kal. Junii, anno Domini 1141. & legitur in libro Privilegiorum fol. 51. pag. 1. præfuiſſe anno Chriſti 1192. Mortuus eſt quidem 4. Kal. Octobris, ſed incertum, quo anno *Pater* illius *Henricus* obiit 12. Kal. Jun. *Mater Albaidis* vixit ſanctimonialis Seccovienſis, ſoror noſtra, mortua eſt 4. Kal. Octobr. *Frater* Præpoſiti Wernheri *Perngerus* laicus vivere deſiit 8. Idus Aprilis. *Fratruelis* illus *Perngerus Presbyter* e vivis exceſſit 13. Kal. Maji. Annum obitus cujusvis non reperio.

Electio ejusd.

NUM.

NUM. 80.

An. 1148. Ottocar. donat Mon. S. Lamb. Eccl. S. Mariæ, & S. Micha. in Grasluppa.

Littera Ottokari Marchionis continens Eccleſiam S. Mariæ, ſanctique Michaelis in Grasluppa, Monaſterio Sancti Lamberti fuiſſe donata anno ab Incarnatione Domini MC. 48.

Ex Docum. Celeberr. & exempti Monaſterii ad S. Lambertum.

In nomine ſummæ & individuæ Trinitatis, omne teſtamentum rerum præteritarum recordatio eſt, præſentium recognitio, futurarum conſideratio. Eapropter *Marchionis Otakari* devotam intentionem intentamque devotionem per præſentem paginam in medium deducimus, ut per facti hujus memoriam præſentibus incitamentum fidei, & poſteris imitabile virtutis exemplum reſervemus. Hic itaque monaſticum diligens ordinem, *Eccleſiam ſanctæ Mariæ, ſanctique Michaelis in Grazluppa* ſitam, facta ſolemniter donatione ſanctoque Lamberto, cum omnibus ſuis pertinentiis videlicet ruris, pratis, cultis & incultis, & omni omnino utilitate, quæ inde provenire poteſt, in proprietatem omnimodam poteſtativa manu tradidit; quatenus Monachorum grege Dominico ibidem facto locus ipſe in Dei ſervitium omni in perpetuum ævo mancipetur. Fecit hoc pro remiſſione peccatorum ſuorum, pro ſalute *Chunegundis uxoris ſuæ* dilectæ, cæterorumque chariſſimorum ſuorum, maximeque pro redemptione animæ *Patris ſui Leopoldi Marchionis*, & *Matris ſuæ Sophiæ*, omniumque fidelium. His autem teſtibus ſupterſcriptis, & aure in teſtimonium tractis, hæc firmata ſunt: *Dietmar de Spillebercb*, *Conrath de Fuſtrice*, *Odalrich de Graze*, & frater ejus *Reginbart*, *Lentfrit de Eppenſteine*, *Richer de Everdingen*, *Liupold*, & *Werinbart de Willebalmeſpurch*, *Engilger*, & frater ejus *Sigebart de Willebalmeſpurch*, *Wolfcbanc*, & *Woluinc de Heimpurch*, *Ratpoto de Kircheim*, *Conrad de Buocha*, *Friderich de Mireſtorf*, *Marquat Caſſe*, *Heinrich Ioculator*. *Ego Otakar Divina favente clementia Styrenſis Marchio* hanc paginam conſcribi feci, & ut inconvulſa jugiter omni permaneat ævo, proprii ſigilli impreſſione firmari, anno ab Incarnatione Domini MCXLVIII. Indictione X. die VIIII. Kalen. Martiarum. *Data Graze* feliciter Amen. (L.S.)

NUM. 81.

An. circ. 1146. Adalram. donat. Seccov. manſum ad Waldeke.

Diploma Adalrami fund. Secc. quo donat manſum ad Waldeke Secc. Eccleſiæ.

Ex MSS. Cathedr. ac Exemptæ Canoniæ Seccovienſ.

Notum ſit omnibus tam futuris, quam præſentibus, quod quidam *Nobilis* nomine *Adalrammus* & uxor ſua, manſum unum de prædiis ſuis, juxta caſtrum, quod dicitur *Waldekke*, & locum, in quo fundaretur Eccleſia, & ubi Presbyter haberet manſionem, atque omnem decimationem prædiorum in partibus illis ſitorum, nec non quinque mancipia tradiderunt *Salisburgenſis Eccleſiæ per manum Chunradi ejusdem Eccleſiæ Archiepiſcopi*, eo tenore, ut Eccleſia ibidem fundata, ipſe & poſteri ſui haberent ſervitium Dei, & prædicta prædia ſua nec non etiam finitima *cujusdam nobilis Botonis* prædia inhabitantis, eidem Eccleſiæ perpetuo jure ſubderentur tam in perſolvendis decimis ſuis, quam

inaccipiendis Eccleſiaſticis Sacramentis, Baptiſmi ſcilicet, & ſepulturæ. Iſti ſunt teſtes *Waldherus Waltenſteine, Sighart de Flace, Berchtoldus de Rotengrube*, & frater ſuus *Geroldus, Goteſchalchus de Nunesberch, Rudolfus de Willechelmesburch, Hiltegrim de Hutenesdorf, Radboto de Traiſeme, Adalbero de Strazgange, Cunrad, & frater ſuus Reginbertus de Sechiricben, Adalbero de Gundram, Mingen & filius ſuus Durinc, Engelſchal, Aribo de Cheinckove, Eckehart filius Eckehardi de Montigulo, Otto filius Heinrici Hofekelz, Liutaltus de Ratte*, & *filius ſuus Volfremarus.*

An. 1156. Eberhard. Salisb. terminat litem inter Wernberum Præp. Secc. & ſorores duas.

NUM. 82.

Diploma Eberhardi Archiep. Salisb. quo terminat litem inter Wernherum Præpoſ. Seccov. & duas ſorores.

Ex MSS. ejusd. Cathedr. Seccov. fragmentum ejus ſolum habet Frælichius Diplom. Sacr. Duc. Styr. p. 1. Docum. Seccov. 27. f. 177.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Eberhardus ſanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ Dei gratia Archi-Epiſcopus *Wernhero venerabili Seccovienſi Præpoſito* in perpetuum. In procinctu ſpiritualis diſciplinæ poſitis, manum auxilii vel tutaminis porrigendo arbitramur, immo certi ſumus nos obſequium præſtare Deo, ideoque fili cariſſime Wernhere Seccovienſis Cœnobii venerabilis Pater, petitionibus & utilitatibus tuis, fratrumque tuorum, libenti animo dantes operam, notum facimus tam præſentis, quam futuri ævi hominibus, qualiter litem inter te & duas ſorores *Hiltigardam uxorem Rudolfi de Taunsperch, & Fromuor Viduam de Sibidat* deciſam terminaverimus, primum cum *Alberone viro nobili de Feuſtritz*, antea idem negotium agitatum eſt, Bennone Patre prædictarum Dominarum poſtulationem ſuam adverſus eum agente: hujus rei primæ & ſecundæ altercationi *Romanus Gurcenſis Eccleſiæ venerabilis Pontifex* interfuit, cujus conſilio & prudentia ſopita cauſa ceſſavit, præ nominato *Benonni* prædicto (fors prædio) *apud Striganz* dicto in poſſeſſionem tradito. Decedente vero vita Bennone, morteque prævento Alberone, filii ejus *Chunradus cognomento Gallina*, & frater ejus *Adelramus* hæreditatem Patris defuncti inquiete poſſederunt. Evoluto autem ſpatio temporis, cum duo fratres prætaxati gladio fuiſſent multati, reſiduus *frater* eorum *Udalricus* nomine, qui tunc temporis in *clauſtro Seccovve*, dicto *inter Regulares Canonicos* educatus jam in adoleſcentem creverat, quia ſuperſtes fuit, & adjudicatione legum tam Divinarum quam humanarum, hæreditario jure poſſeſſio, totumque patrimonium prænominato loco in honore Beatæ Mariæ perpetuæ Virginis, a nepote ſuo *Adelrammo* fundato, poteſtativa manu tradidit. Sed quia Deus nunc injuriatus ſilet e veſtigio, poſtquam Deo collatum eſt præmemoratum patrimonium, Dnelque ſuperius inſcriptæ ſunt frequentibus querelis, Dei ſervos inquietare cœperunt, & habita diutina concertatione, tandem viginti duabus marcis, cum duobus manſis Dominabus illis traditis multum ſatagente Domino Romano præfato Epiſcopo, noſtraque præſentia diſponente, lis utrumque deciſa & terminata eſt, præſentique paginæ ſeries rei annotata, & ſigilli noſtri impreſſione corroborata eſt. Hujus rei

teſtes

teſtes ſunt *Romanus Gurcenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Engilrammus Archidiaconus, Engilbertus Marchio de Treiburch, Heinricus Comes de Ortenburch, Eberhartus de Trache, Egeno de Slippes, Rudolfus de Tunsbere*, & filii ejus, *Heinricus & Rudolfus, Conradus Hovekellz, Hartnidus de Viſca, Wiſento de Wongoove, Sigefridus Caſtelanus de Friſaco*, & filius ejus *Sigefridus, Gotſchalcus de Dirnſtein e Adalbertus Judex de Friſaco, Bernhardus Camerarius*, & cæteri quamplures. Actum Friſaci ab Incarnatione Domini 1156. Indictione IIII. quinto Non. Maji, X. anno Archi-Epiſcopi Eberhardi, regnante Romanorum Imperatore Friderico.

NUM. 83.

Inter an. 1157. & 1165. Confœderatio inter Salisb. Can. & Ben. Admont.

Confœderatio, ut videtur, Canonicor. Salisb. cum Benedictinis Admontenſibus.

Ex MSS. Seccovienſibus.

Igitur in primis eſt ſciendum, memoriæ jugiter commendandum, *Canonicos S. Rudberti apud Juvavium* jugiter matricis Eccleſiæ ſedis Metropolitanæ, plenariam apud nos piæ memoriæ Domino *Sigeboldo eorum Decano* mediante primitus accepiſſe fraternitatem, quam unanimi utriusque congregationis conſenſu ſuſceptam collaudatam, ac Reverendiſſimorum Prælatorum ſcilicet bonæ memoriæ Domini *Wolvoldi Abbatis*, & venerabilis ipſorum *Præpoſiti Domini Hermanni* auctoritate, tunc ſtabilitam partim ex ignorantia, partim ex ignavia veniens oblivio quaſi quædam rubigo fraternæ dilectionis obduxerat, tandem nuper habita diſcuſſione a Domino & Patre noſtro *Gotfrido Abbate*, & eorum Venerabili *Præpoſito Domino Hugone* diligentius eliminata, & in priſtinum ſplendorem reformata, utriusque etiam congregationis aſſenſu promptiſſimo eſt recepta & confirmata, quid autem in hac ſocietate tam apud nos, quam apud illos a ſacerdotibus agatur breviter adſcriptum dignoſcatur. Primum cujusvis obierit, officium, vigilia, & miſſa in conventu ſolemniter celebratur, nomen ejus in Martyrologio regulæ, idemque in libro vitæ notatur, ſeptenarius, id eſt prior miſſa, & vigilia in conventu agitur, trecenarius ſcilicet miſſa, & verba - - - triginta dies continuatur, præbenda & flagella in hoc tantum variantur, ut videlicet pro Canonico, a Monachis, pro fratre a fratribus, pro ſorore a ſororibus excipiantur. Sic enim inter illam & hanc congregationem complacuit. Hæc communiter in conventu ſunt agenda, iſta vero a ſingulis ſingulariter exhibenda. Unusquisque Presbyter tres miſſas privatim cantabit, pſalmos ſcientes ex toto pſalterium, reliqui ad numerum pſalmorum orationem Dominicam recitabunt. Super hoc ergo ſingulis hebdomadibus duas in conventu miſſas, unam pro ſalute vivorum, alteram pro requie defunctorum celebramus. Omnibus autem plenam fraternitatem non habentibus, ſub noſtri tamen, id eſt, Hirſaugenſis vel Cluniacenſis ordinis profeſſione degentibus, fratribus & ſororibus tam exterioribus, quam interioribus, brevibus eorum ſimiliter venientibus, cum ſolemni omnium ſignorum pulſatione & trium luminum accenſione, vigiliæ, officium, & miſſæ in conventu & ſeptennarium. Inſuper & ſinguli ſacerdotes ſingulas miſſas, reliqui autem qui quinquaginta pſalmos ignorant, toties

Pater

Pater noſter decantant. Reliquis autem omnibus tam canonicæ, quam monaſticæ profeſſionis ordinibus, pulſatis omnibus ſignis, ſex pſalmos id eſt: Verba mea, Domine ne, Dilexi, Credidi, De profundis, Domine exaudi, canimus, quos cum Dominica oratione, & verſiculo, A porta inferi, & or. Abſolve Domine, claudimus, & eosdem ſeptem diebus continuis, denuo repetimus & reliqua, ut ſupra, excepto ſeptenario & vigiliæ, officio ſimiliter eis, impendimus. Hæc in necrologio fraternitatis.

NUM. 84.

Inter an. 1161. & 1164. Eberhard. Salzb. dat Seccov. villam in Hundesdorff.

Diploma Eberhardi Archiep. Salisb. quo villam in Hundeſtorf Can. Secc. oppignorat. Ex MSS. Seccov.

Eberhardi Dei gratia Juvavenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus perpetuam in Domino ſalutem.

Univerſitati veſtræ notum facimus, ac memoriæ tenacius inculcamus, quod pro neceſſitate matris Eccleſiæ, dum gravis nobis labor de Provincia noſtra exeundi incumberet, ac ſtipendiorum facultas minus accinctis ſuppeteret, curtem noſtram decimalem in villa, quæ dicitur *Hundesdorf*, apud undecim Seccovienſibus fratribus pro XXX. marcis montani argenti in pignore poſuimus. Uſum vero fructum ejusdem curtis eisdem fratribus in ſuſtentationem pro remedio animæ noſtræ contulimus, quo uſque præfato pondere argenti redimatur: cum autem vel per nos, vel per ſucceſſorem noſtrum eandem redimi contigerit, tantundem reddatur, quantum pro pignore accepimus, & ne pro uſu fructuum, quem interim noſtra benevolentia conſecuti fuerint, aliqua fratribus illis fiat ſupputatio in Domino interdicimus. Actum eſt hoc in Eccleſia ſancti Ruperti audientibus, & id ipſum conſulentibus *Hugone Præpoſito, Meingoto Decano*, omnique capitulo, *Abbate Heinrico de ſancto Petro, Gerboho Præpoſito de Richerſperge, Marvvardo Præpoſito de Nevvenburch, Romano Præpoſito de Gurke, Hairico Præpoſito de Garze, Gotſchalco Præpoſito de Pomburch, Engilberto Marchione de Chreiburch*, & compluribus miniſterialibus ejusdem Eccleſiæ, *Chunrado de Chalebeim, Hartnido de Salzburch, Chunone de Pulobe, Taginone de Merenbach, Leutoldo de Eicheim, Adelgoldo de Lungovve, Heriberto de Marchia.*

NUM. 85.

An. 1160. Commutatio Wernheri Præp. Secc. cum Regenwerdo Cubiculario Ottoc. V. de villa Tramesdorff juxta Græce.

Commutatio Wernheri Præp. Seccov. cum Regenwerdo cubiculario Marchionis Marchionis de Villa Tramesdorf juxta Græce *annuente Ottocaro.* Ex MSS. Secc. Idem eſt cum Dipl. 19. niſi quod hic integrum referatur.

Hoc anno *Wernherus Præpoſitus & Seccovienſes Canonici*, rogatu *Odacari Marchionis* fecerunt commutationem quatuor manſuum in villa *juxta Græce Tramesdorff* nuncupata, *cum Regenvvardo cubiculario Marchionis* pro aliis bonis *in Hucenbilbele, & Sachendorff* poſitis. Interpoſuit ex officio advocati, Principisque terræ ſuam authoritatem litteris deſuper

expe-

expeditis, *præfatus Marchio* ſequentem modum: *Odoacer Marchio Styrenſis*, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Quoniam ea, quæ Divinis obſequiis deputantur, facilius a filiis hujus ſæculi injuſtis ſurreptionibus impugnantur, dignum eſſe duximus manus defenſionis his apponere, quos tutelæ noſtræ obtentu, Divinæ gratiæ conſtat commiſſos eſſe, unde non incognitum eſſe volumus tam futuris, quam præſentibus, quod venerabilis *Præpoſitus Wernherus & Seccovienſes fratres* rogantibus nobis fideli noſtro *Reginbardo* concambium, quod vulgo ein Wehſel dicitur, quatuor *manſuum Sclavoniçorum* in villa poſita *juxta Græce*, quæ *Tramesdorff* eſt dicta, fecerunt, ſunt hic manſus, quos quidam nobilis *homo Urtvve* prius poſſederat, ſed uxor *ſua Juditha* Seccovienſi Eccleſiæ poſtea potenti manu delegavit; pro quibus jam dictus *Regenvvardus noſter Cubicularius*, alios reditus acquirens, quosdam agros in *Hucenbuchele* ſitos a *Wolffliezo* manſum unum, *Sachendorff a Richero*, ibidemque alium manſum a nobis obtinens, qui & antea *cujusdam Seboldi noſtri* beneficium fuerat quondam concambium, nos autem functi dignitate advocati, utrobique Seccovienſis Eccleſiæ, & *Regenbardi* utriusque partis rogatu inducti, prædia *Regenvvardi* ſupra dicta ſanctæ Mariæ, in *Seccovve vice* delegatoris dedimus, idemque prædia fratrum jam præmiſſa ipſi donavimus. Teſtes auriculares adhibendo, qui ſubſcripti ſunt *Chunrat de Muorce*, *Gotto*, *Hartvvich*, *Marchvvart*, *Tiemo de Leubem*, & cætera. Nequis autem audeat hæc infringere, ſigillo noſtro curavimus munire. Actum *Leuben* Indictione octava, XVI. Kal. Maji Sabbato, imperante Friderico Auguſto, Eberharto autem Salzb. Archiep.

NUM. 86.

An. 1182. Ottoc. Dux conf. concambium Monaſt. S. Lamb. cum D. de Liechenſtein.

Corroboratio ſeu confirmatio Ottokari Ducis Styriæ, concambii quorundam bonorum, quæ Dominus de Liechtenſtain pro competenti commutatione Monaſterio ſancti Lamberti libere tradidit anno 1182.

Ex MSS. e celeberr. S. Lamberti Monaſterio miſſis.

✝ *Otaker Dei gratia Dux Styriæ*, omnibus fidelibus ſalutem in perpetuum, in nomine Domini Amen. Quoniam de omni defenſione noſtra nobis a Deo conlata, & credita ante tribunal juſti Judicis aſtare certum habemus, maxime tuitione clauſtralium, viduarum, Orphanorum ſpecialiter ad defenſionem noſtram ſpectantium, diverſos contractus ab iisdem celebratos, pro variis commoditatibus & utilitatibus firmitati ſcripturæ commendare dignum duximus. Nobis igitur in Friſaco conſtitutis, venerabiliſque *Epiſcopo Friſingenſi Alberto*, dilectus noſter *Perngerus Abbas ſancti Lamberti*, *& Ditmarus Miniſterialis noſter de Lichſtein*, contractum ab ipſis viciſſim celebratum ad conroborationem conniventiæ noſtræ, & ſigilli noſtri obtulerunt. Fuit autem is contractus, *Dietmarus de Lichſtein* cum quasdam poſſeſſiones ab Eccleſia Friſingenſi in feodo poſſideret, infra terminos prædiorum Eccleſiæ *ſancti Lamberti* ſitas, & eadem Eccleſia poſſeſſiones vicinas *caſtro Lichſtein* haberet, convenerunt utrumque propter commoditatem viciniæ de ratione concambii. Conſentiente itaque ex parte Ditmari Reverendo Domino *Friſingenſi Epiſcopo Alberto* concambium celebrarunt. Recepit

idem jam dictus *Ditmarus* ab Eccleſia *ſancti Lamberti* in concambio *Medvvetſtorff*, & molendinum ibidem in *Miterdorff*, duo prædia, in Lonkunum. Huntſtorff prope Undrim, 1. in Segor, 1. in Celtwich, 2. in Ratenperch, ſuperius prope *Muram* apud *Purchſtall*, 2. in Gezendorf, 1. ſuperadditis LX. marcis denariorum. Hæc jure feodi ſupradictus *Ditmarus* a jam memorato Epiſcopo recepit, ut jure proprietario ſeptem manſos juxta Laznich, vulgo propter novitatem Geruot appellatos, cum adtinenti ſilva, & omnibus in ea colendis, quæ tangit ſilvam Raſman vulgariter dictam, *Eccleſiæ ſancti Lamberti* de conſenſu ſæpedicti Epiſcopi, & conniventia capituli, miniſterialiumque ſuorum libere traderet. Verum cum utraque pars de jurisdictione fori noſtri exiſtat, ut omnia genera litium exſtirpentur a ſuccedentibus, in teſtimonium rei transactæ, ſigillum noſtrum annuentibus miniſterialibus noſtris præſentibus, paginæ præſenti imprimimus. Acta ſunt hæc ſub his teſtibus: *Ditrico Epiſcopo Gurcenſe*, *Rudolfo Abbate de Admund*, *Wernhero Præpoſito de Sekovve*, *Wulfingo de Caphenperch*, *Otto de Stupenperch*, *Svvikerus de Geſtnich*, *Otto de Choremes*, *Herrandus de Wildonia*, *Landfridus de Dirnſtein*, *Otto de Saxo*, *Opho de Teuphenbach*, fraterque ejus, *Ulricus de Chuſtelvvanch*, *Waltmannus de Poſtperch*, Miniſteriales Eccleſiæ Friſingenſis, *Chunradus de Welze*, Officiales ejusdem Eccleſiæ, *Ditmarus de Haslarn*, *Ditricus de Puchſe*, *Marquardus de Schalun*, *Perngerus de Paierdorf*, *Popo de Wokenperp*, *Albertus Schuchprenne*, *Aribo de Dirnſtein*, & *Walchunus*, *Richerus de Seder*, & *frater ejus Leopardus*, *Gerungus Weiſſendorf*, *Engilſalcus Longus*, *Eberolfus* & *frater ejus*, *Otto de Stretvvich*, *Ruzo de Friſaco* Judex, *Albertus de Turri*, *Waiſsgrimus* Theolenarius, *Pero*, *Rudolfus*, *Hartmut*, *Waltricus*, *Ditmarus*, familiares Eccleſiæ, aliique plures. Datum Friſach, anno Domini M. CLXXXII.

NUM. 87.

Confirmatio Otakeri Marchionis Styrenſis, cujusdam donationis nobilis Gofridi de Dirnſtein *Monaſterio factæ, data anno MCLXXXIII.*

Ex iisdem MSS. S. Lamberti. NB. Referendum ad annum 1173.

An. 1183. Otoc. Dux Styr. confirm. donat. Gotfr. de Dirnſtein Monaſt. S. Lamberti factam.

Otakerus Marchio Styrenſis, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in perpetuum, reſpicientes nobilia facta antiquorum, quibus Eccleſias Dei honorantes ditaverunt, ſimulque conſiderantes, quia procul dubio de advocatiis divinitus nobis collatis, & creditis æquiſſimo judici rationem ſumus reddituri; idcirco utilitatibus illarum Eccleſiarum, quæ ad noſtram ſpecialiter ſpectant defenſionem, diligentius providentes, oblatione animarum, quæ eisdem Eccleſiis a fidelibus fideliter offeruntur, litteris commendare neceſſarium duximus, ne aliquam diſſipationem in poſſeſſionibus ſuis per violentiam patiantur. Unde notum eſſe volumus univerſis $\frac{i}{x}$ & Eccleſiæ filiis, qualiter *Gotfridus de Dirnſtein*, cum cerneret paucitatem dierum ſuorum brevi tempore poſſe finiri, domumque carnis ſuæ, quam temporaliter inhabitat, diu ſtare non poſſe, de alia mox inhabitanda ſibi proſpiciens, ad Deum, quem nullus hominum effugere poteſt, & ad ſanctos ejus faciendo refugium de ſubſtantia divinitus ſibi collata tale prædium, quale habuit in loco, qui

Sic in originali Chriſti.

Piſſich

Piſſich dicitur, a *lapide* ſcilicet, qui *Rotme* dicitur ad quemdam lapidem qui *malus lapis*, dicitur, cum adjacente alpe, & cum omni utilitate ad id rite pertingente, ſilvis, paſcuis, cultis locis & incultis, quæſitis & inquirendis totum tradidit Deo, & *Eccleſiæ ſancti Lamberti & fratribus inibi Deo famulantibus*, pro remedio animæ ſuæ, & pro reſtitutione damni, quod per occaſionem advocatiæ Eccleſiæ intulit, præcipue autem in ædificatione caſtri *Witeſperch* dicti, quod in prædio ejusdem Eccleſiæ contra omnem juſtitiam ædificavit, ut autem miſericordiam Dei multplicatis interceſſoribus facilius impetraret de eodem prædio XL. marcas *Seccovienſibus fratribus dari juſſit*, ne vero a nobis, vel a noſtris ulterius aliquam perturbationem ſuſtineant, ad argumentum noſtræ bonæ voluntatis, ipſis exhibente Cameræ noſtræ XXX. marcas perſolverunt; quoniam autem hujus prædii prima delegatio hæreditario jure ad manum cujusdam *nobilis viri Counradi de Chindeberch* ſucceſſit, ſecundum petitionem Abbatis & fratrum ſuorum in præſentia noſtra eandem delegationem perſolvit. facta eſt autem hujus traditionis delegatio anno Incarnationis Dominicæ MCLXXXIII. *juxta Eccleſiam S. Martini ſub caſtro Caffenberch* regnante Friderico Imperatore, ſub Archi-Epiſcopo Salzburgenſe Adalberto, hujus delegationis teſtes ſunt: *Liutoldus de Walſtein*, *Otto de Stubenberch*, *Wolfingus de Chaffenberch*, *Dietmarus de Grece*, *Henricus de Schvvarza*, *Poppo de Peccah*, *Ropoto de Poutene*, *Otaker de Grece*, *Chounradus de Marchburch*, *Otto*, qui dicitur *filius*, *Werinhardus de Glizenvelt*, *Oudalricus* cognomento *Loshart*, *Oudalricus de Stutarn*, *Waltmannus de Endenberch*, *Poppo de Chalmme*. Ut autem hoc verum eſſe credatur & ab omnibus inviolabiliter conſervetur, hanc præſentis privilegii paginam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus.

NB. Cum pendente ſigillo (L. S.)

ANNOTATIONES IN DIPLOMATA TOMI I.

Annotationes Diplomatum.

Ad Diploma Num. 1.

Ad Dipl. 1.

Plura jam de hoc Diplomate dicta ſunt Diſſert. 4. cap. 3. *in Ottocaro III. Fundatore primo Garſtenſi, & Wilburgis marito*, quæ repetere ſupervacaneum foret. Altmannus Patav. Epiſcopus zeloſiſſimus in iis bellorum turbis, quæ non Eccleſiam ſolùm univerſam, intruſo Guiberto Antipapa, ſed Auſtriam etiam a Bohemis & Moravis vaſtatam vexabant, *ſub tutela Liupoldi Marchionis Auſtriæ*, Catholicorum partium ſtudioſiſſimi, atque *Ottocari noſtri pariter Chriſtianiſſimi, Laureaci* (quod hoc tempore *Ottocaro* probabilius parebat) vitam egit, nec ipſe ſolum Cœnobiis ac diſciplinæ Monaſticæ reparandæ ſolicitus intendebat, ſed *Ottocarum etiam noſtrum*, Garſtenſe Cœnobium meditantem ſedulus adjuvabat.

Altmannum Ep. Pat. protegit Leop. Auſtr. & Ottocar. III. Auſtriæ turbæ an. 1082. &c. Laureacum an Ottoc. fuerit. Altmannus Pat. ibidem egit.

Ad hoc itaque opus perficiendum, *Ottocaro noſtro*, *ædem Garſtenſem*, ad dextram Anaſi ripam, paululum ſupra Styram, amæniſſimo loco ſitam, lætus contulit, viciſſimque ab eodem *Ottocaro* Eccleſiam in *Bebemberch Parochialem* accepit, pari ſic permutatione; cum & ipſa Eccleſia

Garſtenſis ſitus. Bebemberg Parochia.

Garſtenſ. Eccl. commutatur cum Bebemberg Ecc. & prædio.

cleſia Garſtina, antequam Monaſterialis fieret, Parochiæ juribus fruebatur; traditionem ex utraque parte geſtam deſcribit hoc Diploma, qua Altmannus cum fratribus ſeu Canonicis ſuis, *Ottacaro* Eccleſiam *Garſtinam*, pleno jure, cum libera inveſtitura, omnique jure ſacerdotali & Parochiali cum omnibus appenditiis ſuis, in eodem Diplomate recenſitis, cum omni culta & inculta decimatione contulit, *Ottocarus* vero in Altmannum *prædium unum in Bebemberg & Eccleſiam cum area* contulit, per manus Udalrici advocati ſui.

Ad pleniorem Diplomatis hujus intelligentiam, loca in hoc Diplomate ennarrata conſideranda ſunt: primus, qui occurrit locus, eſt *Bebemberg*, ſeu ut habet MS. Garſtenſe Num. 10. *Beheimberc*, prædium itaque unum cum Parochia Behampergenſi, ac area ipſius Eccleſiæ libere tradidit, & contiguarum decimationes villarum remiſit Eccleſiæ Patavienſi *Ottocarus*: Parochia hæc Behambergenſis vix duabus horis *urbe Styra* diſtat *ad Ramingam* ſita, pro ea vero recepit ab Altmanno Epiſc. Patav. cum conſenſu Canonicorum ſuorum, *Eccleſiam Garſtinam*, pleno jure, cum inveſtitura libera, jure omni ſacerdotali & Parochiali ac omnibus pertinentiis ejus: Parochialem hoc tempore jam fuiſſe ex Diplom. patet, cum nempe Altmannus eam Ottocaro conferendo, ſimul jus Parochiale & ſacerdotale omne eidem Ottocaro tradiderit.

Bebemberg Paroch. ſitus.

Garſtenſ. Eccl. Paroch. erat.

Appenditiæ porro illæ, ædis ſeu *Eccleſiæ Parochialis Garſtenſis* in Diplom. hoc deſcribuntur his verbis: ſcilicet, *quæ interjacent inter Rubingam inferius urbem Styram manantem, & Rubingam ſuperiorem, & intra flumen Anaſum, & flumen Styram uſque in Rattenbach & ultra Styram, & molendinum cum jure ſuo & curtum illarum, ubi Rubinga labitur in Anaſum cum omni culta & inculta decimatione, & toto jure ſacerdotali:* nota ſunt flumina iſta *Rubinga* nimirum antehac *Rubinik* dicta, ut v. Diplom. 10. jam Rämingbach, cujus pars una infra urbem *Styram*, altera ſuperius fluens, ſuperior, & inferior vocatur; magnum itaque & amplum erat territorium illud Parochiæ Garſtenſis, quoniam inter flumina *Anaſi & Styræ* uſque in Ratenbach, ſeu ubi rivus Ratenbach *in Styram* ſe exonerat, extendebatur, ut chartas inſpicienti patebit.

Termini Parochiæ Garſtenſ.

Rubinga v. Rubinick ſl. & Rumingbach.

Quis vero Advocatus ille *Udalricus* fuerit, per cujus tanquam delegati Patavienſis manus, Eccleſiæ eidem Ottocarus prædium & Eccleſiam Behamberg tradidit, non conſtat: ſed nec nomina ſubſcriptorum teſtium ſatis noſci poſſunt: ait quidam Altmannus: *Ottocarum ſecum & cum fratribus ſuis*, hoc eſt, *Canonicis Patavienſibus* hanc permutationem feciſſe. Sed quis Canonicos hujus temporis Patavii commoratos eruet? Author Germ. Sacræ tom. 1. Coroll. 6. & 7. &c. adſert quidem circa an. 1080. *Sigilbertum Patav. ſuffraganeum*, ſeu *Chor-Epiſcopum*, ac circa an. 1076. *Gumpoldum Præp. S. Stephani*, & *Erkengerum Decanum Patavienſem*, ſed hi inter teſtes Diplomatis non comparent. In Diplomate Altmanni an. 1076. Cœnobio S. Nicolai dato inter teſtes leguntur: *Teſtes de Canonicis Wiliboldus Tum Præpoſitus, Erkengerus Decanus, Iſenbertus Cantor. Paldivinus Scholaſticus, Aigelbertus Archi-Presbyter, Egeno & Otakhrus Capellani: de Eigiberto*, v. dicta an. 1074. Præterea longe alii etiam in Diplomate hoc ſubnotantur teſtes, nimirum *Arnoldus, & Eberhardus Archi-Presbyteri*, ac *Simpertus, Udalricus, Menigotus, Rudolfus, Decani*,

Udalr. Advoc. Patav.

Sigilbertus an. 1080. Pat. ſuffr.

Gumpoldus an. 1076. Præpoſ. Patav. Erkengerus Decan.

Canonici Paſſav. hoc tempore.

Capella-

Capellanique alii incogniti, immo, ut ad Diploma 3. oſtendam, nomina etiam citatorum teſtium, longe aliter, in tertio illo Diplomate eſferuntur, teſtesque aliqui, qui permutationi huic Ottocari & Altmanni interfuerunt, in hocce Diplomate negliguntur, quod inde contigiſſe arbitror, quod non raro plures concambio acto præſentes, dein vero, dum charta confecta eſt, atque ſignata, abſentes omitti conſueverint, uti in noſtro caſu factum *Hartmanno S. Floriani*, & *Engilberto S. Hyppoliti Præpoſitis.* V. Dipl. 3. annot. *Teſtes cur ſubin in Diplom. ſint omiſſi.*

Miniſteriales & milites Ottocari ſolo etiam nomine conſtant, ex quo, quamvis eorum proſapiam ac familias ominari nemo poſſit, erui tamen liquido poteſt, magnam jam fuiſſe Marchionum noſtrorum potentiam cum ad hanc permutationem ſtabiliendam, Miniſterialium ſuorum 11. vel (ut Diploma 3. habet) 14. ac 7. militum ſuorum adhibuerint. *Miniſteriales & milites Ott. III.*

Milites hoc tempore dicebantur *equeſtris dignitatis viri.* Acta eſt hæc commutatio *apud Laureacum* an. 1082. nec tamen indictio, nec annus Pontificatus Altmanni, ut alias conſuetum. adjectus eſt, ex quo, aliisque verbis ſubin omiſſis arguo, Diploma hoc ex parte mancum eſſe. *Milites dicti equeſtris dignit. viri.*

Laureacum vero, ſuperius dixi, hoc tempore probabilius Ottocaro paruiſſe, quamvis & illud ſatis diſpici vix poſſit ob contrarias authorum ſententias, Lazius quidem, & Puſchius cenſent, *Ottocarum II. Ottocari III. Patrem* a Conrado Cæſare hoc tractu Anaſpurgenſi ſeu Laureacenſi donatum fuiſſe, ſed Lazius ipſe ſatis non exprimit, quisnam iſte Conradus Cæſar fuerit? ſecundum vocat: At, cum tres fuerint Conradi Germaniæ Reges, Conradum II. ſæpius appellari obſervavi eum, qui reipſa tertius anno 1188. regnum eſt auſpicatus, ex quo proin legitime ſequeretur, Laureacum eo tempore, ſeu anno 1082. ſub Patavienſibus Epiſcopis fuiſſe. *Laureacum an Ottoc. III. fuer.*

Nihilominus cenſeo probabilius, Laureacum hoc anno jam ſub Ottocari Dominio extitiſſe, uti enim Diſſert. 4. in Ottocaro II. cap. 2. dixi: *Anaſpurgenſem ſeu Laureacenſem tractum*, Ottocarus II. a Conrado Cæſare obtinuit in præmium laborum ſuorum, cum ejus caſtra in Italiam ſecutus fuerit. *Anaſpurgenſis tractus* nomine, non *Dynaſtiam Styrenſem*, ut vult Puſchius, ſed *Laureacenſem* intelligendam eſſe, oſtendi, ut opinor ad annum 1030.

Ad Diploma Num. 2. *Ad Dipl. 2.*

Hoc etiam Diploma ad Ottocarum noſtrum III. ſpectare, oſtendi Diſſert. 4. cap. 3. in quo probavi ea verba: *& Pater ejus Otakerius, qui Romæ obiit*, nec omittenda eſſe, nec mutanda, cum Diploma Num. 4. & 10. adducendum Ottocari IV. clare eloquatur, ac teſtetur, *& Patrem Ottoc. III. & avum Ottocarum II.* Romæ obiiſſe. *Ottoc. II. & III. Romæ def.*

Ottocarus itaque *III.* cum ante 6. annos ab Altmanno ædem Garſtenſem obtinuiſſet, ut gratiam referret ampliorem, denuo plurima alia beneficia Eccleſiæ Patavienſi abſtracta, eidem reſtituit, novumque cum Altmanno Concambium iniit, hoc in Diplomate expreſſum.

Enarrat beneficia hæc reſignata Diploma, aitque fuiſſe ſita primo *circa montem Husruke*, atque ſupra *Hezalarivalde.* Nomen *Husruk*, ſeu *Hauſruk* ortum inde obtinuiſſe videtur, quod *mons hic, & ſilva*, Bavariæ *Hausruk ſeu Husruk nom. origo.*

confiniis vicina, bellorum tempore, incolas, domo ſua moventes, germanice Hausrucken frequens exceperit, hac proin in ſilva & monte adſito, cum incolæ ſenſim ea loca redderent habitabilia, nomen inde Hus-

Nunc quadrans Auſtr. maximus. ruck quadranti Auſtriæ integro, jam amplitudine ſua primo, indide-

Deſcribitur. runt. Quadrantis jam hujus longitudo maxima *Riedavia* ad *oſtia Trunæ* pone *Zitzlav* cum Danubio ſe miſcentis, milliaria fere 10. longitudo minima ab arce Frankenburg ad Monaſterium *Lambacenſe* milliaria ſolum 3. & ½ latitudo ejus maxima ab oppido *Weſenurfar* ad viciniam *Holſtadienſem* milliaria circiter 14. minima vero penes Lincium milliare 1. cum medio complectitur, Styriæ noſtræ confinia, uti & Salisburgenſia ad meridiem contingit, interque ejus fluvios celebriores ſunt *Aſcha*, *Aurachus*, *Tratnachus*, & *Aba*.

Familia DD. de Hausruck. Mons hic & ſilva, pluribus dein arcibus exſtructis, Dominiis conſtitutis inſignis, originem etiam ſuppeditaverit liberis, & *nobilibus de Huſrucke* dictis, quorum duo præcipue in veterum Diplomatis comparent; quæpiam producam, inter Diplom. mea Num. 21. habetur donatio *Ottocari V. Fundatoris Voravienſis* facta Admontenſibus circa an.

Eppenſtain caſtr. Ottoc. V. Heinr. de Hausruk Chunrad. de Hausruk Rudg. de Hagenberg. 1162. qua eis alpem *Scobern* dictam in Carinthia, verſus caſtrum ſuum *Eppenſtain* ſitam donat, in ea inter teſtes primo loco citantur *Heinricus de Husruck*, & *filius ejus Chunradus*. Dein *Rudgerus de Hagenperch*, & additur *liberi homines*. Idem *Heinricus* adducitur teſtis in Dipl. meis Num. 24. & *Chunradus* in Diplom. Num. 35.

Beneficia ab Ottoc. reſignata. Aſcha fl. Aſchav arx & oppid. Aſchav territor. Aſchauerwinkl Præterea dicuntur beneficia hæc ab *Ottocaro* reſignata, ſparſim poſita circa *rivos Trachtina*, *Innen*, *atque Aſcha*. Jam ſupra dixi, rivum ſeu fluvium *Aſcha* quadrantem *Hauſrukenſem* irrigare, *oppidum etiam & arx Aſchav*, uti & *territorium Aſchavienſe*, vulgo der Aſchauerwinkel, cis & trans Danubium exiſtit, magna vini præſertim abundantia inſigne. Oppidum hoc cum arce teloneoque ex navibus collecto, *Comitibus ab Hararach* ſubeſt, memoraturque an. 765. concilium hic loci celebratum

Aſchav conc. an. 765. fuiſſe. Dominos quosdam de Aſcha ad an. 1097. & 1098. detexi.

Ultra *Huſrugge* vero *Ottocarum* noſtrum habuiſſe beneficia, docent ſequentia Diplomatis verba: *item ſupra Trunvelde, ſeu* Traunfeld, quod territorium, moderna Auſtriæ diviſione in quadrante infra Mainharti montem ſitum obtinet.

Pübele & Gundeskirchen Par. Auſtr. olim Otto. *Reſignavit* item *Ottocarus* jus petitionis ac decimationis parochiarum *Pübele* & *Gundeskirchen*, contulitque libere Eccleſiæ Patavienſi; has Parochias ambas in quadrante Hausruggenſi invenio, in quibus proin omne jus ſuum remiſit Ottocarus Eccleſiæ Patavienſi.

Com. de Wels, & Lambach conſang. Ottocaris Styr. Quomodo vero hæc & tam diſperſa in Auſtria bona obtinuerit Princeps noſter, inſinuat idem Diploma, ſe nimirum, & Patrem ſuum *Ottocarum II.* eadem *a Comitibus de Welſa & Lambacha conſanguineis ſuis* obtinuiſſe, atque a Pilgrino Patav. Ep. in beneficium ſuſcepiſſe: quemadmodum Diſſert. 4. cap. 2. rem eam enodavimus. Obtinuit vero

Tuedick ſeu Dietac. capella Ottocari III. fit Parochia. viciſſim Ottocarus, ut capella *Tuedick*, ſeu *Dietacenſem*, quæ ex jure fundi, utpote caſtro Styriæ non ſolum contigua, ſed etiam pertinens ad Marchionem noſtrum ſpectabat, Parochialem faceret Altmannus, ſpeciales ei terminos deſignaret, jusque altaris, & ſuum Marchioni conferret.

Quan-

Quantum ex hoc Diplomate colligitur, capella hæc incendio violata, nova Altmanni conſecratione opus habuit; primam ei Altmannus Epiſc. Patav. impendiſſe videtur, qui eam libertate ſimul Eccleſiaſtica donavit, ejusque prædia a Cathedrali Eccleſia exemit. Catal. Abbat. Glunic. apud P. Hier. Pez tom. 2. ſol. 329. & 330. & Prevenhuebero teſte *Parochia Dietacenſis an.* 1201. celeberrimo Monaſterio Glunicenſi data eſt a *Leopoldo Auſtriæ & Styriæ Duce* pro vico ibidem exiſtente, quem *Ottocarus VI. Marchio & primus Dux Styriæ* eidem Monaſterio donaſſe an. 1190. perhibetur. An. 1532. eadem Parochialis Eccleſia, plurima eſt perpeſſa, cum enim Turcæ Prevenh. cit. teſte ad Anaſum graſſarentur, variaque loca *Glunicum, Ernſthoven* &c. vaſtarent, etiam *Dietacenſem Eccleſiam* cum arce Stadlkirchen penitus expoliarunt, atque circa 2000. Chriſtianorum, Joanne Marx tum Parocho Dietac. teſte, qua ceciderunt, qua ſecum in captivitatem rapuerunt. Penes Eccleſiam hanc exiſtit etiam *arx Dietacenſis* cum Dominio, quam in Auſtria mappis geographicis diſtincta, lego eſſe *L. B. de Grienthall.*

Excuſta olim conſecrata primo ab Altman. Pat. Ep.

Dietac. Paroch. an. 1201. datur Glunic. Monaſt. a Leopold. Duc. Dietac. vicus Monaſt. Glunic. datur ab Ottoc. VI.

An. 1532. Turcæ eam vaſtant.

Dietac. arx in Auſtria.

Locus dati Diplomatis eſt denuo *Laureacum*, de quo ad Dipl. 1. locutus fueram, legitimum eſſe Diploma, quamvis verba quæpiam deſiderentur, ex eo deduco, quod anno 1088. Indictio 11. & annus Pontificatus Altmanni 24. rite reſpondeat; obiit enim Engelbertus Pat. Ep. an. 1065. die 16. Kal. Jun. proin poſt 16. Kal. Jun. anno 1088. cœpit, & 14. Kal. Aug. quo datum eſt hoc Diploma, jam currebat annus 24. Pontificatus ejusdem.

Engelberto Pat. Ep. quando ſucc. Altmannus.

Ad Diploma Num. 3.

Ad Diplom. 3.

Diploma hoc confirmatorium eſt primi, ſeu concambii an. 1082. inter Ottocarum noſtrum, & Altmannum Epiſc. Pat. initi, de quo jam ad Diplom. 1. dictum eſt.

Ex hoc tamen Diplomate, menda quædam ſuperioris corrigi poſſunt, circa teſtes præcipue, eorumque nomina. Sic enim primo Diploma hoc inter teſtes 1. Diplom. alios adfert his verbis: *Huic etiam concambio, quod fecit Epiſcopus Altmannus intererant Præpoſiti Eccleſiarum, D. Hartmannus Præpoſitus titulo S. Floriani, Engilbertus Præpoſitus titulo S. Ypoliti*, quomodo hi duo omiſſi fuerint, ſuperius ad Diploma 1. dixi.

Monaſteria S. Floriani & Ypoliti an. 926. Pat. Eccleſiæ confirmantur. An. 1082. ſub ord. Can. Reg.

De his duobus primariis ordinis noſtri viris quæpiam ſubjungenda cenſeo, bina hæc *Monaſteria S. Floriani* ſcilicet, & *S. Ypoliti* anno 926. ab Ottone II. Imp. Rom. ſedi Patavienſi fuere confirmata, hoc tamen anno, quidquid de eorum primo inſtituto diſceptetur, jam ſub ordine Can. Reg. fuiſſe teſtatur additus Præpoſiti titulus, & Eynwicus V. Wilburgis Biographus, ac Præp. Can. Reg. S. Floriani: qui de hoc ſuo Monaſterio ita loquitur: *Patavienſi Eccieſiæ annum prope* 1067. *præfuit Altmannus ſanctitate vitæ celebris, qui tanta pietate Florianenſis Eccleſiæ curam amplexus eſt, ut non ſolum devaſtatam reædificarit, verum etiam, quæ inique bonorum illius direpta fuerant, reſtitui fecerit, de propriis inſuper redditibus, non modicam addens portionem, cum autem præfatus antiſtes, Clericos & ſæculares ibidem licentioſam agere vitam deprehendiſſet, Apoſtolica, qua fungebatur, legati authoritate, in eorundem locum ſpirituales viros ſub Reg. D. Auguſtini in commune viventes ſubſtituit, conſecrata per eum perſonaliter cum*

Altmannus inſignis benefactor Monaſt. S. Flor.

Sæc. Canon. expellit, & Reg. S. Aug. inducit.

Hartmannus Præp. Can. Reg. ad S. Florian.

I. 5. *altaribus Eccleſia, cujus omnia jura, poſſeſſiones & privilegia firmiſſime confirmavit, Hartmannum virum in ſancta converſatione apprime probatum, primum ibidem Præpoſitum conſtituit &c.* Hartmannus itaque primus reformati hujus per Can. Reg. S. Aug. Monaſterii circa an. 1081. conſtitutus Præpoſitus, mox altero anno, concambio dicto teſtis adfuit. Quales vero Clerici antea Monaſterium S. Floriani incoluerint, deſcribit Biographus S. Altmanni Patav. his verbis: *Clerici conjugiis & lucris ſæcularibus intenti, negligentes ſervitium Dei.*

Monaſter. S. Ypoliti per B. Altman. Patav. Ep. reformatur.

De Monaſterio altero S. Ypoliti ſimilia circa an. 1081. Biographus vitæ cit. refert nempe: *In alio Cœnobio ſcilicet S. Ypoliti erant Clerici ebrietati voracitati, libidini & uſuris impliciti, quos Epiſcopus Altmannus Canonica cenſura de loco expulit, & religioſos viros pro eis reſtituit, quibus præfecit Engilbertum Præpoſitum, virum omni prudentia & eloquentia præditum.* Engilbertus proin primus Regularium Canonicorum ad S. Ypolitum Præpoſitus teſtis etiam cit. Concambii eſt electus.

Engilbertus I. Præp. Can. Reg. S. Ypoliti.

Aliorum præterea teſtium nomina varia & diverſa ab iis primi Diplom. apparent. Archi-Presbyteri quidem iidem, ſed inter Decanos, qui in hoc Diplomate 3. vocatur *Iſampertus*, in primo *Simpertus* dicitur; *Menigotus* in primo, in tertio *Megingotus*. Inter Capellanos in primo Diplom. vocatur *Hartuſi de Derlingen*, in hoc vero *Hartvicus de Checuzingen*, *Gervet ex Matſee* in primo, hic *Kerold de Matſe*, in primo *Rembart*, in tertio *Reginbart*.

Ottocari IV. milites. Ejusdem familiares.

Inter *milites Ottocari* occurrit in primo *Hartric*, ſed in hoc Dipl. vocatur *Hartnid*. Inter *familiares Ottocari* ejusdem, in primo Dipl. nominatur primus *alter Duringus* huic Diploma 3. ſubſtituit *Adelram*, pro *Crebenger*, *Erchenger*, pro *Patto Babo*, pro *Duringus alter*, *Adalbero*. Inter *Berchtold* & *Vochold* imponitur in tertio hoc Diplomate *Richero*, pro *Gerungus*, *Geruncb*, pro *Reinhalmus*, *Reginhalm*; unde licet quorundam differentia ſit ſolum materialis, nec curanda, non tamen omnium, quæ proin meam confirmant ſententiam, qua cenſui Diploma primum ex parte mancum eſſe; quamvis etiam verum ſit, diverſam nominum ſcriptionem crebrius in apographis, vitii aliquid contraxiſſe.

Udalr. Ep. Pat. antea Canon. & Præpoſ. Auguſt. an. 1092. Garſtenſes ſiunt Monachi anno 1107. Coop. Udalrico.

Diplomati huic deeſt etiam locus & annus, datum tamen videtur poſt annum 1092. quo *Udalricus Auguſtenſis antea Eccleſiæ Præpoſitus* Altmanno Patav. def. ſucceſſor a Thiemone Salisburg. eſt ordinatus, atque ante annum 1107. quo ab Ottocaro IV. cooperante etiam Udalrico Patav. Canonicis in Garſten Monachi ſunt ſubrogati. Forte circa an. 1115. hoc Diploma datum. V. dicta anno 1177. & annot. ad Diploma 51.

Ad Diplom. 4.

Ad Diploma Num. 4.

Diploma hoc ipſum denuo Num. 10. apparet: hoc quidem numero, ut illud Diplomatario Garſtenſi a P. Eraſmo Frælich S. J. inſertum eſt, Num. vero 10. prout mihi e celeberrimo ipſo Monaſterio Garſtenſi, a Reverenſſ. Perill. ac Ampliſſimo DD. Paulo Abbate in forma probante, ſeu copia vidimata eſt transmiſſum. Cauſam rei in Diſſert. 4. de Ottocaro IV. aperui.

Ne

Ne pluribus hac in annotatione coacervandis longior fiam, ſuppono hic interim Diploma Garſtenſe ab an. 1112. removendum non eſſe, rationes meas in annotat. ad Diploma 10. dabo: reliqua expedio in Diplomate hoc contenta, & primo quidem Diploma hoc datum eſt *ab Ottoc. IV. ſeu marito Eliſabethæ* Auſtriacæ ad Bertholdum Abbatem, qui an. 1111. teſte Biographo vitæ apud P. Hier. Pez ſcript. Auſtriæ tom. 2. col. 83. 90. Abbas datus eſt Garſtenſibus; jam quidem ad an. 1107. Monaſticum S. Bened. inſtitutum in Garſten invectum fuit *Wirntone Priore*, cum aliis Monachis ex Gotwic eodem anno ab *Ottocaro IV.* auxilio Leopoldi Auſtriæ Marchionis obtento; cum vero poſt annum 1108. Berngeri Abbatis Formpacenſis in Bavaria, defuncti loco Wirnto Garſtenſis Prior, Abbas poſtularetur, Garſtenſibus pro Wirntone, Abbas obtigit Bertholdus, olim ex Monaſterio S. Blaſii Gotwicum miſſus, ut Diſſert. 4. cap. 4. dictum.

B. Bertholdus Abbas I. Garſt. an. 1111.

Wirnto Prior I. Garſt. an. 1107.

Gotwicenſes Monachi in Garſten ducti.

Berngero Abb. Formpac. ſucc. Wirnto Prior Garſtenſ.

2*do*: Diploma hoc manifeſtiſſime duos fundatores Garſtenſes profitetur, ait enim in hoc *Ottocarus IV. maritus Eliſab. Auſtriacæ: Pater meus Otaker Dux Styrenſis pia in Deum voluntate in fundo Gerſten Clericos quosdam religioſos continuit &c.* En! fundatorem primum, Clericorum in Garſten, Patrem Ottocari IV. pergit Diploma: *Nos igitur in religione patriſſare cupientes, ex Clericis Canonicis Monachos commutavimus regulares &c.* En! fundatorem 2dum ſeu Monachorum regularium, filium Ottocari III. detorqueant jam, per me licet, authores Diſſert. 4. cap. 3. §. 7. 8. 9. & cap. 4. §. 1. & 8. citati ætatem Ottocari II. ad annum uſque 1058. iidem tamen difficultate maxima regimen Ottocari II. per annos 67. ſeu ab an. 991. ad 1058. & Ottocari III. per an. 63. ab anno nimirum 1058. ad 1121. extendere debebunt, binisque his Ottocaris regimen 130. annorum affingere, immo adhuc longius, ſi ſupponeremus Ottocarum IV. anno adhuc 1143. vixiſſe.

Duo fundatores Garſtenſes oſtenduntur.

Ottocar. II. & III. diuturnum regimen.

Confirmavit hoc Diplomate Ottocarus IV. fundationem Garſtenſem jam ante factam, ne nimirum exorto ibidem novo ordine, lis nova ſuboriretur; ita enim ait: *Cuncta, quæ a Patre donata fuerant, donantes & confirmantes:* nec hic ſtitit bonevolentia Principis, adjecit etiam de ſuo, ut ipſe fatetur: *Inſuper & alia quædam ſuperaddendo reddentes*, vel ut Diploma 10. *tradentes.* Itaque primo confirmat fundationem primam Garſtenſem, ſeu Dominicale illud, quo primum dotata eſt ipſa Eccleſia, ac dotem primam ædis ſacræ Garſtenſis, dein etiam confirmat concambium Patris ſui cum Altmanno Patav. habitum, de quo ad Dipl. 1. & quidem eo tenore, quo ab Udalrico Patav. Ep. Altmanni ſucceſſore eſt innovatum, ut v. Diplom. 3. quæ omnia fuſius proponit Diploma originarium Num. 10. allatum.

Confirmantur Monachi Garſt.

Sylvam contiguam, quæ *Tamperg* dicitur, penes dotem trans Anaſum ſitam, non donat, ſed confirmat, rationem ipſe ſubjicit hiſce: *Sic enim & Pater meus piæ memoriæ Ottocher Marchio, qui Romæ defunctus dormit, Wolfgango & Erchingero mediantibus* (Diploma 10. adjicit *nunciis*) *ipſi Eccleſiæ tradidit.* Sylva ergo Tambergenſis jam antea Eccleſiæ Garſtenſi, & quidem dum adhuc Parochialis ſolum, nondum Monaſterialis eſſet, donata eſt, & quidem *per manum Wilburgis Marchioniſſæ*, ac matris Ottocari IV. ut Diſſert. 4. cap. 3. §. 8. oſtendi.

Tamberg ſilva.

Data Eccleſiæ Garſtenſi nondum Monaſteriali Per Wilburgem Ottoc. IV. matr.

At quinam fuere *Wolfgangus ille, & Erchingerus?* quibus mediantibus ſylva ea ceſſit Eccleſiæ Garſtenſi? Diploma hoc ex Diplomat. Garſt. allatum ſolum de eis ait *mediantibus.* Diploma Num. 10. Garſtio mihi transmiſſum addit *nunciis.* Diploma aliud a Ludewigo tom. 4. part. 2. lib. 4. Num. 30. *Wolfgangum* vocat *Parochianum*, & *Erchingerum Patrem Abrant*, ex quibus Diſſert. 4. cap. 3. §. 10. concluſi Wolfgangum illum *Parochianum* fors fuiſſe *Curionem*, ſeu plebanum Eccleſiæ Garſtenſis, ante erectum Monaſterium, ejusdemque opera *ſylvam Tamberg* ædi Garſtenſi obveniſſe, cum Cangio teſte ex Chronico montis ſereni vox *Parochianus* veteri ſtylo notaverit *Curionem*, ſeu *Parochum*, quam opinionem ex dictis an. 1140. & alibi ſuſtineri poſſe arbitror, licet in Diplom. Num. 10. ejus loco, vox *nunciis* ſit adjecta, quam fors idem ac *interceſſoribus* interpretandam opinor, etſi vox *Parochiani* omiſſa ſit.

Wolfgangus Paroch. Garſt.

Parochianus vet. ſtylo idem ac curio ſeu Parochus.

Ditiſſimam vero ſuiſſe dotationem Garſtenſem, indicant beneficia & prædia his in litteris ennumerata: datur enim, *quidquid cultum & incultum inter fluvium Danbach & Fruisnick* (Diplom. Num. 10. *Fruznich*) *ſitum eſt. Fruisnick* ſeu *Fruznich*, Frælichius interpretatur *Frenz*, ambo fluvii minoris notæ, & a topographis pluribus neglecti, indicant tamen, ſatis amplum hujus territorii fuiſſe ſpatium.

Fundatio Garſtenſ. ampla.

Fruiſnick vel Fruznick nunc Frenz fl.

Beneficium illud ſeu feudum *Arnbalmi inter Rubinick* (ſeu ut Frælichius *Ramming*) & *Fruisnick*, ſeu *Frenz*, quod per commutationem decimarum, cum aliis alibi ſitis Eccleſiæ Garſtenſi acceſſit, quale & quantum fuerit ignoro, de *Raminga* jam ad Diploma 1. locutus ſum.

Rubinick ſeu Ramming fl.

Jagernberga, ſeu ut Diplom. 10. *Jagirnberge* poſſeſſio, quæ fuerit apud topographos Auſtriæ non invenio, fors locus minor erat, vel nomen jam ſuum perdidit.

Jagernberg.

Inter flumina vero Anaſum & Styram traditur etiam *Cella, quæ terminatur in rivulo Selenche.* Dipl. N. 10. ait: *in rivulo Sabiniche, ubi ille rivus facit in Aneſum per Leichberge uſque ad viam, quæ a Cella iter præbet in Aſcha*, rivulus ille ſeu *Selenche*, ſeu *Sabiniche* nomen ſuum mutaverit, nec etiam occurrit *Cella*, niſi fors hoc nomine olim *Clauſuræ* ſeu Clauſen venerint, nec etiam ſe prodit locus *Leichberge*, ſeu *Pleichberge*, loca nimirum antiqua difficulter, niſi ex veterum monumentis colliguntur. *Aſcha* hoc diſtinctum erit ab illo in quadrante Hauſrugg, de quo Dipl. 2. hoc enim noſtrum in quadrante Trunenſi ſitum videtur. An arx vel dominium fuerit? ignoro, niſi quod in Diplom. Garſt. inter mea Num. 12. quendam *Cunradum de Aſcha* an. 1145. ſubſcriptum legam.

Cellæ nomen olim idem ac Clauſura ſeu Clauſen.

Aſcha de Cunr.

Ad Heſmannum, ſeu ut Dipl. 10. *ad Huſmamin* duo illi manſus erunt nunc in quadrante ſupra ſylvam Viennenſem ſito, inibi enim locus ſe detegit *Hauſmaning*, quem eundem cum hocce reputo; adjicit vero Diploma Num. 10. quod *Otvvin cum Sclavonibus* poſſidet, Sclavos enim hac olim in vicinia vixiſſe complura loca probant, inde adhuc nomen ſuum ſortita, uti Windiſchgarſten &c.

Sclavi olim circ. Garſten unde locus Windiſchgarſten.

Dos illa *ad Aſcha*, qua dotata eſt *Eccleſia S. Martini*, & dos altera *ad titulum ſancti Viti in Dernberg* pertinens non procul Garſtio diſſita fuerit, ibi enim ad fl. Anaſum notatum invenio locum *Ternberg* dictum, ubi fors hæc S. Viti Eccleſia ſitum habuerit.

Bene-

Beneficium illud Difridi, ſeu ut ait Diploma 10. *Otfridi ad Husruggen* non in loco *Aute*, quem non invenio, ſed ut habet Diploma 10. *Ritte* fuerit, nunc oppidum, & arx *Riedav* cis Danubium, in Provinciæ velut angulo ad fluvium Pramb ſita. *Riedav arx & oppidum.*

Majorem conſiderationem depoſcit locis *Hartperge* in Diplomate notatus nimirum 5. vineas, locum hunc, licet in Auſtriæ mappis non inveniam, tamen in eadem, ut reliqua omnia ennumerata, ſitum habuiſſe opinor: an in vicinia montis illius Auſtriæ & Styriæ terminalis, ac *Hartperg* dicti, de quo an. 698. locuti ſumus, cum inibi vites plantatas non inveniam, denuo latet. *Hartperg locus in Auſtria.*

Vinearum in *Wachovv* meminit jam charta Ludov. Regis, qui eas *in Comitatu Reverendi Marchionis Burcardi* an. 973. Indict. 5. Pilgrino Patav. Ep. donavit; diſtrictus ille *Wachovienſis*, vineis multis refertus eſt, primumque, ut volunt, vinetum in Auſtria ſecundum ripam Danubii ſeptentrionalem protenditur in Auſtria infer. fere ad oppidum Crembſeenſe. *Wachovienſ. Comitatus. Primum ibidem Auſtriæ vinetum*

Reliqua loca minus nota prætereo, ne tædium longitudine pariam. Maximam Garſtenſibus gratiam *Ottocarus* feciſſe videtur, quod Advocatiam Monaſterii hoc in Diplomate Principi Styriæ retinendam ſtatuerit; notum eſt ex Jure Canon. fundatores locorum varia obtinuiſſe emolumenta, ſic nomina fundatorum Eccleſiis inſcripta, quin eorum nomine Eccleſiæ appellatæ, ut *titulus Damaſi*, *Equitii*, *Paſtoris*, *Eudoxiæ* &c. *baſilica Conſtantiniana* Romæ teſtatur. Præterea tempore Juſtiniani Imp. præſentatio fundatoribus etiam Laicis competebat, eorumque hæredibus, immo quemadmodum fundatores jus habebant petendi alimenta in caſu egeſtatis, ab Eccleſia fundata, ita & iidem defenſores, Patroni, Advocati locorum fundatorum ſunt facti. Quoniam vero præter Fundatores, alii etiam Defenſores & Advocati Caſidici ſunt aſſumpti, hique ſæpius variis prætexibus plura extorquerent, ſubadvocatos eligerent, advocatias plane ſuas, aliis in feudum concederent, tandem ſucceſſu temporum neceſſe habebant Monaſteria inquirere privilegia, quibus a ſuis liberarentur Advocatis, qui eos defenſionis loco, egregie emungere noverunt, Principes itaque terræ moti ſunt, ut Advocatias Monaſteriorum nulli alteri conferrent, ſed ſibi ipſis reſervarent, easque per ſe vel hæredes ſuos dein exerceri vellent. Hoc gratiæ genus Garſtenſibus ſuis hoc in Diplomate impendit Ottocarus, voluitque ut Advocatia Garſtenſis Monaſterii ſemper penes Principem Styriæ (in cujus tum ditione & Styra ipſa, & Garſtenſe Monaſterium erat) remaneret. *Ottocarus IV. Garſtenſ. advoc. reſervat Principi Styriæ. Fundatorum privilegia. Advocati Eccl. duplicis gen. 1mi iidem cum fundatoribus. 2di Caſidici iique peſſimi. Eorum abuſus.*

Clauſula adjecta de donatione Conradi Regis *in Rietmarchia* Diplomati huic aliunde inſerta eſt, ut ad Diploma 10. exhibebitur.

Jam teſtes ipſos ſubſcriptos aliquatenus examinemus, de quibus hoc in tomo Genealogias eorum, qui Styriam noſtram concernunt, dabo, ſed ad finem ſolum ſæc. 12. ne nimium excreſcat opus, reliqua in ſubſequis tomis ſubjuncturus. *Teſtes ſubſcr.*

Primus itaque teſtes inter occurrit *Liupoldus junior Marchio de Auſtria*: erat hic Leopoldus IV. pius & ſanctus dictus, qui anno 1073. natus ſancto fine exſpiravit anno 1136. poſtquam Patri ſuo *Liupoldo* *S. Leop. junior Marcb. de Auſt. Ejus nativ. regimen mors parent*

pulchro in Marchionatu Auſtriæ an. 1096. ſucceſſiſſet. Hujus ſancti ſeu Leopoldi junioris ſororem Eliſabetham Ottocarus IV. Marchio noſter uxorem habebat.

Ecbertus Com. de Putten.

Alter inter teſtes nominatur *Ecbertus Comes de Pütten*, ſeu ut habet Diplom. 10. *de Putten*. Eckebertum hunc 1. Comitem Putinenſem, avum fuiſſe colligio Eggeberti III. cui ſine prole defuncto hæres ſucceſſit Ottocarus V. fundator Vorav. ut Diſſert. 4. cap. 6. ubi ampliſſimum etiam Comitatum Puttinenſem, cum urbe cognomine deſcripſi,

Pütten urbs quando deſtructa ſit.

urbs hæc quando deſtructa fuerit? non conſtat, an. 1298. jam arcem Pütten vocatam invenio in collectan. Geneal. Hiſtor. Wurmbrandii fol. 4. Quo vero anno Ottocarus Ecberti II. filio Ecgeberto III. ſuc-

Ottocarus V quando Eggeb. 3. de Pütten hæres. fuerit?

ceſſerit, hicque defunctus fuerit? certo non conſtat, cenſeo an. 1158. obiiſſe Eggebertum III. an. enim 1156. adhuc teſtis erat in charta Henr. Bavar. Ducis & Auſtriæ March. ut v. codice Dipl. P. Bernardi Pez tom. 1. fol. 382. an. 1157. in celebri Babenberg. Conventu v. auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 315. Atque an. 1162. circiter jam defunctus refertur in cod. Diplom. Admont. num. 69. v. mea Diplom. Num. 22. Genealogiam Comitum Puttinenſium refert ſupplement. Bruſchianum, centuria 2. fol. 99. ſed permixtam Fornbacenſium, & Neumburgenſium Genealogiæ, quam brevius & veterum teſtimoniis ſuffultam magis in hunc modum ordino:

Fragmentum Genealogicum Puttinenſium.

Arnoldus Comes Lambaci & Welſæ in Auſtria ſuperiore. Uxor *Regila* Franconica, gentis Weinſpergicæ, Domina Onoldsbachii & Geraldshovii, Biogr. B. Adalberon. Wirzburg. c. 1.

Godefridus March. & Com. Puttinenſ. an. 1045 & 1062. author Biog. B. Adalb. Wirzburg. Epiſc. cap. 1. & 7. obiit ſine liberis ante patrem.	*B. Adalbero* Ep. Wirzb. fund. alter Lambac. in Auſtria &c. vitam ejus totam refert Biogr. cit. apud Hieronym. Pez tom. 2. fol. 6. &c.	N. filia Mar. *Ekbertus I. Com.* Naumburg. ad ænum & def. Godefrido etiam Co. de Pütten, defenſor ſed. Ap. & Altmanni an. 1074. v. Biogr. cit. & Berthold. MS. auctiorem apud auth. ger. S. t. 2. f. 180. fundat. Fornpac. v. an. 1094.

Eckebertus II. & junior Comes Puttin. & Naumburg. teſte ſupplem. Bruſch. Ecberti 1. filius, obiiſſe an. 1143. & Fornpaci ſepultus dicitur, uxor mihi incomperta.

Eggebertus III. Comes Püttin. Friderico Barbaroſ. adſtitiſſe dicitur in obſid. Mediol. obiit 1158. v. dicta an. 1158. ſupplem. Bruſchianum, eum Formbaci ſepultum, cum ſororio ſuo Bertholdo, Duce Dalmatiæ & Iſtriæ Marchione docet. Hic teſte Rumplero Fornbacenſibus dedit Gravendorff.

Hæc tenenda mihi Genealogia videtur, Bruſchii ſchema immiſcet Vornpacenſes Comites, atque ab iis deſcendere opinatur Puttinenſes, omittit tamen *Godefridum Marchionem Puttinenſem*, ejusque ſororem Ekeberto I. Naumburg. Comiti nuptam, & Godfridum quemdam Ekeberti I. filium, & ſecundi fratrem ſtatuit. Sequor interea Biographum B. Adalberon. Wirzb. cit. donec alia ſubmittantur documenta.

Lazius

Lazius de migratione gentium lib. 7. fol. 292. &c. docet defuncta hac nobili profapia, ingenuos quosdam in Auſtra nobiles, hæredum Puttenenſium vaſallos, titulum nomenque *de Puttene* uſurpaſſe, ut *Rapato an.* 1208. *Offo* 1240. &c. nec multum repugnavero, cum enim Eggeberto III. Com. Pütten. Sæc. 12. medio Ottocarus V. ſucceſſerit, facile arguo, reliquos *de Pütten Comites* vel *liberos*, de familia primorum Comitum Puttinenſium non fuiſſe, cum ſecus hi, non Ottocarus V. iis ſucceſſiſſet. *Ingenui de Pütene non hæred.*

Seriem ingenuorum ſeu nobilium de Pütten, non hæredum aecuratam, ſtatuere documenta deficientia prohibent, qui eorum occurrerunt hactenus, hic breviter ſubjungo ordine chronologico. *Nobilium horum Putin. ſeries.*

SÆCULO 12.

Ebo de Puttine citatur in Diplom. Admont. inter mea Num. 3. teſtis *an.* 1162.

Gerardus de Putine, Dipl. Admont. 113. an. 1172. & a. 1181. Dipl. Adm. 84. inter mea 56.

Liupoldus ibid. an. 1172. & 1181. it. an. 1162. Miniſt. Ottocar. v. Dipl. meum 27.

Heinricus, ib. an. 1172. & 1181. it. 1162. & 1182. v. Dipl. mea 30. 59.

Otto fratres ibidem an. 1172. & 1181.

Quisnam eorum parens fuerit? hactenus non inveni, præter hos *Hermannus de Putine* 1172. in Diplom. Admont. 113. citatur cum reliquis 4. *Gerardo*, *Liupoldo*, *Henrico*, & *Ottone*, qui *fratres* dicuntur, unde *Hermannus* hic frater non fuit.

Gerardus junior de Putine citatur in Diplom. Admont. inter mea Num. 22. & 30. circa an. 1162.

Rapoto de Putine ab an. 1163. ad 1184. occurrit, & primo quidem citatur in Diplom. Vorav. inter mea Num. 32. an. 1163. 1174. Dipl. mea Num. 49.

1181. in Dipl. meo 56. & quidem primo poſt Ottocarum Ducem & Diepoldum March. Vochburgenſem loco.

1182. inter Diplom. mea Num. 58. Græcii præſens Ottocaro Duci.

1183. Teſtem egit donat. ac confirmat. Monaſterii S. Lamberti v. Dipl. meum 87. 1184. teſtis erat donationis, Voravienſibus ab Ottocaro factæ, v. Dipl. m. 61. Præterea idem *Rapoto Miniſterialis* fuit *Marchionis adhuc Ottocari VI.* imo etiam Ottocari V. Fund. noſtri v. Dipl. 36.

Bernardus de Putine Miniſterialis fuit Ottoc. VI. an. 1181. v. Dipl. 56.

Ortolf. de Pütine, N. filia. *Ortolfus* ejus filius & filia ex eod. Dipl. patent.

SÆCULO 13.

Ofo de Bütten in Diplom. Epiſc. Seccov. Num. 37. & Göſſenſi Num. 37. apud P. Frælichium Diplomat. Sacr. Ducat. Styr. p. 1. invenitur an. 1253. & 1255.

SÆCULO 15.

Vincentius Dom. de Pütten, *Agnes* filia, Mar. Simon *Wurmbrandius.*

Hos exhibet opus Geneal. Excell. Wurmbrandii fol. 48.

Domini de Puttinowe diſtincti, eorum ſeries.

Dominos de Puttinowe diſtinctos opinor, utpote ſpecialiter ſemper citatos *Dietmarus*, & *Ulricus de Puttinovve* referuntur in Diplom. Admont. Num. 21. Præterea circa an. 1186. in Diplom. meis Num. 69. 70. tanquam *fratres:* atque an. 1181. circ. in Dipl. Ottoc. VI. Garſt. dato inter mea Num. 54. legitur: *Dietmarus Dapifer & frater ejus Ulricus de Putenovve*, v. eosdem in Diplom. meis Num. 58. 59. 62. 64. ſolum vero *Ulricum* in Diplom. 63. circa an. 1185. & ſolum *Dietmarum* an. 1181. in Diplom. meo 56. ex quibus magnam eorum nobilitatem fuiſſe conjicio. *Oudalricus de Putenovve Laicus 2. Id. Aug.* & *Chunegunt Putenovve converſa 2. Kal. Jul. obiit*, v. Necrolog. Admont. apud Hier. Pez tom. 2. col. 200. &c.

Berneggii in Auſtria diſtincti a Berneggiis in Styria.

Horum origo.

Tertius Diplomatis hujus *teſtis* adducitur *Ulricus de Bernegg* (Bernegger) jam Diſſert. 4. cap. 4. §. 5. Dixi Dominos *de Bernegg* ſurculos eſſe de familia Ottocarorum noſtrorum, & quidem *Gundaccarum I. Comitem*, & ſatorem Dominorum de Bernegg a Bernardo Comite Styrenſi & Ottocari IV. fratre deſcendere. At conjectura inibi recenſita, ægre ſubſiſteret, ſi Ulricus hic de Styrenſi Dominorum Berneggenſium familia fuiſſet, quomodo enim Ulricus hic, ſi filius Gundacari, & nepos Bernardi fratris Ottocari IV. fuiſſet, Diplomati huic de an. 1112. ſubſcribere potuiſſet? *Gundacarum Comitem de Styra, & Dominum de Berneck & Grätz*, Lazius lib. 6. de migr. gentium fol. 178. ſcribit: *Comitatum adhuc Styriæ Norici Ripenſis poſſediſſe circa an. MC.* & mox infra ait: *Gundaccarus II. hoc nomine, Comes de Styra, & Dominus de Berneck ſubſcripſit litteris datis cum a Cæſaribus tum a cognatis Styriæ Principibus de anno MCLXXVI.* Tandem ejusdem folii fine hæc habet: *Gundaccarus III. cum Ottone & Otelio fratribus multa fundavit in Cœnobio Seccov. de an. MCCCXX. a quo Barones Styriæ nominati a Berneck initia trahunt;* quorum ſtirps ante non paucos annos defecit. Inter chartas etiam Seccov. an. 1319. in Diplom. Styriæ P. Frælich parte 1. Num. 159. lego *Ottonem de Berneck pincernam Styriæ*, liberalem Seccovienſibus fuiſſe, & an. 1186. *Albertus*, aliis *Echertus de Berneck* citatur, v. Dipl. meum Num. 66.

Berneggii in Styria ab Ottocaris deſcendentes.

Cur jam inter Barones ſolium.

Inſigne eorum.

Gundeacarus eorum author.

Ex his jam ſequentia deduco: 1. *Ulricum de Bernegg* in hoc Dipl. adductum, non fuiſſe de familia Styrenſium Dominorum de Pernegg, nullus enim hoc ſæculo inter eosdem Ulricus apparet. 2. Suſtineri omnino poſſe *Barones de Berneck* in Styria initia ſua a primis Dominis de Berneck, ex Ottocarorum linea deſcendentibus traxiſſe, ex quorum Baronum familia *Rudolfus* ad an. 1413. & *Wilhelmus* uſque ad an. 1438. Præturam Styriæ geſſerunt. Cur vero Domini hi tam nobiles, tamque inſigni ſtemmate oriundi ad Baronum lineam devenerint, ratio reddi poteſt ſequens, quod nempe iisdem nimium multiplicatis, bona tandem & prædia defecerint, ſicque cum avitam ſuam nativitatem ſatis exhibere non poſſent, Marchionum ac Dominorum titulo, ad exemplum Hochenbergenſium & Loſenſteiniorum miſſo, Barones vocari ſolum maluerint, retento tamen in ſignum vetuſtæ dignitatis ac nativitatis inſigni, Pantherem nigrum (ad diſtinctionem Marchionum Styriæ, album in viridi, campo exprimentium) in campo albo referente. 3. Gundaccarus ille ſator Dominorum Berneggenſium in Styria, Dominus de Styra, Lazio teſte, licet Dominus de Berneck fuerit, nondum

tamen

tamen hoc tempore id nominis geſſit, ſed ſemper ſolum ut Dominus de Styra ſubſcriptus comparet, hoc enim ſæculo nondum quidpiam de Dominiis Berneckenſibus in Styria auditum: cæterum hæc Styriaca familia caſtrum ſuum gentilitium, Berneck 5. milliaribus ſupra Græcium in Styria ſuperiore habuit, ſæculo 16. in *Wilhelmo* ultimo ſurculo anno 1532. interiit, ac Dominia ſua per nuptias in Dominos de Rackniz detulit, teſte lexico univ. Baſil. Berneckii plures in Necrologiis occurrunt; *Perneck caſtr. ſupra Græcium. Ad DD. de Rackniz venit.*

Sed de hac Styriæ familia alibi pluribus; ſupereſt, ut *Ulrici de Berneg* hoc in Diplom. adducti ſtemma exhibeatur, quem ex Auſtria derivandum opinor, idque elicio ex fundatione candidiſſimæ Canoniæ Geraſenſis, & Berneckenſis in Auſtria; prima fundata eſt incerto quidem anno, aſt *ab Eckeberto & Ulrico filio, Comitibus de Berneck*, conſilio Conradi Epiſc. Patav. proin circa medium ſæc. 12. ex hac proin Auſtriaca Berneckenſium familia, bonis ſuis Canonicos Præmonſtratenſes augente, Ulricum hunc exortum opinor. Bucelino teſte *Eckebertus hic* an. 1150. floruit, & quidem ex fam. Princ. & Com. Styriæ, atque Ortolphi Domini *de Bernegg* filius, quem tamen, cum alibi non reperiam, inter Styros omitto, donec certiora occurrant. Ulrico Berneggio collatum a B. Bertholdo Garſtenſi beneficium, v. Hieron. Pez tom. 2. fol. 116. &c. de Berneggis in Styria Tomo 2. agam. *Auſtriaci Pereggii.*

4tus chartæ hujus *teſtis* eſt *Albertus de Pergen:* nobiliſſima hæc familia denuo in Auſtria florens, ſæpius tamen in Styriæ noſtræ Diplomatis citatur, ſic enim Diplom. 7. Seccov. apud P. Frælich Diplom. Styr. lego *nobilem hominem Rudolphum de Perge cum uxore ſua Richinza an.* 1149. *omnia prædia ſua in Windeberge ſita &c.* & quod vulgo vocatur *Waltmarch incipiens ab Engilboltesdorff*, & per aquam dictam *Ruziſche Michel* per loca ſilveſtria uſque ad *Pebam Geſchaid* cum 2. vineis *in Aſchach* & tribus *in Poeſenbach* &c. Seccovienſibus tradidiſſe, conſentientibus 2. filiis ſuis *Alramo & Alberto*, & filia *Richinza*, *ejusque marito Adalramo de Waldecke*, qui fundator Seccovienſium, anno dein 1147. ipſe 5. Kal. Mart. inter converſos Seccov. cum uxore ſua receptus eſt, ut pl. ad Diploma 6. *Pergen de famil. Auſtriæ. In Styria etiam floret. Ex ea fund. Sec.*

Albertus hic de Pergen, frater probabilius *Richinzæ*, & filius Rudolfi fuerit, qui vero, an idem fuerit cum *Adalberto de Perge* in charta Henr. Ducis Bavar. & Auſtriæ apud Bern. Pez tom. 1. cod. Dipl. fol. 382. citato? vix certo affirmaverim, nil tamen etiam repugnat, quod idem an. 1112. & an. 1156. teſtis occurrat; anno certe 1147. *Albertus de Perge*, & filius etiam *Albertus* vixere, ut ex docum. Seccov. oſtenſum.

Genealogiam Comitum *de Pergen*, varii nobis authores reliquerunt, ſed omnes recentiorem a ſæc. circ. 15. Lexicon Baſileenſe 6. tomis comprehenſum, *Dominos de Perge*, antea *Clamme de Pergen* dictos, tempore Ferdin. I. Imp. e Carinthia in Auſtriam veniſſe, ibique *arcem Clamm* a Dominis Comitibus *de Hardegg* an. 1522. coemiſſe, nomine inde aſſumpto ait. Brandis vero Tyrol. Ehrenk. part. 2. p. 161. meminit arcis *Clam in Tyroli*, idque anno 1260. Dominorum *de Clamm* fuiſſe ſcribit, atque ab his an. 1297. ad Miliſios deveniſſe. Bucelin. Stemmat. tom. 4. part. 2. fol. 19. 163. & 288. familiam hanc a *Stephano Perger* *Genealogia eor. Antea an dicti Clam de Pergen.*

de

de Clamm derivat, ſæculi 15. fine vivente. Hibnerus tabula Geneal. 962. a ſæc. 16. fine atque a Thoma Perger geneſim orditur: nemo, quod legi, anteriora tempora attingit; præterea diverſæ videntur familiæ Pergerianæ, quas attingit Hibnerus & Bucelinus; Lazius Auſtriacam familiam hanc omiſit, ſolosque proſequitur Marchiones, & Comites e Bajoaria ortos: quoniam vero veterum Genealogiam me pro poſſe ordinaturum promiſi, tentabo ſchema quoddam de iis exhibere, quod antequam præſtem, probe notandum cenſeo, ſæc. 11. & 12. Dominos de Pergen nondum dictos fuiſſe de Clamm, eo enim tempore diſtincti ſemper præter Pergios apparent in Diplomat. Domi-

DD. de Clamm. ni de Clam, ſic jam anno 1150. in Dipl. Garſtenſi apud Wurmbrand. fol. 70. reperitur *Walchun de Clamm*, item an. 1154. in alio Garſtenſi inter mea num. 18. idem reperitur an. 1186. in traditione Styriæ per Ottocarum VI. in Auſtriacos facta, *Albertus*, *Adelram*, *Ottocarus* occurrunt (v. Diplom. Num. 66.) & *Otto Comes de Clamme*, quem etiam an. 1182. in Dipl. meo 59. cum *Poppone de Clam*, atque an. 1185. Dipl. 62. hujus fratrem *Wigandum* invenio. *Weigant* (an hic an alius) *de Chlamme* etiam ſequenti Diplomati Glunic. an. 1125. ſubſcripſit, atque in Diplom. Admont. Num. 113. apud Bern. Pez, lego: *Eberhardus plebanus de nova Eccleſia & fratres ejus Ortolfus & Wigandus de Clamme*: an. nimir. 1177. quia ſub Rudolpho Abb. apud cit. Pez Dipl. 11. & 20. legitur: *Brunno de Clam miles Friderici de Hunnesperg* an. 1139. in Dipl. 48. an. 1203. *Rudiger de Clamme*, pl. inferius *Otto Com. de Clam*, an. 1208. in Dipl. Leopoldi Auſtr. Cœnobio S. Floriani dato adhuc legitur, quando vero

Sæc. 13. v. 14. exſtincta familia de Clamm. ea familia defecerit, me latet, an. 1371. *Henricum de Rappach Dominum in Clamm*, apud Wurmbr. in Collect. Geneal. hiſt. fol. 16. lego, atque apud eundem f. 42. occurrit ad an. 1345. *Hermannus Dominus de Clam*, qui,

Caſtr. Clamm in Auſtria. ut ſuſpicor ultimus familiæ, *caſtrum Clamm* penes Schottwien in ſummitate montis conſiſtens in Henricum transtulerit titulo mihi pariter incognito. Apparet ex his, Lexicon Baſileenſe cit. ſat probabiliter docere *Dominos de Perge* arcem *Clamm* circa an. 1522. coemiſſe, eosdem vero e Carinthia in Auſtriam veniſſe, ita cenſeo, ut primitus ſeu ſæculo 11. & 12. Domini hi de Pergen incoluerint Auſtriam, & Styriam, ut dicta hactenus oſtendunt. Specimen jam quodam Genealogicum de familia Pergenſi ſic interim ſtatui poſſet.

A. Adalbertus de Perge an. 1087. in Dipl. Altmanni Pat. Ep. Garſtenſibus dato apud Wurmbrand. f. 11.

B. Dietmarus an. 1162. — *C. Wecil* filius a. 1170

D. Dietricus an. 1145.

E. Rudolfus, ux. *Richinza* an. 1125. 1149.

F. Alram vel *Adelram* a. 1149. &c.

G. Albert vel *Adelbert* an. 1149.

H. Richinza Mar. Adelram de Waldecke, v. Dipl. 7.

I. Fridericus an. 1181.

Adalbertus de Pergen. *A. Adalbertum de Perge*, in Dipl. cit. Altmanni invenio ante eum nullus hactenus patuit.

Dietmarus. *B. Dietmarum de Pergern* eundem cum *Dominis de Pergen* cenſeo, ſubſcripſit circa an. 1162. traditioni Admontenſibus factæ. V. Dipl. meum Num. 24. Idem

C. cum

C. cum *Wecill* filio invenitur in traditione *Pilgrini de Muerzhoven* Admontenſibus facta an. 1170. ut v. Dipl. mea Num. 43. *Wecill.*

D. Dietricus de Perge citatur in donatione *Dieterici Enenckl* Admontenſibus facta an. 1145. v. Dipl. Num. 12. inter mea. *Dietricus.*

E. Rudolfus vero cum uxore *Richinza* ex citato ante hoc Dipl. 7. Seccov. detegitur, diciturque inibi *nobilis homo.* Eundem hunc *Rudolphum de Perge* jam anno 1125. nobis detegit Diploma Glunicenſe, inter mea Num. 6. & quidem primo loco poſt Leopoldum March. Styriæ ſubſcriptum, ſine tamen mentione filiorum ſuorum, nondum adhuc genitorum. *Rudolphus Richinza uxor.*

An vero *Dietricus*, *Dietmarus*, & *Rudolfus* fratres fuerint? an filii Adalberti in hoc ſchemate primi adducti, deficientibus me documentis ignorare cogor; illud tamen certum Rudolphum habuiſſe duos filios, & unam filiam, ut ex Seccov. Dipl. citato docemur. *Dietricq, Dietmarus, Rudolf.*

F. Alramus itaque, ſeu *Adelramus* primus ex eod. Seccov. docum. arguitur, quia ante Albertum adductus, quo anno in lucem editus, quo e mundo denuo ſubtractus, non conſtat, anno 1149. ex Seccov. & an. 1150. in Garſtenſi Diplom. apud Wurmband. cit. fol. 11. reperitur. *Alram v. Adelr.*

G. Albertus ſeu *Adalbertus* & crebrius & tardius apparet, anno quidem 1154. circiter in Diplom. Conradi Garſtenſibus aſcetis dato, primo poſt Ottocarum Marchionem loco ſubſcriptus invenitur. V. Dipl. mea Num. 18. præterea in Diplomate fundationis Canoniæ Voravienſ. an. 1163. omnes nobiles antecedit primus poſt Præpoſitos ſubſcriptus. V. Dipl. mea Num. 32. In Garſtenſi quodam an. 1150. inter teſtes quoque Adalbertus hic legitur, v. Wurmbrad. fol. 70. Hos fratres fuiſſe docet Diploma S. Leopoldi fund. Clauſtron. apud Hieron. Pez tom. 1. fol. 616. &c. *Albert v. Adalb.*

H. De *Richinza de Perge*, uxore Adalrami de Waldeke dicetur ad Diplom. 7. v. an. 1149.

I. Fridericus vero de Perge, cujus filius fuerit, an Alrami, an Adalberti? non habeo, quod dicam, anno ſolum 1181. v. ſeq. in Diplomate Ottoc. VI. inter mea Num. 54. ſecundo loco poſitum, atque an. 1186. in ſolemni illa Styriæ traditione per Ottocarum in Auſtriacos facta, etiam præſentem atque inter teſtes expreſſum invenio. V. Dipl. mea Num. 66. obiit Antiochiæ an. 1191. ſepultus in Monaſterio S. Georgii, Advocatus Mellicenſis. V. Chron. Mellic. apud Hieron. Pez tom. 1. col. 235. *Fridericus.*

Inclytam hanc familiam ad *Baronis dignitatem* provexit primus *Wolfgangus Chriſtophorus* an. 1650. teſte Baſileenſi Lexico, in ſupplemento tamen citati Lexici tom. 2. id *Joanni Cornelio* tribuitur an. 1672. qui dein an. 1680. *Comes etiam factus* dicitur; conſonat etiam tabula 962. Geneal. Hibneri. Bucelinus vero Wolfgangum Sebaſtianum primum Baronem appellat. Eccleſiaſticum ex his ſtatum amplexi ſunt *Joannes Chriſtophorus* initio ſæc. 18. Decanus Cathedr. Ratisbon. *Wolfgangus Sigiſm.* an. 1632. Canonicus Olomuc. *Melchior Baro de Pergen* Præpoſitus in Artacker an. 1701. obiit, *Petrus Paulus Comes de Pergen* Can. Reg. Reicherſperg. in Bavaria, *Joannes Bapt. Franc.* filius Joannis Caroli ſupremi vigiliarum Magiſtri ad Budam cæſi, Can. Vratislav. & *Carolus* *DD. de Pergen quando facti Barones facti Bar* *Quando Comites.* *Eccleſiaſtici ex illis.*

membrum Soc. Jesu, *Leopoldusque* tertius ejusdem filius Clero sæculari est adscriptus, filia vero *Elisabetha*, monialis Hallensis. Varia præterea sunt, & ampla familiæ hujus Dominia, nam *Carolus de Pergen* an. 1623. natus Dominia *Thomasperg*, *Aspang*, & *Sebenstein* coemit, & Carolus III. se Dominum de *Thomasberg* & *Feistritz* scripsit. *Franc. Antonius Dominus & Comes de Pergen* aulicæ Cameræ Consiliarius, hujus sæc. initio *in Styria obiit*, cujus uxor secunda *Maximiliana Catharina de Webersperg* erat, quæ dein secundis nuptiis *Friderico Comiti de Steinpeiss* est conjuncta.

Dominia de DD. de Pergen.

Ex his omnibus pro Coronide deduco, plures fuisse illustrissimæ hujus familiæ Pergianæ lineas, primam tamen, & hanc, de qua egimus, progeniem, in Austria & Styria esse requirendam, cum Albertus de Pergen, & Rudolfus Pater prædia in Styria possedisse, de iisque Seccovienſibus Canonicis benefici fuisse legantur.

Quintus Diplomatis, quod excutimus, testis fuit *Albero de Steine*, distinquendi probe sunt Domini de Stein, etiam *de Lapide* dicti, multæ enim horum lineæ in Ducatu Bremensi, Pomerania, Franconia, & ad Rhenum exstitere, de quibus fuse agit Lexicon univers. Basileense; & de ultima linea Bucelinus & Lazius. *Domini de Stein in Carniolia* (quorum *castrum Stein* 6. miliaribus Labaco dissitum est) an ex nostris *in Styria* descenderint, Valvasorius non definit, docens solum an. 1311. id castrum *ad Dominos & Comites de Ortenburg* deveniſſe. *In Austria Innernsteina*, seu *interior Steina* arx in quadrante Machlandico, communiter Stein appellata, ex edita rupe spectabilis, e familia *Steineriana*, quæ sub an. 1400. in Austria floruit, conditorem habuit, sed jam an. 1424. a Steiniis ad varios Dominos delabi cœpit, donec an. 1623. *Kayser-Steinii* jus sibi in illa numerato ære vindicarunt. *In Styria* Stein arx iu edita rupe, non procul a Monasterio S. Lamberti, eidem nunc subest.

Genealog. DD. de Stein seu de Lapide.

Variæ lineæ.

In Carniolia castrum Stein.

In Austria.

Arx in Styria.

In Styria.

Omissis itaque Dominis de Stein extra nostram Provinciam sitis, certum est, Dominos hos *sæc.* 12. *in Styria* nostra sedem & prædia habuisse, an antiquo illo Steiniorum in Suevia stemmate (quod teste Bucelino Stemmatogr. tom. 3. jam sæc. 10. celebre ac copiosum fuit) descenderint? ignotum omnino; id certissimum, nobilissimam fuisse familiam, atque inter Ministeriales Marchionum nostrorum deputatam. Recensebo eorundem primos.

*Albero de Steine in alio mihi Diplomate Styriæ non est visus, ast *Wulfingus de Steine* in Diplomate Ottocari fund. nostri Runensibus dato, inter mea Num. 13. inter testes a Chunegunde Marchionissa an. 1146. adducitur, uti & in Seccov. 3. Diplom. a Chunrado Salzb. Archiep. an. 1142. edito *Albero hic* & *Wulfingus* an fratres fuerint? non habeo, quod dicam, nulla enim documenta quidquam insinuant, *Udalricus de Steine* anno 1153. Ratisbonæ in curia Chunradi Regis testem egit Concambii inter Bertholdum Comitem de Andecksen & Comitem Purchardum de Purchusen Monasterii Admontensis advocatum initi, & ab Eberhardo Arch. Salzb. confirmati, ut v. cod. Diplomat. Admont. Num. 25. ex quibus nobilitatem Udalrici de Steine Domino suo Regi Chunrado, in curia assistentis colligere licet. Nec minus *Purchardus*

Albero de Stein. Wulfingus.

Udalricus.

Purchardus.

chardus de Steine inter teſtes nobiles an. 1160. refertur in Diplom. Admont. 27. dum Eberhardus Archiep. Salisb. apud Laufen Admontenſibus vetera firmaret, nova adjiceret, item an. 1168. in Diplom. Admont. 108. imo circa an. 1165. (v. Diplom. Admont. Num. 105.) jam *Wolfkerus Comes de Staine* appellatur, ex quibus quidem arguo, duplicem fuiſſe Dominorum de Stein hoc jam tempore lineam, quarum una inter Miniſteriales Regis, Comitis fors titulo aucta, altera inter Miniſteriales Marchionum noſtrorum eum titulum nunquam geſſit. *Wolkerus.*

Ex hac Miniſterialium Ottocari linea fuerit etiam *Duringus* ille *de Staine*, qui an. 1166. dum Chunegundes vidua Ottocari V. fundatoris noſtri, & Ottocari VI. loco Styriam regens Seccovienſibus legata Ottocari exequitur, aliaque donat, inter cæteros Miniſteriales, ut teſtis adducitur, v. Dipl. mea Num. 35. *Duringus.*

Ottonem de Stein Miniſterialem Ottocari VI. fuiſſe an. 1181. clare exhibet Diploma Admont. Num. 85. inter mea Num. 57. diſertis enim verbis: *Miniſterialis Otagrii Ducis de Styre* appellatur; cum enim defunctæ uxoris ſuæ corpus ſepulturam in Admontenſi Cœnobio obtinuiſſet, ille pro remedio animæ ſuæ, ac uxoris defunctæ varios Cœnobio manſus delegavit, atque donationem hanc, ab Ottocaro Domino ſuo Duce ſtabiliri petiit. In eodem hoc Diplom. inter teſtes referuntur *Swithardus*, *Wecilo*, & frater ejus *Henricus de Stein*, hi an fratres etiam Ottonis fuerint? non conſtat. Ottonem vero hunc etiam an. 1205. & 1211. ſubſcripſiſſe cenſeo Diplomatis Leopoldi Auſtriæ & Styriæ Ducis in favorem Runenſium datis v. Dipl. 13. & 16. Runenſe in Diplom. 5. Ducatus Styriæ. *Otto.* *Swithardus*, *Wecilo*, *Henr.*

Grimoaldus de Stein circa an. 1188. inter teſtes nobiles citatur in Diplom. Admont. Num. 122. *Walchunus de Lapide*, ſeu *de Stein* teſtem egit Diplom. Cremiſan. an. 1189. a Comitibus de Rebegan confecti, ut v. Wurmbrand. collect. Geneal. hiſtor. fol. 155. &c. *Godefridus de Stein* capite mulctatus eſt an. 1192. in rebellione & turbis Ortenburgenſium, v. Hanſiz tom. 1. fol. 345. *Grimoaldus.* *Wulchunus.* *Godefridus.*

Sæc. alterius initio *Rapoto de Stein*, & frater ejus *Chunradus* inter teſtes Leopoldi Auſtr. & Styriæ Ducis an. 1201. & quidem ante nobiles poſiti, ut v. Diplom. 90. Admont. *Rapoto*, *Chunradus.*

Ex his rudem meam adjicio ideam de Dominorum de Stein in Styria Genealogia, cenſeoque eos a vetuſta illa ſteiniorum in Suevia familia exortos, ac ſæc. 11. fine in Styriam, quandam eorundem ſtirpem commigraſſe: his præſuppoſitis:

Henricus de Stein Capitaneus
an. 922. author gentis.

Udalricus an. 948. conſtantiæ in ludis equeſt. præſens, &
Egolphus, cum uxore *Cunhilde de Waldecke.*
Balthaſar ludis equeſtr. Halæ Saxonum præſens 1042.
An. 1080. Equites 4. de Stein ludis equeſtr. Vindeliciæ adfuere.

Anſelmus 1165. in ludis Guelphicis Tiguri.	*Albertus* in iisdem.	*Sigefridus* in iisdem.	*Sibilla de Stein* in iisdem.

Ita Bucelinus tom. 3. Stemmatogr.

Ab horum uno Albero & Wulfingus descenderit, atque in Styriam migraverit. *Alberonem* lineæ Styriacæ, quæ in aula Regis meruit, & *Wulfingum* lineæ Ministerialium Ottocari authorem suppono.

Albero an. 1112.
Udalricus an. 1152.
Wolkerus Comes, an. 1165.
Altman. & *Chuneg.* uxor an. 1269.
Hæc Comitum linea exstincta videtur, nullus enim amplius Comes de Staine se manifestat.
Wolfingus an. 1142.
Purcardus an. 1160. & 1168.
Duringus Ministerial. Chuneg. 1166.
Otto Minister. Ottoc. VI. an. 1181.
Svveitard, Wecilo, Henricus fratres 1181.
Grimoald & *Walchun* 1188. 1189.
Rapoto & *Chunradus* fratres Minister. Leopoldi Ducis Austr. & Styr. 1201.

Rudis inquam hæc mea idea est, quam post me, poliendam, augendam, corrigendam aliis relinquo, quibus plura Diplom. occurrerint.

Illud tamen certum, *Dominos hos de Steine seu Lapide* bona & prædia in Styria habuisse, atque in aula Principum nostrorum Ministeriales egisse, secundum ex Diplomat. variis ostendi, primum magis ex subsequis sæculis declaro, quamvis donatio Ottonis, Admontensibus facta argumentum sat convincens videatur; sic lego in Diplom. Seccov. 137. an. 1305. *Conradum de Marchburg*, *Ottoni de Stein* prædium quoddam, Styriæ utique & fors *circa Marchburgam urbem* situm contulisse, qui Otto an. 1309. dum Camerarius Styriæ *Otto de Liechtenstain* fundationem capellæ Seccov. augeret, inter testes ultimus subscripsit, ut v. Diplom. Seccov. 149.

Otto de Liechtenstein Camer. Styriæ.

Quod vero iidem *Domini de Stein* prædia etiam in Austria habuerint, liquido constat, ex quibus tamen distinctas in Austria & Styria horum Dominorum lineas, vix tuto concludam, eo quod Austriæ portio magna tum adhuc Styriæ nostræ adscripta fuerit; ex aliis tamen documentis lineam Austriacam Dominorum de Stein extitisse arguo; sic anno 1463. dum in Comitiis Ratisbonensibus Albertus Dux Austriæ proscriberetur, atque cum complicibus a Pio II. Pontif. anathemate feriretur, Albertus idem, ut rem suam armis tueretur, a *Georgio Domino de Stein* aulico suo 14000. fl. mutuos sumpsit, oppignorata interim *urbe & Dominio Styra* cum omnibus attinentiis suis, ut v. Prevenhueb. annal. Styr. fol. 114. & 119. cum itaque Styra urbs & arx an. circiter 1252. Austriaci Principes *a Dietmaro* veterum Styræ Comitum furculo, comparaverint sibi, tradita vicissim arce Losenstain, illoque, ut suspicor tempore, Styræ districtus, vel saltem sub Rudolpho I. cum *Comitatu Pittenensi & Neostad.* Austriæ fuerit adscriptus, etiam hunc D. Georgium de Steine ex Austriaca linea prognatum opinor; *Georgius hic de Steine*, teste cit. Prevenh. fol. 121. dein Styram obsedit Imperatoris loco, sed excommunicatus est illis in turbis a Laurentio Ep. Ferrar. legato Apost. docet præterea Prevenhueb. hunc Georgium a Friderico Imp. primum inter S. R. I. nobiles assumptum fuisse, quamvis Steinii jam pridem antea nobiles fuerint, imo Comites etiam, ut ostendi ex Diplom. præced.

Austriae linea DD. de Stein.

Georg. de Stein an. 1463. Dom. de Styra.

Styra urbs & arx an. 1252. fit Austriac. per emptionem a Dom. Dietmar. de Styr. Losenstein arx tradit. pro Styra Puttin. & Neostad. distr. Austr. jungitur sub Rudolpho I.

Joan. de Stein an. 1494.

Alium adhuc ex Austriaca Steiniorum linea detegit Wurmbrand. collect. Genealog. histor. fol. 171. *Joannem* nimirum *de Stein*, qui an. 1494. cum aliis Austriacæ nobilitatis viris Mechlinii, dum nuptiæ *Wolf-*

Wolfgang. de Polheim nuptiæ Mechlinii 1494.

gangi

gangi de Polheim celebrarentur, ludo equeſtri decertavit cum *Wolfgango de Jörger*. *Innerſteinam* arcem Auſtriæ circa 1400. ann. a Steiniis in Auſtria extructam jam ſupra dixi. *Wolfgangus de Jörger.* *Innerſtainia arx Auſtr.*

In Carniolia præter urbem Archiducalem Lythopolim ſeu Steinam exiſtit etiam arx ejusd. nominis, quam Valvaſorius lib. 11. fol. 548. ait, fuiſſe originariam domum Dominorum de Stein, an. 1311. *Theobaldus de Stein* Dominum *Balthaſarum de Lantpreiſs* ultimum hujus nominis, in duello interfecit, ut adeo linea quoque Carniolica Dominorum de Stein exſtiterit, ammodo vero Comitibus de Lamberg ea arx cum Dominio paret. *Altmannus de Stein* & *Chunegund.* uxor prædium Gravenberg anno 1269. & domum Viennæ contulit Campililienſibus, v. ſuo loco. *Steinſeu Lythopolis urbs Carn.* *Balthaſar de Lantpreiſs.*

6tus Diplom. teſtis eſt *Waltherus de Traiſme*, qui hoc ſæculo ſæpius occurrit, uti in litteris fundat. Garſtenſ. an. 1108. ac in alio Ottocari V. Diplomate an. 1143. Garſtenſ. dato apud Prevenh. fol. 364. & 394. præter hunc *Waltherum* ex charta Seccov. 7. in Diplom. Ducatus Styriæ exhibentur *Erneſtus & Hartvvicus de Traiſma.* At omnes hi extra Styriam noſtram ſiti, inter Auſtriacos nobiles ſunt referendi; Comites enim hi nobiliſſimi *Advocati olim Ratisbon. Eccleſiæ e Burchardi Marchionis in Comitatu Wachovienſi familia* orti videntur authori Germ. Sacræ tom. 1. fol. 207. in Pilgrino, quibus hœreditarium erat munus, clauſuram montis Comageni & Traſmæ tueri. Plura de iisdem apud Lazium occurrunt, & Diplom. 6. *Domini de Traiſme.* *Advocati Eccl. Ratisbon. e fam. Burcardi Mar. Auſtriæ.* *Eorum in Auſtr. officium.*

7mus: Inter teſtes comparet *Dietmarus de Agſt*, vel, ut in aliis legitur *Aiſt*, *Ageſt*, & nomen & familia obſcura eſt, nec præter hunc Dietmarum alium quempiam hujus nominis ac familiæ invenire poteram, niſi *Gotfridum* v. Diplom. 6. *DD. de Agſt, Aiſt, Ageſt.*

8vus vero *teſtis Fridericus de Huiſperg* (ſeu melius *Huneſperch*) clarior eſt cum familia ſua (b) *Fridericus* hic etiam litteris Garſtenſ. apud Prevenhuberum fol. 364. cum *Gotiſcalco* (d) ad an. 1108. ad annum vero 1143. *Fridericus* ſolus apparet apud Prevenh. fol. 394. ambo tamen & quidem majori hac cum expreſſione *Fridericus, & filius ejus Goteſcalcus de Hunneſperch*, & *Meginhardus* (c) frater ejus in Diplom. 1. Runenſibus a Leopoldo forti dato inter mea Num. 7. circa an. 1129. ſubſcripti inveniuntur. Idem *Fridericus II.* inter nobiles ſubſcripſit Diplomati Conradi I. Salzb. an. 1139. Admontenſibus in caſtro Frieſach dato, v. cod. Diplom. Admont. Num. 11. uti & concambio ejusdem Conradi cum *Marchioniſſa Styriæ Sophia, ac filio ejus Ottocaro V.* an. 1138. inito, ut v. Diplom. mea Num. 8. ex quibus omnino argui poſſet Fridericum hunc *Miniſterialem* Chunradi Arch. Salzb. fuiſſe, v. an. 1111. ubi Fridericus hic Caſtellanus Salzburgenſis legitur. Conſtat etiam horum poſteros Salzburgenſium Archi-Epiſcoporum fuiſſe aulicos & Conſiliarios, primosque horum, ut mox dicetur, ſedem ſuam primam in territorio Salisb. fixiſſe; illud tamen certius Fridericum vitam ultra an. 1160. protraxiſſe, uti ex Dipl. Admont. 34. videre licet, quo Eberhardi Arch. Salzb. donationi Admontenſibus factæ idem Fridericus ſubſcripſit. *Hunneſperg Genealogia.* *Fridericus de Hunneſperg.* *Goteſcalcus ejus filius, & Meginhard. frater.* *Miniſteriales Salzb. Archiep.*

Bildunc de Hunnesberg.

Quis vero *Bildunc* (a) fuerit, qui Diplomati Admont. 20. a Chunrado Archiep. Salzb. dato ſubnotatus legitur, & quidem antepoſitus Friderico his verbis: *Bilduncus, Fridarich de Hunniſperch?* an Pater? an frater

Diplomatica regula.

ſenior? non conſtat; Diplomatum quidem ſcrutatores notant, nomina teſtium, ſi ea ſint Patris, & filii, aut fratrum, vel, ſi quis hiſce nexus ſit proximus, ut maritus & uxor &c. ſolere conjungi interpoſita particula &: quia tamen particula hæc & in deſcriptione facile negligi potuit, ſimulque cognomen Bilduncı aliud non adjectum eſt, eundem hunc Bilduncum ex familia Hunneſpergenſium cenſeo.

Udalr. Com. de Hunesberch v. Hunenburch & Wilhelm. Com.

Anno dein 1168. in Diplomate Chunr. II. Salzb. Admontenſibus dato Num. 38. legitur: *Udalricus Comes de Hunenburch*, & an. 1215. in Diplom. Admont. 53. *Willibalmus Comes de Hunenburch.*

Ea familia an ab Hunnis orta.

Ex his interim Diplomatis judico 1. ſuſtineri poſſe ſententiam Bucelini ſtematol. part. 4. fol. 110. & Lexici Baſileenſis, nobilem hanc, pervetuſtam que familiam ab Hunnis fuiſſe ortam, horum enim prætor, in monte non procul Salisburgo, arcem condidiſſe fertur, inter montem Hunnorum, ſeu Hunesberg dictam, ut adeo teſte Frælichio in ſpecimine 1. Genealog. Souneckiorum, Lazius infeliciter derivans nomen ab *Haymone quodam*; inde caſtrum *Heymonis*, ſeu Heinſperg dictum opinatus fuerit, 2. cum cit. Frælichio opinor *Dominos de Haunſperg, Huneſperch, Huninburch, Haimburg vel Haynburg*, eosdem eſſe, etenim in veterum Diplomatis nomen Haimburg vel Hainburg nuſpiam legitur, etſi hiſtorici & chronographi ſerius ita ſcripſerint. 3tio quamvis iidem fuerint hi Domini, diverſæ tamen eorum lineæ exſtitere, una, quæ jam ſæc. 12. altera, quæ a Leopoldo primum, titulum & prærogativam Comitum obtinuit; ſchema utriusque lineæ cum ſuis notis hic breviter ſubjungo:

Hunnesberg arcis origo.

Non ab Haymone quodam, nec Heinſperg dicta.

DD. de Haunſperg, Hunnesberch, Huninburch, Haymburg, vel Haynburg iidem.

SCHEMA

Liberorum de *Hunneſperg*, a Leop. Imp. in Comites elevatorum.

a. *Bilduncus.* b. *Fridericus* 1108. 1143. c. *Meginhard* 1129

d. *Gotſcalcus*, 1108. 1129. &c. 1149.
e. *Eliſabetha* ux. *Gundaccari de Styra.*
f. *Ebbo & Otto de Heimburch* an. 1166.
g. *Wolfschanc & Wolfinc* an. 1148.

Abrupta horum geneſi, Bucelinus dein ab an. 1260. eorum Genealogiam orditur, eamque per tres tabulas deducit p. 4. fol. 110. &c.

Recentiorem dein deductionem Haunſpergenſium oſtendit eadem parte 4. f. 378. 379. 380. 381. 382.

Parte etiam 3. fol. 153. apparet, eos extra noſtram Provinciam fuiſſe.

SCHEMA

veter. Comitum de *Hunneſperg.*

A. Wilhelmus I. & *Chunradus de Huninburch* 1096. 1102. &c.

B. Wilhelm. II. Comes an. 1141.

C. Udalricus I. Comes 1149.

D. Udalricus II. Comes 1151. 1168.

E. Gero Comes 1192.

F. Wilhelmus III. an. 1192. 1214. † 1248. ux. 1. *Cuneg.* filia Luitold. & *Eliſ. de Guetenberg*, 2. N. fors filia Mainhardi *de Kainach*, 3. ſponſa filia Popponis *de Pecka.*

G. Udalricus III. Comes 1256. † circa 1308. uxor Agnes Herman. Bad. filia.

H. Frid. 1298. ad 1316. ux. 1. Adelheid. 2. Eliſ. *de Auſtenſtain* fors filia.

I. Herm. 1308. ſpon. Eliſ. Albert. III. Co. Gor. filia 1310. jam an. 1303. ſponſa.

K. Margar. Mar. Ulr. de *Pfamberg*, a. 1288. ad 1303.

L. N. filia ſpon. non uxor Alb. III. Comit Gorit.

M. N. filia Mar. Ulricus Liber de *Souneck* an. 1302.

A. Wilhelmus I. de Hunenperch nondum Comes fuiſſe legitur, citatur jam inter teſtes in litteris Henrici Ducis Carinthiæ an. 1096. teſte Lazio de migrat. gentium lib. 6. pag. 181. Comites vero appellatos fuiſſe *Wilhelmum & Chunradum* affinxit Lazius, alia Henr. Ducis Carinthiæ charta an. 1102. vel ſeq. data eosdem his verbis affirmat, *Wilhalm de Huninpurch*, & *Starchand Marchio de Soune*, & *frater ejus Udalrich*, Starchandum hunc non fratrem, ſed patruum *Wilhelmi & Chunradi* opinatur Frælichius loco cit. fol. 32. & 20. Hic itaque Wilhelmus e Wimarienſi Carinthiacæ lineæ ſtirpe oriundus, Heunburgiorum Comitum propater ſtatuendus videtur, donec certiora occurrant.

Wilhelm. & Chunrad. de Hunenperch nondum Comites.

Starchand Mar. de Soune eorum patruus.

Wilhelm. I. pater & auth. Comit. Hunenburch

B. C. Wilhelmus II. de Hunnenberch, & frater ejus *Udalricus* an. 1141. in Diplomate Chunradi I. Archiep. Salzburg. dato Seccovienſi Canonicorum collegio Num. 2. Wilhelmi I. filii, vel certe nepotes fuerint, Göſſenſe apographum de *Hunnenburch* ait, & charta Seccovienſis Num. 7. an. 1149. eos *Comites* appellat his verbis: *Wilhelmus Comes & frater ejus Udalricus de Hunnenburch. Wilhelmus* quidem *II.* hoc anno poſtremum inter teſtes comparet, *Udalricus* vero *Comes de Hunnenberch*, qui citatur in Diplom. 8. Seccov. (v. Diplom. S. Ducatus Styr. parte 1.) Eberhardi I. Salzb. de an. 1151. verius *Udalricus II.* teſte Frælichio fuiſſe videtur.

D. Udalricus II. filius vel Udalrici I. vel Wilhelmi II. videtur, id, quod nomen & ætas confirmat; citatur *Comes* hic Dipl. Seccov. 8. ut mox dictum, item an. 1168. in charta Chunradi II. Salisburg. data Admont. apud P. Bern. Pez in cod. Diplom. Admont. theſauri anecdotor. tom. 3. part. 3. pag. 717. Diplom. 38. his verbis: *Udalricus Comes de Huninburch.*

E. Gero filius natu major Udalrici II. fuiſſe proditur ex charta Seccov. Num. 26. in Diplom. Styriæ, ubi inter teſtes Leopoldi virtuoſi Auſtriæ & Styriæ Ducis numerantur *Gero & Wilhalmus Comites de Hunenburch* an. 1192. *Gero* diu ſuperſtes non fuerit.

F. Wilhalmus III. filius Udalrici II. natu minor, præter Diploma mox memoratum ſubſcripſit etiam alteri Diplomati Seccov. Num. 24. ab Ottocaro I. Duce Styriæ anno 1191. Judenburgi Seccovienſibus dato his verbis: *Wilhelmus Comes de Haynburch.* Uxorem hujus Wilhalmi *Chunegundem* filiam *Leutoldi & Eliſabethæ de Guetenberch* ex Dipl. Göſſenſi 17. ad an. 1214. detexiſſe ſibi viſus eſt Frælichius in ſpecim. Genealog. Souneck. fol. 36. ibique concludit, Chunegundem circa an. 1210. obtigiſſe uxorem Wilhelmo, ego ante an. 1187. jam id matrimonium contractum ſuſpicor ex Diplom. Göſſenſi 11. ad an. 1187. dato ab Ottocaro I. Duce Styr. v. Dipl. mea Num. 71. in quo dato Göſſenſibus ad inſtantiam *Leutoldi de Guetenberg* privilegio interfuiſſe, & ſubſcripſiſſe leguntur filiæ *Chunegundes* & *Gertrudes*, eorumque mariti *Wilhelmus & Herrandus*; idem inſinuat Diploma Göſſenſe N. 16. ejusdem anni inter mea Num. 72. in quo eadem leguntur, ut adeo jam ante an. 1187. Cunegundes Guttenbergica uxor Wilhelmi hujus fuerit. Qui vero hi mariti Wilhelmus & Herrandus fuerint, habemus ex Diplom. Göſſ. Num. 17. ad. an. 1214. ubi *Wilhelmus Comes de Hunnenberch*, & *Herrandus de Wildonia* memorantur mariti Kunegundis & Gertrudis.

Chunegund. filia Leutold. & Eliſ. de Guetenberg uxor Wilhelmi III. de Hunnenberch an. 1210.

Herrand. de Wildon marit. Gertrudis de Guetenberch an. 1214.

Lazius

N. filia Mainh. de Kainach ux. 2. Wilhelmi de Hunnenberch.

Lazius de migrat. gent. lib. 6. pag. 182. Wilhelmi hujus alteram uxorem memorat *N. filiam Mainhardi de Kainach*, quo anno Cunegundes prima uxor obierit? non conſtat, illud tamen ex Repertorio Auſtriaco MS. part. 3. fol. 963. apud cit. Frælichium habemus, Wilhelmum III. an. 1241. ſine uxore fuiſſe, ac eodem anno ſponſam ſuam filiam *Popponis de Pekkab*, filio *Hermanni Comitis de Ortenburg* ceſſiſſe. Cunegundes itaque prima Wilhelmi uxor ab anno circiter 1186. ultra 1214. ſecunda uſque ad an. circiter 1240. perduraverit, tertiam vero ſeu ſponſam potius alteri ceſſiſſe videtur.

Poppo de Pekab Hermann. Com. de Ortenburg.

Wilhelmus hic in pluribus aliis Diplom. reperitur, uti in cod. Dipl. Admont. cit. pag. 741. in Dipl. Frider. II. quo an. 1236. Teutonicorum privilegia confirmat (v. Diplom. Styr. part. 2. fol. 181.) legitur Comes *Wilhelmus de Hunnenberc* in repertorio MS. Auſtr. part. 3. vivus adhuc memoratur annis 1239. 1241. eundem vero obiiſſe an. 1248. docet Chronic. Salisburg. apud P. Hier. Pez tom. 1. ſcript. Auſtr. fol. 360. & quidem reducem ex Lombardia, quo cum aliis majoribus *Auſtriæ & Styriæ* abierat Fridericum, Imperatorem Dominum his terris exoraturus.

G. Udalricus III. Comes in Auſtriaca hiſtoria ſat celebris, filius fuit Wilhelmi Comitis teſte Horneck in Chronico Rythmico apud Hier. Pez tom. 3. ubi de nuptiis Udalrici cum Agnete agit. In repertor. Auſtriaco MS. ſæpius occurrit ab an. 1265. ad 1303. Diplomata eum varia exhibent, & quidem an, 1259. ut v. Diplom. Styr. parte 1. ubi confirmationi Göſſenſibus *per Udalricum Ducem Carinthiæ* factæ eodem in Monaſterio interfuiſſe legitur *Comes Udalr. de Heunenburch.* Anno 1277. Viennæ ſubſtitit inter Principes & nobiles, quando Rudolfus I. Aug. legem de feudis Princip. Eccleſiaſticorum Viennæ tulit. V. Dipl. Styr. p. 1. fol. 335. legitur enim *Ulricus de Hevvenburch*, an. 1288 Dipl. Secc. 117. *Ulricus magnificus Comes de Heunburch*, & ſigillum appreſſit, & ſocer dicitur *Ulrici Comitis de Pfanberch*, v. litt. *K.* an. 1278. 1282. in Diplom. 8. & 9. Gyrienſi (v. Diplom. Ducat. Styr. part. 2. fol. 141. &c.) una cum *Agnete uxore* occurrit, & in quo *Provincia Tyver* (v. annot. Dipl. 59.) eorundem fuiſſe dicitur. Anno tandem 1306. ultimo occurrere inter vivos videtur *Ulricus Comes de Heunburg*, quo vero anno obierit an. 1308. vel præced. vix eruitur, ex MS. Griffenſ. Cœnobii conſtat *Fridericum & Hermannum Comites* de Hunnenburch promiſiſſe pro Patris ſui *Ulrici* &c. ſalute ſe daturos Eccleſiæ S. Mariæ in Griffenthal 100. marcas nummorum Friſacenſ. & 5. marcas nummorum aliorum: potuiſſet id quidem fieri vivo adhuc patre, quia tamen an. 1309. in Conventu Principum villaci habito, ſolus ex Heunburgiis *Fridericus Comes* Ulrici primogenitus adfuit, & anno 1310. in repertorio Auſtr. dum Comites Goritiæ, cavent doti Eliſabethæ Gorit. nuptæ *Hermanno Comiti de Heunburg*, ſolum *Fridericus, & Hermannus* Comiti de Heunburch ſine Ulrico Patre memorantur, Ulricus Pater jam defunctus fuiſſe videtur. Acta bellica ejusdem in opere ipſo ad an. 1292. &c. patebunt. V. quæpiam de Celeja in Hermanno.

Ulricus Comes de Pfanberg.

Tyver Provincia eſt Com. Hunneuberg.

De uxore *Agnete* agendum eſt, filia hæc fuit Gertrudis Auſtriacæ & Hermanni Badenſis nata an. 1251. primis nuptiis juncta eſt Ulrico

Duci

Duci Carinthiæ an. 1263. ut habet Chron. Horneckii pag. 37. Chron. Auſtrale Freheri tom. 1. pag. 461. & Neoburg. dein Agnes hæc Auſtriaca Ottocaro Rege Boh. urgente ad depreſſionem generis Auſtriaci data eſt uxor *Ulrico Comiti de Heunburg* an. 1270. teſte Chron. Auſtr. poſtquam Ulricus Carinthiæ Dux an. 1268. vel ſeq., die 27. Octobr. fatis conceſſiſſet. Agnes ante Udalricum de Heunburch ſecundum maritum ſuum obiit an. circ. 1295. die 2. Jan. nam Ulricus hic ejus maritus eodem anno, altaria duo erigi curavit in Eccleſia B. V. M. in Griffenthall pro anima Agnetis ſuæ uxoris. In Necrologio quidem Minoritarum Viennenſ. apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 472. legitur ita: 4. *Non. Januar. Domina Agnes de Hamburg Comitiſſa &c. obiit anno Dom. MCCCXLV.* error tamen irrepſit in numeros, & pro 1345. legendum 1295. poſt quem annum Agnetis hujus mentio nullibi occurrit. Et ſane ſtatuitur an. mortis Agnetis hujus 1295. in ſepult. Princ. in choro FFr. Minor apud cit. Pez fol. 509. Vitus Arenpeck Chron. Auſtr. apud Hier. Pez tom. 1. fol. 1211. ait, Agnetem hanc ex primo matrimonio non habuiſſe filios, ex ſecundo vero cum Ulrico de Heumburg habuiſſe filios & filias, ex quibus deſcenderunt *Ulricus Com. de Pfannberg*, *Frider. Liber de Cilia*, *poſtea Comes*, & plures aliæ potentes progenies.

Agnes Herman. Badenſ. & Gertrud. Auſtr. filia, uxor Udalr. III. Com. de Hunnenberch, antea U. dalr. Duc. Car.

Ulric. Com. de Pfanberg Frid. Baro dein Com. Cilej.

H. Fridericus primogenitus *Udalrici III.* fuit. Frælichius eum an. 1298. primum cum patre in Diplomatibus occurrere ſcribit, aſt jam an. 1293. &c. ejus in bello inclyti memoria recurrit in variis Auſtriæ Chronicis apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 472. 773. uxor ejus an. 1312. notatur *Adelheid* in repertorio Auſtr. part. 3. pag. 1007. Lazius lib. 6. de migrat. gentium pag. 182. ait *Eliſabetham* fuiſſe, *Friderici Comitis de Auffenſtain*, filiam, viduamque nupſiſſe, ſed vel Lazius, Eliſabetham Hermanni certam conjugem huc transtulit, quæ alteris nuptiis illigata eſt, vel Eliſabetha ſecunda Friderici uxor cenſenda videtur.

Frid. Com. de Auſenſtain, Eliſ. Com. Auſenſtein.

I. Hermannus alter Ulrici III. ex Agnete filius anno jam 1308. ſubſcriptus legitur, eum & *Fridericum* ut poſtremos gentis *Heunburgicæ* an. adhuc 1320. floruiſſe memorat Lazius, neque diu ultra eum annum perduraverint, nam an. 1323. Dominica ante Purificationem, *Eliſabetha Comitiſſa de Heunburg* vidua Hermanni, & *Comes Udalricus de Pfannberg*, *Margarethæ Heunburg*: maritus, aut filius pignoris loco, obligant *arcem Cilly* cum oppido ſubjecto, *Conrado de Auffenſtain* Mareſchallo Carinthiæ, ita nos docet tabularium aulicum Græcenſe Ladula 44. Num. 54. unde ambo jam vita exceſſerint, erat *ager Celejanus* majore ex parte *Heunburgiorum*, ut colligitur ex alia charta repertor. Auſtr. part. 3. fol. 1005. qua *Ulricus Comes de Heunburg*, & Agnes ejus uxor an. 1287. Cedunt quædam jura ſua ad varios fundos, præter poſſeſſiones *ad Cilli*.

Eliſ. & Marg. de Heunburg, Udalr. Com. de Pfanberg. Cilly arx & oppidum oppignorantur Com. de Auſenſtein 1323 Celejanus ager majore ex parte Heunburgior. eſt.

Uxor Hermanni hujus erat Eliſabetha, Alberti III. Comitis Goritiæ & Eliſab. Haſſiacæ filia, anno jam 1302. ſponſa, uxorata vero an. 1310. ac an. 1324. ſecundis nuptiis conjuncta *Wilhelmo Comiti de Schaumburg*, ita tabular. Auſtr. ex quibus proin patet, ſtirpem maſculam *Heunburgiorum* an. circiter 1321. defeciſſe.

Albert. III. Com. Gorit. Wilhelm. Com. de Schaumburg.

K. Inter reſiduas Udalrici III. filias *Margaretha* prima fuit *Ulrico Comiti de Pfanberg*, ut dixi, collocata anno jam 1288. ita habet reper-

Ulric. Com. de Pfanberg.

torium Auſtriacum p. 3. fol. 1005. dubium omne tollit charta Seccov. Num. 117. in Diplomat. Styr. in ea charta Seccov. an. 1288. data,

Ulric. Com. de Heunbur. *Ulricus hic, Comes Pfanbergius, Ulricum magnif. Comitem de Heunburg, ſocerum ſuum* vocat, unde Margaretha Udalrici III. filia, Hermanni ſoror ſuit. Eadem Margaretha an. adhuc 1303. occurrit, & genuit *Udalricum jun. Comitem de Pfanberg.*

Udalric. jun. Com. Pfanberg.

Albertus III. Com. Goritiæ. *L.* Alterius filiæ nomen latet, anno tamen 1283. deſtinata eſt ſponſa *Alberto III. Com. Goritiæ*, qua de re exſtant litteræ 10. Kal. Mart. an. eod. conſcriptæ in tabular. aulico Græcenſi, ex quo Viennam nunc latæ ſunt, quibus etiam *Ulricus Comes de Heunburg* promittit ſe unam de filiabus ſuis, quam maluerit, daturum Alberti II. Com. Gorit. filio Alberto III. nuptiæ tamen hæ impeditæ fuerint, cum an. 1299. uxor Alberto III. jam fuerit Eliſabetha Haſſiaca, atque in litteris Com. *Ulrici de Heunburg*, ubi de nuptiis Hermanni cum filia una de filiabus Alberti III. agitur, Albertus hic non gener, ſed dilectus amicus & nobilis Comes vocatur.

Ulricus Com. de Heunburg.

Ulr. de Suneck. *M.* Aſt eisdem in litteris datis an. 1302. *Ulricus de Suneck* appellatur ab *Ulrico Heunburg. gener noſter Ulricus Liber de Seunecke*, ita ex autographo german. excerpſit Cl. Roſenthalius, unde bene arguimus, tertiam Ulrici filiam, *Libero de Suneck* ſuiſſe uxorem, nomen tamen ejus adhuc non inveni, eadem & *Margaretha Pfanbergica* ſoror a fæcunditate commendatur in Anonymo Leob. apud P. Hier. Pez.

Margar. Com. de Pfanberg.

Atque hæc eſt Genealogia Comitum antiquiſſimorum de Hunnenburch. Errat itaque Lazius citatus, dum primos illuſtriſſimæ familiæ hujus fuiſſe putat *Wolfgerum & Hedericum* circa an. 1000. S. Stephani Reg. Hungariæ auxiliares, *Wilhelmum & Chunradum Comites de Starchant* circa an. 1096. fundatores Oberndorffenſes, & *Haimonem*, a quo nomen *Haynburch* derivat; nam *Wolfgerum & Hedericum* neque Thurrozius, neque Aventinus, ex quo ſua deſumere ſolet, neque Bonfinius, *Heunburgios*, vel *de Starchant* uſpiam appellat, ut alibi pluribus

Wolfger. & Hedericus de Heunburg.

Haynburg nomen unde.

Jam de Liberis hujus familiæ, diverſæ tamen lineæ agendum, Frælichius ſpecim. 1. Geneal. Souneck. fol. 35. hos omnes inter Hunnenburgios recipiendos non putat, ob familiæ aliud vocabulum, ac nomina Heunburgiis nondum uſitata, Friderici nimirum, Gotteſchalci Ebonis & Ottonis, ego tamen, ne integras ſine cauſa multiplicem familias, ejusdem quidem ſtirpis hos, ſed diverſæ lineæ exiſtimo. Ex his

a. Primus occurrit *Bilduc*, de quo ſuperius, jam ante ſchema hoc actum eſt.

b. *Fridericus* ibidem expoſitus eſt, uti &

c. *Meginhardus* ejusdem frater.

d. *Goteſcalcum*, *Friderici* filium plura Diplomata manifeſtant.

Hic ipſe *Gotſchack de Hunsberg* ſubſcripſit Diplomati Garſtenſi an. 1150. apud Wurmbrandium fol. 11. & 70. qui etiam fol. 213. docet, eundem *Gotſchalckum* Epiſcopatui Paſſavienſi Dominium *Wiltpergenſe* ledonatur *Ep. Pat.* gaſſe, Diploma rei hujus teſtem adfert author Germaniæ Sacræ tom. 1. fol. 344. &c. & Wurmbrandius ipſe fol. 236. in ſupplem. ad familiam Stahrembergicam. V. an. circ. 1149. eund. in Dipl. Secc. 7. &c.

Wiltperg arx

e *Eli-*

e. *Eliſabetha* vero *Haunspergia* ſeu *Hunsbergia*, *Gundacari II. Domini de Styra* conjux, fors Gotſcalci hujus filia fuerit, quæ mater dein extitit *Gundacari* Dynaſtarum *de Stahrenberg*, & *Dietmari*, Dominorum de *Loſenſtein* Satoris. *Gundacarus II. D. Styra. Stahrenberg & Loſenſteiniorum origo.*

f. *Ebbo & Otto de Hainburg* anno 1166. ex Diplom. Seccov. 17. inter mea n. 37. manifeſtantur, unde tamen & a quibus parentibus orti ſint? non comperitur.

g. *Wolffchanc & Wolfinc de Heimpurch* ſubſcripſere an. 1148. Dipl. S. Lamberti, inter mea Num. 80. Cætera de his Bucelinus manifeſtat ſupra citatus, ex quo videmus lineam hanc ad Leopoldi Imp. tempora, a quo inter Imperii Romani Comites ſunt adſcripti, deductam fuiſſe. *Hamburgii tempore Leop. Comites S. R. I. facti.*

9*num:* teſtem erronee exprimit apographum Frælichianum nimirum *Hartnidum de Rugisped*, corrigit vero MS. Garſtenſe Num. 10. adducendum, in quo legitur teſtis nonus *Hartnidus de Ruggerſpurc*, ſeu ut nunc dicimus de *Radkerſpurg*, urbe nimirum Styriæ, quam jam Diſſ. 1. §. 21. & alibi Principis terræ ſæc. 12. fuiſſe dixi, ſæculi qnidem 13. fine *Leutoldo Cunringio* paruit, atque ut credo, tanquam feudum Principis, cum anno 1471. jam iterum Præpoſitura Friderici Imper. fuiſſe legatur. *Ruggoſpurg Genealog. Radkerſpurg urbs Princip. terræ ſæc. 12. & ſæc. 13. Leopoldi Cunringii. An. 1471. Præpoſitura Frider. Imp.*

Genealogiam veterum Dominorum de Radkerſpurg nullus fere attingit, ſilent Hübnerus, Bucelinus, Lazius; quidam tamen horum Dominorum ex chartis veterum pateſcunt, nec quo ordine, ſanguinis nexu ſe contigerint, facile erui poteſt; referam proinde eos ordine Chronologico; quo in Diplomatis veterum inveniuntur.

Otto de Rudkerſpurg circa an 1128. invenitur in Diplomate Leop. fortis March. noſtri (v. Dipl. mea Num. 7.) poſt hunc ad an. 1142. in hoc & ſequenti Diplomate *Hartnidus* occurrit, quoniam vero hoc Diploma ad annum 1112. pertinere oſtendimus, eum etiam anno eod. teſtem egiſſe, inde liquet; eundem *Hartnidum de Rogerſpurch* exhibet, Diploma Seccov. 3. quo Conradus I. Archiep. Salzb. an. 1142. quasdam decimas Canonicis Seccov. confert. Aſt quia ad an. 1171. Hartnidus de *Ruckerſpurg*, quia filiam ſororis ſuæ in Cœnobio Admontenſi ſuſcipi impetravit, Admontenſibus prædium ſuum *ad Sulz*, manu Ottocari VI. tum adhuc Marchionis delegaſſe legitur, duos proin exſtitiſſe cenſeo Hartnidos, vel eum ad ſummam ſenectutem perveniſſe, cum jam an. 1112. inter teſtes Diplomatis hujus inveniatur. *Herrandum & Richerum de Rudkerſpurc* manifeſtat nobis eodem hoc circiter tempore Diploma Admontenſe Num. 141. *Sulz prædium Admont.*

Bernardum invenio ad an. 1186. teſtem Ottocari VI. Ducis Styriæ egiſſe, dum Dux hic bona & poſſeſſiones Admontenſium ſuam in protectionem reciperet, pluraque eis adjiceret, ut v. Diplom. mea Num. 69. & 70. tandem ad an. 1274. in Diplom. Göſſenſi 56. ſubſcriptus eſt *Albobus Capitaneus de Radkerſpurg*, hic, an de familia Dominorum de Rackerſpurg fuerit? an ſolum Capitaneus urbis hujus ſummi Principis loco? omnino dubitatur, jam enim Differt. 1. oſtendi, urbem hanc Principis terræ, & Ottocari VI. fuiſſe præpoſituram *Radkerſpurg Præfectura Ottoc. VI.*

ſeu præfecturam. Hæc interim, donec ſors occurrentibus aliis documentis quidpiam clarius proferre poſſim.

Truchſeniorum Genealogia. Eor. nom. unde.

10. Diplomatis hujus teſtis eſt *Colo de Truchſen*, aliis *de Truchſen*. De his antequam agam, prænotandum cenſeo; *Dominos hos de Truchſen* nomen ſuum, non ab officio *Truchſeſii ſeu Dapiferi*, quales nunc Dapiferi de Waldburg, Langeb, Veltſperg &c. deſumpſiſſe, ſed fuiſſe antiquam familiam ejus nominis, cujus Genealogiam Lazius lib. 6. de migrat. gentium a Comitibus *de Friſaco & Drugſen* deducit, eamque cum auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 313. e Carinthia veniſſe ait, quanquam alii eam e Suevia ortam opinentur, & tardiori ævo etiam in Auſtria floruiſſe velint. Scutum horum Comitum exhibet tres atri coloris leones, ut habet auth. Germ. Sacræ cit. fol. 174. accuratam horum Genealogiam documenta mihi nulla ſuppeditant, nec noſtrum eſt, hos extra Patriam noſtram dominos omni cum exactione referre, quos inveni, ordine ſæculorum ſubjungo.

SÆCULO 11.

B. Hemma fundatr. Gurc.

Wilhelmus Comes maritus *Hemmæ fundatricis Gurcenſis*, quæ inde Comitiſſa *de Friſaco & Truchſen* appellatur a Monacho Admontenſi in vita S. Gebehardi. Filii ambo *Wilhelmus & Hartvvicus* interfecti ſunt non procul Friſaco, cum fodinis metallorum intenderent, inde vero S. Hemma Gurcenſem Præpoſituram ex dote & bonis paternis fundavit. Quamvis proin hæc ſæc. 11. linea Dominorum & Comitum de Friſaco & Truchſen interierit, mox tamen ſæc. 12. initio alii ſe denuo manifeſtant, ut mox infra videbimus.

Chadoldus Pater, & filius *S. Gebehardus Archiep.* Salzb. circa 1060. hos ſub dubio adduco: *Chadoldum Gebehardi Patrem*, diſcimus ex necrolog. Admont. ad 3. *Non. Febr.* ubi legitur: *Chadoldus Laicus Pater Gebehardi Archiep.* de familia quidem Gebehardi non conſtat, an nimirum ex Helfenſteiniis, an ex Truchſeſiis ortus fuerit? ſcutum tamen Gebehardi bipartitum, tres nigros leones, inſigne Truchſeſſiorum, exhibens, conjecturam quandam ſuppeditat, eum hac ex familia ortum, ita auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 174.

SÆCULO 12.

Cholo I. de Truchſen hoc in Diplomate noſtro, jam ad initium ſæculi hujus, ſeu an. 1112. citatus legitur, item ad annum 1146. ut v. Diplom. mea hoc & Num. 16. & Admontenſ. Num. 32. 53. 58. Idem autem Diploma 16. inter mea, Ottocari nempe V. de an. 1146. *Gotefridum & Reginbertum* fratres *Cholonis* inſinuat, in quo nempe ſubſcripti leguntur *Cholo de Thruchſen & frater ejus Godefrit, & Regimbert.* Hos quidem fratres novimus, eorum tamen progeniem ignorare denuo cogimur.

Henricus de Truchſen an. 1182. ſubſcripſit Diplomati Ottoc. VI. Ducis vero primi Styriæ, dato Seccovienſibus, v. Dipl. mea n. 58. eund. *Henric.* exhibet Dipl. Adm. 32. & 58. quis vero fuerit? an frater? filius? patruus præcedentium? non conſtat. Idem ſit judicium, *de Cunrado, Carolo, Ottone*

tone de Truchſen, qui in Diplomatibus Admont. Num. 46. 53. inveniuntur. *Sigefridus* an. 1156. ut mox ex Lazio dicam.

SÆCULO 13.

Inſinuat ſe denuo *Cholo II. de Truchſen*, & quidem ad an. 1200. apud Lazium lib. 6. de migrat. gentium fol. 187. quemadmodum ibidem ad an. 1156. invenitur *Sigefridus* Diplomati Henrici Ducis Carinthiæ ſubſcriptus. Teſtem egit hic *Cholo* donationis, quam *Hatmarus de Chunringen* Monaſterio Zwetlenſi anno 1208. fecit, Cholonem hunc ſecundum appello, & diſtinctum cenſeo a Cholone ad annum 1121. citato, quem primum voco, dum quod ultra 100. annos vitam protrahere debuiſſet, tum quod alii ejusdem fratres recenſeantur, nam *Gotefridus & Otto* fratres Cholonis hujus II. exhibentur charta Eberhardi II. Archiep. Salzburg. ex ead. familia oriundi ad an. 1215. in qua apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 322. leguntur *Cholo de Truchſen, & fratres ejus Gotefridus & Otto &c.* *Hadmarus de Chunringen.*

Cholo III. de Truchſen filius fuit Cholonis II. & cum eodem ſubſcriptus legitur Diplomati Zwetlenſi ſupra cit. his verbis: *Cholo de Truchſen, & filius ejus Cholo.*

Henricus de Truchſen, qui teſte auth. Germ. Sacræ cit. fol. 313. ſubſcripſit an. 1223. an idem fuerit cum Henrico ſuperius ad annum 1182. memorato? vix pronunciare auſim, nihil enim prohibet eundem dicere. Megiſerus fol. 822. docet, *Conradum I.* Abbatem VI. S. Pauli in Carinthia *Comitem de Truchſen* fuiſſe.

Inter hos Dominos de Truchſen commemorandus eſt omnino, etiam *Eberhardus II. Archiep.* 23. Salisburg. ut oſtendit auth. Germ. Sacræ cit. Quis Pater ejusdem fuerit, non conſtat? germanus tamen ejusdem certus eſt *Hermannus a Truchſen Abbas S. Lamberti in Styria ſuperiori*, qui fratris ſui Eberhardi Archiep. ſubſidio mitram ſibi ſuisque ſucceſſoribus obtinuit an. 1260. mortuus. *Eberhardus II. Archiep. Salzb. ane familia de Truchſen.* *Hermannus a Truchſen.* *Hermannus a Truchſen Abb. S. Lamb. in Styr.*

Raſponem, qui ſe teſte Lazio cit. etiam *Dominum a Friſaco* ſcripſit, an. 1241. floruiſſe, ex eodem Lazio ſcimus, cum eo an. ab *Hermanno Comite Artenburg:* Haberneck prædium emerit. *Herman. Com. de Artenburg.*

Ulricus de Truchſen Monaſterio Gremiſanenſi dedit dimidii talenti redditus circa *Perndorf & Pergarn* an. 1247. Ut habet Monachus Cremiſan. in Catal. Abbat. Cremiſan. apud P. Hieron. Pez ſcript. Auſtr. tom. 2. fol. 62.

SÆCULO 14.

In bello inter Fridericum Auſtriacum & Ludov. Bavarum geſto, dum *Fridericus III. de Leybnitz Archiep. Salisburg.* Auſtriacas partes teneret, in prælio ad Mülldorff habito inter captos a Bavaris nobiles Salisburgenſes referuntur *Bernardus Truchſes*, & *Ludovicus Truchſes* ad an. nempe Chriſti 1319. præter hos eodem hoc ſæculo. *Frid. de Leibnitz Archiep. Saleb.*

Cholo IV. de Truchſen reperitur, an. 1327. ſigillo ſuo roboraviſſe pacta dotalia *Diemutæ de Loſenſtein* cum *Seiboldo de Volkerſtorff* inita, ut habet Wurmbrandius fol. 228. *Volkerſtorff de Seibald & Diemuta de Loſenſtein.*

SÆCULO 15.

Apud eundem Wurmbrandium fol. 30. reperitur *Henricus Truchſeſius* Conſiliarius Frider. Rom. Imp. an. 1463. fuiſſe. Hæc interim, plura apud alios Genealog. anthores occurrent.

Origine hos omnes Suevos fuiſſe non credo, quamvis enim Eberhard. II. Archiep. Salisb. e familia hac oriundus, in privilegio Cœnobio Salemitano an. 1237. dato, *Sueviam Patriam* ſuam eſſe teſtetur, non tamen inde totam in Sueviam ablegandam cenſeo familiam, potuit enim alio itineris, vel rerum gerendarum caſu, Eberhardus in Suevia naſci, quin tamen ea familia e Suevis orta fuerit. Veroſimilius eſt, itaque eos e Carinthia exortos fuiſſe, atque dein ſæc. ſequentibus in Auſtriam obiiſſe.

Stubenberg Genealogia.

11*mum* Diplomatis hujus teſtem invenio *Wulfinc*, ſeu *Wulfingum de Stubenberg*. Antiquiſſima hæc eſt, & inter Proceres Styriæ, nulli ſecunda familia, quæ hæreditario jure *Pincernatum Styriæ*, atque ut volunt, jam *Ottocarorum tempore* poſſidebat. *Pincernatus Styriæ* hæc commoda annexa habet: Das Landgericht Fiſchweid, und Zechend zu Kapfenberg, ut docet Archiv. feudal. Græcenſe: Pincernas Stubenbergicos Lazius lib. 6. de migrat. gentium fol. 192. docet, cognatis ſuis, *Dominis a Kapfenberga & Petau Mareſchallis* extinctis feuda a Ducibus Auſtriæ impetraſſe in Styria, Kapfenberg, Mureck, Ehrenhauſen, Wurmberg, & Stubeckh, & plurima etiam in Carinthia poſt deceſſum Comitum Ortenburgenſium.

Pincernæ Styriæ temp. Ottocar.

Pincernatus Styr. commoda.

Stubenberg Dominia.

In ampliſſima familiæ hujus illuſtriſſimæ Genealogia profiteor me primum, illis non inhæſurum fabulis, quibus quidam coronare antiquas ſolent proſapias, nominatim hanc Stubenbergicam, deducendo nimirum eam ex Sarmatia, Armenia minore, vel Tartaria Aſiæ, vel Capeduno illo veteri, de quo jam Diſſert. 1. dixi, nec illud commentum moror, Stubenbergios jam inter equites & nobiles fuiſſe numeratos, cum Salvator noſter debitum mortis pro nobis in crucis ligno exſolvit, antiquiſſimam longe fuiſſe, celeberrimamque familiam mox patebit.

Genealogiam itaque eorum, & veterem tantum aggrediar, quam fuſiſſime perſequuntur Bucelinus & Hübnerus, Lazius etiam, aliique, ſed Diplomata varia, in iisque occurrentes Stubenbergii, eam utcunque arduam reddunt, tentabo tamen pro poſſe, atque interim ſequens ſchema Stubenbergiorum propono, tabulisque Bucelini & Hübneri quæpiam addo.

A. Wulfingus I. de Stubenberch ciuca an. 1000. ux. Agnes ab *Habſperch.*

B. Ottocarus, ux. N. — *C. Wulfingus II.* junior ux. Margaret. Dux Carinth.

D. Ubo Winther, an. 1114. fors frater. Lazius. — *E. Udalricus I.* ab an. 1090. ultra 1100. ux. N. — *F. Fridericus I.* uxor N.

G. Wulfing. III. ab an. 1112. ad 1162. v. 1172. — *H. Otto* ab an. 1162. ad 1174. ux. N. de Raſe, v. litter. N. — *I. Gotſcalcus* an. 1162. *Albero* frater, v. an. 1140. — *K. Bernardus* an. 1166. Lazio *Burcardus.* — *L. Fridericus II.*

M. Wul-

M. Wulfingus IV. ab an. 1166. ad 1182. *N. Udalr. II.* ab 1187. ad 1216.

P. Fridericus III. — *Q. Herman.* an. 1230. fors frat. — *R. Wulfin. VII.* ad an. 1311. Paro. Prugg. — *O. Wulfingus V.* an. 1200. ad 1240. — *S. Wulfingus VI.* an. 1240.

T. Frid. IV. fator lineæ *Kapfenb.* florent. ad 1311. — *V. Henr.* cl. 1292. ad 1311. — *W. Wulf. VIII.* Ep. Bamberg. 1305. ad 1319. — *X. Udalr. III.* cl. an. 1291. &c. ad 1311. fator lineæ *Wurmberg.* extinctæ.

Genealogiam ulter. lineæ utirusq. Kapfenb. & Wurmb. dabo tom. seq.

A. Wulfingum hunc I. statuit, Hübnerus & Bucelinus cum Lexico univ. Basileens. unde hoc desumpserint ignoro, documenta in eam rem null aadhuc accepi, fide itaque horum authorum eundem adfero, uti & Agnetem uxorem.

B. Idem esto *de Ottocaro & Wulfingo II.* judicium, cum conjuge ejus *Margaretha* Carinthiæ

C. Principe, Margareta enim hæc nullibi cæteroquin mihi occurrit, nec in Frælichii Genealogia Ducum Carinthiæ, nec in aliis, quos pervolvi, authoribus, illud certo tolerari nequit, quod scribit Lexicon Basileense cit. ex matrimonio Wulfingi II., & Margaretæ prognatum fuisse *Wulfingum* seu *Wolfgangum patrem Wulfingi Ep. Bamb.* an. 1319. ut ostendam, defuncti; sic enim Wulfingus Ep. Bamberg. necessario fuisset abnepos Wulfingi I. simulque ab eo 300. fere annis remotus ac junior, quod omnino concipi nequit.

D. Yvonem Wintherum de Stubenberg militem, Lazius primum hujus prosapiæ proponit lib. 6. de migrat. gentium fol. 192. inter testes cum *Berengario de Talberg*, *Wulfingo ac Theodorico de Vridberg*, & *Gundelocho de Varave* an. 1114. In sententia Hübneri ac Bucelini forsitan frater Udalrici I. ac filius Wulfingi II. censeri posset. *Berengar. de Talberg, Wulfing. ac Theoder. de Vridberg, Gundeloch. de Vosave.*

E. Udalricum I. qui ab an. 1090. ad 1100. floruisse dicitur, Diplomata nulla exhibent quidem, nec Lazius ejusdem meminit, potuere tamen Hübnerus & Bucelinus documenta vidisse, Udalricum hunc statuentia, quapropter eum seriei huic imposui.

F. De *Friderico I.* idem sentiendum judico.

G. *Wulfing de Stubenberg III.*, qui huic an. 1112. Diplomati subscripsit, difficultatem quandam ingenerat, an nimirum idem sit cum *Wulfinco illo*, Ottonis fratre, qui ad an. 1162. Diplomati Admontensi inter mea Num. 22. subscriptus invenitur, censeo tamen, ne eos frustra multiplicem, eundem omnino esse, atque illo anno fors ultimo subscriptum inveniri, qui enim ad an. 1166. occurrit Ottonis filius non frater fuit, ut infra ostendam, qui vero Diplom. Seccov. 19. inter mea Num. 27. subnotatus reperitur, dubius est, nam legitur solum *Otto & Wilfingus fratres*, Frælichius enim addit *ejus*, nempe *Chunradi de Chindeberg*, vel *a Stubenberch*, an vero Wulfingus hic cum Ottone & Gotscalco, Fridericum Patrem habuerit, ignotum omnino est.

H. Ottonem hunc plura documenta manifestant, & primo quidem fratrem, & ut censeo, primogenitum fuisse, Wulfingi jam dicti, & Gotschalci docet Diploma Ottoc. V. circa an. 1162. inter mea Num.

22. ſuper jus vinearum Admontenſibus datum, in quo ita leguntur hi fratres *Otto de Stubenberg, & fratres ejus Gotſcalcus & Wulfingus*: ex hoc Diplomate cenſeo, errorem irrepſiſſe in codicem antiquiſſimum tradit. Garſtenſ. citatum apud Wurmbrandium fol. 156. quo inter Miniſteriales Styrenſes varios recenſentur *Otto & frater ejus Gotſcalcus de Stubenberg, & Albero frater ejusdem.* Albero enim frater nullibi comparet, & ſubſcriptio præcedens genuina huic certe fidem omnem abrogat. *Otto hic de Stubenberg* recenſetur etiam in Diplomate Frider. I. Imp. quo fundatum *Hoſpitale in Cerevvald* confirmat (v. mea Diplom. Num. 36.) Otto enim hic hoſpitali huic delegavit 10. *manſus in Vorave & vineam in Spicebart*, quæ omnia Frider. Imp. Diplomate ſuo anno 1166. munivit. Idem *Otto Miniſterialis Chunegundis Marchioniſſæ* Viduæ Ottocari V. fuiſſe convincitur an. 1166. dum eadem donationi ſuæ Seccovienſibus factæ, de Miniſterialibus ſuis *in foro Hartperch* inter alios teſtes adhibet *Ottonem hunc de Stubenberch cum filio ſuo Wulfingo.* V. Dipl. mea Num. 37.

Hartpergæ Chunegund. March. an. 1166. agit.

Idem Otto an. 1173. ſubſcripſit Ottocari VI. Diplomati Seccovienſibus dato, v. mea Num. 48. Et ne longior ſim eundem Ottonem videre licet circa an. 1170. 1171. & 1174. in Diplomat. meis Num. 42. 44. 48. & 49. Ottonem hunc neglexerunt tamen Hübnerus & Bucelinus, cujus exiſtentia ex veterum Diplomatis abunde patet, unde nemo miretur, ſi his duobus, licet adeo celebratis Genealogiæ ſcriptoribus, fidem omnem habere ſubinde verear. Lazius Ottonis meminit, ut littera K. dicam.

I. Gotſcalcus Ottonis frater, fuiſſe ex modo dictis colligitur, cæteroquin vero nullibi eum inveni, ut adeo judicem, non diu poſt annum 1162. ſuperfuiſſe, citatur etiam an. 1140. cum *Alberone* fratre, quem alias non inveni.

K. Bernardum de Stubenberch, Diploma Frider. I. Imp. de an. 1166. inter mea Num. 36. exhibet, in quo Bernardus hic *Hoſpitali in Cerevvald* legavit *vineam Mersdorff*, & *Miniſterialis Marchionis* (Ottocari nimirum V.) & filii ſui, Ottocari VI. fuiſſe dicitur. Ex hoc proin cenſeo, Lazium cit. in Geneal. Stubenberg non Burcardum, ſed Bernardum debuiſſe ponere, dum ait: *Otto & Burcardus* (lege *Bernardus*) *an.* 1130. & mox *Rueland & Wulfingus* an. 1130. non enim *Rueland*, ſed *Gotſcalcus* frater Ottonis fuiſſe legitur.

L. Fridericum II. Hübnerus & Bucelinus citati inter Stubenbergios ponunt, nec id contradixero, id tamen ex dictis falſum, Wulfingi ſequentis ſeu IV. fuiſſe Patrem, jam enim ſuperius oſtenſum eſt, Wulfingum illum Ottonis fuiſſe filium. Fridericum de Stubenberch, ex Diplomatis ante ſæc. 13. nullum hactenus inveni.

M. Wulfingum IV. in hac ſerie filium fuiſſe Ottonis contra Hübnerum & Bucelinum aperte teſtatur Diploma Chunegundis Marchioniſſæ fundatricis noſtræ an. 1166. datum Seccov. inter mea Num. 37. cui ſubſcripſit *Otto de Stubenberch cum filio ſuo Wulfingo*; qui dein ſolus ſine Patre, nondum quidem mortuo, ſed vel abſente, vel ſenio præpedito, denuo ſubſcripſit Diplomati Admont. inter mea Num. 46. & quidem primus inter teſtes an. 1171. in Diplomate Ottocari I. Ducis

an.

an. 1182. Seccovienſibus dato, inter mea Num. 58. reperitur idem *Wulfing de Stubenberch*, hunc proinde filium Ottonis, & Wulfingum IV. ſtatuo, ne Wulfingi III. ætatem ab an. 1112. ad hunc annum 1182. extendere cogar, qui enim anno 1112. & hoc etiam an. 1182. ſubſcripſiſſet, ætatem certo an. circ. 90. attingere debuiſſet; minorennes enim teſtes agere regulariter prohibentur.

N. Udalricus II. hunc ſub dubio Wulfingi IV. fratrem & Ottonis filium ſtatui, etenim poſt Wulfingum IV. naſci debuit, cum an. 1166. Chunegundis Diplomati ſupra citato non ſit ſubſcriptus, proin vel necdum natus, vel certe teſtimonio ferendo adhuc ineptus; cum vero Otto ad an. uſque 1174. quo adhuc ſubſcriptus teſtis legitur, vixerit, Udalricus hic an. circiter 1173. Ottoni naſci filius, atque ad annum uſque 1214. facile inter teſtes comparere potuit. Conjecturis nempe juvare me debeo, qui documentis deſtituor aliis. An. itaque 1187. primo inter teſtes legitur *Udalrich de Stubenberch ſeu Ulrich* dictus, ita eum lego in Diplom. Göſſ. 11. inter mea Num. 71. Göſſenſi 16. inter mea Num. 72. & Admont. 63. Idem Udalricus citatur teſtis in Diplom. Ottoc. I. Ducis Seccovienſibus dato an. 1191. vel ſeq. v. Dipl. mea Num. 76. an. 1202. in Diplom. Seccov. Num. 30. a Leopoldo Auſtr. & Styr. Duce dato primus ſubſcripſit, uti & in Diplom. Seccov. Num. 31. ab eodem, Admontenſi in Monaſt. dato. Plura nobis de hoc Udalrico ſuppeditat Diploma Göſſenſe 14. ab Eberhardo Salisb. & Leopoldo Auſtr. & Styr. Duce an. 1203. editum, *Udalricum* nimirum hunc *militem de Stubenberc* advocatiam Göſſenſem aſſeruiſſe ex infeudatione Ducis Styriæ ſe habuiſſe, quapropter cum perturbationes & jacturas Göſſenſis Eccleſia pertuliſſet, res ea ad Leupoldum Auſtriæ & Styriæ Ducem perlata eſt, *Udalricus injuriam recognoſcens &c. liti ceſſit, & ſpontanea voluntate abrenunciavit, advocatiam illam.* An. 1210. idem Udalricus arbitrum egit litis inter Abbatem Admont. & Abbatiſſam in Göſs habitæ, cujus compoſitioni dein etiam teſtis ſubſcripſit, v. Diplom. Göſſ. 18. Eodem an. teſtem egit, dum Leopoldus Dux confirmaret Runenſibus donationem Ottocari Ducis de alpibus Gottenfeld, vid. Dipl. Run. 15. idem an. ſeq. 1121. dum eisdem Runenſibus Leopoldus daret, ſalinas in Ahorn, v. Dipl. Run. 16. ubi inter Miniſteriales ſecundo loco recenſetur. An. 1213. Leopoldus Dux, dum Seizenſibus confirmaret donationem *Thiemonis de Elſnitz*, ait eam ſe *Marchburgi* feciſſe in præſentia Miniſterialium ſuorum, quos inter primum refert *Ulricum de Stubenberch*, quod idem fit in Diplom. Göſſenſi 17. ad an. 1214. Nihil vero magis illuſtrat Genealogiam Udalrici hujus, quam Diploma Seccov. 36. in quo *Ulricus hic Jeroſolymam iturus*, more eorum temporum, Eccleſiæ Seccovienſi fundos inique detentos reſtituit, eo in Diplomate inſinuat Ulricus hic filium ſibi fuiſſe Wulfingum, ait enim *una cum aſſenſu filii mei Wulfingi*, ſe fundos eos remittere; meminit etiam *Hiltrudis de Raſe materteræ ſuæ*, ex qua fors colligi poſſet, quandam de Raſe fuiſſe matrem Ulrici hujus. Diploma hoc datum eſt *in caſtro Chapfenberch*, v. Dipl. Seccov. 36.

Udalrici II. Stubenbergii lis cum Göſſenſibus.

Thiemo de Elſn. An 1213. Leopold. Dux Marburg exiſtit.

O Wulfingus V. cujus modo memini, filius Udalrici II. fuit; cumque jam anno 1216. aſſenſum paternæ reſtitutioni dederit, ab hujus

sæculi initio natum suppono, pluribus hic denuo documentis pateſcit; an. 1227. subſcripſit inter alios teſtes compoſitioni inter Wildonios & capitulum Seccov. per Leopold. Ducem Styriæ confirmatæ *Græcii in Eccleſia S. Chunegundis*, nunc *extra mœnia in Lech* ſitæ. Hunc diuturnæ vitæ non fuiſſe, & ante an. 1240. relicto denuo filio Wulfingo obiiſſe colligo de Diplomate Epiſcopatus Seccov. Num. 16. in quo, ut infra dicam, *Wulfingi pueri de Stubenberch* mentio fit, qui proin Wulfingus hic, de quo agimus, eſſe non potuit, quomodo enim Wulfingus, qui anno 1216. reſtitutioni paternæ conſenſit, an. 1240. puer ſeu juvenis dici poſſet?

Græc. Eccl. S. Chuneg. in Lech an. 1227.

P. Fridericus III. ab Hübnero & Bucelino inter Stubenbergios refertur, & quidem frater *Ottonis*, *Alberti*, & *Wolfgangi*, quod tamen temporis epocha non admittit; Otto enim poſt annum 1174. non diu ſuperfuerit, veroſimilius ergo Frider. III. nepos Ottonis, non frater fuerit, hunc mihi Diplomata nulla manifeſtant, Fridericum quidem, & Henricum fratres invenio, aſt ad an. primo 1292. ſed diſtinctus hic a noſtro, de quo nunc agimus, fuiſſe debuit, ſi enim Wulfingi IV. filius fuit, ante an. 1182. quo Wulfingus ultimo citatus legitur, naſci debuit, cum vero Frider. & Henr. fratres ad an. 1311. adhuc in vivis fuiſſe reperiantur, ultra centenos vitæ annos exhauſiſſe debuiſſet, quod non ſupponendum.

Q. Hermannum itaque *de Stubenberg*, prius, quamvis non ſine dubio Friderici fratrem judico, ex temporis, quo viguit, circumſtantiis. Hunc Hübnerus, Bucelinus, Lazius negligunt, indicat autem Diploma Seccov. Num. 49. in quo *Gertrudes vidua de Kapfenberg* Seccovienſibus tradit curiam Pejerdorff, atque *Hermann de Stubenberg* tanquam teſtis ſubſcripſit: hunc brevis vitæ fuiſſe colligo, quia poſt an. 1230. non amplius reperitur.

Gertrud. vidua de Kapfenberg.

R. Wulfingus VII. hunc Friderici III. fratrem fuiſſe ex Diplom. Seccov. 152. deduco, cum enim an. 1311. *Otto de Liechtenſtain* fundationem capellæ Seccov. augeret, Wulfingus hic ſubſcriptus eſt ita: *Domini Fridericus & Henricus fratres de Stubenberch, Wulfingus de Stubenberch patruus eorum;* cum itaque Fridericum IV. & Henricum filios cenſeam Friderici III. Wulfingus eorum patruus, frater ejusdem Friderici eſſe debuit. Plura ſunt, quæ me in hoc Wulfingo divexant; invenio enim *Wulfingum quendam de Stubenberg Epiſc. Bamberg.* fuiſſe, alium *Wulfingum Parochum Pruggenſem*, tertium demum *ordinis Prædicatorum*, jam itaque quæſtio eſt, an Wulfingus unus idemque & quidem Friderici frater fuerit, Parochus in Prugg? dein ord. Prædic. tandemque Epiſc. Bambergenſis? ante deciſionem hujus quæſtionis quæpiam prælibanda ſunt, & quidem primo ex Wurmbrandio in collectan. Genealog. hiſtoricis cap. 2. ubi ad an. 1283. adducit Stubenbergios, *Wulfingum Parochum Pruggenſem*, *Ulricum*, *Fridericum*, & *Henricum fratres.* Lazius cit. Wulfingum quemdam Stubenbergium an. 1319. Ep. Bamberg. conſecratum docet, eumque Wulfingum III. vocat. Author German. Sacræ tom. 2. fol. 422. ſcribit, dum circa an. 1290. de Rudolfi Salzb. Archiep. ſucceſſore ageretur, rem Romam delatam eſſe, atque a Papa conceſſum legatis, ut, quem digniſſimum judicarent, Epiſcopum

Otto de Liechtenſtain.

Wulfing. de Stubenberg Epiſc. Bamberg. alius Paroch. Prugg. alius ord. Præd.

pum enunciarent. Hos inter legatos Conradus Episcopus Laventinus & Rudolfi Salisburg. dein succeſſor nominavit virum doctrina conſpicuum *fratrem Wulfingum Stubenberger ord. Prædicat.* nuper Monaſterio Friſacenſi adſcriptum, mitra tamen Salisburgenſis non Wulfingo huic, ſed Conrado Laventino ceſſit: tres ergo Wulfingi Stubenbergii Eccleſiaſtici adſunt, nimirum Wulfingus an. 1283. Parochus in Prugg, alter 1290. ord. Præd. & præſentatus ad mitram Salisburgenſem, tertius dein Epiſcopus Bambergenſ.

Poſſet ex his ſine omni ſphalmate, unus idemque ex tribus his Eccleſiaſticis conflari Wulfingus, dicique Wulfingum an. 1283. Parochum Pruggenſem an. 1291. ingreſſum fuiſſe ordinem Prædicatorum, cumque jam an. 1291. aptus infulæ Salisburg. fuerit anno dein 1305. Epiſcopum conſecratum Bambergenſem; quod me tamen ab hac ſententia retinet, illud eſt, quod in Necrol. Runenſi apud Frælich Diplom. Ducatus Styr. part. 2. fol. 338. legitur 7. *Id. Martii Wolfgangus (olim Wulfinc) plebanus ex Prugga*; ſi proin Wulfingus hic Parochus, dein factus fuiſſet Epiſcopus Bamb. non tanquam plebanus, ſed ut Epiſcopus Necrologio inſertus fuiſſet. Dein cum teſte Hübnero Wulfingus Stubenbergius an. 1305. factus fuerit Ep. Bamb. & an. 1319. obierit, patruum horum Friderici & Henrici non cenſeo fuiſſe, alias enim hæc ejus dignitas prætermiſſa non fuiſſet in Dipl. Seccov. 152. nec Wurmbrandius in collect. Geneal. cap. 2. fol. 1. Wulfingum hunc ſolum Parochum, ſed Epiſcopum fuiſſe retuliſſet.

Quamvis vero idem Wurmbrandius cit. Wulfingum fratrem Friderici & Henrici vocet; corrigi tamen poteſt facile hic error ex allato Diplom. Seccov. 152. ubi patruus dicitur.

Aſt quo loco Wulfingum illum ord. Prædicatorum, & dein, ut cenſeo, Ep. Bamberg. factum reponam inter Stubenbergios? ſequar Hübnerum, & fratrem Friderici ac Henrici Wulfingum Ep. Bamberg. interim ſtatuam, donec documenta alia occurrant.

* *S. Wulfingum VI.* aggredior Wulfingi V. filium, ut dixi lit. *N.* & *O.* hic an. 1240. puer adhuc fuit, ut habet Diploma Epiſc. Seccov. Num. 16. in quo Eberhardus Archiep. Salisb. & Fridericus Dux litem quæ inter Henricum Ep. Seccov. & *Wulfingum puerum de Stubenberch, & nomine dicti pueri quendam militem Herbordum* orta eſſet, de duabus tertiis decimarum in Poſeyle decidit; patet ex eo Diplomate nobilitas Wulfingi hujus, cum *Hugo de Pranke*, *Ortolfus de Chapfenberg*, *Svvihardus de Reze*, & *Wolfgerus de Poſeyle*, ejusdem Wulfingi milites, ſeu, ut cenſeo, feudatarii dicantur: an. 1246. idem Wulfingus citatur teſtis, ſed ſine addito pueri, ex quo concludo, eum hoc anno jam pueritiam egreſſum fuiſſe, v. Diplom. Epiſc. Seccov. Num. 23. eodem circiter tempore Voravienſibus ſat moleſtus fuit, v. Chron. Vorav. an. 1253. ſubſcripſit teſtis Diplomati Ottocari Boh. & Styriæ Ducis, Ulrico Ep. Seccov. dato, an. 1254. idem ſe Göſſenſibus obligavit, nullam amplius exactionem faciendi in colonos Eccleſiæ Göſſenſis, v. Dipl. Göſſ. 36. & ex Dipl. Göſſ. 37. habemus, eum an. 1255. egiſſe arbitrum inter Dominam Kunigundem Abbatiſſam Göſſ. & Dom. *Chunradum Matze.*

Hugo de Prank, Ortolfus de Chapfenberg, Svvihard de Reze, Wolfkerus de Poſeyle.

Ottoc. Boh. Rex & Styriæ Dux an. 1253.

Chunrad. Matze

Stephan. Hung. Rex Dux Styr. an. 1259. Major erat Wulfingi hujus authoritas an. 1259. dum ſub *Stephano Hungariæ Rege & Styræ Duce*, Judicem provincialem Styriæ egit, v. Diplom. Runenſ. 22. Eundem Wulfingum variorum adhuc Diplomatum teſtem invenio, uti anno 1262. in Dipl. Seccov. 75. in Dipl. 85. an. 1270. in Dipl. Seccov. 96. an. 1271. in Dipl. Göſſenſi 57. an. 1274. in Dipl. Göſſ. 56. hunc eundem Wulfingum fuiſſe cenſeo, qui *Frider. de Petav.* a *Friderico de Petav.* an. 1268. in Ottocarum Regem Boh. conſpiraſſe delatus, dein in carcerem conjectus, & 26. hebdom. detentus, caſtris datis vitam redemit, quique dein an. 1293. Alberto Auſtriæ Duci *Ulr. de Pfanberg* cum *Ulrico de Pfanberg* &c. fidem negavit. V. Hier. Pez tom. 2. f. 732. & tom. 1. f. 1122. &c. plura in opere; poſthac mihi non amplius viſus eſt, qui enim an. 1360. in Runenſi 23. occurrit, longe poſterior hoc fuerit, ne ætatem Wulfingi VI ultra 120. annos extendere cogamur.

T. Fridericum IV. Henricum, *Ulricum*, & *Wulfingum* fratres fuiſſe, docet Wurmbrandius ex archivo ſtatuum infer. Auſtriæ, utpote qui *Otto de Goldeck.* an. 1283. ab *Ottone de Goldeck* 100. marcas argenti mutuas ſumpſerunt, litteris *in Kapfenberg Styriæ caſtro* datis, Fridericum & Henricum fra- *Conrad. de Pillichdorf, & Albero de Puechaim* tres Stubenbergios an. 1297. præſentes fuiſſe renunciationi *Conradi Pillichdorfii* contra *Alberonem de Puchaim* idem Wurmbrandius fol. 18. docet, de ſingulis mox plura. Jam de Friderico IV. Fridericus hic an. 1288. præſens fuit, ac teſtis ſubſcriptus Dipl. Seccov. 117. dum *Ulricus Com. de Pfanberg.* *Ulricus Comes in Pfanberg* damna compenſaret per Henricum parentem Seccov. illata, atque an. 1299. primus teſtis citatur in Diplom. Epi- *Herdnidus de Wildonia.* ſcopatus Secc. N. 61. dum *Hertnidus de Wildonia* liberalem ſe exhibuit in Epiſcatum dictum. 1301. Fridericus hic ſimul cum Henrico fratre teſtem egit, & ſigillis firmavit donationem *Comitum de Phannberg* Eccleſiæ Göſſ. factam, ut v. Dipl. Göſſ. 73. an. 1305. iidem duo fratres teſtes ege- *Biſchoffsegg caſtrum Styriæ conditur.* runt Ulrico Ep. Secc. dum arcem Biſchoffsegg condens, cavet damnis Wildonenſium inde orituris, ut v. Dipl. Epiſc. Seccov. Num. 65. tandem an. 1311. iidem fratres ſubſcripſerunt Diplomati Seccov. 152. cum Wulfingo eorum patruo, de quo litt. *R.* & *S.* poſt hunc annum non amplius invenitur, ſigno, eos vel mortuos, vel ſenio prægravatos fuiſſe.

Friderici hujus cum Alberto I. Auſtriæ Duce res in ipſo opere *Guttenb. Kötſch & Kapfenberg arces DD. Stubenberg.* ad 1292. & ſeq. dicetur. Lazius Dominiis *Guttenberg & Kacz* mulctatum ſcribit, Haſelbachius vero *Kötzio Gutenberga & Kapfenberga.* Fridericum hunc cum Lex. Baſileenſ. authore, ſatorem lineæ Kapfenbergicæ opinor, quem idem Ulrici lineæ Wurmberg. authoris & Wulfingi Bamberg. Ep. fratrem ſtatuit, etenim an. 1240. in Diplom. Ep. *Ortolphus de Kapfenberg.* Seccov. 16. *Ortolfum* adhuc *de Kapfenberg* ſubſcriptum lego, quapropter hujus ſæculi medio circiter, familia Kapfenbergica extincta, Stubenbergii eisdem hærêdes ſucceſſerint, quamvis vero in Diplom. Seccov. *Kapfenbergii ſæc. 13. medio extincti.* 24. & 29. *Udalricus de Stubenberg fratruelis Wulfingi de Chapfenberg*, & *Wulfingi de Kapfenberg.* ejusdem hæres an. 1197. dicatur, Wulfingus Chapfenbergius tamen ab ægritudine ſua convaluit, vitamque & liberos adhuc produxit, ut in Kapfenberg. Geneal. dicetur ad Diplom. 14.

V. Henricum Stubenbergium Frider. IV. fratrem, mox oſtendi, & quidem ad an. uſque 1311. in Diplomat. cum eodem ſubſcriptum. Henricum hunc factioni fratris non adhæſiſſe, ſed Alberto Duci Au-

ſtriæ fidem ſervaſſe ad an. 1292. in opere dicemus, huic enim *Schleuning oppidum Hungar. & caſtrum cum clauſura* commendavit, Udalrico vero *Rechnizium*, ut docet Haſelbach. Chron. Auſtr. fol. 750. apud Hier. Pez tom. 2. Voravienſibus Canonicis an. 1290. advocatiam bonorum in Wenigzell libere tradidit, ac an. 1309. bona Pilbungsfreut an der Hochwarth iisdem vendidit, utque Udalricus Roſſecker bona ſua in Edliz, Liechteneck, & Longeck nobis venderet, an. 1305. indulſit, v. Chron. Vorav.

W. Wulfingus VIII. hunc ego ord. Præd. ad mitram Salisburg. præſentatum, tandem vero Epiſcopum Bambergenſem conſecratum ſentio. Ratio ita ſentiendi ſequens eſt, ex lit. *R. S. T.* patet, fuiſſe Wulfingum, Friderici & Henrici patruum, & ſimul Wulfingum eorundem fratrem, ſimulque Wulfingum quendam Stubenbergium eodem tempore, qui ſe primum Ottocaro Regi Bohemiæ, mox etiam Alberto Duci Auſtriæ oppoſuit, ſed Wulfingus, Friderici patruus non fuit Epiſc. Bamberg. ſed Parochus ſolum Pruggenſis, proin Wulfingus Ep. Bamberg. hic cenſendus eſt, cum conſtet Friderici & Henrici fratrem etiam Wulfingum fuiſſe, Wulfingus vero VII. non Friderici vel Henrici frater, nec Frid. III. ſed Wulfingi V. filius fuit, ut lit. *O.* exhibui. *Wulfing. VIII. ord. Præd. Ep. Bamberg.*

X. Udalricus III. ejusdem Frider. III. filius, Wulfingi, Henrici, ac Frider. IV. frater fuit, cui, ut lit. *V.* dixi, Albertus Auſtriacus Rechnizium Hungaris ereptum, tutandum commendavit, v. etiam dicta lit. *T.* plura de ejus rebus uxore ac fratre etiam Ottone refert Wurmbrandius, quæ tamen, uti & fratrem Ottonem omitto, ſecutus interim Hübnerum & Bucelinum; cenſeo enim, Udalricum illum, qui an. 1283. jam ſubſcripſit, ab illo Udalr. qui ad an. 1360. &c. reperitur, diſtinquendum, huncque illius fuiſſe filium, ut Genealogia Hübneri & Bucelini oſtendit.

Udalricum hunc lineæ Stubenbergiorum in Wurmberg ſatorem ſtatuunt Hübnerus, Bucelinus, & Lexicon Baſileenſe, contradicunt Lazius, & Wurmbrandius docentes, Dominium *Wurmberg* Stubenbergiis acceſſiſſe ſæc. 15. primum per *Agnetem natam de Petovione*, uxorem *Lutholdi Stubenbergii Capitanei Styriæ*, ſed non conveniunt huic Lazii ſententiæ Diplomata veterum, quibus Petovienſes Domini de Wurmberg ad ſæc. 14. medium ſolum perduraſſe, dignoſcuntur, ſic in Diplom. ord. Teutonic. Græc. part. 1. Diplom. 25. ad an. 1360. atque ad eundem annum *Hertnidus* ex Diplom. Runenſi 50. citati reperiuntur. Cenſeo itaque, *Hertnidum* vel *Fridericum de Petovia* ultimum hujus familiæ, cum videret, ſe prole maſcula deſtitui, *Udalricum III. de Stubenberg*, cum hujus deſcendentibus ſubſtituiſſe ſibi hæredem, indeque hunc ſatorem lineæ Wurmbergicæ ſtatui, quamvis fors hujus primum filius Udalricus IV. poſt an. 1360. Dominium Wurmbergenſe adierit, ſicque concordat, ut ſcribit Wurmbrandius fol. 3. quod *Agnes de Stubenberg nata ex Dynaſtis de Pettau* acceptis 3000. librarum denariorum, reliquæ paternæ hæreditati renunciaverit an. 1443. *Wurmberg quando Stubenbergiis ceſſerit. Agnes de Petov. Petov. famil. quando ſit extinc. Hertnidus & Frid. de Petov.*

Abrumpo hic filum de Stubenbenbergiorum clariſſima proſapia, ne longior ſim, deductio utriusque lineæ Wurmbergicæ & Kapfenbergicæ ex ſequentibus tomis patebit.

De Strechau DD. Geneal.

12. *Teſtem* e Styriæ nobilitate veteri exponendum aſſumo *Geruncum de Strechavv vel Strehav*, familiam hanc vetuſtam negligunt Hübnerus, Bucelinus, Wurmbrandius, attingit ſolum in Hoffmaniis Lazius, qui ex veterum Diplomatis a me viſi ſunt, breviter recenſebo: *Geruncus* hoc in Diplomate citatus, reperitur etiam inter teſtes Diplom. Admont. variorum inter mea Num. 43. 69. 70. ad an. nimirum 1170. & 1186. meminit Lazius lib. 6. de migr. gent. fol. 219. ad annum 1170. *Gerunchi de Strehau*, quem tamen ego, uti & illum ad an. 1186. citatum, diſtinctum ab hoc noſtro, & ſors hujus filium ſuſpicor, ne ætatem ejus ab anno 1112. ad 1186. teſtimonio ferendo capacis, extendam nimium. Idem Lazius *Duringum de Ströchav* ad an. 1140. refert, qui probabilius Gerunchi I. frater, vel ſi mavis filius, & Gerunchi II. frater fuerit. *Adalbero de Strechave* ad an. 1171. inter teſtes reperitur in Diplom. Admont. 62. inter mea Num. 44. quem proin Gerunchi II. fratrem fuiſſe opinor. *Wolfkerus & Otto* in variis Diplom. Admont. eod. hoc tempore viſuntur, plura nobis de iis invidit antiquitas, potentes utcunque Dominos fuiſſe, manifeſtat Diplom. Admont. inter mea Num. 69. in quo poſt *Geruncum de Strebove* referuntur Dietmarus & Gotfridus homines ejus, ſeu vaſalli.

Hoffmannii de Grüenpiebel & Strechav Dom.

Quo vero tempore orti, quo extincti fuerint? ignoramus; id unum ex Lazio conſtat fol. 209. *Dominos de Hoffmann a Grüenbichel & Strecha* fuiſſe ſuo tempore dictos, hosque opum cumulo ob fidelia Auſtriæ Principibus exhibita obſequia, non ſolum ad Baronum dignitatem ſublatos, verum etiam authoritate & ditione in Auſtriæ Provinciis Principes habitos fuiſſe, in *valle* **Cammerthall**, ac *in vicinia Rotenmanni oppidi* caſtra ſua poſſediſſe. Dominium *Strechovienſe* Admontenſibus ſumma 96000. fl. comparavit Urbanus Abbas ſæc. 17. medio, quo Hoffmannii ob turbas Bohemicas Provinciis Auſtriæ exeſſe juſſi ſunt, ut ſuo tempore oſtendam.

Eoium bona in Cammerthall & Rottenman.

Expulſi ex Auſtr. Provinc.

De Schlierbach Domini.

13. Teſtis eſt *Ottocar de Schlierbach*, Domini hi ſæpius in Styriæ Diplomatibus occurrunt, progeniem eorum tamen Auſtriacam eſſe fere omnes profitentur; qui, quoniam a Styra reliquisque Principum noſtrorum terris non admodum diſtabant, ab eisdem etiam crebrius teſtes ſunt adſciti. An vero iidem Domini fuerint loci illius Slierbacenſis in Auſtria, in quo circa an. 1355. *Eberhardus de Walſee* Provinciæ ſupra Anaſum Judex, & Capitaneus Ciſtercium fundavit, Auſtriaci litigent. Ottocarus itaque de Schlierbach invenitur etiam an. 1138. teſtis ſubſcriptus Diplomati Chunradi I. Salzb. *R*unenſibus dato, inter mea Num. 9. præſensque cum Chunrado, & *Sophia Marchioniſſa Styriæ* Runæ fuit, hujusque Miniſterialis, item an. circiter 1162. dum *Ottocarus V. Marchio Styriæ* Admontenſibus alpem Scobern donavit, v. Dipl. mea Num. 21. uti & an. circ. 1164. teſtem egit donationi Admont. factæ, v. Dipl. mea Num. 35. *Ludovicus de Schlierbach* anno primum 1182. invenitur in Diplomate Ottocari VI. Seccovienſibus dato, v. Dipl. mea Num. 58. item an. 1186. dum Ottoc. idem bona Admont. in protectionem ſuam recipit, & plura adjicit, v. Dipl. mea num. 69. & 70. hinc neſcio, an non erret Prevenhueberus fol. 364. docens: *Ludovicum & Ottonem de Schlierbach* ſubſcriptos inveniri in litteris fundat.

Walſee de Eberhardus.

Monaſt.

Monaſt. Garſtenſ. Quæ enim ſunt illæ litteræ fundationis Garſtenſis ad an. 1108. ? prima fund. Garſtenſis an. 1082. affigitur, ſecunda an. 1107. ſi ſecundam intelligam, nec *Ludov. nec Otto de Slierbach* ſubſcripſit, non Ludovicus, qui ad an. uſque 1186. teſtis adhuc invenitur, nec *Otto* ſed fors *Ottocarus* tantum. Præterea litteræ fundat. Garſtenſis probabilius perierint, cum eas nec Frælichius, nec alii referant. Litteræ confirmatoriæ vero Garſtenſes, quas ad an. 1143. affigit Prevenhueberus, ad hunc an. 1112. ſpectant, eædemque ſunt cum Diplomate hoc 4. a nobis allato, fragmentum enim illud Prevenhueberi omnimode cum hoc Diplom. convenit, teſteſque iidem occurrunt, eademque ſubſcriptio, plura jam Diſſert. 4. animadverſa ſunt, & in annotat. ad Dipl. 10. dicentur. *Garſt. fund. litteræ criſi indig.*

14. & 15. Tteſtis *Marquardus Pembengirt* (aliis Peinhengſt, Painhengeſt) & *Arnbalm* filius Brunonis, cujus? neſcitur, inter nobiles recenſendus vix erit, cum ſine addito & præpoſitione, ut ajunt *de*, legatur; novimus enim ſæpius etiam teſtes non nobiles fuiſſe adhibitos.

Reliqua hujus Dipl. Num. 10. expendentur, interim confirmatur ea, quam Diſſert. 1. tradidi, ſententia, nimirum Principibus noſtris, plenum jus territorii hoc tempore fuiſſe, cum hoc in Diplomate Ottocarus, nulla mentione Imperatoris vel Ducis Bavariæ facta, privilegia diſtribuat, advocatiam ſibi reſervet, Miniſterialibus ſuis legandi, quæ vellent, Garſtenſibus poteſtatem faciat. Acta ſunt hæc denuo *apud Laureacum* in cœmeterio S. Laurentii, unde his in locis reſediſſe Ottocarum, eique Laureacum paruiſſe colligo. De anno & indictione plura dicam Num. 10.

Ad Diploma 5. *Ad Diplom. 5.*

Hoc in Diplomate fatetur Leopoldus, parentem ſuum Ottocarum IV. fundatorem Garſtenſem, ſecundum nimirum fuiſſe, ſeu Monachorum inibi collocatorum, uti Diſſ. 4. abunde dictum; innuit præterea Ottocarum IV. Patrem ſuum jam hoc an. 1123. defunctum fuiſſe non ſolum per ea verba: *Pater meus pie memorie Ottochar &c.* ſed etiam dum ait, donationem eo vivente factam *per manum ſuam* ſe denuo confirmare *ob remedium animæ jam dicti Patris* ſui, hinc Diplomati Glunicenſi Num. 6. adferendo, fides decedit ex genuino hoc Diplomate, ut Diſſert. 4. cap. 4. §. 12. & in annot. ſeq. dicam. *Ottoc. IV. mors an 1122. firmat.*

Privilegia & donationes, quas ſupremo jure Leopoldus Garſtenſibus tribuit, magnæ omnino ſunt, evincuntque denuo, nemini aliorum Principum, Leopoldum noſtrum fuiſſe ſubjectum.

Teſtium cognomina adjecta non ſunt, Indictio tamen vitioſa 15. utpote quæ ſolum an. 1122. competit, anno vero huic 1123. Indictio 1. cur ſæpius Indictio mala veterum in Diplomatis reperiatur? res eſt, quæ jam diu Magiſtros rei Diplomatariæ Hergottum, Mabillonium, aliosque divexavit, antequam meam conjecturam ſubjungam, de Indictionibus his crebro occurrentibus ſequentia prænoto: *Indictiones cur crebro vitioſæ.*

Quis fuerit author Indictionum, & quandonam cœperint? incertum eſt, uti &, unde id nominis collectis ita ac decurrentibus 15. annis ſit impoſitum. Quod enim vulgo dicitur de triplici ſtipendiorum *Indictionum author.*

genere,

genere, auri, argenti, æris, ſemper procedente, donec numerus 15. exhauſtus eſſet (uti legitur apud S. Eligium ſerm. 2.) hodiedum probandum incumbit illi, qui primus aſſeruit, cur enim in 15. non in 20. annis ſiſtitur?

Earum initium. Quod concernit initium Indictionum, Chronicon Alexandrinum, ſeu faſti ſiculi, Indictiones incipiunt a primo C. Cæſaris anno; adduntque inchoari Kal. Septemb. in codice Theodoſii mentio fit *Valentiacæ Indictionis*, unde ſuſpicio eſt, ab Imperatoribus Indictiones primum uſurpatas. Quidquid ſit de aliis, *Conſtantiniana*, quæ plus celebritatis habet, ab anno Chriſti 312. deſumitur, & ex hac omnium Indictionum deducitur initium, ut probat Petavius, cumque ea teſte Pagio ab 8vo Kal. Octob. ſeu 24. Septembris ducta ſit an. 312. patet an. 313. uſque ad 8. Kal. Octob. Indictionem primam fluxiſſe.

Indictio Valentiaca.

Conſtantiniana a quo an. deſumat.

Varius Indictionum uſus. Varius fuit uſus Indictionum, *Conſtantiniana* ſeu *Cæſarea* ab 8vo Kal. Octobr. *Conſtantinopolitana* a Kal. Sept. *Pontificia* tandem, ſeu *Romana* a Kal. Jan. fuit incœpta. *Conſtantiniana* poſt Ludovici Pii mortem in Gallia etiam uſurpari cœpit, quanquam Carolus M. qui primus eas in Francia, & quidem poſt aſſumptum Imperatoris titulum adhibuit, hac nondum uſus fuerit, immo ut erudite oſtendit Pagius, tempus Indictionum in Gallia etiam an. 862. nondum certum fuerit; in plerisque Caroli Calvi, & Ludovici Regis Germaniæ Diplomatis adhibetur Indictio *Conſtantinopolitana*, vel etiam *Romana*.

Conſtantiniana ſeu Cæſarea Conſtantinopolitana, Pontificia ſeu Romana.

Indictio quidem, quæ nunc *Romana* dici ſolet, & *Pontificia* tardius in Italia fuit adhibita; inibi enim, & Conſtantinopoli more antiquo Indictionum initium ad Kal. Sept. fixum, atque ut obſervat Pagius ad an. 917. ſæc. 10. & 11. continuatum fuit, imo Papæ omnes poſt Pelagium 2. Indictionibus uſi, in ſuis Diplomatis more antiquo Indictiones a Kal. Sept. numerabant uſque ad ſæc. 13. quo a Kal. Januar. eas uſurpare cœperunt.

In Anglia, Germania, *Indictio Conſtantiniana* viguit ad ſæc. uſque 9. quo a die nativitatis cœpta, & ſæc. 10. denuo a 1. Sept. Carolus Calvus, ut modo dixi, Indictiones quidem, modo a Kal. Sept. modo a Kal. Jan. deſumpſit, idque pro notariorum libitu.

Indictiones cur ſæpe vitioſæ. Cur vero in Diplomate hoc uti & pluribus aliis indictio vitioſa inveniatur? quæſtio eſt non modica, cui reſponſum promptum dare perarduum videtur, cenſeo hac in re multum notarios obfuiſſe, qui, quoniam pro libitu jam Conſtantinianam, jam Conſtantinopolitanam, mox Romanam inſcripſere Indictionem, in ea etiam ponenda non raro erraverunt; conſtat enim exemplis pluribus, Diplomata, non mox ubi concepta, ſed poſt tempus etiam longius primum ſignata, & extradita, aut etiam, ſi incendio, aliove caſu deperdita, aliis rurſus annis fuiſſe renovata, hoc jam in caſu notarii ſubin minus accurati Indictionem illam, qua Diploma conceptum inſeruere Diplomati dein tardius extradito, indeque errores plurimi in Indictionibus, non paucis etiam in annis adjectis evenere. V. Diſſert. 4. cap. 4. §. 12.

Uti & Diplomata.

Datum eſt Diploma *Styre, urbe ſeu arce*, ab Ottocaro noſtro I. ædificata, ut Diſſert. 4. cap. 1. oſtendi.

Ad

Ad Diploma 6. *Ad Diplom. 6.*

De Diplomate hoc Glunicenſi plura jam pertractavi Diſſert. 4. cap. 4. §. 11. & 12. ibique dubia, quæ huic diplomati oggeri poſſunt, propoſui, ex quibus proin cenſeo, annum 1125. erronee fuiſſe adjectum; uti & indictionem 6. cum tertia eſſe deberet. Nec moror Prevenhueberum, hac in re manifeſte ſibi contrarium, dum in Annal. Styrenſ. pag. 23. *Dietmarum Preybafen* teſtem dicit in quodam Ottocari hujus diplomate an. 1126. Monaſterio Cremiſan. dato ex caſtro *Steyr*, fol. 15. tamen eundem hunc Ottocarum an. 1122. jam ſatis ceſſiſſe ſcribit. Dubia hæc mea, ubi Reverendiſſimo DD. Abbati Glunic. expoſui, non moratus eſt reſponſum meum, atque die 3. Maji non ſolum diploma hoc Glunic. & Garſtenſe Num. 10. exponendum, in forma probante, utriusque Reverendiſſ. Abbatis ſigillo ac manu propria firmatum ſubmiſit, ſed etiam gratioſiſſime reſcribens, diploma utrumque criſi aliqua illuſtrandum eſſe faſſus eſt, ſeque in ſynopſi chronologica ſui Monaſterii, quam jam fere ad medium perduxit, annotationes quasdam ea de cauſa annexuiſſe affirmavit. Urſi rem, pluraque ſubmiſi ad inſtantiam ejusdem, at dum reſponſum ab eo denuo expectarem, fatales mihi dolorisque plenæ de obitu alteſati Glunic. Abbatis morte in 25. Maji incidente ſubmiſſæ ſunt litteræ a plur. Rev. ac Clariſſ. Patre Floriano Hehenperger Priore p. t. ac Adminiſtratore meritiſſimo. *Dietm. Preybaſ.*

Inſiſto itaque ſententiæ meæ Diſſert. 4. cit. traditæ, judicoque diploma hoc anno 1121. vel anteriore etiam conceptum, aſſenſu Ottocari ac Leopoldi filii firmatum, dein vero defuncto etiam *Arnhalmo de Glunic*, dum *Prunonius* filius votum Patris adimpleret, ſignatum primo ac extraditum fuiſſe, ſicque notarii neglectu, dum annus adimpleti voti ſolum expoſitus eſt, eo ſub anno omnia enarrata, quæ prioribus annis jam contigere. *Arnhal. & Brunone de Glunick.*

Inſpiciamus jam, ac perluſtremus diploma ipſum. Glunicenſes hi Dynaſtæ Miniſteriales fuerint Ottocari noſtri, cum conſenſu ejus, ad fundationem hanc faciendam opus habuerint. Nec mirandum, cum in inferiore Noricorum parte, nunc Auſtria ſuper Anaſum, ſeu ſuperiore dicta, quæ tum Styriæ noſtræ pars erat, fundatum fuerit. In pluribus veterum diplomatis citatos reperio *Dominos de Glanecke*, *Hartvvicum*, an. 1164. 1171. 1174. in diplom. meis Num. 33. 46. 49. *Ludovicum* an. 1166. 1171. 1172. 1174. in dipl. meis Num. 36. 46. 47. 49. ſed hos eosdem cum Glunicenſibus fuiſſe non credo, cum in diplom. Ottoc. VI. Trunæſanenſ. Monaſterio an. 1191. dato, inter mea Num. 77. diſerte citetur *Heinricus de Glunich* pl. inferius. *Glunic. DD. videntur Miniſteriales Ottoc. IV. fuiſſe.* *Hartw. & Lud. D. de Glanecke an iisdem cum DD. Glunicenſ.* *Henricus de Glunich.*

Arnhalmi Patris votum (*quod animo concepit, opere non complevit, eo quod prius viam univerſæ carnis Domino vocante eſt ingreſſus*, ut ait diploma) executus eſt Prunonius Arnhalmi filius, atque in loco *Glunich* Conventum Religioſorum fratrum ſub reg. S. Bened. militantem inſtituit, quia vero in temporalibus minus ſatisfacere potuit, eandem Eccleſiam cum omnibus pertinentiis *in manus Ottocari & filii Leopoldi* tradidiſſe dicitur tali conditione, ut eandem B. Petro Apoſt. & S. Georgio, Patronis Eccleſiæ Babenbergenſis delegaret. *Glunic. Monaſt. O. S. B. fundat.*

Fecit id *Ottocarus*, atque in manus *venerab. Ottonis Babengenſ. Epiſcopi*, cum conſenſu *Regenmari Patav. Epiſc.* in cujus Diœceſi Monaſterium erat, eam Eccleſiam delegavit; traditio itaque hæc Ottocari S. Ottoni I. Epiſc. Bamberg. facta fuerit, qui ei Eccleſiæ ab an. 1102. ad 1139. præfuit, & quidem non ante annum 1121. cum ante eum annum Regenmarus Patav. Ep. primum an. 1121. electus, conſenſum præbere non potuiſſet.

Advocatia Monaſt. Glunic.

Advocatiam hujus Monaſterii ſibi reſervat Ottocarus, ſubadvocatum autem areæ Monaſterii hujus vult eſſe unum ex filiis ſupradicti Prunonii, quos inter Henricum cenſeo ſupra allatum; atque ſi Domini de Glanecke ab illis de Glunich diverſi non erant, etiam Ludovicum & Hartwicum.

Ottocarus IV. quæ bona dederit Monaſterio Glunic.

Exprimuntur dein bona ab Ottocaro IV. Monaſterio Glunicenſi attributa, nominatim *in monte Pirno*, quæ nempe ipſe Ottocarus, ac ejus progenitores pheudi inſtar ab Epiſcopis Babenbergenſibus habuerant &c. in quo omnino non dubitamus, modo hæc ultra annum 1122. non extrahantur; illud vero falſum, quod ex Catal. Abbat. Glunic. apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 329. legitur, Leopoldum Ducem Auſtriæ & Styriæ ad humiles preces Marquardi Abbatis II. Glunicenſ. Monaſterium hoc ab omnibus advocatis liberaviſſe, per ſpeciale privilegium datum apud Laureacum nonas Maji Indictione 7. an. 1175. quo tamen anno non Leopoldus, ſed Ottocarus VI. ſolum, Marchio Styriæ præfuit; an. etiam 1175. Indict. 8. currebat. Præterea jam ex eod. hoc Diplom. obſervatum eſt, Ottocarum difficultati huic de advocatia præcaviſſe, reſervando eam ſibi & poſteris ſuis.

S. Otto I. Ep. Bamberg. Ejus acta.

Teſtes jam ſubſcripti huic Diplomati ſunt explorandi, quos inter ut dignitate, ita & *primus* ordine *Otto venerab. Epiſc. Babenbergenſis* fuit, & quidem hujus nominis primus, hic antea Cancellarius Henrici Imp. an. 1102. Ruperto def. Babenberg. Epiſcopo eſt ſuffectus, moxque ſchiſma etiam execratus, Pontifici contra Cæſarem Henricum adhæſit, & Romam ideo abiens, inſignia inveſtituræ regiæ coram Paſchali II. facti pœnitens abjecit, indeque a Papa confirmatus eſt, jam prius recuſato Auguſtano, & Halberſtadienſi Epiſcopatu conſecratus die Pentec. anni 1103. mox Pommeraniæ Apoſtolus eſt factus: anno 1106. inter cæteros Henrici Imp. legatos Romam menſe Februario venit, indeque rediens multa a Guelphone Bavar. Duce perpeti debuit.

Pruſeningenſi Cœnobio a ſe fundato S. Erminoldum Abbatem dixit, qui Abbas dein an. 1121. occiſus eſt. Conventui Wormatienſi, in quo pax Eccleſiæ & Imperii an. 1122. reſtituta fuit, interfuit, atque an. 1124. in Poloniam indeque in Pomeraniam primum ſuum iter inſtituit a Boleslao Poloniæ Duce Pomeraniam ſibi ſubjungante eo miſſus, ubi cum Vratislaum Pomeraniæ Ducem cum duobus filiis baptizaſſet, plurimosque ad fidem convertiſſet, Adalberto Ep. Pommeraniæ prius ordinato, ad ſuos iterum eſt reverſus. An. dein 1128. ſecundam ad Pomeranos profectionem denuo inſtituit, plurimosque convertit, tandem vero plenus meritis an. 1139. obiit, cui Egilbertus ſucceſſit. Clemens III. Ottonem hunc an. 1189. in numerum SS. adſcripſit.

2*dus* teſtis erat *Henricus*, tum ſeu eo tempore *Præp. Babemberg.* ac 3*tius Ulricus Decanus* ejus Eccleſiæ, qui proin omnes *Styræ* hoc tempore comparuerint. *Henricus Præp. Bamberg.* *Ulricus Decan.*

4*tus* Sigehardus Abbas Gerſtenſis, Abbatem Sigehardum inter Garſtenſes non reperio in Catal. Bruſchii, Centuria 2. ſol. 119. nec in excerptis veteris Chronici Garſtenſis apud Hier. Pez tom. tom. 2. ſol. 145. & ne hujus ſolum authoritate nitar, certum eſt, inter omnes veteres & recentiores ſcriptores, præter unicum Chronici Admontenſ. conditorem, S. Bertholdum I. Abbatiæ Garſtenſi ad an. uſque 1142. præfuiſſe. Admont. Chroniſta uno anno obitum prævertit. S. Bertholdo I. ſucc. ex diplomate Garſt. 9. inter mea Num. 18. Sigehardus Abbas, atque huic Conradus, qui circa 30. an. Monaſterium rexit. Teſtis hic male ſubnotatus anno 1125. denuo ſuſpectum reddit diploma, v. pl. 1154. ſed præter hunc etiam *Sigehard. Abb. Garſt. hoc temp.*

5*tus: Fridericus Abbas in Sittamſtetten* in hoc diploma peſſime irrepſit, Sittanſtetenſis Abbatia an. Abbatia an. 1116. eſt Monachis data, primus ei Abbas præfuit *Leopoldus Monachus Gottwicenſis*, qui teſte cod. MS. Sittanſtet. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 307. annis 24. Eccleſiam rexit, proin an. 1140. obiit, poſt Leupoldum Sifridus, 2. & paulo plus annis rexit, ſicque Fridericus ſucceſſor ante an. 1143. Abbas in Sittanſtetten non fuit, qui denuo magnum movet diplomati huic dubium, unde vel expungendus, vel diploma ſuppoſitionis arguendum. *Nec Frid. Abb. in Seitenſtetten. Seitenſt. I. Abb. Leopold.*

6*tus:* Subſcripſit *Leopoldus Marchio filius noſter.*

7*mus: Rudolfus de Perge*, v. annot. ad diploma 4.

8*vus: Udalricus de Willebringe*, eundem ad an. 1146. citatum invenio in diplom. meo Num. 16. quo Ottocarus Marchio Cambium inter Abbatem Runenſem & Lambertinum firmat. *Domini hi de Willebringe* dicti, iidem fors fuerint cum Baronibus *de Wexenberg vel Waxenberg* in Auſtria, quorum duo Germani fratres *Udalricus & Colo*, arcem ſuam, a venetionum forte deliciis *Hilariam*, corrupte *Wilhering* dictam, in clauſtrum verterunt Can. Reg. S. Aug. primo, dein ordinis Ciſtercienſis. *Udalricus* hic ſubnotatus, forſitan unus fundatorum horum dicendus erit. *Willebringii Domini. An iid. cum Dominis de Waxenberg. Hilariæ ſeu Wilhering nom.*

9*mus:* teſtis *Gottfridus de Ageſt*, v. annot. ad diploma 4.

10*mus: Gotſcalcus de Hunſpbach, Fridericus filius ejus*, error hic denuo cubat, nam primo non *Hunſpbach*, ſed *Hunnesberc* legendum, dein, ut ex annot. ad diploma 4. patebat, *Fridericus* Pater fuit, & *filius Gotſcalcus*, ut vetera hujus temporis diplomata habent.

11*mum* teſtem egit *Otto de Machlande, & frater ſuus;* antiquiſſima eſt hæc Auſtriæ familia jam extincta, Dominorum ſeu *Comitum de Burghauſen, & Machland*, qui toti illi regioni, e qua nunc quadrans Auſtriæ ſuperioris dictus *Machlandicus* conflatus eſt, dominabantur, donec an. 1186. deficiente hac Comitum familia, Comitatus Machlandicus, Imperii beneficio Auſtriæ Principibus obtigit, dein a Rudolfo I. Cæſare *Ottoni Brandeburgico genero ſuo*, in Catharinæ filiæ dotem an. 1280. eſt aſſignatus, unde denique iterum ad Auſtriacos rediit. Prevenhueb. Annal. Styr. fol. 407. eum Comitatum an. 1213. emptione ad *D. Ulricum de Clam* devolutum ſcribit. Quidquid de hoc ſit, id *Machland. de Domini ſeu de Burghauſen. Machlandicus Auſtr. quadrans. D. Ulricus de Clam.*

Henricus de Prueſebenk. ex Diplom. Maximiliani an. 1495. edito, apud Excell. Wurmbrand. fol. 249. conſtat, eo anno territorium Machlandicum denuo in Comitatum erectum, atque *Henrico Bruſchenkio* inter S. R. I. Comites deſtinato feudi inſtar conceſſum. In eodem vero Diplomate habetur Comitatum hunc Machlandicum per mortem *Ottonis ultimi Comitis Machlandici*, & fundatoris Baumgartenbergenſis deſeciſſe, & diſtractum fuiſſe.

Otto ult. D. de Machland.

Com. de Sunneberg & Scher.

12. *Chunradus de Sunnelpurch*, Comites hos *de Sunneberg & Scher* Lazius lib. 6. de migr. gentium *a Dapiferis de Waldburg* deducit, & *Eberhardum Joannis III. Dapiferi a Waldpurch filium, & fratrem Germanum Georgii & Jacobi*, a Friderico Imp. emiſſe Comitatum Sunnebergenſem ſecus Danubium, indeque ſibi nomen *de Sunneberg* aſſumpſiſſe ſcribit.

Waldburgii Dapiferi Joannes III. Eberhardus, Georgius, Jacobus.

Ourgſtall famil. origo.

13. Teſtis eſt *Henricus & frater ſuus Hartvvicus de Purgſtall.* Familiam hanc inter Styros noſtros celeberrimam *Dominor. de Purgſtall, Baronum ad Krupp* &c. hodie Comitum ſeriei adjunctam, antiquiſſimam eſſe conſtat, ita ut ejus origo certa inveniri nequeat; Lexicon univ. Baſileenſe eam in Carniolia ortam docet ſæc. 13. a quodam *Siegvvaldo*, exſtitiſſe etiam in Comitatu Tyrolenſi, non procul Merano arcem, & familiam ejus nominis, quæ anno 1369. in *Volkmaro I. Burggravio & Provinciæ ad Atheſim Capitaneo* exaruit. Bucelinus in Stemmatograph. deductionem Purgſtalliorum ab eodem Sigwaldo orditur, Hübnerus & Lazius eam negligunt, MS. Khainachianum imperfectam ideam offert, Excell. Wurmbrad. in Geneal. collect. cap. 43. familiam eam in carnis quærendam ait, primos eorum patres ad ſæculum 13. differt, Illuſtr. Valvaſorius in rebus Carnioliæ cæteroquin ſolertiſſimus, eorum tamen non meminit; in Diplom. & docum. Styriæ hactenus mihi viſis ad an. 1240. *Chunegundes filia Alberti militis de Purgſtall* refertur a Frælichio in Diplom. Epiſc. Seccov. 17. quo eadem a Friderico Duce Styriæ, de ejus & mariti, ac parentum conſenſu cum hæredibus, quos genuerit, Henrico & Epiſcopatui Seccov. donatur.

Vir pro Patria noſtra zeloſiſſimus Albertus Fink, ord. S. Franc. ſtrictior: obſervantiæ, Feldbacenſis Conventus, *Illuſtriſſimo DD. Joanni Wenceslao Com. de Purgſtall* notiſſimus, hujusque favoribus ac gratiis digniſſimus, quandam illuſtriſſimæ hujus familiæ deſcriptionem, mihi inter complura alia documenta ſubmiſit, ex qua & deductione illa apud Bucelinum cit. reperta quandam ideam illuſtriſſimæ hujus familiæ ſtatuo, donec pluribus de eadem edocear.

Inſigne eorum.

Documenta familiæ communicata habent, probabile eſſe, familiam hanc ex Tranſylvania aut Boſnia oriundam eſſe; primo in ſuo inſigni gerebant caput ſenis in campo cæruleo, ac in galea ſeu Caſſide ſimile caput, ubi vero per nuptias in Provincias Auſtriacas, Auſtriam Styriam, Carnioliam immigrarunt, inſigne quoque mutarunt; ſic duplicem ligonem cum nigro faſciculo ardeæ (die doppelte Hacken mit dem ſchwarzen Reigerbuſch) e familia *de Hochenvvarth* (cum *Mauritius de Purgſtall* unam hujus gentis uxorem haberet) & rubrum bovem cum aureo annulo a *familia DD. de Gratz* deſumpſiſſe videntur, cum *Chriſtophoro Purgſtallio* conjux, familiæ Dominorum de Graz fuerit. Bucelinus in eorum inſigni turrim quandam

Hochenvvarth inſign.

DD. de Graz inſigne.

dam veterem præſentat, quam quoque per nuptias inſigni ſuo inſeruiſſe cenſentnr.

Arces hujus nominis variæ ſunt, **Purgſtall** arx in Comit. Tyrol. de qua ſupra, alia in Auſtria Comitum *de Auerſperg*, arx hujus nominis in Styria, olim Comitum *de Schrattenbach* erat, Purgſtall vero arcem Carnioliæ quondam Dominorum de Purgſtall fuiſſe docet Valvaſorius, qui Domini cum Epiſcopo Friſing. Parthenonis Locopolitani fundatores creduntur, cum pro his Dominis de Purgſtall ſingulis angariis eo Monaſterio Divina celebrentur; arcem hanc ultimo ævo *D. Joannes Joſephus Thaller* ultimus ſuæ familiæ, poſt eum hæreditate tenuit D. Joannes *Ludovicus de Hochenvvart*, a quo arx emptione ad Barones de Apfalterer eſt devoluta. *Purgſtall arces variæ.*

Ab iisdem Dominis de Purgſtall originem habere videntur floreni Purgſtallenſes (*Purgſtall* Gulden) quos teſte notitia mihi communicata Canonici Cathedrales Paſſavienſes hodie adhuc percipiunt.

Ex notatis archivi noſtræ aulæ Græcenſis invenio, duas fuiſſe arces nominis *Purgſtall*, una in circulo Celej. altera in circulo inter Muram & Dravum ſita, de uno horum caſtrorum feuda contulit Domino *Joanni Godefr. Herzenskraft*, an. 1621. *Paulus Baro de Eibisvvald*, Dominus ad Peckau, Capreinig prope S. Udalricum, atque an. 1646. *Chriſtophorus Baro Eibesvvald* ſe Dominum ad Purgſtall, Aichberg, Waldek, & Grabenhofen ſcripſit, unde id caſtrum eo ſæc. Eibiswaldiorum fuiſſe videtur. *Purgſtall arces. 2. Styriæ.*

Ex idea ſequenti perſpicere licet, plurimos hujus familiæ, belli ſtudiis fuiſſe clariſſimos; ſic *Eraſmus II.* v. lit. *A.* a Maximiliano Cæſare, contra Joannem Tranſylvaniæ Regulum an. 1565. dimiſſus ad Ungwar, 4000. Reguli hujus profiigavit, de quo pl. in Chron. Megiſeri, deſcript. Hungar. Martini Zeileri apud Ortelium, Joannem Bepa, aliosque Hung. ſcriptores legenda. *Joannes Georgius, Baro* v. lit. *B.* S. C. M. Camerarius, Colonellus mox Præfectus equitum, tandem Pro-Tribunus ſub legionibus Keglowitſch, Beygoth, & Com. Joan. Wilhelmi de Galler egregie decertans, munus tribuni obtinuit. *Ferdinandus* v. lit. C. an. 1659. bellis Poloniæ, Daniæ, & Tranſylvaniæ adfuit Subcenturio ſub legione Stroz; dein Præfectus equitum Carolopoli, *Joannes Gothardus Ferdinandus* S. C. M. Camerarius, v. lit. *D.* tribus expeditionibus bellicis operam contulit ſub legione de Schneidav, nempe an. 1657. & 1658. in ſuper. & infer. Hungaria, & tertiæ expeditioni an. 1659. in Pommerania dum urbs Stetin obſidione cingeretur: dein per quatuor annos Cæſareum Capitaneum egit in Bohemiæ Circulo Maldavienſi. *Carolus Wiccardus* Comes, v. lit. *E.* miles præſtantiſſimus Colonellus, mox Subcenturio, ne ulteriores progreſſus faceret, in prælio ad Kachersberg prope Argentinam cæſus a Gallis, vitam poſuit, ſicque merita ſua cumulavit.

Eadem MS. a doctiſſimo P. Alberto Finck communicata habent, *Joannem Rudolphum Comitem de Purgſtall*, neſcio, cujus filium peditum Subcenturionem, dein conſiliis bellicis in Styria deſerviiſſe. Uxorem habuit quandam Comitem *de Saurau*, eadem docent, quemdam hujus familiæ Canonicum Salisburgi egiſſe, alium vero ſtipendiis militaribus Salisburgenſibus, feuda juria Montani Salisb. in Luetenberg obtinuiſſe.

GENEALOGIA PURGSTALLIORUM.

Sigwaldus a Purgſtall, uxor *Utha de Dörr*, ſæc. 13. v. ſupra.

- *Bernardus*, uxor *Anna von der Leyter* ꝛc.
- *Otto*, uxor *Martha de Flednig vel Flädnitz.*
- *Hellfridus*, uxor *Brigida de Ratmanſtorf.*
- *Henricus*, uxor *Anna de Reichenburg.*

Ita Bucel. ſeriem deducit.

Adam I. Eques & Colonellus ac Tribunus, ita do cum. communicata. Conſentit Bucel. ux. *Mar. de Stein.*

Joachimus eques & tribunus tempore Mahometis II. Turc. Imp. Friderico Imp. dilectus, a quo varia feuda accepit, uti in Carniolia ad Seltſchach 9. & mediam huebas, & Celejæ ad Sauriths 42. & med. huebas. Ita docum. ux. *Catharina Ungnadin.*

Chriſtoorus I. huic frater a Bucelino tribuitur ux. Scholaſtica *de Oberburg.* Forte circa hæc tempora floruit *Philippus de Purgſtall*, cujus ux. Margaretha Ortolfi *Teſchans filia* an. 1345. v. Wurmbrand. *Chriſtophori* ſucceſſionem v. fol. ſeq.

Mauritius S. C. M. Conſil. cui Carolus Imp. ob merita præfecturam Dominii Reiffniz contulit, uxor Margar. de *Hochenwoart*, ita etiam MS. Kainach.

Eraſmus I. Proviſor Carniolię, ux. Beatrix ab *Herberſtein.*

Joan. Georg. Tribunus tempore belli turcici ſub Solymanno, dum Viennam anno 1529. obſideret, ux. *Sibylla de Lindegg.*

Carolus Chientelaris Dom. in *Görtſchach*, ux. Regina de *Dietrichſtein*, teſte Bucel.

A. Eraſm. II. ad Mindegg 1565. tribunus & locumtenens in Ungwar. Archiſtrategus 20000. equitum & pedit. v. ſupra, ux. N. *Suleböckin*, ita document. commun. ſed teſte Bucel. ux. Roſina de *Kapfenſtein.* MS. Kainach.

Chriſtoph. II. Deputatus Carn. in variis commiſſ. Principum adhibitus a. 1565. ux. 1. Eliſ. B. de *Collonitſch*, 2. ut ait Buc. An. *Gräſerin*, ſed docum. com. N. de *Grätz.*

Catharina m. Leon. *de Malenſtein*, MS. Kain. 2. maritum tribuit Sig. de *Waidegg.*

Barbara m. Caſpar B. de *Lamberg*, MS. Kainach.

Anna marit. Franc. *Leiſſer.*

Eliſab. m. Sig. *Leiſſer*, omiſſa in MS. Kainach.

Martha mar. Sig. de *Semitſch* de *Siemitſch*, ex MS. Kain.

Has filias Mauritii ex Bucelino deſumpſi & MS. Kainach. documenta ſubmiſſa eas negligunt.

Marg. mar. Ladis. *de Lamberg* in *Poppendorf*, ita Bucelin. & MS. Kainach. *Scholaſtica de Purgſtall* cœlebs defuncta ignotum, cujus filia? a Bucelino ſtatuitur.

Adamus II. ſub Carolo Archiduce tribunus 300. equit. in Croatia 1591. dum cum Haſſan Baſſa in Boſnia pugna eſſet, ux. Cath. *Guſſitſchin* de *Pögnitſch*, Bucel. eum 1587. defunct. tradit.

Chriſtophorus III. cœlebs obiit.

Caſpar, de uxore non conſtat.

Hos duos denuo ex Bucelino adduco, ac MS. Kainachiano, quod Chriſtophoro II. etiam duas filias tribuit, Evam *nempe* & Annam.

Georgius Chriſtophorus Lamberg. obiit an. 1619. ux. Anna Cath. Baro de

Joan. Waltherus Kriſſenitſchin de *Kriſſenitſchthurn.* obiit 1630. ux. Barb.

Hi duo in docum. communic. omiſſi a Bucelino ſtatuuntur.

B. Joan. Georg. Baro, miles egregius, v. ſupra, uxor Maria Salomea Baro de *Pfeilberg*, ipſe obiit anno 1658. illa an. 1664.

Wolfg. Sigiſm. Baro tribun. & conſiliar. bell. obiit an. 1654. uxor Rebecca B. de *Saurau.*

Carol. II. Baro Præfect. equit. legion. Caroloſt. ux. 1. Felic. B. ab *Herberſtein*, 2. An. Cat. D. de *Jöbſtlberg*, ut Bucel. ſed doc. com. de Fälbſperg obiit an. 1650.

Balthaſſar, obiit an. 1623. juvenis.

De aliis liberis n. conſtat.

Ita Bucelinus.

Joa. Erneſt. Com. Camer. Cæſ. conſil. int. & locumten, Græcii 1694. mil. egr. ux. 1. Reg. Cat. B. de *Gäller* 2. Cat. de *Herberſtein*, quam Buc. ignoravit. huic ſororem *Thereſiam* 1639. nat. & uxor. Car. Ern. B. de *Piſſing*, Buc. cenſet.

C. Ferd. Co. protribun. &c. præfe. equit. nat. 1637. ux. Cat. Cord. B. de *Layſtain*, v. ut Bucel. de *Leyſſer.*

Geor. *Sigiſm.* nat. an. 1639. præf. eq. ſub leg. Croatar. *de Lodron* cæſ. a rebel. Hun. ad Eperi.

Joan, *Adam.* Com. nat. a. 1642. trib. & comend. ad Ogulin. in finibus Croatiæ conſi. bell. ux. Co. de *Gallenberg.*

D. Joan. Godhard. *Ferd.* Co. Cam. Cæſ. mil. egre. uxor B. *Hiſelin* de *Chodau*, ita docu. comun.

Car. *Wicard.* Com. mil. egreg. uxor Anna Senina ab *Edling.*

Wolfg. *Andreas* n. 1650. colonel. ger. leg. Carolo-ſtadii.

Joannes *Gotfr.* n. 1638. ux. An. Cord. *de Kiernreit.*

Mic. *Joſ.* Co. præſ. eq. cataphr. leg. Darmſta. †1705. 5. Oct. Poſ. ſepult. in pug. cæſ. con. Hun. reb.

Wenceſl. Car. Com. nat, 1681 an. 1694. ephebus, dein Joſ. I. & Car. VI. Cam. reg. conſ. aulæ Mareſchall. int. Auſt.

Chriſtophorus *Godhardus*, filius Caroli, obiit 1651. ætat. 17.

Sigiſmundus *Fridericus* filius Caroli, obiit 1664. ætat. 28.

Joan. *Georgius*, obiit 1663. ætat. 23. Caroli filius.

Otto *Ludovicus*, obiit 1664. Caroli filius.

Plures ſubjungit Bucel. quos, neſcio, an genitorem habuerint Carolum.

ac 1733. Proviſ. Comit. Gorit. ac Conſil. intim. ux. Mar. Clara Com. de *Mörſperg*, filia Georg. Frid. locumt. Græcii ex Mar. Clara Com. de *Trautmanſtorf.*

Mar. *Ant.* n. 1. Sept. 1711. mar. Jo. D. de *Stubenb.* fil. Ottonis, & Iſabel. de *Lamberg* ſumæ Præf. Cæſ. filiar. quæ Græc. obiit 1728.

Mar. *Clar.* n. 16. Auguſt. 1713 ma. Co. de *Lanthiire.*

Mar. *Cajet.* n. 11. Maj. 1723. mar. Cajet. Co. de *Sauer.*

Joan. *Wenceſl.* Com. n. 7. Mart. 1724. hær. & flos ult. ſtem. huj. nobiliſſ. Cam. Cæſ. & Soc. Agric. in Styr. Direct. cœlebs adh. perennet, utinam & ſtemma propaget.

Joſ. *Aloyſius* n. 20. Jan. an. 1728. hic Capit. 1757. 5. Dec. in pug. infel. ad Liſſ. in Sileſ. ob.

Chriſtophori I. progeniem, de qua in documentis mihi ſubmiſſis nihil reperio, hic ex MS. Kainachino, & Bucelino ſuppleo MS. Kainachianum Chriſtophoro huic 2 filios, ſex filias, Bucelinus vero ſolum quinque filias tribuit.

Chriſtophorus I. Adami I. filius, ut ſupra, ux. Scholaſtica *de Oberburg*, filia *Wolfgangi* ſoror *Potentianæ*, *Joannis Hoffmann* uxoris primæ.

Carolus I. ux. N. *de Dietrichſtein* ſor. Maurit. ex qua fils. & filia Achatii *Paradeiſer* ux.	*Adamus* teſte Bucel. cælebs †	*Anna* m. Georg. *Paradeiſer.*	*Maruſch* Buc. *Margaritha* mar. Jac. *de Lamberg* Baro ad *Stein*, ex qua proles.	*Mar-*	*Agn.* m. Coſmas. Baro *Rauber.*	*Barbara* marit. Georg. de *Mindorf.*	*Sophia*	*Agnes* alter. ex MS. Kainach.

Hæc ſtemmatis linea extincta eſt mature.

Ut finiam, *Henricum & Hartvicum de Purgſtall* in Diplomate hoc citatos nec Bucelinus, nec docum. communicata, nec MS. Kainach. adfert, cum ante ſæc. 13. nullus hujus cæteroquin ſpectatiſſimæ familiæ in terris noſtris fuerit, unde fors novum argumentum confici poſſet Diploma hoc inter apocrypha reponendi.

Albertus & Chunegundes filia, quorum meminit Diploma cit. Epiſc. Seccov. extra terras haſce an collocandi videantur? ignotum, forte e territorio Salisburgenſi, in quo teſte authore Germ. Sacræ tom. 2. fol. 451. extitit novum & vetus caſtrum deſolatum *Burchſtall* in Dæchſenbach cum Comitatu & jurisdictione, quod Goldecenſes ab Eccleſia Salisburg. ſæc. 14. in feudo habuerunt.

14. *Erneſto & frater ejus Adelramus de Træſme*, de familia hac jam ad Diplom. 4. quædam ſunt adducta, de Waltero, Erneſto & Hartwico, præter hos occurrit etiam *Henricus de Traiſen* in Diplom. Ottoc. VI. Garſtenſibus dato an. 1181. inrer mea Num. 54. uti & in alio an. 1158. apud Wurmbr. fol. 155. *Adelramum* vero de *Træiſme*, & quidem fratrem Erneſti, aliud Diploma præter hoc non ſuppdditat. *Erneſtus* & *Hartvicus* conjuncti, proin veroſimilius fratres in Diplom. Seccov. 7. citantur. Adelrami nullus meminit, nec Lazius lib. 7. fol. 293. de migrat. gentium Adelramum adducit. *Træiſen famil.*

15. *Otto de Haſelbach*, Locus hic quondam non incelebris, & Auſtriæ infer. trans Danubium, oppido ac Dominio inſignis erat, nunc vero tenuis tantum vicus eſt, ubi natus *Thomas Eberndorfferus de Haſelbach* Auſtriæ hiſtoricus egregius. Ab hoc loco, & arce adjecta ortum & nomen ſuum traxerint Domini de Haſelbach, de quibus quidem nihil, quod memini, Hübnerus, Bucelinus, vel Lazius pertractarunt. *Helmbardum*, & *Udalricum de Haſelbach* Miniſteriales Sophiæ Marchioniſſæ noſtræ, atque an. 1138. præſentes fuiſſe, dum Runenſ. fundatio per eandem & Chunrad. Salisb. perficeretur, v. in Diplom. meo Num. 9. eundem Udalr. exhibet Diploma Admont. Num. 108. *Egilolfum* Dipl. Admont. 48. *Ottonem* de Haſelbach teſtem adhibuit Ottoc. V. an. circ. 1162. dum Admontenſibus alpem Scobern donaret. V. Dipl. m. 21. uti & an. 1164. dum hæreditatem *Henrici de Trosmarſtorff* Admontenſibus firmaret, v. Dipl. meum Num. 35. ex quibus colli- *Haſelbachii Domini locus.* *Th. Eberndorff de Haſelbach.* *Henr. de Trosmarſtorf.*

go,

go, eundem, ut præcedentes, inter Miniſteriales Ottocarorum noſtrorum fuiſſe. Plura de his non ſuppetunt, nec mihi innotuit, quandonam hæc familia extincta fuerit.

Bertbold. de Ipſe urbs. 16. *Bertholdus de Ipſe. Ipſium ſeu Ips* urbs Archiduc. Auſtriæ ad amnem ejus nominis ſita, vetuſtate ac fidelitate in Auſtriacos contra Ottocarum Boh. inclyta, familiæ huic incunabula dederit, cum tamen nec *Bertholdum*, nec alium quemdam *de Ipſe* in aliquo veterum diplomate, vel Hübnero, Bucelino, Wurmbrandio, Lazio &c. invenire potuerim, cenſeo hunc quoque teſtem confictum & ſuppoſitium eſſe.

Domini de Styr. 17. *Rudolfus, Renherius de Steyr*, jam denuo duo teſtes ſine teſte, hoc in diplomate occurrunt, Renherium quidem omnibus pervolutis libris nullibi deprehendi, Rudolfum certe tempore tardiore.

Ex his orti Domini de Stahrenberg, Loſenſtein, Pernegg. Ingentem omnibus authoribus moleſtiam faceſſit debita *Dominorum de Styra*, & ex his progenitorum *de Stahrenberg, Loſenſtein, Pernegg*, &c. Genealogia, ego meæ inſiſto ſententiæ Diſſert. 4. cap. 4. §. 5. & cap. 3. §. 3. cap. 2. §. 6. ſtatutæ, qua *Bernardum Ottocari IV.* & *Adalberonis II.* ſub dubio fratrem primum Comitem de Styra ſuſpicabar; variantes authorum ſententias jam Diſſert. 4. cap. 3. §. 3. expoſui, antequam vero mentem meam deſuper aperiam, Dominos de Styra, quos antiqua nobis diplomata exhibent proponam, & quidem eo ordine, quo cap. 4. Diſſert. 4. §. 5. attamen illuſtratos.

Ottocarus III. aliis Ozy Marchio Styriæ.

Ottocarus IV. March. Styr. — *Adalbero II.* Comes Sylveſtris † circa 1088. — *Bernardus* Comes de Styra.

A. Duringus I. D de Styra 1100. ux. N. — * *Conradus.* — *Otto* Sator DD. de *Hochenberg.* — *Gundaccar* Sator DD. de *Pernegg.*

B. Volcardus a. 1138. — *C. Helmbard.* a. 1140. auth. D. de Graz, v. Dipl. 7. — *D. Gundaccar* a. 1140. ad 1186. ux. Richeza de *Steinbach*, v. Dip. 14.

E. Euphemia mar. Hadm. de *Kuenring.* — *F. Gundaccar II.* an. 1188. ux. Eliſab. de *Hunneſperg.* — *G. Duringus II.*

H. Gundaccarus III. Dominus primus de *Stahrenberg*, ux. N. de *Capella.* — *I. Diemarus I.* Dominus de *Loſenſtain.*

Conveniunt fere hac in ſerie Hübnerus & Bucelinus, Marchiones noſtri, hoc in ſchemate exponendi non ſunt, ſed ſolum Domini illi de Styra dicti.

Explico igitur breviter ſchema Dominorum de Styra; nam Loſenſteinii, Stahrenbergii, Perneggii, & Hochenbergii alibi exponentur.

A. Duringum hunc, omnes quotquot legi, Adalberonis II. filium & *primum Dom. de Styra* volunt, ætatis ejus curſus circa 1100. bene alligatur, cum enim Adalbero II. an. 1088. cæſus interierit, filius ejus poſt eum ſuperſtes 12. ſaltem annis, imo ſenior legitime ſupponitur, quamvis nec de an. nativ. nec de an. mortis Duringi hujus conſtet, imo nec legitima eum diplomata exhibeant; lego quidem apud Excell. Wurmbrandium fol. 212. ex Diplom. Cremiſan. an. 1217. dato *Gundaccer de Styra*, & *Pater ejus Duringus*, hæc tamen Duringo primo

conve-

convenire nequeunt tum quod vitam ad id uſque tempus protrahere non potuerit, tum quod errorem irrepſiſſe credam ex alio diplom. S. Florlani ab eodem Leopoldo Auſtr. an. 1208. dato apud Wurmbr. fol. 70. quo clare legitur: *Gundakarus & Duringus frater ejus de Steira;* Duringus II. ergo frater, non pater Gundaccari II. fuit, ut v. littera F. Duringi I. ſors frater dici poſſet Cunradus de Styra, quem ex Dipl. Garſt. ab Altmano Epiſc. Paſſav. an. 1087. & 1092. edito eruere ſibi viſus eſt Wurmbr. fol. 11.

B. Volcoltum Dominum de Styra, licet Bucelinus, Hübnerus, aliique negligant, ſeriei tamen noſtræ impoſui, eo quod eundem nobis ſuppeditet Diploma confirm. Run. inter mea Num. 9. in quo inter teſtes & quidem Miniſteriales Marchioniſſæ, Sophiæ nimirum adfuiſſe legitur *Volcholt de Styre.* Hunc ego, quoniam alius præter Duringum I. Dominum de Styra hujus ſtirpis non apparet, hujus filium, & Gundaccari I. fratrem tamdiu ſtatuo, donec aliud documentis edocear.

C. Helmhardus etiam Gundaccari I. frater mihi videtur. Helmhardus hic & Gundaccarus an. 1140. fratres dicuntur in libro traditionum Monaſterii Garſtenſis, teſte Wurmbr. fol. 212. ab hoc ducitur linea Dominorum de Graz. v. Dipl. 7.

D. Gundaccarus I. a reliquis duobus, II. nempe & III. bene diſtinquendus eſt, ne error in Chronologia appareat; hunc vero nobis quam plurima Diplomata exhibent: & quidem *Miniſterialem* fuiſſe *Chunegundis Marchioniſſæ* docet Dipl. Seccov. 17. inter mea Num. 37. ad an. 1166. ubi inter teſtes *de Miniſterialibus Marchioniſſæ* legitur etiam *Gundachar de Styra.* Dum an. 1169. Ottocarus nobis VI. jura quædam advocatiæ Cremifan. Abbatiæ remiſit, etiam teſtem egit *Gundaker de Styra*, v. Wurmbrand. fol. 70. Præterea idem Gundaker de Styra inter teſtes Admont. Diplom. inter mea Num. 43. an. 1170. & an. 1175. Glunic. Diplom. ſubſcriptus legitur apud cit. Wurmbr. fol. 212. Eundem adhuc an. 1186. ſubſcriptum cenſeo Diplomati Admont. 63. & 66. inter mea Num. 69. & 70. quoniam ad an. primo 1188. *Gundaccarus* cum addito *junior*, ſeu nobis II. in Diplomatis recenſetur, Gundaccaro huic advocatiam Cœnobiorum Garſtenſis & Lambacenſis contulit Ottocarus Dux Styriæ (proin Gundaccar I. ultra an. 1180. quo Ottocarus Dux factus eſt, ſupereſſe debuit) ita enim lego in codice tradit. Garſtenſ. *Et Dominus Gundaccarus Miniſterialis Ducis Ottocari propria deliberatione inter cætera colloquia, advocatiam Garſtenſis Eccleſiæ ſe non hæreditario jure, ſed quaſi ad tempus ſibi commiſſam manifeſtavit*, advocatiam autem Lambacenſem feudali lege accepit, uti docet Wurmbrand. fol. 212. qui eundem etiam prædiis 2. *Freundſperg* & *Habetſpach* Monaſterium Garſtenſe dotaſſe ait.

Uxor ejusdem *Richeſa de Steinbach* ex eod. libro tradit. Garſtenſ. manifeſtatur, in quo ita legimus: *Nobilis Matrona Richeſa de Steinbach, uxor Domini Gundaccari advocati noſtri tradidit prædium apud Chubelich per manus filiorum ſuorum Gundaccari & Duringi.* v. an. 1073. *Richeza de Steinbach.*

E. Euphemiam. hanc uxorem *Hadmari de Kuenring*, & filiam Gundaccari I. & Richeſæ cum Bucelino & Hübnero recenſeo. *Hadmarus de Kuenring.*

F. Gundaccarus II. ſeu ut habet Diplom. Admont. inter mea Num. 73. *junior* teſtem Ottoc. VI. egit an. 1188. dum Admontenſibus beneficus eſſet, idemque an. 1191. ſubſcriptus legitur Diplomati Ottocari VI. Traunkirchenſi Parthenoni dato inter mea Num. 77. Idem ex Diplom. Cremifan. an. 1189. eruitur apud cit. ſæpius Excellentiſſimum Wurmbrandium.

Wiltberg Dom. datur Stahrenbergiis.

Gotſchalcus de Haunſperg.

Hic idem Gundaccarus II. advocatiam Monaſterii Lambacenſis exercuit, atque anno 1189. a Wolfkero Epiſc. Paſſav. familiæ nobilium de Ellenbrechtskirchen, Dominium *Wiltperg* (quod adhunc uſque diem in patrimonio Stahrenbergiorum manſit) antea *a Gottſchalko de Haunsberg* Epiſcopatui Paſſav. legatum, feudi hæreditarii jure accepit. Diploma id adfert auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 344. & Wurmbrand. fol. 236. Præterea an. 1217. Leopoldus Dux Auſtr. in Cœnobii Cremifan. Diplomate eundem eſſe teſtem voluit. Wurmbrand. fol. 213. citat quidem eum his verbis: *Gundaccer de Styra & Pater ejus Duringus*, ſed mendum irrepſiſſe, atque legendum eſſe *frater* ejus *Duringus*, jam ſupra ſub lit. *A.* obſervavi. V. lit. *D.*

Eliſab. ab Hunesperch.

Uxor ejus *Eliſabetha ab Haunsberg*, ſeu *Hunnesberch*, Gotſcalci memorati fors filia, ita Hübner. Bucel. Wurmbr. aliique v. quæ Dipl. 4. in fam. Hunnesberch. dicta ſunt.

Stahrenberg arx ædificatur.

Idem hic Gundaccarus arcem *Stahrenberg* in finibus Auſtriæ ſuperioris verſus Bavariam prope oppidum Haag ſitam exſtruxiſſe dicitur, a qua dein filius ejus Gundaccar. III. omiſſo *Styrenſium* nomine ſe Dominum *de Stahremberg* primus dixit.

G. Duringum II. Dominum de Styra ac Stahremberg (v. dipl. 14.) & fratrem Gundaacari II. fuiſſe oſtendi mox lit. *F.* & *A.* plura de eo non reperi, niſi quod Wurmbr. cit. fol. 213. teſtetur ex lib. tradit. Garſt. lit. *D.* citato eundem Gundaccari II. fratrem fuiſſe.

Gundaccarus de Stahrenberg primus.

H. Gundaccarus III. hujus nom. & I. *Dom. de Stahremberg* filius fuit Gundaccari II. ex *Eliſab. de Haunsperg*, acta ejus plurima v. apud auth. Geneal. Stahremberg. fol. 35. ubi etiam cum Hübnero & Bucel. uxorem ei aſſignat *N. de Capellen*, nos de iis alibi agemus.

Dietmar. I. D. de Loſenſtein.

I. Dietmarus ejusdem Gundaccari II. filius, & primus Dominus in *Loſenſtein* ex iisdem mihi authoribus pateſcit; de quo mox & alibi pluribus: duæ enim quæſtiones hic adhuc expendendæ, quarum *prima*, an & unde deducatur, *Dominos de Styra, Stahremberg, Loſenſtein, Pernegg*, & *Hochenberg*, e familia Marchionum noſtrorum deſcendere. *2da:* An & quando hæc Dynaſtarum Styrenſium familia defecerit? Ad primam itaque quæſtionem cenſeo dicendum, familias eas omnes a Marchionibus noſtris deſcendere, tum ex inſigni cum Marchionibus noſtris eodem, Pantheræ nimirum, licet eam, & ſubjectum campum diverſum coloribus, diverſæ hæ familiæ exprimant, cum ex antiquiſſ. Conditorio in ſacello nimirum S. Laurentii Monaſt. Garſtenſ. ubi antiquiſſimi Marchiones noſtri ſepulti ſunt, quodque non ſolum Domini de Styra, ſed etiam de Loſenſtein ad hunc uſque diem habent, adeo ut Gundaccarus I. de Styra in cod. tradit. Garſtenſ. Cœnobium hoc *ſepulchrum parentum ſuorum* appellaverit. Accedit, quod Dynaſtæ de Styra, & ex illis *Gundaccarus I. de Perneck*, teſte Lazio *Burgum* ſeu arcem

Familiæ DD. de Styra, Stahremberg, Loſenſtein, Pernegg, Hochenberg a March. Styr. deſcendunt.

Gundaccar. I. de Pernegg.

Steyr,

Steyr, caſtrum Marchionum gentilitium in patrimonio ſuo an. 1100. habuerit, eorumque poſteri Domini *de Loſenſtain* multis ſæc. *Burggraviatum Styriæ*, ſeu Burglehen, poſſederint, quamvis jam ipſa Dynaſtia habita diviſione, penes Styriæ Principes remanſerit. *Burggraviatus Styriæ eſt DD. de Loſenſtain.*

Ad alteram quæſtionem reſpondeo, eam nondum defeciſſe, ſed adhuc exiſtere in Dominis *de Stahrenberg* licet reliquæ familiæ jam expiraverint, quandonam vero Domini de Styra vocari ceſſaverint; cenſeo, id contigiſſe tempore Gundaccari III. & Dietmari, quorum ſupra meminimus, quos ultimos fuiſſe veros Dominos de Styra judico: Comitatus enim Styrenſis, licet magna ſui parte in pias fundationes diſtractus, atque ad ſolius fere arcis, urbisque Dominium redactus, Leopoldo Babenbergico ab Ottocaro VI. dono ceſſit, ut Diſſert. 4. cap. 6. dictum. Perdurarunt tamen *Domini de Styra*, tanquam veterum Styriæ Marchionum ſurculi, eoque ſe titulo *Dominos de Styra* ſcripſerunt. Extincta dein familia Babenbergica in Friderico, Dietmarus e Dominis de Styra, eum ſibi Comitatum cognationis jure iterum vendicavit, quem tamen Ottocarus Bohemus tum Auſtriæ & Styriæ dominus, partim amplo ære, partim facta cum Loſenſteinienſi arce compenſatione, ac conceſſo Burggraviatu caſtri Styræ a Dietmaro dicto an. 1252. recepit. Unde *Duringum* illum *de Styra*, qui an. 1244. Diplomati Göſſenſi 17. ſubſcripſit, non Dominum de Styra, niſi titulotenus, nec ex Dietmari linea fuiſſe opinor, ſed ex linea Dominorum de Perneckh, rationem conjecturæ meæ deſumo ex Diplom. Admont. 16. apud P. Frælich Diplom. Duc. Styr. part. 2. fol. 231. in qua lego: *Ottonem de Perneck, & Duringum de Styra* teſtatos, ſe omnia damna, ob expugnatum ab Henrico Admont. caſtrum Perneck æquo animo ferre, omneque jus regreſſus in futurum remittere. Litteræ eæ Friſaci datæ ſunt an. 1284. quo Duringum illum Dominum de Styra (v. lit. G.) & Gundaccari II. fratrem vixiſſe, vix mihi credibile videtur. *Otto de Perneck.*

Idem dicendum erit *de Ottone de Styra*, qui an. 1301. Diplom. Göſſenſi 73. ſubnotatus legitur, eum nimirum, & omnes alios poſteriores titulotenus ſolum Dominos de Styra fuiſſe, reapſe tamen ex linea vel Perneggenſium, vel Hochbergenſium &c. Hæc interim de Dominis de Styra, plura in opere recurrent cum *Ulrico de Styra* an. 1264. Canon. Patav. *Ulric. de Styr. Can. Patav.*

18. Diplomatis teſtis legitur *Pruno & filius ejus Willehelmus de Glunick*. De familia hæc quædam expoſui initio annotat. in hoc Diplom. Haberemus ex hoc Diplomate, ſi ei tuta fides haberi poſſet, Brunonis filium, Arnhalmi nepotem, nomine Wilhelmum; & ſane de filiis Brunonis contextus ipſe Diplom. loquitur, dum in eo unus de filiis Brunonii hujus, ſubadvocatus Eccleſiæ eſſe jubetur, interim tamen, donec fundamenta negandi obveniant, Wilhelmum hunc inter Brunonis de Glunick filios relinquimus. *Chunradum de Glainch* fundatorem fuiſſe Capellæ *B. V. Mariæ in Leuben*, eumque, ac nepotes ſuos, proceres *de Glainch* habuiſſe prædia in Leob. diſtrictu, docet nos Diplom. Göſſenſe 18. & 19. *DD. Glunicenſ.*

19. *Starfridus de Wirblitze*, &

20. *Dietricus de Staphelarus*, teſtes undique incogniti
21. *Engelſchalcus de Egelbach.*

Domini de Fuſtriche, ſeu Feuſtriz, item Mündorfer de Feuſtr. 22. *Otto & filius ejus Duringus de Fuſtriche.* Diverſi de hac familia occurrunt, quosdam enim *Sun de Feiſtriz* dictos apud Excell. Wurmb. alios *Mündorfferos de Feiſtriz* apud Lazium lib. 6. de migr. gent. f. 218. & quidem e Styris invenio. *Loca var. Feiſt.* Loca etiam varia Auſtriæ & Styriæ huius *Urbs in Styr. inf.* nominis paſſim ſe offerunt, plura etiam in Styria noſtra, uti urbs Archiducalis, cum arce, quæ Comitibus de Atthembs jam propria eſt; arx præterea penes *Ilzium Styriæ oppidum* Comitum *de Wildenſtain*, ut de reliquis ſileam, v. Dipl. 7. urbs illa infer. Styr. jam an. 1368. ab Alberto & Leopoldo Auſtriæ Ducibus pignori data eſt *Ulrico & Hermanno Comitibus Celejæ* pro obſequio 90. Galeatorum præſtito, ad iter Italicum per 6. menſes, Diploma in tabulario Græc. ladula 5. Num. 56. habetur.

Ulricus & Herman. Com. Cilej.

De familia hac in Diplom. Seccov. 22. inter mea Num. 58. anno 1182. inter lego *Otto Sun de Viſtrize*, & poſt aliquot denuo teſtes, *Duvinc de Vuſtrize*, & Dipl. meo 59. ad an. 1182. *Otto Sun & filii ejus Duringus, Otto, Henricus*, & *Herguaguerus.* Item in Diplom. Cremifan. an. 1169. apud Excell. Wurmbr. ſolum lego: *Otto Sun* hos ego eosdem dicere, cum citatis in Diplom. hoc Glunic. poſſem eo, quod inter peritos conſtet, patrem & filium inter teſtes conjungi ſemper ſolitos particula &. Quapropter hos in Dipl. Seccov. & Cremif. diverſos eſſe non cenſeo, niſi fors obſtet, quod credibile non videatur, Patrem *Ottonem Sun de Feiſtriz*, qui an. 1125. Diplomati Glunicenſi ſubſcripſit *cum filio Duringo* proin jam 16. vel 20. annos nato, anno 1182. denuo fuiſſe ſubſcriptum. *Rechlinus de Feiſtriz*, teſte Chron. Vor. multa damna eidem Canoniæ intulit, circa an. 1246. &c.

Reg. diplomatica

Diverſi proinde cenſendi ſunt hi Feiſtrizii Domini, vel fors denuo error Diplomati huic, jam aliunde ſatis ſuſpecto ineſt; ſed præter hos etiam an. 1149. in Diplom. Seccov. *Hartmannus de Veiſtriz*, & an. 1151. in Diplom. Seccov. 8. *Adelramus* occurrit, mira tamen ſubſcriptione nimirum; *Chunradus Henna*, & *Adelramus frater ejus de Feuſtrize*, quam enodare aliis relinquo. V. Diplom. 13.

Lazius cit. Genealogiam *DD. Mündorffer de Feiſtriz* ab an. 1336. & Hermanno deducit, qui caſtrum Neuring feudo accepit a Patriarcha Aquilej. an. 1419. *Bartholomæum* adducit præfectum in Blankenſtain, an. 1420. *Berchtholdum*, dein *Balthaſſarem* poſſeſſorem caſtri Königsperg an. 1478. Bartholom. II. qui poſſedit caſtrum Sacherberg. Chriſtophorum Maximil. Cæſar. præfectum tormentorum caſtrenſium, cujus frater Germanus cœlebs obiit, ſoror *Margaretha Abbatiſſa in Göſſenſi* Cœnobio fuit. *Chriſtophori* ex *Sophia Erhardi ab Hochenwardte* filia, Carentana, proles erant *Chriſtophorus*, *Erhardus*, *Franciſcus*, *Sigismundus*, *Joannes*, *Iſaac*, fililiæ *Regina*, *Juliana*, *Chunegundis*, & *Gertrudes.* Ex his *Franciſcum* ſua ætate vixiſſe Lazius cit. ait.

Blankenſtein arx
Königsberg arx.
Sacherberg caſtr.
Margar. de Feiſtriz Abbat. Göſſ.
Erhardus ab Hochenwardte.

Aliter longe ſtemmatographice Mündorffios hos deducit Bucelin. tomo 2. part. 4. fol. 137. primum enim ſtatuit *Joannem de Mündorff*, cujus uxor *Anaſtaſia de Teiffenbach*, ſecundum *Chriſtophorum*, cujus uxor *Eliſ. de Windiſchgraz*, ex hoc progenitus ait, *Margaretham illam Abbat.*

Anaſtaſia de Teiffenbach.
Eliſ. de Windiſ.

Göſſen-

Goſſenſem: Eliſabeth, cujus maritus *Chriſtophor. L. B. de Rackniz.* In eorum geneſi ait, Eliſab. hanc vocari *Wandulam.* Dein Chriſtophorum, cujus uxor *Sophia Erhardi ab Hochenvvardt* filia, Helenam, uxorem *Andreæ de Spangſtein*, & aliam quandam incerti nominis filiam. *Chriſtoph. L. B. de Rackniz.* *Andr. de Spangſt.*

Ex Chriſtophoro & Sophia natos ait eosdem, quos Lazius, niſi quod Reginam inter filias omittat, ulterius ſeriem ex Sigiſmundo, & *Apollonia de Rathmanſtorff*, continuat Bucelinus 4. eisdem tribuens proles: *Sophiam* ux. *Jacobi a Falbenbaupt*, *Chriſtoph.* maritum *Cathar. Rindſcheidin de Friedberg*, *Sigiſmundum*, & *Bernardinum* maritum *Reginæ de Ratmanſtorff*, ex quo denuo prodiit N. de Mündorff, & uxor N. de Logauw. Idem tamen Bucel. cit. f. 349. a Chriſtophoro ex *Cath. Rindſcheidin*, denuo progenitum docet *Joan. Chriſtoph. de Mündorff* maritum *Sophiæ de Trautmanſtorff*, & ex his Barones de *Mündorff*. *Apollonia de Rathmanſtorff.* *Jac. a Falbenb.* *Cath. Rindſcheidin de Fridberg.* *Regina de Ratmanſtorff.* *Cat. Rindſcheid.* *Sophia de Trautmanſtorff.*

23. *Weigant de Clame*, quæpiam de hac familia jam præfati ſumus in annot. ad Dipl. 4. ubi de Dominis de Pergen mentio facta eſt, nempe ſæc. 11. & 12. Dominos de Pergen nondum dictos fuiſſe de Chlame, quoniam hæc adhuc familia perſtitit. Wiganti hujus altera occurrit mentio an. 1185. in Diplom. meo Num. 62. ubi *Poppo de Chlamme*, & frater ejus *Wigandus* teſtes citantur. An idem cum citato anno 1125. in Diplom. Glunic. fuerit, dubito vehementer, tum *quod* ætatis utcunque provectæ eſſe debuiſſet, cum quod hic ei frater ſenior adjungatur; forſitan vero hi duo filii Wiganti illius fuerunt. *DD. de Clam.*

Præterea in Diplom. Admont. apud P. Bernard. Pez varios alios lego, uti *Brunonem*, *Rudigerum*, *Eberhardum*, *Rudolfum*, in necrologio minorum fratrum Viennæ etiam Engilbertum, hos tamen omnes ſæc. 13. jam extinctos opinor, cum poſt an. 1208. vix quispiam hujus familiæ occurrat, & an. 1371. jam *Henricus de Rappach*, ſe Dominum in Clamm ſcripſerit, ut docet Wurmbrand. fol. 16. Reliqua ad Dipl. 4. in famil. de Pergen deducta. *Henr. de Rappach D. in Clam.*

24. *Arnold de Wartenburch*, teſtis hic denuo non levem ingerit ſuſpicionem, Diploma hoc non eſſe genuinum, idem enim hic citatur teſtis an. 1181. ab Ottoc. VI. v. Dipl. meum 54. an. 1182. in Dipl. meo 59. an. 1185. in Dipl. meo 64. 1186. in Dipl. meo 69. & 70. & an. 1191. in Dipl. meo 77. quo inter alia *Arnoldus hic Miniſterialis Ottocari*, Monaſterio Traunkirch. præpoſitus, juſtitia ipſius loci abuſus fuiſſe refertur, quemque etiam eod. hoc an. Ottocarus VI. ceſſare fecit ab omni exactione; credibile vero non videtur, Arnoldum hunc an. 1191. cohibitum, an. 1125. jam teſtem egiſſe, cum ætas ejus ad 100. fere annos aſcenderet. Unde niſi oſtendatur, duos fuiſſe ejusdem nominis Dominos de Wartenberch, ruet denuo Diploma, & ſuſpectum erit ſummopere. *DD. de Wartenburch.*

Lexicon univerſ. Baſileenſe familiam antiquam Germaniæ ac pincernas Imperii, ac hæreditarios pincernas Bohemiæ ſcribit, ſæculoque 16. ſeu an. 1588. a Ferdin. Bavaro, Alberti V. Ducis filio ortos putat. Ejusdem ſententiæ eſt Hübnerus in tab. Geneal. tom. 1. tab. 135. Bucelinus tom. 2. part. 3. fol. 179. deductionem ſolum, non originem Wartenbergiorum declarat, Lazius lib. 8. de migrat. gent. fol. 443. Werdenbergenſes Comites, cum Brigartinis Montfortiis, & Tübingenſibus

ſibus eosdem cenſet, antiquam tamen eorum geneſim nemo attingit. Id proin unum ſtatuo, antiquiſſimam terrarum noſtrarum fuiſſe proſapiam Wartenbergicam, Arnoldumque hunc Ottocari VI. fuiſſe Miniſterialem, non vero Ottocari IV. ut Diploma hoc innuere videtur, niſi duos quis Arnoldos exſtitiſſe probet.

Præter hunc Arnoldum etiam *Otto de Wartenberch*, citatur an. 1172. in Diplom. meo 47. 19. eundem Ottonem exhibet Diploma Admont. apud Bern. Pez Num. 115. præter hunc Diploma Admont. 141. etiam adducit *Udalricum de Wartenberch*, an & quo ſanguinis nexu ſe attigerint? ignoramus.

Dynaſtia Wartenbureb. Wartenburch Dynaſtiam Auſtriæ fuiſſe pluribus locis exhibet Wurmbrandius, & quidem inter Dominia Polheimiorum, unde fors Preyenhueb. Annal. Styr. fol. 398. *Arnoldum de Wartenberch* natum Dominum *de Polheim* ſcripſerit, quod ipſum etiam ſentit Wurmbrand. in collect. hiſt. Geneal. in addend. ad cap. 6. f. 155. v. Annot. Dipl. 47.

DD. de Lochhuſen. 25. Teſtis eſt *Udalricus de Lochhuſen*, Dominos de Lochhuſen ſæpius in noſtris Diplom. occurrere obſervo, quæ tamen eorum origo, ac Genealogia? omnino ignotum, nec enim Hübnerus, Bucelinus, Lazius, aliique eorum meminere. Udalricum quidem nondum inter Lochhuſios reperi, *Amilbertum de Lochhuſen* an. 1182. in Dipl. meo 58. & an. 1185. in Dipl. 62. invenio, atque an. 1109. in Cremifan. apud Wurmbrand. fol. 70. *Albertus de Lochauſen, Otto filius, & filius ejus Otto Saxo* ſubſcripſerunt Diplom. Göſſenſi an. 1187. v. Dipl. mea Num. 71. Albertus ſolus vero Diplom. alteri Göſſenſi inter mea Num. 72. cum vero *Udalricus de Lochhuſen* alibi non compareat, neſcio, an ſubſcriptioni huic quid ſit deferendum.

DD. de Wieſtre & Hoderichsboven. 26. *Gundelbertus de Wieſtra*, } Teſtes duo, qui alias nullibi
27. *Altemannus de Haderichshofen*, } leguntur.

DD. de Urla. 28. *Adelramus de Urla & frater ejus Egeno*, Dominos *de Urle*, nobiles olim Styriæ noſtræ fuiſſe, habemus ex Diplom. Seccov. inter mea Num. 19. in quo dicitur, quod *nobilis quidam homo Urle* 4. manſus Sclavonicos in villa poſita juxta Græce poſſederit, quos dein an. 1161. uxor ejus *Juditha* Seccovienſi Eccleſiæ delegavit. Quisnam nobilis hic fuerit, an *Adelramus*, qui an 1162. *nobilis vir de Urle* appellatur in Diplomate Admont. inter mea Num. 23. certo non dixerim, quamvis temporis circumſtantiæ utcunque ſuadeant. Adelramus hic ipſe teſtis adducitur fundationis noſtræ Voravienſ. an. 1163. v. Dipl. mea Num. 32. *Egenonem* memorat Diplom. Admont. Num. 151. *Ulricus* vero *de Urle* teſtem egit an. 1166. Frider. I. Imp. dum fundationem hoſpitalis Cerewaldenſis confirmaret. v. Dipl. mea Num. 36. Quando iidem defecerint, reliquaque mihi hactenus incognita.

Hartvvic. Poum. 29. *Hartvvicus Poum*, ignotus denuo.

Fuſius hoc Diploma diſcutiendum erat, quoniam magnam difficultatem in ſerie Ottocarorum objicere videbatur, vix tamen amplius hæreo, vel Diploma hoc genuinum non eſſe, vel ſaltem annum 1125. adjectum vitioſum.

Ad

Ad Diploma Num. 7.

Ad Dipl. 7.

Jam obſervavi ad an. 1128. fundationis Runenſis genuinas litteras non amplius exſtare, eam tamen fundationem ſatis ex hoc ipſo Diplomate colligi, cum aperte dicat Leopoldus, *hunc enim locum - - pro mea mearumque ſalute a fundo conſtruxi:* a Waldone Comite de Runa Ottocarum IV. hæredem dictum ſub titulo oneroſæ fundationis oſtendi jam Diſſert. 4. cap. 4. §. 9. & ad an. 1128. Hoc itaque in Diplomate Leopoldus non ſolum ſe fundatorem Runenſem aſſerit, ſed etiam cuidam Miniſteriali ſuo *Rudigero* tradendi *prædium quoddam in Hartperch Bavaricæ metæ*, 10. *videlicet* & 8. *manſus, ſurſum verſus ſtratam Hungaricam a viro Saven per Lungvviz alterum rivum, ad tertium rivum Lavenze.*

Runenſ. fundat. litteræ perditæ.

Rudiger hic Miniſterialis Leopoldi, Runenſibus beneficus quis fuerit? qualeque ejus cognomen? nec antecedentia, nec ſubſequentia Diplomata oſtendunt. Prædium tamen illud a Rudigero, ſi ſine hærede deceſſerit, Runenſibus donatum in *Hartperch* moderna Styriæ urbe, jam ſæc. 12. (ut an. 1166. dictum) præſentia ipſius Chunegundis viduæ Marchioniſſæ condecorata fuiſſe, ſat manifeſte convincunt tres rivi, Hartbergæ urbi adſiti, nempe *Saven*, *Lungvviz*, & *Laffniz.*

Hartberga urbs Styriæ.

Quid vero denotaverint illa verba *Bavaricæ metæ*, Puſchius Chron. 5. Duc. Styr. parte 1. fol. 303. interpretatur *Bavaricæ menſuræ*, Frælichius vero Archont. Carinth. part. 2. fol. 176. *loca vicina*, quaſi nempe Leopoldus idem dicere voluiſſet, Hartbergam fuiſſe locum vicinum Bajoariæ. Sed ſi, ut cenſebam ipſe, Styriæ olim Bajoariæ Marchia fuit, Hartberga non locus vicinus Bajoariæ, ſed in ipſa Marchia Bajoariæ ſitus fuiſſe videtur, ut adeo Bavaricæ metæ nomine, potius menſuram Bavaricam in Styria receptam, intelligendam opiner.

Bavaricæ metæ quid.

Præter Hartbergam modernam Styriæ urbem, de qua Diſſert. 1. §. 24. exſtitere, & alia ejus nominis loca, uti mons illi vicinus ejusdem cum urbe Hartberg nominis. Item *mons durus*, ſeu *Hartberg*, in quo S. Rupertum olim laboraſſe pro Evangelio oſtendi ad an. 698. in Auſtria etiam locum *Harberge* fuiſſe, dictum eſt in annot. ad Diplom. 4. urbs porro Styriæ Hartberga, Archiducalis olim cum Dynaſtia an. 1573. a Carolo Archiduce vendita eſt primum cum pacto de retrovendendo, dein autem perennali jure *Joanni Bapt. Baroni de Paar* ſupremo aulæ & interiorum Auſtriæ Provinciarum hæreditario Poſtarum Magiſtro, qui officium hoc hæreditarium cum Dynaſtia Hartbergenſi ad poſteros transmiſit. Præter Parochiam ampliſſimam exſtat extra urbem urbem Monaſterium Capucinorum. Parochiæ antiquitatem probant conſtituti jam ſæc. 12. inibi Plebani, ex quibus omnino non prætermiendus eſt *Udalricus an.* 1187. Plebanus in Hartberch, nobilis omnino proſapiæ, qui cum fratre ſuo *uterino Reinberto Plebano in Leibniz* Parochiam *Lieſnich* Admontenſibus tranſcripſit, ut ibid. dictum.

Hartberch mons limitan. Auſtriæ & Styriæ.

Hartberg in Auſtria locus.

Hartberga urbs Styr. olim Principis terræ.

Vendita 1573.

Joan. Bapt. B. de Paar.

Paroch. ampliſſ.

Monaſterium ibi Capucin.

Plebani Hartbergenſ. ſæc. 12. Udalric. 1187. Pleban. Hartb. & Reinbert. pleb. in Leibniz Admontenſibus dant. paroch. Lieſnich.

Eccleſia vetus parochialis inſigniter refecta, ac turri elegantiſſima ornata eſt, ex hæreditate præcipue defuncti an. 1158. Decani & Parochi Hartbergenſis. Hodie eandem adminiſtrat Reverendiſſimus, Illuſtriſſimus D. Liber Baro de Jöchlinger. Ut in explicatione dicti Dicti Diplomatis pergam, non tam Rudiger Miniſterialis, quam Marchio ipſe

Hartbergæ turris elegant.

Leo-

Leopoldus Runenſibus benefeciſſe videtur, cum hic inſtinctu ſuæ dilectæ conjugis prædium dictum in *Hartberg* Rudigero donaverit ea ratione, ut, ſi prædictus Rudigerus ſine ſucceſſione legitimi hæredis obierit, idem prædium S. Mariæ ad Rune, & fratribus ibidem Deo militantibus de reliquo ſerviturum delegetur. Donatio hæc in Graz facta, quamvis annum adjectum non habeat, an. tamen 1129. vel præced. affigenda erit, cum an. 1129. die 8. Kal. Nov. obierit, Runa vero an. præcedenti primum fundata fuerit, & erecta. Jam teſtes Diplomatis ſunt diſcutiendi, ut antiqua Genealogia familiarum Styriæ proposſe detegatur.

De Hunesberch Frider. Gotſch. & Meginhard. Traiſ. de Walt. Odalr. Leopold. fortis Capellan.

Primus teſtis ſubſcripſit: *Fridericus & filius ejus Goteſchalcus de Hunesperch, & Meginhardus frater ejus.* De his actum in annot. Diplom. 4.

2*dus*: *Waltheus de Traiſma*, v. annot. Diplom. 4. & 6.

3*tius*: *Odalricus Capellanus, & avunculus ejus Pudolphus.* Quis hic Odalricus Capellanus fuerit, & Rudolphus ejus avunculus? ægre diſpicitur? cum cognomen adjectum non fuerit. Cenſeo, Udalricum hunc Capellanum Leopoldi Marchionis fuiſſe, & aliqua fors dignitate & familia fulgentem, cum medius inter reliquos Styriæ nobiles inveniatur, ſic Ottocari VI. Ducis Capellanus ad an. 1189. legitur: *Ortliebus Archipresb. de Viſchach, Eberhardus* ad an. 1191. &c.

Ortlieb. Archipresb. Viſchach, & Eberhardus Capellani Ottoc. VI.

4*tus* teſtis Dipl. eſt *Adalramus de Waldeck*, fundator nempe Seccovienſis quæpiam de hac familia dicta ſunt ad Dipl. 4. ubi familia de Pergen expoſita fuit, ex qua prodiit Richinza uxor Adalrami hujus.

Adalramus de Waldeke fund. Seccov.

Waldekianæ hujus Illuſtriſſimæ proſapiæ originem, primosque Patres, & quidem e Starkenbergiis a caſtro infer. Auſtriæ ſic dictis, derivat vetus tabella apud Cl. Puſchium part. 1. fol. 340. his verbis: *Nota: quatuor fuiſſe fratres Comites de Waldeck, Walterum fundatorem S. Andreæ circa Traiſmam, habentem Comitatum Lengenbach, Hertnidum habentem Comitatum Spilberg, Adlramum habentem Comitatum Starckenberg, & multa terrarum ſpatia, fundatorem Eccleſiæ Seccovienſis, Ottonem habentem Comitatum Weitteneck & Rechberg, qui multis bonis Eccleſiam S. Andreæ, Neoburgenſem, Chottwicenſem, & Walthuſenſem ditavit.* Cognatus Adalrami fundatoris Udalricus donaſſe Seccovienſibus refertur *Henneberch cum omnibus prædiis* ad eam pertinentibus, & *alpibus Lichſt*, fors *Liechtſteig, Predegai.*

Waldekianæ famil. origo.
Waltherus de Waldeck D. in Lengenbach.
Hertnidus de Waldeck D. in Spielberg.
Adalr. de Wald. D. in Starkenb.
Otto de Waldek D. in Weiteneck & Rechberg.
Udalr. cogn. Adalrami Seccov. donat Henneberg & alpes Liechtſteig ac Predegai.

Celeberrimam hanc Auſtriæ, Styriæque familiam negligunt Bucelinus & Hübnerus ſolum Comitum Waldeckiorum inter ſtatus Imperii repoſitorum familiam ab an. 1250. detegit, quos tamen jam a Caroli M. tempore floruiſſe teſtatur Lexicon magnum Baſileenſe.

Codex membraneus Bibl. Auguſtæ apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 239. hanc Waldekianam familiam ita deſcribit: *Hartnith Pater, Gertrud mater, Bertha uxor prima, Richiza uxor ſecunda converſa, fundatrix hujus loci, Walther frater, Ernſt Germanus, Arbo avus, Hartnidus, Arbo Proavi, Chunza avia, Rafoldus patruus, Heinricus propinquus, Iduncb avunculus.* Codex hic Seccovii eodem ſæc. 12. conſcriptus, dein in Bibl. Aug. Viennenſem translatus, omnino maximum pondus tribuit, ex hoc proin & veteri illa tabella ſuperius citata, uti & Necrolog. Seccov. ſequentem ſtruo ideam primam Waldekianæ in Auſtria & Styria illuſtriſſimæ familiæ.

Adalrami proſapia.

A. Hart-

A. Hartnid. I. & Arbo I. de Waldecke.

B. Arbo II. avus. — *C. Chunza* N. avia.

D. Idunc avunculus. seu frat. Gertrudis. *L. Heinric. proping.** — *E. Hardn. II.* *de Waldeck.* *F. Gertrudes* N. — *G. Rafoldus* patruus. *H. Chuno ** — *K. Udalricus.* *I. Bruno.*

M. Walther frater. — *N. Hartnidus III.* — *O. Adalram.* fund. Secc. uxor 1. *Bertha R.* 2. *Richinza S.* nata de Perge. — *P. Otto.* — *Q. Ernestus.*

T. Benedicta, seu *Erntrudes* Monialis Seccovii.

Singula jam notis illustrare libet, ut exactior hujus Genenlogiæ ratio habeatur.

A. Hartnidus I. & *Arbo I.* proavi nullo alio documento patescunt, quam codice illo Seccovienſi fundationi prope coævo & in Aug. Bibl. Vien. asservato. *Hartnidus I. Arbo de Waldecke.*

B. Arbo II. ac

C. Chunza avia, incognitæ gentis, & *Chunza de Waldeck.*

D. Idunch avunculus Adalrami, seu frater matris ejusdem, Gertrudis nempe ex cit. perantiq. codice Seccov. eliciuntur.

E. Hartnidus II. de Waldeck, Pater Adalrami ex eod. cod. Seccov. detegitur, meminit vero ejusdem etiam vetustiss. necrolog. Seccov. his verbis: 4. *Nonis Nov. Hartnidus Pater nostri fundatoris Adalrami.* v. Frælich Diplom. Styr. part. 2. fol. 363. *Hartnidus II. de Waldeck.*

F. Gertrudes mater Adalrami, incertæ gentis & cognominis, quam ego defuncto Hertnido marito ac Patre Adalrami, alteri nupsisse suspicor, eo, quod codex Seccov. cit. Ernestum Germanum Adalrami, Waltherum vero solum fratrem, proin uterinum dicere videatur.

G. Rafoldus patruus Adalrami, frater proinde fuerit Hertnidi Patris. *Rafoldus de Waldecke.*

H. Chuno do Waldeke
I. Bruno de Waldeke *Chuno & Bruno de Waldecke.*

Hos detegit Diploma 7. Seccov. inter testes traditionum an. 1149. factarum. Posui eosdem cum asterisco tanquam dubios, quia, unde deducendi sint, legitime non constat, cum tamen an. 1149. jam testes egerint, proin 20. ætatis annum jam superaverint, ecs Adalramo non multo inferiores, inter filios Rafoldi interim posui, donec alius eis locus in hac serie assignetur.

K. Udalricus etiam asterisco notatus est, quia, quo reponendus sit? ignoro: cognatum fuisse Adalrami fundatoris docet Diploma Seccov. 18. ab Alex. III. an. 1171. editum, in quo dicitur: *Ex dono Udalrici cognati memorati Adalrami ipsius loci fundatoris, Henneberch cum omnibus prædiis ad eam pertinentibus & alpibus Liechtsteig.* v. an. citat.

L. Heinricum propinquum Adalrami, ait idem codex Seccov. asteriscum apposui, utpote nescius, qualiter propinquus fuerit.

M. Waltherum fratrem Adalrami vocat codex Seccov. & *Ernestum Germanum*, unde suspicabar ad litteram *F.* eum solum uterinum Adalrami fratrem fuisse, vetus tabella cit. ex Puschio, Waltherum hunc *Ernest. & Walther de Waldeck*

An fundator S. Andreæ ad Traiſmam. Domin. in Lengeabach.

S. fundatorem Canoniæ S. Andreæ circa Traiſmam, & habentem Comitatum Lengenbach docet, ſed fundator Canoniæ hujus S. Andreæ in Auſtria valde controvertitur, nec adhuc ſatis patuit, a quodam Anglo Principe Henrico, Ottonis III. Imp. nomine excitatum, plures volunt, nemo adhuc detexit.

Hartnidus de Waldecke D. in Spielberg.

N. Hartnidum III. fratrem, uti & Waltherum prædictum ſilet codex Seccov. cit. & tabula illa Puſchii recenſet habuiſſe Comitatum Spielberg, cætera latent.

Adalramus de Waldecke fundat. Seccov.

O. Adalramus fundator Seccov. *Comitatum Starkenberg, & multa terrarum ſpatia* habuiſſe legitur, quibus omnino conveniunt documenta, & Diplomata Seccovienſia, etenim Adalbertus militiam quondam ſecutus, cum ex binis uxoribus proles non haberet, nempe maſculas, quibus relinqueret feuda, & hæreditatem ſuam, B. V. Mariam hæredem inſtituit, & primo quidem cum conſenſu & annutu Conradi I. Salisb. Archiep. capellas duas fundo parentum ſuorum fundatas, & a jure parochiali exemptas, nempe S. Mariæ *in Feuſtrice cum dote Platſe*, & S. *Joannis Evang. cum dote Altendorff*, Cunrado dedit, ut in prima Feuſtrizenſi nempe, vita communis ſecundum reg. S. Aug. inſtitueretur, jus tamen patronatus ſibi, dum arma ferret, reſervavit. Ad hanc itaque S. Mariæ in Feuſtriz capellam, ubi an. 1140. e choro Salisburg. S. Rudberti jam ad reg. S. Aug. compoſito, transmiſſa eſt prima colonia ſub Wernhero Præp. & Leopoldo Decano, & quidem in feſto S. Margarithæ feria 6. adventus horum virorum tantum Adalramo attulit gaudium, ut illico, quidquid citra *Cerevvaldam & Hartbergam verſus Carinthiam juxta Mubram fluvium vel in Marchia*, ſeu Styria poſſeſſionum haberet, & familiarum, cum alpibus *Teifental, Steinee, Frezen, Puechſchachen*, contraderet Seccovienſi, ſeu tunc adhuc Feuſtrizenſi Canoniæ: adjecit in traditionis hujus inveſtitura manſum unum in villa *Willendorff* cum vinea.

Fundatio Secc. refertur.

Ortolphus Sacerd. in Feiſtr. Fit Paroch. in Wides.

Nec ſtitit hic munificentia Adalrami, nam Cunradum Archiep. eo permovit, ut Ortolfum Sacerdotem antea in Feuſtriz amoveret, ac Parochum in *Wides* conſtitueret, omnesque decimas in valle *Feuſtriz* pro novella hac plantatione obtineret.

Feuſtriz Styr. ſuper. pagus ubi Canonia Seccov. primum poſita.

Antequam de translatione Feuſtrizenſis Canoniæ in Seccowe plura loquar, probe notandum eſt, plura eſſe loca Styriæ, quæ vocabulum Feuſtritz, & Seccau, ſeu Seccowe ferat. Feuſtritz enim eſt pagus modicus in ſuperiore Styria, non procul a Seccovienſi Collegio prope viam regiam, atque hic loci primum erecta eſt Canonia moderna Seccovienſis non procul *Knitelfelda:* alius pagus Feuſtritz eſt intra *Græcium*, & Fronleiten ad Muhram fluvium. Feuſtritz pagus ſuperioris Styriæ prope Muhrau; item oppidum *infer. Styriæ ad fluvium* Feuſtritz. Alterum Feuſtritz in inferiore Styria ad agrum Celejanum, ad viam regiam, quod *Vindicum* Feuſtritz ſeu Windiſch-Feuſtritz ſcribi ſolet. Urbecula exigui momenti, cui ſplendorem omnem tribuit arx illa illuſtr. familiæ S. R. I. Comitum ab Atthembs Burg-Feuſtritz dicta. Seccau ſeu *Seccovium* vocatur collegium Canonicorum, nunc Cathedrale in ſuper. Styria, tum arx Epiſcopo Seccov. contributa prope *Leibnizium* pervetus Styriæ infer. oppidum, ubi Epiſcopi Seccovienſis ſedes eſt.

Feuſtriz intra Græcium & Fronleiten. Item pagus ſup. Styriæ prope Mubrau. Oppid. inf. Styr. Vindicum ſeu Windiſch-Feiſt. urbecula. Burg-Feuſtriz Seccau Cathedr. Eccl. & arx Ep. Seccov.

Hiſce

Hiſce prænotatis ubi triennio fere in loco Feuſtrizenſi permanſere fundati ab Adalramo Canonici, quiesque eorum ob vicinam viam turbaretur admodum, Adalramus fundator cum Wernhero Præp. Conradum Salzb. adiit rogans, ut Canoniam ſuam ex Feuſtritz in Seccau transferre poſſet, locum montibus undique cinctum & quietum. *Translatio Canoniæ Seccov. ex Feiſtriz.*

Wernherus dein Præp. Romam ad Innoc. II. Papam ea de re miſſus, privilegium ſecum attulit, & Adalramus, ut novam translationem adjuvaret, denuo addidit, quæ *infra Pirdin, Cervvald, & Hartberg* habuit, tres nempe villas *Willendorff* unam, *Strelz* duas, & *Geroltsdorff* cum vineis & decimis. *Wernher. Præp. Secc. Rom. miſſ.*

Anno dein 1147. quinto Kal. Martii Adalramus ipſe vitam mundanam exoſus, depoſitis armis, ſe Wernhero ſubjecit Præpoſito, atque in Seccovienſi collegio converſus eſt factus. Eodem vero ſimul tempore, ut habet Dipl. Seccov. 22. Adalramus ipſe, cum apud Ottocarum V. magna familiaritatis gratia polleret, prædium ſuum in monte Starkenberch cum villa Trabſteten, ac milites ſuos meliores eidem Ottocaro V. liberaliter contulit, qui viciſſim ejusdem Adalrami precibus victus, Seccovienſis Advocati munus an. 1152. in curia Ratisbonenſi ſuſcepit; quæ omnia in Dipl. Seccov. 27. 22. & 30. videri poſſunt. De lite Seccovienſibus a Richinza uxore mota v. litteram S. *Adalr. Sec. fund. Ottoc. V. donat præd. Starkenb. vill. Trabſteten & milites ſuos.*

Quo anno Adalramus obierit? non conſtat, cenſeo inter annum 1174. quo adhuc in Diplom. Seccov. 21. tanquam vivus refertur ab Ottocaro VI. & 1182. nam in Dipl. Seccov. 22. Ottoc. VI. non amplius, ut in præcedentibus ait *precibus Adalrami fundatoris*, ſed ſolum *precibus aſſiduis Domini Wernheri Præp.* diem obitus detegit necrol. Seccov. 7. *Kal. Jan.* apud Frælich. Dipl. Styr. part. 2. fol. 364. cui omnino fides habenda. *Adalrami mors.*

P. Otto frater Adalrami ex ſolo cod. Seccov. ſupra cit. innoteſcit. *Otto de Waldek*

Q. Erneſtus hic ex cit. cod. *Germanus* Adalrami dicitur: in Necrol. Seccov. cit. fol. 357. lego: 7. *Idus April. Erneſtus Conven. de Waldeck.* Cenſeo legendum: *Conver.* ſeu *converſus de Waldeck.* Similia menda in necrologium Seccov. a Frælichio editum irrepſiſſe, obſervavi, nam 363. legitur in Frælichio *XI. Kal. Kal. Dec. Bernardus de Vorovve Præpoſitus, Erneſtus*, cum tamen ipſe meis oculis legerim in autographo necrol. Seccov. *exuſtus*, de quo ſuo loco in tom. 2. *Erneſt. de Wald. converſ. Seccov. Bern. II. Præp. Vorav. exuſtus.*

R. Uxores jam binæ Adalrami Seccovienſis detegendæ ſunt, duas eidem fuiſſe plura detegunt Seccov. documenta, nomina vero exprimit Diplom. Seccov. 27. ita loquens de Adalramo: *Cum de duabus legitimis uxoribus Berchta, & Richinza non haberet liberos, quibus dimitteret hæreditatem;* prima ergo uxor *Berchta* fuit, quam etiam codex ille Seccov. indigitat, quem ante ſchema hoc adduxi: nil cæteroquin de ea conſtat. *Berchta uxor 1. Adalrami fund. Seccov.*

S. Richinza, Richtza, Reichtza ſecunda uxor, ex eod. codice Seccov. & aliis etiam documentis manifeſtatur, etenim in docum. 7. Seccov. apud Frælichium ita legitur: *Notum eſſe volumus, quod quidam nobilis homo, dictus Adalramus de Waldeke cum uxore ſua ingenua nomine Richinza, ab eo peccatis exigentibus dimiſſa, ſed poſtmodum Divina miſeratione in ſancta converſatione*, ſors *converſione conciliata* &c. Ex hoc itaque loco, *Richinza de Percgen ux. 2. Adalr. Seccov. fundat.*

Dimissa ab Adalramo & cur?

duo innotescunt. 1. Richinzam ab Adalramo, non ob ejus peccata exigentia, sed ob Adalrami peccata, & quidem consentientem, fuisse dimissam, dum Adalramus conversus Secc. fieret. Ita docet Dipl. fund. Secc. n. 1. an. 1140. ubi clare dicitur, Adalramum *ob impetrandam delictorum suorum* fors in militia commissorum *veniam & Divinæ pietatis gratiam eam fundationem fecisse.*

De ipsa monialis Seccov.

2. Patet, etiam Richinzam post maritum factam fuisse monialem Seccovien sem, ita enim lego in necrol. Secc. fol. 360. apud Frælich. *Reichtza C. v. Conversa fundatrix hujus loci, soror nostra* obiit nonis Julii. Hinc satis mirari non possum, quomodo necrologium Admont. apud Hier. Pez tom. 2. fol. 205. dicat: 7. Id. Jul. *Richiza fundatrix Seccov. conversa nostræ congregationis;* præferendum sane necrologium Seccov. domesticum, cum plura alia documenta eam Seccovii conversam probent.

Non vero Admontens.

Richinza antea fundat Seccov. impugnavit.

De anno obitus Richinzæ, uti & conversionis nil fere constet, id tamen ex Dipl. 9. Seccov. quo Frider. I. Imp. an. 1158. fundationem Seccov. confirmat, erui potest, Richinzam post an. 1149. & ante completum annum 1152. conversam, seu monialem Seccovien sem factam fuisse. Nam, ut habet Diplom. Seccov. 9. postquam Adalramus conversus Seccovien sis factus est an. 1147. Richinza Frisaci querelam Cunrado Regi ab exped. Jerosolym. reduci, atque in Friesach moranti deposuit, *se ab Adalramo viro suo per injustas delegationes omni conjugali dote privatam esse;* rediit Conradus Rex ab expeditione Jeros. Frisacum an. 1149. ergo eodem hoc an. querelam deposuit Richinza, & citato etiam marito suo Adalramo, plenam justitiam judicio Principum obtinuit, cassatæque fuerunt traditiones priores Adalrami utpote noxiæ doti uxoris suæ; pergit idem Diploma, *traditionem* dein, *quam Divina gratia voluntates eorum Adalrami nempe & Richinzæ coadunante Ecclesiæ Seccov. fecerunt pariter, ratam habuisse* Conradum Regem, sed privilegium desuper morte præventum, dare non potuisse; obiit jam Conradus an. 1152. die 15. Kalend. Martii hinc, cum Conrado vivente in donatione Seccov. convenerint Adalramus & Richinza, suspicor eam post an. 1149. & ante completum an. 1152. monialem Seccovii factam, sicque concordi voluntate, seu voto, & pari consensu omnia prædia sua, & se ipsam etiam Ecclesiæ S. Mariæ in Seccowe tradidisse.

Progeniem Richinzæ jam exhibui ad Diploma 4. ut enim ex Dipl. 7. Secc. perspici potest, erat filia Rudolfi de Perge ex Richinza matre, soror Alrami & Alberti de Perge, cui uti & marito ejus Adalramo de Waldeke an. 1149. (quo proin Bertha I. uxor Adalrami fundat. Seccov. jam defuncta erat, eique Richinza hæc copulata) cum consensu fratrum suorum quamplurima bona donarunt parentes, a quibus dein, Adalramo nempe & Richinza, ea Seccovien sibus obvenerunt. Unde notitia illa Seccovien sis Num. 7. apud Frælich. Diplom. Styriæ part. 1. fol. 146. non ad an. 1149. quo Adalramus jam per duos annos conversus Seccov. fuit, sed ad longe anterius tempus est referenda.

Benedicta vel Erntrudes filia Adalr. Monial. Seccov.

T. Benedictam seu *Erntrudem* filiam Alrami fundatoris patefacit uni cum necrol. Seccov. cit. fol. 354. his verbis: 14. *Kal. Martii Benedicta monialis, seu Erntrudis filia Alrami nostri fundatoris.* Nec obest Diploma

Seccov.

Seccov. 27. in quo dicitur de Adalramo, quod *non habuerit liberos, quibus dimitteret hæreditatem*, v. litt. *R.* id enim intelligendum est de prole masculà, feudorum ac castrorum capaci, vel forte Benedicta Adalrami ex 1. uxore filia, jam ante ipsum patrem vota religiosa emisit, ut adeo dein liberos nullos haberet, quibus hæreditatem suam dimitteret, sed de his satis. Castrum Waldeck in Celej. territorio existens, familiæ huic vix nomen & ortum dederit.

De Ege Adelr. & Adelbert.

5*tus*: Diplomatis hujus testis subnotatur, *Adalram de Ege*, & *Adalbertus frater ejus*. Hos nullum cæteroquin Diploma Styriæ nostræ exhibet. An hi forte authores fuerint illustrissimæ familiæ de *Ekkh* in Styria, & aliis Austriacis terris florentis? ignoro. Familiam Baronum *de Eckh* Hübnerus tab. 831. & seq. uti & Bucelinus a Jacobo vel Vito deducunt circa an. 1450. Schönleben in Carniolia sua autentice exhibet, quod jam ab anno 1170. inter Carnioliæ Illustres floruerit familia. Basileense Lexicon eos de & in *Hungersbach* dictos, & in Carniolia supremum hæreditarii *Bacilliferi*, seu Ståblmeister officium gessisse docet, uti & Excell. Wurmbrand. in suis Collectan. historico-genealog. fol. 324. Valvasorius de iis nil adfert, nisi quod Paulum Baronem *de Eckh* possessorem Dominii in Flednich, Carnioliam cum bonis suis deseruisse scribat lib. 11. fol. 138. *Carolum* hujus familiæ Carinthiæ Provisorem, seu Landsverweser an. 1632. defunctum, citatus Hübnerus habet. Græcii hodie floret Illustriss. Baro DD. Josephus ad Eckh de Hungersbach excelsi regiminis consiliarius, consessus litterarii Præses, Censor, idemque Promotor maximus exigui laboris mei, quem Deus conservet.

Baro de Eckk de & in Hungersbach.

Paulus Baro de Eck in Flednich Dominus Carnioliam relinquit.

Carolus Provisi Provinciæ.

6*tus* testis est *Otto de Ruckkerspurch*, de quo v. annot. Dipl. 4.

7*mo* loco commemorantur: *Helmbardus*, *Fridericus*, *Udalricus*, *Ditmarus de Graez*, ampla de his differendi copia se pandit. Ex hactenus dictis nominatim in serie Ottocarorum Diss. 4. adjuncta, & cap. 4. §. 5. ostendi; probabile esse *Dominos de Gratz* a nostris Marchionibus descendere, primumque horum fuisse *Duringum* 1. *Dom. de Styra & Gratz*, & hujus filium *Helmbardum*; quamvis vero utcunque perierit exacta horum Dominorum de Graeze Genealogia, pro posse tamen eam sic ordino: & notis illustro

Domini de Graz Helmbard, Frid. Udalr. Ditmar. Orti ab Ottoc. Styr. Marchion. Duringus I. D. de Styr. & Graz.

Ottoc. III. seu *Ozii* Marchio Styriæ.

Ottoc. IV. M. Styr. *Albero II.* Co. Sylv. in Ens & Goiserw. *Bern.* Co. de Styr.

Duringus I. D. de Styra & Gratz,

Gundaccarus I. D. de Styra, v. Dipl. 6. reliqui Durinigi filii erant.

E. Ditmar. de Graz. *D. Frid.* deGraz. *A. Helmb.* de Graz. *B. Reginbart de Graz.* *C. Udal I. de Graz.*

I. deGraz. *G. Englfrid* de Graz. *H. Eckihart* de Graz. *F. Udalricus II.* filius Udalrici I.

I. Ditmar. de Graz. *K. Ottoc. I. & senior* dictus de Graz. *N.* Otto de Graz.

L. Ottoc. II. *M. Udalr. III.*

O. Ortolf. dein Monach. Admont. *I. de Graz* Minist. Ottoc. *Q. Hartvvich de Graz.* *R. Eschvvin de Graz.*

P. Ortolfus II. de Graz *S. Perengerus de Graz.* *T. Heinric. de Graz.*

V. Amelricus & Manizel de Graz.
W. Georgius de Graz.
X. Albero & Chunradus de Graz.

Antequam perobſcuram hanc, ac in plurimas alias lineas diviſam Genealogiam Dominorum de Graz exponendam aſſumam, quæpiam prænotare debeo, & quidem 1. me de Ottocaris & Dom. de Styra hic nihil acturam, utpote quorum geneſis jam Diſſert. 4. & ad Dipl. 6. declarata fuit, omiſi proin etiam fratrem Helmhardi, Gundaccarum I. de Styra, de quo jam ad Dipl. 6. dictum eſt. 2. Dominos hos de Graz in alias etiam terras nominatim Carnioliam ſe diffudiſſe, ut v. ſub littera S. Erant olim hi Domini, Præfecti urbis Græcenſis, Principi terræ ſubjectæ, & Miniſteriales Marchionum noſtrorum, ut jam Diſſert. 1. §. 21. oſtendi, inde ubi Græcium cum integra Styria Ottocaris exſtinctis, ceſſit Auſtriacis, imminuta eſt eorum poſteritas & memoria, atque eodem fors tempore in alias migraverint terras. Quæ itaque ex antiquis Diplomat. & documentis exſtabant, hic breviter ſubjungo, & notis neceſſariis illuſtro.

Domini de Graz in Carn. & alias terras diffuſi.

Olim erant Præfecti urbis Græcenſis, & Miniſteriales Marchionum.

Helmhardus de Graz.

A. Helmhardum, Duringi I. Dom. de Styra & Graz filium, Adalberonis II. nepotem, atque Ottocari noſtri 3. pronepotem cenſui & exhibui Diſſert. 4. cap. 4. §. 5. & in not. ad Diploma 6. Gundaccarum I. de Styra ejusd. fratrem ibidem declaravi, quem hic omitto, & reliquos ſolum ſubjicio: Helmhardus de Graz legitur inter teſtes Diplom. hujus 7. inter Runenſia 1. qui proin Leopoldi fortis Marchionis tempore, ſeu circa an. 1128. floruit, penes eum vero etiam in eod. Dipl. legitur *Fridericus*, *Udalricus*, *Ditmarus de Graz*, quos proin hujus fuiſſe fratres ſuſpicor, cum conjunctim legantur. Deinceps non amplius apparet, forte non diu in vivis ſuperſtes. Quæ ejus uxor, liberi fuerint? latet.

Reginhart de Graz.

B. Reginhart de Graz, hunc exhibet Diploma S. Lamberti nondum editum, & mihi nuperrime ex celeberr. exempto hoc Monaſterio transmiſſum, quod inter mea Num. 80. videſis. In eo donationi Eccleſiæ S. Mariæ & S. Michaelis in Grasluppa factæ an. 1148. Monaſterio præfato, tertius inter teſtes nobiles Ottocari V. legitur: *Oudalrich de Graze, & frater ejus Reginbart.* Cum itaque Udalricum fratrem Helmhardi cenſeam, pronum eſt inferre, & Reginhartum fratrem Helmhardi fuiſſe. Deinceps poſt an. 1148. mihi viſus non eſt.

Udalric. I. de Graz.

C. *Udalricus I.* hujus nominis ex 2. cit. Diplom. ad an. 1128. & 1148. reperitur, ſed & alia eum Diplomata manifeſtant, ſic Secc. primum an. 1140. ſeu notitia fundat. Seccov. docet eum anno eo fundationi Seccov. præſentem fuiſſe, quintus enim ordine legitur *Ulrich de Greze.* An. dein 1162. præſens fuit compoſitioni inter Abbates Runenſem, & S. Lamberti ab Ottoc. V. factæ in Greze, v. Dipl. Run. 7. inter mea Num. 15. circa an. 1162. in Admont. exſtitit, non ſolum teſtis traditionis cujusdam Admontenſibus factæ, ſed etiam benefactor eorundem antea per traditionem prædii *Havenaren*, ut v. Dipl. mea Num. 25. atque Diplom. ſequent. 26. Admontenſium traditioni ſubſcriptus eſt his verbis: *Odalricus de Græce liber homo cum filio æquivoco ſuo*, hoc eſt ejusdem nominis: ex quo proin ejus filius *Udalricus II.*

Benefic. Adm.

inno-

innoteſcit. Udalricum I. non ſolum liberum hominem, ſeu, ut nunc dicimus, e primaria nobilitate virum, ſed Præfectum etiam Græcenſem fuiſſe innuit Diploma Runenſe 10. inter mea Num. 33. in quo donationi Runenſibus anno 1164. ab Ottocaro V. factæ primus inter omnes teſtes ſubſcripſit: *Udalricus Præfectus de Graz, & filius ejus Udalricus.*

D. Frider. de Graz ex ſolo hoc, quod explico, Diplomate oſtenditur. *Frider. de Graz.*

E. Ditmarum I. de Graz idem exhibet, hunc ego primum cenſeo hujus nominis, quoniam ad an. 1207. ex Seizenſi 14. Diplomate Ditmarus de Graz denuo eruitur, cum vero, ſi unus fuiſſet Ditmarus, vitam ultra 100. annos prolongare debuiſſet, ea, quæ tardiore ævo occurrunt documenta, Ditmaro II. applico. *Ditmarus I. de Graz.*

F. Udalricus II. filius Udalrici I. fuit, ut oſtendi littera C. *Udalric. II. de Graz.*

G. Engilfrid de Grez, ex Dipl. Run. 10. inter mea Num. 33. detegitur ad an. 1164. ubi quintus teſtis notatur *Engilfrid de Graz*, hunc ex alia, quam Udalricum I. & II. linea fuiſſe fuiſſe arbitror, quod ſeorſim ab iis primo notatis inveniatur ordine quintus. *Engilfrid. de Graz.*

H. Eckibart de Greze ad an. 1168. ex notitiis Admontenſibus 63. 66. inter mea Diplom. Num. 69. 70. deprehenditur, ſed inter teſtes fere poſtremos ſcriptus. *Eckibart de Graz.*

I. Ditmarus II. in variis Diplomatis invenitur, quorum quædam, an Ditmaro I. ſint applicanda? vix contendam, anno certe 1207. Ditmarum I. jam mortuum, ac Ditmarum II. legendum cenſeo. Lazius de migr. gent. fol. 194. adducit ad hunc annum ex litteris publicis *Ditmarum de Graz*; ac an. 1174. in Dipl. Seccov. 21. inter mea Num. 49. legitur inter teſtes quinto loco *Dietmarus & Ottocarus de Graeze*, & an. 1207. in Dipl. Seizenſi Num. 14. *Dietmarus de Graz*, ante eum vero ita: *Otto & Wolfingus, Cholo & Heinricus, Leudevvicus: Offo, Ditmarus de Graz*, an hi omnes e ſerie Dominorum Græcenſium fuerint, aſſerere verebar, eo quod hocce tempore nullus eorum appareat, unde cognomina omiſſa ſuſpicor. Eo vero Diplomate Dietmarus *Miniſterialis* Ottocari VI. fuiſſe dicitur. *Ditmarus II.*

K. Ottocarus I. & ſenior *de Graz*, occurrit primo ad annum 1171. in cod. Dipl. Admont. Num. 83. inter mea 46. teſtis ordine quartus, ad an. 1173. in Dipl. San-Lambertino inter mea Num. 87. ad an. 1174. ex Dipl. Secc. 21. inter mea Num. 49. cum Dietmaro de Graz, circa 1180. in Dipl. Admont. 70. inter mea Num. 51. an. 1187. in binis Dipl. Göſſenſ. 11. & 16. inter mea Num. 71. 72. an. 1189. in Diplom. Runenſi 12. inter mea Num. 75. uti & an. 1188. in Dipl. Admont. inter mea Num. 73. an. 1205. in Dipl. Runenſi 13. una cum *Ottone de Grez* an. 1210. in Dipl. Run. 15. & his quidem locis ſine filiis ſuis, hos vero inſinuat Dipl. Run. 14. ad an. 1206. ubi ſic lego: *Otaker & filii ejus Otaker & Ulricus de Grez*, Diplom. 16. Run. ad an. 1211. habet *Otokarus de Grez, & filius ejus Otokarus.* Deinceps eum inter teſtes Diplomatum Styriæ non inveni, unde qui in Diplom. Runenſi 15. ad an. 1210. occurrit *Ottocarus de Gretz* non filius, ſed Pater fuerit, utpote an. 1211. ex dictis adhuc in vivis, & Ottoni de Gretz præpoſitus. *Ottoc. I. de Graz.*

Ottocarus II. *L. Ottocarus II.*] De Gretz ambo filii Ottocari I. uti
Udalricus III. *M. Udalricus III.*] mox oſtendi.

Otto de Graz. N. *Otto de Gretz*, ab an. 1175. ad 1211. Diplomatibus variis ſubſcripſit, anno quidem 1175. in Dipl. Admont. Num. 115. an. 1182. Seccov. 22. inter mea Num. 58. *Otto & Ortolf de Gretze*, an. dein 1205. 1206. 1210. 1211. in Dipl. Run. 13. 14. 15. 16. cum *Otocaro de Greze.*

Ortolfus I. de Greze ex Miniſteriali Monach. Admont. O. *Ortolfus I. de Graz Miniſterialis* Principum, dein autem *Monachus Admontenſis* factus, Lazius quidem eum ad an. 1140. cum Ottocaro ex litteris vetuſtis adducit, quas tamen non nominat. An. 1182. in Diplom. Seccov. ſupra citato. Diplom. vero Admont. Num. 66. inter mea Num. 70. clare docet eum Ottocari Ducis *Miniſterialem*, dein autem Monachum Admont. exſtitiſſe, ita enim ad an. 1186. ait: *Tunc etiam Herrandus, de Wildonie XX. manſus, quos Ortolfus de Graeze Miniſterialis Ducis, ad converſionem Admunt veniens in in manus & fidem ejus delegaverat tradendos, Admont. Cœnobio ſuper altare S. Blaſii præſente Duce delegavit, ſcilicet ad Paltungerſtorff juxta Rabniz VII. manſus. Supra Diebaldisberge juxta Seckil VI. ad Gotilensperge IIII. juxta Eccleſiam II. ſupra Chienove I.* ex quibus proin patet, Ortolfum I. poſt annum 1182. Monachum Admontenſem fuiſſe profeſſum, idque Monaſterium de ſuis etiam bonis ditaſſe.

Herrandus de Wildonie.

Ortolf. de Graz. P. *Ortolfus II. de Gretz*, hunc inter Styros non amplius invenio, forte linea quadam horum Dominorum jam in Carniolia degente, Valvaſorius lib. 11. fol. 212. ait caſtrum *Gradez in Carniolia*, in Marchia Vindica, olim Grätz fuiſſe dictum, & ſedem Dominorum de Grez fuiſſe, quorum unus *Perengerus de Grez* an. 1220. ac Ortolfus hic an. 1271. illud inhabitavit. De eodem hoc Ortolfo refert, captum Græcii ab eo *Sigefridum de Merenberg*, Ottocaro Bohemo in urbem Pragam fuiſſe deductum. Idem habet hiſtoria Ducum Styriæ male addens Ortolfum hunc de Grätz cognomento, Dierrenholz fuiſſe appellatum. v. an. 1271.

Gradez olim Graz caſtrum Carnioliæ.

Perengerus de Graz.

Sigefrid de Mabrenberg capt9 ab Ortolf. de Graz.

Hartvvicus de Graz. Q. *Hartvvicus de Gratz* obſcure ſatis exprimitur in Dipl. Göſſenſi 17. ad an. 1114. ita enim legitur: *Hartvvicus Otach de Gratz*, fors Otach idem ac Ottocarus innuit.

Eſchvvin de Graz R. *Eſchvvin de Graez* ultimus ſubſcripſit Diplomati Runenſi 16. an. 1211.

S. *Perengerus de Graz*, v. litteram *P.*

Heinr. de Graz. T. *Henricus de Graze* an. 1241. Dipl. Seizenſi 30. ſubnotatur.

Amelricus & Manizel de Graz V. *Amelricicus & Manizel de Graz*, hos an. 1372. in caſtro Carnioliæ Gradez, olim Grätz reſediſſe docet Valvaſ. lib. 11. fol. 212.

Georg. de Graz. W. *Georgius de Graz* ejusdem caſtri an. 1462. poſſeſſor, teſte cit. Valvaſ. qui addit, eundem anno dicto fuiſſe inter eos, qui Fridericum Imp. Viennæ obſeſſum liberarunt, ut ſuo loco pluribus ex Haſelbachio aliisque. Plures exſtitiſſe Dominos de Graz in Carniolia, arcemque Gradez incoluiſſe tradit Valvaſor. unus horum, eodem teſte arcem Feiſtenberg in Carniolia a quodam Dom. de Graz *turrim Græcenſem* dictam ſtruxit. Jam vero eorum progenies emarcuit.

Feiſtenberg arx Carniol. olim turris Græcenſ.

Albero & Chunradus de Graz. X. *Albero & Chunradus de Graz*, ex Dipl. Admont. 113. ad an. 1177. ad 1199. citciter.

8vum Diplom. hujus teſtem egit *Goteſcalcus de Dirnſteine*, familiam hanc nobiliſſimam æque, ac vetuſtiſſimam ex Sueviæ caſtro Thierſtein, cujus rudera adhuc haud procul a Seckingen oppido ſecus Rhenum cernuntur, derivant plures cum Lazio de migr. gent. lib. 8. ita vero loquitur Lazius: *Gottſcalcus Comes de Thiernſtein floruit circa an.* 1150. *cujus ſive fratres, ſive fratrueles Udalricus, & Marquardus in Auſtriam abierunt, ac ibi prædia compararunt, ſive potius condidere: quorum alterum ab ingnibus Damæ videlicet Hyndberg, alterum vero Eberſtorff ab Apro, quod ibi venationi commodus eſſet locus, denominarunt. Quorum poſteri Domini ab Hyntberg & Eberſtorff appellati fuere, quorum adhuc in Auſtria apud nos reliquiæ ſuperſunt in Sigiſmundo Comite a Thiernſtein, & Domino de Eberſtorff, cujus frater Reinpertus nuper rebus humanis exemptus eſt, belli ſtudiis clariſſimus Heros.* Pergit idem Lazius: *Chalochus Comes de Thirnſtein cum Rudolpho Habſpurgenſi conceſſit in Auſtriam, & Dominorum ab Hyndberg cognatorum ſuorum poſſeſſiones conſecutus eſt, & Eberſtorff caſtrum condidit, a quo deinceps Domini & Barones ab Eberſtorff in Ducatu Auſtriæ recte deſcendere dignoſcuntur, qui & Comitum a Thiernſtein titulum hodie uſurpant.* Sed Dirnſteinios jam antea in Auſtria & Styria ſubſtitiſſe, noſtra Diplomata oſtendent. Thirnſteinios ab Helvetis prodiiſſe, & medio ſæc. 16. in Libitinæ cenſum veniſſe, exhibent Dipl. plura, & Lexicon univ. Baſileenſe, quod eos in Solothurn potentes fuiſſe, ac in Fridthall & Sisgöw Dominia habuiſſe tradit. Unde neſcio, quid tribuendum ſit illis, qui Thiernſteinios ab Azzone illo per Popponem Trevir. in Auſtriam ſubmiſſo deſcendiſſe credunt.

Gotſcalcus de Dirnſtein.

Udalr. & Marquard. de Dirnſt. Caſtror. Hyndberg & Eberſtorff in Auſtria origo.

Sigiſm. Com. de Thiernſtein & Eberſtorff. Reinpertus Com. de Thiernſtein. Calochus in Auſtriam cum Rudolpho venit.

Dierneſtain loca plura fuiſſe docum. vetera perſuadent, in Styria Præfecturam Ottocari VI. Dierneſtain exhibet Dipl. 9. Seizenſe inter mea Num. 59. in quo Ottocarus Seizenſibus partem eleemoſynæ in Dierneſtein aſſignat, Dierneſtain arx ſuper. Styriæ in circulo Judenburg, hodie Principi & Epiſc. Gurcenſi ſubeſt. Sed & in Auſtria fuiſſe arcem hujus nominis docet Chron. Mellic. apud Hier. Pez tom. 1. col. 258. ad an. 1458. ſic ſcribens: *Baro quidam dictus Stephanus Eyzinger, incendiis & rapinis permultis devaſtat Auſtriæ Patriam, igitur obſeſſus in caſtro ſuo* Thiernſtain *ab incolis terræ cogitur ad pacem.* Haſelbachius apud eundem Pezium tom. 2. fol. 860. *Ulricum Eyczinger* rebellem nominat, & caſtrum ſuum totaliter dejectum docet; nunc Tiernſteinium, oppidum olim Chuenringium, civitas eſt, rudera arcis ſupra montem exſtant, a Richardi Regis Angliæ captivitate memorabilia, in urbe collegium eſt Can. Reg. S. Aug. civitas vero ea Henrico & Hadmaro de Chunring, quibus ut oppidum paruit, ablatum & fiſco addictum, cum hi abſente Frider. II. Auſtriæ Duce Steinam & Crembſium vaſtarent. Familiæ hujus in ſuis tabulis non meminit Hübnerus, Bucelinus vero tom. 4. part. 3. fol. 74. Genealogiam ſtruit Thiernſtainienſium, ſed in ea Genealogia nullus eorum, quos infra adducam, Thiernſteiniorum occurrit, & nullus etiam eorum, quos Bucelinus memorat, in Dipl. noſtris videtur, unde alterius & Helveticæ fors lineæ propagines cenſeo, easque omitto. Thiernſteinii itaque hic occurrentes, vel ex Helvetis non deſcendère, vel quod opinor, longe anteriore tempore in Styriam & Auſtriam ſunt deducti, cum Gottſcal-

Dierneſtain loca plura. In Styra Præf. Otto. VI.

In Auſtria arx.

Steph. Eyczinger Auſtr. prædonis.

Thiernſtein oppidum Auſtriæ nunc urbs. Olim Chunringiorum. Nunc Archidac.

cus jam an. 1128. inter teſtes Leopoldi Styr. Marchionis adducatur, horum pauci admodum mihi innotuere, incerto inter ſe nexu proin ſolum ordine Chronologico referendi.

Gotſcalcus de Dirnſtain.

Gotſcalcus de Diernſtein hoc in Diplomate citatus apparet denuo inter teſtes fundationis Seccov. an. 1140. v. Dipl. Seccov. 1. & circa an. 1162. in Dipl. meo 23. uti & in Admont. Dipl. 16. 71. 72. Ejus an fratres vel fratrueles fuerint Udalricus, & Marquardus? qui ex Lazio cit. primi in Auſtriam abiiſſe dicuntur, ignoro. Imo jam antea hiſce in terris eosdem conſtitiſſe, probant Gotſcalcus, alique in Dipl. noſtris adducti.

Gotfridus de Diernſtein

Gotfridus de Diernſtein, majorem in hiſtoria Styriæ notam meretur, etenim primo an. 1170. ſubſcripſit Diplomati Frid. I. Imp. confirmatorio S. Lamberti Frieſaci inter nobiliſſimos harum terrarum Dynaſtas, ac an. 1173. in Dipl. S. Lamberti, inter mea Num. 87. varia de eo deteguntur, etenim Advocatus cum eſſet Monaſterii S. Lamberti in Styria, per occaſionem advocatiæ hujus, Eccleſiæ illi damnum intulit, ædificando contra omnem juſtitiam in prædio ejus Eccleſiæ, caſtrum *Witteſpach* appellatum. Inde cum paucitatem dierum ſuorum brevi concludendam videret, ut miſericordiam Dei obtineret, damnaque rependeret. prædium ſuum in loco *Piſſich* dictum, a lapide *Rotme* ad *malum lapidem* extenſum, cum alpe adjacente, ac omni utilitate Eccleſiæ S. Lamberti tradidit, volens ſolum, ut eo de prædio 40. marcæ Seccovienſibus darentur. Quanto tempore dein in terris ſuperfuerit? incertum, ſenem ſatis & morti proximum fuiſſe, Diploma cit. indicat.

Advocatius S. Lamb. cœnobii. Eidem injurius ædificato caſtro. Witteſperch.

Donat S. Lamb. prædium Piſſich.

Seccovienſibus benefacit.

Lantfrid. Aribo & Walchunus de Dirnſtein.

Lantfridus, Aribo, & *Walchunus de Diernſtein* ſubſcripſerunt an. 1182. Diplomati S. Lamberti inter mea Num. 86. quo nexu Gotfridum vel Goteſcalcum attigerint? ignotum. *Lantfridus* hic inter teſtes 9nus, *Aribo* vero, & *Walchunus* Num. 22. & 23. referuntur, unde, licet hi duo fors fratres aut cognati fuerint, Lantfridus tamen ætate vel dignitate anterior fuiſſe videtur.

Reginbot de Dirnſtein.

Reginbot de Diernſtein teſtis 3. an. 1170. ſubnotatur in Diplom. Admont. 82. inter mea 43. *Albero* 4. *de Türnſtain* an. 1259. Hademari III. Chunringii filius Pincerna Auſtriæ dicitur, in Genealogia Chunringiana Zwethal. Monaſterii, unde nomen Thürnſtain huic non a familia, ſed fors a poſſeſſione caſtri adhæſerit: etenim *Leutoldus* Alberonis IV. filius, poſſedit caſtra Diernſtain, Zwetl, Achſtein, Ciſterſtorf, Weldſperg, Chunring, Staleck, Steyreck, Grabern, Aſpern, &c. in Auſtria, in Styria vero noſtra Wildon & Radkerſpurg, ſuperius ſeu arcem ac in finibus Hungariæ Kirchſlagg, quæ tamen utcunque dubia ex Genealogia Wildoniorum videntur.

Albero de Türnſtein pincerna Auſtriæ e Chunring. familia.

Leutold. ejus filius

Wildon & Radkerſpurg DD. de Chunring.

Sigiſmundus, Reinpertus, Chalochus ex cit. Lazio deteguntur, quoniam vero omiſſo Thiernſteinii nomine, Domini hi de Hyntberg, & Eberſtorff ſunt appellati, reaſſumpſit antiquum eloquium *Sigiſmundus Eberſtorfius*, ſeque Comitem denuo de *Thiernſtein* appellavit, at non diu, nam anno 1566. gentem & vitam ſuam clauſit in Parochia Ernſtbrunenſi in Auſtria ſepultus. *Lutoldus* legitur Rudolfo Cæſari Habsburg. mutuas dediſſe 60. argenti marcas, ut bellis cœptis inſiſtere poſſit,

Sigiſm. Reinpert Chol. de Dirnſt. v. potius Hyndb. & Eberſtorf. Sigiſ. de Dirnſt. ultimus familiæ. Lutobdus de Dirnſtein.

Hermannus an. 1307. Ep. Argentorat. electus, & *Georgius* an. 1337. ludis equeſtribus Ingelheimii adfuit. *Simon* Friderico Regi & Auſtriæ Duci contra Ludov. Bav. adſtitit datis mutuis 7000. marcis argenti an. 1366. Joannes an. 1370. in caſtro Falkenſtein a Baſileenſibus & Helvetis cum Comite a Nidovu captus, atque *Petrus* an. 1386. ab iisdem Helvetis ad Sempach cum Luipoldo Auſtriæ Duce eſt necatus, idem fatum an. 1406. Hermanno contigit in bello Appencellenſi. *Herman. Epiſc. Argentorat. Gorgius. Simon. Joan. de Thirnſt. D. de Falcenſtein. Petrus. Herm. de Tiernſt.*

Marquardus Magiſter curiæ, ſeu Præfectus Auſtriæ Principum an. 1387. & *Bernardus* conjugem habuiſſe legitur filiam *Rudolfi D. de Pernegg* & Styriæ Baronis. *Marquardus, Bernardus, Rudolfus D. de Pernegg.*

Joannes an. 1440. advocatus Conc. Baſileenſis, qui jam antea ex Conc. Conſtantienſi legatus miſſus eſt, ad Tigurinos, ut eos cum confœderatis pagorum, Vry & Schwitz, inteſtino inter ſe bello flagrantes componeret. Idem ad Joannem II. Archiep. Salzb. legatus miſſus eſt, v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 475. *Joan. de Thirnſt.*

Oſvvaldus, Bernhardus, & Wilhelmus fratres Germani, quorum primus Præfectum egit Caroli Burgundiæ Ducis in Alſatia ſibi oppignorata a Sigiſm. Auſtriæ Duce, ac ubi ea redempta eſt, Prætor erat ſeu Landvogt an. 1476. in Alſatia. Bernhardus Frider. III. Imp. aulicus & Conſiliarius, dein Capitaneus ſeu Præfectus in Freuſtadt Auſtriæ. Caſtra etiam Prunbach & Persberg comparavit. *Wilhelmus* Frider. III. Conſiliarius, ac Sigiſm. Ducis Auſtriæ contra Burgundos Dux, hunc-que Wilhelmum Comitem de Thiernſtein an. 1468. Styriæ noſtræ Capitaneum, ſeu Prætorem ordine 23. fuiſſe docet, MS. Chron. Styriæ ex catalog. Capitaneorum Styriæ, quem a virtutibus ac ſcientia Clariſſimum deprædicat, ſed ſæculo infauſto Provinciæ regendæ admotum, etenim ſub eo anno 1422. peſtis & fames latiſſime in Styria dominabatur, eo præcipue capite, quod locuſtæ ingentes ac innumeri ex Hungaria huc devecti fruges omnes abſumerent. Obiiſſe refertur an. 1479. *Oſvvaldus* & *Henricus* an. 1510. in vivis erant. Ita Lazius. Plura de his in Eberſtorfiis occurrent, quoniam Dirnſteinii ex Helvetia & Suevia in Auſtriam migrantes, inibi Dynaſtiam gentilitiam Eberſtorf exſtruxerunt, quam dein *Vitus ab* Eberſtorf, Maximiliano I. Imp. ceſſit, acceptis pro ea caſtris Ernſtbrun & Mauer. *Oſwaldus, Bernhardus, Wilhelmus. Wilhelmus de Diernſtain Styr. Prætor. Peſtis & fames in Styr. a. 1422. Locuſtæ ibidem. Vitus ab Eberſt.*

9no Inter teſtes loco recenſetur, *Gotſchalcus de Hovelayn*, Auſtriaca hæc fuerit familia; inter noſtros enim Styriæ Dynaſtas ea non reperitur; præterea arx Höfelain ſeu Höflain in circulo Auſtriæ ſupra Mainhardi montem, poſito, exiſtit, & noſtris temporibus Doctoris Sutner eſſe ſcribitur. *Villam Höflain Luitoldus Comes de Hardeck* an. 1248. Collegio Canonic. Clauſtroneoburgi donavit, ut v. Bernard. Pez Cod. Dipl. epiſt. part. 2. pag. 98. Num. 169. & an. 1347. *Albero* der Stuchs *de Trautmanſtorf* bona in Höflain, quæ *Marquardus de* Miſtelbach ipſi hypothecavit, *Ulrico de Stubenberg* reluenda dedit. Ex Archiv. ſtat. infer. Auſtr. *Gotſchalcus de Havelayn. Höflain arx Auſt. Luitold. Comes de Hardeck. Albero Stuchs de Trautmanſtorf. Marquard. de Miſtelbach. Ulr. de Stubenb.*

10. *Henricus de Dunkenſteine*, nobilis inter Styriæ Proceres familiæ, ex qua *Gerlacus Abbas I. Runenſium* ortum traxit. Familiam hanc inter Styros celeberrimam, ex Franconia in Patriam noſtram deveniſſe credunt plerique nec ſine ratione, etenim cum *Gerlacus de Dunkenſtain* *Henr. de Dunkenſtein. Gerlacus Abbas I. Runenſ.*

Abbas I. Runenſis ex Eboracenſi Monaſterio Runam adſcitus fuerit, inibi ſeu in Franconia natus fuiſſe videtur; quidquid ea de re ſit, in Styria, eam progeniem ſæc. 12. initio floruiſſe plura probant. Nec Hübnerus, nec Bucelinus ejusdem meminit, quosdam ejus ſurculos in veterum Diplomatis inventos, paucis hic expedio.

N. de *Dunkenſtein* *A. Chuneg.* n. uxor 1170.

B. Henric. Miniſt. Ottoc. V. a. 1128 ad 1187. *F. Petrus* a. 1399.

C. Albero vel *Albertus* ux. N. an. 1166. ad 1187. *E. Gertrudes* an. 1146.

D. Udalricus an. 1146. ad 1166.

G. Gerlac. de Dunkenſtein Ab. I. Run. ab 1128. ad

Chunegund. de Dunkenſtein.

A. Chunegundes de Dunkenſtein, mater Henrici, proin etiam Alberonis, & Udalrici, patet ex actis Adalberti II. Salzburg. Archiep. ad an. 1170. cum enim Adalbertus exul, in terris avunculi ſui Henrici Auſtriæ Ducis ſe contineret, Diploma edidit, quo Dominæ Chunegundi & filio ſuo *Henrico de Tunkilſteine ſeu Dunkenſtein* concedit, ut in 2. capellis a ſe fundatis in villis ſuis Eberhartſtorf & Lintbach proprium haberent ſacerdotem, liberam ſepulturam, & baptiſmum, ita tamen, ut in Sabbatho ſancto Paſchæ, Pentecoſtes, unius tantum infantis baptiſma illic celebretur, eo quod legitimum baptiſma iis diebus jure matricis Eccleſiæ reſpiciat plebanum in Walſtorf, uti & placita Chriſtianitatis, & ſatisfactiones pœnitentium. Subſcripſit inter teſtes Luipoldus Præp. Vorav. &c. v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 289. ex quibus proin patet, eam familiam in Auſtria etiam bona & prædia poſſediſſe, & Henricum ejusdem filium fuiſſe.

Luipold. Præp. Vorav. a. 1170. in Auſtria.

Henricus de Dunkenſtin Miniſt. Ottoc. V.

B. Henricus de Dunkenſtain, filius Chunegundis, Miniſterialis Ottocari V. & frater Alberonis ac Udalrici fuit, ut proin etiam hi filii cenſendi ſint Chunegundis: Miniſterialem fuiſſe Ottocari V. varia Diplomata exhibent, Diploma Runenſe 5tum inter mea Num. 14. de quo ibidem pluribus, qui anno 1146. & ſeq. adfuit expeditioni ſacræ, ex qua felix rediit, quoniam an. circ. 1162. Diplom. Admont. 72. inter mea Num. 23. ſubſcripſit, imo ex cit. ſuperius in Chunegunde Dipl. an. 1170. &c. adhuc inter vivos egit. Eundem vero fratrem fuiſſe Alberonis, probant varia Diplomata, Ottocari I. Ducis ad an. 1182. inter Dipl. mea Num. 58. item ad an. 1181. Admont. Num. 84. inter mea Num. 56. quibus legitur, *Henricus & Albero fratres de Dunkenſtein*, & an. 1187. in Dipl. meo 72. unde ad an. uſque 1182. vixit, ad canamque ſenectutem perveniſſe videtur. An vero frater etiam Udalrici fuerit? ex eo pendet, num Albero & Udalricus fratres fuiſſe inveniantur, v. litt. *D.*

In terram ſacr. abit.

Albero ejus frat.

C. Albero de Dunkenſtein manifeſtat ſe ad an. 1173. in Dipl. Seccov. Num. 20. inter mea Num. 48. in quo ſolus ex ſuis legitur. In Dipl. Seccov. 22. inter mea Num. 58. cum fratre Henrico ad an. 1182. aſt ad an. 1166. in Dipl. Frider. I. Imp. inter mea Num. 36. adducitur cum *Udalrico*, uti in Dipl. meo Num. 37. denuo ad eundem annum ſolus. Tandem an. 1187. in Dipl. Göſſenſi 16. inter mea Num. 72. *Albet & frater ejus Hainricus de Dunkenſtain*, ex quo colligo in Dipl. Göſſenſ. 11. inter mea Num. 71. per ea verba Albertus & frater ejus de Dunkenſtain, Henricum deſignari, v. litt. E.

D. Udal-

D. Udalricus de Dunkenſtein, manifeſtat ſe ad an. 1166. ex Dipl. meo 36. mox adducto, fratrem vero fuiſſe Alberonis, proin etiam Henrici, docet Dipl. Run. 5. inter mea Num. 14. in quo inter teſtes ſcripti ſunt, *Albero & frater ejus Udalricus de Dunkenſtain*, ut adeo hi tres fratres fuiſſe legitime deducantur. *Udalricus de Dunkenſtain.*

E. Gertrudes filia Alberonis de Dunkinſtein detegitur ex Diplom. Run. 5. a me Num. 14. explanando, in quo *Henricus de Dunkinſtein* Jeroſolymam abiturus, bona Runenſibus in Weickerſtorf tranſcripſit, ea tamen ſub conditione, ut quædam horum, filiæ fratris Alberonis, nomine Gertudis uſibus, ad tempus uſque vitæ ſuæ concederentur, v. plura ad Dipl. 14. reliquæ ejusdem res latent. *Gertrudes de Dunkenſtain.*

F. Petrus de Dunkenſtein ad an. 1399. interrupto ſatis, ac incognito reliquorum ordine, adducitur ex archivo Wurmbrand. Num. 113., in quo *Henricus IV. & Laurentius Wurmbrandius de Stuppach*, decimas vini, & fundos quosdam eidem Petro vendidere an. 1399. am Samſtag nach unſer Frauen Tag. *Petrus de Dunkenſtain.* *Henric. IV. & Laur. Wurmbr. de Stuppach.*

G. Gerlacum de Dunkenſtain I. Abb. Runenſ. de quo per opus pluribus diſſerui, an frater Udalrici Henrici ac Alberonis fuerit? an filius Chunegundis? nil omnino conſtat, forte horum patruus exſtitit, cujus progenitores in Franconia remanſerint. *Gerlacus de Dunkenſtein. Abb. I. Run.*

11*mus* Diplomatis teſtis eſt *Chonradus de Daven*, vel probabilius, ut Puſch part. 1. fol. 303. *de Saven*, nullibi cæteroquin hic teſtis inveniturinter noſtros, unde vel alterius provinciæ fuit, vel quod reor, error Amanuenſis contigit. *Saven* rivus eſt collegium Pöll. Can. Reg. alluens. *Chonradus de Daven ſeu Saven.* *Saven rivus.*

12. *Dietrich & frater ejus Friderich de* Miresdorf, duo hi ſolum hactenus, ex hujus Miresdorfiæ Proſapiæ propagine ſurculi mihi in Dipl. & docum. Styriæ ſunt viſi, nec ſatis conſtat, an patriæ noſtræ incolæ fuerint, quæve origo eorum, cum vero in Dipl. Styriæ ſæpenumero occurrat *Fridericus*, unica vice, & hoc ſolum in Diplomate *Dietricus*, potuiſſent hi fortuito Græcium venire, & Leopoldo Marchioni teſtes agere, alteriusque Provinciæ ac regionis eſſe. Id tamen obſtare videtur, quod ab anno hoc 1128. ad 1186. crebro inter Styriæ nobiles adducatur *Fridericus* de Miresdorff, etenim anno 1148. in Diplom. meo 80. Græcii itidem teſtem egit Ottocaro V. dum Eccleſiam Grasluppenſem donaret Monaſterio S. Lamberti. Circa an. 1162. in Dipl. Admont. 72. inter mea Num. 23. citatur in traditione Admont. anno 1173. in traditione Seccov. Num. 20. inter mea Num. 48. an. 1181. in Dipl. Garſtenſi Num. 15. inter mea Num. 54. an. 1185. in Dipl. Ottoc. VI. Admont. dato inter mea Num. 63. an. 1186. in Dipl. Adm. 63. 66. inter mea 69. 70. uti & in Dipl. Admont. 65. eod. circ. temp. ex his inferre forſitan licebit 1. Fridericum hunc in Styria commoratum. 2. Fratrem ejus Dietericum ſeniorem paulo poſt an. 1128. obiiſſe, cum dein non amplius occurrat. *Dietric & Frid. de Miresdorff.*

13. Et ultimus teſtis notatur *Friderich de Waltſtein*, antiquiſſima eſt Comitum de *Waldſtein ſeu Wallenſtein* origo ex Bohemia, in varias Provincias ab Hübnero tab. 679. ad 682. & Bucelino tom. 4. part. 2. diducta, conſentit Chronic. Baſileenſe eosdem a Wartenbergiis deſcendiſſe ac ſupremo Pincernatus Bohemiæ munere fuiſſe inſignes, donec *Frid. de Waldſtein.* *Waldſteinii Pincernæ Boh.*

Joan. Georg. D. de Wartenberg.

cum *Joan. Georg. Dom. de Wartenberg* exſtinqueretur, ſed hi omnes ad ſæc. 13. initia detruduntur, ut apud cit. authores videre licet. Noſtra itaque inter Styros Waldenſteiniorum familia, ſæculo ſaltem integro ſenior fuit, deducendaque a Caſtro illo antiquo Styriæ *Waltſtein* dicto, ſupra Græcium ſito, quod exſtincta ea familia *Rupertus de Windiſchgrätz*, & conjux ejus Adelhaides de Wolfsthall an. 1468. *a Wilhelmo de Prankh* die martis ante Feſtum S. Ægydii emerunt, ac dein gentilitium Windiſchgraziorum fecerunt, ut pluribus in Windiſchgraziis oſtendetur.

Waltſtein caſtrum Styriæ.

Rupert. de Windiſchgrätz, & Adelhais de Wolfsthall.

Wilhelmus de Brunk.

Waldſteiniana itaque Styriæ familia jam ſæculo XI. celebris fuit, ac ad ſæc. uſque XIII. finem perſtitit; an ulterius ſe promoverit? vel quo ſæculo exſtincta ſit? hactenus non deprehendi, qui enim hodie exiſtunt, e Bohemica ac Suevica progenie eſſe videntur. Certe ſæcul. XV. medio, vel etiam ante, Styriaca hæc proſapia deſierit, cum caſtrum Waldſtein jam Brankiorum, ac Windiſchgraziorum fuerit.

Waldſtein caſtrum.

Seriem eorum ordinatam exhibere nequeo, ordine ſolum Chronologico, quos invenire poteram, proſequar.

Fridericus de Waltſtein.

Fridericus de Waldſtein, non amplius poſthoc diploma apparet: & Pater fors credi poſſet *Wichardi & Waltheri*, quos fratres fuiſſe conſtat, etenim an. 1187. *Wichardus de Waltſtein* & frater ejus *Walther* legitur in diplom. Göſſenſi 11. inter mea num. 71. & 72. ſeu Göſſenſi 16. Wichardus idem an. 1206. ſubſcripſit diplomati Admontenſi num. 49. ac Runenſi 14. ſub Leopoldo Duce Styriæ.

Pater Wichardi & Waltheri.

Ex quibus duo hi Waldſteinii, Wichardus & Waltherus filii Friderici poſt an. 1128. defuncti facile dici poſſent, ſi monumenta quædam id exhiberent. Waltherus ſine fratre ſuo Wichardo, legitur anno 1149. in notitia Seccov. inter mea num. 81. & quidem ordine primus.

Luitoldus de Waltſtein floruit inter annum 1146. & 1214. nam anno 1146. circiter legitur in diplom. Admont. num. 21. in Cod. dipl. Admont. an. 1166. in diplom. Frider. I. inter mea num. 46. & quidem inter ſæculares ordine ſecundus, an. 1172. in diplom. Ottoc. 6. Seccovienſibus dato num. 19. inter mea num. 47. ordine primus. An 1173. in diplomate Seccov. 20. inter mea num. 48. iterum ordine primus. Eod. an. ſubſcripſit diplomati Sanlambertino inter mea num. 87. primus omnium. An. 1185. diplomati Admont. Cod. num. 64. tandem an. 1214. diplom. Göſſenſi 17. ex quibus non ſolum ætas, ſed authoritas etiam grandis colligitur.

Luitoldus de Waltſtein.

Ortolfus de Waldenſtein an 1166. nomen ſuum dedit diplomati Chunegundis March. dato Seccovienſ. inter mea num. 37. ac an. 1172. diplom. Ottoc. 6. inter mea num. 47. in quo cum Luitpoldo ſubſcriptus eſt, ita tamen, ut Luitpoldus ordine primus, Ortolfus, 12. inter teſtes appareat.

Ortolfus de Waltſtein.

Præter hos in Necrologio Runenſi apud P. Frælich. parte 2. f. 339. 8. *Kal. April. Otto miles de Waltſtain*, & 10. *Kal. Dec. Rungerus de Waldſtein*, qui recenti atramento notatus eſt.

Otto & Rumberg de Waltſtein

Ad

Ad Diploma 8.

Ad Dipl. 8.

Diploma hoc exhibet nobis codex diplomatis Admont. num. 17. etenim Sophia Marchioniſſa noſtra piiſſima, ut Ciſtercium Runenſe a marito Leopoldo inchoatum ad integram promoveret perfectionem, antequam Chunradus I. Archiep. Salisburg. fundationem Runenſem confirmaret, eidem duos manſus in locis *Hundesdorff & Wiere* dictis concambio ceſſit ita, ut viciſſim Chunradus omnes vallis Runenſis decimas relinqueret Fratribus monaſterii B. V. in Rune; Aderat concambio huic *Ottocarus de Styra* ætatis circiter annor. 12. Aderat Romanus Gurcenſis Epiſcopus Cooperator præcipuus concambii huius, aderant Clerici & Laici plurimi, immo, ut ſuſpicor omnes illi, qui in diplom. 9. citantur, quoniam hoc concambium confirmationem illam ſolemnem anteceſſiſſe videtur.

Sophia Marchb. Styriæ perficit Runam.

Cum Ottoc. V. March.

Primus inter teſtes notatur, *Meginhaldus de Chreine.* Hanc ego familiam judico vetuſtiſſimam Auſtriæ, quæ *Greinam*, olim Dominium, nunc vero Archiducalem civitatem poſſedit; urbi in prærupto ſcopulo adhæret arx, quæ primum *Heinrichsburgum*, fors ab Henrico de Creine, audiit, ſed ſub an. 1533. ab urbe nomen mutavit, ſeque *Greinburgum* dici voluit. Lego in Auſtriacis monumentis in Dominium hoc nobile ab an. 1148. ad 1533. Comites de *Hardek*, *Glaz* & *Machland*, inde ad 1642. Dom. a *Lebl*, Comites a *Meggau* & *Dietrichſtein* ſibi ſucceſſiſſe, a *Dietrichſteiniis* ad Salburgios an. 1710. delatum, idque Comitem Norbertum an. 1723. poſſediſſe: Dubito tamen vehementer, an jam an. 1148. Dominium Chreinenſe Comitibus Hardekiis obvenerit; nam 1. ad annum circiter 1164. ex Cod. diplom. Admont. num. 11. inter teſtes legitur *Meginhalmus de Chreine & frater ejus Heinricus, & filius ejus.* Unde hæc familia perdurante, Dominium id abalienatum non credo. *Henricus frater Meginhalmi* author fuerit arcis *Greinburgi* olim a ſe *Heinrichsburg* dictæ. 2. Hardekiorum nomen ſæc. 12. incognitum, qui enim Hardeky dein dicti ſunt, ante tria ſæcula ſub *Pruſchenkiorum de Stettenberg* nomine in Styria inclyti erant, teſte Excell. Wurmbr. collectan. hiſtor. Genealog. f. 91. &c. immo docet idem, arcem & oppidum Grein a Mayimiliano I. circa an. 1499. Henricum & Sigism. Pruſchenkios Barones de Stettenberg emiſſe, quos an. 1499. idem Maximilianus Comites ac Nobiles de Hardek diplomate publico eſſe voluit, de quibus plura ſuo loco. Alii ex hac familia non ſe produnt.

Meginhaldus de Chreine. Grein urbs Auſt. Heinrichsburgum arx vicina, hodie Greinburg.

Dietrichſteinii Com. olim Dom.

Heinr. de Chreine

Prueſchenkii de Statenberg in Styria.

2do: Teſtis *Wilchelmus de Ramenſteine* antiquiſſima erat Helvetiæ familia dicta de *Ramſtein*, ſita in Pago ſeu Cantone Baſileenſi. Duplex ea erat, una in Baronum ordinem digeſta, non item alia, ambæ tamen ſimul caſtrum cognomine poſſederunt. Exſtincta Baronum familia, ſecunda ſucceſſit, ſed arx dein urbi Baſileenſi emptione obvenit. Præterea in Alſatia inferiore exiſtit familia de Ramſtein cum arce ejusdem nominis. Dominos de Ramenſtein, qui in Styriæ diplomatis leguntur, ex binis his familiis fuiſſe non arbitror, at quæ horum Dominorum origo, ſucceſſio, fata fuerint? omnino non conſtat, Pincernas fuiſſe ac cohæredes Wildoniorum docet diploma Seccov. 104. unde Styros fuiſſe apparet, v. plura in annot. dipl. 53. Invenio 6. horum, quos hic ſubjungo interim.

Wilchelmus de Ramenſtain.

Wil-

Wilhelmus hic legitur etiam in diplom. Cod. Adm. num. 11. ad annum 1139. & ad an. 1146. in diplom. Adm. Cod. num. 17.

Lantfridus de Ramenſtein.

Lantfridus invenitur ad an. 1174. Græcii exſtitiſſe cum Ottoc. VI. atque Seccov. dipl. 21. inter mea num. 69. 70. ac an. 1185. in cod. Adm. item an. 1186. in dipl. Admont. cod. 63. 66. inter mea num. 69. 70. ac an. 1185. in cod. Admont. diplom. 65. invenitur.

Aribo de Ramenſteine, it. Albert.

Aribo innoteſcit ad an. 1188. ex cod. Admont. dipl. Admont. 132. & *Albertus* an. 1197. ex cod. dipl. Admont. num. 44. & Necrol. Secc. apud Frælich. 362. 6. *Non. Octobr. Albertus de Ramſtein hic dedit nobis curiam*, & 3. *Non. Julii* ibidem legitur: *Chunradus de Rammſtein, hic dedit nobis prædium &c.* in Styria proin bona habuiſſe videntur. *Ulricus* Pincerna de *Ramenſtein* inter hæredes Wildoniorum refertur an. 1277. v. annot. dipl. 53. *Ramenſteinios* dein dictos fuiſſe *Rabenſteinios*, teſtatur Frælichius ad dipl. 65. Epiſcop. Seccov. an. 1305. *Rabenſtein* arx Styriæ ſupra Græcium intra Waltſtein & Fronleiten ſitum obtinet. *Hertnidus* an. 1243. claruit, *Wicho* an. 1266. v. plura tom. 2.

Chunradus de Ramenſtein.

Ulric. Pinc. de Ramenſtein.

3. Teſtis eſt *Fridericus de Hunesberch*, de quo v. not. diplomatis num. 4.

Adalbero de Run.

4. Teſtem egit *Adalbero de Rune*, antiqua eſt Styriæ Toparcharum familia, dicta de *Riuna* vel *Rune*, vallem omnem Runenſem antea poſſidens, quam Monaſterium Run. ſurgeret, & e quorum mediis Leopoldus potiſſimum Runam ſtruxit, ut Diſſert. 4. in Leopoldo, & ad an. 1128. dictum. primus horum comparet *Waldo Comes de Ruina*, vel, ut habet Necrol. Runenſe apud Frælichium part. 2. diplomat. fol. 335. *Nonis Januarii obiit*, nempe *Waldo Marchio unus de fundatoribus Rune*, quo anno obierit, non conſtat, vixiſſe an. 1102. oſtendi ex dipl. Henrici Ducis Carinth. cui ſubſcripſit *Walt Comes de Riuna.* Eodem modo legitur ad an. 1103. in dipl. Henr. II. Ducis Carinthiæ in codice diplomat. epiſtolari Bern. Pezii part. 1. pag. 283. anno 1138. jam fuiſſe defunctum oſtendit diploma ſequens, ex quo ſimul patet, quod Waldonis hujus conjux fuerit *Irmrgadis Comitiſſa de Runa*, quæ in cit. Necrol. Runenſi ad 10. Kal. Sept. defuncta notatur? definire tempus non poſſum, cum annus mortis adjectus non ſit. Eum ſine prole maſcula defunctum, ſatis oſtendit fundatio Runenſis, ex ejus bonis facta, hinc *Adalbero de Rune*, inter ejus deſcendentes, & hæredes neceſſarios, non erit computandus. In dipl. cod. Admont. 17. idem citatur circa an. 1146. Lazius de migr. gent. fol. 179. tradit *Waltherum Comitem de Rania* tractum Græcenſem feudo poſſediſſe ab Imperio circa an. 1096. ſed vereor vehementer, ne Lazius tractum Græcenſem & Runenſem hic confundat, uti enim Diſſert. 1. oſtendi, Græcenſis tractus cum caſtro & urbe Principis terræ fuit.

Waldo com. de Ruina.

Irmgardis Com. de Runa.

Waltherum de Riuna.

An Domini fuerint tract. Græcenſis.

Swickerus de Cheſtiniek ſeu Geſting.

Arx prope Græc.

5. Dipl. teſtis notatur *Svvickerus de Cheſtinich*, vel *Geſtnich*, ut in ſeq. diplom. legitur. Antiquiſſima hæc Styriæ familia, ab arce Græcio vicina nomen tenuit, arx vetus, monti cum ſacello S. Annæ inſidet, inculta jamjam; nova, eaque pulcherrima in planitie ad regiam viam ſita ſubeſt modo cum Dominio Illuſtriſſ. DD. Franc. Antonio S. R. I. Comiti de Attembs. Paucos vetuſtiſſimæ hujus proſapiæ invenire licuit, Swikerus idem ſubſcripſit an. 1146. diplom. cod. Admont. num.

17.

17. uti & Runenſi 7mo, inter mea num. 16. ac an. 1182. in diplom. San-Lambertino inter mea num. 82. inter teſtes reperitur.

Mogay de Geſtink an. 1180. circ. ſubnotatur in dipl. cod. Admont. 70. inter mea 53. *Hervvard*, *Ervvicus de Gaſtn.* fors *Gaſtnich*, ad an. 1214. legitur in dipl. Göſſ. 17. *Wulfingus de Geſtink* in Necrol. Runenſi cit. legitur ad 7. Id. Auguſti. *Mogay de Geſtink.* *Herward*, *Erwicus*, *Wulfing.*

6tus teſtis *Hartvvicus de Stade*, an *State* vel *Stadel*, aut *Stadeck* legendum ſit? vix eruo; cum tamen in diplom. cod. Admont. *Mainhardus de Stadel* num. 112. inveniatur circa 1191., cenſeo etiam, Hartwicum de Stadl legendum eſſe. Antiqua eſt Baronum, nunc Comitum de Stadl in Styria familia, quam quidem negligit Hübnerus, adducit vero Bucelinus & Wurmbrandius, hic ab *Ottone de Stadel* an. 1379. ille a *Wolfgango* an. 1450. ſeriem hanc orditur, ſed longe anterior eſt illuſtr. Dominor. de Stadel geneſis a ſæc. 12. certe deducenda, quam interim ſic breviter ordino, donec documentis domeſticis informer. *Hartwic de Stadel.* *Meinhardus de Stadel.* *Otto & Wolfgang de Stadel.*

Hartvvicus de Stadel reperitur præterea ad an. 1146. in cod. dipl. Admont. num. 17. & Runenſi 7. inter mea 16. inter teſtes ſubſcriptus.

Mainhardus de Stadel ad an. 1191. ex docum. cod. dipl. Admont. num. 112. Stadlarii *uxor Sophia* in Necrologio Runenſi fol. 337. ad 5. Kal. Martii refertur, *Fridericus de Stadel* an. 1300. reperitur inter teſtes ab *Hartnido de Wildonia Mareſchallo* Styriæ adductos in dipl. Göſſ. 22. *Sophia de Stadel.* *Frid. de Stadel.* *Hartni. de Wildonia an. 1300.* *Mareſch. Styr.*

Bertholdus de Stadel an. 1380. *Joanni de Sinzendorff* prædium quoddam vendidit, ut ex archivo ſtatuum n. 1027. oſtendit Wurmbrandius. *Bertholdus de Stadel*, *Joann. de Sinzendorff.*

Hos interim adduxi, in tomis ſubſequis occaſio erit totam ſeriem ordinandi, præcipue ubi documenta domeſtica familiæ hujus obtinuero. Locus ſeu caſtrum Stadel non procul Weizio exiſtit, in eoque Ottocarus VI. an. 1186. Admontenſibus quædam bona aſſignaſſe videtur, niſi fors ille locus *Stadele* in Bavaria ſitum obtinuit. *Arx Stadel.*

7mus teſtis *Megingoz de Sureberch*, diſtincta hæc familia eſt a Sunebergiis, quos ad diploma 6. expoſui. Duo ſolum *Sureberchii* a me hactenus ſunt inventi in rebus Styriæ, *Megingoz* hoc in diplomate notatus, citatur etiam in dipl. Admont. num. 17. ad an. 1146. Siboto vero crebrius occurrit, nempe in dipl. Admont. num. 11. 27. 43. 49. & 102. inter annos 1139. ad 1204. miniſterialem Salisb. Eccleſiæ fuiſſe, plura diplom. probant, apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 242. 308. *Megingoz de Sureberch.*

8vo loco refetur *Adalbero de Dietrammingen*, obſcura iterum inter Styros familia, & neſcio, an non inter Salzburgenſes ſit referenda, quorum plures ſubſcripſere hiſce diplomatibus tanquam Miniſteriales Eccleſiæ Salisburg. cum Archi-Epiſcopis ſuis ſubin hiſce actis præſentes: *Adalberonem* hunc & *Durinchum* manifeſtant diplomata Admont. 11. 17. 20. & 102. inter an. 1139. & 1165. *Albero de Dietramingen.* *Durinch de Dietramingen.*

9mus teſtis eſt *Gotefridus de Wietingen*, familia hæc Salisburgenſis mihi denuo videtur, vel in Carinthia quærenda, uti enim refert auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 277. ex Mezgero lib. 4. cap. 14. cœnobio S. Petri a S. Eberhardo I. data eſt Præpoſitura Wiettingenſis in Carinthia. Quapropter nobiles hi de Wiettingen ſucceſſione legitima carentes, prædium ſuum in ædem ſacram converterint, ac id Archi-Epiſcopis ſuis reſignaverint. Godefridus hic notatur eriam an. 1164. *Godefr. de Wietingen.* *Præpoſitura Wietting in Carinthia.*

in dipl. Admont. 11. 16. 27. 28. 32. 44. 53. & 71. inter an. 1139. ad
Rudolphus de Wietingen. 1215. unde duos hujus nominis fuiſſe opinor. *Rudolfus de Wiettingen* an. 1170. dipl. Admont. num. 62. ſubſcripſit. Plura v. tom. 2. annot. diplom. 4.

Duringus, Eberard. de Leibniz Arx ejus nom. 10. & 11. teſtes *Duringus*, *Eberhardus de Leibniz*, antiqua eſt in Styria noſtra Leibnizenſium Dominorum familia, quorum origo ex arce cognomine, 4. milliaribus Græcio diſtante petenda, quæque nunc Epiſcopi Seccovienſis ſedes eſt, ex his Dominis teſte Lexico univ.
Frid. de Leibn. Archiep. Salzb. Baſileenſi, *Fridericus* ab an. 1315. ad 1338. Archiep. Salzburg. fuit, alter vero Fridericus an. 1366. familiam ſuam in Styria clauſit, a quo
Extincta famil. Polheimii ſucc. Weicc. de Polh, ux. Cat. de Libn. bona dein ad *Weiccardum de Polheim*, cujus uxor erat *Catharina de Leibniz*, devenerunt, novamque lineam cœpit, quæ cum fine ſæc. 16. exſpiravit.

Leibnizii hi DD. Caſtellani, & Miniſt. Salzb. Caſtellania Leib. Erant vero nobiliſſimi hi Domini, Caſtellani de Libeniz, Miniſteriales Eccleſiæ Salzburg. & ſimul Caſtellani ſeu Præfecti Archi-Epiſcopalis Dynaſtiæ Leibnicenſis, quæ ſub ſe oppida non obſcura, cum caſtris ac ditionibus habebat, uti caſtrum & oppidum *Leibniz*, *Petovium*, *Rainam*, urbeculam, & quæcunque ad limitem Pannonicum ſita erant, cum teloniis Pedagiis & vectigalibus, ut teſtatur author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 534. ſeries Caſtellanorum Leibnizenſium primaria an. 1366. extincta, facile per conſequentia ſæcula oſtenditur, quo tamen ordine & ſanguinis nexu ordinanda ſit, difficulter eruitur. Detegam illos ordine ſæculorum.

Duringus, & Eberardus de Leibniz. *Duringus* legitur etiam in dipl. Admont. 17. an. 1146.
Eberrardus diſerte *Caſtellanus de Libeniz* vocatur in dipl. Admont. 17. & 102. ad an. 1144. uti & in alio Salisburg. apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 446. ad an. 1193. dipl. Admont. 11. ad an. 1139. & 17. ad an. 1146. ejusdem meminit.

Poppo *Poppo de Libeniz* cum eod. Eberardo Miniſterialis Salzb. vocatur ad an. 1139. in dipl. Salzb. apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 238.

Sigemarus & *Sigemarus* an. 1151. ſubſcripſit diplomati Seccov. 8. dato ab Eberhardo I. Arch. Salzb. uti & dipl. Admont. 137. an. 1188.

Eckebardus de Leibniz. *Eckebardus* legitur in dipl. Admont. 43. an. 1193. & 44. an. 1197. idem Miniſterialis Eccleſiæ Salzb. & *Præfectus de Leibntz* fuit teſte auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 446. 308.

Otto & *Otto de Libeniz*, apparet in dipl. Admont. 70. inter mea num. 53. ad an. circ. 1180. vel 1188. Miniſterialis Salzb. & *Præfectus de Leibeniz* legitur apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 446. & 308. uti & ad an. 1198. ad an. 1215. notatur in dipl. Admont. num. 46. 27.

Henricus, *Henricus de Leibniz* an. 1201. & 1202. ſubſcripſit dipl. Admont. num. 46. 47.

Albertus, *Albertus* an. 1201. dipl. Admot. 46.

Conradus, *Conradus* an. 1203. dipl. Admont. 48.

Gerhardus de Leibniz. *Gerhardus* an. 1215. in dipl. Admont. 53. & jam an. 1188. in dipl. Admont. 77. *Sigefridus* ad an. 1258. notatur ab auth. Germ. Sacræ
Sigefridus, Fridericus tom. 2. fol. 356. belli Dux Carinthiorum. *Fridericum* an. 1282. notat diploma Gyrienſe 9. apud Frælich. dipl. Ducatus Styr. part. 2.
Wulfingus, & Hertnidus frat. fol. 142. *Wulfingus & Hertnidus fratres de Leybentz* an. 1257. ex diplom.

Seccov.

Seccov. 69. pateſcunt, & an. 1272. a *Wernbero Caſtellano de Leibniz*, *Wernberus.* Bernardus Præp. Vorav. comparavit prædium prope Rohrbach, v. Chronic. Vorav.

Fridericus de Leibniz, Camerarius & Canonicus, ac an. 1308. Præpoſ. Salisburg. tandemque meritis exigentibus Archiep. Salzb. factus eſt an. 1315. ut v. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 446. *Frid. Arch. Salz*

Fridericus alter circa an. 1340. & 1366. ultimus ſuæ familiæ fuit. An. 1322. ut habet auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 448. in *Mülldorff. prælio* a Bavaris captus eſt. Incertæ epochæ ſunt *Agnes de Leibniz*, de qua Necrolog. Seizenſe apud Frælich. diplom. S. Ducatus Styriæ part. 2. fol. 331. ita habet: *Similiter in menſe Julio pro D. Agnete Hermeiz de Leibniz anniverſarius:* & Margaretha, de Necrol. Minoritorum Viennæ apud P. Hier. Pez. tom. 2. fol. 495. ita loquitur: *XV. Kal. Octobr. anniverſarius D. Margarethæ de Leybniz celebretur, quia D. Abbatiſſa S. Claræ porrigit de Hauzendoff omni anno tres libras denariorum.* Plures adhuc hujus familiæ v. tom. 2. annot. diplom. 3. *Frid. de Leibniz ultimus famil.* *Agnes de Leibn.* *Margaretha de Leibniz.*

Extincta maſcula ſtirpe Leibniziorum, altera cœpit linea fœminea in Polheimiis deducta, etenim *Weiccardus Polheimus* circa an. 1340. & 1366. clarus, in thorum ſibi adſcivit *Catharinam de Leibniz*, Friderici Domini de Leibniz ultimi gentis ſuæ, filiam, quo conjugio Leibnizenſis Dynaſtia in Styria ad Polheimios venit, qui inde Polheimii de Leibniz ſunt dicti, lineæ hujus propagationem adducit Hübnerus tab. 744. ſed male uxorem ejus *Margarethum* appellat. Sed & hæc familia periit an. 1538. in Gaudentio ultimo hujus familiæ ſurculo, ut v. tab. cit. *Linea fœmin. Leibniziorum in Polheimiis.* *Weiccardus de Leibniz.* *Cath. de Leibn.* *Polheim. de Leib*

Teſtes reliqui hujus diplomatis ignoti ſunt, quia cognomen nullum adjunctum habent.

Ad Diploma Num. 9. *Ad Dipl. 9.*

Diploma hoc ulteriore inquiſitione non indiget, cum jam ad annum 1138. & in Diſſert. 4. cap. 5. §. 5. & 6. fuſius ſit expoſitum; teſtes ſolum noviter adſcripti ſunt diſcutiendi.

1*mus* horum eſt *Waltherus de Traiſme*, de quo v. annot. ad dipl. 4. & 6.

2*dus Sovickerus de Geſtinck*, v. annot. dipl. 8.

3*tius Hademar de Cotheren*, teſtis hic hactenus in dipl. Styriæ non comparuit, nec alius ejusdem nominis legitur. Cenſeo eum ex Miniſterialibus Chunradi Salzburg. Archi-Epiſcopi fuiſſe. *Hademar de Choteren.*

4*tus* legitur *Dietmar Mordex* ſeu *Mordax*, antiqua eſt hujus nominis Baronum in Carinthia familia, ex qua *Raphael* an. 1208. vixit, *Sigiſmundus* D. in Portendorff floruit an. 1456. *Ludovicus* vero an. 1475. a Turcis captus, 800. imperialibus ſolutis evaſit, *Jacobus* dein an. 1568. Joanni Friderico Saxoniæ Duci capto Commiſſarius datus eſt Poſonii. *Joannes* an. 1596. a Turcis captus, utpote pulcherrimus abſconditus eſt. *Andreas* D. in Portendorff & Thurn an. 1690. vixit. Ac an. 1712. *Joannes Sigiſmundus* Camerarius Regis Poloniæ & Ducis Saxoniæ erat. De hac familia refert Megiſerus Annal. Carinth. lib. 6. cap. 11. aliique paſſim hiſtorici, in veteri illo ridiculo Carinthiæ homagio Principi novo præſtando, dum Dux novus in ſella Ducis ſederet, *Portendorfios*, quibus defunctis Mordaxii ſucceſſere, habuiſſe licentiam, graſſandi & exu- *Dietmar Mordax.* *Raphael, & Sigiſm. ac Ludov. de Mordax in Portendorff.* *Jacobus, Joan. Andreas, Joan. Sigiſm.* *Eor. libertas in elect. Ducis Carinthiæ uti & Portendorfior.*

rendi omnia in Carinthia, quæ vellent: Genealogiam Mordaxiorum à Raphaele fæc. 13. cœptam adfert Bucelinus tom. 4. fol. 135. &c. ſed jam antea Mordaxios floruiſſe, probat Dietmarus hoc in diplomate adductus: præter hunc *Otto* an. 1298. in Göſſenſi dipl. 70. *Otto* ſimul & *Rapoto* an. 1288. in diplom. Seccov. 117. ac anno 1301. in dipl. Göſſenſi 73. reperitur. Alios etiam detegunt varia Necrologia, Runenſe ad 10. *Kal. Maij Ottonem*, ad 4. *Kal. Sopliam*, ad 6. *Non. Maji Gertrudem*, ad 5. *Id. Julii Ulricum*, ad 4. *Id. Aug. Lucia*, ad 4. *Kal. Octobr. Annam*, *Idibus Nov. Rapotonem*, ad 8. *Kal. Octobr. Annam.*

Otto & Rapoto de Mordax.

Rudolf de Buzzenberg.

5tus teſtis eſt *Rudolf de Buzzenberg*, ignotæ inter Styros familiæ nomen, in Carinthia forſitan, vel ditione Salisburgenſi quærenda, cujus Miniſteriales egiſſe reor.

Sigebald de Wolkenſtein.

6tus teſtis *Sigebodus de Walchinſteine*, de hac familia ita ſcribit Lexicon univ. Baſileenſe, *Wolkenſtain Comites ortum ſuum habent ex nobili Tyrolenſi familia, Dominorum de Villanders & Pradel, ex quibus Conradus Rudolphi filus primus titulum de Wolkenſtain ab arce Tyroli, quam Pater ſuus an. 1292. a Maulropenſibus emit, an. 1307. accepit.* Sed hi Comites diverſi, tardioresque longe noſtris ſunt. Eandem deductionem Wolkenſtainiorum a Dominis de Bradelle & Villanders adducit Hübnerus tab. 683. ad 689. & Bucelinus part. 3. fol. 289. & ex hac familia Tyrolenſi, *Caſparus & Chriſtophorus* an. 1560. hic Radneciæ, ille Troſtburgicæ lineæ ſupremam equilium Præfecturam geſſerunt, ac an. 1561. ſolemni ingreſſui Joannis Jacobi V. Archiep. Salisb. inter alios ſpectatiſſimos Proceres, præſentes fuerunt.

Præter hos itaque Wolkenſtainios, etiam alios hujus nominis Barones exſtitiſſe in terris noſtris, id oſtendit, quod anno 1556. Ferdinandus Rex ablegato Salisburgum Proxeneta *Wilhelmo Barone de Wolkenſtein*, caſtrum Traburg, Lind cum annexis, aliaque per Carinthiam prædia, de manu Metropolitæ, fiduciario nomine ſuſceperit; illud tamen longe manifeſtius eſt argumentum, Wolkenſteinios diverſos, & ſeniores illis Tyrolenſibus Dynaſtis, exſtitiſſe in terris noſtris, quod jam hoc ſæc. inter teſtes diplomatum Styriæ legantur, præter Sigeboldum in diplom. Admont. 67. inter mea 73. legitur iuter teſtes *Ulricus de Walkinſtein*, & quidem ex *Miniſterialibus Ottocari VI.* præſens, dum Ottocarus apud Chrungilſee donaret Admontenſibus duas capellas S. Petri & S. Jacobi juxta Leobium. Unde omnino legitime deduco, Wolkenſteinios in Styria noſtra fuiſſe, eosque forſitan caſtrum vetus Wolkenſtein poſſediſſe. An. 1209. Otocarus de Wolkenſtein ſubſcripſit inter Miniſteriales Leopoldi Auſtriæ & Styriæ Ducis dipl. 2. Gyrienſi. *Otto de Wolkenſtain* laicus obiit teſte Necrol. Admont. apud Hier. Pez. tom. 2. f. 200. &c. 3. Non. Martii, annus tamen mortis latet. Cætera fata Wolkenſteiniæ familiæ ſubſequi tomi declarabunt.

Wilhelmus Baro de Wolkenſt. D. in Traburg & Lind.

Ulricus Miniſt. Ottoc. VI.

Caſtrum Wolkenſtein.

Ottocarus de Wolkenſtein.

Otto.

Rudolf jun. de Peccab.

7mus teſtis adſtitit *Rudolph Junior de Peccab, vel Pebach.* Antiquiſſimam hanc inter Styros familiam prætereunt Hübnerus & Buccelinus, Lazius vero lib. 6. de Migrat. Gentium fol. 180. & lib. 7. fol. 225. explanat, eosque cum Aventino ex Bavaria in Styriam deducit; uti hoc non negaverim, ita nunquam aſſentiar fabellis illis, quæ de Pſamerico

Ægy-

Ægypti Rege originem veterum Bojorum perſcrutaturo referuntur, ab eodem nempe duos Bojos puellos paſtori educandos, atque in tertium annum ita includendos traditos fuiſſe, ut nullius alloquio & ſermone fruerentur: Adoleſcentiores dein, cum crebrius paſtori acclamarent *Becha* (quod vocabulum Scythis idem eſt ac *panis quotidianus*) Boy ea de re certiores facti conſtituerunt, ut deinceps in ſuo inſigni eſſent 24. libones panis, ut ſic Scythica eorum propago demonſtraretur; Inſigne hoc Bavaricum cum lapſu temporis in tres Leones mutaretur, familiæ Bavariæ præcipuæ, atque inter has etiam Domini de Pecka, tres libones panis reſervarunt, ita ſollicite fabulam ex Aventino deſumpſit MS. Chron. Styr. tom. 1. cap. 76. *Origo eorum fabuloſa.* *Inſignes.*

Non nego primos familiæ hujus ſurculos, uti plerosque Styriæ noſtræ ex Bavaria deſcendiſſe, originem tamen hanc nominis ac inſignis nullatenus admitto, ſed veroſimilius eos nomen ſuum ab arce cognomine Pecka Styriam ſuperiorem verſus, in via regia, quatuor horis Græcio diſtante, nunc collegii Voravienſis propria deſumpſiſſe cenſeo. Lazius cit. jam an. 1136. *Rudolfum* Comitem *de Pecka & Pfanberg* floruiſſe ſcribit, Comes tamen ſubſcriptus non invenitur, ut mox dicam. Ante hunc Rudolphum Poppo teſte Lazio vixit, aitque hos Comites, magnam olim ad Satlam proxime Sclavinis ditionem poſſediſſe, exceptis iis, quæ Græcio vicina ſunt, caſtris Pecka & Pfanberg. Adducam eos, quos veterum diplomata manifeſtant. *Pecka arx ſupra Græcium.* *Rudolf. Com. de Pecka.* *Poppo de Pecka.* *Eorum bona.* *Pfanberg arx.*

Poppo I. & ſenior de Pecka, hunc teſtatur Lazius ante Rudolfum floruiſſe, unde cum etiam ad an. 1243. recurrat Popponis mentio, duo fuerint; Idem hic Poppo citatur in diplom. Seccov. 7. & 8. ad an. 1149. & 1151. item in dipl. Seccov. 20. inter mea num. 48. ad an. 1173. & in dipl. meo 87. *Poppo I. de Pecka*

Rudolfus I. de Pekae ſubſcripſit diplomati fundationis Clauſtroneoburg. an. 1136. cum Ottocaro V. Marchione, & quidem ultimus *inter nobiles orientalis regionis.* *Rudolfus I. de Pecka.*

Rudolfus II. & junior de Pecka dictus, in hoc ipſo diplomate inſinuat, manifeſte fuiſſe Rudolphum alterum ſeniorem. Idem Rudolfus junior ſubſcripſerit dipl. Ottocari VI. an. 1172. Seccovienſibus dato. v. dipl. mea num. 47. *Rudolfus II. de Pecka.*

Hugonem de Pecca elicio ex diplom. Seccov. 8 ad an. 1151. in quo ita lego *Poppe de Parnech* (ſubſtituit Frælichius in dipl. cit. fors *Pernech* aut potius *Peccah* ex inſtrum. præcedenti) *frater Hugonis occiſi.* Hugo hic itaque frater fuerit Popponis I. atque ante hunc annum occiſus? quo modo vel cur? latet. *Hugo de Peska.*

Engelſcalcus de Peccah. legitur in diplom. Seccov. 3. ad an. 1142. Friſaci cum Ottocaro marchione, Udalrico duce Carinthiæ, aliisque nobilibus præſens & teſtis, dum Chunradus I. Archiepiſcopus Salzb. decimas quasdam Seccovienſibus conferret, uti & in alio diplom. Seccov. ex quo fragmentum illud Frælichii deſumptum eſt, inter mea diplom. num. 78. *Engelſcalcus de Pecha.*

Ortliebum de Peccah exhibet diploma Admont. 113. ad an. circ. 1182. *Engelmarum* diplom. Admont. 113. inter mea num. 57. circa eund. an. 1181. v. ſeq. *Ulricus I. de Peccah* ad an. 1187. *vir nobilis* dicitur in diplom. *Ortliebus de Pecca.* *Engelmarus.* *Ulricus I.*

Eliſ. de Guttenberg. plom. Göſs. 16. inter mea num. 72. delegator erat *Eliſabethæ nobilis matronæ de Guetenberch.* Idem Ulricus nobilis vir & delegator dicitur an. 1214. in diplom. Göſſenſi 17. a Leopoldo Auſtriæ & Styriæ Duce, & primus etiam inter teſtes legitur: ita *Ulricus nobilis de Pettach* lege *Peccab.* Idem an. 1212. ſubſcripſit diplom. Gyrienſi 3. dato a Leopoldo Auſtr. & Styriæ Duce, & quidem primus poſt Fridericum filium Leopoldi, quod ipſum diploma & magnam Ulrici nobilitatem inſinuat, & ſimul docet in dipl. aliis legendum eſſe Pechach, non Pettach, cum hoc in *Frid. de Pettov.* diplom. præter Ulricum noſtrum, *Fridericus de Pettovia* diſerte legatur. Idem primus inter laicos & quidem his ſub verbis: *Ulricus de Peka* legitur in dipl. Gyrienſi 5. an. 1227. ac in diplom. Seccov. 45. ad eundem annum ita: *Ulricus & Leutoldus nobiles de Pekab.* &c. eundem ad an. 1206. & 1214. exhibet diplom. Admont. 94. 52.

Leutold. de Peccab. *Luitoldi* de Peccah mox mentio facta eſt ex diplom. Seccov. 45. ad an. 1227. Idem ſolus ſubſcripſit primus teſtium diplom. Seccov. 58. nullius quidem epochæ, ſed ad an. circiter 1243. pertinentis: ad an. vero 1191. ex diplom. Admont. 113. innoteſcit, cum Ulrico I.

Poppo II. de Peccab. Ulricus Raſpo. *Poppo II. de Peccab*, ut ego judico (quia ad annum 1243. ab an. 1149. unus idemque teſtem agere non potuit) Seccovienſibus confirmavit donationem vineæ circa Feuſtriz in der Moßnich factam ab *Ulrico Raſpone* milite ſuo an. 1243. ut v. diplom. 59. Seccov. atque hujus filia Sponſa tertia fuit *Wilhelmi III. Comitis de Hunnenburch*, qui tamen an. 1241. Sponſam hanc ſuam ceſſit filio *Hermanni Comitis de Ortenburch.* ex repertorio Auſtriaco ms. part. 3. f. 963. in ſpecim. 1. geneal. Sounek: f. 37. an. 1250. jam def. notatur in dipl. 32. Epiſc. Seccov.

Wilhelm. III. Com. de Hunnenburch. Herm. Com. de Ortenburch.

Henric. de Peka & Pfanberg Prætor Styriæ. *Henricum de Peccab & Pfanberg* ms. Chron. Styr. to. 1. cap. 76. male Capitaneum ſeu Prætorem 6. Styriæ noſtræ appellat, ab an. 1248. ad 1256. quo obiit, ita ex Catal. Capit. Styriæ; hic tamen mihi hactenus in dipl. Styriæ viſus non eſt ſub tit. *Comitis de Peccab*, quamvis enim caſtrum id obtinuerit, Henricus de Pfanberg, tamen Dominum de Peka ſe nunquam ſcripſit, obiit non an. 1256. ſed poſt 1277. v. to. 2. dipl. 41.

Rudger & Wulfing de Peccab. *Rudgerus & Wulfingus de Perchach* fors *Peccab* an. 1260. præſentes erant in Göſs, dum eidem Monaſterio donatio quædam fieret.

Ulric. II. Com. de Peccab & Pfanberg. *Ulricus II. de Peccab & Pfanberg* Comes teſte Lazio ſupra cit. an. circ. 1292. cum Archiep. Salzburg. Stubenbergiis, Frauenbergiis ac cognatis ſuis de Haymburg in Albertum I. Auſtriæ ac Styriæ Ducem Rudolfi Cæſaris filium conſpiravit, ſed Udalricus ille inter Pfanbergios potius memorandus videtur, extincta etenim Dominorum de Peka familia, Caſtrum & Dynaſtia Peka pactis nuptialibus vel aliis ad Pfanbergios tranſiit, unde ſe dein *Pfanbergii* etiam *Comites de Peka* ſcripſere. De hoc itaque plura, in Pfanbergiis dicentur.

Pecka ad Pfanbergios venit.

Mechtildes de Pecka. *Mechtildes de Peka* in Necrol. Runenſi legitur obiiſſe 18. *Kal. Maji.* annus latet. alia item ejusdem nominis 9. *Kal. Aug.* in eod. Necrol. Runenſi in diplom. Duc. Styr. part. 2. f. 339. & 345. reperitur.

Adalbert de Rota 8vo *loco* recenſetur *Adalbert de Rota.* Familia hæc non ex Styria, ſed Salisburgenſi territorio probabilius eſt repetenda, cum ad annum 1186.

Eppo de Rota. Bernardus. *Eppo de Rota ſeu Ruite* in diplom. Adm. 66. inter mea 70. inter Miniſteriales Eccleſiæ Admontenſis legatur. *Bernhardus* an. 1171. ex diplom.

Admont.

Admont. 108. & *Chunradus* an. 1193. 1201. ac 1171. in diplom. Admont. 43. 51. & 108. conſpiciuntur. *Chunradus.*

Præter hos aderant etiam Miniſteriales Marchioniſſæ Sophiæ, proin Styriæ noſtræ Proceres, horumque notatur.

1mus *Wulving de Brozzete.* Ignotæ omnino familiæ, nec enim præter Wulfingum hunc, alius quispiam hujus nominis invenitur. *Wulfingus de Brozzete.*

2dus *Luitold de Wilhalmsburg* & frater *ejus Luitpold.* Auſtriaca licet familia, inter Miniſteriales tamen Marchionum noſtrorum, tum in Auſtria moderna potentium numerata. *Wilhelmspurgum* modo oppidum Auſtriæ, Monaſterio Campilienſi ſubditum, ab eoque via 2. horarum diſſitum; fuit olim in hoc oppido Ducis Auſtriæ Burgum ſeu Regia, ex qua vicinos in montes ac ſylvas venationem exercenti, vel in Styriam tendenti commoda erat divertendi occaſio, qua non obſtante, Dynaſtia tamen & oppidum, ſuis Dominis ab eo loco nomen nactis parere potuit; narrat enim Ortilo Campililienſ. Coloniam primam Campilienſem e S. Crucis monaſterio miſſam, ad Burgum Ducis in villam Wilhalmspurc veniſſe. Enenkelius, ut Diſſert. 4. dictum refert Eliſabetham Auſtriacam dotis loco Ottocaro VI. marito attuliſſe inter alia Wilhelmspurgum, ſed alii id omnino negant, id ex dipl. variis conſtat, Ottocaros hoc in loco bona & fundos habuiſſe, Nam Ottoc. V. manſum unum in Wilhelmſpurg concambivit inter alia cum Ortolfo Abbate Vornpacenſi, pro parte ſilvæ Cerewald, quam Ecbertus Putinenſ. Comes Vornpacenſibus dederat, ut v. dipl. meum 36. & in dipl. meo 39. ſeu Alex. III. confirmantis fundationem Voravienſem clare legitur, quod Chunegundes Ottoc. V. uxor & Marchioniſſa Styriæ inter alia Voravienſibus dederit *fontem apud Willealmesburc, ubi ſit ſal.* *Wilhalmsburg & frater ejus Luitpold.* *Wilhelmſpurg de Luitold.* *Wilhelſpurg oppidum.* *Chunegundes March. Orav. benefica.*

Nullus itaque dubito, Dominos de Wilhalmsburg Dynaſtas hujus loci & fuiſſe, & nomen inde obtinuiſſe. *Wilhelmus* teſte Prevenhuebero fol. 364. an. 1108. in litteris Garſtenſ. citatur, de quibus tamen litteris jam Diſſert. 4. & in annot. dipl. 4. in Schlierbachiis dubia mea detexi, hoc vero tempore duplex fuiſſe videtur linea Dominorum de Wilhelmſpurg, nam *Luitold de Wilhalmſpurg* & frater ejus *Luitpold*, ac iterum eod. in hoc dipl. inter teſtes citatur *Engilger* de Wilhalmſpurg & frater ejus *Sigehard*, ſtipitem utriusque lineæ hactenus reperire non poteram, nec quo ſæculo ea familia fuerit extincta. Eundem Engilgerum & Sigehardum fratres adducit diploma S. Lambertinum inter mea num. 80. ad an. 1148. uti & *Luipoldum* & *Werinhardum*, ſed ſine adjecto fratrum titulo, *Engilgerus* ſolus legitur ad an. 1146. in dipl. meo 16. & *Rudolfus* ad an. 1149. in dipl. meo 81. Henricus an. 1186. teſtem egit *Richero de Hagenfeld* Miniſteriali Ottoc. VI. Voravienſibus munifico, ut v. dipl. meum num. 67. cœteri inquiſitionem meam hactenus fugerunt. *Wilhelm. de Wilhelmſpurg.* *Duplex linea DD. de Wilhelmſpurg.* *Luitoldus.* *Engilger & Sigehard.* *Luipoldus & Werinhardus.* *Rudolfus de Wilhelmſpurg.* *Richerus de Hagenfeld.*

3tio *loco Otachar de Schlierbach*, de quo v. annot. dipl. 4.

4to *loco Richer de Churidingen*, & frater ejus *Herrand.* hi duo Miniſteriales, cœteroquin nullo in diplomate notantur. *Richerus & Herrand de Churidingen.*

5to *loco Helmhard, Udarich de Haſelbach.* De his v. dicta in diplomatis 6. annotat.

6tus

Chunrad Chrowath ſeu Chrauwath.

6tus teſtis erat *Chunradus Chrovvath*, familia hæc Miniſterialium Styriæ a loco *Chrauvvath* ſeu *Chrobath* veteribus dicto deducenda videtur, etenim an. 960. Hartungus pagi Chrauwathi Leobium inter & Knitelfeldam ſiti Præfectus erat, ut ibidem dictum, locum ſeu pagum *Crauvvath* olim etiam *Crovvath* dictum exhibet diploma Admont. 86. inter mea num. 60. in quo *Wielandus* Miniſterialis Ottocari VI. exoculatus ac dein Monachus Admont. factus huic Monaſterio præter alia quinque manſus apud *Chrovvat* delegavit. Item in dipl. Admont. 63. inter mea num. 69. Ottocarus VI. eidem Admont. Monaſterio inter alia, juxta Muram ad *Chrovvat* tres manſus & curtem unam aſſignavit. Forſitan hæc familia Miniſterialium de Chrowat ab Hartungo illo Comite ſeu Præfecto pagi Crauwati ad an. 960. deſcendit paucos tamen invenire licet, præter Conradum enim dictum, *Wernherus Chrovvat* an. 1139. ex dipl. Admont. 21. & 1146. ex dipl. Admont. 20. innoteſcit, cœteroquin nullus.

Crauwath etiam Crowath dictum.

Wieland Miniſt. Ottoc. dein Adm.

Wernherus Chrowat.

Beringerus de Capella.

7mus teſtis ex Miniſterialibus Styriæ *Beringer de Capella*, Lexicon univ. Baſileenſe Dominos de Kapella nobilem familiam Brandeburgicam cenſet, quæ an. 926. eo venerit, dum expellerentur: econtra author Excell. Collectaneor. Geneal. f. 186. eam familiam ab Azone illo tempore S. Leopoldi Auſtr. vivente deducit, eosque olim hæreditarios Auſtriæ ſuperioris Camerarios fuiſſe tradit, ex Lazio in appendice ad Chronicon Auſtriæ MS. quod in Bibliotheca Cæſarea aſſervatur. Undecunque tandem deriventur, ſeu ex Auſtria, ſeu ex Styria ad Luetenbergam, vel ex Carinthia, ubi magnus vicus ad limites Carnioliæ inter cautes & petras ſitus, Kapellen ſeu Kopl exſtitit, certum eſt tamen, eos hoc tempore Miniſterialium Styriæ numero adſcitos fuiſſe, rebusque præclare geſtis Styriam noſtram illuſtraſſe. *Peringerus* hic ad an. 1164. inter teſtes comparet dipl. Admont. 71. inter mea 35. diploma Lambac. ad an. 1073. datum, ſi legitimum eſt, Berengerum etiam de Capella teſtem refert, quæ, ſi ita duo fuerint hujus nominis, ne unius ætas nimium extendatur. Idem invenitur in dipl. Admont. 11. 20. 71. ad an. 1139. 1146. 1188.

Capellen locus.

Geruncb. & Ulric. de Capella

Geruncbus de Capella in iisdem his dipl. Adm. invenitur ſubſcriptus.

Ulrici de Capella ſæc. 13. clariſſima eſt memoria, nam in illa decretoria Rudolphi Cæſaris & Ottocari Bohemi pugna, *Ulricus de Capella* ſubſidiarium agmen ducebat, & *Bertholdus de Capella* (ut ait hiſtoria Ducum Styriæ) Rudolphum Cæſarem ex equo ſtrato in alium levavit, ſicque manifeſto periculo vitæ eripuit.

Bertholdus de Capella.

Idem Ulricus ſubſcripſit transactioni inter Ottocarum Bohemum Auſtriæ tunc & Styriæ Ducem, ac *Dietmarum de Steyr* an. 1252. initæ. V. Wurmbrand. collect. fol. 215. & fol. 263. Ulricus idem Judex Provinciæ ſuper Anaſum ſtatutus legitur.

Dietm. de Styra.

Eberardus de Capella.

Eberhardus Dom. de Capella, ſæc. 14. fine Capitaneus Anaſi fuit teſte cit. Wurmbrandio fol. 265. Idemque an. 1395. Alberti IV. Auſtriaci loco homagium a Styrenſi civitate recepit.

Walburg de Capella uxor Daxbergii, Liechtenſt. de Chriſtoph

Walburges ex gente Dominorum de Capellen, uxor dein Daxbergii an. 1429. *Chriſtophoro de Liechtenſtein* 150. libras denariorum mutuas dedit, ut ex archivo ſtatuum num. 2235. oſtendit Wurmbrandius fol.

7. Bu-

7. Bucel. tamen in genealogia Daxbergiorum Walburgem uxorem Georgii de Daxberg, & natam de Capellen an. 1324. floruiſſe, quæ, ſi tenent, binæ Walburges de Capella ad matrimonia Daxbergiorum deveniſſent.

8vus teſtis & *Rupert de Liboche*, præter quem neminem hujus nominis & familiæ deprehendi. *Rup. de Liboche.*

9nus *Volcoldus de Styre*, de quo v. annot. dipl. 6.

10. *Engilger de Wilhalmſpurg*, & frater ejus *Sigibard*, de his mox num. 2. dictum.

C. 11. *Simpold de Kainach*, de hac celebri Baronum Styriæ familia, ac arce cognomine non procul Voitſperga diſtante jam an. 1060. in *Ottone & Ægydio* A. loquebar. Genealogiam eorum adfert Bucelinus, ſed utcunque imperfectam, etenim poſt *Ottonem & Ægydium* an. 1060. ac *Hilfridum* ſeu *Hilpericum* B. an. 1073. florentem omiſſis aliis adfert *Conradum* an. 1334. ante quem tamen *Mainhardus de Chainach* D. ponendus eſt, cujus filia uxor 2. erat Wilhelmi III. Comitis de Hunnenburch. *Pelingus de Cheinach* G. legitur in Necrol. Run. 2. *Id. Nov. defunctus.* *Simpold Chain. Arx.* *Conradus & Mainhardus de Chainach.* *Wilh. III. Com. de Hunnenburg.*

E. *Otocharus de Kaynach* an. 1258. in docum. in Pyber dato legitur in diplomat. Ducatus Styr. part. 1. fol. 328. *Pellung de Chainach.*

F. *Conradus* vero, quem honeſtum equitem dictum, ac binas uxores *Adelheidem ab Eberſtain*, ac alteram *Safnerin* habuiſſe teſtatur Bucelinus, an. 1312. etiam teſtis fuit *Udalrici de Waldſee Præſidis Styriæ*, ſeuda conferentis. *Ottocarus, Conrad. de Kainach.* *Adelheis de Eberſtein.* *Udalr. de Waldſee Præſ. Styr.*

H. I. De *Joanne & Alberto* nepotibus Conradi dicti, tradit Wurmbrand. fol. 171. eis an. 1431. donatum fuiſſe eis caſtrum *Prankiorum* gentilitium, *Puchs* dictum in Styria ab *Anna de Poſenbach* uxore *Frider. de Prank.* *Joan. & Albert. de Kainach.* *Puchs caſtrum.* *Frid. de Prank, Anna de Poſenb.*

K. *Helfredus* an. 1561. præſens erat ſolemni ingreſſui Joannis Jacobi Salzburg. Archiep. inter alios nobiles Styriæ, ut v. auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 625. *Helfredus de Kainach.*

L. *Mathias Baro* an. 1592. collectanea genealogica confecit. Plures neglexit, ſed plures etiam ſubjunxit Lazius de migr. gent. lib. 6. fol. 213. de quibus mox dicam: reliqua diplomatis hujus ad an. 1138. expoſita fuerunt *Mathias Baro de Kainach.*

De his Kainachiis ita loquitur Lazius lib. 6. de migr. gent. fol. 213. *Ingenui a Kainach in Bibertall, in finibus Styriæ ac Carinthiæ, qui poſtea ſtudiis ſuis in Principes ſuos a Rhamnuſia ſublevati, compararunt caſtra in finibus Tauriſcorum & Carnorum Leonrad, Aynod, Stubetza, & Soſſedum, ampliſſimum ad Savi ripam dominium, Hungariæ conterminum. Porro nomen familiæ a rivo, qui iſthac in Mubram defluit, acceſſit.*

Idea Genealogiæ hujus ex dictis hactenus, ac Lazio & Bucelino ita ſtatui poſſet:

A. *Otho I. & Ægydius I. de Kainach* an. 1060. v. not. & Laz. ac Bucel.

B. *Hilfridus I.* ſeu *Hilpericus* an. 1073. ibid.

C. *Simboldus* an. 1138. ex dipl. Runenſi 2.

D. *Mainhardus* ſæc. 12. fine vel ſeq. initio, N. filia, uxor 2. Wilhelmi III. de Hunnenburch, Frælich. ſpecim. geneal. Souneck fol. & 10. & 36.

Joannes I. & Fridericus a Lazio ſolo adducuntur, ex litteris ab Ottoc. Styriæ Principe an. 1202. datis, quæ fictæ ſunt, cum Ottocari Styriæ Principes an. 1192. emortui ſint.

E. *Ottocarus de Kainach* an. 1258. detegitur ex diplom. 40. Epiſc. Seccov. in Styria.

F. *Conradus I.* in vetuſtis litteris dictus *honeſtus Eques*, cl. an. 1312. 1334. ux. 1. *Adelhaid de Eberſtein*, 2. N. *Saffnerin*.

Hunc omittit Lazius, Bucelinus vero ſeriem ab eo deducit.

Uli-

G. *Pellingus* ex Necrol. Run. — *Henricus* cl. 1365. omiſſus a Lazio, ux. *Cathar. de Tymbnitz*. — *Ludovicus*, ux. N. omiſſus etiam a Lazio.

Anna ux. Reimp. *Hauz.* Bucelin.

H. *Joannes II.* Cubicul. Archid. ux. Margar. *de Kirchdorf*, v. ſupra dicta fl. 1431. an. 1425. cit. in docum. Perneckiano cum fratre Alberto, teſte Lazio.

Conrad. II. O. S. B. ad S. Lambertum.

I. *Albertus* cl. 1390. ad 1431. &c. † 1448. ux. Maria Salom. *Pairhoferin*.

Georg. I. ux. Dorot. de *Graben* fil. Frid. & Eliſ. de *Fladniz*. NB. multum in his Lazius differt.

Cath. ux. 1. Ulr. *Poſniz*, 2. Ulr. de *Saurau*, 3. Eberh. de *Eberſtorf*, *Barbara* ux. Frid. de *Kapfenſtein*.

Dorothea ux. Udalr. *Schurpf* de *Schönvvert*. *Adelhaid* uxor Andr. *Glojach*.

Anna ux. Chriſtoph. de *Steinab*.

Magd. ux. Chriſtoph de *Ligiſt*. *Maximilla* uxor Joan. de *Altenberg*.

Urſula ux. Joan. a *Praunſtorf*, *Ægydius II.* *Joan. Urbanus*, *Joan.* ux. An. *de Graben*.

Marg. ux. Joan. de *Pfafendorf*.

Henr. ux. Margar. *Haruprandin*.

Rupert. nat. 1426. Laz. eum cum Albert. ref.

Barbara uxor Chriſtoph. de *Silberberg*, v. tom. 2. dipl. 145.

Cath. mar. Jo. de *Raming*.

Wilh. ux. Marg. *de Saurau*.

N. † inf.

Joan. III. Cubicularius Alberti Duc. ux. 1. Roſin. *Rindſcheidin* M. 2. Doroth. de *Kienburg*.

Wandula, mar. Andreas ab *Helfenberg*.

Eva marit. Joann. de *Kienburg*.

Plures videntur in juventute obiiſſe.

Ex 1. *Thor.* *Georg. II.* Lazio *III.* † 1540. ux. Clara de *Gall*, fil. Dav. & Wilhelm. de *Trautmanſtorff*.

Ex 2. *Thor.* N. *Sigiſ.* ante nuptias cum N. de *Sigerſtorf* †

K. *Helfricus*, 2. L. B. fl. 1561. ux. 1. Dor. *Gallerin*, 2. Anaſt. de *Plumeneck*, *Chriſtoph. I.* ux. 1. Anna *Preinerin*, 2. Eſther C. ab *Hardeck*, *Cath. Roſin.* cœl.

Hieron. captus an. 1541. a Turc. ad Peſchium ſub Duce *Rogendorf*, *Margar.* Mel. *Stolensky*.

L. *Mathias* ux. Eſther de *Trautmanſtorf*.

Bart. teſt. Laz. cœl. *Kuneg.* ux. Jo. *Kuon* de Bolaſii, *Roſin. II.* Mon. in Göſs, *Anna* ux. Georg. de *Baumgarten*.

Gandolfus ux. Barb. B. Allapia vidua Sebaſt. a *Weiſſeneck*, teſte Lazio, *Urſula* m. 1. And. *Plumeck*, 2. Joſ. *Rorn de Stein*.

Joan. IV. Laz. *Gallus* Venen. †

Eva m. Jac. B. *Falbenbaupt*.

Anna cœlebs †

Chriſtoph. II. ux. Barb. de *Raknix*.

Joan. V. cognom. prodig.

Florentina cœlebs.

Maria ux. Albert. *Zkernizki*.

Cath. ux. Jo. *Zkernizki*.

Ebrnic. ux. Marg. de *Hardeck*.

Otto, *Chriſtina* † infant.

Andr. ux. Eliſ. ab *Ebrnau*.

Jacobina ux. Andr. de *Stubenberg*.

Judith cœlebs †

Maurit. Helfridus. — *Amalia* ux. Ehrnici a *Saurau*. — *Anaſtaſia.*

Mathias Henricus. — *Franc. Chriſtoph.* — *Georgius Udalricus.*

Ultimos hos, quos Bucelinus adducit, referre neglegit Lazius, ſuo fors tempore nondum natos, de aliis tamen hic relatis plurima alia refert, ſic in

H. *Joanne I.* & *II.* multum differt, quem enim *Joannem III.* appellat, duas habuiſſe conjuges docet, 1. *Margarethan a Kirchdorff*, poſtremi hujus fam. filiam, & 2. *Roſinam Dietmari a Rindſcheid* filiam, hanc Joanni II. illam 1mo uxorem ſtatuit Bucelinus, & Joannes ille I. a Lazio ſtatutus fictus videtur. Præterea Lazius filias Joannis I. tribuit Georgio I., Georgius II. a Lazio filius, a Bucelino nepos Georgii I. dicitur, & quæ Georgio II. a Lazio uxor tribuitur, ea teſte Bucel. Georgii I. fuit. Plura alia diverſa adfert, quæ ad rem noſtram non multum faciunt.

M. *Joannem II.* Lazius *IV.* appellat.

K. *Helfricum II.* primum ex hac familia Baronem a Ferdinando Cæſare Hungar. & Boh. Rege creatum docet Lazius, ob merita, erat enim ejus ſenator, *Dorotheam Gallerin* primam uxorem *Georgii* filiam viduam fuiſſe ait *Chriſtophori a Waideck*. Is Helfricus, ait ulterius Lazius ſtemma ſuum primus extulit, & ex Burggravio Græcenſi & Styriæ Cellarii Præfecto, aſſeſſor Prætorii Auſtriaci, & Baronis tit. decoratus, dominioque Soſſed & Stubitz in fin. Hung. & Styriæ accumulatus, adhuc cum laude vivit in Prætorio Auſtriæ, ita Lazius.

N. De *Sigiſmundo* tradit idem Lazius, ſecutum fuiſſe caſtra Caroli V. Imp. in Africam & Galliam, & fratris Ferdin. Cæſaris in Galliam obiiſſe ſine uxore & liberis.

Arces hodie trinæ ſunt Alt-Kainach dictæ inter Muhram & Dravum ſitæ, quarum una Com. de Wagenſperg, altera hæredes Frider. Bar. de Tyrndl reſpicit, Neu-Kainach arx tertia Com. de Wagenſperg.

Ad Diploma Num. 10. *Ad Dipl. 10.*

Diploma hoc idem eſt cum illo, quod num. 4. ex diplomatario Garſtenſi P. Frælich adduxi, quoniam vero id ipſum e celeberrimo Monaſt. Garſtenſi in forma probante ſeu copia vidimata transmiſſum eſt, eodem illud tenore adduco. Cauſam rei in Diſſert. 4. ac Ottocaro IV. aperui, hic proin primo oſtendendum eſt, diploma hoc non ad an. 1143. ſed ad an. 1112. pertinere: & ſane ratio non una id ſuadet, conſenſus nempe Chronologorum omnium qua antiquorum, qua recentium, mortem Ottocari IV. ad an. 1122. vel præced. figentium, etenim 1mo ſi ad an. 1143. Ottocarus IV. vixiſſet Leopoldi fortis an. 1129. defuncti regimen, & Ottocari V. anni complures omittendi forent. 2*do* obſtat anno diplomatis hujus, aliud diploma Garſtenſe num. 4. inter mea num. 5. in quo ad an. 1123. Leopoldus fortis de Patre ſuo piæ memoriæ loquens, eum mortuum fuiſſe teſtatur. 3*tio*: ut præteream authoritatem MS. Genealogici Voravienſis exarati a Can. Vorav. ſæc. 13. quod jam in præfat. Diſſert. 4. totum adduxi, annum 1143. relinqui non poſſe ſic oſtendo, etenim anno 1143. reſpondet Indictio 6. non 5., præterea inter teſtes comparere non poteſt Leopoldus junior, Marchio Auſtriæ, cum anno 1143. nec Leopoldus junior,

nec alius hujus nominis, ſed Henricus II. Jaſomirgotus Auſtriæ præfuerit, ſuffectus anno 1141. & mortuus an. 1177. Leopoldus vero junior dictus ſeu IV. nomine, pius & ſanctus anno 1073. natus, anno 1136. ſancto fine expiravit, ſucceſſit Leopoldus V. ſeu largus, cujus ſororem Eliſabetham Ottocarus IV. uxorem habuit, qui naturæ fatum an. 1141. perſolvit. *4to:* Quamvis originale Garſtenſe primam litteram *M.* paulo aliter exprimat nimirum ∞ ſicque differentia hæc materialis parum ſit curanda, indictio tamen 5. non anno 1143. ſed an. 1112. accurate congruens ſuſpicionem non levem ingerit, diploma hoc an. 1112. adſcribendum eſſe, proin ſuperabundare in diplomate hoc litteram L. & I. *5to:* Clauſula illa adjecta de donatione Conradi Regis in Rietmarchia facta, recte cenſetur notulæ inſtar inſerta fuiſſe, & quanquam ea in MS. hoc mihi communicato, & diplomate a Frælichio edito habeatur, ad genuinum tamen diploma ex iisdem argumentis non pertinet. Certe cum geſta hujus diplomatis per manus Ottocari & filii Leopoldi celebrata dicantur, donatio iſthæc non an. 1142. (quo & Ottocarus IV. & Leopoldus filius inter vivos non erat) ſed longe antea fieri debuiſſet.

Scrutari liceat bina hæc diplomata num. 4. & 10. allata, an ſibi cohæreant? & quæ ſit eorum differentia.

MS. Diploma Garſtenſe mihi ſubmiſſum Num. 10.

Linea

1. *Otacher* Marchio Bertholdo Abbati
2. in *Garſten*, omnibusque ei ſucceſſo-
3. ribus in perpetuum.
4. in fundo ſuo *Gar-*
5. *ſten - -* *& benigne fovit*,
6. *quibus prim. Eber-*
7. *hardus* præfuit, qui & *Canonicam ibid.* inſtituit. *Hos* igitur
8. Epiſcopis *Pathavienſis* Eccleſiæ
10. Monachos *regulares ibidem commutavim.* cuncta, quæ a patre
11. meo *illi Eccleſiæ* donata fuerant,
12. Alia quædam ſuperaddendo *tendentes*
13. Quod prim. dotata eſt *ipſa* Eccleſia,
14. *fecimus* etiam
15. Concambium cum Eccleſia Patha-
16. vienſi, quod item Garſtenſi Eccleſiæ donatum *confirmavimus.*
17. *Tradidimus enim in manu præfati Epiſcopi, & advocati ei Udal-*
18. *rici prædium unum ad Bebeimberc, & area, ubi conſtituta eſt*

Idem Diploma Garſtenſe a Frælichio editum num. 3. inter mea 4.

Linea

1. *Ottakar &c.*
2. in *Gerſten*, omnibusque ſucceſſori-
3. bus &c.
4. In fundo ſuo *Gerſten*, verba ea *benigne fovit*, omiſſa ſunt.
6. Quibus *Præpoſitus* Eberhardus præfuit,
7. Qui & *Canonicam ibi vitam* inſtituit. *Nos* igitur
8. Epiſcopis *Patavienſibus*
9. *Monachos* commutavimus regulares, cuncta quæ a
10. Patre meo donata fuerant,
11. & alia quædam ſuperad-
12. dendo *reddentes.*
13. Quo primum dotata eſt *prædicta* Eccle-
14. ſia *confirmamus* etiam concambium &c.
17. *Confirmavimus, & tradidimus eo tenore ſicut privile-*
18. *gium Garſtenſi Eccleſiæ ab Epiſcopo Patav. Udalrico*
19. *innovatum teſtatur.*

19. *Eccle-*

Linea

19. *Eccleſia, & remiſimus Epiſcopo decima-*
tione contiguarum villarum
20. *eo tenore, ut Eccleſia noſtra Garſtina*
perpetuo jure obti-
21. *neret conceſſu Epiſcopi & ſucceſſor. ei.*
omnia, quæ interjacent
22. *inter Rubinicha inferi. urbe manante,*
& Rubinicha
23. *ſuperiore & infra fluvium Aneſum, &*
fluvium Styra
24. *uſque Rottinbach & ultra Styram dotem*
illam & molendinum
25. *cum jure ſuo, & curtem illam, ubi Ru-*
binicha labitur in
26. *Aneſum cum omni decimatione, & toto*
jure ſacerdotali, ſicut & privilegium
27. *Garſtenſi Eccleſiæ Patav. Udarico teſtatur,*
28. *Confirmamus etiam eidem Eccleſiæ, ac in*
proprietate contradimus ſecundam
29. *dotem infra Aneſum &c. quæ Dambere*
30. *in paſcua animalium, & ceſionem lignor.*
33. *nunciis* Wolfgango & Erchingero me-
diantibus
35. inter fluviolos *Danbach* & *Fruznich* &c.
36. beneficium *Arnbelmi inter Rubinich &*
Fruznich per commuta-
37. *tionem decimarum cum aliis alibi ſitis*
38. poſſeſſionem etiam *ſitam* que *Jagirn-*
berge dicitur, inter flumina
39. vero *Aneſum & Styriam*
40. in rivulo *Sabiniche, ubi ille rivus fa-*
cit in Aneſum
41. *per Leichperge*
42. omnia interjacentia *ad officinas fratr.*
pertinent, & bene-
43. ficium *Luitoldi, quod Luitold &*
44. *ad Huſmannin* duos manſus, *& quod*
45. *Othvvin cum Sclavonibus poſſidet*
47. *ad Svammarin dimidium manſum anti-*
quit. a parentibus
48. *noſtris traditum, in valle autem Aneſi*
ad Scalchinperge
49. *beneficium Wolvoldi*
50. *Slatebeim & Strebovve ad Steinarin*
51. juxta *Miblindorff* - - beneficia *Oth-*
52. *fridi ad Husruckun* loco q. dicitur *Ritte*
54. *cum* vinea, gratia meliorandi
55. *ad Hartperge* - - - juxta

NB. Reliqua omnia prioris diplomatis a linea 17. ad 27. omiſſa ſunt in hoc.

19. Confirmamus etiam *idem* ac in
20. *Proprietatem tradimus dotem trans Ana-*
21. *ſum* cum ſylva
22. contigua, quæ Tamberg dicitur in
paſcuum uſum
26. ly *nunciis* omittitur.
28. Inter *fluvium Tampach & Fruisnick* be-
29 neficium *Arnbalmi* inter Rubinick,
30. *& Fruisnick per commutationem cum aliis*
31. *alibi ſitis - - - poſſeſſionem, quæ Jagern-*
32. *berga* dicitur. Inter flumina *vero Ana-*
ſum & Styram

34. in rivulo *Selenebe*, ubi *ille influit in*
Aneſum, *Pleich-*
35. *perge.*
36. Omnia *interjacentia ad officinas ferri*
pertinet, & beneficium
37. *Hutoldi*, quod *Hutoldus*
38. ad Heſmannum II. manſus. NB. reli-
qua de Ottwin & Sclavonib. omiſſ.
Hoc totum omittitur

41. In valle autem Aneſi *ad Schienberge*
42. beneficium *Wolpodi*
43. *Flatheim & Stuchone - ad Stemmarn*
44. juxta *Micheldorff. Beneficium*
45. *Difridi* ad *Husrucken* loco, qui dicitur
Autte.
47. cum vinea, *cum* gratia &c.
49. ad *Herberge* - - juxta Lauriacum

56. *Lauriacum* prædium *ad Cidilbeim.*
57. Juxta Trunam fluv. *Dominicale unum*
58. *ad Aſcha - - - & vineas, quæ*
59. *in oriente ſite, ſunt quinque*
60. ad *Mutinsdorff*
64. *in ipſo* Monaſterio educandum *tradi-*
66. *dimus. - - - - - tum pro*
67. *requie parentum noſtrorum æterna*
70. *ad ipſum Monaſterium contradendi*
75. ſecundum petitionem Abbatis ea *com-*
84. *mendet,* quam & ſub
85. introductione &c.
87. *Hi ſunt autem* teſtes
88. *Eckibert* Comes de *Buten.* Ulricus de *Pernecke*
89 *Walter* de *Traiſme*, Dietmar de *Aiſt*
91. de *Hunisperc.*
92. *Hartnide Ruggerſpurc,*
94. Otachar de *Slierbach - - Beinbengiſt*
97. *anno Dom. incarnat. M. C. XL. III.*
98. *Indictione V.*

50. prædium *ad AIildaim,*
51. omitt. *Dominicale unum.* Item *ad Aſcha*
52. - - & *vineæ, quæ hæ ſunt*
54. ad *Montasdorff*
58. in *prædicto* Monaſt. educandum *tradidit*
60. *tum pro ſalute noſtra, tum parentum*
61. *noſtrorum æterna.*
64. *ad Monaſterium noſtrum* contradendi
71. ſecund. petition. Abbatis eam *exerceat*
81. quam ſub introductione &c.
83. *hi autem teſtes*
84. *Ecbert* Comes de *Putten, Ulricus de*
85. *Pernegg*
86. de *Traiſme - - - de Agſt*
87. de *Huisberg.* - - - de *Rugisped.*
89. de *Schierbach - - Bembengirt.*
92. *an. Incaru. Dom. M. CXLII3.*
Indictione 5.

Patet ex his, plures eſſe duorum horum diplomatum differentias, plerasque tamen vel materiales, vel Amanuenſium manu inductas. Obſcurius omnino ſubin loquitur MS. diploma mihi ſubmiſſum, ſic linea 6. & 7. *quibus primus Eberhardus præfuit, qui & Canonicam ibidem inſtituit;* clarius hæc proponit diploma Frælichianum dicens: *Quibus Præpoſitus Eberhardus præfuit, qui & Canonicam ibi vitam inſtituit.* Eadem linea 7. *Hos igitur*, corrigendum ex Frælichio, ſubſtituendum que, *nos igitur in religione patriſſare cupientes*; linea 42. verba illa: *ad officinas fratrum* perobſcura ſunt, Frælichianum habet *ad officinas ferri;* patebit id ex eo, an in via illa, quæ a Cella ad Aſche ducit, officinæ quondam ferri fuerint: tandem linea 75. in MS. hoc legitur: *Ut advocatiam ſecundum petitionem Abbatis Princeps Styriæ commendet;* melius cum Frælichio legerem *exerceat* &c.

Cum itaque diploma hoc MS. plura alia corrigenda habeat, cenſeo ex rationibus meis allegatis, annum 1143. ſuſtinendum non eſſe, ſed an. 1112. reponendum, cætera omnia hujus diplomatis in dipl. 4. annot. expoſita fuerunt.

Ad Dipl. 11.

Ad Diploma 11.

Diploma hoc eſt Conradi Regis III. Runenſibus datum, quod, ut debite examinetur, duo nobis de Conrado hoc ſunt explananda

Conradus III. Imp. cur ſubin II. dictus? 1mo: cur Conradus hic, cum tertius fuerit hujus nominis, tamen in diplomate hoc ſcriptus fuerit, *Chunradus Divina favente clementia Rom. Rex ſecundus.* 2do: An Henricus illuſtriſſ. Bavariorum Dux, & Auſtriæ Marchio Jaſomirgottus dictus, ejusdem frater fuerit.

Ad

Ad primum reſponſio petenda eſt ex actis Conradi I. Germ. Regis, eo enim imperante Berengarius Diadema Romanum tenuit, ſicque Conradus I. inter Romanos Imperatores non eſt numeratus. Dein Otto III. ſtatuit, ut poſthac ſolus Germaniæ Monarcha, deſignaretur & haberetur Romanorum Rex & Imperator. Conrado itaque primo, inter Reges Romanos non numerato, facile apparet, Conradum nobis tertium, dici potuiſſe Romanorum Regem ſecundum, licet ejus nominis tertius eſſet.

Ad ſecundum reſponſio patere videtur ex ipſo hoc diplomate, in quo Conradus Rex, Henricum Bavariæ Ducem & Auſtriæ Marchionem *fratrem ſuum* vocat, uterini enim erant, ſeu ex una matre Agnete nati, Conradus Rex, & Henricus Auſtriacus; hæc enim Agnes, prima Uxor erat Friderici de Hochenſtaufen Ducis Sueviæ an. 1105. defuncti, & ex hoc matrimonio prodiit Conradus III. Rex Roman. hujus nom. II. Dein eadem Agnes nupſit S. Leopoldo Auſtriæ Marchioni, quæ inter alios etiam peperit Henricum Jaſomirgottum Bav. Ducem ac Auſtriæ Marchionem, ut v. Hübneri tab. 28. & 123. unde Otto Friſing. aliique paſſim hiſtorici, Henricum hunc Ducem Noricorum ſeu Bajoariorum, & fratrem Regis appellant.

Henr. illuſtriſſ. Bav. Dux Auſtr. Marchio an frater Conrad. III. Imp.

Agnes 1. uxor Frider. de Hochenſtaufen, 2. uxor S. Leopold. Auſtr. March.

Diploma porro hoc Ottocari V. benevolentiam denuo commendat: nobilis quidam *Engelſcalcus de S. Dionyſio*, villam in *Werendorff* a Marchione noſtro Ottocaro V. in beneficio tenebat, quam tamen eidem Marchioni reſignans, humiliter petiit, ut & ipſe Ottocarus Marchio eandem Henrico Jaſomirgotto Bavariæ Duci, Auſtriæ Marchioni, ac Regis fratri reſignaret, ac redderet, cum Ottocarus eandem villam, ab Henrico haberet. Nil cunctatus Ottocarus villam reſtituit Henrico, quoniam vero eandem villam Henricus a fratre ſuo Conrado Rege, & imperio beneficiario jure poſſideret, Henricus eandem Conrado reſtituit, qui eam Runenſibus fratribus donavit diplomate Wirzburgi confecto.

Engelſcalcus de S. Dionyſio nob. homo Runenſ. beneficii.

Villa *Werendorff* ſitum in Auſtria habuiſſe videtur, cum eam Ottocarus ab Auſtriacis in beneficio teneret. Nobilis ille homo Engelſchalcus de S. Dionyſio, an e Styria vel Auſtria deducendus ſit? ignoro. Exiſtit in circulo Auſtriæ Hauſruggenſi villa S. Dionyſii, uti & in Styria noſtra cum Eccleſia S. Dionyſii, quia tamen hæc a Leutoldo de Guetenberg fundata, eoque ſupplicante ab Ottocaro VI. an. 1187. Monaſterio Göſſenſi eſt collata, ſuſpicor nobilem Engelſcalcum de S. Dionyſio in Auſtria extitiſſe, ibique prædium forte vicinum in beneficio tenuiſſe.

Werendorff villa in Auſtria.

Villa S. Dionyſ. in Auſt. & Styr. Leutoldus de Guetenberg.

Ad Diploma 12. *Ad Dipl.* 12.

Continet hoc donationem *Dieterici Enenckl* unius de Miniſterialibus Ottocari V. factam Garſtenſi Monaſterio an. 1145. vocatur in eo *nobilis miles* Dietericus hic, & *de Miniſterialibus Marchionis Styrenſis*. Cauſa donationis erat abſolutio Patris ſui Dieterici, & filii Friderici, hanc ut obtineret, Eccleſiæ Garſtenſi & fratribus ibidem, bona & fundum in Gaubinberch prope Wolfensbach liberaliter contulit. Quid rei fuerit, cur Dietericus Pater, & Fridericus filius abſolutione eguerint? cenſeo,

Dietricus de Enenckl Miniſter. Ottoc. V. Dietricus ejus Pater, & Frider. filius. Excommunicati.

censeo, fors turbis illis, quæ Austriacos & Styros collidebant, a Welphone in Henricum Bavariæ Ducatu ornatum excitatæ, adjuncto sibi Ottocaro, Enenckelios nostros, tanquam Ottocari Ministeriales implicatos, non solum Austriam vastasse, sed etiam Ecclesias violasse, ut ex Chronogr. Reicherſp. ad an. 1175. ostendi.

1mus: *Dietricus de Perge* citatur, de quo v. annot. dipl. 4. & 6.

2dus: *Conradus de Aſcha*, v. annot. dipl. 2. 4.

Ortolph de Brune vel Brunner de Vaſoltsberg. Ea arx Styr. Henr. de Prune, Eberhard. Com. de Waldſee. Colomannus de Prunne. Joannes. Adamus, Joan. & Wolfgangus de Prune. Ilſung. de Prune.

3tius: *Ortolph de Prune, Prunner vel Brunner de Vaſoltsberg* (arce Styriæ in circulo Vorav. Excellent. DD. Baronis de Waitmanstorff, nunc ejus hæredum propria) nobilis Styriæ familia dicitur ab authore Lexici univ. Basileens. cujus *Henricus* affinis *Eberardi Comitis de Waldſee*, an. 1363. vixit, *Colomannus* an. 1566. consilii intimi Cæsarei membrum, & Vice-Dominus Styriæ fuit, ejus filius *Joannes* Consiliarius Provinciæ Styriæ, ac Assessor Jurium aulicorum & Provincialium extitit; *Adamus, Joannes & Wolfgangus*, nepotes ultimi gentem suam propagarunt.

Hübnerus, & Lazius de familia hac silent, Bucelinus vero ejus Genealogiam ab an. 1363. orditur, anteriorem fuisse originem, & *Ortolphus* hoc in dipl. & *Ilfungus* an. 1179. in dipl. Runensi 11. inter meanum. 52. citatus confirmat; qui post Ilfungum hujus familiæ fuerint usque ad Henricum a Bucelino & Lexico Basileensi primum adductum? ignoro. Schema ex Bucelino breviter adjungo, in quo tamen *Ortolphus* & *Ilfungus* primi sunt ponendi ad an. 1145. & 1179.

Ortolph & Iſungus de Prune an. 1145. & 1179.

Henricus, v. sup. dicta ux. *Anna* N. an. 1363. Hic an. 1233. Monast. S. Crucis prædium quoddam donavit, v. Bern. Pez to. 5. p. 2. f. 84.

Conradus an. 1390. ux. *Agnes* N.

Wolfgangus an. 1480. ux. *Dorothea* N.

Anna Mar. Joan. *Gabelhofen*, an. 1565.	*Coloman.* consil. & vicedom. Styr. an. 1566. ux. 1. 2arb. *Eulerin*, 2. n. *Rindsmaulin*, 3. n. *Rindlſcheidin.*	*Nicol.* Paroch. ad S. Dionyſ.	*Plures liberi* juv. mortui.

Ex 1. *Thor. Martha* ux. Chriſtoph. *Laſari.*	*Ex* 2. Joan. † 1590. ux. 1. Urſula *Rindſcheidin*, filia Andreæ & Reginæ de *Windiſchgraz*, 2. Eliſab. filia Melch. *Waggin*, & Cœc. ab *Eibisvvald*, 3. Eliſ. de *Staudach* improles.	*Ex* 3. *Thor. Wolfg.* ux. N. filia Joan. ab *Haymb.*	*Plurium* cæteror. nom. deſunt.
		Wolfg. ux. N. filia David de *Cronek.*	N. *Prunnerin* m. 1. N. *Stubenberg*, 2. *de Reinvvald.*

1. Th. *Regina* ux. Hier. *Händl.*	1. Th. *Anaſtaſia* ux. Hieron. *Pyrker.*	1. Th. *Adam.* ux. 1. Eliſ. *Trykopfin*, 2. Regina *Händlin.*	2. Th. *Joan.* 1571. ux. An. de *Staudach.*

V. supra dicta de hisce.

Hier. Prunner.

Hac in Bucelini serie non apparet *Jeronymus ille*, qui an. 1519. inter plenipotentiarios recipiendi a Styra civit. homagii missus est, ut v. Prevenhueb. annal. Styr. 212. nunquam vero inter eosdem reponendus est *Thomas Pægæus seu Prunner*, de quo idem Prevenhueb. 273. docet fuisse Rectorem Lutheranæ scholæ Styrens. ab an. 1558.

Thomas Pægæus seu Prun.

ad

ad 1571. quoniam Landishutæ ſolum natus, & Melanchtonis diſcipulus erat.

4tus: Memoratur *Hartvvich de Sulza*, familia hæc, ſi inter Styros quærenda ſit, in Marchia ſeu Styria inferiore floruerit, forſitan in Hartwico hoc extincta, etenim in dipl. Admont. 83. inter mea num. 46. invenio ad an. 1171. *Hartnidum de Rackerſpurg*, prædium Sulza Monaſterio Admont. dediſſe pro dote filiæ ſororis ſuæ inibi converſæ, illud vero in Marchia ſeu Styria infer. ſitum docet diploma meum num. 69. cætera mihi incognita. *Hartwich de Sulza.* *Sulza locus Styr. infer.* *Hartnidus de Rackerſpurg.*

Ad Diploma 13. *Ad Dipl. 13.*

Datum eſt hoc Runenſibus an. 1146. ab Ottocaro V. fundatore noſtro, refert id Frælichius inter Runenſia num. 4. plura jam ad an. 1146. dicta ſunt de eo. Colligimus vero ex eodem diplomate, Ottocarum ipſum hoc anno 6. Idus Junii Runæ fuiſſe, non tamen uxorem ejus Chunegundem, quæ dein primo donationi huic aſſenſit, *per manum cujusdam nobilis hominis, nomine Conrad de Wiſtrize.* De quo jam ad dipl. 6. in annot. diſſerebam. Alter præſens donationi huic, vocatur *Bernhard de Stubiach.* De hac familia Lexicon univerſ. Baſil. ita ſcribit: nobilis Styriæ familia, *Stubich*, *Stubick*, *Stibich* a Leopoldo Imp. inter Comites relata cognomen de *Spilfeld* ducebat. *Joannes* an. 1520. vixit; poſt initium ſæc. 18. floruit *Joannes Chriſtianus Comes de Stibich, Baro & nobilis Dominus de Königſtein*, Camerarius Cæſareus, & aſſeſſor Jurium feudalium & aulicorum &c. Aſt anteriorem ejus originem fuiſſe docet Bernardus huic dipl. ſubſcriptus, cenſeoque eam familiam nomen ſuum ab arce *Stibich*, nunc *Stibing*, ſupra Græcium ad Muhram fl. non procul Peggovio ſita duxiſſe: tardior eſt etiam deductio Bucelini, qui geneſim horum Dominorum a *Joanne* deducit hoc modo: *Conradus de Wiſtrize.* *Bernard de Stubiach ſeu Stibich ſeu Spilfeld.* *Joan. Chriſtian.* *Arx Stibich.*

Joannes I. de Stubich, ux. N. *Praunin*, aliis *Prandtin.*

Melchior ux. *Marg.*	*Mich.* †	*Gabriel I.* ux. *Herberſtein*,	Eliſ. ab filia Joan.	*Raphael* I.	*Margar.*	*Uriel* Monach. *S.* Lamberti.

Joan. II. de Spilfeld & Mürnberg, ux. Siguna *Khevenbil.*	*Cath.* mar. 1. *Caſp. de Lamb.* 2. Sig. *de Welz.*	*Chriſtoph. I.* †1561. ſep. in *Pyber*, ux. *Urſ. Leiſer.*

Georg. Gabriel II.	*An. Eliſ.* m. Geor. Sigiſm. de *Herberſtein.*	*Uriel II.* ux. Leonora de *Trautmanſt.*	*Gabriel III.* obiit inf.	*Raph. II.* ux. Mar. *Gallerin de Svvamberg.*	*Sigiſ.* ux. Eliſ. *Vicinin.*

Joan. Chriſtoph. II. ux. N. de *Lamberg*, filia Gabriel. & Scholaſticæ.	*Godefrid.*	*Ferdinand.*	*Maria Leop.* ux. *Eleon.* An. Chriſt. *de Wangen.*	*Eliſ.* monial. in *Göſs.*	*Anna.*

Ita Bucelinus.

3tius diplomati ſubſcriptus *Wulfinc de Stein*, expoſitus eſt in annot. diplom. 4.

4tus *Richerus de Everdinge*, *Efferdingen*, urbs parva cum arce 3. miliaribus ſupra Lincium ſuper. Auſtriæ; extra urbem monti inſiſtit arx *Schaumburg.* Ex urbecula hac Auſtriæ ea familia deſcendiſſe mihi videtur, quibus dein extinctis Schaumburgii ſucceſſerunt, atque mor- *Richerus de Everdingen.* *Urbs Efferding.* *Schaumburg arx*

Wolfg. Com. de Schaumburg. tuo ſine prole maſcula *Wolfgango Com. de Schaumburg* an. 1559. Dynaſtia Eferding, cum Comitatu *Schaumburgico*, *Aſchavia*, *Peyerbachio* &c. ad *Eraſm. de Stabremberg.* *Eraſmum Stabrenbergicum*, & *Wolfgangum Lichtenſteinium*, qui *Genofevam Schaumburgicam* uxorem habuerat, devoluta eſt, ex quibus Eraſmus, *Wolfgang. de Liechtenſtein.* accepta de feudis Schaumburgicis an. 1583. a Rudolpho II. Imperatore inveſtitura, Schaumburgica inſignia, impetrata Cæſarea conceſſione, ſolus cum gentilitiis ſuis conjunxit. Urbem Eferding an. 1526. *Genofeva nata de Schaumburg, ux. Wolfgangi de Liechtenſtain.* ruſtici ſuper Anaſum occupabant, at cæſi a Com. de Pappenheim eam illico reliquerunt, celebre templum & Noſocomium *Rudolphus de Schiffer* an. 1325. in eadem urbe erexit, ac dotavit, cum conſenſu fratrum Comitum de Schaumburg, ut v. collectan. Genealog. Wurmbrandii fol. 129. 130. 132. &c. ad 136., ubi quamplurima de hoc hoſpitali exponentur.

Eſferdingæ urbis memor. *Rudolph. de Schiffer.*

Dynaſtas *de Everdingen* veteres ab urbe ſeu oppido, olim ac Dynaſtia cognomine prodiiſſe ſuſpicor; pauciſſimi ex iis occurrunt, ſolusque mihi hactenus *Richerus* in Styriæ diplomatibus viſus eſt, citaturque præterea in dipl. meo 80. ad an. circ. 1162. ac dipl. 25. ad an. 1174. circiter.

Hertnidus de Orte. Ultimus tandem *Hertnidus de Orte* legitur. Familiam Dominorum de Orte inter Styros locandam eſſe docet diploma Ottocari Regis Bohem. ac Ducis Auſtriæ, Styriæ &c. an. 1262. *Henrico Liechtſteinio* datum, in quo inter teſtes *de Styria* legitur Hartnidus de Orth, v. Wurmbrand. geneal. fol. 193. pauciſſimi tamen horum reperiuntur, ſine ullo ordine vel ſanguinis nexu, & primo quidem:

Henricus de Liechtenſtein.

Hertnidus hic citatur, & mihi *1mus* reperitur etiam in dipl. meo 18. ad an. circiter 1154. item in dipl. Garſtenſi apud Wurmbr. cit. fol. 70. ad 1150. in dipl. meis 23. 35. 76. 77. ad an. 1162. 1164. 1191. litem diuturnam Hertnidus hic cum Admontenſibus habuerat, uti & Pater ejus ob prædium *Laimpachovve*, quod tamen an. 1185. pie abdicavit apud *Viſcha* præſente Duce Ottocaro, ut habet diplom. Admont. 64. inter mea num. 62.

Lis ejus cum Admontenſ.

Helmhardus de Orte. *Helmhardus de Orte* frater fuit *Hartnidi I.* ita habet dipl. Runenſ. 7. inter mea num. 16. an vero *Ortliebus frater* etiam Hartnidi fuerit? dubito, cum diploma fundat. Garſt. in quo ita legitur, dubium ſit, ut ex hactenus dictis patet; illud mihi magis mirabile, quod in diplom. Admont. 63. & 66. inter mea num. 69. 70. ad an. 1186. legitur nempe *Hartnidus de Ovvenſtain frater Hartnidi de Ort.* Hi itaque fratres uterini fuerint ex eadem matre, diverſo Patre.

Ortliebus.

Hartnidus de Owenſtain.

Hartnidus II. de Orte. *Hartnidus II. de Ort*, cum ad an. 1260. ex dipl. Run. 23. & 24. legatur, diſtinctus eſſe debuit, & nomine *2dus* hoc in dipl. 23. denuo *ex Styria* fuiſſe legitur Hartnidus. Idem citatur ad an. 1222. ex dipl. Run. 18. ac in dipl. Admont. 53. an. 1215. Quamvis vero Styriæ nobilibus accenſeatur, potens tamen prædiis etiam in Auſtria fuit, *Scbenau præd.* nam Leopoldus V. Auſtriacus an. 1218. ab eodem prædium *Eſcbenau* emit, Campililienſibus donatum, ut v. faſtos Campilil. in Necrologio Runenſi apud P. Frælich. dipl. Ducat. Styr. part. 2. fol. 351. legitur *6. Idus Decembr. Hartnidus de Orte*, an I. vel II. ignoro, cætera latent.

Ad

Ad Diploma 14. *Ad Dipl. 14.*

De Henrico Dunkenſtainio Ottocari V. Miniſteriali Runenſibus munifico, pluribus jam diſſerui an. 1146. & annot. dipl. 7. ubi eadem familia fuſius expoſita fuit: Sullendorff & Weickerſtorff, in quibus manſus & curtifera Runenſibus legavit, an Styriæ vel Auſtriæ loca fuerint? vix ſatis dignoſcitur, bina loca in Auſtriæ circulo infer. ſuper ſylvam Viennenſem ſito invenio dicta Waikartsdorff, quorum unus arx erat Domini de *Piazoni*, alter locus minor, forte vicus ſolum; ſane an. 1406. *Fridericus Comes de Ortenburg* duo prædia in Ruesbach & molendinum, decimasque in Weickerſtorff, & aliis in locis contulit *Friſamo de Rueshach*, ut v. ex archiv. ſtat. Auſtr. num. 1685. apud Excell. Wurmbrand. fol. 1. pagum eundem Weickerſtorff Auſtriæ inſinuat diploma Erneſti Marchionis, quo Cœnobio Mellicenſi eundem pagum tribuit. Oppidum dein Auſtriæ Weickerſtorff a Maximiliano I. obtinuere Comites *Hardeccenſes* fratres *Henricus & Sigiſmundus*, ut v. cit. Wurmbrand. fol. 252.

Henricus de Dunkenſtein. *Waikerſtorff locus.* *Frider. Com. de Ortenburg.* *Friſamus de Ruesbach.* *Sigiſm. & Hen. Com. de Hardek.*

Locus alter conſideratione dignus eſt *Stanga*, utpote in quo 16. Kal. Julii præſente Marchione Ottocaro V. & ſacrorum ſolemnia peragente Gerlaco Abbate Runenſi, donatio hæc ac confirmatio facta eſt. Erat quidem, teſte Lexico univ. Baſileenſi, inſignis in Thuringia & Miſniæ familia *de Stange* dicta, item in Alſatia & Sileſia, ſed ea extra Patriam noſtram. In Styria, & locum & familiam hujus nominis extitiſſe docet diploma Admont. cod. num. 65. inter mea num. 63. in quo inter teſtes occurrit *Ottakir de Stange*. Quisnam vero hic locus fuerit, & quæ hujus familiæ membra? hactenus reperire non potui; forſitan locus hic Runa non multum diſſitus, cum Ottocarus V. Runæ eodem hoc anno 6. Idus Junii, & in Stanga 16. Kal. Julii extiterit. *Gotſcalcus de Stange* an. 1255. occurrit.

Stange locus. *De Stange fam. Et locus in Styr.* *Ottacar de Stange.*

Ex numeroſa fidelium Ottocaro adſtantium multitudine, memoratur inter teſtes

1mus ordine *Wulfingus de Kapfenberg* cum filiis *Ottone & Wulfingo*. Ampliſſima hæc eſt Styriæ ac antiquiſſ. familia, quæ tamen nullatenus e Capeduno veteri deducenda eſt, uti in annot. ad dipl. 4. in Stubenberg. dictum. Hübnerus, Lazius, Bucelinus eandem incidenter ſolum in Stubenbergiis memorant, ego eorum ſeriem ſequenti ordine ſtruo, atque antiquorum diplomat. & documentorum fide roboro: primus horum *Wulfingus I.* cum filiis *Ottone & Wulfingo II.* occurrit hoc in diplomate, anno dein 1166. ſolus ſine filiis in dipl. Seccov. 17. inter mea num. 47. videtur, uti & in Admont. 82. inter mea 43. ad annum 1170. ac ad eundem annum in confirmat. Monaſt. S. Lamberti apud Frælichium diplom. Styr. part. 2. fol. 279. an. dein 1173. in diplom. Seccov. 20. inter mea num. 48. ac 87. ſolus denuo comparet. Ad an. 1174. ex dipl. Seccov. 21. inter mea num. 49. denuo ſolus videtur. Ulterius vitam ei prorogare formido, forſitan Wulfingus hic I. jam in hoc diplomate anni 1146. ultimo occurrit, cum Wulfingus dein ſine ſuis filiis, ſicque ſors Wulfingus II. denotetur, dies obitus ex Necrol. Runenſi fol. 335. & Seccov. fol. 353. in dipl. Ducat. Styriæ

Wuſing. I. Otto & Wulfing. II. de Kapfenberg.

legitur hiſce: *Chapfenberg de Wulfingus* 5. *Id. Jan.* ita Runenſ. Necrol. Seccov. vero ait *Wulfinc de Chapfenberg laicus* 6. *Id. Jan.* utroque Wulfingum I. denotari puto, unoque diem mortis, altero diem depoſitionis. Wulfingus enim II. menſe Aug. obiit, ut dicetur.

Otto de Kapfenberg.

Otto de Kapfenberg primus e Wulfingi I. filiis fuerit, eum præterea exhibent Diploma Runenſe 8. cui cum Ottocaro V. Marchione Styriæ ſubſcripſit, item diploma cod. Admont. num. 72. ad an. 1162. circiter inter mea num. 23. Otto hic ſubſcripſit confirmationi hoſpitalis in Cerewald ab Ottocaro V. erecti: ſubſcripſit vero ſimul Wulfingus:

Wulfing. II. de Kapfenberg.

ita *Otto & Wulfingus de Kapfenberg*, ut v. dipl. mea num. 36. ad an. 1166. ex hoc diplomate proin colligo, Wulfingum I. Patrem hoc tempore jam defunctum, & Wulfingum II. fratrem ei adjunctum, tum, quod Otto prior tanquam frater primogenitus referatur, tum quod ex Reg. diplomat. particulæ & interpoſitæ, fratres hi duo cenſeri debeant.

Wulfingus II. de Kapfenberg filius Wulfungi I. & frater Ottonis ex hactenus dictis apparet: anno 1182. ſubſcripſit, ſolus quidem diplomati Ottocari VI. dato S. Lambertinis. V. dipl. mea num. 86. an.

Seizenſibus dat prad. in Rohrbach.

1187. Seizenſibus beneficus erat, poſſederat nempe Wulfingus hic beneficium quoddam in *Rohrbach* a Gurcenſi Eccleſia, unde, cum Wulfingus illud Seizenſibus non nonniſi ad dies vitæ dare potuerit, Dietricus Epiſc. Gurcenſ. cum conſenſu Lucii Papæ, prædium dictum in perpetuum Seizenſibus confirmavit. Eod. hoc an. 11. Kal. Febr. in Pilſtein fuit, v. diploma 8. Run. an. 1191. Idem ſubſcripſit diplomati Ottocari VI. ad Judenburg Seccov. dati, v. dipl. mea num. 76. an. 1195.

Seccovienſibus villam Lindt.

dipl. Seizenſi 12. anno 1197. Wulfingus de Chapfenberg, villam Lint Seccovienſibus donavit, ut v. dipl. Seccov. 29. cum enim graviter ægrotaret, ſeque moriturum arbitraretur, Dom. Geroldum Seccov. Præpoſitum accerſivit, & per manus ipſius villam Linte, Monaſterio Seccov. tradidit, atque, ut donatio firmior eſſet per manus fratruelis

Ulricus de Stubenberg.

ſui *Ulrici de Stubenberg*, hæredis ſtatuti, delegationem ratam eſſe voluit. Ex hoc dipl. infero 1. Wulfingum II. Kapfenbergium, ex hac familia ſolum & unicum ſuperfuiſſe, & Ottonem ac Wulfingum III. Ottonis filium jam fuiſſe defunctum, cum non hos, ſed fratruelem ſuum Ulricum de Stubenberg hæredem conſtituerit. 2. Licet fors alii Kapfenbergii exſtiterint, non tamen ejusdem & primariæ lineæ, a qua dein

Kapfenberg caſtrum ad Stubenbergios devolvit.

caſtrum *Kapfenberg* cum aliis bonis Stubenbergiis obvenit. 3. Ulricum de Stubenberg, cum fratruelem ſuum dicat, Ulricus vel ex ſorore Wulfingi, vel ex relicta Ottonis fratris ſui uxore, alteri dein nupta, filius fuerit.

Convaluit vero ab infirmitate hac Wulfingus, & ut mihi videtur, plures dein adhuc liberos procreavit, imo ad annum 1223. adhuc le-

Wulfingus III. de Kapfenberg.

gitur, niſi fors Wulfingus etiam tertius exſtiterit, ne ejus ætas nimium prorogetur. Anno 1214. ſubſcripſit dipl. Göſſenſi 17. & quidem *ante Ulricum de Stubenberg fratruelem*, & hæredem ſuum deſignatum. Anno

Gertrudes vidua Wulfingi de Kapfenberg.

1223. dipl. Seccov. 42. obiit an. 1230. nam Domina *Gertrudis* uxor relicta Wulfingi ſeu Wolfgangi de Kapfenberg, Indict. 3. in die SS. Felicis & Adaucti in Seccau veniens, in ſepultura Wulfingi delega-

Wulfingus in Seccau ſepultur.

vit Seccovienſibus curiam in *Pojerdorff* cum omni juſtitia, ut v. dipl.

Seccov.

Seccov. 49. ex quo proin annus mortis & ſepultura Wulfingi hujus patet.

Engilbertus miles de Chapfinberg, ad an. 1188. in dipl. cod. Admont. num. 111. inter mea num. 74. reperitur. Hunc de familia primaria fuiſſe, vix credo. *Engilbertus de Kapfenberg.*

Sigehardum de Kapfenberg diploma Admont. 33. ad annum 1163. & aliud Admont. num. 22. ad annum circiter 1188. inſinuat. *Sigehardus de Kapfenberg.*

Hainricus de Chapfenberg an. 1202. ſubſcripſit diplomati Seccov. 30. *Hainricus de Kapfenberg.*

Hervvicus an. 1210. Göſſenſi 18. ac *Ortolphus de Kapfenberg* Seccov. 49. an. 1230. dato a Gertrude relicta uxore Wulfingi, ut & dipl. Seccov. Epiſc. 16. an. 1240. eo enim in diplomate Ortolfus hic, miles *Wulfingi pueri de Stubenberg* dicitur. Hunc proin Ortolfum Wulfingi II. filium non credo, non enim ſic alterius Wulfingi Stubenbergici miles fuiſſet. An Henricus vel Herwigus filii fuerint Wulfingi II. documenta, quæ probent, non exſtant. *Herwic. & Ortolf. de Kapfenb.* *Wulfingus de Stubenberg.*

Præter hos Kapfenbergios in Necrol. Seccov. citato fol. 361. legitur *Marquardus de Kapfenberg*, 7. *Kal.* Sept. obiiſſe, & *Albaides de Chapfenberg converſa*, probabilius Seccov. 11. *Kal. Maji* defuncta, v. f. 357. *Marquardus de Kapfenberg.* *Albaides Conv. Seccov.*

Præpotens & antiqua hæc familia ab arce ac oppido *Kapfenberg* nomen ſuum ſortita, defeciſſe videtur ſæculo 13. medio, & licet *Ulricus de Stubenberg* jam hæres Kapfenbergiorum a Wulfingo II. ſtatueretur, cum tamen hic denuo convaluerit, non Ulricus de Stubenberg, ſed Frider. III. & IV. ſucceſſerit hæres ut in annot. dipl. 4. ea in genealogia oſtendi. *Kapfenb. famil. exſtincta.* *Ulric. de Stubenb. an eor. hær.* *Frid. III. vel IV. de Stubenb.*

Alter diplomatis teſtis eſt *Sigehard de Flaze*, hoc de familia altum ubique eſt ſilentium. Sigehardus hic occurrit etiam teſtis circa an. 1149. in dipl. Seccov. inter mea num. 81. & *Rudolfus* ad an. 1182. in Seccov. etiam dipl. inter mea num. 58. & ad an. 1186. in traditione Styriæ ab Ottocaro VI. facta Leopoldo Auſtr. v. dipl. mea num. 66. in quo inter teſtes e Styria locatur. *Sigehard de Flaze.* *Rudolphus de Flaze.*

3tius teſtis eſt *Durinc de Starchenberc*, Antiquiſſimæ hujus, & ab ipſis Marchionibus deſcendentis familiæ originem deducunt ſuſiſſime Hübnerus, Bucelinus, Wurmbrandius, Prevenhueberus, & noviſſime author geneal. hujus Viennæ an. 1729. editus, de ea antequam differam, quæpiam de caſtro ſeu arce *Starchenberg* notanda ſunt, & 1mo quidem ſciendum, tria exſtitiſſe hujus nominis caſtra, quorum primum in Auſtria ſuperiore, ad Bavariæ confinia, dictum *Starchenberg*, alterum in Auſtria inferiore *Starhenberg* vocatum, tertium in Comitatu Tyrolis, quod neſcio, an nomen variarit. Secundum horum ſtirpi Auſtriacæ ſæc. 12. celebri nomen fecit, unde triplex familia, Auſtriaca una jam ſæc. 12. exſtincta, cum deinceps ea non occurrat, ac ejusdem caſtrum ad Waldeckios ſit delatum; *Styriaca* altera Starchenbergica dicta, tertia *Tyrolenſis*, quæ ſæc. 15. adhuc floruit. *Duringus de Starchenberg.* *Familiæ origo.* *Starchenberg tria caſtra.* *Unum in Auſtr. ſuper.* *2dum in Auſtr. infer.* *3.tium Com. Tyr.*

Caſtrum *Starchenberg* in Auſtria infer. ac circulo infra ſylvam Vien. ſitum *Adalramus de Waldecke* fundator Seccov. circa an. 1147. & antea poſſedit, ac dein Ottocaro V. Marchioni Styriæ legavit, una cum villa *Trabſtetten*, & militibus ſuis, ut Ottocarus Advocatiam Seccovienſem in ſe reciperet, ut dixi in annot. dipl. Seccov. 22. num. 58. *Caſtr. Starchenb.* *Auſtr. inf. ab Adalram. de Waldecke fund. Secc.* *datum Ottoc. V.* *Dein ad Auſtriacos cum Styria devolutum.*

inter mea. Caſtrum hoc ab Ottocaris ad Auſtriacos videtur cum Styria devolutum, tabulæ Clauſtroneob. apud Hier. Pez t. 1. col. 1026. Friderici Auſtriaci an. 1240. fuiſſe tradunt, cum nempe Fridecrius a civibus Viennenſib. ob vim, ut ei male imponunt Prunehildi uni e matronis Vien. illatam in caſtrum ſuum Starhemberg fugeret. Idem docet Germ. Auſtr. Chron. Matthæi vel Gregorii Hageni apud eundem Pez. col. 1068. vitus Arenpekius ibid. col. 1214. Haſelbachius ib. tom. 1. col. 721. 727. qui omnes uno ore docent, Friderico Duci proſcripto, nil præter *Starhenberg*, *Mödling*, & *novam civitatem* fuiſſe relictum. Certe anno 1405. in turbis illis Auſtriæ *Joannes de Neydeck*, Wilhelmi Auſtr. Ducis Camerarius, Dominio Stahremberg adminiſtratorio nomine præfuiſſe legitur. V. Wurmbrand. ex archiv. ſtat. Auſtriæ num. 1663. Alterum in Auſtria ſuperiore, ac circulo Hausruckenſi prope oppidum Haag ſitum ad Bavariæ confinia, ædificatum eſt tanquam caſtrum gentilitium domus hujus an. 1176. a Gundaccaro, ut dicetur. 3tium Stahremberg caſtrum in Tyroli ſitum erat.

Frid. Auſtr. an. 1240. in arcem hanc fugit.

Joan. de Neydek an. 1405. ejus arcis præfectus.

Caſtr. Starchenberg in ſup. Auſt. an. 1176. ædific. a Gundaccaro de Stahremberg.

Genealogiam jam Stahrembergiorum ab Ottocaris deſcendentium integram delineare opus non cenſeo, cum abunde id alii authores præſtiterint, eaque ob quamplurimas lineas ac ſurculos laborem noſtrum impediret, breviter ſchema quoddam adjicio, genealogiæ Stahrembergicæ originem, Patres primos, ad Gundaccarum I. de Stahrenberg ex Styris oriundum detegens, quod notis etiam neceſſariis illuſtro. Non morabor deductionem illam jam exploſam de gente Scyrorum factam, oſtendam potius quosdam primorum Stahrembergiorum ab authore geneal. hujus Bucelino, Hübnero neglectos.

Genelogia vetus Starchenbergiorum.

Ottocarus III. ſeu Ozy, Marchio Styriæ.

Ottoc. IV. March. Styr. — *Albero II.* Com. in Ens & Goyſerwaldt. — *Bernardus* Com. de Styr.

Duringus I. Dom. de *Styra & Graz*, v. diplom. 6. 7. ad annum 1100.

Volcardus 1138. v. dipl. 6. — *A. Gundac. I.* 1140. ad 1186. ux. Richeza de *Steinbach.* — *Helmhardus* 1140. author DD. de Graz, v. dip. 6. 7.

B. Gundac. II. condit. arcem *Stahremberg*, 1176. & 1188. uxor Eliſ. de *Haunſperg.* — *C. Duringus II.* 1166. ad 1184. — *D. Rudolfus** 1166. — *Euphemia*, v. dipl. 6.

E. Berchto v. *Bertbold.* 1166. — *F. Udalr.* 1166.

I. Gundaccar. III. nom. ſed ex familia Com. Styr. circa 1200. ad 1252. circ. uxor N. de *Chapellen.* Ab hoc ulterior ſeries DD. de Starhemberg deducitur. Reliqua tomis ſeq. — *I. Dom. de Stahremberg* circa 1200. ad 1252. circ. uxor N. de *Chapellen.* — *G. Marquardus** 1170. ux. N. de Stutarn. *H. Hademar** a. 1297.

Primos ſtirpis hujus palmites jam in Diſſert. 4. & ad diploma 6. ac 7. in Dominis de Styra & Græcio expoſui, reliquos hic ſuis notis illuſtro.

Gundacc. I. ex famil. hac ſeu de Styra.

A. Gundaccarus I. hujus nominis, ſeu ab an. 1140. ad an. 1186. circ. florens, non quidem de Starchenberg, ſed de Styra dictus, Miniſterialis fuit Chunegundis Marchioniſſa, Advocatus Garſtenſis & Lambacenſis,

bacenſis, uxor *Richeza vel Richſa de Steinbach*, ut expoſui diplom. 4. in geneal. Styrenſium.

B. Gundaccarus II. ſeu junior, etiam de *Styra* dictus, expoſitus eſt ibidem. Hic exſtruxit *arcem Stahremberg* anno incerto, in finibus Auſtriæ ſuperioris verſus Bavariam, prope oppidum Haag in circulo Hauſruggenſi ſitam, ſe tamen adhuc Dominum de Styra ſcripſit, teſte Wurmbrand. collectan. fol. 213. *Gundacear. II. de Styra. Stahremb. arcis author in fin. Auſtriæ ſuper.*

C. Duringus II. Gundaccari II. frater expoſitus eſt inter Dominos de Styra, in dipl. 6. ſed, ut ibidem obſervatum, nunquam *Dominus de Styra*, ſed ſolum *frater Gundaccari II.* dictus. Jam vero adſunt documenta, quæ eundem Dominum de Stahremberg dictum fuiſſe exhibent, & quidem jam anno 1163. hinc, ſalvo meliore judicio cenſeo, Duringum hunc, Gundaccari II. fratrem ab exſtructa per fratrem Gundaccarum arce *Stahremberg*, nomen id jam aſſumpſiſſe, cum frater Gundaccarus ſe adhuc *Dominum de Styra* ſcripſerit. Hunc Duringum II. inter Stahrembergicos refert Hübnerus tab. 727. omittit vero Bucelinus & author geneal. Stahremberg. manifeſte tamen eundem declarat dipl. Seccov. 17. inter mea num. 37. & quidem inter Miniſteriales Chunegundis noſtræ his verbis: *Durinch de Starchebercb cum filiis ſuis Perchto* (lege Bertholdo) *& Udalrico*, ubi inter alios etiam teſtes Gundaccarus II. ſeu *Gundacher de Styra* legitur Miniſterialis ejusdem Chunegundis noſtræ. Idem Duringus de Starchenberg, & filius ejus Bertholdus ſubſcripſere fundationi Voravienſi an. 1163. v. inter dipl. mea num. 32. ſolus vero Duringus ſubſcripſit dipl. Ottocar. VI. Ducis dato Voravienſibus an. 1184. ut v. dipl. mea num. 61. *Duringus II. de Styra. Anſe etiam ſcripſerit Dom. de Starchemberg.*

D. Rudolfum de Stahremberg ab omnibus neglectum eloquitur diploma Frider. I. Imp. quo confirmat hoſpitale in Cerewald, v. dipl. mea num. 36. ad an. 1166. an vero frater Duringi & Gundaccari, an patruus horum fuerit? ignoro, ideoque eum aſteriſco notavi. *Rudolfus de Starchemberg.*

E. Perchto ſeu Bertholdus, ut habet diploma fundat. Vorav. ac *F. Udalricus* filii Duringi de Stahremberg fuere, ut littera C. inſinuavi, videntur ambo non diu ſuperſtites, ac ante Patrem demortui, cum Pater Duringus an. 1184. ſine filiis legatur. *Perchto ſeu Bertholdus, ac Udalric. de Stahremb.*

G. Marchvvardus de Starchemberch, circa an. 1170. Admontenſibus beneficus fuit, ab eo enim emerunt 22. marcis partem prædii in *Sundermaningen*, eo tamen pacto, ut, ubicunque infra Salzburg. Diœceſim obiret, ſepulturam tamen in Admont obtineret, & cognata ejus in Monaſterio Admont. reciperetur. V. dipl. Admont. cod. num. 81. inter num. 42. Miniſterialem Ottocari fuiſſe idem diploma exhibet, donationemque hanc in Vorau feciſſe; uxor ejus nata erat *de Stutarn*, quoniam hujus fratres *Udalricus & Geruncb de Stutarn*, abdicationem prædii ejus in urbe *Græze* fecerunt coram Domino ſuo Marchione. Anno ſeq. idem Marchwardus cum Ottocaro VI. in Admont. venit, teſtisque fuit compoſitioni ibidem factæ, ut v. dipl. mea num. 44. anno circiter 1181. cum eodem Ottocaro denuo Admont. Cœnobium inviſit, teſtemque egit delegationis *a Bernardo de Putine* factæ. V. diplom. mea num. 56. an. 1186. non ſolum denuo cum Ottocaro VI. præſentem ſe, ſed beneficum etiam Admontenſibus exhibuit, dum vineam *Marchward. de Stahremberg. Udalr. & Geruncus de Stutarn.*

unam

unam ad Mutinsdorff pro filia ſua in Admont ſuſcepta, ſuper altare S. Blaſii delegavit. Quæ cognata ejus & filia Admontenſes moniales nomina geſſerint, nondum reperi. v. dipl. mea num. 69. & 70. an. 1188. adhuc inter teſtes & Miniſteriales Ottocari VI. refertur, v. dipl. mea num. 73. plura eum adhuc diplomata Admontenſia exhibent.

Hademarus de Stahremberg & Wildberg.

H. Hademarum Hübnerus & Bucelinus habent, circa an. 1297. exſtitit, ſed & Stahrembergius & *Wildbergius* dictus eſt. V. Wurmbrand. fol. 217.

Gundac. III. & I. D. de Stahrem. Linea Styriaco-Stahrembergica.

I. Gundaccarus III. nomine, ſed *I.* qui ſe e Styris noſtris Dominum ſolum de Stahremberg ſcripſit, authorque fuit lineæ *Styriaco-Stahrembergicæ*. Citatur hic in dipl. Seccov. 30. & 31. ad an. 1202. & quidem penes Gundacharum de Styra Patrem, (quem ad an. 1217. oſtendi, exſtitiſſe dipl. 6.) vix multum 20. annos exceſſerit hoc anno, cum teſte auth. geneal. Stahremberg. poſt 40. ſæculi hujus annum exſtiterit, ut v. citatum in dipl. Ottoc. Boh. Regis an. 1252. dato apud Ex-

Dietmar. frater author DD. de Loſenſtein.

cell. Wurmbrand. fol. 215. frater ejus *Dietmarus* author *fuit Dominorum de Loſenſtein*, uxor ejusdem Gundaccari dicitur N. de *Chapellen*, quam familiam ex ſanguine Babenbergico celebris Azzonis deducit author geneal. Stahremberg. v. annot. ad dipl. 9.

Eidem Gundaccaro Fridericus Auſtriæ Dux. an. 1236. reditus in Riedmarchia aſſignavit ob fidelia obſequia, v. cit. Wurmbrand. f.

Atque hæc ſunt prima Stahrembergicæ gentis lineamenta, quæ ſeq. tomis fuſius deducentur;

Durinc de Muttenſtorff.

4*tus* teſtis eſt *Durinc de Muttenſtorff.* Obſcura quidem, attamen inter Miniſteriales Marchionum noſtrorum relata familia, nam in dipl. Seccov. 17. inter mea num. 37. recenſetur inter Miniſteriales Chunegundis Marchioniſſæ noſtræ *Iſinger de Muttenſtorff*, ac in alio diplom. Seccov. inter mea num. 18. refertur Hiltegrin de Muttenſtorff, cætera latent.

Iſinger & Hildegrin.

Chonno, Albero, & Meingo de Chirchove.

5*to* loco referuntur *Chonno*, *Albero*, & *Meingo de Chirchove*, præter hos neminem hujus nominis invenio. Exſtat in Auſtriæ circulo infra ſylvam Vienn. ſito locus Kirchau, an inde originem & nomen deſumpſerit ? ignoro.

Wolfkerus de Lazzenkirchen.

6*tus* eſt *Wolfkerus de Lazzenkirchen.* Hic idem idem in dipl. cod. Admont. num. 76. inter mea dipl. num. 27. reperitur inter teſtes ita ſcriptus: *Wolfkerus de Lanzickirchen cum filio ſuo Heinrico*, ac in diplom. Admont. 79. inter mea num. 30. ſolus. *Locus Lanzenkirchen* in circulo Auſtriæ infra ſylvam Vienn. exiſtit.

Gerhard de Hizling & Eckehart

7*mus*: *Gerhard de Hizling*, præter hunc unicus mihi *Ekkehard Hu-*zilinge in dipl. Admont. 37. circa an. 1163. occurrebat, reliqui incogniti.

8*vus*: *Albero & frater ejus Udalricus de Dunkenſtein.* v. annot. dipl. 7.

Eckehart de Erla vel Erlach. Erlach Domin. Auſtriæ.

9*nus*: *Ekehart de Erla vel Erlach*, ut ſuſpicor, Dominium id erat illuſtre ſuperioris Auſtriæ in circulo Hauſruggenſi, cum arce inter *Riedau & Neumarkt* in finibus Bavariæ: olim Comitum *de Schaumburg*, poſt quos emptu ad Dominos Jerger pervenit, quorum *Wolfgangus*

Wolfg. de Jerger, Helmh. filio.

illud anno 1581. ac filius Helmhardus an. 1630. poſſedit, dein ad D.

Weiſſenwolf de David.

Davidem de Weiſſenvolf devolutum: adjectum arci bannum, eſt feudum Imperiale. Familia hæc tamen recenſenda, utpote Marchiones & Du-

ces

ces noſtros ttinens, nam *Bernardus de Erlach* Miniſterialis quondam Comitis *Ekkiberti de Putine*, cujus dein hæres factus eſt Ottocarus V., mortis articulo præventus, & habitum Monachi induit, & in Admont. Monaſterio ſepulturam exquiſivit, ea de cuaſa etiam duas vineas *ad Potſchach* in Auſtria eidem Monaſterio delegavit, cui delegationi ægrius quidem aſſenſum præbuit Ottocarus noſter, ut pl. v. dipl. 22. inter Admont. 69. circa an. 1162. *Bern. de Erlach. Admontenſ. Monachus factus.*

Gerhardus de Erlach, & frater ejus Otto eod. anno ſubſcripſere dipl. Admont. num. 76. inter mea num. 72. *Gerhard & Otto de Erlach.*

Diſtinquendi vero ſunt Domini de Erlach ab illis, quos inter Helvetos & Bernates Bucelinus repoſuit, etenim Domini de Erlach noſtrates in Auſtria & Styria poſſeſſiones habuere, teſtatur id diploma Admont. num. 77. inter mea num. 28. quo *Liutpoldus de Erlach* potenti manu Domini ſui, Otagrii Marchionis de Styre, Monaſterio Admont. dimidium manſum in *Techanskirchen Parochia* Styriæ, & duas curtales delegavit, quod ante an. 1161. quo Dechanskirchen Parochia facta eſt, contingere non potuit. *Familia duplex in Auſtria & Helvetia. In Dechantkirchen boua poſſid.*

Eberhardus de Erlach an. 1186. donationi Styriæ ab Ottocaro VI. factæ Leopoldo Auſtriaco ſubſcripſit. V. dipl. mea num. 66. *Eberh. de Erlach.*

Ultimus, *Otakar de Nevvenkirchen* expreſſus eſt hoc in diplomate. Diſtinquenda eſt hæc familia ab illa in Ducatu Clivenſi etiam Newenkirchen, vel Nuvenheym dicta, cujus fragmentum genealogicum Bucelinus adducit, nam noſtra ex moderna Auſtriæ parte, Ottocaro V. cum Puttinenſi Comitatu adjecta, repetenda videtur, in circulo enim Hauſruggenſi præter 2. minoris ſortis loca exiſtit etiam oppidum *Neunkirchen*, quod an. 1453. Hungari uniti rebellibus *Baumkircher, Graſegger, Comitibus de Pöſing, Henrico de Liechtenſtein*, & *de Eldernach* occupabant: Parochia adjecta magnæ antiquitatis eſt, etenim jam an. 1194. Eccleſiæ in Krachhoven jus proprii Parochi habendi, a Parochia Neunkirchenſi in controverſiam adductum, tandem eſt tributum ab Adalberto Archiep. Salzburg. unde Parochia Neunkirchenſis jam diu antea exſtitit. *Otakar de Newenkirchem. Familia duplex in Duc. Clivenſ. & Auſtria. Neunkirchen oppidum. Paroch. antiq.*

Ex hoc itaque prædio & oppido familia ea deducenda videtur, & forte dein in Poppone, qui in dipl. cod. Admont. num. 27. 28. videtur, exſtincta circa an. 1160. *Poppo de Neunkirchen.*

Ad Diploma 15. *Ad Dipl. 15.*

Diploma hoc ad an. 1146. utcunque excuſſum eſt, ubi etiam oſtenſum Conradum III. ſubin a quibusdam II. dici, imo ſe ipſum hoc in dipl. ſcribere Roman. Regem II., cum Conradus I. nomine ob Berengarium Romanum diadema gerentem, inter Reges & Imperatores Romanos non referatur. *Conr. ad. III. Imp. cur II. dictus.*

Ad Diploma 16. *Ad Dipl. 16.*

Udalricus Abbas S. Lamberti, & Gerlacus Runenſis hoc anno Concambium celebrarunt ab Ottocaro V. confirmatum Græcii 11. Kal. Sept. allodium Styriæ *Söding*, nunc *Baronum de Kellerſperg*, a Mo- *Söding allodium Styriæ, nunc B. de Kellerſperg.*

naſterio S. Lamberti ceſſum eſt Runenſibus, qui viciſſim dederunt S. Lambertinis, cellarium petrinum ſeu ex petra exciſum, in loco *Mottersdorff*, & vineam unam ad *Gumpoldeskirchen* in Auſtria, una cum curte, uti & vineam unam ad Viſchach &c.

Ottocarus Concambium hoc non ſolum firmavit, ſed etiam teſtes induxit, uti

Stoffe de Bern. & Henr.

1. *Bernard. de Stoffe, & Henric. frat. ejus.* ignotæ familiæ & loci.
2. *Hertnid de Orte & frat. ejus Helmhardus.* De hoc v. dipl. 13. annot.
3. *Hertvvich de Stade*, fors *Stadl*, v. dipl. 8. annot.
4. *Svvicker de Geſtink*, v. annot. dipl. 8.
5. *Cholo de Truchſen & frat. ejus Gotefrid, & Reginbert*, v. annot. dipl. 4.
6. *Udalricus de Greze*, v. annot. dipl. 7.
7. *Adelram de Waldecke*, v. annot. dipl. 7.
8. *Odalricus de Wilheringe*, v. annot. dipl. 6.
9. *Engilger de Wilhalmſpurg*, v. annot. dipl. 9.

Ad Dipl. 17. *Ad Diploma* 17.

Jam in ipſo diplomate notatum eſt verba ea: *& proavus meus Luipoldus Marchio &c.* male eſſe adjecta, legendumque ex Frælichio, *pa-*

Ottocarus V. Advoc. Garſt. *rens meus*, locus & tempus deeſt, Advocatum tamen Garſtenſem ſe geſſit, & exhibuit etiam Ottocarus noſter, jure eo ſibi hæreditarie adjecto, ut v. in dipl. 4. & 10. Id ipſum etiam inſinuat diploma ſequens mox exponendum.

Ad Diplom. 18. *Ad Diploma* 18.

Hoc ex diplomate manifeſtatur iterum Ottocarus V. Advocatus fuiſſe Garſtenſis, etenim Concambium Garſtenſium cum Chunrado Epiſc. Patav. per manus Advocati ſui, ſeu Garſtenſium, Ottocari ſcilicet Marchionis de Styra celebratum fuit. Dubium olim magnum mihi

Sigebard. Abbas Garſtenſ. ingeſſit *Sigebardus ille Garſtenſium Abbas*, utpote quem nec catalogus Bruſchii, nec excerpta veteris Chron. Garſt. apud Hier. Pezium referunt, ſed illud utcunque ſolutum puto anno 1154. Teſtes Concambii erant.

Chadelhoc Præp. Patav. 1. *Chadelhoc Præp. Patav.* qui etiam adfuit decimationi ad *Schvvarzaham*, pertinenti olim ad cœnobium S. Nicolai. Teſtis idem producitur a Reimberto Epiſc. Patav. in litteris Concambii triplicis initi cum Monaſterio S. Nicolai an. 1143.

Udalr. Archipr. Patav. 2*dus: Udalricus Archi-Presbyter*, proin diſtinctus, cum tamen alias Præpoſiti Cathedr. ſimul eſſent, Archi-Presbyteri & Archi-Diaconi.

Adelgos Decan. Patav. 3*tius: Adelgos Decanus.* Hunc author Germ. Sacr. tom. 1. in Coroll. 8. negligit, ac ab an. 1152. ad 1164. Rupertum poſuit. Anno certe 1152. Rupertus Decanus Patav. fuit, Henricus Scholaſticus, Hartmodus Archi-Presbyter, ut v. cit. auth. Germ. Sacr. fol. 312.

4*tus: Ottochar Marchio de Styra.*

5*tus: Adalbertus de Berge.* De quo v. annot. dipl. 4. & 6.

Cholo de Waſſerberc & Waſſerburc. 6*tus: Cholo de Waſſerberc*, ſeu *Waſſerburc*; exſtat ejus nominis urbs in Bavaria ſuperiore, ex qua prodiit familia Comitum *de Waſſerburc & Klingen-*

Klingenberg: Conradus ejus familiæ, improles mortuus, urbem eam, ut ad Ottonem Bavariæ Ducem abiret, effecit. Existit vero etiam in Styria superiore ac circulo Judenburgensi arx Wasserberc, duabus horis Seccovienſi a Cathedra distans, ac Episcopo Seccov. subjecta, a qua probabilius hi DD. de Wasserberc nomen & originem suam desumpserunt. *Cholo* hoc an. satis juvenis fuerit, cum ad an. usque 1214. teste cod. dipl. Admont. num. 52. legatur: an. 1204. in dipl. S. Floriani cœnobii apud Excell. Wurmbrand. fol. 70. ita subnotatus legitur: *Cholo & frater ejus de Wasserberc.* Ast quis hic Cholonis frater fuerit? liquido non constat. Ad annum quidem 1171. ex dipl. Admont. 108. & ad an. 1192. ex dipl. Seccov. 26. legitur: *Dietricus Comes de Wazzerberc*, sine adjecto alio, ex quo Cholonis frater colligi possit. Familia hæc an. 1242. exstincta videtur, cum enim *Henricus de Wazzerberga* Austriæ infer. hæreditarium Camerarium ageret circa an. 1230. Fridericus Dux Austriæ & Styriæ an. 1242. *Conradum de Himberg* eo munere investivit, Henricum de Wazzerberg jam defunctum insinuans, & quidem, ut suspicor, sine prole, cum alias hæreditarium hoc munus Wasserbergiis non ademisset Fridericus. V. Wurmbr. collect. fol. 277. 278.

Urbs Bavar. ejus nominis. *Arx Styriæ.* *Dietricus Com. de Wasserberc.* *Henr. de Wasserberch.* *Conradus de Himberg.*

7*mus*: *Gotschalcus de Kumst*, ignotæ familiæ & nominis.

8*vus*: *Walchum de Clame*, de quo v. annot. dipl. 6. & 4.

9*nus*: *Bibo de Ameringen*: ignotus itidem.

10*mus*: *Hartnid de Orte*, de quo v. annot. dipl. 13.

Gotschalcus de Kumst.

Ad Diploma 19.

Ad Diplom. 19.

Hoc in diplomate Ottocarus V. Marchio confirmat permutationem prædiorum Seccovienſium; exstiterat nempe Leobii 16. Kal. Maji Ottocarus noster, cum Wernherus venerabilis Præpositus, & fratres Seccovienses eum adeuntes rogarunt, quatenus Concambium, quod eos inter & *Reginvvardum fidelem & cubicularium* suum interceſſerat, confirmare dignaretur, annuit Princeps benignissimus, & tanquam Advocatus Seccovienſis, quatuor mansus Sclavonicos in villa juxta *Græce*, antehac a nobilis cujusdam de Urle uxore, Juditha (de quibus v. annot. dipl. 6.) donatos Reginwardo, & vicissim quosdam agros Reginwardi in *Huzenbüchele*, ac mansum in *Sachendorff* &c. Seccovienſibus dedit; mansus illi Sclavonici juxta Græcium, nomen traxerint a Sclavis Styriam olim inhabitantibus. Idem hoc diploma, & integrum quidem, mihi Seccovio tardius communicatum inter mea refero num. 85. in eo tamen mansus Sclavonici in *Trasmesdorff juxta Græce* siti dicuntur.

Reginward. cubicularius Ottocari V. *Juditha de Urle.* *Utzenbichel Seccovienſ.* *Sclauonici mansus juxta Græc.*

1. Testis *Chunrad de Murce* citatur, ignotus, nec alius præter eundem, & *Bacherum de Murze* circa an. 1261. in dipl. Göss. 49. reperitur, an a fluv. *Muerz* traxerit nomen vel aliunde, hactenus non comperi.

Chunrad de Murce. *Bacherus de Murce.*

2. *Gotto*, *Hartvvich*, *Marchvvard*, *Thiemo de Leuben*. Urbem Styriæ Leobium, uti & Dynastas Leobienses Differt. 1. & ad an. 1004. expositi. Quamplurimi cum Lazio & authore Lexici univers. Basileens. toparchas Leobienses cum Comitibus de *Hochenvvard* & *Schrobenhausen* confundunt, quibus tamen assensum non præbui. Plurima de hac urbe præstat nobis Anonym. Leob. apud Hier. Pez tom. 1. fol. 831. quæ Differt. 1. omissa fuerunt, ad annum 1215. sequentia refert: *Hic Imperator*

Gotto. Hartwic. Thiemo de Leuben. *Leob. urbs Styr.* *Leobienſes dynastæ antiid. cum Com. de Hochenward & Schrobenhausen.*

Leobii urbis memorabilia.

rator anno ab incarnatione Domini 1238. *tranſit per Leuben civitatem Styriæ* &c. ad an. 1268. *Hoc tempore Leuben civitas Styriæ transplantata eſt verſus Aquilonem propter montem, qui verſus meridiem eandem tangebat civitatem, ex quo muniri non poterat.* Anno 1281. agit de Conventu Prædicatorum in Leuben primum recepto, & an. 1284. de confirmatione ejusdem, *cum eodem anno antea in quadrageſima, ipſa domus fratrum in Leuben a proprio igne omnino eſt exuſta.* Ad an. 1304. de Bened. XI. Papa adhuc legato Hungariæ ait: *& in reverſione legationis idem Benedictus in Leuben pernoctavit an Dom.* 1303. *& eodem anno in Papam eſt electus.* An. 1309. *Iſto anno Leoben civitas Styriæ a proprio igne fere per totum eſt exuſta.* An. 1316. *Eodem anno per plura regna, pecora bovina valde communiter ex peſtilentia moriebantur, & inundationes inauditæ, & inopinabiles ſunt ortæ, ita quod in terra Styriæ Mubra fluvius* 14. *pontes deſtruendo evertit, & niſi iſte in Leoben cum paucis aliis remanſit.* Anno 1340. *Eodem anno in terra Styriæ inter Pruckkam & Levvben in montanis in vigilia S. Lamberti Martyris in autumno cecidit gramdo tam magna, quod apparuit in montibus ſicut nix, & in craſtino S. Lamberti adhuc bene videbatur de planitie.* Hæc & plura alia Anonymus Leobienſis, de quibus alibi. Unde falſum videtur, quod refert author Lexici Baſileenſ. *Conradum* Epiſc. Friſing. ultimum ex familia Comitum de *Hochenvvard & Schrobenbauſen* eam urbem Bernardo Duci Carinthiæ vendidiſſe, quæ dein cum Carinthia domui Auſtriacæ obtigit, nam id referre non omiſiſſet hic author, & Frælichius in archont. Carinth.

Quando muniri cœpta.

Ordo Prædic. ibid. receptus

Domus ejus prima exuſta.

Bened. XI. Papa Leobii receptus an. 1303.

Leobium exuſt. an. 1309.

Peſtis boum & inundationes plures 1316.

Grando ingens ibid. an. 1340.

Conrad. Ep. Friſing. Com. de Hochenwart & Schrobenbauſen Leobium n. vendidit Bernardo Duci Carinthiæ.

Aſt quænam illa eſt familia Dominorum Leobienſium jam ſæculo 12. florentium? incertum omnino an ex illa Dynaſtarum Leobii familia deſcenderint. *Gotto*, qui primus horum jam an. 1140. in fund. Seccov. ſubſcripſit, ſecundus ordine, anno dein 1162. circiter in dipl. Admont. cod. 74 inter mea num. 25. vocatur *liber homo*, qui *Reginhardi de Tunviz* nobilis hominis loco, prædium ab eo legatum Eccleſiæ Admont. tradidit, ut v. loca cit. ad magnam ætatem perveniſſe videtur, etenim an. 1188. in dipl. Admont. 132. 136. & an. 1214. in dipl. Admont. adnotatus eſt. *Dietricus de Leuben* legitur an. 1149. in dipl. Seccov. 7. hujus ætas, ne nimium extendatur, *Ditricus ſcholaſticus de Luiben*, qui an. 1256. in diplom. Göſſenſi 39. legitur, vel a priore diſtinctus, vel non a familia, ſed ab officio loci adjectum nomen obtinuerit.

Familia DD. de Leuben,

Reginhardus de Tunviz.

Dietri. de Leub.

Hartvicus Sigeba. & Wolfkerus de Luiben.

Hartvvicus de Luiben an. 1173. cum *Sigebardo* & *Wolfkero* reperitur in dipl. Seccov. 20. inter mea num. 48.

Marchvvardus & Thiemo, hoc in diplomate notantur.

Marchw. Thiem & Cholm. lib. de Liuben.

Cholmam liber de Liuben appellatur in dipl. Admont. 80. inter mea num. 41. an. 1170.

Ottx de Liuben.

Otto de Liuben an. 1170. eod. in diplomate vocatur *Judex de Luiben*, non tamen in aliis, uti in ſupra cit. & in dipl. Admont. 82. inter mea num. 43. ex quo ſimul diſcimus liberos hos de Liuben, fuiſſe olim Miniſteriales Ottocarorum noſtrorum, cum enim *Pilgrinus de Murzhoven* ob ſuſceptum in Admont. Monaſterio filium & filiam pro horum ſtipendio ſeu dote daret prædium *Oberndorff ad Gumplarn*, Marchio Ottocarus VI. annuens, hoc ipſum prædium delegavit in manus Ottonis

DD. de Liuben olim miniſt. Ottoc. V.

Pilgrinus de Murzhoven.

de

de Liuben tradendum dicto Monaſterio, ut v. loc. cit. an. 1187. idem ſubſcripſit dipl. Göſſenſi 16. inter mea num. 72.

Wielandus an. 1173. notatur in dipl. 20. Seccov. inter mea num. 48. niſi fors *Wielandus* hic cognomine dictus Miniſterialis Ottocari ſit legendus, de quo dipl. 60. agetur. *Wigandus de Luiben* an. 1210. in dipl. Göſſ. 18. reperitur cum *Rudolfo de Luiben*, *Ortolfum* an. 1197. dipl. Admont. 45. & *Ezmannum* an. 1191. dipl. Admont. 115. exhibent, plures alii hujus familiæ tomo ſeq. referentur cum actis ſuis. *Dietmarus* an. 1300. ex Göſſ. 22. dipl. legitur. *Wielandus de Luiben.* *Wigandus de Luiben.* *Ezmannus ac Dietmarus.*

Ad Diploma 20. *Ad Diplom. 20.*

Occurrit inter chartas originarias archivii Voravienſis, etiam hæc de elevatione Eccleſiæ Dechantskirchenſis, in Parochiam, Parochia hæc antiquitate & amplitudine olim ſua, inter omnes Voravienſium Canonicorum Parochias, dempta Voravienſi facile primatum tenet, eo quod & duobus annis præcedat, ipſam Canoniæ noſtræ fundationem, & olim complexa fuerit, ipſas modernas Parochias Fridbergenſem ac S. Laurentii, ut proinde de ea, celebrato jam ejus ſexto ſæculo quæpiam promam, ſequentia expendentur. 1. Origo, fundatio, ac fundator ejusdnm. 2. Ejusdem termini, amplitudo, vetuſtas, authoritasque, utpote matricis Eccleſiæ. 3. Dos & decimæ ejus. 4. Quomodo Collegio Voravienſi obvenerit, & quomodo 5. varia ejusdem fata 6. Eccleſia, arx, domus parochialis, ac congregatio S. Barbaræ inibi inſtituta. *Dechanskirchen Paroch. antiquiſ.* *Olim mater Ec. Paroch. Fridb. & S. Laurentii.*

Et quidem primo, quod originem ejus ſpectat, ea duplex eſt, qua enim Eccleſia tantum conſideratur, *ab Ottocaro Archi-Diacono in quadam ſylva hactenus inculta, conſtructa* dicitur, qua vero parochialis eſt, originem ſuam Eberhardo I. debet Archiep. Salisburgenſi, qui eam an. 1161. probabilius ad preces fundatoris in Parochiam evexit. Cauſam ſuppeditat diploma hoc ipſum dicens: *Sicut per Dei gratiam diebus noſtris per novalium dilatationes latitudo Dominicæ crevit meſſis, ita & nos debita ſolicitudine plures operarios in meſſem mittere curavimus.* Origo proin ac fundatio primaria Ottocaro Archi-Diacono adſcribenda eſt, elevatio vero in Parochiam Eberhardo I. Archiep. Salisburgenſi. Confirmatur epocha fundationis ſeu elevationis in Parochiam ex dipl. Admontenſi num. 26. apud P. Bernard. Pez theſaur. noviſſ. anecdot. tom. 3. fol. 704. in quo idem Eberhardus I. ita loquitur: *Dedimus etiam duas manſus in villa Techantskirchen cum decimatione tota inter Laventam* (Lavenzam ſeu Laſſnitz) *& Pincam, ſicut Archi-Diaconus noſter Otaker a nobis tenet in beneficio, quam tamen ipſe uſque ad finem vitæ ſuæ tenere debet, niſi forte pro anima ſua prædictis fratribus* (Admontenſibus nempe) *velit dimittere.* Editum eſt hoc diploma an. 1159. & congruit annus Friderici Imp. & Eberhardi I., licet Indictio 9. erronea ſit, conveniens ſolum anno 1161. *villam* vocat Techanskirchen, cum Parochia nondum fuerit, atque poſt an. 1161. jam Parochia dicitur, ut v. apud cit. Pez fol. 679. & 735. *Origo.* *Fundatio*

De fundatore jam hujus Eccleſiæ quæpiam ſubjungenda ſunt; Otocarum fuiſſe Archi-Diaconum, & quidem Eberhardo I. coævum *Fundator Ottoc. Archipresbyter.*

ex adducto diplom. conſtat, aſt, ubinam Archi-Diaconus fuerit? an Marchiones noſtros contingens affinitate vel conſanguinitate? oppido obſcurum. Exſtat in bibliotheca noſtra Vorav. liber MS. continens Pſalmos David antiquo charactere exaratus, in quo legitur: eum *Otakarius Archi-Diaconus Marchioni Otakario, ille noſtræ* (hoc eſt Voravienſi) *Eccleſiæ contulit.* Codex proin hic vel a fundatore noſtro vel ejus filio nobis donatus eſt, an vero inde erui poſſit, Ottocarum hunc Archi-Diaconum de familia & genere Marchionum fuiſſe ſuſpicor deficiente omni documento potius iis notum, quam affinem fuiſſe.

Ubinam Archi-Diacon. fuerit. Ubinam Archi-Diaconus fuerit, inſinuare videtur diploma Seccov. num. 12. apud P. Frælich diplomatar. S. Ducatus Styriæ part. 1. fol. 152. in quo legitur ad an. 1161. *Ottakar Archi-Presbyter de Viſiach*, ſeu ut puto *Viſchach.* Cogebat nempe eo anno Eberhardus I. Friſaci Conventum Prælatorum, haud dubie in cauſa ſchiſmatis elapſo anno exorti, interque hos Prælatos etiam Ottocarus præſens fuit. Locus hic *Viſchach locus.* *Viſiach* ſeu *Viſchach* in Diœc. Salisburg. ſitus, diſtinctus fuerit ab illo in Auſtria loco *Viſcha* dicto, ut oſtendi Diſſert. 4. cap. 6. §. 7. Ottocarus itaque Archi-Presbyter, ſeu, ut diploma ait, Archi-Diaconus licet de loco Viſiach vel Viſchach ſe ſcripſerit, totius tamen Styriæ tum Archi-Diaconatum geſſerit, eo quod vetuſtis temporibus unus ſolum Styriæ legatur Archi-Diaconus. Idem ſubſcripſit diplomati Frider. Imp. confirmatorio hoſpitalis in Cerewald (v. inter mea num. 36.) ſed ſine loco *Ottocarus Archi-Presbyter.* Obitum ejus conſignat Necrologium Admontenſe apud P. Hier. Pez tom. 2. ſcript. Auſtr. *Obitus ejus.* col. 203. his verbis: *6. Non. Maji Otacher Archi-Diaconus*, obiit nempe, annus more veterum adjectus non eſt: ex diplomate tamen. 12. *Annus mortis.* ab Ottocaro Duce dato (v. inter mea num. 75.) eruo eum ante an. 1189. jam defunctum, cum eo in diplomate jam ſubſcriptus invenia- *Ortlieb Archipr. Viſchac. Capell. Ottoc. VI.* tur *Ortliebus Archi-Presbyter, Capellanus meus de Viſchach.*

Hæc de fundatore Ottocaro Archi-Diacono, cui etiam jus petitionis pro locando in Dechantskirchen Sacerdote contulit Eberhardus *Termini hujus Parochiæ.* I. Archiepe Salisburg. Jam de terminis & amplitudine Eccleſiæ parochialis in Dechantskirchen eſt diſſerendum; eos deſignat diploma allatum hiſce: *A proximis alpibus inter fluenta Lavenke & Tuchne* (ſeu Laffnitz & Tauchen) *uſque ad terminos Ungariæ*, ex quibus proin clare patet illud, quod an. 1168. pluribus oſtendi, Parochiæ nimirum huic, illi- *Fridberg. & S. Laurent. eidem ſubjectæ.* gatas fuiſſe modernas S. Jacobi in Fridberg, & S. Laurentii, paræcias, ammodo enim uſque ad Tucham ſolum, excurrit erecta ſæcul. 13. Parochia Fridbergenſis, cumque a proximis alpibus inter fl. Laffniz uſque ad terminos Hungariæ deducta fuerit, etiam eam partem, quam nunc Parochia S. Laurentii tenet, ſibi ſubjectam habuit. Neque mirabitur aliquis hanc eo tempore nondum adeo populoſo, Parochiæ amplitudinem, qui attenta mente perpenderit Voravienſem hoc etiam tempore Parochiam modernas S. Jacobi in ſylvis, S. Margaritæ in Wenigzell, & S. Georgii in Waldbach paræcias fuiſſe complexam.

Parochia Fridb. longe junior. Hinc nemo evincet Parochiam Fridbergenſem fuiſſe hac ſeniorem; ubi enim Parochiam Fridbergenſem quis reponet, dum Parochia Dechantskirchenſis ab alpibus uſque ad Laffniz & Tucham eſt prorogata,

ta, neque portionem Parochiæ Fridbergenſis, hanc noſtram quis exiſtimabit, ſi conſideraverit, Eberhardum I. hoc in dipl. apertis verbis teſtari: *Eccleſiam Techantskirchen nullius Parochiæ terminis adhuc modo quolibet attinentem fuiſſe.*

Honorem ſenii inter Parochias Voravienſium (ſi Voravienſem ipſam demas) nemo ei negaverit, cum duobus annis ante Canoniam Voravienſem fuerit fundata, & reliquæ Voravienſium Parochiæ poſt collegiatam primo emerſerint. *Vetuſtas hujus Parochiæ.*

Vetuſtatem hanc confirmat authoritas & honor matricis quondam Eccleſiæ Dechantskirchenſis, quem ex diplomate & privilegio Friderici Archiep. Salisburg. an. 1443. die 12. Nov. dato colligimus, in quo ſequentia lego: *Cum itaque conſtet ex privilegio quondam Conradi Prædeceſſoris noſtri, Eccleſius parochiales in Voravve & Dechantskirchen, cum nonnullis bonis aliis, Voravvenſi Monaſterio cum omni integritate & jure eorum liberaliter fore donatas, & ſicut accepimus S. Jacobi in Fridberg, & S. Laurentii prope Fridberg Eccleſiæ, quæ olim dictæ parochiali Eccleſiæ in Dechantskirchen tanquam matrici ſubjectæ fuerant &c.* ſubjectæ ergo ambæ hæ Parochiæ Fridbergenſis & S. Laurentii fuerint Eccleſiæ matrici in Dechantskirchen, non alio certe titulo, niſi antiquitatis. Veriora hæc utique videntur, quam vulgaris illa quorundam Fridbergenſium traditio, aſſerentium urbem ſuam, ad horam fere ſeu Stögersbach uſque extenſam, & hanc Eccleſiam Dechantskirchenſem ſuam quamdam veterem Parochiam fuiſſe. *Authoritas & honor Eccl. matricis.* *Fridberg. & S. Laur. Paroch. olim filiales.*

Verum eſt quidem ex eod. cit. Friderici Archiep. Salisburg. dipl. ſæc. 15. medio, hanc Eccleſiam Dechantskirchenſem cum illa S. Laurentii *hodie*, ſeu *eo tempore* fuiſſe Eccleſiæ Fridbergenſi ſubjectam, nemo tamen inde movebitur, qui veterum rerum, locorumque pervolverit viciſſitudines: Jam omnes ſub Canonia Vorav. perſtant. *Dein Dechants. & S. Laurent. erant ſub Fridb.*

Neque illud omittendum, quod adfert diploma Chunradi Archiep. Salisburg. an. 1168. quo confirmat fundationem Vorav. & Eccleſiam Dechantskirchenſem: In eo dipl. confirmat Voravienſibus, duas Parochias Vorawe videlicet, & Techantskirchi &c. dein hæc addit: *Sane quotiescunque Archi-Diaconus vice noſtra pro debito officii ſui placitum Chriſtianitatis* (Synodum) *habere voluerit Voravvenſis Præpoſitus, in una prædictarum plebium Voravve, vel Techantskirchen ſcilicet, honeſte eum recipiat, & de his, quæ ad ſalutem animarum populi ejusdem plebis pertinent, devotus Cooperator exiſtat &c.* Ex quibus proin liquido cognoſcitur eo tempore nullam in tota vicina, quam modo Voravienſes Canonici in ſacris adminiſtrant, Parochiam præter Voravienſem & Dechantskirchenſ. fuiſſe. *Decernitur, ut Synod. fiat Voravii vel in Dechantskirchen.* *Synodus idem ac placitum Chriſtianitatis.*

Major eſt controverſia de dote ac decimis Eccleſiæ parochialis in Dechantskirchen: in diplomate fundationis hujus Eccleſiæ ait Eberhardus I. Archiep. Salisburg. *Decimas quoque dotis ejusdem Eccleſiæ ex integro illi donavimus, reliquas vero decimas jure parochiali tertia videlicet portione, eam retinere ſtatuimus.* Obſcurum eſt, fateor, quænam fuerint decimæ illæ dotis, quas Eberhardus I. donavit, non tertia pars decimarum, parochiali jure debita; fuerint ergo decimæ illæ, quas Eberhardus tanquam Archi-Epiſcopus per totam ſuam Diœceſim poſſedit; At ubinam decimæ illæ ſitæ? decimas in hac Parochia Eberhardus I. *Dos ac decimæ Eccleſiæ in Dechantskirchen.*

Archiep.

Archiep. jam an. 1159. antequam Parochia hæc ſurgeret, donavit Admontenſibus, nempe *inter Lavenzam & Pincam*, Eberhard. II. & Frid. I. Imp. easdem confirmant an. 1184. ut v. P. Bernard. Pez tom. 3. theſaur. Anecdot. noviſſ. fol. 679. imo Eberhardus II. Salisburg. Archiep. an. 1207. clare ait in dipl. Admontenſi apud cit. Pez fol. 735. Admontenſium eſſe *decimam in Parochia Techantskirchen tota.* Ex his, cum Parochia Dechantskirchenſis jam nec tertiam partem decimarum jure parochiali debitam poſſideat in omnibus diſtrictus ſui locis, cenſeo injuria temporum quacunque demum, decimas illas dotis, uti & tertiam partem decimalem, jure parochiali debitam periiſſe, atque in alios translatam, eo præſertim tempore, quo hæreſis Lutheri, irruptiones rebellium Hungariæ eam maximopere affigebant.

Colleg. Vorav. quando unita.

Collegiatæ vero Eccleſiæ Voravienſi vix fundatæ, mox unita eſt hæc parochialis Eccleſia, & quidem an. 1168. a Conrado Archiep. Salisburg. ut v. dipl. mea num. 38. imo jam antea verbotenus, ſeu vivæ vocis oraculo ab Eberhardo I. ut inſinuat dipl. Conr. cit. a quo tempore continuo eidem collegio ſubjecta fuit.

Fata ejusd. Ecc.

Antiquiſſimam hanc, & amplam olim adeo Parocham, nunc omnino tenuem effecere quamplurima, quæ ſuſtinuit, fata, quorum quæ-

1531. ſpoliata & incenſa.

piam ſubjungo. Anno 1531. Eccleſia hæc S. Stephani in Dechants. kirchen ſpoliata eſt & incenſa, quod ipſum fatum Turcarum ac adhærentium prædonum rabie duobus abhinc annis Eccleſiæ Fridbergenſi

1621. a rebell. Hungaris turb. Parochus Jac. Textor e turri præcipitatus.

& S. Laurentii contigit. Anno dein 1621. die 25. April. in illa rebellium & Luthericolarum Hungariæ revolutione *Jacobus Textor* Vicarius hujus loci meritiſſimus, ab iisdem e turri Eccleſiæ præceps actus obiit, hicque loci ſepultus quieſcit. Anno 1634. peſtis malo ſubjecta

1634. peſt. ſævit.

eſt hæc Parochia, Deo tamen propitio ultra 7. non obiere peſte, Stögerspaci unica domus Sebaſtiani Mitteregger 4. incolas, & ut ſuſpicor, omnes amiſit, quia hi per hominem peregrinum, ipſa in hac domo ſepulti ſunt, lytro ipſi 3. fl. ſoluto, omnique domus ſupellectile re-

Lutheri hæreſis eam invadit.

licta. Acceſſit peſtis malo ſerpens hinc inde venenum hæreſis Lutheranæ, quo infectos nonnullos extra cœmetrium, atque penes varias in Parochia erectas cruces ſepultas, liber emortualis hujus loci prodit, uti penes crucem ruſtici in villa dicta, ſeu Mayrhofbauern; item penes crucem der Mayrhöfer jam in Parochia Fridberg. in Edenſchachen extra Eccleſiam S. Sebaſt. etiam nunc in Parochia Fridberg; penes crucem der Wiſenhöfer in Parochia nunc Fridberg. quæ mihi non inanem, ingenerant ſcrupulum, Parochiam hanc ſæculo etiam priore longe latiores, ac nunc terminos habuiſſe.

An. 1683. dum Turcarum furor Viennam extremis urgeret anguſtiis, prædonumque manus aſſociata, varia terris noſtris damna inferret, quidam notiſſimus fur ex Grobenſchachen pecorum inſignis abactor, in Parochia hac deprehenſus, a ruſticis mactatus, atque in loco dicto, des Reiterer Graben a lictore Thalbergenſi ſepultus eſt.

Eccl. ad eis Thalbergæ Eccl. Dechantsk. filia.

Thalbergæ (arx eſt notiſſima, cujus Eccleſia, filia eſt Parochiæ huj.) antecedente etiam tempore demoratos fuiſſe religioſos Soc. Jeſu exhibet in inſcriptio Thalbergenſis hujus tenoris, *qVanDo GræCII VIgebat peſtIs, atVe arX ThaLberga MathesI;* & liber mortuorum hujus Parochiæ,

chiæ, in quo lego 28. Junii an. 1683. Martinum Müllner S. J. religioſum Thalbergæ mortuum in Parochiali Eccleſia die 29. ſepultum fuiſſe. Eodem hoc tempore ob propinquorum Turcarum metum, Divina omnia Thalbergæ in Eccleſia filiali habita ſunt, ut oſtendunt liber Baptiſm. & mortuorum, quo habemus ex urbe Ginſio, Pinggafelda, Fridberga, Graffendorff, Grobenſchachen, Neuſtift, Laffniz-Kogl, S. Laurentio, &c. varios hic reſediſſe, eorumque proles Thalbergæ baptizatas fuiſſe. Continuatus eſt timor hic ad an. uſque 1692. quo adhuc Thalbergæ conſtitutas vigilias in iisdem documentis lego, imo an. 1706. rebellis quidam Cruzius dictus, e Thalberga trajectus in Eccleſia Paroch. eſt ſepultus, an. 1708. ruſticus quidam Urbanus Payer ab iisdem conciſus in fruſtra eandem ſepulturam obtinuit, anno vero 1710. Cruzius ſimilis Thalbergæ in Carceribus vitam clauſit, ac an. 1712. Joannem Henricum Juvene, Provinciæ Styriæ equitem limitum, ſeu landſchaftlicher Gränitzreiter, Croiſpaci defunctum invenio, ex quo dein tempore majus ab his turbis ſilentium fuit. An. 1747. vicus Stögerspach pene totus exuſtus eſt. pl. de Thalberg v. dipl. 58. in Krumbachiis.

Sepulturæ.

Thalbergæ ob metum belli Turcici Divina habentur.

1747. Stögerspach exuſtum.

Eccleſia vero hæc parochialis, uti vetuſtate atque honore matricis Eccleſiæ, cæteras Voravienſium præcedit, ita ſtructura ac elegantia inferior eſt cunctis illorum Parochiis, quod ſatis hactenus enarratis merito adſcribendum; quinque habet aras, ſummam D. Stephano Levitæ & Martyri, Patronoque totius Parochiæ ſacram, dein aram S. Barbaræ, S. Apolloniæ, S. Annæ, S. Auguſtini. Adjecta eſt ante annos 10. ſacellum Lauretanum. Sepultos inibi varios lego, nullum tamen e nobilitate; ſepulchralis lapis unus ad aram S. Annæ exhibet Margaretam, natam Hueberin, atque Domini Joannis Jacobi de Neuburg præfecti in Thalberg primam uxorem puerperio obiiſſe an. 1660. ibidemque ſepultam: alter eſt in ſacello Lauret. Prænobilis Domini Joannis de Pozenhardt Præfecti in Thalberg die 8. Maji an. 1758. def. ibidemque ſepulti. Ex noſtris ſepulti ſunt D. Jacobus Textor anno 1621. uti ſupra dictum, locus ſepulturæ determinatus ignoratur. D. Albertus Joſephus Krauth 16. Maji an. 1715. mortuus, atque ante ſummam aram hujus Eccleſiæ ab A. R. P. Mathia Janſchitz S. J. & Procuratore Collegii ſepultus. D. Joſ. Ignatius Egger prope aram S. Barbaræ ſepultus, & mortuus an. 1722. die 27. Aug. cujus Prænobili D. Parenti, alteri pene hujus loci fundatori, domus moderna parochialis egregie ſtructa originem ſuam debet. Præter hos ſepulti ſunt etiam hic A. R. P. Joannes Pals e S. J. an. 1704. Thalbergæ mortuus, & R. R. M. Martinus Mülner ejusd. S. J. an. 1683. ibid. mortuus, atque in hac Eccleſia ſepultus.

Eccleſia & ara.

Sepulturæ.

Unum adhuc ſupereſt, congregatio nimirum S. Barbaræ V. & M. an. 1678. die 8. Febr. hac in Parochia authoritate Apoſt. Innocentii XI. Pontificis max. inſtituta per A. R. D. Laurentium Civithall, SS. Theol. Doct. ac Dec. Vorav. ſub Dom. Leonardo Neupauer Canon. Vorav. ac loci hujus Vicario, aderant ſolennitati huic Domini Georg. Pratſch, Vicarius tum Fridbergæ, & Auguſtinus Feldhoffer Vicar. ad S. Laurentium, Andreas Denck Can. Reg. Voravienſ. Bullam promul-

Congregatio S. Barbaræ V.

gavit Papalem & Congreg. præſentibus Parochianis inſtituit præcitatus D. Laurentius Civithall. Plura per decurſum dicta ſunt.

Ad Dipl. 21.

Ad Diploma 21.

Beneficentiam Ottocari V. fundatoris Vorav. hactenus ſatis oſtendi nominatim Admontenſibus exhibitam, hoc circiter an. 1162. alpem ſuam Scobern verſus caſtrum ſuum *Eppenſtain* in Carinthia ſitam, omni cum jure eisdem aſſignavit. Eppenſtein caſtrum vetus olim Carinthiæ, jam Styriæ ſuper. rudera ſua penes Judenburgum urbem oſtendit, ut Diſſert. 4. in Ottoc. V. dictum. De familia Eppenſteinia inferius redibit mentio. Caſtrum *Gruſcarn*, e quo diploma datum, fors idem cum *Grauſchar*, in quo Ottocarus V. Seizenſibus 12. modios ſalis aſſignavit, ut v. diploma Seiz. inter mea n. 59. de familia *Gruſckarn* ad diploma 63. erit mentio, teſtes ab Ottocaro adducti duplicis generis ſunt, liberi homines, & Miniſteriales.

Scobern alpes donatur Admont. ad Eppenſtein.

Caſtrum nunc Styr. ſuper.

Gruſcarn caſtr. ſcu Grauſchar.

Liber homo id. ac Baro.

1*mus* inter *liberos homines*, ſeu ut nunc dicimus *Barones*, citatur *Heinricus de Huſrucke*, & *filius ejus Chunradus*. De his v. dicta annot. dipl 2.

Rudgerus de Hagenperg.

Aux ejus nom. duplex.

2*dus Rudgerus de Hagenberch*. *Hagenberch* arx ſuperioris Auſtriæ, olim erat familiæ de *Zvvingenſtein*, ea exſtincta per Beatricem filiam Georgii, ad Dominos de *Schieſſenberger* eſt devoluta, cujus filius Joannes an. 1514. eam vendidit Dominis de *Hocheneck*, qui illam ad an. 1621. poſſederunt, inde ad Barones de *Schallenberg*, ab his ad *Maureros de Hochenſtein*, mox ad nobiles de *Wobern* devoluta, an. 1719. id poſſedit Wolfgangus Wilhelm. Andreas de *Blumenthall* ſtatibus ſuper. Auſtriæ immatriculatus. Hocheneck pag. 680. tom. 1. Excell. Wurmbr. in collect. geneal. fol. 139. caſtrum & Dominium id ſæc. 16. Comitum de *Geyerſperch* fuiſſe ſcribit, hæc arx fors in circulo infra Mainharti montem ſitum obtinet, nuncque Comit. *de Sinzendorff* ſubeſt, illa vero prior in circulo Machlandico ex edito conſpicua, & a ſtructura, amænaque vicinia, aeris ſalubritate non mediocriter commendatur, abeſt quinque horis Lincio, 3. Mathuſio, 4. Freyſtadio. Horæ dimidio ab arce diſtat celeberrima Parochia in Wartberg, quæ ſibi ſpecialem inde vendicat memoriam, quod ſola integra a Lutheri veneno perſtiterit.

Wartberg Auſt. Parochia.

Hagenperg arx ſuper. Styr.

Sed præter hæc Auſtriæ caſtra, exſtitit etiam prædium *Haginperh* in ſtyria ſuper. noſtra, ita docet dipl. Admont. cod. 63. inter mea n. 69. ubi inter prædia *in Ennsthall*, refertur etiam *pars prædii ad Haginperch*.

Malim tamen nobiles illos de Hagenberch, ex arce Auſtriæ, quam Styriæ derivare, eo, quod hi non inter Miniſteriales Ottocarorum, ſed inter *liberos homines* referantur; his proin exſtinctis arx ea ſuper. Auſtriæ ad DD. de Zwingenſtein, indeque ad alios fuerit devoluta. Pauci veterum horum Dominorum de Haginperch reperiuntur in antiq. monumentis, nec ultra hoc ſæculum 12. multum perduraſſe videntur.

Rudgerus hoc dipl. citatus, adducitur etiam teſtis an. 1162. in dipl. Admont. 74. inter mea num. 25.

Herrandus de Hagnnperch.

Herrandus in dipl. Admont. 77. inter mea num. 28. ad an. 1162. ac an. 1163. in dipl. fundat. Vorav. inter mea num. 32.

Caro-

Carolus Pater cum filio *Svvicardo* in dipl. Adm. 66. inter mea 70. an. 1186. & *Svvircardus* ſolus in dipl. Adm. 63. inter mea n. 69. an. 1186. *Carolus & Swicardus.*

Ex Miniſterialibus vero ipſius Marchionis occurrit

1mus *Otto de Haſelbach*, de quo v. annot. dipl. 6.

2dus *Herrandus Judex de Ennsthall*, hunc ego non nobilem vel Dynaſtam, ſed Judicem totius territorii Anaſinæ vallis fuiſſe colligo, quales ſæpius hujuscemodi actis teſtes adhibiti fuerunt. Erant tamen nobiles dicti de Ennsthall, uti ex dipl. Göſſ. 57. *Kunegundes de Ennſthall* ſoror *Henrici de Uts*, v. annot. dipl. 48. *Herrand. Jud. de Ennsthall.*

3tius *Otaker de Schlierbach*, de quo v. annot. dipl. 6.

4tus *Adalbero de Winchelaren*, in Auſtria exorta hæc familia, ab arce, & caſtro *Winkeln* nomen traxerit, quæ dein Dominis de *Gravenech* paruit: horum unus relicta Suevia Auſtriam petiit, atque ita ſibi optimis officiis animum Frider. III. devicit, ut præter alia per Auſtriam Dominia, Tachenſteinam a Cæſare acceperit, eandemque a ſuæ familiæ nomine *Graffeneggum* dixerit. Hanc itaque dirutam arcem *Winckl* Fridericus III. empti titulo ab Udalrico dicto obtinuit, ut v. Wurmbrand. collect. geneal. hiſtor. fol. 252. ubi etiam fol. 186. familiam hanc de Winckel ab Azone illo memorando belliduce, ac Auſtriæ olim ſub S. Leopoldo pincerna deducit. *Adalbero de Winklaren. Winkeln arx. Graffenegg arx.*

Genealogiam hujus familiæ Bucelinus tom. 4. fol. 256. ab an. primum 1340. orditur, cum tamen diu antea eadem jam exſtiterit, etenim citatus hoc in dipl. Adalbero jam an. 1139. in dipl. Admont. cod. num. 11. occurrit, dein an. 1163. 1168. 1188. in dipl. Admont. cod. 36. 38. 68. reperitur.

Wilhelmus, *Chunradus*, & *Sarvvin* an. 1163. dipl. Admont. cod. 35. & *Poppo* ad an. 1169. in dipl. Admont. 87. invenitur. *Adelbertus de Winkelberg*, qui an. 1186. in dipl. meo 66. citatur, an hujus familiæ fuerit? latet. Inter *Henricum Winckler* & *Dietricum* Præp. Vorav. an. 1300. contractus limitum, & controverſiæ eſt factus ſuper bona in *Mülldorff.* V. Chron. Vorav. Ab hoc Henrico omiſſis reliquis Bucelinus, ſeriem horum Dominorum Winckler circa an. 1340. & 1360. deduxit, ſed & inter hos omiſit *Weicardum & Fridericum:* primus teſte Wurmbrand. in laudo quodam de an. 1344. ſubnotatus legitur, alter eod. teſte fol. 265. circa an. 1362. inter officiales Auſtriæ ſcriptus eſt his verbis: *Fridericus Dominus de Winckel. Anna* filia *Weichardi* uxor fuit *Ottonis II.* de *Liechtenſtain.* v. annot. dipl. 47. *Wilhelm. Chunradus, & Sarwin Poppo de Wincklaren. Adalbert. de Winkelberg. Henr. Winkler. Weicard. & Fridericus.*

An vero ab his deſcenderint *Joannes Winckler* an. 1547. Judex curiæ in urbe Styra, ac *Mathias* an. 1587. in homagio Rudolfo Cæſari præſtito Centurio, uti & *Thomas*, qui Lutherum ſequi, ac deſerere Patriam ſuam an. 1601. voluit? ignoro; Bucelinus cit. teſtatur, *Wilhelmum Winbler* ultimum huj. fam. Græcii juvenem obiiſſe an. 1551. *Joan. Winkler. Mathias & Tho.*

5tus *Bernhard de Stutarn*, nobilis hæc familia inter Miniſteriales Otocari relata; unde nomen ſuum, ac quæ prædia poſſederit? nondum reperi. Interim nobiliſſima fuerit, cum Udalrici & Gerunci ſoror, uxor fuerit *Marquardi de Stabremberg*, ut mox dicetur. Bernhardus hoc in diplomate citatus, reperitur etiam an. 1162. in dipl. meo 24. Admont. 73. ac an. 1160. in dipl. Admont. 68. & 132. ad an. 1188. *Bernhard. de Stutarn. Marquard. de Stabremberg.*

Udalric. & Gerunc. & Stutarn. Sundermaningen trædium.

Udalricus & Gerunch de Stutarn fratres, de quibus diploma Admont. 81. inter mea num. 42. ita habet: *hujus prædii (Sundermaningen* a Marquardo de Starkenberch Admontenſibus dati) *abdicationem omnimodam fecerunt fratres uxoris ejus* (ſeu Starkenbergii, quæ proin de hac familia fuit) *Udalricus & Gerunch de Stutarn in urbe Graeze &c. coram Domino ſuo Marchione.* Udalricus in dipl. meo 87. ad an. 1173. & Gerunch ad an. 1181. & 1186. ex dipl. meis 54. 69. 70. invenitur. ad an. vero 1188. ex dipl. meo 74. legitur poſt Gerunchum, *Rapoto miles ejus*; ex quibus proin magna eorum nobilitas & potentia agnoſcitur.

6tus Pilgrinus ſine cognomine adjectus eſt.

Ad Dipl. 22.

Ad Diploma 22.

Bernard. de Erlach.

Bernardi de Erlach Miniſterialis defuncti *Com. Ekkeberti de Putine* liberalitatem in Amontenſes adduxi jam in annot. ad diploma 14. ad an. 1162. Idem tamen hoc diploma confirmat, & ſupplet MSS. geneal. Vorav. quod inter tres Principes, quorum bona Ottocarus V. hæreditate obtinuerat, negligit *Ekkebertum Comitem de Putene.* Sed Diſſert. 4. in Ottocaro V. eam lacunam ſupplevi ex Haſelbachio, hoc vero diploma Admont. num. 69. id manifeſtius declarat his verbis: *Cui Ottocaro V. hæreditas Comitis nempe* Eggeberti de Putine, *per mortem ipſius acceſſit, vel conceſſit.* Hac in traditione præſentes fuerunt.

Ekkebert. de Putine.

Rapoto de Schwaldorf.

1. *Rapoto de Svvaldorff*, unicus hujus ignotæ familiæ; Rapoto etiam ad an. 1188. in dipl. Admont. 69. 79. occurrit.

Henricus de Schwarzaha.

Arx Schwarzach

2. *Henricus de Svvarzaha*, familia hæc quidem deducenda eſt ex moderna Auſtria inf. etenim in circulo infra ſylvam Vien. ſito, exiſtit arx pulchra *Svvarzach* dicta ad rivum cognominem recens exſtructa, nunc Comitum de Wurmbrand lineæ Auſtriacæ: ex hac proin arce recenti veteres hos Dominos derivare vereor, quorum unicus hic Henricus ex veterum diplomatis ſe prodit. Henricus enim hic ad an. 1163. in dipl. fundat. Vor. inter mea num. 32. item an. 1143. 1182. & 1184. in dipl. meis n. 87. 58. 61. ſe prodit. In dipl. meo 36. ad an. 1166. hoſpitali in Cerewald 3. manſus contuliſſe legitur. Cætera latent.

Luipold. Troje.

3. *Luipoldus Troje*, nobilem hanc Pommeraniæ in arce Woldenberg ſæc. 10. exiſtentem familiam, & præter hanc, aliam etiam Comitum de Troje ſæc. 13. in Tyroli ortam ſcribit Lexicon univ. Baſil. Lazius de migr. gent. lib. 6. fol. 193. *Albertum a Troja* circa an. 1280. hæreditarium Aquilej. Patriarchatus Pincernam, *Ottonem* circa 1300. *Udalricum* & *Henricum* anno 1360. *Rudolfum* vero & *Joannem* anno 1400. poſtremos hujus generis fuiſſe ſcripſit. Certum illud, eos e numero Miniſterialium Marchionum Styriæ fuiſſe, nam in dipl. Admont. 79. inter mea num. 30. idem *Leopoldus* cum manu & licentia Domini ſui Marchionis tradidit Monaſterio Admont. circa an. 1162. loca curtium duo ad *Wolfeſol*, & dimidiam huebam ſylvæ, hanc ut redimeret denuo, emit a quodam homine, ſubdito ſuo, vineam in *Potſchach*, eamque dedit Monaſterio Admont. pro dimidia huba illa, ex quibus hos Dominos bona in Auſtria poſſediſſe arguo.

Albertus. Otto, Udalric. Henr. Rudolph. Joannes.

Gerardus de Gliſenveld.

4. *Gerardus de Glizenveld*, & hic Miniſterialis Ottocari V. & bona in Auſtria poſſedit; nam ex dipl. Admont. 75. inter mea num. 26. patet,

hunc

hunc Gerhardum *potenti manu Domini ſui Otagrii Marchionis de Styre* tradidiſſe Monaſt. Admont. vineam & curtis locum *ad Potſchach*, cum dimidio manſu, & manſum *ad Fuſtriz* ſeu Feuſtritz in Auſtria, pro filia ſua in eod. Monaſterio ſuſcepta. Idem Gerhardus in dipl. Admont. 78. inter mea num. 29. dicitur Pater *Luitpoldi de Neittesbach*; unde ſecundis nuptiis ſibi junxerit relictam viduam de Neidesbach: adducuntur ibidem etiam homines ſeu ſubditi ipſius. Præter hunc *Werinhardus* ex dipl. meo 87. ad an. 1173. videtur.

Luitpold de Neitespach. *Weriubardus de Glizenveld.*

5*tus*: *Gerardus junior de Putine*, v. annot. dipl. 4.

6*tus*: *Luipoldus de Neittersbach*, privignus Luipoldi Troje, ut ſupra dictum. Cætera vero de eodem ignota. Plura ad diploma 29. & 36. in Neitbergiis.

Luipoldus de Neitespach.

7*mus*: *Otto de Stubenberch & fratres ejus Gotſcalcus & Wulfingus.* V. annot. dipl. 4.

Ad Diploma 23.

Ad Dipl. 23.

Continet hoc diploma donationem Admontenſi Monaſterio factam a Meginhardo Miniſteriali Ottocari V. Marchionis de Styra, & Camerario Marchioniſſæ, ut ex ſubſcriptione ſeq. diplomatis patet. Meginhardus hic omnimode in proprietatem tradidit Admontenſibus, etiam ſi hæredes haberet, prædium ſuum in Hützendorff, donationem hanc cum licentia Ottocaei factam, tradendam commiſit nobili viro *Adalramo de Urle*, de quo num. 6. & 19. inter diplomata mea dictum eſt. Meginhordi cognomen adjectum non eſt. Teſtes erant

Hüzendorff prædium. *Adelramus de Urle.*

1*mus*: *Richerus de Everdingen*, de quo v. annot. ad diploma 13.

2*dus*: *Hartnidus de Orth*, v. annot. ad diplom. 13.

3*tius*: *Gotſcalcus de Dirnſtein*, v. annot. diplom. 7.

4*tus*: *Otto de Chapfenberg*, v. annot. diplom. 14.

5*tus*: *Dietricus de Oſſendorff*, & frater ejus *Rudolph.* ignotæ familiæ, nominis & loci, nec alibi hactenus apparuerunt.

Dietricus & Rudolph de Oſſendorff.

Dietmarus de Pirchache. Pircam villam in Styria juxta *Guetenberg* caſtrum, exſtitiſſe inſinuat diploma Göſſenſe 11. inter mea 71. *Pirca locus cum Parochia* in Styria ſuperiore exiſtit, a quo vero loco hi Domini ſe ſcripſerint? ignotum: præter Dietmarum Adalbero etiam in dipl. Admont. 37. ad annum 1163. invenitur.

Dietmar. de Pirchache & Adalbero. *Pirca locus duplex Styriæ.*

7*mus*: *Dietmarus de Cluſe. Cluſen* arx Auſtriæ ſuperioris ad fluv. Styram tribus milliaribus ſupra urbem Styrenſem, monti inædificata viſitur, ex qua in Styriam aditus præcludi & admitti facile poteſt, *Claus* vulgo dici ſolet, nunc Comitum *de Salburg*, hac ab arce nomen & ortum ſuum habuerint Domini de Cluſe, quorum duos ſolum invenio *Dietmarum & Etichum* in dipl. Admont. 132. an. 1188. circiter.

Dietmarus de Cluſe & Etich. Cluſen arx.

8*vus*: *Fridericus de Misdorff*, puto legendum *Mirſtorff*, vel *Mireſtorff*, de quibus jam locutus ſum in annot. ad dipl. 7.

9*nus*: *Heinricus de Donchenſtein*, ſeu *Dunkenſtain*, v. annot. dipl. 7.

Ad Diploma 24.

Ad Dipl. 24.

Ota *de Olispurch*, cum filiam ſuam Adalhaidem in Monaſterio Divino mancipaſſet obſequio, eidem cœnobio, curtem unam juxta

Ota de Olispurch & Adelh. fil. Adm. Monaſt.

fluvium *Cremeſe* ſeu *Cremſam* donavit, *cum voluntate Domini ſui Marchionis Otagrii de Styra*, atque manu ſua ſuper altare S. Blaſii obtulit. Altera hujus Otæ filia erat *Juditha*, uxor *Guntalmi de Viſcarn*, filius vero *Adelramus de Olispurch*; qui dein omnes idem prædium refutarunt in manus Godefridi Abbatis Admontenſis. Eos in moderna Auſtria bona ſua habuiſſe, fluvius Crembſa, ac ſub dominatione Ottocari fuiſſe, hujus conſenſus docet. Inter teſtes traditionis memorantur

Juditha de Olispurch uxor Gunthalmi de Viſcar. Adelr. de Olisp.

1mus: *Heuricus de Huſruke*, de quo v. annot. dipl. 2. & 21.

2dus: *Herrandus de Ennsthall*, v. annot. dipl. 21.

3tius: *Meginhardus Camerarius Marchioniſſæ*, v. annot. dipl. 23.

4tus: *Bernardus de Stutarn*, v. annot. dipl. 21.

5tus: *Dietmarus de Pergarn*, ſeu *Bergen*, v. annot. dipl. 4. & 6.

Ad Dipl. 25.

Ad Diploma 25.

Reginhard de Tunviz.

Notitia hæc Admontenſis continet, donationem eidem Monaſterio factam a nobili homine *Reginhardo de Tunviz*, qui ſtabulariam curtem de prædio ſuo poſt mortem ſuam tradendam eidem Monaſterio delegavit, *in præſentia Otagrii Marchionis & Miniſterialium ejus.* Et ſane poſt mortem ejusdem *Gotto de Liuben* eandem etiam Monaſterio tradidit. *Dominos de Tunviz* ex numero Minaſterialium cenſere vereor, cum conſenſus & licentia Ottocari, hac in donatione non interceſſerit, ſed quonam e loco iidem Domini fuerint, ignotum mihi eſt: præter Reginhardam *Herrandus de Tunvize* traditioni Seccov. 7. an. 1149. circiter præſens legitur. Teſtes

Gotto de Linb.

Herrandus de Tunvize.

1. *Gotto de Luiben*, de quo v. annot. dipl. 11.

2. *Rudigerus de Haginperch*, v. annot. dipl. 21.

Gunthalmus de Viſcarn.

3. *Gunthalm de Viſcarn*, qui *Judithan de Olispach* uxorem habnerat, ut dipl. 24. oſtendi. Cæterum ignota hactenus eſt mihi familia, & præter Gunthalmum etiam circa 1191. Pilgrinus legitur in dipl. Admont. cod. num. 112.

Gebolfus de Paltbe. Paltenſ. vallis. Gotfridus Com. Præfectus.

4. *Gebolfus de Palte*, *vallem Paltenſem* in Styria ſuperiore, cum aqua cognomine, omnes norunt, docent eam inter dipl. mea num. 71. & 69. vallis hujus Paltenſis & Anaſinæ Gotfridum Comitem, Præfectum regium fuiſſe habet diploma 9. Göſſenſe in dipl. Ducat. Styriæ part. 1. fol. 15. ad an. 1042. An vero Gebolfus hic inde ortum & & nomen duxerit? ac quinam ejus deſcendentes, aſcendentesque fuerint? detegere hactenus non poteram.

Sigboto de Laznich. Laſſing paroch.

5. *Sigboto de Luznich*, undenam hi derivandi ſint? denuo hæreo. *Laſſing Eccleſia Parochialis* Styriæ ſuperioris collegio Rottenmanenſi unita, an prædium ſors adjunctum ejusdem nominis habuerit, non reperio, ex hac tamen familia præter hunc Sibotonem reperiuntur, *Eccard. & Guntherus de Lazn.* *Eccardus* & *Guntherus* in dipl. codic. Admont. num. 63. 66. inter mea num. 69. 70. ad an. 1186. *Guntherus* ſolus an. 1187. in dipl. Admont. 42. *Henricus* an. 1147. ex dipl. Admont. 45. & *Siboto* in dipl. Admont. 73. 74. an. 1188.

Gotfridus de Wolckerſtorff. Wolkerſtorff arx & oppidum.

6. *Gotfrid de Wolfkdorff*, puto legendum *Wolkerſtorff*, vel *Volkerſtorf*, arx eſt & oppidum Auſtriæ in circulo infra Mainhardi montem ſito, hodie hoſpitalis Cæſarei, de qua Lexicon univerſ. Baſileenſe

ait,

ait, eam, extincta sæc. 17. hac familia ad *Comites de Tilly* deveniſſe, indeque *Tillyspurg* dictam fuiſſe. Genealogiam horum Dominorum, licet Hübnerus & Lazius omittant, adfert tamen fuſe Bucelinus tom. 4. fol. 245. ſed omittit Godefridum, atque ab *Ottone* eam ſeriem orditur; cum tamen *Godefridum hunc & Rudolfum*, diploma Seccov. 1. ad an. 1140. referat his verbis: *Godfrid de Wolgereſtorff, & frater ejus Rudolf. Otto* quidem de Wolkerſtorff an. 1166. ex dipl. meo 36. videri poteſt, uti & 37. præterea an. 1189. & 1191. in dipl. meis 75. & 77. reperitur; ut proin Godefridum, Rudolfum, & Ottonem I. fratres fuiſſe credibile appareat. Series proin eorum ſic ordinari poſſet:

Tillysburg arx.

Otto, Godfrid, & Rudolf de Wolkerſtorff.

Gotfrid. *Rudolph.* *Otto I.* fratres D. *de Volckerſtorff.*

Albero I. an. 1204. *Otto II.* judex Provinc. † an. 1207. *Herman.* cœlebs.

Hermannus II. in aula Friderici Ducis. *Theodericus I.* in *Weiſſenberg* ux. n. *Ortolph. I.* † 1284. *Otto III.* 1237. ux. n. de *Robr.*

Geuta. mar. Henr. de *Polheim.* *Ortolph. II.* 1294. ux. n. de *Kemnaten.* *Henr.* 1296. ux. Sophia *de Wolfgerſtorf.* *Conradus* 1292. ux. n.

Otto IV. an. 1294. *Henricus* ux. Adelheis. *Theodericus II.* an. 1313. *Udalricus* an. 1314.

In Necrol. Admont. legitur 14. *Kal. Martii Adelhaid Laica de Volkerſtorf*, & ad an. 1204. *Ortolph & Hartnidus de Volkerſtorf*, v. tom. ſeq.

Reliquos ſequentibus tomis: Decus illuſtriſſimæ familiæ eſt *Sigiſmundus I. Archiep. Salisburg.* an. 1452. atque eödem tempore Georgius Frider. III. Imp. Conſiliarius, cujus intuitu Fridericus Imperator Volkerſtorfiæ familiæ munus hæreditarii Bandofori, ſeu Vexilliferi conceſſit an. 1467. ut v. diploma Frider. Imp. apud Wurmbrand. fol. 341. Wilhelmus ultimus familiæ hujus natus 1567. obiit 1616.

Sigiſm. de Volkerſtorff Arch. Salzburg.

7. Teſtis *Otto de Duringesdorff.* De hac familia pauciſſima invenio, præter Ottonem enim hunc *Hoholdus* occurrit ad an. 1256. tanquam proprius *Ottonis de Chamera*, de cujus matrimonio cum filia Chnullonis Miniſterialis Göſſenſis idem *Otto de Chamera* ſtatuit varia de ſucceſſione hæredum, ut v. dipl. Göſſenſe 58.

Otto de Duringedorff, & Hoboldus. *Otto de Chamera*

8. *Rudigerus*, *Svvikerus*, *Fridericus*, *Rupertus*, cognomina adjecta non habent.

Eodem vero loco & die *Cholmannus de Trevia*, ſuper altare S. Blaſii ſervum Adelgerum, & prædium ad *Zuchedol* per concambium prædii ad *Havenarn* ab *Udalrico de Græce* legati Monaſterio Admont. eidem tradit, cujus rei præter teſtes memoratos etiam *Cholmannus de Trevia* teſtimonium dedit. *Treviach* locus eſt ſuper. Styriæ juxta Muhram, in quo Admont. manſum unum & dimidium poſſederunt, teſte dipl. Admont. 63. inter mea num. 69. in quo eodem diplomate *Zuchedol* locus, & *Havenarn* in Styria infer. ſeu Marchia tum dicta, inveniuntur fuiſſe. Hos itaque Dominos de Trevia in Styria ſuper. exſtitiſſe, eosdemque cum Dominis de Trevejach arbitror. V. tom. 2. diplom. 150.

Cholman de Trevia. *Udalricus de Græce.* *Treviach locus.* *Havenarn loc.*

Præter Cholmannum etiam *Lambertus*, *Guntherus*, *Godefridus*, *Wernherus*, & *Albertus* ex dipl. cod. Admont. num. 42. ad an. 1187. & *Hermannus*

Lambert. Gunther. Godefrid. Wernherus, & Albertus.

Hermannus & Wolvrammus. *mannus* ad an. circ. 1188. ex eod. cod. num. 73. floruit. *Wolvrammus* vero de Treviach anno 1210. in dipl. Göſſenſi 18. ſubſcripſit. Diſtincti ſunt a Comitibus de Treven, de quibus alibi, forte locus hic & familia eadem cum *Trevejach*, ut alibi.

Ad Dipl. 26. *Ad Diploma 26.*

Gerhard de Glizenveld. Gerardi *de Glizenveld* Miniſterialis Ottocari V. munificentiam in Admontenſes & genealogiam, jam dipl. 22. expendi. Teſtes ſolum hujus diplomatis inquirendi

1. *Odalricus de Grece* &c. v. annot. dipl. 7.

2. *Hartnidus junior*, cujus cognomen adjectum non eſt, quis fuerit? ægrius eſt dictu, inter Dominos de Greze, nullus omnino Hartnidus apparet.

SigebardStolcil. 3. *Sigebardus Stolcile*, peregrinum in rebus noſtris nomen, nec alias niſi hoc, & 74. dipl. cod. Admont. ad an. circ. 1188. reperitur.

4. *Marquardus Painbengeſt*, alias *Pembengirt*, v. annot. dipl. 4.

5. *Dietmarus de Cluſe*, v. annot. dipl. 23.

Fridericus de Mirſtorff. 6. *Friderilus de Mirſe*, ignotus etiam & ſolum in dipl. cod. Admont. num. 75. invenitur ad an. 1182. &c. Mireſtorffios dipl. 7. Murzios dipl. 19. expoſui, Domini *de Müre* occurrunt in dipl. Göſſ. 42. 43. 56. & quidem *Ditmarus*, qui filiam ſuam *Herbordo Engelſcalci de Pelſe* Miniſterialis Eccleſiæ Göſſenſis filio uxorem dedit, atque inter nobiles milites Styriæ eſt computatus.

Ditmarus de Müre. *Engelſcalcus de Pelſe* | *Herbord. filius.*

Luitpoldus de Netspach. 7. *Luitpoldus de Netspach.* De Neittespachiis dipl. 22. egi, ego, cum præter hunc Leopoldum de Netspach nullus alius, & inter Neittespachios etiam nonniſi Luipoldus occurrat, eundem fuiſſe credo, amanuenſis manui variationem tribuens: v. plura in dipl. de Neitbergiis.

Ad Dipl. 27. *Ad Diploma 27.*

Rudolfus quidam Miniſterialis Henrici Ducis Auſtriæ vendidit Admontenſibus vineam, & curtis locum apud *Wirvvilach* argenti talentis 5. prædium, dein id *Luipoldus de Putine* de Ottocari Marchionis ſuſceptum Admontenſi Eccleſiæ tradidit, Henricus primus Dux Auſtriæ an. 1156. factus præfuit ad an. 1177. unde hoc tempore diploma hoc ſignatum fuit. *Wirvvilach* fors hodie *Wirflach* locus Auſtriæ infra ſylvam Vienn. ſitus erat. Leopoldi de Putine traditoris hujus prædii memini ad dipl. 4. Teſtes erant 1. *Wolfkerus de Lanzinchirchen* cum filio ſuo Heinrico, v. annot. dipl. 14.

Luip. de Putine. *Wirwilach loc.*

2. *Gerhard de Erlach*, v. annot. dipl. 14. uti & de fratre ejus Ottone.

Chunrad. Rocco. 3. *Chunradus Rocco*, ignotus, & ut ſuſpicor, nullius nobilitatis teſtis.

Ad Dipl. 28. *Ad Diploma 28.*

Luip. de Erlach. Luipoldus *de Erlach* (de quo v. annot. dipl. 14.) Miniſterialis Ottocari V. cum ejusdem licentia ſeu potenti manu Admontenſibus dimidium manſum & 2. curtales in Parochia *Techanschirchen* delegavit, unde Domini de Erla in Styria noſtra, bona & prædia poſſederunt. Diploma hoc ante annum 1162. dari vix potuit, cum Parochiæ Dechantskirchenſis initia ex ſupradictis ad an. 1161. figantur. Teſtes:

Dechantskirch. Parochia.

1. *Engil-*

1. *Engilbertus de Gorze*, hic idem reperitur in dipl. Seccov. num. 7. ad an. 1149. & quidem ſub titulo Comitis ita: *Engelbertus Comes de Gorze*, item an. 1170. dipl. confirm. Frider. I. Monaſterii S. Lamberti apud Frælich. part. 2. fol. 278. hunc ego Comitem Goritienſem credo, cujus poſteri Albertus Palatinus Carinthiæ, & Mainhardus ac Hainricus an. 1360. in diplom. Runenſ. 50. inveniuntur. Extra Patriam noſtram, genealogias, cum non inquiram, eündem dimitto, lectoremque cupidum ad Lazium, Hübnerum, Bucelinum, ac noviſſime ad P. de Rubeis monum. Aquil. cap. 61. ablego. *Engilb. de Gorze*

Herrant de Haginperch, v. annot. dipl. 21.

3. *Otto filius Arnbalmi*, ignotus.

4. *Chunrad Niger* ſeu Schwarz, ignotus etiam, & nullius nobilitatis. *Chunrad. Niger ſeu Schwarz.*

5. *Gerhard & Otto* fratres, ſed qui? nil adjectum.

Ad Diploma 29. *Ad Dipl. 29.*

Luitoldus de Neitespach, cujus jam ad diplom. 22. & 26. mentio facta eſt, Miniſterialis Ottocari V. vineam ſuam ad *Wulfloch* pro 6. marcis, & alteram quandam vineam tradidit Admontenſibus cum licentia Domini ſui Marchionis, ea ſub conditione ut & ipſe, & uxor ejus ſepulturam in Admont obtineret; *Luipold. de Neitespach.*

Donatio & traditio hæc cum ad *Viſchach* facta fuerit Ottocaro inibi præſente, forte eodem anno 1163. evenit, quo fundationem Voravienſis Canoniæ in Viſchach fecerat Ottocarus. Teſtes traditionis huj.

1mus erat *Luipoldus Comes de Plain.* *Plajenſium* Comitum ſtirps duplex erat, una in Bajoaria, altera in Auſtria, hæc ſerius defecit, illa ſæc. 13. initio exſtincta eſt; Plejenſes Comites injurios & moleſtos fuiſſe Conrado II. Archiep. Salisburg. anno 1166. dictum eſt. In Necrolog. MS. Reverendiſſimi Capituli & Codicis membranei eod. tempore congeſti hæc leguntur: an 1167. 4. Kal. April. *tempore ſchismatis, quod Guido Cremenſis dictus Papa ſub Imp. Friderico contra Alexandrum Papam Catholicum commoverat, Plajenſes Comites Luipoldus & frater ejus Henricus ex mandato Frider. Imp. Weram contra Eccleſiam Salzburgenſem, & contra Chunradum Archi-Epiſcopum, qui ſtrenuiſſime in obedientia Catholici Papæ Alexandri fuerat, arripientes civitatem armata ſæpe manu invadunt, excommunicati plusquam per annum devaſtaverunt totum Epiſcopatum rapinis incendiis, tandem dolo, & inſtinctu eorum tota fere civitas, major Eccleſia S. Ruodberti - - combuſta eſt - - Luitpoldus autem Comes de Plan præventus ægritudine non modica, ebannitus reſtaurationem damni pro poſſe ſuo jurans, obiit.* *Luipold. Com. de Plain.* *Duplex ſtirps.* *Luip. & Henr. Com. de Plejen ſchiſmatici.* *Excommunicati damnificant Ep. Salzburg.* *Luip. Com. de Plein reſipiſcit.*

Erant ergo perſecutores Eccleſiæ Salisburg. *Luipoldus*, & frater ejus *Henricus Comites de Plejen.* Luipoldi hujus crebrior occurrit mentio, nam an. 1170. in dipl. Frider. Imp. confirm. Monaſterii S. Lamberti in diplomataria P. Frælich part. 2. fol. 279. leguntur inter teſtes ſubſcripti, *duo Comites de Plaige Leopoldus & Henricus* an. 1163. & 1169. in cod. dipl. Admont. num. 34 & 87. *Leopoldus* apparet. An. 1186. dum Ottocarus noſter Styriam donavit Leopoldo Auſtriaco iidem leguntur, v. diplom. mea num. 66. & anno 1189. iidem leguntur, v. Cremiſanenſ. anno 1189. apud Excellent. Wurmbrandium fol. 156. & dum Conradus I. Archiep. curam parochialem a Monachis S. Rud-

berti Salisburgi, transferret ad Canonicos Regulares ibidem an. 1139. legitur etiam *Luitoldus de Pleigen*, quem ego cum Luipoldo non eundem fuisse judico, cum Luitoldus dein ad an. usque 1231. legatur.

Luipoldus quando infirmatus & mortuus fuerit? non constat, post annum certe 1189. quo diplomati Cremisanensi subscripsit; quamvis vero moriturus Luipoldus satisfactionem Ecclesiæ Salisburg. juraverit, ea tamen nondum hoc tempore, sed post obitum Luitoldi facta videtur, *Luitoldus* enim hic ad an. circ. 1188. in dipl. Admont. 127. legitur, censeo vero fuisse Luipoldi filium. Hic *Leutoldus* inter alios Styriæ Proceres legatus missus est, ad Fridericum Imperatorem in Italiam pro Duce Styriæ impetrando, Veronæ cum totam æstatem egisset, ac infecto negotio rediisset, obiit, ita Chron. Salisburg. apud Hier. Pez fol. 360. ad an. 1248. defunctus erat, seu potius occisus Frider. I. bellicosus dictus, Dux Austriæ & Styriæ, ultimus e familia Babenbergensium, & quidem occisus erat 15. Junii, unde cum teste Chron. Salzb. Luitodus tanquam legatus Austriæ & Styriæ totam æstatem Veronæ egerit, id ad an. 1247. pertinebit, ut adeo an. 1248. obierit. Dispar est authoris Lexici Basileens. & Germ. Sacræ tom. 2. fol. 325. narratio, hic dicit *Leutholdum Comitem de Plain* e Palestina an. 1219. reversum, oculorum altero per sagittam orbatum Tarvisii decessisse, & cum eo Playensium fami am in Bajoaria exstinctam teste Mezgero, sicque Comitatum Plejen in Bajoaria Salisburg. Præsulem ac Ducem Bajoariæ inter se partitos beneficio impetrasse a feudo Imperii. Alter vero scribit, *Ottonem ultimum* an. 1260. bello obiisse, & tunc arcem Plejem territ. Salzb. ad Bavariæ devolutam, ejus viduam Walburgim hæredem Dominiorum Waldeckiorum nupsisse nobili suevo *Bertholdo de Rabenswald*, cujus posteris defunctis ea dominia Pruefschenkiis sunt data. Hanc sententiam non moror, authorem Germ. Sacræ quod attinet, utut iter hoc Leutoldi in Palæstinam controvertere nolim, ita quoque dicere vereor Leutoldum an. 1219. jam obiisse (nisi fors duos Leutoldos, unum Bajoar. alterum Austriacæ lineæ quis evincat) nam legatio dicta Luitoldi a Chronogr. Salisb. relata in dubium vix verti potest, præterea an. 1242. in dipl. Frider. Austriæ Ducis apud Excell. Wurmbrandium fol. 277. &c. quo *Conrado de Hyndberg* confert hæreditarium Camerarii munus, primus inter testes subnotatus est Comes *Luita de Plejen*. Unde, ut sententia auth. Germ. Sacræ subsistat, duo eodem tempore fere Luitoldi fuerint, unus postremus familiæ Bavariæ surculus, quocum ea linea defecit, & cujus ossa a D. Eberhardo II. Archiep. Salzb. & Rudigero Chymensi Episcopo Werdæ, seu in *Hegilwert* sepulta sunt, a quibus etiam ipso die idem Monasterium conservatum est, ut habet Chronicon Honorii ad an. 1231. alter vero Luitoldus Austriacus legatus dicendus est, quique an. 1248. obiit, stirps enim Comitum de Plejen in Austria tardius defecit. Cæterum cum an. 1228. teste auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 328. Idem Eberhardus II. Archiep. Salzburg. cum Ludovico Bavariæ Duce transegerit de bonis Comitum *de Mitterfil & Leutoldi de Plain* quorum uterque, quod Comitatum suum a Duce Bavariæ beneficiario nomine tenuissent, ac hæredes idoneos non reliquissent, Dux Bavariæ

Leutoldus Com. de Plejen.

Plejens. una fam. emortua.

Comit. Plejen. in Bajoar. ad Ducem Bavar. & Salzb. devoluto.

Otto Com. de Plejen.

Walburga vidua de Plejen. Bertbold. de Rabenswald.

Conradus de Hyndberg.

Fam. Austr. Com. de Plejen deficit.

Comi-

Comitatus illos tanquam Caducos manu ceperat) atque Eccleſiæ Salisb. ceſſerit commutatos pro bonis ac fundis Eccleſiæ in Altenburg. Luitoldus Auſtriacus de Plejen, ab illo Bavaro diſtinquendus videtur. In Necrol. Adm. legitur 10. *Kal. Febr.* defunctus *Luitoldus Comes Plaigenſ.*

Pabo & Engelſcalcus de Plajen, qui Eccleſiæ Seccovienſi circa an. 1202. manſum unum in *Hüzenpüchel* contulere, teſte dipl. Seccov. 31. ex Auſtriaca familia fuiſſe videntur. *Pabo & Engelſcalc de Plajen.*

Iidem Comites Auſtriaci de Plejen fundatores & benefactores fuiſſe videntur Eccleſiæ *in Styven*, in Styria noſtra ſitæ, ita enim *Conradus Comes de Pleigen* in dipl. Epiſcopii Seccov. 6. clare ait, eam Eccleſiam a parentibus ſuis B. V. M. & S. Georgio M. fuiſſe fundatam, & 10. areolis dotatam. Ea Eccleſia in *Styven*, dein an. 1248. a Philippo electo Salzb. Ulrico I. Seccov. Epiſc. eſt donata, ut v. diplom. Styr. parte 1. fol. 319. ad 322. Cæterum Comites Plejenſes in Styria etiam noſtra bona ac fundos habuiſſe circa Leybenz & Styven, diſerte docet diploma Epiſc. Seccov. 36. & confirmat etiam diploma cit. 6. Epiſc. Seccov. in quo *Herrandus de Wildonia* & H & U filii ſui fideles Comitis Conradi Plejenſis dicuntur, ob manſus nempe in Styria ſitos, & Plejenſibus obligatos. Quamvis vero in dipl. Epiſc. Seccov. 6. pro Conrado ſolum ponatur C. Dei gratia Comes de Plejen, legendum tamen eſſe Conradum, ſuadet diploma 52. cod. Admont. ad an. 1214. dum enim Græcii in Styria ageret Fridericus Dux Auſtriæ & Styriæ, Eberhard. II. Archiep. Salzb. cum eodem litem judicavit, quæ inter *Reinbertum de Mureck*, & Admontenſes exſtiterant ſuper decimis in Gammer, cui ſententiæ etiam *Chunradus Comes de Plain* ſubſcripſit an. 1260. cæſus in prælio cum Hungaris. De Gebhardo Com. de Playn & Ep. Patav. v. an. 1222. *Ecc. in Stiven in Styria.* *Conrad. Com. de Plajen.* *Herrandus de Wildonia.* *Reinbertus de Mureck.* *Gebhard. Com. de Plejen.*

Otho Comes de Pajen, qui anno 1249. diplomati Primislai Marchionis Moraviæ ſubſcripſit? unde fuerit, ignoro, nam inter nobiles de Auſtria nomen ſuum non dedit, forte ex Auſtria in Moraviam abiit. V. Wurmbrand. Collect. Geneal. 191. Hæc de Pleijenſibus Comitibus, de Henrico Comite de Plein & an. 1230. Abbate Cremifanenſi eo anno agetur. *Otto Co. de Plej.*

Gerhardus de Glizenveld teſtis, Pater dicitur Luipoldi de Neitespach. v. annot. dipl. 22. reliquorum teſtium ignotus ſtatus. *Henr. Com. Abb. Cremifan.*

Ad Diploma 30. *Ad Dipl. 30.*

Liupoldi Troje Miniſterialis Ottocari V. genealogiam & donationem conſideravi jam ad diploma diploma 22. traditio ea de bonis Auſtriæ facta videtur. Teſtes erant

1. *Rapoto de Svvaldorff.* v. annot. dipl. 22.
2. *Heinricus de Putine.* v. annot. dipl. 4.
3. *Gerardus de Glizenveld.* v. annot. dipl. 22.
4. *Gerardus Junior de Putine.* v. annot. dipl. 4.
5. *Heinricus de Lanzinchirchen.* v. annot. dipl. 14.
6. *Ebo de Putine.* v. annot. dipl. 4.

Ad Dipl. 31. *Ad Diploma* 31.

De diplomate hoc jam in Diſſert. 4. cap. 6. in Ottocaro V. §. 9. actum eſt, ubi oſtendi Ottocaro V. filium nullum Leopoldum fuiſſe, unde verba illa: *inveſtituræ teſtes ſunt Leopoldus Marchio filius meus* ex alio Ottocari IV. diplomate, in diploma hoc male fuere translata: argumenta certe ibidem allata, præcipue vero diplomata Ottocari V. & VI. ſatis aperte loquuntur, nullum Ottocaro V. filium præter Ottocarum IV. fuiſſe.

Reliqua diplomatis hujus expedio: ex hoc denuo pateſcit 1. Ottocari V. avum Ottocarum IV. & patrem Leopoldum fortem fuiſſe, 2. Advocatia Garſtenſis ita determinatur, ut ad Abbatis arbitrium exerceatur. 3. Confirmantur bona Garſtenſium nempe dos in Garſten, de qua jam dictum. Provincia illa *Gavelenz* ſita fuerit, ubi nunc eſt *oppidum Weyer*, Monaſt. Garſtenſis proprium ad fl. *Gaveleneck* aliis dictum, ad quem Ottocarus VI. duos manſus cum nemore donavit Garſtenſibus, ut v. diploma 54. tria prædia in *Cherbach* Auſtriæ loco, cum adſita curia *in Speckn* etiam adjecta ſunt, de cujus decimis loquitur diplom. 4.

Gavelenz Provincia.
Weyer oppid.

Reliqua Bavariæ loca exponere neceſſe non eſt, cum hiſtoriam noſtram non illuſtrent, id tamen inde confirmatur, quod Diſſert. 4. cap. 1. dictum, Ottocaros noſtros Bavarici ſanguinis fuiſſe, ibique plura prædia habuiſſe.

Teſtium nobilium & Miniſterialium cognomina adjecta non ſunt, datum vero fuit diploma in caſtro Styre, regia Ottocarorum noſtrorum an. 1163.

Ad Dipl. 32. *Ad Diploma* 32.

Diploma hoc fundationis noſtræ Vorav. Frælichius in dipl. Styriæ parte 2. fol. 307. ex originali in archiv. Collegii Vorav. aſſervato edidit primus, illud vero fuſius expoſui Diſſert. 4. cap. 6. in Ottocaro V. §. 5. 6. 7. &c. datum eſt in loco *Fiſchach* anno 1163. ad finem currente, poſt natum jam 19. Aug. ejusdem anni Ottocarum VI. Sigillum appreſſum eſt Ottocari Marchionis. v. plura Diſſ. 4. cap. 7. §. ult.

Rom. Ep. Gurc. Præſens erat in Fiſchach Ottocaro noſtro *Romanus Gurcenſis* Epiſc. Vicarius Salisburg. *Marquardus Præp. Nivenburgenſis*, ſeu Clauſtroneoburg. Can. Reg. Præpoſ. in Auſtria, *Gerhohus Reicherſpergenſis* in Bavaria, & *Wernherus Seccov.* in Styria Can. Reg. Præpoſ. Præter hos Eccleſiaſticos teſtes alii laici adducti ſunt, & quidem

1. *Adelbertus de Perge*, v. annot. dipl. 4. & 6.
2. *Adelramus de Urle*, v. annot. dipl. 6.

Luitold de Hochenſtouf, & Fridericq, Dietericus, Pabo.

3. *Luitoldus de Hochenſtouf.* Familiam hanc extra Patriam noſtram ſtatutam, ex Suevia deducendam opinor. Hübnerus enim tab. 28. *Fridericum* Baronem ad Waiblingen, & in *Hochenſtaufen* refert, attamen *Luitoldum* hunc, *Dietericum*, & *Pabonem*, qui in noſtris dipl. occurrunt, negligit. Lazius lib. 3. de migr. gent. fol. 110. Dominos & Barones *a Stoufen* in Brisgovia exſtitiſſe, & advocatos cœnobii *S. Trudberti in*

ſylva

ſylva nigra fuiſſe tradit, unumque hujus familiæ Wernherum an. 1200. Epiſc. Conſtant. adducit. Integram vero genealogiam habet Bucelinus horum Staufenſium in Brisgovia Baronum, noſtros tamen etiam omiſit. V. eund. tom. 3. fol. 264. Exiſtit etiam in circulo Hauſrug. Auſtriæ arx *Stauf*, penes Aſcha, habens jus gladii, a qua fors iidem deduci poſſent; undecunque ſint derivandi, tres eorum in dipl. noſtris occurrunt, *Luitoldus* hoc in dipl. & an. 1184. in dipl. Ottoc. VI. dato Voravienſibus, v. inter dipl. mea num. 61. *Dietericus* an. 1181. vel ſeq. in dipl. Ottoc. VI. dato Garſtenſ. v. dipl. mea num. 54. *Poppo* an. 1182. Seccov. inter mea num. 58. *Stauf arx Auſtr.* *Poppo de Hochenſtauf.*

4. *Henricus de Steinberg*, qui idem citatur an. 1184. in dipl. Ottoc. VI. Vorav. dato inter dipl. mea num. 61. Ignoti pariter generis hi Domini ſunt, aliquos eorum Necrologia manifeſtant. *Gertrudes de Steinberg* legitur defuncta 7. Id. Martii in Necrol. Runenſi, *Chunegundis de Stainberg Kal. Maji*, *Albertus de Stainperch* 13. *Aug.* & *Ortolfus de Steinberg* 10. *Kal. Octobr.* in eodem Necrol. Runenſi. Hi proin, ſi non e Styria noſtra orti, ſedes tamen ſuas inibi habuiſſe creduntur. Bucelinus tom. 3. fol. 265. eorum ſedem prope Goslariam ſtatuit, integramque ſtemmatographiam adducit, quem vide; Provinciam enim noſtram non concernit. *Heur. de Steinb.* *Gertr. de Steinb.* *Chuneg. Albert. & Ortolf de Steinberg.*

5. *Gundackar de Stainbach.* Frælichius in dipl. Seccov. 19. corrigit legendumque cenſet fors *Steinach*: ego tamen vocem *Steinbach* retinendam cenſeo, cum ſæpius occurrat, *Gundaccarus* enim *de Steinbach* in dipl. Ottocari VI. Voravienſibus an. 1184. dato denuo teſtem egit, uti & anno 1172. dum Seccovienſibus idem munificus eſſet, v. dipl. mea num. 61. & 47. *Richeza de Steinbach* an. 1175. uxor erat *Gundaccari de Styra*. V. annot. dipl. 6. *Imbrich de Steinbach* an. 1217. teſtem egit Leopoldo Duci Auſtr. in dipl. Cremiſan. ut habet Excell. Wurmbrandius collect. hiſtor-genealog. fol. 213. Exiſtit in Auſtria arx *Steinbach* an. 1708. fruſtra a rebellibus Hungaris obſeſſa: præter hanc arcem in circulo vulgo Mühl-Viertl dicto, exiſtunt etiam in circulo Hauſruggenſi duo loca *ſuperius & inferius Steinbach*, uti & locus alius *Steinbach* in circulo ſupra ſylvam Vien. ſitu, denique alia loca minoris notæ ſic dicta; ab arce fors illa nomen & ortum hæc duxerit familia. *Gundaccar de Steinbach, vel Steinach.* *Richeza de Steinbach. Gundaccar de Styra.* *Imbrich de Steinbach.* *Steinbach arx.*

6. *Rapoto de Puoten*, ſeu *Pütten*. v. annot. dipl. 4.

7. *Heinrich de Schvarzach*, v. annot. dipl. 22.

8. *Udalrich de Kanichberg*, & frater ſuus *Sigefridus*, ex Auſtria orta eſt hæc familia, & ab arce *Kranichberg* a Styria non procul remota, ſupra Parthenonem Kirchbergenſem ſita, quæ nunc Comitibus de Lamberg paret, In hac arce an. 1475. *Wolfgangus de Ztöbing*, & *Ulricus de Pöſniz* cum aliis Auſtriæ nobilibus, Frider. III. Imp. rebelles, *Joannem Wurmbrandium* contra datam fidem captivum detinuerunt, eumque nonniſi ſoluto ingenti lytro dimiſerunt, ut habet archiv. Wurmbrand. num. 148. Familiæ hujus antiquiſſimæ originem Wurmbrandius ab Azzone illo Auſtriaco derivat, exſtincta vero eſt familia hæc ante annum 1538. poſt quem Maximilian. II. Imp. *Joanni Eberhardi de Polheim* filio bona Kranichbergiæ & Eckartſaviæ familiarum emortua- *Udalrich & Sigefrid de Kranichberg.* *Kranichberg arx Auſtriæ.* *In ea Auſtr. nobiles conſpirant an. 1475. nempe Wolfg. de Zöbing, Ulricus de Pöſniz.* *Joa. Wurmbr. Eberh. & Joan. Jo. de Polheim.*

rum, feudali lege dedit, ita, tamen, ut non ea ſibi ſervare, ſed in alios, jure vaſallorum ſibi retento transferre poſſit.

Rapoto de Chranichberg. *Udalricus I.* hic, & *Sigefridus* frater inveniuntur etiam in dipl. cod. Admont. num. 62. ad 1170. & in dipl. Ottocari VI. Voravienſivus dato an. 1174. inter dipl. mea n. 61. item an. 1181. in dipl. meo 58.

Rapoto de Chrainichberg ad an. 1166. citatur in dipl. confirmat. Cerewaldenſis hoſpitalis ab Imp. Frid. I. v. mea dipl. num. 36.

Hugo de Chranichberg. *Hugo a Chrainichberg, Regulus Auſtriæ* vocatur a Lazio lib. 6. de migrat. gent. fol. 178. ſub Chunrado III. Imp. proin ſæc. etiam 12. inter an. 1138. & 1152. quibus conradus III. Romanum rexit imper.

Gertr. & Mechtild. Can. Reg. Kirchberg. *Gertrudes & Mechtildes* de Kranichberg Canoniſſæ Regulares S. Aug. erant in Parthenone Kirchbergenſi poſt an. circ. 1270. ut habent litteræ Frider. II. Archiep. Salzburg. ad Bernardum Epiſc. Seccov. apud

Kirchberg in Auſtr. Parthenon fundatio. Cl. Joan. Anton. Zunggo prodromo hiſt. Can. Reg. S. Aug. part. 2. fol. 769. immo jam ad an. 1108. vel antea quædam Domina de Kranichberg id Monaſterium fundaſſe perhibetur.

Seriem eorundem Dominorum interrumpere cogor, quoniam nec a Lazio, Hübnero, nec a Bucelino, vel Wurmbrandio eadem attingitur; præter hos invenitur *Gertrudes*, quæ non an. 1307. vel 1308. ſed an. 1347. mortua videtur, diſtincta ab illa Gertrude Can. Reg. in Kirchberg; etenim quamvis Necrologium Minoritarum Viennæ apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 475. habeat an. 1307. in correctione tamen ponitur an. 1347. cum in fine contextus ejus etiam an. 1347. exprimatur. Alia ſors Gertrudes fuerit, vel error prior continuatus, dum in eodem Necrol. fol. 514. *Gertrudes de Kranichberg* obiiſſe dicitur *in die S. Bened. 12. Kal. April.* (corrigitur MS. quod habet 14. *Kal. Mart.*) an. 1308. Gertrudes hæc maritum habuit *Hermannum de Chranichberg*, nam in cit. Necrol. dicitur de ea: *in anniverſario mariti ſui Domini Hermanni &c.* & ibid. fol. 485. 511. *in ſecundo ſepulchro D. Hermanni de Chranichberg &c.* præter hunc *Hermannum filium* habuit Gertrudes etiam *nepotem Hermannum* dictum, ut docet Necrol. cit. fol. 475. ubi eum *Domicellum* vocat, qui proin cœlebs obierit, & filius fuerit *D. Sophiæ de Chranichberg*, v. Necrol. cit. fol. 477. quæ fol. 481. *Miniſterialis* dicitur, & *Rudolfum* filium etiam habuit. *Sophiæ* ejusdem maritus etiam *Rudolfus* dictus eſt, ut v. ibid. fol. 512. *Hermannus autem nepos* Gertrudis obiit 8. *Kal. Jun.* an. 1339. v. ibid. fol. 486. Ab *Ortolfo de Chranichberg* Dietricus Præp. Vor. an. 1305. bona in Steinbach auf dem Büchl comparavit. v. Chron. Vorav.

Gertrudes de Kranichberg.

Hermannus de Chranichberg. Herman. filius & Herm. nepos.

Sophia de Chranichberg, Rudolph filius & maritus.

An. de Chranich. Agnes de Liechtenſtein & Nicolsburg. *Anna de Chranichberg* obiit an. 1357. filia erat D. *Agnetis de Liechtenſtein, de Nicolsburga*, ut habet Necrol. Minorit. Vien. cit. fol. 476. quæ obiit an. ſeq. 1358 v. ibidem fol. 509. alia *Anna de Chranichberg* virgo refertur in eod. Necrol. fol. 488. his verbis: 4. *Kal. Jul. an. Dom.* 1324. *obiit nobilis puella Anna de Chrainichberg.*

Anna Virgo de Chranichberg.

Udalricus de Chranichberg. Gyſila. *Udalricus de Chranichberg* ad an. 1362. inter Dynaſtas Auſtriæ comparuit, ut v. Excell. Wurmbrand. fol. 265. *Gyſila* filia erat Hermanni, & vidua *Reinberti jun. de Mureck.* v. tom. 2. fol. 154. 155. 156.

Fridericus de Kranichberg. *Fridericus de Chrainichberg* Regulus Auſtriæ, ſeu potentiſſimus in Auſtria nominatur apud cit. Wurmbr. fol. 146. ad an. 1385.

Agnes

Agnes de Chrainichberg probabilius uxor prima erat *Joannis de Liechtenſtein* ſæc. 14. fine, ut v. Excell. Wurmbr. fol. 202. *Agnes* alia *Sifridi de Chrainichberg* filia, uxor cujusdam Neubergii an. 1330. fundationem Voravii fecit. v. Chron. Vorav. *Agnes de Chrainichberg. Joan. de Liechtenſtein.*

Sigiſmundus de Chranichberg circa an. 1415. floruit. Wurmbr. f. 48. *Dorothea de Chranichberg* circa an. 1445. uxor erat, teſte Wurmbrandio cit. fol. 3. cujusdam Stubenbergii, quem tamen inter Stubenbergios non reperio. *Sigiſm. & Dorothea de Chranichberg.*

Waltherus Zebing de Kranichberg, an. 1450. circiter floruit, antiquiſſima inter Styros gente editus, Frider. III. Imperatori fuit acceptiſſimus, teſte Ænea Sylvio: *Viri*, inquit ille, *apud Cæſarem auditi ſunt, qui plus ſapere videbantur duo Joannes, alter Neubergius, alter Ungnadius, & Qualterius Zebinger, cum his enim Cæſar in editas Cameras ſe reducere ſolitus erat, reſque cunctas eorum conſilio gerere &c.* Zebingo huic Fridericus III. Imp. non tantum *Bernſteinenſem* ampliſſimum in finibus Auſtriæ Comitatum dedit, ſed etiam eidem ac filio *Thomæ* jus utendi inſignibus Bernſtein. conceſſit. *Wolfgangus* dein an. 1454. rebellis factus eſt, ut ſupra dixi. Zebingii hi non de familia Chranichbergenſium fuere, ſed ſolum ſe Dominos de Chranichberg ſcripſere. *Waltherus Zebing de Kranichberg Styrus, & Thomas filius. Ejus apud Frider. IV. gratia. Ampla Dominia Bernſtein &c. Wolfg. de Zebing rebellis.*

Alii ſed incertæ epochæ deteguntur ex Necrologiis variis veterum, ſic *Sifridus de Kranichberg* ex Necrol. Minorit. Vien. fol. 487. atque ex eod. fol. 504. *Domina Perchta de Kranichberg* legitur. Sifridi diem mortis detegit Necrol. Runenſe ad 8. *Kal. Sept.* ex eod. *Ortolphus de Chranichberch*, ad 4. *Kal. April. Eliſabetha* uxor *Hermanni de Chranichberg*, ad 13. *Kal. Maji* detegitur, cujus Hermanni diem obitus idem Necrolog. ſtatuit 4. *Kal. Octobr.* præterea ad 7. *Kal. Febr.* legitur *Clara* uxor *Hermanni de Chranichberg*, & Necrol. Seccov. ad 16. *Kal. Martii* ſtatuit defunctam *Mechtildem de Chränichperg.* *Sifridus de Kranichberg. Perchta item. Eliſabetha & Hermannus Clara uxor. Mechtildes de Kranichberg.*

Giſela de Chranichberg an. 1270. vidua Reinberti, tunc de Mureck Epiſcopatui Seccov. benefica fuit, ut ſuo loco dicetur. *Giſela.*

9. *Duringus de Werven.* *Werven* arx eſt, & civitas ditionis Salisburgenſis, quam an. 1077. exſtruere cœpit S. Gebehardus Archiep. Salisb. ut ſe contra inſidias Henrici Imp. tueretur, aliorumque inimicorum, cui dein Præfectum dedit ſtrenuum militem *Erneſtum de Guttrath.* Caſtrum id abſolvit Conradus I. Archiep. Salzb. Arcem eam an. 1525. tumultuantes ruſtici occupabant, quam dein an. 1561. Joannes Jacobus Archiep. e ruinis reduxit, & ad Salisb. arcis æmulationem munivit, ei ultra 50. tormenta currulia intulit, ac inſignem campanam 600. pondo æquantem in magnæ & rotundæ turris ſummitate appendit. Hos ego Dominos de Werven ex ditione Salisburg. ortos judico, atque huic fundationi Duringum adfuiſſe, de conſenſu Eberhardi Archiep. Salisb. teſtaturum; præter hunc Duringum in variis dipl. cod. Admont. citantur etiam *Chuno*, *Cunradus*, *Otto* certe in privileg. Göſſenſi 14. ab Eberhardo II. Salzb. an. 1203. dato pro Chunone de Werben legendum cenſeo Chunonem de Werven. *Duringus de Werven. Werven arx & civitas. Ejus origo, perfectio facta. Erneſtus de Guttrath. Chuno, Cunrad. Otto de Werv.*

10. *Pabo de Surheim*, hunc ſolum, atque in hoc tantum diplomate citatum, alienæ Provinciæ, ac probabilius e Salisburgenſibus adfuiſſe cenſeo. *Pabo de Surheim*

11. *Wil-*

Wilhelm de Wagingerberc, seu Wagenſperg

11. *Willebelmus de Wagingerberc.* Idem citatur ad an. 1168. in cod. dipl. Admont. num. 38. Hos ego eosdem cenſeo cum Comitibus modernis de *Wagenſperg*, qui hæreditarium munus Mareſchalli Carinthiæ in Rudolpho Comite an. 1663. acceperunt. Antea quidem ſolum *de Wagen* & equites ſunt dicti, ortumque ſuum ex Carnioliæ deſumunt caſtro *Wagenſperg* dicto, teſte enim Valvaſorio lib. 11. fol. 620. &c. caſtrum hoc avitum erat Dominorum de Wagen, qui id non ſolum poſſederunt, ſed etiam monetæ cudendæ licentiam obtinuerunt.

Equites de Wagen.

Wagenſperg caſtrum.

Andreas de Wagen.

Seriem illuſtriſſimæ hujus familiæ ab Andrea Wagen an. 1460. ordiuntur Hübnerus tab. 890. & Bucelinus, ſatisque inter ſe conveniunt, ſed anteriorem fuiſſe originem eorum documenta plura alia teſtantur faciunt. *Wilhelmus* nempe hic citatus, & *Bertholdus*, qui an. 1190. ab Ottone Epiſc. Friſing. teſtis adducitur; uti habet Lexicon univerſ. Baſileenſe. Deſcendentes a Bertholdo & Wilhelmo proximi deſiderantur uſque ad Andream; teſte Valvaſorio lib. 11. fol. 621. Balthaſar ad an. 1462. & hujus filius Bertholdus an. 1477. arcem Wagenſperg in Carniolia poſſederunt. *Bertholdum* hunc omiſit Bucelinus & Hübnerus, credendum tamen Valvaſorio, non ſolum teſti domeſtico, ſed etiam arcis Wagenſperg in Carniolia poſſeſſori, qui ex tabulis domeſticis plura videre potuit. Eodem Valvaſ. teſte an. 1586. fratres 5. *Franciſcus*, *Balthaſar*, *Chriſtophorus*, *Conſtantinus*, & *Georgius* arcem hanc ſimul poſſederunt, cuique horum aſſignatis, certo cubili, ſtabulo, granario &c. ut ex docum. domeſticis de an. 1586. videndum. Hos quinque non fratres fuiſſe docent Hübnerus & Bucelinus, ſed Franciſcum, Conſtantinum, Georgium, Chriſtophori filios, & Balthaſarem Joannis natum aſſerunt. Anno 1613. *Chriſtophorus* & *Georgius* arcem eam poſſederunt, reliqui an jam mortui, vel an terras in alias migrarint? non conſtat. An. 1630. ſolus *Georgius Wagen Baro de Wagenſperg*, eam arcem poſſedit, qui hæreditarius Mareſchallus Carinthiæ teſte Valvaſorio, quietæ vitæ gaudia anhelans in Monaſterium Auguſtinianorum Labaci obiit, relicto ipſis ſuſtentationis loco, caſtro Wagenſperc. De quo pl. Valvaſ. cit. hæreditarii tamen Mareſchalli Carinthiæ munus obiiſſe primum *Rudolfum* cenſet Wurmbrandius cit.

Bertholdus de Wagingerberc

Baltaſar, & Bertholdus de Wagenſperg.

Fratr. 5. Franc. Balthaſ. Chriſtoph. Conſtantin. & Georgius de Wagenſperg.

Georgius Wagen de Wagenſperg.

Rudolphus de Wagenſperg.

Primus, qui ex hac familia in Styria claruit, fuit *Joannes Sigiſmundus Baro de Wagenſperg* an. 1611. Locumtenens ſeu Statthalter Græcii, Lexicon Baſileenſe eum an. 1605. proviſorem Styriæ, an. 1611. vero Prætorem docet: continuarunt lineam Styriacam, *Rudolphus filius*, *Joannes* Balthaſar nepos, *Sigiſmund. Rudolphus* pronepos intimus Cæſareus Conſiliarius, cujus fratres *Franc. Antonius* Epiſc. Seccov. dein Chiemenſis, *Hannibal* miles egregius, oſtenderunt, Wagenſpergios toga, ſagoque claros, & inſula non una fuiſſe digniſſimos, reliqua in cit. author. invenientur.

Joan. Sigiſm. Baro de Wagenſperg.

Rudolph. Joannes, Sigiſ. Rudolph. de Wagenſperg.

Franc. Ant. Ep. Seccov. & Chiemenſ. Hannibal.

12. *Karolus Pincerna* cognomen adjectum non habet. Stubenbergios tempore Ottocarorum id munus geſſiſſe dixi in Ottocaro IV. ſed illo tempore Carolus nullus inter Stubenbergios reperitur. Cenſeo vero Marchiones noſtros præter officiales hos hæreditarios habuiſſe etiam alios ſemper præſentes, & miniſtrantes, cum illi in publicis ſolum actibus inſervirent. Ignotus itaque eſt hic Carolus Pincerna.

13. *Ru-*

13. *Rudegerus frater Marquardi junioris*, itidem ignotus.

14. *Godeſcalcus Skirlink* (Frælichius ponit Skirchinck) & frater ſuus *Otto*, iidem ad an. 1184. inveniuntur in dipl. Ottoc. VI. dato Voravienſibus inter mea num. 61. Ignotæ gentis & loci, nec alii eorum occurrunt. *Godeſcalcus, & Otto de Skirlink.*

15. *Herrandus de Hagenberg*, de quo annot. dipl. 21. *Herrandus de Hagenberg.*

16. *Duringus de Starchenberg*, & filius ejus *Bertholdus*, v. annot. diplom. 14.

Ad Diploma 33. *Ad Diplom. 33.*

Fallitur Frælichius, dum in diplomatario Runenſi num. 10. hoc diploma Ottocaro VI. tribuit, utpote qui primum an. præced. die 19. Auguſti natus erat, præterea, cum in hoc diplomate Ottocarus loquatur de Eccleſia Runenſi, eamque dicat eſſe locum ſepulchri Patris ſui, nempe Leopoldi Runæ ſepulti, Ottocaro V. attribuendum erit.

Aſt cur Ottocarus V. Runam dicit *locum ſuæ dormitionis?* id jam Diſſert. 4. cap. 6. in Ottocaro V. (ubi de ejus ſepultura ſuſe actum) expoſitum fuit; Ottocarum nempe dixi, ſibi nec Voravium, nec Seizium locum ſepulturæ elegiſſe, ſed Runæ voluiſſe, eodem cum patre tumulo recondi, quod vero ita factum non fuerit, cauſam fuiſſe iter in Palæſtinam ſuſceptum, ſub cujus initium, dum quinque Eccleſiis in Hungaria obiit, deportatum ac tumulatum Seizii judicabam, loco & viciniore, & e fundationibus ſuis feniore. *Ottoc. V. Runæ ſepeliri voluit.*

Hoc vero in diplomate Ottocarus V. Runenſem Eccleſiam, veluti locum, ſepulchri Patris ſui Leopoldi, ſpeciali munificentia eſt proſecutus, dum ad petitionem Gerlaci Abbatis I. Runenſis, 3. curtifera in ſuburbano caſtri Grätz delegavit exiſtens in urbe Grätz. Diploma dari debuit ante 10. Kal. Julii, quo Eberhardus Salzburg. (qui tempore dati diplom. adhuc vixit) mortem Runæ ſubiit. Teſtes

1. *Udalricus Præfectus de Graz, & filius ejus Udalricus*, v. annot. dipl. 7.

2. *Albero de Nouremberch.* Familia hæc extranea videtur, & neſcio, an non ab his Burggravii Norimbergenſes & ſubſequi Electores Brandeburgici ſint derivandi? cum Hübnerus tab. 176. eam ſtirpem a Conrado I. Com. de Zollern ad an. 1200. deducat. *Hermannus de Nouremberg* citatur etiam in Dipl. meo 70. ad an. 1186. *Albero de Nouvenberch, & Hermannus.*

3. *Hartnidus de Glanecke. Glaneckios* ad Carinthiæ nobilitatem pertinere, ac Eccleſiæ Salzburg. feudi titulo obſtrictos fuiſſe plura probant. Etenim ad an. 1190. (corrige 1193. vel tardius) ſub Leopoldo II. Duce Styriæ inter *Hildebartem Abbatem Oſſiacenſem*, & *equitem Dietericum de Glaneck* contractum initum teſtatur Megiſerus lib. 7. cap. 70. & an. 1280. in turbis illis Carinthiæ de ſucceſſione *Reinpertus de Glaneck*, pro Ottone filio Mainhardi Ducis pugnans ad Völkenmarkt occiſus eſt, qui an. præc. ſeu 1279. teſte Hundio transegit cum Eccleſia Juvavenſi pro damnis injuſte illatis ſolvere 300. marcas argenti, ſub pœna amiſſionis feudorum ſuorum, quæ poſtea Eccleſiæ aperta ſunt. Ante hos in noſtris dipl. viſuntur *Hartvicus & Ludovicus de Glanecke* ad an. 1171. & 1174. ex dipl. inter mea num. 46. & 49. Hartwicus ſolus ad an. 1172. ex dipl. meo 47. & Ludovicus ſolus ad an. 1166. dipl. meo 36. *Hartwicus de Glanecke.* *Dietricus eques de Glanecke.* *Reinpertus de Glanecke.* *Hartwicus & Ludov. de Glan.*

Pabo & Otto de Glanecke.

Pabo vero & *Otto* ad an. 1182. ex dipl. cod. Admont. num. 85.

Frowen de Ortenburc.

4. *Frowen de Ortenburc.* Jam quæpiam de origine hujus familiæ ad annum 991. loquebar; obſcura etenim eſt, nec convenit inter authores, undenam primo orti fuerint? Lexicon univerſ. Baſileenſe & Hübnerus tab. 559. orditur ſeriem ab *Ortliebo*, qui circa an. 740. in celebri pugna ad Feilenſtorf contra Carolum Martellum pro libertate Patriæ occubuit, poſt eum *Rapoto I.* an. 801. & 803. ſub Carolo M. & *Rapoto II.* ſub Ludov. Pio an. 840. vixit, & Eccleſiæ Patav. multa prædia donavit. *Arnolphus* vel *Arnoldus* ſub Carolo ſimplice vixiſſe Pariſiis, & ab eodem Comitatum Spanheim infer. Palatinatus obtinuiſſe conjicitur potius, quam ſtatuitur. Dein Hübnerus aſteriſcum figit, dicique poſſe arbitratur, *Fridericum Comitem Ortenburgicum in Bavaria* Arnolphi filium fuiſſe, qui ex Richarda uxore plura prædia in Carinthia obtinuit.

Ortliebus de Ortenburc.

Rapoto I. & II.

Arnolphus vel Arnoldus.

Spanheim Comit.

Fridericus Com. de Ortenburc.

Ulricus I. auth. lineæ Car. Rapoto III. auth. lineæ Bav. Ortenburc.

Herman. I. & Bernardus I. Duc. Carinth. Ulric. Ep. Gurc.

Frid. III. ultim. lineæ Carinth. Cath. Ortenb. ux. Ulrici Com. Cil. Comit. Ortenb. ad Cilej. dein Auſtr. devolutus.

Bucelinus & Lazius itaque, aliique veriſimilius geneſim a Fridelico dicto deducunt, qui ſæc. 10. vixit, & ex cujus pronepotibus *Ulricus I.* lineam Carinthiacam, *Rapoto III.* vero Bavaricam erexit, ut habet etiam Hübnerus tab. 560. & ſeq. aliique. *Ulricus I.* Dux Carinthiæ an. 1143. obiit, & reliquit *Hermannum I.* Ducem Carinthiæ, *Bernardum I.* etiam Ducem Carinthiæ, ac *Ulricum Epiſc. Gurcenſem. Fridericus III.* ultimus lineæ Carinthiacæ, Comes Ortenburgicus an. 1420. die 29. Martii obiit, ſicque Comitatus Ortenburgicus ob *Catharinam* ſororem, *Ulrici Celejæ Comitis* uxorem, ad Comites Celejæ devenit, qua dein ſtirpe anno 1456. emortua Comitatus hic cum Celejenſi ad Auſtriacos eſt devolutus, de quibus alibi.

Linea Bavar. Engelbert. II. Dux Car. dein Monachus.

A Rapotone III. vero linea Bavarica Ortenburgiorum cœpta eſt. *Rapoto III.* filius erat *Engelberti II.* an. 1130. Carinthiæ Ducis, dein Monachi facti, & hæc linea Bavarica hodie adhuc perſiſtens, deducitur ab Hübnero tab. 561. 562. innumerus forem, ſi integram lineæ hujus proſapiam recenſerem, eos ſolum attingo, qui ad res Styriæ illuſtrandas pertinere videntur, & quidem *Frowen de Ortenburc* hoc in diplomate notatus, nullibi alias apparet, error itaque in deſcriptione diplomatis contigerit.

Frowen de Ortenburg.

Henricus de Ortenburg.

Henricus Comes de Ortenburg expeditioni Jeroſolymitanæ cum Conrado III. Rege circa an. 1149. adfuiſſe videtur, etenim Friſaci præſens fuit, cum litem Seccovienſibus intentatam decerneret Conradus, ut v. anno 1149. & dipl. Seccov. 7. *Henricus hic Ortenburgicus*, diſtinquendus eſt ab *Henrico altero Ortenburgico*, qui eidem diplomati Dux Carinthiæ ſubſcriptus eſt, meminit Henrici Comitis Ortenburgici ad an. 1147. Lazius de migr. gent. lib. 6. fol. 184. aitque eum ab Ortolfo Archiep. Salzburg. feuda varia obtinuiſſe, ſed error eſt in Ortolfo, qui an. 1343. primum Archiep. factus eſt. Henrici hujus nemo meminit, nec Hübnerus, Bucelinus, Frælichius, nec Megiſerus.

Rapoto vel Rapold. de Ortenb.

Henr. de Ortenb.

Rapoto ſeu *Rapoldus* Engelberti II. Ducis Carinthiæ filius, & Ortenburgiorum in Bavaria Sator, cum Ottocaro V. Styriæ Marchione, primusque poſt eum ſubſcripſit donationi S. Petrenſibus Salisburgi factæ ab Henrico Auſtriaco Bav. Duce an. 1156. ut v. Bernardi Pezii cod. dipl. part. 1. col. 382. an. 1192. idem Rapoto cum fratre ſuo Henrico

bellum

bellum graviſſimum intulit *Alberto de Bogen*, ex quo tota Bavaria inferior turbata eſt. Belli cauſa erant limites, venationes, clientelæ, ſeu advocatiæ Monaſteriorum, ſævitum incendio, rapina, cædibus, in ſacros & profanos, fontes, inſontes; Rapoto nempe & Henricus frater (quem denuo plurimi negligunt) vicum ſuum Wilshofen mœnibus cinxerunt, & juribus civitatis donarunt, & ea de cauſa Monaſterium Altahenſe inferius, plusquam 200. talentorum damno onerabant. *Albertus de Bogen* advocatus ejus Monaſterii, rem & injuriam ulturus, Primislaum Bohemiæ Regulum, ſororis ſuæ *Ludmillæ* maritum, evocavit, quocum Bavaria ex una, & ab Ortenburgicis ex altera parte tam ſevere eſt habita, ut Ludovico Bavariæ Duce etiam victo, Leopoldus Auſtriæ & Styriæ Dux, cum Bertholdo Meraniæ, hodie Tyrolis Duce occurrere cogeretur, effecitque tantum, ut Comitem Ortenburgicum captum in Auſtriam deduceret, non tamen an. 1185. ut male Chron. Mellicenſe, ſed an. 1192. ſed de his plura tomo ſequenti in Leopoldo glorioſo poſt Ottoc. VI. Styriæ Ducem. Poſt an. 1198. iidem Ortenburgici teſte auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. 345. cum Wolfgero Epiſc. Patav. bello ſunt impliciti, eo nempe in Palæſtina abſente occupabant partem Epiſcopii Patavienſis, fors ob cladem & captivitatem a Leopoldo Auſtriaco illatam, redux Epiſcopus eos ſtrenue mulctavit, caſtris variis, inter quæ Graben erat, ſolo æquatis. An. 1212. teſte auth. faſt. Campililienſ. tom. 2. fol. 611. Manegoldus Patav. Ep. cum *Arberto de Bogen* fœderato, denuo in *Rapotonem Ortenburgicum* Palatinum Bav. pugnare debuit, teſte Chron. Auguſtan. Cauſam dat auth. Germ. Sacr. tom. 1. fol. fol. 357. quod Manegoldus partes Leopoldi noſtri ſecutus, adhærere Friderico ſiculo, Rapoto vero Ottoni Imp. ſed de his alibi. Id ſolum adjicio Rapotonem hunc Palatinum Bavariæ fuiſſe, atque ita ſubſcriptum cum Henrico fratre ſuo Comite de Ortenburg legi in dipl. Frid. II. Imp. an. 1230. apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 331. Eundem hunc Henricum exhibet diploma Seccov. 38. an. 1218. & quidem ante Rapotonem Comitem Palatinum Bavariæ: & Göſſenſ. 12. diploma ejusdem Frid. II. Imp. *an.* 1230. habet *Rapato Palatinus Comes, Hainricus frater ſuus Comes de Ortenburch.* Quæ de Starchando & Werigando filiis Rapatonis Ortenburgici ac Engelberti nepotibus refert Lazius, inter ſomnia relegat Frælichius ſpecimine geneal. Souneckiorum fol. 7.

Albert. de Bogen

Bellum inter eos.

Ludmilla de Ortenb. Reg. Boh.

Ortenb. bellum cum Patav. Ep. Wolgero.

Graben caſtrum.

Manegold, Ep. Patav.

Albert. de Bogen

Rapoto de Ortenburg.

Hermannus Comes de Ortenburg Archi-Diaconus Carinthiæ fuit circa an. 1169. qui dein an. 1179. Romano Epiſc. Gurcenſi mortuo a Canonicis Gurcenſibus jus ſibi liberæ electionis aſſerentibus, electus, ſed a Conrado III. Archiep. Salzb. rejectus eſt, ut v. ex membrana veteri apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 300. abrenunciavit dein juri ſuo in Gurcenſem Cathedram Hermannus pacis amore, nam an. 2187. in Synodo Leibnizenſi *Hermannus* denuo *Archi-Diaconus de Ortinburch* ſubſcriptus eſt, denique an. 1191. confirmata eſt Canoniæ Hoſpitalenſ. fundatio facta *ab Ottone Ortenburgico, cum Hermanno fratre Archi-Diacono*, ut habet Lazius cit. fundatio tamen hæc Hoſpitalenſis non Ottoni Ortenburgico, ſed Ottoni II. cognom. Largo Epiſcopo Bamberg. tribuitur in hiſtoria ejusd. collegii apud Hier. Pez to. 2. f 323.

Herm. Com. de Ortenburch Archidiac. Carint.

Electus Gurc. a Conrado III. Salzb. rejectus.

Hoſpital. Can. fundatio.

Otto de Ortenb.

Otto II. Larg. Epiſc. Bamb.

Ulric. de Orteb. *Ulricus de Ortenburc* an. 1195. ſubſcripſit diplomati Seiz. 12. apud
Herrandus de Wildonia, *Marchburg*, poſt *Herrandum de Wildonia*, & *Wulfingum de Chapbenberg*,
Wulfing de Chapbenberg. hunc etiam apud neminem invenio, niſi quod ad an. 1256. *Ulricus*
Ulricus Ortenb. Can. Salzburg. *Ortenburg. Canonicus Salisburg.* fuiſſe legatur. Megiſerus in geneal. Or-
Adelhais Abbatiſſa Göſſenſ. tenburg. Rapatonis ſororem, Adelhaidem Abbatiſſam in Göſſenſi Monaſterio primus ſtatuit, ſed incertum, documenta certe Göſſenſia nil habent, & Adelhaidem II. Abbatiſſam fuiſſe docent.

Hermannus II. *Hermannus II. Comes de Ortenburg* alter, occurrit in dipl. Göſſenſi
Com. de Ortenb. 20. ad an. 1220. in donatione Ducis Carinthiæ Bernardi, Göſſenſibus
Hainr. de Ortenburg. facta, nam primi teſtium notantur *Comes Hermannus de Ortenburch, Hainricus de Ortenburch.* Item an. 1236. in confirm. Frider. II. Imp. equitibus Theotonicis facta, Frælich. part. 2. fol. 182. & quidem, ut ait
Pop. de Peckach. diploma, inter alios *de Styra.* Præterea filiam *Poponis de Peckach* filio Hermanni Comitis de Ortenburg nuptam, habet Frælich. Souneck. ſpecimine fol. 37. diſtinquendus eſt ab Hermanno Carinth. Duce an. 1181. mortuo. Hermannum hunc MS. Chron. Styr. ad an. 1202. Prætorem Styriæ ſtatuit. v. ſuo loco.

Ulricus Com. de Ortenburg Can. Salzburg. *Ulricus Comes de Ortenburg*, Hermanni II. filius Canonicus Salisb. fuit an. 1236. quo anno in diſcordi Philippi & Ulrici electione ad inſulam Salisburg. legatus miſſus eſt Romam, a Philippo, ſed auditus a Papa, contemptim dimiſſus eſt.

Otto Com. de Ortenburg. *Otto Comes de Ortenburg*, an. 1254. ſubſcripſit diplomati Göſſenſi 36.

Fridericus Com. de Ortenburg. *Fridericus Comes de Ortenburg* in turbis illis Auſtriacis an. 1294. &c.
Ulricus Com. de Heimburg. habitis interceſſit primum pro *Ulrico de Heumburg*, dein pro *Frid. Com.*
Frider. Com. de Stubenberg. *de Stubenberg*, qui matris ſuæ frater erat, ut Matthæus Hagenus in Chron.
Ortenburgica Eliſ. ux. Wulfingi de Stubenb. Auſtriaco apud Hier. Pez tom. 1. col. 1175. Hübnerus tamen in Stubenbergiis tab. 715. *Eliſabetham de Ortenburg* uxorem *Wulfingi* Patris, hujus Friderici *Stubenbergii* fuiſſe tradit. Idem

Frider. Com. de Ortenburg. *Fridericus Ortenburgicus*, cum Dux Auſtriæ, & Archi-Epiſco-
Ulricus Com. de Heimburg. pus Salzburgenſis Rudolfus anno 1288. colliderentur, in conventu Linzenſi, cum Ulrico Heumburgio & Arnoldo Babenberg. Ep. electus eſt arbiter cauſæ turbatæ dein iterum per Abbatem Admontenſem, ut tom. ſeq. patebit. *Fridericus etiam cum Alberto de Ortenburg* pro Rudolfo contra Ottocarum an. 1276. pugnaſſe refertur a Gregorio Hageno.

Hermannus III. Com. Ortenburg. *Hermannus* jam *III. Comes Ortenburgicus* inter litigantes invicem
Conrad. de Auffenſtain. Styriæ & Carinthiæ proceres numerabatur, capita litigantium erant
Ulricus de Waltſee. *D. Conradus de Auffenſtein*, Capitaneus & Mareſchallus Carinthiæ, &
Frid. L. de Saneck. *Hermannus* hic cum ſuis ex una parte, ex altera *D. Ulricus de Waltſee*, Capitaneus Styriæ, & *Frid. Lib. de Saneck* cum ſuis an. 1331. litteræ concordiæ publicatæ Græcii die Veneris ante S. Michaelis per Albertum Ducem Auſtræ ſunt confirmatæ. Inter conditiones has tertia
Celeja ad Saneckios ab Aufenſtein venit. erat: *Celejam cum eo ſpectantibus Auſenſteinius redimendam dato Libero de*
Uti & domus Celejæ. *Saneck pretio 250. marcarum argenti, ſecundum litteras arbitrii ab Alberto*
Wulfingus de Edling. *Duce miſſas.* 4ta: *Domum quoque Celejæ amice partiuntor.* 5ta: *Si de Celeja aliquid obturbaretur, arbiter cauſæ diligitor neutri parti ſuſpectus.* 6ta: *Wulfingus de Edling, aliique de Saneckio obnoxii, etſi contra patronum ſuum pugnaverint, ſua tamen retinento.* Tab. hæ germanicæ in tabulario aulico

lico Græii exſtabant, Ladula 43. num. 2. ex his patet *Celejam* oppidum (nondum enim muris cinctum urbis jura vetera receperat) una cum arce & nobilibus in oppido habitantibus, hypothecæ titulo, Conrado Auffenſtainio fuiſſe obligatum, ex Heinburgica hæreditate. Fridericus vero Saneckius ex Heunburgica etiam natus, hanc hæreditatis portionem ab Auffenſtainio redemit, & Celejam poſſidere cœpit. *Celeja Auffenſteiniis obligata hypotheca inſtar.*

Euphemia Comitiſſa de Ortenburch conjux erat *Alberti II. Comitis Goritienſis*, & mater Alberti III. circa an. 1283. *Euphemia Com. de Ortenburg ux. Albert. II. Comit. Goritienſ.*

Otto Comes de Ortenburg, an. 1360. ſubſcripſit dipl. Runenſi 50. dato a Rudolfo IV. Archid. Auſtriæ, uti & Gyrienſi 28. ab eodem Rudolfo eod. an. conceſſo; uxor ejus *Anna* erat filia *Friderici Com. Cilej.* & ſoror Ulrici & Hermanni, ita in repertorio Auſtriaco part. 3. fol. 870. *Nominatur an.* 1376. *Otto Comes de Ortenburg & vidua ejus Anna Cilejenſis, & filius eorum Fridericus de Ortenburg.* Fridericus hic ultimus erat lineæ maſculæ Carinth. qua exſtincta Ortenburgicus Comitatus obvenit Celejenſibus, ut alibi, fallitur jam Hübnerus docens, *Annam* hanc fuiſſe *Baronem de Waltſee*. Otto hic idem an. 1362. citatur teſtis in inſtrumento confœderationis cum Ludov. Hung. & Caſimiro Polon. Regibus, ſed ſolum hoc tenore *Otto de Ortenburg*, ubi tamen notandum tempore anteriore, ſolum Dominis de ordine Dynaſtarum ſeu Herrn-Stand fuiſſe datum elogium *Dominus de* ſeu Herr von &c. quod noſtro ævo, ſine omni diſcrimine non ſolum equitibus, ſed inferioribus etiam adjicitur. *Otto Com. de Ortenburg. Ux. Anna fil. Frider. Cilej. Fridericus ult. ex Ortenburg. Anna Baro de Waltſee. Dominor. tit.*

Adelhais de Ortenburg, ſecunda uxor *Ulrici Celej.* erat poſt an. 1361. cujus filius *Wilhelmus* an. 1377. cum patruo Hermanno in Boruſſiam iter ſuſcepit. An. 1371. jam vidua erat, & litteras reverſales dedit de aſſignatis in dotm 100. marcis in Präſperg & Altenburg Styr. infer. locis, obiit an. 1391. in feſto S. Laurentii, teſte Lazio de republ. Rom. lib. 12. cap. 6. pag. 993. *Adelhais de Ortenburg. Ulricus Cilej. Wilhelm. Ortenburg. Präſperg & Altenburg Styr.*

Albertus Com. de Ortenburg, Epiſc. Trident. patruelis Friderici Ortenburgici, an. 1377. una cum hoc Friderico ultimo, in caſum mortis ſine hærede a Friderico obtento, omnia tranſcribit Comitibus Celejanis, iis ſalvis, quæ dilecta mater *Anna & Adelhaid* vidua Ulrici Cilejenſis, aliæque ſanguine aut affinitate junctæ jam poſſident, aut hiſce tabulis conſequentur. V. Frælich. ſpecim 2. geneal. Souneck. f. 72. &c. *Albert. Ortenburg Ep. Frid. Cilej. Com. hæredes Ortenburgicorum.*

Fridericus ultimus Com. ex Ortenburgicis in Carinthia, filius Ottonis & Annæ; an. 1377. ab Hermanno I. ac filio Hermanno II. & fratris filio Wilhelmo in caſum mortis horum trium Comitum hæres ſcriptus, aſt cum illi in Boruſſiam ad bellum ſacrum cum Alberto Auſtr. abirent, Fridericus vero hic ſine hærede obiret, bona Ortenburgenſium ad Catharinam ſororem, Ulrici Celej. uxorem, indeque ad Celejanos ſunt devoluta, una cum arce Ortenburg in Carinthia, a Friderico IV. Hartwici Salisb. Archiep. fratre exſtructa, ut an. 991. dictum. *Frid. ult. Ortenburg. Ortenburg ars & Dom. ad Co. Cilej tranſit. Hartwic. Salzb. Archiep. Com. Ortenburg.*

Statum Eccleſiaſticum ex hiſce amplexi ſunt Hartwicus Salzburg. Archiep. an. 991. *Hartvvicus* alius *Epiſc. Ratisbon.* ab an. 1110. ad 1126. *Hartvvicus* denuo 2. *Ratisbon. Epiſc.* ab an. 1079. 1155. ad 1164. Hübnerus 4tum *Hartvvicum* ſtatuit *Archiep. Magdeburg.* ab an. 1079. ad 1100. *Henricus Epiſc. Chiemenſ.* ab an. 1252. ad 1266. *Philippus Salzburg.* ab an. *Hartwici 2. Co. Ortenb. Ep. Rat. Hartw. Archiep. Magd. Com. Ort. Henr. Com. Ort. Epiſc. Chiem. Philip. Ortenb. Archiep. Salzb.*

1246. ad 1256. *Ulricus* Canon. Salzb. an. 1236. *Albertus Epiſc. Trident.* ab an. 1354. ad 1377.

Perduravit vero, hodieque adhuc exiſtit Ortenburgicorum linea Bavarica a Rapotone cœpta, quam fuſe deducunt Hübnerus, Bucelinus, Lazius, aliique.

Englfr. de Grez. 5. Teſtis legitur *Englfrid de Grez*, de quo v. annot. dipl. 7.

Ad Dipl. 34.

Ad Diploma 34.

Frælichius in titulo diplomatis hujus ponit annum 1165. *vel* 1164. *poſt natalem Domini*, ſed vel annus 1164. retinendus, vel ſi more veterum annus a natali Domini inchoetur, Ottoarus id diploma poſt 24. Decembris edidit, ac celebrato Seizii natali Domini, inde primo in Palæſtinam movit, ut ad an. 1164. oſtendi.

Ottocari ad Alex. P. epiſtolæ. Meminit hoc in diplomate Ottocarus V. litterarum a ſe ad Alex. III. Papam miſſarum, *legationibus miſſis*, inquit, *Apoſtolicam clementiam interpellavi.* Puſch Chronol. Ducatus Styr. part. 1. fol. 352. earum exordium e tabulario Garſtenſi refert, Frælichius vero in dipl. Garſtenſi num. 12. recitat bullam totam, & quidem, ut aliquando ex documentis Garſtenſium P. Puſchio tranſcriptam, ſed ea Alex. III. epiſtola, nec jota de Seizenſibus habet, ſed ſolum de Garſtenſibus, ut patebit ex dipl. inter mea num. 51. Eadem certe, cum litteris Ottocari V. ad Alex. III. datis non eſſe convincitur, cum illa num. 51. allata Ottocari VI. ſit, & an. 1177. data, quo Ottocarus V. inter mortales non fuit. Ludewigius tom. 4. pag. 192. num. 3. perbreve fragmentum, ſeu titulum ſolum adfert, in diplomatario ſuo Garſtenſi, male tamen an. 1080. in margine reponit.

Ottoc. V. ab Alex. III. P. coloniam Seiz. obtinet. Illud mihi indubium ex hoc diplomate videtur, Ottocarum V. Alex. III. Papæ pro transmittenda in Cartuſiam ſuam Seizenſem colonia ſupplicaſſe, eamque impetraſſe, epiſtolam tamen hanc Ottocari, vel periiſſe vel nondum juris publici factam fuiſſe.

Styria infer. ſub Ottoc. V. marchia dicta. Agit hoc in diplomate Ottocarus de fundata Cartuſia Seizenſi, & quidem *in marchia meæ ditionis*, ex quibus colligo, & *Styriam inferiorem* jam ſub Ottocaro V. fuiſſe, & eam marchiam adhuc appellatam. Locum fundatæ eremi Seizenſis pulchre deſcribit his verbis: *Eſt pagus, qui vulgo dicitur Gunivitz, in Patriarchatu Aquilejenſi, ubi ſitum eſt prædium eminentioribus montibus circumſeptum, antedicto ordini aptiſſimum, quod a Luipoldo Miniſteriali meo, legitimo concambio conquiſivi, retribuens ei 4. villas iſtas Wides, Walchen, Cobilenbach, Loncke & manſum unum in Windisken-Græze ſibi & uxori ſuæ & liberis ſuis in jus & proprietatem hæreditariam.* Emerat itaque, ſeu verius Concambio obtinuit totum prædium Gonovicenſe infer. Styriæ cum pago, nunc oppido ejus nominis a Leopoldo Dynaſta Gonovicenſi, idque totum fundationi Seizenſi attribuit, eique terminos certos diſtinxit, ut hoc in diplomate exprimuntur, cum variis privilegiis & immunitatibus.

Guniwitz. Seiz. fund. locus.

Leopoldus I. de Gonovitz. Ortolf. & Ottocari ejus fratr. Antequam jam teſtes ſubſcriptos exponam, de Dynaſtis Gonovicenſibus breviter agam; pauci horum Dynaſtarum ſe manifeſtant, *Leopoldus I.* Dynaſta, & *Miniſteriales* Ottocari V. Dominus prædii & pagi Gonovizenſis fuit. Idem non legitur ſolus, ſed cum *Ortolfo & Ottocaro*,

caro, fratribus, ad quos dein circa an. 1184. Luzius III. Papa ſcripſit, ne Seizenſibus obeſſent, ſevereque monet, ut eos infeſtare deſinant, ut v. dipl. Seiz. 6. qua de cauſa moleſti fuerint Seizenſibus hi nobiles de Gonowiz? non conſtat, certe ex dipl. Seiz. 9. inter mea num 59. iidem an. 1182. munifici in Seizenſ. fuerunt, piſcationem in *Oplonitz*, & *Treuna* integram concedendo. Idem Leopoldus ad an. 1207. in dipl. Seizenſi 14. legitur inter teſtes, ita *Otachar de Gonoviz*, *Luipoldus frater ejus*, uti & an. 1213. in dipl. Seiz. 15. cum Ottocaro fratre; forſitan Ortolfus jam defunctus erat. Dies obitus ejus in Necrologio Seizenſi legitur. *In menſe Junio fit anniv. adhuc pro Leopoldo de Gunovviz, cujus tamen nomen in vetuſtiore Necrologio deeſt.*

Moleſti ſunt Seizenſibus.

Dein munifici dando piſcat. in Oplonitz & Treuna.

Otocharus de Gunovviz præter jam citata diplomata in dipl. 21. Seizenſi, ſpecialiter beneficus his Eremitis fuit, etenim in Seizenſi Monaſterio exiſtens pro ſalute ſua, uxorum ſuarum, parentumque, duos manſus in villa Oplonitz eidem Eccleſiæ Seizenſi obtulit, teſtiumque præſentia roboravit. Idem an. 1213. exſtitit in vivis, atque Leopoldi Auſtriæ & Styriæ Ducis Miniſterialis fuit, ut v. diploma Seiz. 15. dies obitus ad 11. Nov. notatur in Necrologio Seizenſi.

Ortolf de Gunovviz, præter diplomata, in quibus cum Ottocaro & Leopoldo fratribus legitur, reperitur etiam in dipl. cod. Admont. num. 70. inter mea num. 53. ad an. circiter 1180. item ad an. 1185. in cod. dipl. Admont. num. 65. inter mea 63. ſenior videtur fuiſſe, horum fratrum, quoniam primus inter eos ſemper ſubnotatur, in Necrologico Seizenſi ad 24. Februar. Dominus *Artolphus de Gunovvitz* defunctus legitur. In eod. Necrol. ad 20. Febr. ſcriptus eſt *Duricus de Gunovvitz*, & uxor ſua, an poſterior vel anterior illis fuerit? ignoro. Exſtincta dudum hac familia, Gonovicenſe oppidum ac territorium Seizenſibus paret. De *Leopoldo II. de Gonovvitz* v. tom. 2. dipl. 25. Inter teſtes jam reliquos huj. dipl. poſt Ottocarum Marchionem.

Ortolf de Gunowitz.

Artolphus de Gonowitz.

Duricus de Gonowitz.

Gonowitz oppidum ſub Seizenſibus.

1. *Henricus Bris* legitur, P. Frælichius in dipl. Ducatus Styr. Dominos *de Bris* eosdem cum *Brueſchenkiis* interpretatur, quem ſequor: Brueſchenkii *Domini de Stettenberg* jam ſæculo 11. in Styria claruere, dein vero *Hardeckios* ſe dixere, in Auſtria domicilium figentes, genealogiam eorum ex Hübnero tab. 780. & Bucelino adfero, atque antiquis diplomatibus adjuvo, ac illuſtro:

Henr. Bris ſeu Brueſchenck, DD. de Stettenberg. Hardeckii ab illis orti.

Prueſchenckiorum Genealogia, e quibus orti Comites de Hardeck.

Sigerl Prueſchenck nobilis Styrus 1069. ad 1102. ux. *Eva Grottin.*
Ita Bucelinus, Hübnerus.

Albero an. 1147. ux. Mechtild. *de Penzenau.* Bucel. Hübner.

A. * *Henricus I.* floruit an. 1166.

Fridericus I. an. 1180. 1190. ux. Brigida *de Roſenhart.* Hübner. & Buc.

Stephanus I. 1195. 1204. ux. Benigna *de Cappel.* Ita Hübner. & Bucel.

Leopold. † ante Budweis ſepult. in Willering 1209. Hüb. Buc.

B. Henr. II. 1219. ux. Eliſab. *de Reicheneck* Hübner. Bucel.

Rudiger benef. Monaſt. Willering 1212.

Fride-

Fridericus II. an. 1236. ux. N. Dom. *de Stubenberg*, de fratribus non conſtat Bucel. teſte.

Eliſab. ux Cadelochi a *Walkenſt.* 1305. Hübner. Bucel.

C. *Udalr. I.* Alberti Auſtr. aulicus. † 1301 die 25. Dec. ux. Anna Burggr. de *Magdeburg* Comes Hardecc. Hübn. Bucel.

D. Henric. III. * 1292. diſtinctus ab Henr. II. D. caſtri Hainburg. teſte Buc. & B. Kainach.

E. Caſp. obiit juvenis ante Patr. 24. Aug. 1300. Viennæ ſepultus, Bucel. Hübn.

Jobst ſeu Jodocus I. cl. an. 1350. ux. Sibyl. de *Sandizel.* Buc. Hüb.

Cathar. Prioriſſa S. Dom. Tulnæ 1363. Buc. Hüb.

Udalric. II. cl. 1319. 1345. ux. Brigida de *Reichbeneck.* Bucel. Megiſ.

Frid. III. an. 1348. uxor N. *Küenaſtin.* Bucel. Hübner.

F. Henr. IV. Dominus in *Steinsdorff*, unicus familiæ 1379. ux. N. de *Cappell*, aliis *Rezin* vidua ſuperſtes an. 1396. Hübner. Bucel.

Hermanus an. 1404. 1430. Hübn. Buc.

G. Jobſt ſeu *Jodoc. II.* arma gentilitia auxit, ux. Eliſ. de *Roggendorff* 1453. Hüb. B.

Cath. ux. Joan. de *Wagenſpach.* Buc. Hübn.

Andreas an. 1430. Hüb. Bucel.

H. Balthaſar Præfect. in *Muereck* Styr. inf. 1452. iidem.

I. Stephanus II. D. in Stetenberg 1400. ux. Marg. *de Reicheneck.* Bucel. Hübn.

Caſpar, ux. Veron. filia Bern. *Peyerl.* Bucel. H.

K. Sigiſm. Baro I. *de Stetenberg* cum fratre creatus a Frid. Imp. dein *Comes* & ſupremæ aulæ Mareſchallus † 1502. Bucel.

L. Henr. V. Bar. dein Co. & Maximil. I. Camerar. ac Bellidux Mediol. ux. Eliſabetha de *Roſenberg.* Bucel.

Eleon. ux. Wolfg. de *Kirchberg*, an. 1489. Hübn.

M. Joannes, hunc Bucel. 1mum Com. *de Hardeck* Hübn.

Udalricus III. qui teſte ſcribit, Hübnerus vero jam Sigiſm. & Henric. emit Comit. Glaz.

Quosdam Illuſtriſſimæ hujus familiæ, notis ſuis illuſtro, reliquos fidei Bucelini & Hübneri committo.

Henr. I. de Bris vel Bruſchenk.

A. Henricus I. ad an. 1166. ſubſcripſit diplomati Seccov. 17. inter mea num. 37. & quidem *Miniſterialis Chunegundis Marchioniſſæ* noſtræ, viduæ Ottocari V. appoſui aſteriſcum, dubius enim hæreo, an frater Alberonis fuerit. Idem notatus legitur in dipl. cod. Admont. num. 71. inter mea num. 35. & legitur primus inter teſtes an. circ. 1164.

Henricus II. de Bruſchenk.

B. Henricus II. qui ab Hübnero, & Bucel. ad an. 1219. adducitur, probe diſtinquendus eſt ab Henrico III. qui an. 1292. vixit, ne ætas nimium eidem prorogetur.

C. *Udalricus I.* Auſtr. Ducis aulicus, & a cubiculis, de quo Lazius inquit: *Udalricus Prueſchenk, Alberti I. Ducis Auſtriæ ſtirpis Habspurg. aulicus, cujus ſæpe in legationibus opera uſus legitur, ditatus propterea, familiam extulit primus.* Bucelinus eum male 25. Dec. an. 1300. obiiſſe ſcribit, nam an. 1301. 4. Id. Julii ſubſcripſit, diplomati Epiſcopi Seccov. 63. ab Alberto I. Aug. Ulrico II. Ep. Seccov. dato in caſtris ante Gensheim.

Udalricus I. de Bruſchenk.

D. Henrico III. denuo aſteriſcum oppoſui, ut ab Henrico II. diſtinquatur. Hic juſſu Alberti I. Auſtriaci, Stubenbergium res novas mo-

molientem an. 1291. in arctiſſima captivitate detinuit; ex MS. Baron. Kainach. Dynaſtiam *Haimburg* in Carnis poſſedit. Eundem etiam ad an. 1287. exhibet dipl. 58. Seccov. Epiſc. inter teſtes Luitoldi Churingii. *Haimburg Dynaſtia.*

E. Caſparus hic Viennæ in Cœnobio Fratrum Minorum ſepultus eſt, ita habet Codex antiquus ejusdem Cœnobii pag. 34. *Domicellus Caſpar de Prueſchinck obiit hic ſepultus in ſepulchro patris ſui in Capella B. Catb.* *Caſp. de Prueſch.*

F. Henricus hic nomine *IV. 6.* prædia ruſtica an. 1379. vendidit *Henrico Steinbeis*, ut habet archiv. ſtatuum Auſtriæ num. 1003. *Henric. IV. de Prueſchenck, Henr. de Steinb.*

G. Jobst ſeu *Jodocus II.* teſte Wurmbrandio fol. 242. frater fuiſſet Stephani & Balthaſaris, ego ſecutus Hübnerum & Bucelinum patruum fuiſſe credo; cum prædictis duobus, caſtra Imperatoris Friderici an. 1448. ſecutus fuiſſe dicitur inter 233. Styriæ nobiles; ſpecialiaque virtutis ſpecimina edidiſſe. Refert hos nobiles Valvaſorius tom. 4. lib. 15. fol. 344. ſed de his tomo ſequenti. *Jobst ſeu Jod. II. de Prueſch.*

H. Balthaſar bello Turcico an. 1448. præſentem ſe ſtitit. Hübnerus & Bucel. Præfectum in *Muereck* Styriæ infer. ſtatuunt. *Balth. d. Prueſch.*

I. Stephanus II. etiam anno dicto contra Turcas pugnavit. Dominus in *Stettenberg* dicitur, cujus nominis arx in circulo Cilejenſi exiſtit Illmæ. familiæ Comitum de Atthembs. *Steph. d. Prueſch. Dom. de Stettenberg in Cilej.*

K. Sigiſmundus, & *Henricus* ſummo favore Frider. III. Imp. potiti, ab eodem feuda *Ruckendorfiana*, extincta maſcula probe vacantia obtinuerunt, quæ illi poſtmodum *Sigiſm. & Henr. V. de Prueſch.*

L. In favorem *Benedicti Eberſtorfii*, feudi ſupremo Domino anno 1491. iterum reſignarunt. *Sigiſm.* ab eodem Friderico Imper. ſupremus aulæ Mareſchallus, *Henricus* Camerarius, & bello Mediolan. Dux datus, ambo an. 1480. imperiali gratia Dynaſtarum Bandereſiorum, ſeu Panier-Herren ordini adſcripti ſunt, diploma exhibet Wurmbrand. citat. fol. 243. eo in diplomate referuntur ſingularia eorundem merita, & quidem de Sigiſmundo, quod Camerarius Friderici Imperatoris cum eodem Romæ fuerit, contra Ducem Burgundiæ Neuſiam (Neuß) oppugnaverit: de Henrico vero, quod in Turcarum captivitate diu detentus, magno ſe lytro liberare debuerit. Unde eisdem inſignia propria tribuit, & Sacr. Rom. Imp. Barones conſtituit &c. Eodem fere tempore Sigiſmundus Comitatum *Forchtenſteinienſem* tunc in Auſtria, modo in Hungaria ſitum pretio 24000. fl. Rhenenſium ſibi comparavit, ambo vero ſimul an. 1482. ab *Hademaro de Volkerſtorff*, arces duas *Creizen* in Auſtria ſuper. item caſtra *Zelchenſtain*, *Waſen* cum oppido *Neuhofen* 12000. aureis Hungaricis comparaverunt, Dynaſtiam vero *Schmida*, hodie familiæ avitam pignoris loco, primum a Friderico III. Imperatore dein proprio ac perpetuo jure acceperunt. Diploma Frideric. exhibet Wurmbrand. fol. 247. quo eis licentia datur metalla fodiendi in omnibus provinciis hæreditariis. Auxit divitias & caſtra eorum Uladislaus Hung. & Boh. Rex, & regiæ arcis ac Præfecturæ *Putſch* pro 7000. aureis D. de Bavon oppignoratæ, ſoluto hoc ære, reluendæ facultatem conceſſit, acceptaque 11000. aureorum ſumma caſtrum *Prochatitz* in Moravia an. 1491. Tandem cum Michael Burggrav. Magdeb. Com. de Hardeck ultimus antiq. gentis obiret, omniaque bona in Frid. Imp. tranſcriberet, illico Frider. *Bened. de Eberſtorff.* *Comitat. Forchtenſtein.* *Hadem. de Volkerſtorff.* *Caſtra Zelchenſt.* *Waſen, Neuhofen, Schmida.* *Putſch arx.* *Michael Com. de Hardeck ultimus gentis ſuæ.*

Comit. Hardeck, Teratsburg, Weiterfeld, Willerſtorff, Marchegg caſtr. Scrembs dynaſt.

Imp. hæc omnia bona, Comitatum nempe *Hardeccenſem*, caſtrum *Terasburg*, oppidum *Weiterfeld*, *Willerſtorff*, & jus venandi, ac advocatiæ, civit. & caſtrum *Marchegg*, Dynaſtiam *Scrembs*, aliaque omnia bona ſub Comitatu Hardeccenſi Wormatiæ his fratribus an. 1495. vendidit, de Comitatu inveſtituram dedit, ac inter S. R. I. Comiies aſſignavit, V. diploma Frider. apud Wurmbr. fol. 249. Præter hæc bona, ac Comitatum Machlandicum, innumeris ſuis divitiis ſibi compararunt, arcem & oppidum *Greinam*, Dynaſtiam *Wertenſtein* Comit. *Peilenſtein*, regiam arcem *Eberſtorff* cum caſtro *Winkeln*, Dominium *Kobelſpurg* cum oppido *Weikerſtorff*, regiam arcem *Pottendorff*, & telonium regium in *Windpaſſing*, dominia *Sermingſtein*, *Bariſch-Brum*, *Weidenegg*, *Eiſenſtadt*, *Ebenfurd*, *Güns*, *Schweichau*, *Tobl*, *Wildegg*, & *Weitenfels*, & quidem pretio 88000. fl.

Machland. Com.

Georg. de Pottendorff.

Quoniam vero morte *Georgii de Pottendorff* vacabat ſummi *hereditarii Auſtriæ Pincernæ* munus, eosdem eo munere Frider. III. anno 1487. inveſtivit.

Sigismundus porro matrimonio abſtinuit, ſicque omnia bona Henrico fratri teſtamento tranſcripſit. Hinc non aſſentio Bucelino ſcribenti *Joannem*

Joann. de Prueſchenk Dapifer Styriæ.

M. Henrici V. filium, primum Hardeccenſem Comitem factum: verius illud eſt, hunc Joannem a Maximil. I. an. 1508. in feudum maſculinum, Dapiferiam Styriæ accepiſſe, ut ex dipl. a Wurmbrandio fol. 314. cit. videndum.

Hardeccii dein Comites in Auſtria ſedem fixere, de quibus alibi.

Erchenbertus gener Henr. I. Prueſchenk.

2. *Erchenbertus* gener ejus, ſeu maritus filiæ Henrici I. ſubnotatus, quisnam vero fuerit? non conſtat, cum modica nimium memoria Henrici I. ſuperſit.

Luitpold de Hochenecke & Werardus filius.

3. *Luitpoldus de Hochenecke* & filius ejus *Werardus*. Arx *Hochenegum* Auſtriæ, in circulo ſupra ſylvam Vien. ſita, cumprimis nobilis, Marchionis de Montecucoli, 6to a S. Hypoliti lapide, ſuper altiore rupe eminens, armamentarium habet omni genere inſtrumentorum inſigne, inter quæ famoſi illius *Stephani Fatinger* Lincium obſidione cingentis haſta, longioris molis colubrina ſeu baſiliſcus, quo generalis Franciæ Tuorenne nomine, improviſo periit, loricæ veterum more fabricatæ 299. 10. vel 12. Turcis erepta labara, aliaque plurima, hominum bis mille circiter armandis ſuffectura ſervantur; exiſtit vero præterea in Styria inferiore, hora diſtans Celeja oppidum *Hochenegium* dictum. An Domini de Hochenecke ab oppido hoc, vel ab arce illa ortum habuerint? monumenta non ſuppetunt, verius fors ab oppido hujus nominis deſcendiſſe, ſeque inde Hocheneckios ſcripſiſſe, illud perſuadet, quod veteres horum plerumque in dipl. Seizenſ. Gyrienſibus infer. Styriæ occurrant, unde fors e Styria infer. in Auſtriam ſubſequo ævo migrarint.

Hochenegg arx Auſtriæ.

Steph. Fatinger ruſt. rebellis.

Hochenegg oppidum Styriæ.

Rudolph de Hochenegg Archiep. Salzb.

Joan. Hocheneg. Sigiſm. ab Hochenecк.

Lazius lib. 8. de migr. gent. fol. 475. ex Suevia eos deducit, & *Rudolfum Archiep.* Salzb. primum hujus familiæ ad an. 1276. ſtatuit. Wurmbrand. in Collect. genal-hiſtor. cap. 66. fol. 122. inter Auſtriæ ſuper. equeſtres familias locum habere putat, primumque *Joannem Hochenegger* an. 1420. & *Sigiſm. ab Hocheneck* an. 1515. floruiſſe ſcribit.

Buce-

Bucelinus Auſtriacam Hochenecciorum familiam a Suevica diverſam, & primum inter Auſtriacos *Hermannum* ad an. 1410. reponit, auth. Germ. Sacræ tom. fol. 394. Baronum de Hocheneck caſtrum gentilitium trans Rhenum proxime Lutram Cæſaream ſtatuit, eosque jam ſæc. 9. claruiſſe docet. *Hermannus de Hocheneck.*

Ego hac in re utcunque controverſa Hocheneckios in Styriæ diplomatibus occurrentes diſtinctos, ab iis e Palatinatu in Sueviam profectis cenſeo, atque fors Hocheneggios Auſtriacos ab his noſtris deſcendere, vel certe, ab illis Suevis, quorum aliqui cum Rudolfo Salzb. Archiep. in terras Auſtriacas devenerint.

Inter *Hocheneckios* Styriæ noſtræ primi ad hunc an. occurrunt *Leopoldus I. & filius ejus Werardus*, in hoc dipl. qui primi citantur. Solus Leopoldus Pater nempe occurrit in dipl. Seizenſi 2. ad an. 1173. hac ſubſcriptione *Leopoldus de Hochenche*, ſed error erit Amanuenſis, legendumque *de Hochenegg*. Ejus Leupoldi in Styria poſſeſſiones deſcribuntur in dipl. Seiz. 14. ad an. 1207. a Leopoldo Duce Auſtr. & Styr. dato, quo Seizenſium territorium deſcribitur ſe extendiſſe uſque ad terram Luipoldi de Hochenecke, ut adeo non dubitandum, eos in Styria infer. fuiſſe, & oppidum nominis ejusdem poſſediſſe. *Weregandus* vel *Weregardus* quem eundem cum *Werardo* cenſeo, reperitur etiam ad an. 1209. in dipl. Gyrienſi 2. & quidem primus inter teſtes Leopoldo Patre forte jam defuncto, aut abſente. *Seiz. territor.*

Sed quis ille *Leopoldus nobilis de Hocheneck* an. 1224. in dipl. Gyrienſi 4. notatus? quis *frater ſuus?* quo parente editus? Leopoldum hunc 2. teſte Frælichio ſpecim. 2. geneal. Souneck. fol. 47. Weregandi filium, & Leupoldi I. nepotem cenſent multi: ſed non aſſentior, & quidem ob diploma Seiz. 30. ad an. 1241. datum a *Wilhelmo de Hochenegg*, in quo hic diſertis verbis teſtatur ſibi fuiſſe filium Leupoldum in Eccleſia villæ Lintenbach ſepultum, eidemque Eccleſiæ 5. manſus in articulo mortis donantem, unde Leopoldum 2. Wilhelmi filium tamdiu credam, donec diſtinctus a Werigandi filio, Leupoldus hic oſtendatur. Quis vero frater Leopoldi II. qui in dipl. Gyrienſi citatur nomine non adjecto? cenſeo *Hugonem* fuiſſe, qui in eodem diplomate Seiz. 30. ultimus inter teſtes notatus eſt hiſce *Hugo de Hochenecke* *Wilhelmus de Hocheneck.* *Leopoldus II. ejus filius.* *Hugo de Hochen.*

De Wilhelmo de Hochenecke plura ex dipl. Seizenſ. 30. patent. Fatetur enim ipſe ſe aliquando Eccleſiæ Seizenſi damna gravia & diverſa intuliſſe, atque in eorum ſatisfactionem in villa *Lintenbach* alios 5. manſus (diſtinctos ab iis, quos moriturus filius ſuus Luipoldus Eccleſiæ in Lintenbach pro ſepultura legaverat) Seizenſibus aſſignaſſe. Præterea ſorori ſuæ *Eliſabethæ de Miltenburch* conſuluit, ac conſenſit, ut in villa *Strenevvitz* 14. manſus pretio 18. marcarum venderet, & donaret. Tandem ſignificat, adveniente ſibi morbo acutiſſimo, teſtamentum confeciſſe, ac Seizenſi Eccleſiæ 6. manſus in villa *Brettenburch*, & 10. alios in villa *Svvertovvitz* donaviſſe, ita, ut a nullo ſucceſſorum ſuorum revocari valeant. *Wilhelmus de Hocheneck.* *Lintenbach villa* *Eccleſia de Miltenburch.* *Brettenburch villa.* *Schwertowitz villa.*

An vero hæc Styrorum Hocheneggiorum linea defecerit, vel in Auſtriam migraverit? ad ſeq. tomos dicere differo, quibus fors plura

horum documenta in hiſtoria ſe manifeſtabunt. Reliquorum teſtium cognomina adjecta non ſunt.

Ad Diplom. 35. *Ad Diploma* 35.

Henr. de Trosmasdorff. Donationem ac delegationem *Henrici de Trosmasdorff, Miniſterialis Ottocari V.* hoc circiter tempore, & an. 1164. contigiſſe, ex teſtibus ſubnotatis colligo, qui omnes reperiuntur circa an. 1138. & conſequentes in variis diplomatis.

Henricus de Trosmarſtorff, ut diploma ſonat, hæreditatem ſuam, quam de uxore ſua *Erintrude in Wiztraba* habuit, per manum Domini ſui Marchionis Ottakir (unde Miniſterialis ejusdem fuiſſe convincitur) Admunt. Cænobio delegavit, & uxorem ſuam, perpetuo Deo in eodem Admont. ſanctimonialium Cænobio ſuſcipi rogavit, & impetravit.

Erentrudes de Trosmarſtorff Mon. Admont. *Erentrudes* itaque *de Trosmarſtorff*, cum venia Henrici mariti, vivente eo, Monialis in Admunt eſt facta, hinc pro dote eandem ipſam hæreditatem in *Wiztraba*, quam ſibi attulerat, Monaſterio Admontenſi ceſſit. Locus *Wiztraba*, ubinam ſitum habuerit, docere videtur diploma 69. ubi inter alia Bavariæ loca (cui tunc etiam pars Auſtriæ affixa erat) hic locus refertur. Cæterum Henrici hujus nullibi alias apparet memoria; inter teſtes hujus diplomatis aure tractos refertur.

Wiztraba loc.

1. *Henricus Bris*, v. annot. dipl. 34.

2. *Meginhalmus de Chreina, frater ejus Henricus, & filius ejus*, v. annotat. diplom. 8.

3. *Chunradus de Husruggen*, v. annot. dipl. 21.

4. *Richerus de Everdingen*, v. annot. dipl. 13.

5. *Hartnidus de Ort*, v. annot. dipl. 13.

Dietr. de Trun. 6. *Dietricus de Trun.* Familiam hanc extra Patriam noſtram ab Abenſpergicis & Schyrenſibus ortam exhibent Hübnerus tab. 564. &c. Lazius, Wurmbrandius, Lexicon Baſileenſe, ac Bucelinus, Hübnerus utcunque bompletam adfert ſeriem, quam ex MS. & documentis mihi hactenus viſis ſuppleo: Dietricus hic Bernardi I. circa an. 1113. florentis, filius ſtatuitur, quoniam vero teſte Excell. Wurmbrandio fol. 10. jam an. 1073. ex documento Lambacenſi *Dietericus de Truna* item ex diplom. Garſtenſi an. 1150. apud eundem Wurmbr. fol. 70. *Dietricus de Traun* legitur, vix credo, unum eundemque Dietricum an. 1073. & 1150. ſubſcriptum, ſed duos exſtitiſſe.

Bern. de Trun.

Dietric. II. de Trun v. Traun.

Frid. de Truna. *Fridericus de Truna* eodem an. 1073. legitur in dipl. Lambac. unde hic nomine primus cenſendus eſt, non vero ille, quem Hübnerus Fridericum I. ad an. 1184. mortuum ſtatuit. *Bernardus* an. 1069. citatus ex diplomate Cremifan. apud cit. Wurmbrandium primus ab Hübnero vocatur & Dietrici ac Wernardi II. an. 1161. mortui Pater.

Bernardus de Truna.

Berengerus de Truna. *Berengerus* in eodem dipl. Cremif. adductus ab Hübn. omiſſus eſt.

Erneſtus I. & Henr. fratres. *Erneſtus & Henricus* de Truna fratres fuerunt, cum in dipl. S. Floriani an. 1208. ſic legantur: *Henricus & Erneſtus de Truna*, particula vero & plerumque inter fratres, vel ſanguine proxime junctos interponatur. *Erneſtus de Truna* ad an circ. 1181. in dipl. Garſtenſi, inter mea num. 54. teſtis legitur. Hübnerus Erneſtum I. an. 1160. mortuum Bernardi I. filium, Erneſtum II. vero an. 1223. viventem adduc-

Erneſtus II.

cit,

cit, eique fratrem *Henricum* an. 1227. adjungit, ambosque *Hildulphi* filios ſtatuit, quæ non negaverim. *Hidulphus & Henricus II. de Truna.*

Rapoto de Truna memoratur in cod. dipl. Admont, num. 134. circa an. 1188. meminit ejusd. Chronogr. Admont. *Rapoto de Truna.*

Wolframmi II. erat filius, fratris Conradi I. Salzburg. ita Hübnerus, aliique. Reliquos poſteriores cum tempore adducam, ubi etiam de Abensbergiis. Inter Miniſteriales Salzburg. iidem comparent. V. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 448. *Wolframmus II. de Truna.*

7. *Otto de Haſelbach*, v. annot. dipl. 6.

8. *Ottakar de Schlierbach*, v. annot. dipl. 4.

9. *Berengerus de Capella*, v. annot. dipl. 9.

10. *Godefridus de Wietingen*, v. annot. dipl. 8.

11. *Rudolfus de Dunſperg*: familia ignota, nec alius præter *Rudolfum* cognitus eſt, qui etiam in cod. dipl. Admont. num. 11. & 32. ad an. 1139. & 1168. ſubſcripſit. *Rudolfus de Dunſperg.*

12. *Durinc de Werven*, v. annot. dipl. 32.

13. *Otto & Wiſint de Pongove*, hi Domini Pincernæ hæreditarii erant Salisburgenſes ſic in dipl. Conradi I. Admont. an. 1139. legitur inter Miniſteriales Salisburg. *Wiſint Pincerna de Pongove*, præter hos duos invenitur etiam ad eundem an. 1133. *Henricus & Wolframmus*, ac ad an. 1897. ex cod. dipl. Adm. 44. *Chunradus & Walchunus* de Pongove. *Otto & Wiſint de Pongove.* *Henr. & Wolfr.* *Chunradus & Walchunus.*

14. *Hartnidus & Marquard de Ucelingen.* Familia denuo extranea, & probabilius Salisburgenſibus annumeranda, Marquardus etiam ad an. 1168. ex cod. dipl. Admont. 35. & *Henricus* ad an. 1203. ex cod. dipl. Admont. 48. legitur. *Hartn. & Marquard. de Ucelingen, Henric.*

15. *Sigefridus de Frieſach.* Lazius 6. de migr. gentium fol. 187. adducit *Comites de Frieſaco & Drugſen*, quorum primus *Sigefridus* diplomati Henr. Carinth. Ducis an. 1150. ſubſcripſit, *Cholo* anno 1200. floruit, atque *Raſpo* Dom. de Friſaco Comitatum *Naberneck* an. 1241. emit. Ad Carinthos itaque hi pertinent, & *Engelſcalcus* in cod. dipl. Admont. num. 11. 12. 16. ad an. 1139. 1144. & 1146. circiter, invenitu, *Bernardus* circ. an. 1168. ex cod. dipl. Admont. num. 38., uti & *Adalbertus* Judex de Friſaco &c. *Sigefr. de Frieſach & Drugſen* *Cholo.* *Raſpo.* *Bernard. Adalb. de Friſaco.*

16. *Luipoldus de Walda* vel *Walde*, inter Salisburg. vel Carinthos reponendus, & Luipoldus hic etiam in cod. dipl. Admont. num. 27. 28. circa an. 1160. *Diepoldus & Ortolfus* ad an. 1163. ex cod. dipl. Admont. n. 29. *Pilgrinus* an. 1169. circ. ex dipl. Adm. 37. detegitur. *Luipoldus de Walda vel Walde.* *Diepold. Ortolf.* *Pilgr. de Walde.*

17. *Rudigerus de Have*, ignotus, nec alius præter hunc mihi hactenus viſus eſt. *Rudig. de Have.*

Ad Diploma 36. *Ad Diplom. 36.*

Hoſpitalis Cerewaldenſis, nunc Monaſterio Novomontano uniti, atque in Parochiam erecti fundationem Ottocaro V. anno licet incerto aſſerendam eſſe, dixi Diſſert. 4. cap. 6. in Ottoc. V. & ad an. 1166. confirmat vero eam hoc anno Fridericus I. Imper. Romanus: hoc in diplomate primo ait Fridericus Imperator Hoſpitale hoc a conſanguineo ſuo (v. an. 1156.) *Ottocaro V. & uxore Chunegunda* fuiſſe fundatum, & quidem pro peregrinorum ac pauperum ſuſtentatione 2. *Cerewald Hoſpitalis origo.*

eundem Ottocarum iniiſſe concambium cum Ortolfo Abbate Vornpacenſi, eo pacto, ut hic partem ſylvæ Cerewald ab Eggeberto Putinenſi Com. Ottocari V. propinquo Vornpacenſi Monaſterio datam ſibi redderet, & Ottocarus vicißim Vornpacenſibus 3. excultos manſus in loco *Neuſidl* ſeu *Niveſidl*, & 4tum in *Wilhelmſpurg* Auſtriæ loco Vornpacenſibus cederet. Plura ſunt loca *Neuſidl* in Auſtria, quisnam vero horum Vornpacenſibus obtigerit, vix eruo. 3. Reſiduum ſylvæ Cerewaldenſis, fundationi huic addiderunt Ottocarus Marchio, & uxor Chunegundis Marchioniſſa, cum omni utilitate, reſervata ſibi ſolum piſcatione & venatione, quam ex parte ſibi retinuerunt, ex parte vero in uſum Hoſpitalis contulerunt.

Neuſidl in Auſtr.

Cerewald ſylva termini.

Termini dein ſylvæ Cerewaldenſis deſcribuntur, nempe a meridie *amnis Froſchnitz* cum alpe, a ſeptentrione ſcaturigines fontium, in *Moure*, melius *Murce* confluentium, ab occidente *Pirchenvvanc* villa, quo in loco tres manſus cum curtili fundatores eidem loco tradiderunt. Adjecerunt etiam manſum in villa *Fœzer* cum prato, tres manſus *in Pacte*, & in *Schergendorff* cum colonis eorum, Eccleſiam *S. Stephani in Chrebar* cum prædiis & Dominiis ejus, ut adeo ampliſſima fuerit hæc fundatio Cerewaldenſis.

Promiſi ſæpius per decurſum originem hoſpitalis Cerewaldenſis ex libro, *fons ſignatus*, inſcripto, detegere, eo jam obtento fide me data libro.

Origo primaria Hoſpitalis in Cerewald.

Eccl. B. V. M. in valle Martia, nunc in Marein dicta S. Annæ.

Origo loci hujus obſcurior, eruitur ex antiquis MSS. Eccleſiæ B. V. M. in valle Martia, quæ memorant, ex hac Eccleſia quondam ablatam fuiſſe ſtatuam B. V. M. a prædonibus, qui eam Eccleſiam dein penitus vaſtabant. Eccleſiæ huic B. V. M. *in valle Martia* anno 1040. ædificatæ, vel renovatæ, multis poſt annis alia ſubſtituta eſt S. Annæ ſacræ, quæ hodie *in Marein* viſitur.

Statua hæc a prædonibus ablata, terræ dein defoſſa eſt, quam coloni & paſtores, dum terram foderent, atque ararent, ſummo cum gaudio inventam, illum in locum retulerunt, quo hodie colitur, atque ſupra fontem liquidum locatam, venerari cœperunt, fons ille inde nomen loco dedit *Fontis Mariæ*, ſeu Maria Brunn, & factus eſt gratiarum plenus, etenim cœci viſum, ſurdi auditum, muti loquelam, aliique infirmi varii generis ſanitatem ibi ſuam receperunt: adjecta dein eſt Capella Marianæ devotioni magis deſervitura.

Fons Mariæ in Cerewald.

Statua hæc B. V. M. ab illa Cellenſi differt in eo ſolum, quod hæc Divinum puſionem dextero, illa ſuſtineat ſiniſtra.

Ottocarus V. fundator Voravienſis, ubi ſummas Styriæ obtinuit, cultum ſtatuæ hujus promovere cœpit, adjecit enim, ædiculæ ſacræ Hoſpitale ſat amplum, in ſolatium peregrinorum & pauperum, ex ædicula Eccleſiam magnam ſtruxit, dotisque inſtar, prædium *Harde* adjecit. Quoniam vero prædonum numerus nondum ſat minutus eſſet, ut feris his hominibus deforent receptacula, ſylvam Cerewald hodie Semering exſcindi, prædonum ſpeluncas terra congeſta obrui juſſit, ita ut unica ſpecus porta munita ſupereſſet hodie adhuc *domus Ceder*, ſeu Ceder-Haus appellata.

Cerewald ſylva hodie Semering.

Ceder domus ib.

Anno

Anno 1160. locus hic prodigiosus, ab hospitali adsito nomen accepit, dictus *Hospitale in Cerevvald*, liber, ex quo hæc desumo, Fons signatus appellatus, adducit fragmentum diplomatis Ottocari V. de an. 1160. quod hic subjungo: Ich Ottokar Marggraf von Steyermarkt ꝛc. erwegend, daß die Barmherzigkeit Gottes über jene seye, welche andere Mühseligkeiten abhelfen ꝛc. habe das Spital in dem öden Theil Zerewald zu Ehren der reinesten Jungfrau Mariä gestiftet, und zu Erhaltung den übrigen Wald, die Kirchen S. Stephani in Chrowatt mit ihren Gütern und Zehenden bestimmet, auch allen verlaubet in selben zu opfern aus ihrem Vermögen, ꝛc. Ita liber cit. cap. 2. fol. 9. *Diploma Ottoc. V. desuper.*

S. Eberhardus I. Archiep. Salisburg. fundationem Ottocari non solum lubenti animo confirmavit, sed etiam Parochiam adjecit, non tamen, ut habet liber cit. post mortem Ottocari V. cum S. Eberhardus aliquot menses ante Ottocarum V. obierit. Origo itaque Parochiæ Hospicalensis, si a S. Eberhardo I. fundata est, ultra an. 1164. differri nequit. Fragmentum Bullæ S. Eberhardi idem lib. cap. 3. f. 11. adducit hisce: Wie daß nemlichen er (Eberhardus) die gute Meinung Ottokari lobe, und genehm halte, auch mit seiner Authorität bekräftige, allen und jeden gebiete, nach Vermögen diesem Spital beyzutragen, um also Nachlassung der Sünden zu erlangen ꝛc. wie daß er auch viel parochialische Gerechtigkeiten, das Recht der Zehenden ꝛc. diesem Spital angedeyen lassen wolle ꝛc. und damit diese seine Bulla mehr Kraft hätte, so setze er einen Kirchenbahn hinbey, durch welchen alle jene der ewigen Verdamnuß unterworfen werden, welche immer dieses Spital und dero Gränzen anfallen, plündern, oder sonsten beunruhigen solten, wofern sie nicht davon abstehen, und genugthun wurden. Diese Bulla ist zu Friesach in den 1165. Jahr (lege 1164.) den 21. *Martii* gegeben worden. *Parochia Hosp. fundatur.* *Dipl. S. Eberhardi I. desuper.*

Augmenta deinceps plurima accepit hoc Hospitale, præter ea enim, quæ diploma hoc 36. continet, *Ulricus Dux Carinthiæ* non solum locum hunc crebrius visitavit, sed etiam variis donis 2 *prædiis in Pruck* donavit, dipl. edito an. 1264. die S. Callixti Pap. & Martyris. Diplomatis hujus non meminit Frælichius in Archontol. Ducat. Carinthiæ. Præterea *Leopoldus I. Dux Austriæ*, *Ottocarus Rex Bohemiæ*, *Albertus I. Dux Austr. & Styr.* *Fridericus Rex Rom.* Alberti successor, aliique sereniſſimi Principes locum hunc variis diplomat. ornaverunt. *Augetur ab Ulr. Duce Carint. 2. prædiis in Pruck* *Leop. I. Austr.* *Ottoc. Reg. Bob.* *Frid. Rege &c.*

Locus hic an. 1259. a Stephano Hungariæ Rege Seizensibus (v. dipl. Seiz. 17.) anno dein 1331. die 6. Jan. ab *Ottone Arcdiduce Austr.* fundatore Monasterii Novomontani, cum consensu Alberti fratris sui, eidem a se an. 1327. erecto Cistercio Novomontano donatus est, ut v. cap. 5. fol. 17. *Donatur loc. hic* *Monast. Novom.* *antea Seizensib9*

Anno 1529. dum juratus Christiani nominis hostis, cum Vienna terras alias peteret, etiam in vallem Martiam manipulus Turcicus delapsus est, hunc, ubi pia vicinorum turba sibi jamjam proximum vidit, statuam illam B. V. M. ex ædicula parva in magnam transtulerunt Ecclesiam, ut securior ibi lateret, ad quam simul etiam sua omnia concluserunt: vix hæc peracta erant, manipulus ille Turcicus ædiculam *Turcæ repelluntur ope B. V. M.*

parvam

parvam cinxit, omniaque in eadem exſtantia devaſtavit, dein major Eccleſia, ubi ſtatua B. V. quieſcebat, a Turcis immaniter eſt incurſa, petentibus, ut porta aperiretur; quod ubi a gementibus Chriſticolis in Virginem ſuam SS. confiſis factum non eſt, feneſtræ telis confractæ, muri diruti, portæ ferreis malleis reſeratæ: ſed ecce! adſtitit ſuis Maria, & Turcas omnes ſacrilegos excœcavit: nondum tamen furor cœcus deſiit, aderat enim cœcis, ſocii reliqui rei hujus certiores facti, qui rabie ultima vindictam quæſituri, Eccleſiam ſtramine, ſtipulisque ſeptam in cineres cum incolis redigere tentabant: exuſta ſic Eccleſiæ tecta, murique corruentes Chriſtianos in turrim fugere compulerunt, altaribus, iconibus, cœterisque Eccleſiæ utenſilibus igne deletis. Turcis denuo Pannico terrore repletis, rediere ex turri Chriſticulæ, moxque de ſtatua matris ſuæ ſolliciti, eandem inquirebant, ubi ſummam aram ſeu locum, ubi ea ſteterat, conſpexerant, nihilque de ſtatua illa occurrebat, rati hi, ſtatuam in favillas redactam intime dolebant, quærentes fruſta ejus invenere ſummo prodigio intactam ſub copioſis cineribus ſtatuam, præter unicam nigram maculam ſub dextro brachio, velut prodigii teſſeram relictam. Prodigia alia quamplurima, hunc B. V. M. locum exornaverunt, mihi ſufficiat ex libro, *Fons ſignatus*, citato adduxiſſe originem ejus, plura qui cupit, eundem librum adeat.

Statua illæſa in igne Turcico Turcis excæcat.

Redeo ad expoſitionem diplomatis noſtri.

Otto de Stubenb. Æmulati ſunt munificentiam Marchionum noſtrorum, Miniſteriales eorundem, & quidem *Otto de Stubenberch* 10. manſus in *Vorove* cum vinea in *Spizehart* adjecit. Dynaſtæ Stubenbergii hodiedum ob arcem *Kapfenberg* prædia quædam in Vorav. Parochia poſſident. De familia hac jam egi in annot. dipl. 4. & 14.

Godeſcalcus de Rechberg. Neuſidl in Auſtr. *Godeſcalcus de Rechberg* inter Miniſteriales Ottoc. V. relatus, adjecit villam *Nivenſidl*, *Neuſidl*. Plura ſunt loca Auſtræ, unus hujus nominis exiſtit in circulo infra ſylvam Viennenſem ſito, ſupra *Novem Eccleſias* infra Neoſtadium, alter item in eodem circulo, tertius in circulo ſupra ſylvam Vien. ſito. 4tus, 5tus, & 6tus in circ. infra Mainhardi montem ſitus: 7mus in circ. ſupra Mainhardi montem, quæ illa villa fuerit? non conſtat, forſitan primo loco memorata.

Rechberg. arx. Dynaſtar. origo. Sed quinam erant Dynaſtæ *Rechbergenſes?* arcem hujus nominis exiſtere in circulo ſupra Mainhardi montem poſito, invenio in documentis Auſtriæ an. 1227. editis, Rechbergenſium in Suevia Liberorum meminit Lazius lib. 8. fol. 460. eosque ab an. 1160. deducit, nullus tamen horum Godeſcalcus legitur, nec Hübnerus tab. 518. & 526. alios niſi Mareſchalos in Suevia adducit, cum Bucelino, ſed diſtinctos ab his in Auſtria & Styria exſtitiſſe, oſtendit diploma Cremifan. an. 1189. cui inter alios ſubſcripſit *Henricus de Rechberg*, & *Hermannus de Rechberg* an. 1245. dipl. Wolfkeri Ep. Patav. apud Excell. Wurmbr. fol. 236. *Otto de Rechberg* an. 1250. ſubſcripſit docum. Vorav. hos itaque ab arce prædicta vel illa infer. Auſtriæ ad fluv. Crembſam, & urbem cognominem ad ſeptentrionem derivandos cenſeo. Forſitan vero legendum eſt Godeſcalcus *de Neitberg*.

Henr. & Herm. de Rechberg. *Otto de Rechb.*

Rapato de Buttene. Henricus de Schwarzach. *Rapoto de Buttene* (de quo v. annot. dipl. 4.) manſus 2. *apud S. Petrum* delegavit huic Hoſpitali Cerewaldenſi. *Henricus de Schwarzach* 3. man-

3. manſus. *Sigefridus de Kranichberg*, vineam Crottendorff. v. annotat. dipl. 22. & 32. *Balduinus Medicus* vineam *Viſchach*, & *Bernardus de Stubenberg* vineam *Mersdorff*. *Sigefridus de Kranichberg.* *Bernardus de Stubenberg.*

Inde Frider. Imp. hæc omnia bona confirmat, Hoſpitaleque hoc in protectionem recipit, adjiciens ſigillum ſuum imperiale, teſtes ab Ottocaro ipſo adductos ſubnotans: horum

1mus: *Ottocarus Archi-Presbyter*, de quo fuſe egi in annot. dipl. 20.

2. *Engelherus* & *Bernardus Presbyteri*, incertum vero qui?

3. *Bernardus de Mueregge*, caſtrum *Muregg* in circulo Styriæ, intra Muram, Dravumque ſitum, & Dom. de *Stubenberg* ſubjectum eſt; oppidum præterea ejus nominis quod Mureolam volunt, de quo Diſſ. 1. tractavi. Inde deducendam reor nobiliſſimam hanc Styriæ familiam, inter Miniſteriales Ottocarorum adſcriptam, de qua tamen pauciſſima exſtant; etenim præter *Bernardum* hunc *Burcardus* & *Juditha* an. 1166. ex dipl. Seccov. 17. inter mea num. 37. tanquam jam defuncti memorantur; ait enim Cunegundes eo in dipl. *de bonis Purcardi de Murekke, & uxoris ſuæ Judithæ Seccovienſes* obtinuiſſe, cingulum ex marca auri conflatum, & 60. ulnis unionum exornatum. Juditha hæc, dein converſa Seccov. obiit 7. *Kal. Martii*, & Purcardus 5. *Id. Auguſt.* ex Necrol. Seccov. præterea in dipl. Seccov. 18. ad an. 1171. iidem Seccovienſes obtinuiſſe dicuntur, *curtem & 2. manſus apud Tallheim*, ex bonis Purcardi & Judithæ de Murecke: *Talheim* prædium eſt Auſtriæ S. Annæ prope *Wartenburg* dictum fundatio DD. de Polheim. Arx item Auſtriæ Com. de Seccau *Reginbertus I. de Murecke* an. 1174. Procurator erat Ottocari VI. qui Seccovienſibus donatæ ab Ottocaro VI. ſylvæ Trigowle ſeu Wachersperg teminos demonſtrare debebat, v. dipl. Seccov. 21. inter mea num. 49. in Necrol. Seccov. legitur dediſſe villam *Weitſchinam*, & obiiſſe 16. *Kal. Febr.* Reimbertus II. ſeu Junior invenitur ad an. 1224. in dipl. Gyrienſi 4. a Leopoldo glorioſo inter teſtes ſubſcriptus, item an. 1751. &c. in dipl. 2. num. 154. 155. 156. legitur. Cæteri notitiam hactenus meam fugerunt præter Wilhelmum Abb. III. Runenſem, de quo tom. 2. *Bernardus de Mueregge.* *Caſtr. & oppid.* *Burcardus & Juditha de Mueregg.* *Judith converſ. Seccov.* *Talheim prad.* *Reginbertus de Muereck.* *Weitſchin nunc Witſchein villa* *Wilhelmus de Mueregg Abb. III. Runenſ.*

4. *Lutoldus de Waltſteine*, v. annot. dipl. 7.

5. *Ulricus de Urle*, v. annot. dipl. 6.

6. *Hermannus de Wibenſtaine*, ignotæ familiæ; Witgenſteinii enim tardius ſurrexerunt.

7. *Meginhardus de Trüebaſvvinckel.* Arx eſt Auſtriæ infra ſylvam Vienn. ſita olim Comitum de Sclaviniani, hodie Com. de Walſegg, in qua arce ſepulturam obtinent, ex familia *Polheimiana*: *Benigna Domicella* filia Ludovici II. mortua an. 1617. *Suſanna* an. 1610. mortua & *Luov. Albertus* Reinberti IV. filius, atque Domicella *Salome Eliſabetha*, unde ſuſpicor, eam arcem olim Polheimiis paruiſſe, atque ab hac arc familiam quoque cognominem prodiiſſe reor, de qua pauciſſima hactenus inveni. *Meginhard de Trüebaswinkel arx huj. nom.* *Benigna de Polh.* *Suſanna Ludov.* *Albert. Salome Eliſab.*

8. *Udiſcalcus de Nitberg*, exiſtit caſtrum ejus nominis in Styria, haud procul ab urbe Hardberga, in quo teſte Lazio de migrat. gent. lib. 6. fol. 206. &c. hujus loci reguli ſedem olim ſuam tenuere, advocati Monaſterii Pöllenſis. Lazius eorum originem, ſed tarde nimis *Udiſcalcus de Nitberg.* *Caſtrum prope Hartberg.*

Neidau, Fridau olim Neibergenſium.

deſcribit, orſus primum ab *Henrico* an. 1320. poſt quem *Rudolphus* an. 1365. *Neidau ac Fridau* caſtra Styriæ poſſedit. *Henricus II.* & *Gotbardus* an. 1394. *Albertus* an. 1420. *Georgius & Joannes* an. 1430. floruerunt, hic caſtri Burgau in Styria poſſeſſor erat, cujus filia *Eliſabetha* poſtrema ſtirpis nupſerat *Chriſtoph. Comiti de Pöſſing & S. Georgii* an. 1480. qua mortua Auſtriæ Principes feudum ad ſe retraxere ut proprium, quod dein *Liberis ab Herberſtain* cum Baronis fauſta acclamatione Ferd. Imp. contulit, ac dein *Sigiſm. Baro de Herberſtain*, Dominus *de Neitberg & Guetenbaag* eſt dictus, ita Lazius cit.

Chriſtoph. Com. de Pöſing, & S. Georgio Eliſab. Neitbergia ejus uxor.

Arx Neibergcur Herberſteiniis datum.

Sed longe anterior eſt Neitbergenſium familia, Lexicon univerſ. Baſileenſe eam ex Suevia & arce cognomine ad urbem *Schweigern in Chreichgovia* deducit, unumque eorum an. 1080. ludo equeſtri Auguſtæ & an. 1119. Göttingæ adfuiſſe ſtatuit. Bucelinus Rhenanam familiam putat, & quos ab an. 1080. ad 1311. adfert, in Styriæ rebus nondum viſos adducit, familiamque ad an. uſque 1619. perſtitiſſe docet, cum tamen Neitbergii in Styria ſæc. 15. fine jam exaruerint. Hübnerus familiam hanc omnino prætermiſit.

Nitberg arx Suevia.

Neiberg Styriæ quando exſtructa.

Cenſeo itaque Neitbergios noſtros ex Suevia vel Rhenana provincia deducendos, atque, ubi in Patriam noſtram venerunt, arcem illam *Neiberg prope Hartbergam* exſtruxiſſe. Series eorum ex Bucelino ſic deduci poſſet:

N. *de Neytberg* an. 1080. in lud. equeſtr. Auguſtæ.

Philippus in lud. eq. Göttingæ a Ludolpho Sax. celebratis præſens 1119.

Styr. linea. | *Rhenan. lin.*

A. Rudolff. B Luitold. fratres hi erant. C. *Gotſchalcus I.* ux. 1. n. 2. vidua *de Rotengruebe.* — *Engelhardus* in lud. eq. colon. 1179. præſens.

D. Udiſchalc. E. Wecilo. G. Henricus I. — *F. Gotſcalc. II.* * ux. Gertr. — *Erneſt.* a. 1209. in lud. eq. Wormatiæ.

K. Henr. II. L. Gothard — *H. Rudolf. I.* *Gotſcalc. III.* * ux. Brunhild.

N. Cathar. ux. Friderici III. *de Polheim*, & *Agnes de Neidberg* filia Seifrid. *de Kranichberg.* — *M. Eliſab. de Neidberg* nata de *Liechtenſtain.* *O. Albertus.* — Reliquos Rhenan. familiæ, v. apud Bucelinum t. 4. p. 3. f. 139.

P. Georgius & Joannes poſtremi lineæ Styriacæ, & *Joan. Epiſc. Seccov.*

Q. Eliſabetha uxor Chriſtoph. Comitis de Pöſing & S. Georgio.

Rudolf. Luitold. Gotſcalcus I. de Neitberg.

A. Rudolfum, Luitoldum, & Gotſcalcum I. fratres fuiſſe, manifeſtat diploma Göſſenſe 16. inter mea num. 72. in quo ordine ſeq. cum addito *fratres de Nithberg* notantur.

Ædificant prope Hartberg arcem Neiberg.

B. Hos tres ſuſpicor, primos in Styriam deſcendiſſe, ac arcem Neitberg exſtruxiſſe.

G. Gotſcalcus I. ſolum an. 1166. ſubſcripſit dipl. Seccov. 17. inter mea num. 37. & quidem tanquam Miniſterialis Chunegundis noſtræ. Reliqui deinceps non comparuerunt.

Udiſcalcus de Neiberg.

D. Udiſcalcus, alio in dipl. non videtur, fors ex Suevica familia, diplomati huic Auguſtæ dato ſubſcripſit, vel confuſio contigit ſcribendo Udiſcalcum pro Gotſcalco.

E. We-

E. Wechelo de Nithberg, ex docum. Vorav. inter mea dipl. num. 67. reperitur an. 1186. *Wechelo de Neitberg.*

F. Gotſcalco I. duos filios tribuo, unum *Luitoldum de Rotengruebe*, & *Gotſcalcum II.* primum idem docum. Vorav. mox citatum habet, aitque Luitoldum hunc filium fuiſſe Gotſcalci, ſed cur *de Rotengruebe* dictus eſt? Cenſeo, Gotſcalcum I. ſecundis nuptiis ſibi copulaſſe quandam viduam Dominam de Rotengruebe, ſicque Luitoldum hunc de Rotengruebe fuiſſe Gotſcalci privignum, nam *Rotengruebiorum* diſtincta erat familia in Auſtria probabilius ab arce *Rotengruebe* in circulo infra ſylvam Vien. ſita ſic appellata. *Gotſcalcum II.* filium poſui, aſt ſub dubio, & cum aſteriſco: *Junior* certe fuit, nam ex dipl. Teuton. §. apud Frælich. tom. 2. dipl. Sacr. Styr. fol. 184. &c. anno 1255. Gotſcalci II. hujus bona in *Chundorff*, hodie probabilius *Chaindorff* aſſignantur Theotonicis ob injurias, his a Gotſcalco illatas. Godeſcalcum hunc plura bona etiam in Auſtria poſſediſſe, colligo ex faſtis Campilienſ. tom. 2. fol. 997. ubi habetur: *Godeſcalcum de Neidesbach* (interpreto *Neidberg*) Camerarium & Miniſterialem in Styria (hunc ei titulum etiam tribuit Chron. Vorav. ad an. 1257.) *in fine vitæ ſuæ ſenem & multum infirmum, ac de ſalute ſua ſollicitum, cum Gertrude uxore, & filio Godeſcalco, ejusque conjuge Brunhildi donaſſe Monaſt. Campililienſi redditus annuos 2. talentorum in Malmanchesdorffe juxta Tullinam &c.* datum an. 1151. unde vel iterum reconvaluit, vel Nitespachii diſtincti erant a Neibergiis. Circa an. 1246. &c. Voravienſibus damnum ad 500. libras denariorum intulit, Conventus dein an. 1257. a Gebbino Præp. Vorav. ne accuſaretur Belæ Hung. Reg. Styriam tum tenenti bona in Pölan nobis obtulit. Chron. Vorav.

Luitold de Rotengruebe privignus Gotſcalc. I.

Rotengruebii in Auſtria ab arce cognom.

Gotſcalcus II. de Neitberg.

Ejus bona in Chaindorff.

Miniſt. & Cam. Styriæ fuit.

G. Henricus I. circa an. 1320. v. Lazium cit.

H. Rudolphus Dominus de Neidau & Fridau, teſte Lazio, an filius Gotſcalci? non conſtat, circa an. 1365. floruit.

Rudolphus de Neidberg, Neidau, & Fridau.

I. Gotſcalcus III. ſi docum. cit. Campililienſ. credimus, filius erat Gotſcalci II. ejusque uxor Brunhildes, an. 1360. ſubſcripſit diplomati Rudolphi IV. ut v. dipl. Teuton. apud Frælich. part. 2. fol. 197. &c. ſocer fuit Joannis Stahrembergii ut v. collectan. geneal. hiſt. Wurmbr. fol. 218. Idem *Gotſcalcus* cum hæredibus dat curiam in *Weigleshoff* Voravienſibus pro anniv. perpetuo &c. adjecit ſigillum *Dom. Joannes* Parochus in Hartberg, qui ejus filius fuiſſe videtur. Docum. Vor.

Gotſcalcus III. de Neitberg.

K. L. Henricus & Gothardus ex Lazio cit. an. 1394. inveniuntur v. *N.*

Henricus II. & Gothardus.

M. Eliſabetha Domina de Neidberg nata de Liechtenſtein, cum fratribus *Henrico & Joanne, ac Chriſtophoro* agnato citantur an. 1362. in archivo ſtat. Auſtriæ, num. 710. Hübnerus tamen nec Eliſabetham, nec Henricum & Joannem fratres Liechtenſteinios inſeruit.

Eliſ. de Neith. nata de Liechtenſtein.

N. Catharina de Neitberg, Friderici III. de Polheim uxor, ac *Weicardi* 18. *de Polheim mater* erat, teſte Wurmbr. fol. 166. Hühnerus Gothardi de Nitberg filiam ſtatuit in Polheimiis. *Agnes* ex Chron. Vorav. ad an. 1336. filia *Seifridi de Kranichberg*, miſſam ad S. Andream Voravii fundavit.

Cath. de Neith. conj. Frid. III. de Polheim, mat. Weiccardi 18. Polheimii.

O. Albertus circa an. 1420. floruit, Lazio teſte. *Albertus.*

Georg. Joanes ultimi Neitberg.

P. Georgius & Joannes poſtremi familiæ an. 1430. floruerunt, & *Joannes* quidem Dominus caſtrorum *in Neutberg, Neidau,* & *Thalberg* fuit. Joannes an. 1443. cum Rudigero Stahrenbergio tutor conſtitutus eſt liberorum *Joannis ab Eberſtorff*, Friderico III. Imperatori acceptiſſimus erat teſte Ænea Sylvio apud Wurmbrand. fol. 53. citato. Idem Joannes an. 1451. cum *Joanne Com. de Schaumberg, & Ulrico ejus filio, Georgio de Pucheimb, Rudigero de Stahremberg, Sigiſm. de Eberſtorff, Henrico Dapifero ſeu Truchſeſs; & Waltero Zebinger*, Gubernator Auſtriæ interim eſt conſtitutus, donec Fridericus ex itinere Romano rediret, ſed receptos non fuiſſe in Auſtria, teſtatur Prevenhueb. fol. 420. *Georgius* vero *de Neitberg* an. 1430. a Turſone Præp. Viennenſi in docum. quodam, primo loco in Barones Auſtriæ & Styriæ adductus eſt. v. Wurmbrand. fol. 15. Joannem hunc quidam fundatorem Pöllenſem ſtatuunt.

Joanes ab Eberſtorff.

Joan. & Ulric. Co. Schaumberg.

Georg. de Pucheim, Rudiger Stahremb. Sigiſ. de Eberſtorf, Henr. Dapif. Walter. Zebing. Turſo Præpoſ. Vienn.

Joan. Neitberg Epiſc. Seccov.

Joannem alterum de Neyberg an. 1388. conſecratum Ep. Secc. probabilius ex hac familia fuiſſe cenſeo; de quo Necrol. Seccov. poſt 4. Id. Junii ita habet: *Johannes dictus Neyperger piæ mem. Epiſc. Seccov. hic fratrum amator, & dedit nobis aliqua clenodia argentea, & deaurata Eccleſiæ noſtræ cum reliquiis, & comparavit miſſam in ara S. Albani ſimul cum anniverſario. NB. recentius.* Plura de eo occurrent tom. ſeq. ex dipl. Epiſcopii Seccov. num. 79. 80. 81.

Eliſab. de Neith. ux. Chriſt. Com. de Pöſing & S.

Q. Eliſabetha Joannis filia, uxor *Chriſtoph. Com. de Pöſſing*, v. Laz. cit. plura ſeq. tomis, & documentis communicatis. *Neubergios* Dominos *Thalbergæ* fuiſſe, v. *dipl.* 58. *in Krumbachiis.*

9. Teſtis *Otto & Wulfingus de Kapfenberg*, v. annot. dipl. 14.

10. *Ludovicus de Glanegge*, v. annot. dipl. 33.

11. *Rapoto de Kranichberg*, v. annot. dipl. 32.

12. *Albero & Ulrich de Dunkenſtaine*, v. annot. dipl. 7.

13. *Otto de Walhesdorff*, v. annot. dipl. 25.

Bertold de Engelſchalkesveld.

14. *Bertholdus de Engelſchalkesveld*, ignotæ omnino familiæ.

Wulfingus de Krembſa.

Krembſa caſtr. Styriæ.

Crembſium urbs Auſtriæ.

15. *Wulfingus de Krembſa*, exiſtit in Styria inter Dravum, Muramque prope Ligiſt caſtrum *Krembſa* Comitum de Saurau, in Auſtria vero *Crembſium* non ignobilis Archid. eſt civitas 10. Vienna milliaribus in occaſum vergens, incolas fere 6000. domos ultra 300. numerans, ter acriter obſeſſa, an. 1619. Carpizanum Ducem Bohemorum, per fœminas urbis ſe egregie tuentes rejecit. An. 1645. Suecis ceſſit tandem dein Cæſaris ſceptrum denuo eſt amplexa. An ab hac urbe vel arce Styriæ Domini de Cremſa prodierint? ignoro. Præter hunc

Otto de Kremqs.

Wulfingum, occurrit etiam Otto de Chrembs in dipl. Admont. 67. ad an. 1188. ad præcedentem ex dipl. Göſſ. 11. inter mea num. 21. & Göſſ. 16. inter mea num. 77. ad an. 1182. ex dipl. meo 86. eundemque habet diploma S. Floriani an. 1208. apud Wurmbrand. fol. 70.

Herm. & Chuno de Cremis.

Hermannus & Chuno de Cremis in dipl. Seccov. 19. meo num. 47. adducti ad an. 1172. ex eadem familia fuiſſe videntur; nam in dipl. Göſſenſi 18. ad an. 1210. *Otto de Kremis* citatur, qui in dipl. Göſſ. 11. 16. 17. etiam *Otto de Chrembſe* appellatur, cætera latent.

16. *Rudolf de Stahremberg*, v. annot. dipl. 14.

17. *Fridericus de Mierſtorff*, v. annot. dipl. 7.

18. *Duringus de Stegne*, obſcura Styriæ familia, ex qua præter Duringum hunc *Bertholdus* ſolum innotuit ex dipl. Seiz. 9. inter mea num. 59. in quo legitur inter teſtes *Bertholdus de Stegne*; fors iidem cum Dominis de Stange, v. dipl. 14. Idem ad an. 1209. reperitur teſtis in quodam documento Vorav. *During & Bertbold de Stegne.*

19. *Wernherus de Lavend*, Comites Lavantinos e Sponheimiis ortos dixi anno 991. & Hübnerus tab. 560. in ſerie Ortenburgenſium, *Bernhardum* Comitem de Lavant, Engelberti II. Com. Ortenburgici, & Lavantini filium ponit, Engelberti III. Ducis Carinthiæ fratrem, cum vero Wernherus noſter, non Bernardus dicatur, atque inter ultimos fere teſtes reponatur, dubito, an idem cum Bernardo citato ſit reponendus. *Wernherus de Lavend.*

20. *Udiſchalcus & Eberardus de Viſcha*, oppidum eſt Auſtriæ in circulo infra ſylvam Viennenſem, de quo loco plura jam in Diſſert. 4. cap. 6. Ottoc. V. ac fundat. Vorav. uti & in annot. dipl. 32. ex hoc Auſtriæ loco Dynaſtas hos prodiiſſe ſuſpicor, uti & *Marchvvartum*, *Diepoldum*, *Amelricum* ſeq. dipl. citatos, ante hos ad an. 1156. *Hartnidum de Viſca* exhibet dipl. Seccov. inter mea num. 82. locum *Viſcha* non ignobilem fuiſſe, plurima teſtatum faciunt, etenim *Ottocarus* Archi-Presbyter, & poſt eum *Ortliebus* in Viſcha, ſimulque Capellanus Ottocari VI. fuit, ut in annot. dipl. 20. &c. Ottocarus V. fundationem Vorav. inibi ſubſcripſit, aliasque, ibidem eſt moratus, an. 1166. jam forum *Viſchach* appellatur, ut ſeq. dipl. oſtendetur, ut adeo Dynaſtas quoque ſuos habuiſſe credibile appareat. *Udiſcalcus & Eberardus de Viſcha.* *Oppidum h. nom.* *Marquard Diepold. Amelricus de Viſcha.* *Hartn. de Viſch* *Ottoc. Archipr. in Viſcha.* *Ortliebus it. & Capell. Ottoc. VI*

21. *Merboto de Trabſteten*, villam *Trabſteten* Adalrami fundat. Seccov. fuiſſe, & ab eo Ottocaro V. Marchioni cum prædio & monte *Starchenberg* ac militibus propriis donatam fuiſſe, docet dipl. Seccov. 22. inter mea num. 58. An inde, vel alio e loco hi Domini de Trabſteten ſe dixerint, hactenus compertum non habeo: præter hunc Merbotonem, etiam *Henricus de Trabſtetten* legitur in dipl. cod. Admont. 63. 66. inter mea num. 69. 70. *Merboto de Trabſtelen.* *Villa Styriæ.* *Henricus de Trabſteten.*

In ſubſcriptione diplomatis annus 9. Imperii in Friderico ſuſtineri non poteſt, ſed ſubſtitui debet annus 11. completus, vel 12. incompletus utv. dicta an. 1166.

Ad Diploma 37. *Ad Dipl. 37.*

Diploma hoc eſt Chunegundis Marchioniſſæ noſtræ viduæ, quo Seccovienſibus legata Ottocari piiſſimi mariti ſui exequitur, & nova donat. Hanc Chunegundis noſtræ munificentiam, dum in foro ſeu oppido *Hartperch* ageret, ita ad an. 1166. explanavi, ut ei ſupperaddendum nil cenſeam.

Cum autem Seccovienſes curtem unam, juxta amnem Viſchach emerunt, ita, ut etiam jus Forenſe inibi haberent, emptio hæc facta dicitur ab *Eberhardo* quodam *monetario ac diſpenſatore* aliquando Marchioniſſæ, ejusque *uxore Truta*, & quidem *in foro ſeu oppido Viſchach*, ſub *Balduino* moderno noſtræ Marchioniſſæ diſpenſatore, teſtes emptionis hujus adſciti ſunt.

1. *Durinch de Starchenberch* cum filiis ſuis *Berchto*, fors *Bertholdo & Udalrico*, de his v. annot. dipl. 14.

2. *Iſinger de Muetenſtorff*, v. annot. dipl. 14.

3. *Durinch de Staine*, v. annot. dipl. 14.

Tyemo & Berthold de Rotengr. 4. *Tyemo & Perthold de Rotengruebe.* *Rotengrueb* arx Auſtriæ in circulo infra ſylvam Viennenſem ſita, apud quam vineas duas ab onere decimarum an. 1417. liberavit *Albertus de Puechaimb*, atque hujus arcis veteres Dominos hos Ruetengruebios cenſeo, inter Miniſteriales Chunegundis noſtræ deputatos, Bertholdi hujus frater alter detegitur ex dipl. Seccov. inter mea num. 81. ad an. 1149. in quo legitur *Bertholdus de Rotengruebe, & frater ſuus Geroldus.* De Leotoldo jam ſupra memoratum, dipl. 36. in Neitpergiis littera *F.* eum fuiſſe privignum Gotſcalci de Neiberg, v. diploma 67.

Arx Auſtriæ. Albertus a Puchaimb.

Gerold de Rotengruebe.

Ingram de Willendorff. 5. *Ingram de Willendorff*, ignotus, nec alio in diplomate repertus. Locus eſt Auſtriæ in circulo ſupra Manharti montem ſitus, ex quo hunc Ingramum tanquam teſtem advocatum cenſeo, quare & cæteros conſequentes vix nobiles fuiſſe ſuſpicor.

Locus Auſtriæ.

Henr. Zilla. 6. *Heinrich Zilla*, ignotus denuo, & fors ab oppido Zilla cognomen traxit, non tamen adhuc e familia Cilienſium Comitum repetendus, quæ tardius exorta eſt.

Ebermann de Salchenovve. 7. *Ebermann de Salchenovve*, nec hic, quis fuerit? innoteſcit, *Salenau* locus eſt Auſtriæ transeuntibus Neoſtadio Viennam obvius, ac in via regia ſitus, an eo ex loco accerſitus fuerit? vel ejus Dynaſtam geſſerit? incompertum. Cæteroquin non apparet.

Salenau in Auſt.

8. *Diepold Uſchalte* (Udiſcalcus) *Marchvvart*, *Amelreich de Viſchach.* De his v. annot. dipl. 36.

9. *Hiemo de Vienna*, cæterique quam plures ejusdem civitatis homines, nec hic de nobilitate fuit, ſed de civitate Vienna teſtis, cum aliis poſtulatus; cum enim hæc emptio fieret in foro *Viſchach*, præter 4. primos veræ nobilitatis viros, etiam alii de civitatibus & locis adſitis, teſtes poſtulati fuerint, nominaque ſua contractui ſubſcripſerint.

Ut vero ſolemnius celebraretur emptionis hujus negotium, Chunegundes vidua in foro *Hartberch* conſtituta, de hominibus & Miniſterialibus ſuis addidit teſtes hoſce:

1. *Heinrich Brys* (forte *Bruſchenck*) de quo v. annot. dipl. 34.

Eckebertus de Moſebach. 2. *Eckekert de Moſebach*, idem occurrit in dipl. Admont. 62. inter mea num. 4. loca bina ſunt Auſtriæ, vilia utcunque, unus in circulo ſupra ſylvam Vien. ſitus, alter in circulo ſupra Mainhardi montem; unde ex hac circiter vicinia, & fors annexa Dynaſtia, nomen duxerit; præter hunc vero nemo alius hujus familiæ mihi viſus.

2. *Gotſcalc de Neutberg*, v. annot. dipl. 36.

4. *Otto de Stubenberch* cum filio ſuo *Wulfingo*, v. annot. dipl. 4.

5. *Wulfinc de Kapfenberg*, v. annot. dipl. 14.

6. *Gundaccar de Styra*, v. annot. dipl. 6.

7. *Ortolf de Waldenſteine*, v. annot. dipl. 7.

8. *Otto de Volkenſtorff*, v. annot. dipl. 25.

9. *Alber de Dunkenſtaine*, v. annot. dipl. 7.

Otto & Ortolf de Grieskirchen. 10. *Otto & Ortolf de Griezkirchen*, urbs eſt Auſtriæ eius nominis in circulo Hauſruggenſi, 6. milliaribus Lincio duobus Efferdinga, in meridiem vergens, quam alluit Tratnachus fluvius. Ea olim cum ar-

Urbs Auſtriæ.

ce

ce *Parz* familiæ huic, ea vero exſtincta, noſtro tempore imperio Comitum a *Weiſſenvvolf* ſubeſt. Lexicon univ. Baſileenſe oppidum olim ac originarium locum DD. de Krieskirchen fuiſſe ſcribit, quorum *Otto & Ortolfus* an. 1096. vixerunt, de quo tamen anno dubito, ne ætas eorum juſto longius extendatur. Oppidum id an. 1327. ad Conradum Schlöggl, ab hoc ad *Com. de Schaumburg*, inde *ad Stahrembergios*, tandem ad Polheimios devenit, quorum unus *Gundaccarus* an. 1613. a Mathia Imp. urbis privilegia obtinuit, poſt ejus mortem ad Davidem *Ungnad de Weiſſenvvolff* venditione pervenit. Ita Hocheneckius tom. 2. p. 786. In Griezkirchen ex Polheimiis ſepulti ſunt: *D. Sigiſmundus III.* mortuus an. 1598. D. *Potentiana* nata Hochenſelderin uxor. def. an. 1582. *D. Georgius Rupertus* def. an. 1603. *D. Chriſtina*, nata Streunin ux. def. an. 1631. Domic. *Anna Maria* def. an. 1560. Domic. *Potentianana* def. an. 1571. D. *Ludov. Frid.* def. an. 1605. *Ortolfus de Grieskirchen* ſolus occurrit in dipl. Cremiſan. an. 1169. unde fors Otto jam obierit, cæteri me latent.

David Ungnad Com. de Weiſſenwolf.
Sigiſm. III. Potentiana, Georg. Ruper. Chriſtina Potentian. Lud. Frid. de Polheim.

11. *Albrecht de Eppenſtein*, duplex erat *Eppenſteiniorum* familia, una in Styria ſuper. & Carinthia, atque ut volunt quidam, ex Comitum de Muerztall poſteritate, deſcendens, altera ad Rhenum verius *Eppſtain* dicta, quæ Comitis titulum ac dignitatem tenuit, ex hac Sigefridi duo Moguntini Archiep. unus ſæc. 12. alter 13. ſæculo, etiam Cardin. S. Sabinæ tit. inſignis: *Gerbardus quoque de Eppenſtein* Præſul Mogunt. fuit tempore Rudolfi Habſpurg. circa an. 1278. Sed de his alibi.

Eppenſt. de Alb. duplex eor. famil.
Sigefrid. II. de Eppenſt. Archie. Mog. & Gerhar. Arcb. Mognuti

Jam Diſſert. 4. in Ottoc. & Leopoldo forti dixi exſtare adhuc rudera veteris arcis *Eppenſtain* penes Judenburgum, e qua arce nomen & ortum ſuum derivarunt veteres illi Eppenſteinii in Styria ſuperiore, qui dein ex Marchionibus Iſtriæ facti ſunt Duces Carinthiæ, atque in Henrico II. Carinthiæ Duce ſunt exſtincti, cui dein hæres ſucceſſit Leopoldus fortis Marchio noſter an. 1127. in ditionibus avitis. Penes rudera veteris arcis, exſtitit etiam novum caſtrum *Eppenſtein*, nunc Comitum de *Schidenitz* tardiore tempore erectum.

Arx Eppenſtein duplex.

Quamvis vero illuſtriſſima Eppenſteiniorum familia cum Henrico II. Duce Carinthiæ ſepeliretur, fuere tamen extra eam familiam Eppenſteinii etiam alii, qui diutius in Styria perdurarunt, forſitan ex linea aliqua laterali, uti Putinenſes, exorti. Schema Genealogicum Eppenſteiniorum in Muerzthallenſibus ſæc. 11. dedi; unde vero hi Domini de Eppenſtein deſcenderint? haud quidquam certi apparet;

Albertus hic de Eppenſtein etiam in dipl. Seccov. 21. inter mea n. 49. citatur, & in Admont. dipl. 63. inter mea num. 63. an. 1185. ita citatur *Adilbert de Eppenſtein*, & *filius ejus Lanfrancus*, ac in Admont. dipl. 6. inter mea num. 70. ita: & *filius ejus Lantfridus*, unde Adilberto huic duos fuiſſe filios ſuſpicor, Lanfrancum, & Lantfridum II. (de Lantfrido I. mox erit ſermo) Lanfrancus ad an. 1186. in cod. diplom. Admont. 63. inter mea 69. citatur, dein ejus memoria non amplius mihi occurrit, de Lantfrido II. vero Alberti filio ita habet Necrol. Seccov. apud P. Frælich. part. 2. dipl. S. Ducatus Styriæ p. 359. *Landfridus de Eppenſtein in expeditione obiit*, nempe: *hic ultimus filiorum illorum pergens Jeroſolymam tradidit nobis prædium omne Goberritz, quidquid ibidem habere poterat.*

Albertus de Eppenſtein.
Et Lanfrancus filius ac Landfridus.

poterat. Quonam anno obierit? non conſtat, cenſeo poſt annum 1235. quo in dipl. Admont. 58. inter teſtes adhuc citatur. Anno certe 1265. jam mortuus refertur in dipl. Seccov. 86. in quo habetur: quod *prædium Lantſchacherpach D. Lantfridus piæ memoriæ de Eppenſtein tradiderit Monaſterio Seccovvenſi.* Cenſeo eundem etiam ultimum familiæ huj. fuiſſe.

Lantfridus II. de Eppenſtein.

Ex eodem Lantfrido II. innoteſcit *Lantfridus I.* & quidem diſtinctus a *Lantfrido II.* quia Necrolog. Seccov. cit. fol. 355. ita habet: *Obiit 8. Kal. Martii Lantfridus in Eppenſtein, qui dedit nobis curiam in Chravvat.* Cum Lantfridus II. iisdem Seccovienſibus dederit prædium omne *Goberritz & Landſchacherbach.* Lantfridus hic primus fors frater Adilberti citatur an. 1140. in in dipl. Seccov. 1. an. 1182. in Seccov. 22. Admont. 11. ad an. 1139. & 16. an. 1146. aliisque pluribus, non tamen ultra annum 1182.

Volcoldus de Eppenſtein, & Geroldus Præp. II. Seccov.

Volcoldus de Eppenſtein teſtis adducitur an. 1186. in dipl. Admont. 63. inter mea 69. *Gerold de Eppenſtein* Præpoſ. II. Seccov. fuit antea Decanus, v. dipl. Seccov. 26. 27. præfuit ab an. 1196. ad 1220. circ.

Richerus & Erneſt. de Eppenſt. Margaretha & Cunegund. de Eppenſtein.

Richerus ex diplom. Admontenſi 112. circa annum 1191. & *Arneſtus* vel *Erneſtus* ad an. 1227. ex dipl. Seccov. 46. præter hos in Necrol. Runenſi apud cit. Frælich. part. 2. fol. 343. *Margaretha de Eppenſtein* 18. *Kal. Julii* defuncta, & fol. 356. in Necrol. Seccov. 7. *Kal. April. Cunigundis de Eppenſtein* defuncta notatur.

Otto de Vurte, ac filius Otto.

12. *Otto de Vurte* cum filio ſuo *Ottone*, unus horum circ. 1170. in cod. dipl. Admont. num. 80. inter mea 46. denuo citatur. Ignoti cœteroquin nec alias viſi.

13. *Ebo & Otto de Heimburch*, v. annot. dipl. 4. & 6. in Hunniſpergiis.

14. *Luitold de Rotengruebe*, v. hoc dipl. num. 4. in teſtibus primo loco adductis.

Huttendorff de Meginhard.

15. *Meginhard de Huttendorff*, ignotus, nec alibi viſus.

Ad Diplom. 38.

Ad Diploma 38.

Vorav. confirm. a Chunrado II. Salisburg.

Diploma Chunradi Archiep. Salisburg. quo prædium & Eccleſiam Voravienſem, cum illa in Dechantskirchen confirmat Canonicis Voravienſibus ab Ottocaro V. fundatis, illud ipſum fere eſt, quod diploma fundationis Voravienſis: Eberhardus Archiep. Salisburgenſis ſub quo ea fundatio facta eſt, morte præventus fundationem hanc nonniſi vivæ vocis, ut ajunt, oraculo confirmavit. Chunradus itaque ſucceſſor diploma edidit, & Eberhardi mentem, ac fundationem Voravienſem confirmavit anno 1168.

Vorav. prædii termini.

Determinantur hoc in diplomate, *1mo:* termini prædii Voravienſis eodem modo, quo in dipl. fundat. Vorav. *2do:* Cum Eberhardus anteceſſor verbo ſolum Voravienſibus Canonicis, duas daret Parochias, nempe *Vorau* & *Dechantskirchen*, eosdem hoc eodem diplomate confirmavit. *3tio:* Decimas vini *de 4. vineis apud Hartberch, & de 3. ad Fiſchach* contradit. *4to:* Statuit, ut quotiescunque Archidiaconus vice Archi-Epiſcopi, *placitum Chriſtianitatis* celebrare voluerit, eundem Præpoſitus Voravienſis in una prædictarum Eccleſiarum Vorawe, vel *Dechantskirchen* ſcilicet, honeſte reciperet, eidemque ad ſalutem animarum cooperaretur. *Placitum Chriſtianitatis* ab Archi-Diacono haben-

Parochiæ primæ Voravienſium. Decimæ primæ.

Synodus in Dechantskirchen. Placitum Chriſt. vel Syodus.

habendum erat Synodus, seu convocatio populi Paræciani, in qua præsidente Archi-Diacono causæ Ecclesiasticæ agitabantur, jus dicebatur, pœnitentiæ in foro externo taxabantur. Ita Carolus du Fresne. 5to: Statuit etiam terminos plebis seu Parochiæ Voravienſis, nempe *a ſummitate montis Maſſimperg, & per ejus cacumen uſque ad originem fluvii, qui dicitur Fuſtriz, & a capite rivuli, qui dicitur Wizilavenz* (seu weiſſe Laſſnitz) *uſque, dum idem rivulus in* ſchwarze Lavenz (seu ſchwarze Laſſnitz *uſque defluit.* Ex quibus proin patet, modernas Parochias S. *Jacobi in ſylvis*, S. *Margaretæ in Wenigzell*, & S. *Georgii in Waldbach*, cum *illa Mönichwaldenſi*, intra terminos Voravienſis Parochiæ olim fuiſſe conſtitutas: nam limites Parochiæ Voravienſis erat ſummitas montis *Maſſimberg*, ſi jam per cacumen *ad fl. Feuſtritz* originem eatur, perveniemus ad limitem quo noſtro etiam ævo Parochia S. Jacobi ſecernitur a Parochia in Ratten, & ſi a ab origine riruli *Wizilavenz*, ſeu weiſſe Laſſnitz, qui etiam nunc Weißenbach dicitur, procedatur, uſque dum iſte rivulus in *Schwarzilavenz* influit, comperiemus eos eſſe limites qui defacto penes arcem Wöſtenburg in der Bruck, Parochiam Mönichwaldenſem ab illa S. Laurentii, quæ eo ævo ſub Parochia Dechantskirchenſi erat, diſtinquunt.

Termini paroch. Vorav.

Parochiæ S. Jacobi in ſylvis S. Marg. in Wenigz. S. Georg. in Waldbach & Mönichwald. olim ſub Vorav. Parochia.

Unica quæſtio hic moveri poſſet: quænam duarum Eccleſiarum Voravienſium ſenior ſit, an collegiata S. Thomæ, an Eccleſia S. Ægidii in oppido Vorau, & nunc Parochialis dicta? cenſeo antiquiorem eſſe collegiatam S. Thomæ: ratio prima eſt ex Chron. MS. Voravienſi, in quo ita lego: *Hoc prædium Vorau habuit olim unicam Eccleſiam*, proin *olim*, ſeu *aliquo & anteriore tempore* unica erat in prædio Vorau Eccleſia; ſi autem olim unica erat Eccleſia, altera S. Ægydii olim in prædio Vorau non fuit, ſicque ſi Eccleſia S. Ægidii ſemper non fuit, tunc illa S. Thomæ antiquior erit cenſenda. 2. Licet Chron. MS. Vorav. fere 400. annorum remotius ſit, quia initio ſæc. 16. ſcriptum, hiſtoriam tamen ſuam ex aliis documentis, nobis forte incognitis deſumpſerit, vel producatur inſtrumentum antiquius in contrarium. 3. Traditio pro antiquitate S. Ægidii tanta non eſt, nec ad ſummum 200. annos excedens, huic vero traditioni contradicit Chronicon noſtrum circa initium ſæc. 16. ſcriptum, quod proin, ſi eo tempore ea traditio fuiſſet, huic vix contradixiſſet. 4. Eccleſia S. Thomæ an. 1149. Eccleſia vero S. Ægidii primo an. 1202. eſt dedicata, nec eſt, quod opponatur, Eccleſiam S. Ægidii ſecunda vel tertia vice an. 1202. fuiſſe dedicatam, quia de novo exſtructam, cum aliunde conſtet, eam ter eſſe dedicatam, nempe 9. *Dec.* ſemel *poſt feſtum Corporis Chriſti*, & *in Octobri*, ex Kalendario cod. MS. Vorav. num. 226. in quo habetur ſæc. 15. dedicationem Eccleſiæ Vorav. S. Ægidii habitam Dominica poſt feſtum Corporis Chriſti. R. cum dedicatio antiquior S. Ægidii Eccleſiæ illa de an. 1202. non occurrat, roboratur allegatus Chronici locus dicens: *Eccleſiam S. Thomæ olim unam in prædio Vorav.* exſtitiſſe, præſertim cum tempore fundationis, oppidum Vorau nondum in rerum natura fuerit. 5. Licet Chronic. MS. Vorav. anno 1202. dicat: *dedicata eſt parochialis Eccleſia Vorau in foro*, non tamen infertur, eam jam tunc fuiſſe parochialem, nec tunc Voravienſe oppidum ſeu forum fuiſ-

An ſenior ſit Vorav. Eccl. Coll. an S. Ægidii in oppido.

ſe, author enim Chronici per Prolepſim locutus eſt ad ſua tempora, quaſi diceret, Eccleſia, quæ nunc ſeu tempore, quo author ille ſcripſit, parochialis eſt, dedicata eſt an. 1202. præſertim cum in chartis chronico antiquioribus, tum in Kalendario Bibl. noſtræ Vorav. mox allegato, ly *parochialis* omittatur.

Vorav. S. Ægidii Eccleſia an. 1306. Paroch. Illud certum, Eccleſiam S. Ægidii an. 1306. fuiſſe parochialem, cum talis vocetur in charta Hertnidi Præpoſiti, ut ſuo loco dicetur.

Teſtes hujus diplomatis a Cunrado Archiep. Salisburg. adducuntur ordine ſequenti.

Siboto Præpoſ. Salzb. 1. *Siboto Majoris Eccleſiæ Præpoſitus*, ſeu Salisburgi V. ex ordine Can. Reg. S. Auguſt. ibidem ſtatuto, v. auth. Germ. Sacr. t. 2. f. 140.

Maingot. Dec. 2. *Maingottus Decanus*, Salisburg. v. eundem author. cit. fol. 1045.

Gundac. Celler. dein Præp. ibid. 3. *Gundackar Cellerarius*, etiam Salisburg. fors ille, qui Sibotoni Præpoſ. Salisburg. poſt an. 1184. ſucceſſit

4. *Wernherus Præp. Sekkuvvenſis* in Styria.

5. *Hainricus Præpoſ. Garzenſis* in Bavaria.

6. *Albertus Ovenſis Præp.* ſeu *Avenſis* in Bavaria.

7. *Henricus Abbas S. Petri* Salisb. de quo Chron. Salisburg. apud Hier. Pez tom. 1. col. 346. habet eum Romano I. Gurcenſi Epiſcopo ſucceſſiſſe, ſed quoniam 6. Kal. Febr. adhuc Abbas ſubſciptus eſt, id ad an. ſeq. eſt referendum.

8. *Siboto Prior ejusdem* Monaſterii S. Petri Salisburg.

9. *Luitoldus Abbas Admontenſis*, de quo varia in opere dicta ſunt.

Datum eſt diploma in Monaſterio Admontenſi an. 1168. 6. Kal. Febr. Indict. II. quæ corrigenda, & ponenda I. congruit tamen. an. 1168. annus 4. regiminis Chunradi.

Ad Diplom. 39. *Ad Diploma* 39.

Vorav. confirm. ab Alex. III. P. Sequitur Alexandri III. Papæ confirmatio Voravienſis Canoniæ an. 1170. edita, atque Luipoldo Præpoſ. Vorav. ejusque fratribus, ſeu Canon. Vorav. inſcripta. Hoc in dipl.

1. Alex. III. P. Canoniam Voravienſem ſub ſuam, & B. Petri protectionem recipit.

2. Statuit, ut ordo Canonicus ſecundum B. Aug. regulam perpetuo in Vorau obſervetur.

3. Confirmat omnes Voravienſium poſſeſſiones tam præſentes, quam futuras, nominatim fundationem Vorav. ab Ottoc. V. factam, donationem Eberhardi Salzburg. & Chunradi ſucceſſoris de 2. Parochiis Vorau & Dechantskirchen, decimas vini de 4. vineis in Hartberg, & de tribus in Fiſchach. 4. Donationem Chunegundis Marchioniſſæ nobis factam, nimirum *manſum apud Luibene, ubi foditur ferrum ſeu Leobii & fontem apud Willealmeſpurc, ubi fit ſal.* De quibus plura ad annum 1170.

Chuneg. March. donat. Vorav. facta.

5. Defunctorum omnium ſepulturam, ac electionem Præpoſiti liberam decernit.

6. Chriſma, oleum ſacrum, conſecrationes altarium & Baſilicarum Clericorum ordinationes, Epiſcopo Diœceſano Catholico reſervat. 7. Profeſſionem ſtabilem determinat &c.

In

In indictione denuo error latet, nam anno 1170. non 4. sed 3. indictio respondet.

Ad Diplom. 40

Ad Diploma 40.

Adalberttus II. Archiep. Vorav. beneficens. Decim. curtem in Gravendorff donat.

Documentum hoc ex archivo collegii Vorav. est desumptum, continetque Adalberti Archiep. in Voravienses beneficentiam, quo eisdem *decimalem curtem Gravendorff* donat, de qua plurima ad annum 1170. *Gravendorff* vicus est supra Hartpergam, Voravium versus, cum Parochia, quæ vicariatus est matricis & Decanalis Ecclesiæ Hartbergensis. Locus, ubi hoc privilegium datum est, non est adjectus, bene tamen annus Incarn. Dom. 1170. & Indictio 3. quæ congruunt quidem, minime tamen annus Pontif. Adalberti, 5tus; constat enim Conradum II. an. 1168. obiisse, proin Adalbertum anno 1170. festo Omnium Sanctorum secundum regiminis annum compleviſſe, ut adeo in diplomate hoc vel annus secundus completus, vel tertius incompletus substituendus sit.

Ad Diplom. 41.

Ad Diploma 41.

Wigand de Massenberg donat Admont prædium ad Sawisdorff.

Continetur hoc diploma in cod. dipl. Admont. num. 80. atque an. 1170. vel seq. assignandum videtur, eo quod *Wigant de Masemperg*, & *Otto de Luben* subscripti ante hos annos raro inveniantur citati. Præterea cum Ottocarus VI. anno sequenti ipsemet præsens in Admont fuerit, hanc traditionem vel admiserit, vel factam confirmarit.

Adelheis de Massenberg Conv. Admont.

Donat vero Wigantus hic prædium suum ad *Savvisdorff* hobam unam Admontensi Monasterio, eo quod inibi filia sua Adelheis habitum sanctæ religionis susceperit.

Massenberg arx super Styria.

Wigandus hic de Massenberg Ministerialis Ottocari VI. March. Styriæ Dynasta fuerit, arcis cognominis in Styria superiore ad Muhram sitæ, olim Com Comitum de Zolnern, nunc per nuptias Comitum de Wurmbrand. *Wigandus* hic an. circ. 1181. dipl. Admont. 85. inter mea num. 57. & Seccov. 2. inter mea num. 58. nomen suum subjecit an. 1182. Præter illum *Engelbertus* an. circ. 1180. diplomati Admont. 80. subnotatus legitur. Ad an. 1274. in dipl. Göttensi 56. inter milites & nobiles Styriæ reperitur subscriptus *Wigandus & Albero fratres de Massenberch. Eckehartus de Massenberg* an. 1250. die 4. Kal. April. Voravii fuit, & cum Canonicis ibidem de damnis ab Hertenfelsio Rudolfo illatis transegit. V. Vorav. docum. Plura tom. seq. Testes traditionis erant

Engelbert & Albero de Massenb.

1. *Otto Judex de Liuben*, v. annot. dipl. 19.
2. *Colmann Liber de Luiben*, v. annot. dipl. 19.
3. *Eckebart de Treboche*, ignotus nec alius præter eum visitur.

Eckebart de Treboche. Albero Muline & Eckebartus.

4. *Albero Muline* etiam ignotus, & *Eckebartus* solus præter Alberonem in dipl. Admont. 82. inter mea num. 43. invenitur.
5. *Engilbertus Sororius* hoc est maritus sororis Wiganti, nempe *de Massenberg*, sed cognomen adjectum non est, uti nec nomen sororis.

Rudger. de Arnic & Berthold Heinric ac Aswin.

6. *Rudgerus de Arnic*, vix inter nobiles Styros hæc familia est reponenda. Dipl. enim inter mea num. 43. reperitur de familia Ecclesiæ Admont. fuisse. Præter hunc *Bertholdus* in dipl. Admont. 82. inter mea num. 43. reperitur fuisse Rudgeri filius, *Henricus* in diplom.

Admont. 85. circa 1182. & *Aſcvvin* in diplom. Admont 62. inter mea num. 44. citatur.

Swickerus de Dorff. 7. *Svvickerus de Dorff*, etiam de familia Eccleſiæ Admontenſis, proin inter nobiles non referendus: diſtinquendi etiam hi ſunt ab equitibus *Haiden de Dorf.* *Haiden de Dorff* in Auſtria claris, erant enim in Auſtria *Haidii de Dorff*, *Gunderſtorff* & *Achav* ſubpincernæ Auſtriæ ſæc. 16. fine exſtincti, alii *Haidii de Dorff*, prædio gentilitio, nominati hodiedum florent, de quibus alibi.

Ad Diplom. 42. *Ad Diploma 42.*

Marchward. de Starckenberg vendit prædium Sundermaning. *Marchvvardus de Starkenberg* (v. annot. dipl. 14.) vendidit, & tradidit Admontenſibus partem prædii ad *Sundermaningen*, eo tamen pacto, ut ubicunque infra Salisburg. Diœceſim obiret, ſepulturam in Admont obtineret, & ut cognata ejus in Monaſterio Admontenſi ſuſciperetur, ut pluribus in annot. dipl. 14. oſtendi.

Traditionem in Vorau facit. Illud mirabile quod traditionem prædii hujus cum poteſtativa manu Domini ſui Otagrii Marchionis fecerit ſuper reliquias ſanctorum *apud Forovve*, ſeu in Monaſterio Vorav. de quo tamen documenta noſtra domeſtica ſilent. Teſtes hujus traditionis in Vorau factæ erant *Otto de Stubenberch*, de quibus v. dipl. 4. annot. aliique.

Udalr. & Gerung. de Stutarn. Omnimodam vero prædii abdicationem fecerunt fratres uxoris ejus, ſeu *Starkenbergii*, nempe *Udalricus* & *Gerunch de Stutarn* (de quibus v. annot. dipl. 21.) & quidem in urbe *Græze* ſuper reliquias ſanctorum coram Domino ſuo Marchione. Ex quibus itaque patet, & *Marchvvardum de Starchenberg*, & *Udalricum ac Geruncum de Stutarn* Miniſteriales Ottocari VI. fuiſſe, & uxorem Marquardi fuiſſe natam de Stutarn.

Ad Diplom. 43. *Ad Diploma 43.*

Traditio hæc a *Pilgrino de Murzhoven* facta eſt conſentiente Ottocaro VI. Marchione Domino ſuo, cum enim Pilgrinus hic, filium & filiam ſuam ad religioſam vitam in Admontenſi Monaſterio promo-
Oberndorf prad. ad Gumplarn. viſſet, ad eorum ſtipendium, prædium ſuum *Oberndorff* ad *Gomplarn* ei-
Otto de Liuben. dem Monaſterio dedit, concedente Marchione ac delegante per manus *Ottonis de Liuben* tradendum. Prædium hoc *Oberndorff* in Styria ſupra Leobium, ad S. Dionyſium ſitum arbitror ex dipl. Göſſ. 11. inter mea num. 71. arx item in valle Anaſina, nunc *DD. de Pichel* hujus nom. exſtat.

Teſtes hujus rei geſtæ erant: 1. *Wulfingus de Capfenberg*, v. annot. diplom. 14.

2. *Gundacker de Styra*, v. annot. dipl. 6.

3. *Otto Sun*, v. annot. dipl. 6. in Feiſtriziis, hi enim *Sun de Feiſtriz* dicti ſunt. Veniens dein *Otto de Liuben* (de quo v. annot. dipl. 19.) prædium hoc cum omnibus ſuis attinentiis, delegavit Monaſterio Admontenſi eodem modo, ſicut Pilgrinus illud a ſocero ſuo ſeu patre uxoris ſuæ *Ottone de Liuben* pro dote acceperat.

Pilgrinus

Pilgrinus de Murzhoven inter nobiles Styriæ fuerit, quia Ottocari Marchionis licentia opus habuit, probabilius Dynaſta exſtiterit prædii oppidi *Murzhoffen* in Styria ſuperiore. Uxor ex dictis *nata de Liuben* erat, quacum dotis inſtar ab *Ottone de Liuben* prædium *Oberndorff* recepit. Alium hujus familiæ non invenio, fors exſtincta eſt, cum filius & filia Pilgrini hujus Admont. aſceterium ſubierint. Teſtes traditionis erant 1. *Ortolf de Tolet.* Peregrina hæc mihi familia eſt, nec alius præter hunc Ortolfum apparet hoc tempore, in Auſtriæ circulo Hauſruggenſi exiſtit *arx Tolet* jus gladii habens, nunc Comitum *de Sprinzenſtain*, unde hujus loci Dynaſtam fuiſſe colligo, arx ea an. circ. 1514. paruerit *Bernardo Jerger de Tolet* dicto, ut v. Excell. Wurmbrand. in Collectan. hiſtor. Genealog. fol. 61. Hocheneckius in deſcript. Auſtr. tom. 2. pag. 502. ſequentia tradit. *Toleth* arx ſuper. Auſtriæ in circulo Hauſrugg. ad fluvium Tratnach ædificatum a Dominis ejusdem nominis fuit. Dein DD. de Jerger id poſſederunt, inde vero cum Schwabeck & S. Georgio obvenit *Adamo Baroni Herberſtorff*, cujus uxor nata de *Preyſing* eam an. 1637. *Wenceslao Richardo Com. de Sprinzenſtein* vendidit, ex quibus proin conjectura mea firmatur.

Murzhofen prædium & oppidum Styr. ſup.

Ortolf de Tolet.

Arx in Auſtria.

Bern. Jerger de Tolet.

Adam B. de Herberſtorff. Wenceſ. Rich. C. de Sprinzenſt.

2. *Otto de Liuben*, v. annot. dipl. 7.

3. *Reginbot de Dirnſtain*, v. annot. dipl. 7.

4. *Ribfrid & Gotfrid & Rudger de Nidecke*, familia hæc Auſtriæ Baronum eſt, e caſtro Carnioliæ 8. milliaribus Labaco diſſito (quod an. 1250. *Mainhardus & Hermannus* poſſederunt) exorta; quidam eos an. 1540. alii jam an. 1287. in Auſtriam abiiſſe volunt, eadem familia in Tyroli & Carniolia floruit, quorum una linea *Rain* exſtincta, altera in *Raſtenberg* perdurat.

Richfrid, Gotfr. Rudger de Nidecke. Caſtrum Carniol. Mainhard & Herman de Nidecke.

Caſtrum porro *Neideck* in Carniolia, domus nativa eorundem videtur, id an. 1250. *Mainhardus & Hermannus* fratres, an. 1275. *Fridericus de Neydeck*, qui Abbati Sitticenſi Conrado, oppidum *Sagoritſch* vendidit, ac poſt obitum ejus *Jeutha* vidua an. 1293. benefactrix Sitticenſis tamdiu tenuit, donec Otto filius ad pubertatem veniret. Ita Wurmbrand. & Valvaſar. ex MS. Provinc. Sitticenſ. aliisque. Teſte Valvaſorio tom. 3. fol. 397. an. 1335. *D. Fridericus de Seunek Capitaneus Carnioliæ* caſtrum *Neydecke* poſſedit, & mox an. 1400. *Joannes de Neidek* Capitaneus; ſi P. Bautſcher relationi credimus, Dominium *Neidek* Patriarchæ Aquilej. paruit, etenim ita refert citat. author anno 1336. *Leopoldus Souneck inveſtitur a Beltrando Patriarcha caſtris Seunegk, Neideck, Neikirch, & Reiffniz;* attamen varia mihi ſcrupulum hac ſuper relatione ingerunt, nam 1. *Leopoldus de Souneck* nullus ſæc. 14. ſed *Leopoldus* ille *Ulrici I.* frater, ac *Friderici I. Comitum de Cileja* e Saneckio a Ludov. IV. Imp. creati patruus, jam ſæc. 13. fine, inter vivos agere deſiit, ut habet accurata Geneal. Souneck. apud P. Frælich. 2. De Rubeis exactus rerum Aquilej. ſcrutator, ne verbo hujus inveſtituræ a Bertrando factæ meminit. 3. Vix credibile idem Dominium Neidek ad Souneckios, ac ab his paucos intra annos denuo ad Neidekios fuiſſe translatum; quod ſi tamen documenta ſufficientia adeſſent, *ab Ottone de Neideck*, ad Bertrandum Aquil. ab hoc ad Seuneckios, ac denuo ab his ad *Joannem de Neideck* an. 1400. Carnioliæ Prætorem ſeu

Frid. de Neidek

Frid. de Seuneck an. 1335. Carn. Capitanus. Joan. de Neid. Neideck cuſtr. an Aquil. Patr.

Leop. de Souneck & Ulricus I. Frid. I. C. Cilej.

Otto de Neidek Bertrand. Patr. Aquil.

ſeu Capitaneum id caſtrum deveniſſet. Rem eam Lazius lib. 5. de migr. gent. pag. 182. e dipl. Ludov. Bavari Imp. eruiſſe videtur, quo Ludov. hic Imp. an. 1341. Fridericum L. de Souneck, & ejus hæredes ornat titulo Com. de Cily, tum ob fidelia obſequia, quæ præſtitit, tum ob peramplos fundos nimirum *a pago Seluck infra Hochenek in Ducatu Styriæ uſque ad pagum Cabercb in longum 4. milliaria, & in latum item 4. miliaria a pago Gevoblitz prope terminos Landſperg in Epiſcopatu Gurcenſi uſque ad pagum Sabiach prope Feiſtriz in Styria*, qui diſtrictus, licet olim in Dominio *Lemberg ſeu Lengeburg* fuerit, tamen Neideckium non involviſſe videtur. An. dein 1435. Dominium hoc Comites de Cileja poſſederunt, ut notat Lazius Comment. de rep. Rom. pag. 1173.

Neideck caſtr. an. 1435. Cilej.

Eod. an. ib. præl.

Refert vero cit. Valvaſorius, eodem an. 1435. ſub caſtro *Neidek*, inter milites Com. Friderici de Cileja, & Friderici Archiducis Auſtriæ ac Epiſcopi Gurcenſis ortum fuiſſe prælium, ea de cauſa, quod Fridericus Archidux & Epiſcopus Gurc. copias ſuas ad Naſſenfuß locarent, unde Comes *Cilejenſis Fridericus* centurionem ſuum *Witovvizium* eo deſtinavit, qui cum ſub via experiretur, copias Auſtr. & Gurcenſes piſcari prope caſtrum *Neideck* cum ſuis advolans, illico omnes cum Auſtriacorum belliduce *Diernpacher* dicto, captos abduxit, atque trienii carcere ad *Gruppam* mulctavit; ita Valvaſ. ex Megiſero fol. 1111. plura item Valvaſ. tom. 4. fol. 337. &c. & nos alibi fuſius.

Redeamus ad Neideckios; Genealogiam eorum non attexit Hübnerus, bene tamen Bucelinus, Wurmbrandius, aliique. Bucelinus *Georgium de Neideck* ludis equeſtribus Brunſwici an. 996. interfuiſſe docet, ſed peſſimo calculo Joannem an. 1358. ejus filium ponit, plures enim interceſſere, quos hic breviter attingo, etenim *Richfrid*, *Gotfrid*, & *Rudger de Nidecke* hoc in dipl. citati, nepotes vel filii Joannis Georgii fuiſſe videntur.

Joan. Georg. de Neideck.

Mainhardus, *Hermannus*, & *Fridericus*, ſupra citati ſunt uti & *Feutha*, ac *Otto* filius, *Mainhardus*, & *Hermannus*, ac *Fridericus* forte fratres, ac *Otto Friderici ex Feutha* filius fuit.

Joa. I. de Neid. *Joannes I. de Neideck* an. 1287. Caſtellanus arcis Styræ in ſuper. Auſtria fuit, teſte Prevenhuebero fol. 38. & 368.

Leop. de Neidek. *Leopoldum de Neideck* an. 1298. Viennæ equitem creatum docet Hanſiz tom. 2. fol. 439.

Joa. de Neideck in prælio Müldorf captus. Idem auth. cit. an. 1322. Joannem *de Neideck* inter nobiles Salzb. refert, qui in prælio Müldorfenſi a Ludov. Bavaro capti fuerunt, v. fol. 448.

Ortolf de Neidek Jo. de Stabremb. *Ortolfus de Neideck* teſtem egit anno 1323. *Joanni Stabrembergio*, dum Zwethallenſi Monaſterio beneficus eſſet, v. Wurmbrand. fol. 218.

Henr. Margar. Petrus & Winther de Neidek. Catold. de Neid. *Henricus de Neideck* filiam habuit *Margaretham*, quæ villam *Steinboff* in pago *Riedenthall* ſitam a *Catoldo de Werth* an. 1345. emit, teſtibus inter alios adſcitis, agnatis *Petro* & *Winthero de Neideck*, Wurmbrand. cit. ex archiv. ſtat. Auſtriæ.

Joan. I. & Ulricus de Neidek. *Joannes II.* & *Ulricus* in pactis quibusdam dotalibus an. 1352. ita recenſetur: **Die ehrbahren Knechte Hannß und Ulrich von Neydeckh.** Ita cit. Wurmbrand. ex eodem archivo, quæ ſi ita, duplex erat horum linea, una equitum, altera adhuc ſervorum, cum Leopoldus jam

an.

an. 1298. inter equites ſit conſcriptus: Ulrici memoria ad annum 1368. perſtat.

Fors hic idem Joannes ad eos annos pervenit, nam ex monumentis familiæ hujus reperiuntur *Joannes, Eckel*, & *Simon fratres de Neideck*, qui recuperatis ope *Cunradi de Kraig* Carinthiæ Dynaſtæ, caſtris *Neideck* & *Rattenſtein*, bello antea amiſſis, eidem an. 1369. promiſere ſubſidium contra hoſtes ejus excepto ſolum Archiep. Salisburg. ut v. Wurmbr. unde lineam unam eorum in Salisburg. territorium, aliam in Auſtriam abiiſſe ſuſpicor. *Eckel & Simon de Neideck. Conr. de Kraig. Caſtr. Neideck & Rattenſtein.*

Joannes III. de Neideck an. 1400. Capitaneus Carnioliæ fuit, ut ex Valvaſ. oſtendi, ab hoc vero diſtinctum credo *Joannem de Neideck*, qui an. 1405. Wilhelmi Auſtr. Camerarium, & Dominii Stahremberg adminiſtratorem egit, uti docet Wurmbrand. fol. 127. & ex archivo ſtat. Auſtr. qui etiam *Dorotheæ de Pöſenbach* Joannis III. ut ſuſpicor, uxori (quæ huic omnia bona cum 400. libris denariorum attulit) dotalitii nomine *caſtrum Neideckhoff* prope *Stichſenſtein* oppignoratum dedit an. 1428. ac an. ſeq. a *Barbara Schaurpeckia nata de Lasberg* Dynaſtiam *Ulden*, atque a *Joanne Strauskircher* bona nonnulla in *Neukirchen* accepit. Joannes hic Burggravius erat in *Stichſenſtein* an. 1429. quo eod. anno a *Theoderico Perner* omnia bona dono accepit, plura alia refert Wurmbrand. *Radegunda*, uxor *Georgii Pibracher* ex equitibus Carinthiæ, an Joannis III. vel IV. filia fuerit? non conſtat, idem eſt de *Martino* & *Friderico* filiis. *Joan. III. de Neideck. Joan. IV. de Doroth. de Pöſenbach. Neideckhoff caſtrum. Barb. Schaurpeckia nata de Lasberg. Jo. Strauskirch. Theod Perner. Pibracher Georg Radeg. Martin. & Frid de Neid.*

Wolganfgus de Neideck caſtrum *Cornberg Chriſtophoro ab Eizing* vendidit an. 1404. dein ab *Achatio de Velben* cognato hæres ex aſſe ſcriptus. *Wolfg. de Neid. Cornberg. caſtr. Chriſtoph. ab Eiz. Achat. de Velben.*

Petrus & Ulricus II. an. 1421. *Eberhardus* vero ad an. 1440. inveniuntur. *Joannes V.* vel *IV.* adhuc eques legitur an. 1441. v. etiam Prevenh. fol. 371. item *Georgius* eques an. 1444. & 1467. apud Wurmbrand. fol. 127. & *Joannes* denuo fol. 79. *Wolfgangus & Anna* filia an. 1430. apud Wurmbrand. fol. 127. & 28. *Martinus & Margaretha* filia an. 1436. *Erhardus & Walburges*, ac *Urſula* an. 1473. apud eundem Wurmbr. deteguntur. *Georgius & Dorothea* filia an. 1436., 1448. & *Achatius* cum uxoribus *Dorothea & Praxede* fol. 127. ibidem leguntur. *Georgius* alter a Maximiliano I. Imp. Cancellarius Auſtriæ conſtitutus an. 1502. ſigillum imperiale accepit, dein ad faſtigium Principis & Ep. Trident. evectus, ac civit. Veronenſ. Cæſaris nomine præſes, defunctus an. 1519. *Wilhelmus* an. 1502. 1522. *Leopoldus II.* an. 1501. *Joannes V.* vel *VI.* an. 1522. *Otto II.* an. 1575. apud Wurmbr. fol. 127. *Martinus* vero ad an. 1502. & *Sigiſmundus* an. 1506. inveniuntur ibid. fol. 56. 84. *Petr. Ulric. II. Eberh. Joan. V. Georg. d. Neidek Jo. VI. Wolfg. Anna, Martin, Marg. Erhard. Walburg. Urſ. de Neideck. Dorothea. Achatius. Georg. de Neid. Epiſc. Trident. Wilh. Leop. Jo. Otto, Mart. Sigiſm. de Neideck.*

Erneſtus Ferdinandus eques de Neideck an. 1651. die 5. Sept. in homagio ab Auſtriacis Ferd. IV. præſtito inter equites Auſtriæ comparuit. Plura de his Auſtriaci, ſeriem totam omiſſis tamen horum pluribus refert Bucelinus. *Erneſt. Ferdin. de Neideck.*

5. Teſtis *Udalricus Chalhſenge*, ignotæ familiæ & nominis. *Udalr. Chalh.*

6. *Gerunch de Strebovv*, v. annot. dipl. 4. *Dietmar & Gotfrid homines ſeug. ejus*, ſeu quod idem cenſeo, ſubditi, ſeu coloni ejus.

7. *Hen-*

Henr. Zoph. 8. *Henritus Zoph*, ignotus, itidem nec alibi visus.

Eberh. Mulinn. 9. *Eberhart Mulinn*, v. annot. dipl. 41.

Gerunch & Isimgr. de Gurzh. 10. *Gerunch* & *Isimgrinus de Gurzhaym*, ignotæ denuo familiæ & nominis, & præter hos *Adelgerus* & *Wernherus* anno 1170. in diplom. Admontens. 62. *Hartvvicus* in 73. diplom. Admont. videtur. *Henricus* an. 1282. famulus dicitur Herburgis Abbat. Gösſenſis, v. dipl. Göſſ. 65.

Hadot de Pölſe. Pöls arx. 11. *Hodot de Pelſe*, *Pöls* arx eſt Styriæ inter Muhram & Dravum ad fl. Kainach ſita; oppidum præterea Styriæ ſuperioris cum inſigni Parochia, cujus ſacer curio Archi-Diaconi & Eccleſiaſtici Conſiliarii Salisburg. dignitate eminet, ab alterutro horum locorum Dynaſtas de Pels ortos arbitror, ad an. 1252. *Herbordus* filius *D. Engelſcalci de Pelſe* Miniſterialis Eccleſ. Göſſenſis opus habuit conſenſu ejusdem, ad conjugium cum extranea ineundum, v. dipl. Göſſ. 42. 43. & annot. dipl. mei 26.

Engelſcalcus & & Herbordus de Pölſe.

Starcand de Gezendorff, arx ejus nomin. 12. *Starcand de Gezendorff*, arx Auſtriæ infer. in circulo infra ſylvam Viennenſ. ſita, jam Comitum de *Windiſchgratz*, hoc ex loco Dynaſtæ de Gezendorff prodierint, inter hos *Hugo* in dipl. cod. Adm. 62. an. 1170. *Herardus* num. 139. ad an. 1188. circ. etiam inveniuntur.

Hugo & Herardus.

Timo & Willib de Piſchovſd. oppid. ejus nom. 13. *Timo & Willibalm de Piſchovesdorff*, oppidum Biſchofsdorf, corrupte Biſchelsdorf inter Gleichſtorf & Raindorf oppida ſitum, ſubeſt Excellentiſſ. Com. Gundaccaro de Herberſtein, priorique anno feria 4. cinerum fere totum eſt exuſtum. Ex hoc loco Dynaſtæ dicti originem traxerint, *Wolframus* in dipl. Admont. 62. ad an. 1170. invenitur. Cæteri latent.

Wolframus.

Meginhart de Zuchedol. Colm. de Trevia. 14. *Meginhart de Zuchedol*, prædium hujus nominis a *Colmanno de Trevia* traditum fuiſſe Admontenſi Monaſterio, ſeu potius Comitatum pro prædio *Havenarn* dixi, in annot. dipl. 25. ex hoc prædio nomen ortumque obtinuerint Domini de Zuchedol, *Wernherus de Zuchedol* in dipl. Admont. 62. ad an. 1170. invenitur.

Wernherus de Zuchedol.

15. *Dietmar de Pergarn*, & *Wecill filius ejus*. De quibus v. annot. diplom. 4.

16. *Eckehart. Rapot.* æconomi, proin nulla e nobilitate.

De familia vero Eccleſiæ Admontenſis infraſcripti teſtes notantur.

Rudger de Arnich & Berthold

1. *Rudger de Arnich*, *Berthold filius ejus*, v. annot. dipl. 41.

2. *Fridericus* Judex, locus non additur.

Aſcwin de Aiche. 3. *Aſcvvin de Aiche*, ignotus, & fors ob loci præfecturam ſic dictus, ex anonymo Leob. apud Hier. Pez tom. 1. col. 819. ad an. 1226. invenitur *Comes de Aich* Sueviæ nationis, in Styriam gubernationis loco miſſus, dum Frider. Dux Auſtriæ & Styriæ occideretur.

Pilgrinus de Sundermaningen Marquardus de Starchenberg. 4. *Pilgrimus de Sundermaningen* prædium hujus nominis, *Marquardus de Starckenberg* poſſedit hoc tempore, a quo an. hoc 1170. prædii ejus partem Admontenſes emerunt, ut v. dipl. 42. itaque Pilgrinum, vel poſſeſſorem hujus antea prædii, vel præfectum, aut œconomum ab Admontenſibus ſtatutum opinor.

Willibalmus de Hovehaim, & Henric. 5. *Willibalmus de Hovehaim*, *Heinricus frater ejus*, ignoti, & nullius nobilitatis fuiſſe videntur.

Walther & Henr. de Irenth. 6. *Walther de Irenthall*, & *Henricus frater ejus*, præter hos nullus hujus nominis invenitur.

Igno-

Ignoti item *Walbrunn ſenior &c.* quia nomina nulla adjecta, ultimus vero *Enzin de Halle* Miniſterialis etiam Admontenſis, præter quem Durincus in dipl. Admont. 46. an. 1201. & 66. an. 1186. ac 86. an. 1184. *Reinbart* vero & *Diepold* in dipl. Admont. Admont. 4. 8. ad an. 1203. *Swickerus* au dipl. Adm. 73. circ. 1188. invenitur, reliqui latent. *Enzin & Durinc de Halle Reinbart & Diepold ac Swickerus.*

Ad Diploma 44. *Ad Diplom. 44.*

Totum diplomatis contextum reique geſtæ ſeriem expoſui ad an. 1171. nondum tamen ſatis dignoſcere poteram, quinam fuerint hi hæredes Hartnidi? quis Hartnidus ille? ſuſpicabar olim, Hartnidum hunc de Ort fuiſſe, ſed cum inter fratres Hartnidi de Orte, Helmhardus ſolum, imo fors Ortolfus ſolus appareat, hoc vero in diplomate Hartnidi fratres referantur, Hermannus Sacerdos, Gerhohus & Engilramus dein Monachus Admont. vehementer dubito, an Hartnidus hic, & fratres ejus ex familia de Orte fuerint.

Cum itaque reliqua hujus diplomatis jam an. 1171. excuſſerim, teſtes ſolum ſunt expendendi.

1*mus* poſt Ottocarum Marchionem *Erchenbertus de Moſebach*, v. annot. diplom. 37.

2. *Otto de Stubenberch*, v. annot. dipl. 4.

3. *Odalrikus de Chranichberch*, v. annot. dipl. 32.

4. *Adalbero de Strechovve*, v. annot. dipl. 4.

5. *Marquardus de Starchenberc*, v. annot. dipl. 14.

6. *Rudolph de Zenzlausdorff*, præter hunc ad annum 1224. ex dipl. Göſſ. 56. reperitur etiam *Mainhardus de Zemlisdorff* inter Miniſteriales Styriæ, reliqui ignoti mihi hactenus. *Rudolphus & Mainhardus de Zemlisdorf.*

3. *Dietricus de Linthe*, Domini hi Dynaſtæ fuerint arcis *Linth* in Styria ſuper. ac circulo Judenburgico, quorum nonnulli occurrunt, & quidem in diplom. 1. Seccov. fundat. an. 1140. ſubſcripſit *Gundacher de Linde*, in quo etiam legitur *Albero de Liube*, quem fors *de Linde* legendum ſuſpicor. *Marquardus* in dipl. meis num. 63. circa an. 1185. *Gotfridus* vero inter dipl. meo num. 87. ad an. 1183. videri poſt poſteriorum nomina & genelogiam v. apud Bucelinum. *Dietricus de Linthe. Linth arx. Gundaccar & Adalbero. Marquardus & Gotfr. de Lint.*

8. *Hermannus Losbart* ignotus omnino, præter hunc inter dipl. mea n. 87. ad an. 1183. invenitur etiam *Oudalricus* cognomento *Losbart*, nec inter Styriæ nobiles eum referendum cenſeo. *Herm. Losbart, & Udalricus.*

9. *Timo de Piſcofesdorff*, de quo v. annot. dipl. 43.

10. *Chunradus de Perndorff*, exiſtunt villæ duæ in Auſtria *Berndorf* dictæ, una in circulo infra ſylvam Vienn. altera in circulo ſuper. Mainharti montis, exiſtit itidem villa *Perndorf* in Palthall ſeu valle Paltenſi Styr. ſuper. uti docet dipl. Göſſ. 11. inter mea num. 71. an his ex locis derivandi ſint Domini de Perndorf, an alio? ignotum: præter Chunradum enim hunc neminem deprehendere licuit. Circa annum dipl. hujus obſervo, in codice dipl. Admont. expreſſum eſſe quidem annum 1170. attamen edita noviſſima ſeries Abbarum Admont. in P. Frælich dipl. Ducatus Styriæ docet, Ottocarum VI. an. 1171. in Adm. præſentem litem compoſuiſſe, cui proin epochæ adhæreo. *Curr. d. Perndorf* *Villæ variæ ejus nom.*

Ad Diplom. 45. *Ad Diploma 45.*

Henr. Ep. Gurc. ex Abb. S. Petri an. 1167. Traditio hæc ſub Ottocaro VI. facta eſſe debuit, cum Henricus Ep. Gurcenſis ſubſcriptus an. 1167. eam inſulam obtineret primum, antea Abbas S. Petri; cæterum res Carinthiæ ſpectare videtur, etenim *Reginbardus de Tovernick* Miniſterialis Marchionis de Styre Ottocari VI. in manum D. Henrici Epiſc. Gurcenſis pratum unum ad *Chroneke*, juxta pratum Monaſterii Admont. ſitum delegavit Admontenſi cœnobio.

Reginbard de Tovernick.

Cum vero donatio hæc ſeu traditio facta ſit in Monaſterio *S. Georgii ſeu Langſee* in Carinthia, cum Hermannus Dux Carinthiæ teſtis adducatur cum aliis e Carinthia, patet eam in Carinthia factam, & Reginbardum, licet Miniſterialis Ottocari fuerit, in Carinthia tamen bona poſſediſſe. Teſtes erant

Herm. Dux Car. 1. *Hermannus Dux Carinthiæ*, frater Henrici IV. Ducis, qui in Jonio mari periit, præfuit ab anno 1161. ad 1181.

Otto de Poche. 2. *Otto de Poche*, probabilius ex Carinthia, cum cæteroquin in rebus noſtris non occurrat.

3. *Engilbertus* Miniſterialis Epiſcopi Gurcenſis, mihi ignotus.

Pilgrinus Abb. S. Pauli. 4. *Pilgrimus Abbas de Lavent*, ſeu Abbas S. Pauli in valle Lavant. qui teſte Megiſero per 30. annos ab an. 1169. ad 1199. præfuit.

Roman. e Præp. Ep. Gurc. 5. *Romanus Præpoſitus* Gurcenſis, qui dein anno 1174. ſucceſſerit Henrico Ep. Gurc. ſub nomine Romani II.

Ad Diplom. 46. *Ad Diploma 46.*

Hartnidus de Rutkerſpurg. *Hartnidus de Rutkerſpurg* (de quo v. annot. diplom. 4. & 7.) filiam ſororis ſuæ in Monaſterio Admontenſi ſuſcipi impetravit, ut proin dotem eidem aſſignaret, prædium ſuum *ad Sulz*, tres nempe manſus cum licentia Ottoc. VI. Marchionis ac Domini ſui Monaſterio Admontenſi contulit: Prædium hoc *Sulz* in Marchia ſeu Styria infer. ſitum obtinuit, ut manifeſtat dipl. Admont. 63. inter mea n. 69. v. plura in annot. dipl. 12. Teſtes erant

Sulz prædium Styr. infer.

1. *Vulphing de Stubenberch*, v. plura annot. dipl. 4.
2. *Hartnid de Ruckerſpurg*, v. annot. dipl. 4. & 7.

Ditmar Schriar 3. *Ditmar Schriar*, ignotus, & hoc ſolum in diplomate mihi viſus.

4. *Ottakar de Graeze*, v. annot. dipl. 7.
5. *Hartvvicus & Ludovicus de Klanecke*, v. annot. dipl. 33.
6. *Otto de Liuben*, v. annot. dipl. 19.
7. *Otto de Vurt*, v. annot. dipl. 37.

Chunrad & Richer de, Mahrb. 8. *Churant de Marchburg*, *Richer de Marchburg*, antiquiſſima eſt Styriæ familia Dynaſtarum Marchburgenſium: etenim Lexicon univerſ. Baſileenſe, ait, Marchburgum urbem Styriæ proprios olim Comites habuiſſe, quorum *Bernardus* eam urbem Ottocaro III. mihi IV. vendidiſſe creditur: ultimus eorum *Ulricus* an. 1240. vixit, a cujus morte Domini de *Scherfenberg* agnati, eorum Dominia appetebant, indeque cum Ducibus Styriæ ſunt colliſi, ita cit. Lexic. Sed videamus, an narratio hæc cohæreat: Jam Diſſert. 4. cap. 4. in Ottocaro IV. §. 9. Dixi 1. dubium valde eſſe, & ſolius Enenckelii fide nixum, Ottocarum IV. a *Bernardo Com. Mahrburg.* obtinuiſſe Dynaſtiam Mahrburgenſem,

Bernardus. *Ulricus Dom. de Mahrburg.*

genſem, probabiliusque Leopoldum filium primo id territorium fuiſſe aucupatum. 2. Conſtat certo ex dipl. Ottoc. VI. inter mea num. 57. Mahrburgum anno 1182. fuiſſe Præpoſituram Ottocari VI. Unde ſi emptio dicta etiam ſubſtitit, malim eam ſub Leopoldo Forti, quam Ottoc. IV. contigiſſe. 3. Dominos de Scherſenberg ob Dominia Mahrburgenſium colliſos cum Auſtriacis non lego, bene tamen aliis ex cauſis; etenim cum *Comites Heynburgenſes* contra Mainhardum Carinthiæ Ducem conſpirarent, & ſuis viribus non prævalerent, an. 1292. Dominum *Wilhelmum de Scherſenberg* in Carniolia, ſibi ut auxilium ferret, implorarunt, annuit ille, & cum *Ulrico de Haynburg* arcem Weiſſenegg obſedit, ſed infeliciter, ita, ut a *Conrado de Auffenſtain* lethali vulnere ictus mori debuerit, ante mortem Wilhelmus hic Conrado annulum ſuum dedit monens, ut dein Domino ſuo fidelius, quam ipſe adhæreret: Haſelbachius apud Hier. Pez tom. 2. col. 774. *Fridericum Weiſſenecker* ex vulneribus defunctum ſcribit. Præterea, ut tom. ſeq. patebit, hæc conſpiratio erat Auſtriacorum & Styrorum contra Albertum Ducem, filium Rudolphi Habſpurgici.

Scherſenberg Co. cur cum. Auſtr. Ducibus colliſi. *Wilh. de Scherſ.* *Weiſſenegg arx* *Conr. de Auſenſt.* *Fridericus de Weiſſenegg.*

Jam genealogiam Dynaſtarum Mahrburgenſium videamus: *Bernardus Comes* de Marchburg, a quo dynaſtiam emiſſe dicitur Leopoldus Fortis Dux Styriæ, procul dubio primus ponendus erit, nec enim anterior ſe mihi exhibuit.

Dein *Chunradus I.* & *Richerus I.* fors Bernardi illius nepotes. Cunradus I. invenitur etiam ſubſcriptus ad an. 1183. in dipl. inter mea num. 87. Richerus vero I. filium habuit cognominem *Richerum*, ita me docet dipl. inter mea 73. cod. Admont. dipl. n. 67. in quo legitur *Richerus de Marchburg*, & *filius ejus Richerus* ad annum 1188. unde qui in dipl. Admont. 70. inter mea num. 53. legitur Richerus, cenſendus eſt primus & Pater, an. 1187. ut & in dipl. Traunkirch. inter mea 77. an. 1191. reperitur, ſecundus & filius cenſendus eſt.

Richerus II. de Marchburg.

Wernherus de Marchburg an. 1207. dipl. Seiz. 14. forte filius Conradi I. *Ulricus de Marchburg* ad an. 1186. ex dipl. Admont. 63. & 66. eruitur, ſed mirabili ſubſcriptione, nempe: *Heinricus de S. Margaretha*, & filius ejus *Ulricus puer de Marchburg*, v. dipl. mea 69. & 70. quis hic locus S. Margarethæ fuerit? ex quo Heinricus ſe ſcripſit, ac qua de cauſa? ignorare cogor. Forte arx ſeu Mahrburgum ſuperius, nec hodie Principis terræ, ita olim dicebatur, ut adeo vendita Dynaſtia Mahrburgenſi, arcem eam cum titulo Marchburgenſium Comitum ſibi illi Dynaſtæ reſervarint. Lazius de migr. gent. lib. 6. fol. 178. errore de Ottocaris continuato, Henricum illum Ducem de S. Margaretha filium Diepoldi fratris Ottoc. V. ſtatuit, ſed error facile ex adjectis patet, præterquam quod antiqua diplomata, Henricum nunquam Ducem appellent. Anno dein 1213. in dipl. Seiz. Ulricus idem an. 1186. puer jam inter Miniſteriales Leopoldi Auſtriæ, Styriæque Ducis citatur. Unde Ulricus ille de Mahrburg an. 1180. in dipl. Admont. 70. inter mea num. 53. citatur, ex Mahrburgenſibus Dynaſtis fuerit. *Godefridus de Mahrburg* an. 1256. *Judex Provincialis Styriæ* fuit, & mandato ſuo ad præceptum illuſtris Dom. Regis Hungariæ, & mandatum inclyti DD. Ducis Styriæ (erant hi Bela Rex Hungariæ, & Stephanus Dux

Wernherus de Marchburg. *Henr. de S. Margar. & fil. Ulr. de Marchburg.* *Godefridus de Mahrburg. An. 1256. Bela Reg. Hung. Dux Styr. Steph. D. Sclav. Procur. Styriæ.*

Sclavoniæ, Styriæ Procurator) coram quibus an. 1257. Gebinus Præp. Vorav. querimoniam contra *Gotſcalcum de Neuberg* depoſuit (ut ex Chron. Vorav. ad eum annum oſtendam) plurima bona ablata reſtituit. Idem *Gotfridus* an. 1255. bona plurium nobilium Styriæ, ordini Teutonic. injuriorum contulit Eccleſiæ ejusdem ordinis in Grätz, v. Frælich. dipl. Duc. Styr. p. 1. fol. 71. & p. 2. fol. 184. Idem etiam *Gotfridus* an. 1257. ſubſcripſit ceſſioni litis cum monialibus Admont. coram *D. Duce Zagrabiæ Stephano, Capitaneo Styriæ glorioſo*, v. Frælich. cit. p. 2. f. 226. anno dein 1260. dum Ottocarus Bohemiæ Rex, Ducem Styriæ ageret, non amplius Judex fuiſſe videtur, ſed jam inter teſtes ſolum ultimos apparet, ut v. dipl. Run. 23. & 24. 26.

Gotſcalcus de Neuberg.

An. 1257. Steph. Dux Zagrabiæ Capitan. Styriæ.

Conradus II. de Marchburg & Benedicta uxor. Otto de Stein.

Cunradus II. de Marchburg, & conſors ejus *Benedicta* anno 1305. prædium aliquod *Ottoni de Stein* conferunt, v. dipl. Seccov. 137. datum in domo ſeu caſtro Marchburg, ex quo in mea confirmor ſententia, Dynaſtiam cum urbe, Principum Styriæ, domum vero ſeu caſtrum Dominorum de Marchburg fuiſſe. Præterea falſum apparet aſſertum Lexici univ. Baſileenſis *Ulricum* an. 1240. ultimum hujus familiæ fuiſſe, plures eorum tamen hactenus non offendi, niſi quod in Necrol. Seizenſi ad 15. Jan. legatur defunctus *Meſcko de Marchburga, qui hic fundaxit miſſam, & habet anniverſarium*, & Necrol. FFr. Minor. Viennæ apud P. Hier. Pez tom. 2. fol. 509. legatur poſt an. 1301. *Dom. Catharina Turſinna conſors Domini Reinperti de Marchburg*, an hic ex Mahrburgiis fuerit? non inveni hactenus. Cadit etiam genealogia Lazii lib. 6. de migr. gent. lib. 6. fol. 179.

Ulricus non fuit ult. huj. familiæ.

Mesko d. Mahrb.

Catb. Turſinna ux. Reinperti D. de Marchburg.

9. Teſtis *Albero de Thunenſtein*, ſeu *Dunkenſtein*, v. annot. dipl. 7.

10. *Ulricus Chalbſeng*, v. annot. dipl. 43.

11. *Fridericus* filius Otberti, ignotus.

Ad Diplom. 47.

Ad Diploma 47.

Ottoc. VI. dat Seccov. Eccleſ. Schönberg. Giſela d. Oſſiach.

Anno 1172. jam notavi Ottocarum VI. Seccovienſibus donaſſe Eccleſiam *Schönbergenſem* cum petitione & jure, quo eam ſibi nobilis matrona *Giſela de Oſſiach*, ſeu ut habet diploma *Ovuſſach* contulerat. Fecit eam traditionem Ottocarus VI. Græcii exiſtens feria 3. die 17. Kal. Junii, nec obeſt collationi huic, quod jam anno præcedente Alexander III. Seccovienſibus confirmaverit alpem *Zeurice*, & Eccleſiam Schönberg ex dono nobilis mulieris Giſilæ; nam non obſtante hac confirmatione, potuit tamen delegatio per ipſum Marchionem hoc primum anno fieri.

Schönberg Parochia Seccov.

Schönbergenſis hæc Eccleſia S. Stephani, hodie adhuc Parochia eſt Seccovienſium, ſuntque hæc ei prædia per modum dotis aſſignata: *curtis Aiche*, duo manſus in *Viſchorn*, & & totidem in *Praitenfurte*, unus in *Ratenberch* & *Flaſach*, 5. agri in *Celtvvich*, cum manſu *Weiſendorf*, ac mancipiis Eccleſiæ deputatis. Ex teſtibus ſubſcripſit

1. *Luitoldus de Waltſtein*, v. annot. dipl. 7.

2. *Poppo de Peccab*, v. annot. dipl. 9.

Chunr. de Chindeberg, arx ej.no.

3. *Chunrad de Chindeberch*, exiſtit in valle Anaſina arx *Kymberg* ſpecioſa & ſitu, & ſtructura, a qua forſitan *Chindeberch* olim dicta, Dynaſtæ hi prodierint: paucos horum invenire licuit: etenim Chunradus

dus hic in pluribus aliis etiam reperitur, ſed fere ſemper cum *Rudolfo*, quem fratrem ejus judico, ut videri poteſt in dipl. meis num. 58. 59. 64. 66. 69. 70. 71. 74. 75. &c. nominatim dipl. Göſſ. 1116. inter mea num. 71. 72. eos ita refert primo loco *Chunradus & Rudolfus frater ejus nobiles de Chindenberch*: anno 1214. ſolus *Rudolfus nobilis de Chindeberch* ſubſcriptus eſt in dipl. Göſſenſi 17. unde fors Conradus jam obierit. *Rudolphus de Chindeberg.*

4. *Otto & Wilfingus fratres* (videtur teſte Frælichio deeſſe ejus vel *de Stubenberg*) v. annot. dipl. 4.

5. *Otto de Wartenberch*, Dynaſtas hos ex Auſtria repetendos cenſeo, in cujus circulo Hauſruggenſi exiſtit inſignis arx & Dominium *Wartenburg*, arx quidem prope Vöglapontum urbem edito ex colle veluti ex ſpecula potenti in viciniam proſpectu gaudens; poſt deſunctos Wartenburgios denuo ea arx ad illuſtrem Polheimiorum familiam devenit, quorum plures ſe Dominos a Wartenberg ſcribebant, etenim an. 1319. *Ortolfus II. de Polheim* id caſtrum poſſedit. Sæc. 16. initio *Wartenburgum* Georgio Bavariæ Duci oppignoratum in patrimonio tamen ſuo *Wolfgangus* numeravit, qui dein in *Thalheim* prope *Wartenburg* an. 1512. ſepultus eſt. Sæculi prioris elapſi medio, arx Wartenburg ad Comitem *Tobiam Niczium* venditione tranſiit, apud quam familiam hodie adhuc exiſtit. Eadem arx an. 1431. a *Reinperto de Walſee*, Capitaneo Provinciæ, obſidione cincta eſt, ac expugnata, ea de cauſa, quod *Wilboldus Polheimius* tum arcis Dominus nobilem captivum *Caſparum Geltinger*, nequidquam jubente Capitaneo e cuſtodia non emitteret, captam cum arcenſi milite Annam, Wilboldi conſortem, Reinpertus victor ad preces Bavari & Salzburgenſis, reſtitutis Cimeliis liberam dimiſit. Ita Prevenhueb. fol. 419. Conſentit Genealogia Hübneri tab. 745. *Otto de Wartenberg.* *Wartenburg arx Auſtriæ, ejusque fata var.* *Ortolphus II. de Polheim.* *Wolfgangus de Polheim.* *Tobias Comes Niczius.* *Reinpertus de Walſee.* *Wibboldus de Polheim.* *Caſp. Geltinger.*

Scio quidem Wartenbergios Comites etiam in Bavariæ fuiſſe, ſed eorum origo poſterior eſt, atque e ſæc. 16. medio repetenda a Ferdinando Bav. Duce Alberti V. filio, qui Mariam *Georgii Pettenbeckens* aulici ſui filiam uxorem duxit, cujus dein 16. proles in ſtatum Comitum elevatæ ſunt, & *Franciſcus Marquardus Comes de Wartenberg* dictus an. primum 1673. natus, Ferdinandi Bav. Ducis pronepos erat, v. Hübner. tab. 135. *Wartenbergii Com. in Bavar.* *Ferd. Bav. Dux uxor. ducit Mariam aulici ſui Georgii Pettenbeckens filiam.* *Franc. Marq. Com. de Wartenberg.*

Ex vetuſtis Auſtriæ Comitibus Wartenburgicis, præter *Ottonem* dictum, & *Udalricum* in diplom Admont. Cod. num. 141. ad an. 1188. citatum, *Arnoldus* pluribus in diplomatis occurrit, nempe an. 1181. in dipl. Garſtenſi 15. inter mea num. 54. an. 1182. in dipl. Seiz. 9. inter mea num. 59. uti & Seiz. 10. inter mea num. 64. ad an. 1185. Admont. num. 63. inter mea 69. an. 1186. &c. Traunkirchenſe diploma inter mea num. 77. de eodem habet an. 1191. quod Ottocarus VI. adhuc juvenis, & ab iniquis Conſiliariis ſeductus, *Arnoldum hunc de Wartenberg* Miniſterialem ſuum, Eccleſiæ Traunkirchenſi advocatum præpoſuerit, qui dein libere abuſus eſt juſtitia loci, diverſas exactiones exercens, quare Ottocarus dein adultior & prudentior Arnoldum hunc ab omni exactione ceſſare fecit, reliqua latent. Qui Polheimios cum Wartenberrgiis confundunt, originem ab hoc Arnoldo capiunt, *Otto, Udalricus & Arnoldus Co. Wartenbergii.* *Hi moleſtus Traunkirchenſi Porthenoni.*

piunt, ut v. Excell. Wurmbr. collect. Geneal-hiſtor. fol. 155. &c. & mox infra, item dipl. 6.

6. *Gundackar de Steinbach* (Frælich. fors Steinach.) v. annot. dipl. 32.

7. *Ludvvig de Glanecke*, v. annot. dipl. 33.

Liechtenſtein de Ditmar. Eorum Geneal. vetuſtiſſima.

8. *Dietmar de Liechtenſtein*, Liechtenſteiniorum illuſtriſſimam, atque inter Principes Imperii relatam familiam a Dominis de Kuenring in Auſtria, Excell. Wurmbrand. ab Azone Eſtenſium ſereniſſima ſtirpe ſato repetit, de quibus cit. Wurmbr. fol. 185. plura habet. Quanti vero nominis & authoritatis omni ævo Principum Liechtenſteiniorum Majores fuerint, teſtantur ipſorum res laudabiliter geſtæ, fœdera pacta cum Regibus Bohemiæ, Hungariæ Marchionibus Moraviæ, Brandeburgi, Ducibus Bavariæ, & Burggraviis Magdeburg: quorum integra diplomata exſtant; interdum vero bonorum non levem jacturam fecerunt, iis præſertim temporibus, quibus Auſtriaci, cum Moravis & Bohemis bella gerebant; matrimonia eorum illuſtria, poſſeſſiones variæ, etenim 73. arces ſeu Dominia, ut taceam pagos & vicos, poſſediſſe tradit Reinhardus. *Liechtenſtein arx Auſtriæ* prope Medlingam ſita erat, ſed jam diu ea in ruinis hæret, atque ab hac familia alienata eſt, aliud etiam caſtrum ejus nominis in Styria eſt, nunc collegii Sec.

Liechtenſtein arx Auſtriæ, & Styriæ.

Triplex olim hæc familia, una in Mubrau, 2da in Nicolſpurg, 3tia in Tyroli.

Triplex erat olim hæc familia una *in Mubrau* Styriæ urbecula, altera in *Nicolſpurg* villa Auſtriæ, & Moraviæ, tertia in *Carneit & Caſtelcorn* in Tyroli orta, proin *Styriaca*, *Auſtriaco-Moravica*, & *Tyrolenſis*. Triplicem hanc lineam deducunt Bucelinus & Hübnerus tab. 748. ego Styriacæ ſolum familiæ Genealogiam pertractabo, cum alias alii fuſiſſime pertractent. Schema auctius, illo Hübneri & Bucelini ſtatuo, ſuisque notis illuſtro.

Schema Genealogicum Liechtenſteiniorum in Muhrau Styriæ urbe.

Sigiſmundus de Liechtenſtein in Muhrau, interfuit ludis equeſtribus Rotenburgi an. 942. ita Bucelinus & Hübnerus.

Leopoldus hunc in MSS. veteri non invenio, ſed fide Bucelini & Hübn. ſtatuo.

Albertus hunc Buc. & Hübner. ad an. 1165. adducunt.

B. Henr. I. ex eod. Hüb. & Buc. ego eum hic omittend. cenſeo, ac inter Ditmari deſcendentes locandum.

A. Ditm. ab a. 1140. ad 1217. ux. *Gertrudes de Weizenſtein.*

†*A.* †*Gundaccar* an. 1185.

C. Dietric. a. 1202.

A. † & n. 15. *Otto* 1147. ux. n. *de Thürſtein.*

A. † n. 14. *Otto* alio ux. Sabina *de Seburg* 1488.

P. Nicolaus an. 1397.

M. & *Q. Joan.* ux. An. de Pet.

N. 17. *Rudolphus* ux. Eliſ. de *Boskovitz.*

N. 16. *Praxedes* marit. Georg. de *Puchaim.*

NB. Hic ſeriem Hübneri & Bucelini interrumpo, & deſcendentes Ditmari omiſſos ordine ſuo refero.

Moravienſis linea.

B. Henricus I. ab an. 1230. ad 1265. Capitaneus Styriæ an. 1260. ab hoc lineæ Liechten-

D. Ulricus I. ab an. 1239. ad 1276. Dominus de *Mubrau*, *Fraunburg*, & *Liechtenſtein* in Styria fundator Cappel-

ſtei-

ſteinior. in *Nicolſpurg*, *Carneit*, ac *Caſtelkorn* derivantur.

læ Liechtenſteiniæ Seccovii, uxor *Berchta.*

E. Otto I. de Liechtenſtein in *Mubrau*, Judex Provinc. Styriæ anno 1281. uxores ejus tres, *Agnes*, *Alhaides*, *Diemudes.*

F. Otto II. Cam. Styriæ 1302. &c. ux. Adelh. de *Potendorf* v. lit. *I.* obiit 1311.

G. Conradus Ep. Chiemenſ. def. circ. 1356.

* *Ulricus* ſtudens.

Cbuneg. filia ex dipl. Secc. 152. mar. *Hartmidus II. de Petov.* v. dipl. 54. legitur etiam in Necrol. Adm. 2. *Kal. Sept. Chunegund de Liechtenſtein Monach. noſtræ congregat.*

H. Otto III. Ca. Styr. uxor Anna de Winckl, obiit a. 1359.

I. Rudolph. Otto. Cam. Styr. & an. 1396. Mareſchall. Carinth. ux. *Anna* vidua an. 1435.

* *Hartnidus* Styr. Prætor. obiit an. 1396.

* *L. Uricus II.* Capit. Styriæ an. 1374. ux. Barb. de *Pucheimb.*

K. Leonard. a. 1435. minorennis.

* *M. Joannes* a. 1366. ſup. aulæ Magiſt.

* *N. Henricus II.* an. 1367.

O. Eliſabetha 1367. mar. N. de *Neidberg.*

P. Nicolaus flor. an. 1374. *Q. Joannes* in Murav. obiit a. 1418. *R. Bernardus* an. 1448.

S. Achatius an. 1470. *T.* N. cujus marit. Ulricus de *Graveneck.*

Pergunt dein Bucelinus & Hübnerus continuare ſeriem, ſed ſine proximis deſcendentibus; etenim Hübnerus poſt Ditmarum Nicolaum & alios ita geneſim Styriacam Liechtenſteiniorum deducit.

P. Nicolaus Mereſch. hæreditar. Styr. an. 1424. ux. Jacobæa de *Stubenberg.*

V. Udalricus Otto, an. 1440. ux. Barbara de *Puchaimb.*

S. Achatius an. 1470.

T. N. filia 1464. marit. Ulricus B. de *Graveneck.*

W. Helena an. 1480. marit. Jacobus de *Potendorff.*

X. * *Rudolphus II.* uxor Radegunda Com. de *Arberg*

Y. Anna mar. Chriſtoph. de *Windiſchgraz*, v. tab. 723.

Z. Otto IV. ux. Benigna de *Liechtenſt.* in Niclasb.

N. 1. N. Abbatiſſa Styr. *Barb.* ex cat. Göſſenſ. Abbatiſſ.

N. 2. *Agnes* mar. 1. Ambr. de *Stubenb.* tab. 716. 2. Chriſtoph. de *Trautmanſt.* t. 572

N. 3. Chriſtoph. ux. Barbara *Neumannin.*

N. 4. Car. uxor n. *Peiſcherin.*

N. 5. Conr. ux. n. de *Kienburg.*

N. 6. Rudol. III. ux n. *Seuſſin.*

N. 7. Sigiſ. II. ux. n. d. *Grieſen.*

N. 8. Otto V. ux. Bar. d. *Harrach.*

N. 9. Rich. uxor n. *Alberin.*

N. 10. An. Suſ. mar. Car. de *Herberſtorff.*

N. 11. Udalric. † cœlebs

N. 12. Otto VI. † 1610.

N. 13. N. filia cujus marit. Wolfg. Leonard. *de Keutſchach.*

Bucelinus vero ita geneſim eorundem poſt Ditmarum Nicolaum & alios ordinat:

P. Nicolaus de Liechtenſtain, Dom. in Murau an. 1397. uxor N.

A† *N. 14. Otto* Dom. de Liechtenſtein in Murau an. 1488. ux. *Sabina de Seeburg.*

N. 15. Otto VIII. in Murau A. † uxor N. Com. de *Thirnſtein.*

P. Nicolaus Mareſch. hær. Styr. 1424. uxor Jacobæa de *Stubenberg.*

N. 16. Praxedes mar. Georg. D. de *Puchaimb.*

W. Helena 1480. mar. Jac. *de Potendorf.*

S. Achatius a. 1470. *T.* N. filia ux. Ulr. *de Graven.*

N. 17. Rudolfus in Murau, ux. Eliſab. *de Boskovitz.*

X. Rudolfus Dynaſta in Murau, ux. Radegunda *Com. ab Arberg.*

Y. Anna mar. Chriſtoph. de *Windiſchgraz.*

Z. Otto IV. ux. Benigna Liechtenſteinia de *Nicolſpurg.*

N. 18. Eraſmus.

N. 19. Pancratius.

Reliqui ut in Hübnero mox adducto.

Libeat jam, explicationem ſeriei hujus, notis pro poſſe illuſtrare: qui ſine litteris & numeris expreſſi ſunt, ex Hübnero & Bucelino deſumpti fuerunt, quin aliud de iis documentum mihi occurrerit.

Ditmarus de Liechtenſtein. *A. Ditmarus* omnium primus e Liechtenſteiniis occurrit. Eum ac deſcendentes ejus cum tota familia deſcribit vetuſtiſſimum Necrologium Seccov. apup Frælichium fol. 363. hiſce: 8. *Kal. Nov. Otto ſenior de Liechtenſtein & ſui progenitores, Ulricus de Vraunburch Pater & Perchta uxor, ejus mater. Dietmarus & Gertrudes uxor ejus, avi de Patre Abramus de Weizenſtein, & Sophia uxor ejus avi de matre. Agnes, Albaides, Diemudis uxores ejus, Ulricus ſtudens, Otto Laicus filius, Chunegundis de Petovia filia &c.* Dietmarus hic an. 1140. ſubſcripſit fundat. Seccovienſium inter teſtes, ut v. dipl. Seccov. 1. Lazius lib. 6. de migr. gent. fol. 191. eum *Camerarium de Liechtenſtein & Murau* vocat. Megiſerus eum *Leopoldi Dynaſtæ de Chunring* filium cenſet. Idem vero Ditmarus ſubſcripſit diplomati Seccov. 19. 20. inter mea num. 47. 48. ad annum 1172. & ſeq. uti & an. 1191. v. dipl. mea 76. Anno 1208. idem citatur in litteris a Leopoldo Duce Auſtriæ Monaſterio S. Floriani datis v. Wurmbrad. fol. 5. 70. an. 1203. idem ſubſcripſit dipl. Göſſenſi 14. dato ab Eberhardo Archiep. Salzb. & Leopoldo Duce Auſtriæ ac Styriæ, ac an. 1210. Runenſi 15. & 17. ad an. 1217.

Leop. Dynaſta de Chunring.

Varia illum adhuc diplomata Admontenſia, & alia inter mea hic adducta exhibent, clariſſime omnium loquitur diploma S. Lambertinum inter mea num. 86. in quo Dominus *Dietmarus de Liechtenſtain* concambium bonorum quorundam fecit cum *Berngero Abbate S. Lamberti* corroborante Ottocaro VI. Duce: in eo 1. Ottocarus Dietmarum hunc vocat ſuum *Miniſterialem.* 2. Ait Dietmarum hunc poſſeſſiones aliquas in feodo ab Eccleſia Friſing. poſſediſſe, infra terminos prædiorum Eccleſiæ S. Lamberti, cum vero eadem Eccleſia haberet poſſeſſiones vicinas caſtro Liechtenſtain (an in Auſtria ſito? ignotum) convenerunt Abbas S. Lamberti, & Dietmarus Liechtenſteinius, easque poſſeſſiones commutarunt. Suſpicor tamen hoc caſtrum in Styria, utpote penes Kleinalben, & Stubalben ſitum fuiſſe. Plura hac de re v. dipl. 86. uxor ejus *Gertrudes* ex cit. docum. Seccov.

Berngerus Abb. S. Lamberti.

Ottones duo de Liechtenſtein. *A.* † Duos eodem cum Ditmaro tempore *Ottones* ſtatuit Bucelinus & Hübnerus, unum cujus uxor N. de *Thürnſtein*, alterum maritum *Sabinæ de Seeburg*, unum horum exhibet diploma Seccov. num. 7. circa an. 1137. cui ſubſcripſit *Otto de Liechtenſtein*, an Ditmari Pater, an frater fuerit? ignotum: diſtinctus tamen erat ab Ottone mihi primo, cum ad annum uſque 1277. &c. teſtem agere non potuiſſet.

Gundaccar de Liechtenſtein. † *A.* † *Gundaccarus de Liechtenſtein*, an. 1185. ſubſcripſit Admontenſi 64. inter mea num. 62. cæteroquin nullibi reperitur, an frater Ditmari, vel e qua linea fuerit? hactenus reperire non poteram.

Henricus I. de Liechtenſtein. *B. Henricus I. & Ulricus I.* filii Ditmari fuiſſe videntur. De Ulrico I. agam ſub littera *D.* de Henrico I. ait Lazius lib. 6. de migrat. gent. fol. 191. *Henricus Rudolphi Habſpurgenſis Cæſaris in bello adverſus Ottocarum Bohemum vexillifer.* Henricum hunc Megiſerus cum Wurmbr. filium Ditmari, primumque de Nicolſpurgio caſtro titulum aſſumpſiſſe docet: idem Wurmbrandius eundem anno 1245. a Friderico Auſtriæ

Duce,

Duce, in Pruſſiam cum exercitu ad opem ferendam Caſimiro Duci Cojæ ac Magiſtro Teutonici ordinis contra Swantepoldum Pomeraniæ Ducem miſſum ſcribit, ex archivo Liechtenſteinio: in eo *Henricus* hic vocatur *miles*, & refertur glorioſam de Pruſſis retuliſſe victoriam, v. fuſius fragment. a Wurmbrandio fol. 188. &c. adductum. Cæſi ſunt eo in prælio de Pomerania 1500. Chron. vernaculum Henricum hunc *ord. Teuton.* fuiſſe refert, quæ, ſi ita, Fridericus vel Henrici hujus filius non fuit, vel ante ord. Teuton. aſſumptum ab eodem genitus: anno 1249. teſte Wurmbrand. cit. fol. 5. *Henricus Baro de Liechtenſtein* corrupto idiomate etiam *Hincelinus* dictus, a Primislao illuſtris Wenceslai Boh. Regis filio, Moraviæ Marchione ſupra villam Nicolſpurg varia accepit privilegia, quæ idem Primislaus, poſt adeptum Bohemiæ regnum Ottocarus dictus, aliis additis novo diplomate confirmavit an. 1262. cum defuncto Friderico ultimo Auſtriæ Duce familiæ Bamberg. Ducatus Auſtriæ & Styriæ legitimo hærede carerent, unanimi utriusque Provinciæ conſenſu *Henricus I.* cum Præpoſito Clauſtroneoburg. & Pincerna ab *Hausbach*, ad Henricum Miſniæ Marchionem Frid. Auſtriæ Ducis affinem ablegatus eſt petiturus, ut aut filium Theodericum aut alterum filium Albertum, quos ex Conſtantia Auſtriaca ſuſceperat, tanquam legitimos harum Provinciarum hæredes mitteret. Legati hi cum per Bohemiam iter facerent, a Rege Primislao circumventi, & per vim coacti ſunt, ut filium ſuum Ottocarum Moraviæ Marchionem, Ducem ſalutarent Auſtriæ & Styriæ, qui anno 1253. Viennam veniens, Margaretha Auſtr. in Thalamum aſſumpta, gubernacula Auſtriæ ſuſcepit unde Primislaus *Henrico Liechtenſteinio* an. 1249. Kal. Febr. non ſolum villam Nicolſpurgenſem, ſi *Wilhelmus & Hermanus fratres de Dürnholz* reſignarent huic patrimonio ſuo, conceſſit, ſed nova etiam privilegia an. 1262. adjecit, ut v. Wurmbrand. a fol. 190. ad 194. v. de legatione hac Henrici Anonym. Leob. Chron. Garſtenſ. Haſelbachium, Arenpeckium, & alios.

Ejus in Boruſſia geſta.

An ord. Theut.

Legat. in Miſn.

Detineatur in Boh. cum aliis.

Wilh. & Herm. de Dürnholz.

Idem Henricus I. Liechtenſteinius an. 1260. ſub Ottocaro Bohemo, Capitaneum Styriæ egit, ut teſtatur diploma Runenſe 25. in quo Ottocarus caſtrum *Helfenſtein* (quod *Ottocarus de Grez* habebat tanquam feudum Salisburgenſe, a Friderico Bellicoſo deſtructum, & Runenſibus approbante Eberhardo Archiep. Salzb. donatum) mandavit iisdem Runsnſibus reſtitui. Anno dein 1265. idem Henricus teſtis ſubnotatus eſt in dipl. Seccov. 85. ab Ottocaro Rege dato. Poſt Henricum anno 1261. *Wocho de Roſenberg* Capitaneus Styriæ fuit, ut v. dipl. Run. 26. & privileg. Ottocari Bohemi apud Wurmbrand. fol. 193. fors Henricus II. hic eſt filius Henrici I. de quo mox pluribus.

Henr. de Liechtenſt. Capit. Styr.

Helfenſtein caſt. Styr. dat. Runen. Ottoc. de Grez.

Wocho de Roſenberg Cap. Styr.

C. *Dietricus de Liechtenſtein*: inter teſtes dipl. Seccov. 30. & 31. ad an. 1202. invenitur. Sepulturam obtinuiſſe videtur in templo Monaſterii S. Crucis in Auſtria, in quo ad lapidem 25. inſculpta ſunt hæc verba: *Dietric de Liechtenſtein*; ſpecialiter addictum ajunt Marquardo Abbati S. Crucis, qui an. 1206. primam coloniam in Campililium emiſit

Dietric. de Liechtenſtein.

Marquar. Ab. S. Crucis in Auſtr.

D. *Ulricus I.* Ditmari filius, ac Henrici I. frater ex Styriæ Liechtenſteiniis floruit, Seccov. Necrol. ſub lit. *A.* vocatur inibi de *Vraunburch* ab arce Styriæ (in circulo Judenburgenſi, nunc Princip. Com.

Ulricus I. de Liechtenſtein.

Vraunburch arx Styriæ.

de Svvarzenburg) & uxor ejus *Perchta* appellatur. Plurima de hoc Ulrico nobis ſupeditant docum. Styriæ an. 1239. ejus memoria occurrit in dipl. Epiſcopii Seccov. num. 15. in quo *Hertnidus de Orte* compenſat damna Epiſcopatui Seccov. illata, & pro ſe vadem, D. hunc *Ulricum de Liechtenſtein* conſtituit in centum marcis denariorum Friſacenſium, v. dipl. Epiſc. Seccov. 15. Ad an. 1250. teſtem egit Philippi Salzb. Archiep. dum Ulrico I. Epiſc. Seccov. reſtitueret decimas in Poſeyl, quas olim Eberhard. Archiep. contulerat Ulrico *Popponi de Pekah* nunc defuncto, v. dipl. 32. Epiſc. Seccov. ad an. ſeq. eundem Ulricum I. teſtem ſubſcriptum v. in dipl. 33. 34. Epiſc. Seccov. uti & ad an. 1253. in dipl. cit. Seccov. Epiſc. 36. ad an. 1259. in Runenſi dipl. 22. ac in dipl. Ottocari Reg. Boh. an. 1260. dato Runenſ. num. 24. cum Henrico etiam Liechtenſteinio ſubſcripſit, item an. ſeq. in Runenſ. 26. anno 1268. & ſeqq. Fides Ulrici noſtri emicuit, nam cum pluribus aliis Styriæ Dynaſtis de transferendo ab Ottocaro Bohemo in alium Styriæ Ducatu cogitaſſe delatus eſt a *Friderico Petovienſi*; abreptus itaque in vincula, ac cum *Wulfingo Stubenbergio* cuſtodiæ in *Frcn*, arce Bohemiæ eſt mancipatus, nec hæ adhuc pœnæ ſufficiebant, ſed *Fraunburgo* arce privatus eſt, *Muraviaque*, ac *Liechtenſteinium* arces Ulrici everſæ, an. ſeq poſt 6. menſium vincula, ſua quidem cum aliis recepit caſtra Ulricus, non tamen depoſuit iram, qua expoſt Ottocarum averſatus, Rudolpho Habſpurgio fidiſſimus adhæſit, ita Haſelpachius, aliique, de quibus plura tom. ſeq. Idem Ulricus an. 1270. teſtem egit, dum *Burchardus de Chlingberch* Capitaneus Styriæ decideret, & confirmaret cauſam quandam Seccovienſibus Mahrburgi, v. dipl. Seccov. 96. quo eodem anno Ulricus noſter Ducem egit belli in Carinthia ſuſcepti; cum enim Ulrico Carinthiæ Duci defuncto, Philippus frater electus Salzburg. ſuccedere vellet, copias in Hungaros præparatas, in Carinthiam dimiſit ſub Ulrico Liechtenſteinio. Hic primo Carnioliam petiit, ubi potentiſſimæ erant Philippi opes; Laba cum poſt triduum captum, agri vaſtati, ac *Pincerna de Hausbach* præter datus, in Carinthiam, ubi propreſſum eſt bellum, procerum obſequio pax eſt reducta. Anno 1274. in Göß Styriæ Monaſterio præſens teſtem egit permutationis facta bonorum quorundam ut v. diplom. Göſſ. 56. & anno 1262. in Graz, dum Bruno Epiſc. Olomuc. Seccovienſibus litem adjudicaret, v. dipl. Seccov. 75. defunctus eſt ante an. 1277. eo enim anno Otto filius ejus, & Ulricum Patrem, & Bertham matrem jam defunctos teſtatur in dipl. Seccov. 105. plura v. in Ottone I. *Berchta* ex his conjux Ulrici pateſcit.

Hertnidus de Orte.

Poppo de Peckah

Ulricus I. de Liechtenſt. captivatur, Frid. de Petau, Wulfingus de Stubenberg. Fraunburg arx. Murau ac Liechtenſtein everſæ.

Burchardus de Chlingberch Capit. Styr.

Ulric. de Liechtenſtein Dux copiar. in Carinth. Carniol. vaſtat Labacum capit.

E. Otto I. filius Ulrici I. & Berchtæ, hic mihi primum viſus eſt ad an. 1274. in dipl. Göſſ. 56. in quo inter alios nobiliſſimos teſtes ſubſcriptus eſt *Otto junior de Liechtenſtein*; ſed cur junior dictus ſit? non adeo pronum eſt dicere: fors quia Pater Ulricus, & Henricus I. ejusdem patruus adhuc vixit? fors quia jam ante eum, cum Ditmaro avo vivebat Otto quidem Liechtenſteinius, cujus uxor N. de Thürnſtein, quem hic negligo, quia documentis domeſticis non manifeſtatum: probabilius, quia eodem in dipl. 56. Göſſenſi Ulricus etiam Pater ſubnotatus eſt, Otto filius ea de cauſa ſe juniorem ſcripſit. Ot-

Otto de Liechtenſtein. Cur junior dict.

tonem

tonem I. juniorem dictum oſtendit dipl. Epiſc. Seccov. 52. ad annum 1277. quo dicitur *Otto* hic *junior* vices patris ſui in Græcenſi placito habuiſſe, non quidem hoc anno, quo Ulricus jam defunctus eſt, ſed anno aliquo præced. geneſim hujus Ottonis optime omnium deſcribit diploma Seccov. 105. an. 1277. in quo hic *Otto de Liechtenſtein* teſtatur *patrem* ſuum *bon. mem. D. Ulricum, dum adhuc viveret, & ſe etiam ob remedium animæ ſuæ & patris, nec non D. Berchtæ uxoris ſuæ fel. record. &c.* redditus quosdam Ortolfo Præpoſito Capitulo Seccov. dediſſe &c. aſſignat vero hos redditus in dotem Capellæ Seccov. S. Joan. Evangel. nunc Liechtenſteiniæ dictæ, etenim ut documenta Seccov. habent, Udalricus Pater & Berchta mater Ottonis hujus Capellam eam non modica effuſa pecunia inchoarunt, *Otto* vero *I.* filius dein *Styriæ Camerarius* perfecit, quam in honor. SS. Trinitatis, B. V. M. & S. Apoſt. ac Evang. Joannis, ſanctæque Catharinæ V. & M. an. 1279. dedicavit ſolenniter pridie nonis Maji Bernhardus Epiſc. Seccov. rem ita eſſe, declarat cit. dipl. Seccov. 105. quod inter alia *de Capella S. Joannis Evang. Seccov.* ſeu *Liechtenſteinia* ſequentia habet: *Quam Pater meus ædificare incepit opere ſumptuoſo, & ego decenter complebo &c.* Eod. an. 1279. Idus Martii, Fridericus Archiep. Salzburg. Henricus Baſileenſ. Petrus Patav. Joannes Chiemenſ. Wernhardus Seccov. Epiſc. *Largiuntur Capellæ S. Joannis Evang. per nobilem virum Ottonem de Liechtenſtein recens in Seccovia ædificatæ, & proxime conſecrandæ 40. dierum indulgentias, tum in ipſa dedicatione, tum in feſto ejusdem S. Patroni*, v. dipl. Seccov. 108. Eod. an. ſubſcripſit confirmationi Göſſenſium a Rudolfo Rom. Rege factæ, dipl. Göſſ. 13. 15. anno dein 1280. dipl. Göſſ. 63. nomen dedit.

Liechtenſteinia Seccov. Capellæ fundatio, & ejus dedic. indulgent. Otto de Liechtenſt. Cam. Styr.

Auctus eſt honoribus Otto I. Liechtenſteinius an. 1281. cum enim Rudolfus Imp. vergente anno elapſo Styriam ingrederetur, perque Hartbergam, Græcium veniens, inde Judenburgum ſe conferret, huic Provinciæ Ottonem Liechtenſteinium juris dicendi Prætorem impoſuit. An. 1283. Otto hic adhuc *Judex Styriæ Provincialis*, Seccovienſibus litem adjudicavit contra fratres, *Albertum*, *Henricum*, & *Wigandum de Maſſenberch* circa prædia in *Feuſtritz* prope Prank, v. diplom. Seccov. 113. an. 1286. arbiter delectus eſt in cauſa Alberti Auſtriaci, ac Rudolfi Salzb. Archiep. cum Leopoldo Ep. Seccov. Henrico Abbate Admont. ex parte Ducis Auſtriæ, de quibus pl. tomo ſeq. teſte auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 398. Otto hic officium Judicis Styriæ a ſe multis precibus eſt deprecatus, poſtquam id quinquennio tenuit, quamdiu in vivis dein perſtiterit, nondum mihi patuit.

Rudolf. Imp. in Styriam venit per Hartbergam Græcium, inde Judenburgum. Otto de Liechtenſtein Judex Provincialis. Albert. Henric. Wigandus fratres de Maſſenb. Otto Liechtenſtein reſignat.

Ottonis I. hujus uxores tres referuntur e Necrolog. Seccov. *Agnes*, *Alhaides*, ac *Diemudis*, cognomina latent, v. lit. *A.* Proles ejus ex eod. Necrologio *Otto Laicus*, *Ulricus ſtudens*, *Chunegundes de Petovia* filia. *Otto Laicus* eſt Otto II. Camerarius Styriæ. *Ulricus ſtudens*, qui, cum dein non amplius in actis publicis occurrat, vel religioſum inſtitutum amplexus eſt, vel ante annos pubertatis plenæ defunctus eſt. *Chunegundes* filia cum *de Petovia* dicatur, uxor ex dipl. Seccov. 152. cit. fuit *Hertnidi II. de Petovia*, quam tamen ex dipl. Seccov. 152. Ottonis II. filiam cenſeo, v. annot. dipl. 54. in Hertnido Petovienſi. *Rudolfum* fi-

Ottonis I. de Liechtenſtein 3. uxores. Filii & filiæ. Chunegund de Petovia.

lium omiſit Necrolog. Seccov. quem ſupplendum oſtendo ex docum. variis aliis Styriæ mox allatis.

Otto II. de Liechtenſtein.

F. Otto II. ex Ottonis I. filiis fuſius eſt exponendus, an. 1292. Otto hic permutationem quandam cum Seccovienſibus Canonicis in commodum Eccleſiæ Göſſenſis fecit, ut v. diploma 67. & Seccov. 119. Eodem hoc anno turbæ in Styria noſtra erupere, cum factioſi Proceres Alberto Duci *Ulricum Hainburgicum* opponerent, eique Styriæ Principatum offerrent; eo, quod *Agnetem Auſtriacam* Hermanni Badenſis ex Gertrude Auſtriaca filiam, uxorem haberet, paratum eſt dein bellum, & inchoatum a factioſis *Ulrico Pfanbergio*, *Hartnido de Wildonia &c.* Hiſce, uti & Ulrico Hainburgico nihil æque doluit, quam Ottonem Liechtenſteinium claritate, authoritate, ac prudentia per omnem Styriam conſpicuo a ſuis abhorrere conſiliis, ex quibus proin patet, Ottonem Liechtenſteinium Alberto Auſtriaco fuiſſe addictiſſimum: perduxiſſe videtur vitam ad an. 1309. imo ad eundem an. 1309. *Otto de Liechtenſtein Camerarius Styriæ &c.* aſſentientibus filiis Ottone, & Rudolpho auxit fundationem Capellæ Seccov. S. Joannis Liechtenſteiniæ dictus, ut v. diploma 146. & an. 1311. *Otto idem de Liechtenſtein* Camerarius Styriæ, conſentientibus filiis Ottone, & Rodolpho de novo auxit fundationem ejusdem Capellæ, ac ſibi anniverſarium conſtituit, v. diploma 152. datum *in caſtro Muravve*; Camerarium Styriæ ſe 1304. ſcribebat, teſte Lazio lib. 6. de migr. gent. fol. 191. imo jam an. 1302. Camerarium Styriæ ſe dicebat in dipl. Seiz. 33. quo Seizenſibus beneficus fuit, anno dein 1308. eidem commendata Carinthia, teſte auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 441.

Turbæ Styriæ an. 1292. cum Abb. Auſtr. Ulricus Hainburgicus eidem appoſitus. Factioſi Styr. Ulric. Pfanberg.

Ottoni II. de Liechtenſtein commend. Car.

Cur ſenior vocet.

Dubium unicum ſupereſt ſolvendum, an & quomodo *Otto* hic *II. ſenior de Liechtenſtein* vocetur? Ottonem I. communiter juniorem de Liechtenſtein vocari jam ſupra obſervavi: quoniam vero in dipl. 148. Seccov. ad an. 1310. a Friderico I. Epiſc. Seccov. dato nominatur *Otto ſenior a Liechtenſtain Camerarius Styriæ*, hocque Ottoni I. jam def. covenire nequit, cenſeo Ottonem II. poſt mortem Ottonis I. dictum fuiſſe ſeniorem ad diſtinctionem ab Ottone III. filio. Otto hic obiiſſe videtur anno 1311. ex dipl. Seiz. 33. ut v. tom. ſeq. an. 1311.

Herdegus de Petovia.

Chonr. Epiſc. Chiem. ex Præp. Salienſi rexit 24 annis.

G. Conradus ex cit. diplomate Seccov. 183. frater Ottonis II. fuit: hic jam in dipl. Seccov. 146. anno 1309. ſubnotatus legitur, & quidem ita: *Herdegus de Petovia*, & *Chunradus de Liechtenſtain ambo ſtudentes.* Erat itaque an. 1309. Conradus adhuc ſtudens, anno dein 1330. teſte Mezgero fol. 1145. ex Præp. Solienſis Eccleſiæ (nam inter Præpoſitos Salzburg. non reperitur) factus eſt Epiſcopus Chiemenſis, rexitque eam Eccleſiam 24. annis, unde an. 1354. obiit, patetque id ex dipl. Seccov. 183. cit. in quo Otto fratri ſuo Conrado Epiſc. Chiemenſi anniverſarium deſignat. Author Germaniæ Sacræ tom. 2. fol. 453.

An. 1340. adeſt Salzb. conventui.

an. 1340. eundem Conradum Epiſc. Chiem. adfuiſſe Conventui Salisburg. in quo Rudolphus Presbyter per Henr. Salzb. Archiep. Ruthmarum Seccov. ac Chunradum Chiem. aliosque Prælatos degradatus ac curiæ ſæculari traditus eſt Cremandus.

Otto III. de Liechtenſtein.

H. Otto III. an. 1326. ſigillum ſuum appoſuit inſtrumento Göſſenſi 29. an. 1335. vir fidelis & prudens, ac domui Auſtriacæ in adi-

piſcendo

piſcendo Carinthiæ Ducatu addictiſſimus poſt mortem Henrici Carinthiæ Ducis nominatur ab anonymo Leobienſi ſol. 940. an. 1357. *Otto de Liechtenſtein Camerarius Styriæ agnoſcit ſe debitorem pro funebribus exhibitis defunctæ conjugi ſuæ Annæ quandam filiæ Weichardi de Winkl, ſimulque deſignat ſibi, fratrique ſuo* (cenſeo legendum *patruo*) *Chonrado Epiſc. Chiemenſi anniverſarium perpetuum.* Ita habet diploma Seccov. 183. Anna de Winckl Ottonis III. uxor erat, quæ circa an. 1357. obiiſſe videtur cum funebria ei eo anno peracta fuerint; obiit Otto hic, teſte Chron. anonymi Zwetl. apud Hier. Pez tom. 1. ſol. 999. an. 1359. ita enim ſcribit: *Obiit etiam Dominus Otto de Liechtenſtein in vigilia S. Laurentii & ſepultus in Monaſterio Zvvetlenſi.*

I. Rudolfus I. filius Ottonis II. ſecundogenitus celeberrimus fuit. *Rudolphus I. de Liechtenſtein.*
An. 1310. jam memoratur in inſtrumento oppignorationis: anno dein 1313. teſte anonymo Leobienſi apud Hier. Pez tom. 1. col. 910. *Vir nobilis Rudolfus de Liechtenſtein cum Abbate S. Lamberti, ac Henrico de Walſee, allisque in Arragoniam miſſus eſt legatus a Friderico Duce Auſtriæ Elisabetham Regis filiam ſponſam adducturus*, quod & feliciter præſtitit. An. 1344. *Rudolph de Liechtenſtein in Murau Camerarius Styriæ ſupremus*, bona quædam in *Göllerſtorff Alberoni de Puchaim* vendidit, v. Wurmbrand. cit. fol. 4. an. 1360. dum Rudolphus IV. Auſtriacus confirmaret privilegia Teutonicorum in urbe Græcenſi, ſubſcriptus eſt *Rudolph Otto de Liechtenſtein.* Unde præter Ottonem III. Rudolphus hic nomen etiam Ottonis ſecundario geſſit, quod ex Wurmbr. cit. fol. 4. patet; forte hoc nomen ſecundario ob parentem ei impoſitum, ſimili modo ſubſcriptus eſt eodem anno privilegio Runenſi 50. ut v. dipl. Styr. p. 2. fol. 36. Græcii ergo eodem an. exſtitit Rudolphus Liechtenſteinius cum Rudolpho IV. Auſtriæ & Styriæ Duce, cum hic Græcii an. 1360. exiſtens in die S. Blaſii, Teutonicorum in die S. Scholaſticæ, ac dein Celejæ fer. 3. proxima ante Domin. qua cantatur: *Domine ne longe*, ſeu ante Dominicam Palmarum Gyrienſis Cartuſiæ privilegia firmaret. v. cit. diplomat. 150. An. 1362. *Rudolphus Otto Dom. de Liechtenſtein ſummus Camerarius Styriæ* nominatur in confœderationis diplomate inter Hungariæ, Poloniæque Reges, & Auſtriæ Duces erecto, v. Wurmbr. ſol. 265. ad ſummam ſenectutem perveniſſe ex eo colligo, quod teſte cit. Wurmbr. ſol. 294. *Friderico Auffenſtainio* reo Maj. læſæ, ablatum Mareſchalli Carinthiæ officium ab Alberto Duce Auſtriæ anno 1396. in *Rudolphum Baronem de Liechtenſtein* in Muraw fuerit translatum; an. 1335. idem Rudolphus arbiter electus eſt Frider. III. Archiep. Salisb. dum hic Auſtriacis ad occupandam Carinthiam faveret, v. auth. Germ. ſacræ tom. 2. fol. 449.

Legatus in Arragoniam cum Abb. S. Lamb. Henr. de Walſ.

Albero de Puchaimb.

Rudolf. IV. de Liechtenſtein a. 1360. Græc. & Celejæ agit.

Frid. de Auffenſtain deponitur, Rudolphus de Liechtenſt. fit Mareſch. Car.

Unum adhuc ex MS. codice fundat. Monaſt. Zwethalenſis lib. 2. litt. Q. de Rudolpho narrat Wurmbrandius fol. 194. nempe an. 1325. *Joannem & Leutholdum de Chunring* civitatem Zwetlenſem obſediſſe, multumque damni Monaſterio Zwetlenſi intuliſſe; expoſt vero Gregorium Abbatem effeciſſe, ut inter hos fratres & D. *Rudolphum de Liechtenſtein* pax firmaretur; advenit mox Zwetlam Ftider. pulcher Auſtriæ Rex, taleque medium iuter Chunringios & Rudolfum de Liehtenſtein fecit, ut Domini de Chunring judicium terræ, D. Rudol-

Joan. & Leutold. de Chunring civit. Zwetl obſidont 1325.

phus de Liechtenſtein civitatem cum judicio domorum, donec per placita & certa judicia quælibet pars ſuam juſtitiam plenius eximeret, pacifice poſſiderent. Ita codex MSS. cit. qui etiam Rudolphum Liechtenſteinium Ottonis ex *Alhaide Pottendorffia* filium dicit. * *Hartnidum* hunc MS. Chron. Styriæ Prætorem, ac anno 1396. in Muravia ſepultum docet.

Hartnidus de Liechtenſtein Prætor Styr.

Leonardus de Liechtenſtein.

Exſtat hoc diploma in archivo collegii Voravienſis, datumque eſt *Leopoldo* ſeu *Luitpoldo I. Vorav. Præpoſito*, ejusque ſucceſſoribus ab Adalberto Archiep. Salisburg. an. 1174. donat nempe Adalbertus Voravienſibus omnia Eccleſiaſtica & ſacerdotalia jura infra terminos terræ, quæ dicitur *Luettenverte* ſeu Luetenberg *infer. Styriæ*, cum portione decimarum ſe, ſeu Archi-Epiſcopum concernente. Luetenberg infer. Styriæ oppidum, quod *Mubra fluvius* non procul ab Hungariæ confiniis irrigat, & cui famam conciliat vinum nobiliſſimum, fors facile totius Germaniæ Princeps. Hoc itaque in territorio Adalbertus omnia ſacerdotalia & Eccleſiaſtica jura cum decimis donavit Canonicis Voravienſibus, an vero per hæc jura Eccleſiaſtica ac ſacerdotalia cum decimis intelligatur ipſa Parochia Luetenbergenſis? vix dubitarem, nunquam vero contendam eam alio modo ſub collegio Vorav. fuiſſe, quam ut ſacerdotem ſæcularem præſentare, & promovere ad eam poſſet. Plura de his ex MS. Chron. Vorav. dixi jam an. 1174.

Luetenberg.

An inibi olim Parochiam habuerint Can. Vorav.

Diernſtain in Auſtria. Henr. Berchteſg. Præp. Pſeudo-Archiep. Salzb. Leopold. Vor. in Dirnſtein Auſtr. agit.

Datum eſt hoc diploma in Auſtria apud *Diernſtain* 2. *Nonas Dec.* quo tempore, ſuffecto ſibi in ſede Salzb. Henrico Præpoſito Berchteſgadenſi in Auſtria ob iras Friderici Imp. deliteſcere debuit Adalbertus: ad eundem locum Dirnſtein abiiſſe Leopoldum Præp. Vorav. illegitimam Adalberti exauthorationem deteſtatum, oſtendi ad an. 1174. Indictio dipl. omiſſa eſt per errorem.

Ad

Ad Diploma 51.

Ad Dipl. 51.

Diplomati huic inter Garſtenſia 12. deeſt annus & locus, fragmentum perbreve refert Ludewig tom. 4. pag. 192. num. 3. cui tamen ab eodem male adſcriptus eſt in margine an. 1080. quo necdum fundatum eſt Monaſterium Garſtenſe.

Diploma hoc non eſſe confirmatorium Seizenſium, ſed Garſtenſium dixi annotat. dipl. 34. ſupereſt tamen difficultas de anno dati diplomatis hujus, Frælichius quidem in diplomatario Garſtenſi num. 12. ſtatuit annum 1177. ſed quomodo cum hoc anno conciliabuntur hujus diplomatis verba: *Hinc etiam paternitatis veſtræ diſcretionem ſcire optamus, parentes noſtros conquiſiiſſe ab Epiſcopatu Patav. a ſexaginta fere annis, Eccleſiam baptiſmalem cum omnibus ad ipſam pertinentibus, in cujus etiam area prædictum cœnobium eſt conſtitutum & fundatum &c.* hic loquendi modus: *a ſexaginta fere annis,* indicat annos 60. nondum elapſos, jam ſi numeremus 60. annos ab eo tempore, quo parentes ſeu majores Ottocari concambio obtinuerunt Eccleſiam Garſtinam, ſeu ab an. 1082. eveniret annus hujus diplomatis dati 1142. nam 60. addendo ad 1082. emergit numerus 1142. quo tamen anno Chriſti diploma hoc dari non potuit, nam Alexander III. Papa electus fuerit primum an. 1159. die 7. Idus Septembr.

Ottoc. VI. petit a Papa confirm. Garſt.

Hac in re dubia cenſeo annum 1175. huic diplomati eſſe apponendum, cum Ottocarus VI. hoc in diplom. non videatur locutus de primo illo an. 1082. facto concambio Garſtenſis Eccleſiæ, ſed de confirmatione concambii hujus ſub Udalrico Epiſc. Patav. facta, quæ incerto licet, attamen inter 1029. & 1115. anno aliquo edita eſt; ut v. dicta jam an. 1177. unde diploma hoc anno 1177. datum eſſe non potuit, cum enim Udalricus Patav. Epiſc. an. 1115. obierit, ultra eum annum differri confirmatio hæc non poteſt, ſi vero ad an. 1115. addantur 60. anni ab Ottocaro memorati, eveniet annus 1175. quo proin certe, ſi non antea diploma hoc Ottocari datum fuit.

Ad Diploma 52.

Ad Dipl. 52.

Inter Runenſia illud occurrit 11. Ottocarus enim VI. Marchio adhuc confirmat donationem *Henrici & Sigebardi Comitum de Schala*, qui *nobiliſſima proſapia carne pariter, & affectu fratres, ex* prædiis in *Marchia*, ſeu *Styria infer.* ſitis villam Choulerſtorff Runenſibus donantes, rogarunt Ottocarum, ut advocatus & tutor Monaſterii Runenſis foret. Traditioni villæ hujus, ut gratiam referrent Runenſes, 100. marcas fratribus his Comitibus obtulerunt, ſed Comites hi, teſte ipſo Ottocaro, *ſibi ſanguine proximi*, ſeu *conſanguinei* eas non receperunt, nec antea ſe uſuros dicebant, quoadusque 100. marcæ ad integrum cœnobio Runenſi ex hac villa obvenirent.

Henr. & Sigeb. Com. de Scala. Marchia id ac Styr. infer. Choulerſtorf vill. ibidem.

Com. de Scala conſang. Ottoc. Styr. March.

Præerat hoc tempore Runenſibus 2. Abbas *Othmarus ex Com. de Scalach* oriundus electus anno 1165. mortuus 1189. qui proin multum ad donationem hanc contulerit: an frater Henrici, & Sigehardi fuerit? vix eruitur, difficilior eſt quæſtio, quomodo Comites de Scalach, Ottocaros noſtros ſanguine attigerint. Quæſtionem hanc ex variis do-

Othmar. II. Ab. Run. Com. de Scalach. Oſtenditur Com. de Scala conſang. Ottoc. fuiſſe.

cumentis reſolvit, ac detegit author faſtor. Campililienſ. tom. fol. 136. num. 5. dum 5tam S. Leopoldo Auſtriæ March. filiam, ex Sundheimio elocatam ait Comiti *Sighardo* dicto *Scharchach* una cum Comitatu *de Schalach*, cujus caſtrum Princeps, non longe Mellicio diſtans hodie *Schalaburg* appellatur, tradit ulterius hoc ex matrimonio hæredes aliquos ſecutos, quibus deficientibus hæc ditio nuptialis ad primum fontem ſuum rediit: nomen quintæ hujus filiæ S. Leopoldi ac conjugis Sighardi de Scalach pandit Chronicon Mellic. quod ad an. 1154. habet: *Sophia Duciſſa Auſtriæ de Scala ſoror noſtra* obiit, & ad an. 1142. *Sigebardus Comes de Scala frater noſter* obiit. Item in Necrolog. Mellic. 13. *Maji Sigbardus Comes*, 6. *Nonas Maji Sophia Duciſſa de Scala*: In Necrol. Campilil. 6. *Non. Maji Sophia Duciſſa de Schalach ſoror fundatoris S. Crucis.* Ex his patet jam, Ottocarum VI. Comitibus de Scala fuiſſe conſanguineum, quod ſequenti ſchemate oſtendo:

Scalach caſtr. Auſtriæ, hodie Schalaburg.

Sophia Duciſſa Auſtriæ filias 5. S. Leopoldi ux. Sighardi de Scalach.

* *S. Leopoldus Pius* Auſtriæ Marchio.

Eliſabetha prima S. Leop. filia, mar. Ottoc. IV. Styr. Marchio.	*Sophia* 5ta ejusd. S. Leop. filia, mar. *Sigbardus* ſenior Com. de Scala † 1142.
Leopoldus fortis Marchio.	
Ottocarus V. fundator Vorav.	
Ottocarus VI. & Dux I. Styr.	*Henr.* Com. de *Scala* an. 1179.* / *Sigbard.* junior 1179. / * *Otmar.* Ab. II. Run. 1165 ad 1189.

Famil. Com. de Scala circ. an. 1208. exſtincta.

Non diu ſuperfuiſſe Comites hos de Scala, teſtatur Leopoldus VII. Dux Auſtr. in fundatione Campililienſi ad an. 1208. his verbis: *cæterum in Provincia, quæ vulgo* Voſt *dicitur, contulit eidem meo Monaſterio, quidquid a Comitibus Scalabenſibus in ullo juris aut poſſeſſionum genere hæreditavi, aut hæreditare debeo.* Unde poſteritas Sophiæ hujus, ad ſæc. 13. initium deſeciſſe videtur, ut adeo non omnes, qui de *Scala* ſcripti leguntur, continuo ad hanc progeniem referendi ſint, caſtro Scala, aliis deinceps etiam in feudum collato.

Alii de Scala extra hanc famil.

Scalenſ. Comites etiam dicti de Burghuſen.

Genealogiam *Scalenſium Comitum* etiam *de Burghuſen* dictorum, Hundius in libro ſtematum ab *Arbone*, Babenbergici Babonis tot filiorum patris nato, deducit, Lazius lib. 7. de migrat. gentium fol. 273. ab *Alberto*, & *Occario* ſeu *Ottocaro* Bajoariæ Marchionibus tempore Pippini Caroli M. Patris deducit, caſtrumque *Schallaburg* prope Mellicenſe Monaſterium, & cœnobium Seyſenſtain ab hac ſtirpe poſitum docet. Wurmbrandius cap. 19. fol. 62. *Schallenberg.* Comites declarat, ſed longe poſteriores, atque ab his Comitibus de Scala diſtinctos cum ii ſæc. 13. initio orti ſuerint.

Seiſenſtein Monaſt. fundatores. Schallenberg. Comit. origo.

Sigh. ſen. & jun. de Scala, Henr. de Scala. Frid. de Scala.

Præter *Sighardum ſeniorem*, & *juniorem Comitem de Scala*, ac *Henricum* (qui etiam in dipl. S. Petri Salisburg. ad an. 1156. teſtis legitur apud Bernard. Pez dipl. cod. part. 1. col. 382.) ad an. 1173. in dipl. Seiz. 2. ſubnotatus eſt *Fridericus de Scalach* an frater, an agnatus? mihi ignotum? Hæc de Scalenſibus; jam de teſtibus dipl. hujus.

Otto de Welgo.

1. Teſtis per aurem tractus erat *Otto de Welgowe*, qui unicus mihi hactenus comparuit, incertæ familiæ.

2. *Iſungus de Brune*, v. annot. dipl. 12.

3. *Lant-*

8. *Lantfridus de Eppenſtain*, v. annot. dipl. 37. locus dati diplomatis expreſſus non eſt.

Ad Diploma 53.

Ad diplom. 53.

Exiſtebat hoc anno *Mahrburgi*, urbe inferioris Styriæ Ottocarus VI. jamque Dux Styriæ nominatus, dum Admontenſes a *Vulfingo Ottocari Camerario* pro prædio quodam *Albaldisveld* injuſte vexarentur, Ottocarus itaque rem compoſiturus juſſit, & Wulfingum ſuum, & Admontenſium Camerarium *fratrem Epponem* ad ſe in *Mahrburg* venire. Eo cum veniſſent, ad locum ipſum *Albaldiſveld* acceſſum eſt, indigenæ loci, illud ſub jurejurando Cœnobii Admontenſis eſſe dixerunt. *Ottocarus VI. Mahrb. exiſtit. Albbaldisveld prædium Styr. Wulfing. Ottoc. VI. frat. Eppo Admont. Camer.*

Ne poſthac lis denuo renovaretur, Admontenſis agrum unum in eodem loco, Wulfingo ipſi dimiſerunt, marcamque unam ipſi Wulfingo pro abdicatione unius vineæ ad idem prædium pertinentis adjecerunt. Teſtes hujus actionis erant in Marchburg præſentes 1. *Herrandus de Wildonia:* antiquiſſima & celeberrima hæc eſt Styriæ noſtræ familia a *caſtro & oppido* Wildon infra Græcium ſito, nomen ſortita; familia hæc a primis fere temporibus *Mareſcallatum Styriæ* geſſit, nam *Mainhardus & Herrandus* Styriæ Mareſchalli anno 1120. floruere, manſitque hæc dignitas ea in ſtirpe uſque ad annum 1324. quo ad *Petovios* translata eſt: Familiam hanc Bucelinus & Hübnerus negligunt, Lazius obiter attingit, ego, quos ex antiquis monumentis deprehendi, ordino, debitisque notis illuſtro. *Wildonior. antiq. Styr. famil. Caſtr. & oppid. Wildon. Mareſchalli Styriæ Wildonii. An. 1384. Dui. de Petav.*

Genealogia Wildoniorum Styriæ.

A. Herrandus I. circ. 1184. ux. *Gertrudes* filia Leutoldi & Eliſab. de Guetenberg, v. dipl. Göſſ. 11. 16. 17.

B. Mainhardus 1120 ad 1156.

C. Hemudus* 1180. ad 1202.

D. Albert. 1186.

E. Chunradus an. 1227.

F. Henricus * an. 1230.

G. Leutold. I. 1222. ad 1249. ux. de Liechtenſtein fundat. Canon. Stanz. † 1249.

H. Ulricus I. 1222. ad annum 1286.

I. Hertnidus † a. 1222. obiit ſine hærede.

R. Hertnid. IV., *Leo*, *Werlo de Wildonia.*

N. filia uxor *Alberonis Chunring.* quæ dotis loco accepit caſtr. *Steyreck*, Laz. lib. 6. f. 289.

L. Hertnid. II. 1275. ad 1307. *Mareſch. Styr.* ux. *Agnes* hujus frater *Leutold. de Tirnſtein*, ex dipl. Seccov. 104. fors frater uterinus.

K. Herrand. II. 1155. ad 1278.

M. Richerus 1277.

N. Hertnidus III. Ep. Gurcenſ. 1282.

O. Ulricus II.

P. Eliſabetha † cœlebs videtur.

A. Herrandus I. de Wildonia, ejusque deſcendentes manifeſtantur in diplomate Seccov. 86. ab Herrando II. nepote an. 1205. dato, in quo Herrandus II. clare ait, ſibi *Herrandum avum Ulricum Patrem* fuiſſe, atque hujus Ulrici fratrem *Leutoldum.* Herrandum hunc I. Lazius de migr. gent. f. 189. jam an. 1120. floruiſſe ſcribit, & quidem teſte Wurmbr. f. 292. *Mareſchallum Styriæ*, ſed vix his aſſertis credo; ex docum. variis mox adducendis, Herrandus idem ad an. 1184. citatur primus inter teſtes ab Ottocaro VI. aſſertos in dipl. Vorav. inter mea num. 61. diu- *Herrand. I. de Wildonia. An Styr. Mareſc.*

tius poſt hunc annum ſuperfuiſſe ex eo opinor, quod *Luitoldus & Ulricus* ejus filii an. 1225. ab Eberhardo Archiep. adhuc *pueri* vocentur in dipl. Seccov. Epiſc. 8. quare illi initio ſæc. hujus nati videntur, hinc Herrandum hunc ad an. 1120. a Lazio & Wurmbrandio male citari, & diutiſſime vitam ad an. uſque 1203. protraxiſſe credo; anno enim 1186. in Admont cum Ottoc. VI. exſtitit, & præſente Duce *pro Ortolfo de Graz* Admontenſi facto, 20. manſus ſuper altare S. Blaſii obtulit &c. v. dipl. Admont. n. 66. inter mea num. 70. an. 1187. teſtem egit eidem Ottocaro in Göſſenſes munifico, v. dipl. mea num. 70. ac conſenſit (ut v. dipl. Göſſ. 11. 16. 17. inter mea num. 70. 71.) certe an. 1214. dipl. Göſſ. 17. licet eum vixiſſe diſerte non dicat, teſtatur tamen eum an. 1187. vixiſſe, & conſenſiſſe donationi per *Leutoldum & Eliſ. de Gutenberg* factæ, quorum filiam *Gertudem* habuerat uxorem. Subſcripſit præterea dipl. Seiz. 12. an. 1195. Goſſenſi 14. an. 1203. &c. Herrandi de Wildonia, duo in Necrol. Seccov. leguntur, Unus 4. *Kal. Dec.* alter *Non. Dec.* defunctus, ſed quis horum fuerit 1mus vel 2dus? ignotum; ego anon adhuc 1220. vixiſſe Herrandum I. ſuſpicor, ex dipl. Epiſc. Seccov. 6. dato an. 1220. a Comite *de Pleigen ad H. de Wildonia & U. filios ſuos.* Unde legendum ſuſpicor, *ad Herrandum de Wildonia*, & *Hartnidum & Ulricum filios ſuos*, ſeu Herrandi I. ſecus enim ex toto ſchemate combinatio fieri non poſſet.

Ortolf. de Graz fit Monab. Adm.

Leutold & Eliſ. de Guetemberg. Gertrud. filia ux. Herrandi de Wildonia.

Mainhardus de Wildonia.

B. Mainhardus de Wildonia, teſte Lazio & Wurmbrandio an. 1120. floruit, perſtitiſſe videtur ad an. 1186. quo diplomati Ottocari VI. dato Admontenſibus num. 63. 66. inter mea n. 69. & 70. ſubſcripſit.

Hemud. a Wild. Do. de Rakerſp. Gleichenberg, Steyreck.

C. * *Hemudus a Wildonia*, teſte Lazio an. 1180. in litteris Leopoldi Auſtriaci citatur, &, ſi MS. Chron. Styr. credimus, ab anno 1188. ad 1202. quo obiit, Styriæ Prætorem egit, *dictus Dominus de Rackerſpurg, Gleichenberg, & Steyreck* arcibus ſeu caſtris; probabilius Hemudo huic ſubſtituendus erit Herrandus de Wildonia, ut an. 1188. obſervatum.

Albert. de Wild.

D. Albertus de Wildonia viſus eſt mihi ſolum in dipl. Admont. 66. inter mea num. 70. ad an. 1186.

Chunr. de Wild. Leut. & Ulr. de Wildon. cedunt præd. Goberniz Seccovienſibus.

E. Chunradum de Wildonia manifeſtat dipl. Seccov. num. 46. ad an. 1227. in quo *Leutoldo & Ulrico fratribus de Wildonia* cedentibus Seccovio prædium *Gobernitz*, idem Chunradus teſtem egit. Ex alia proinde linea fuerit, ſorte Mainhardi, aut alterius ex ſupra poſitis filius.

Henr. de Wildon

F. Henricum de Wildonia ad an. 1230. ſolus manifeſtat Lazius.

Leutoldus I. de Wildonia.

G. Leutoldum I. Herrandi I. filium, Ulrici & Hertnidi fratrem fuiſſe, varia dipl. hic adducenda oſtendit, etenim diploma Run. 18. an. 1222. inter teſtes ſubſcriptos recenſet *Lutoldum & fratrem ejus Ulricum de Wildonia.* Dein an. 1223. *Leutoldus* hic & *Udalricus fratres de Wildonia*, ob damna Seccovienſium, quæ Pater eorum Herrandus, & fratrer Hertnidus intulerant, atque in compenſationem horum prædium in Preming ſitum donaverant, ejusdem prædii donationem confirmant. Idem ad an. 1227. teſtantur bina dipl. Seccovienſ. num. 45. & 46. an. 1225. dum Eberhardus Archiep. Salisburg. cum Leopoldo Auſtr. & Styriæ Duce in *Hartberg* 14. Kal. Febr. ageret, horum fratrum pacta confirmavit, quibus *Luitoldus & Ulricus pueri de Wildonia*, qui procurationes in Weides receperant contra voluntatem Caroli Ep. Seccov.

Ulr. I. de Wild.

Leop. Dux Styr. & Eberhard. II.

iisdem

iisdem penitus renunciarunt; vocantur in dipl. hoc Episcopii Seccov. num. 8. adhuc *pueri* seu *nondum sat maturæ ætatis*, nati fors circa annum 1201. ut lit. *A.* ostendi: an. 1229. fundavit Leutoldus Regularium Can. in Stanz collegium, Geroldo I. Præp. ex Cathedrali, ut ajunt Seccov. accersito; uxorem ei ex illustri & avita Liechtensteinia prosapia, documenta Stanzensium testantur. 1236. cum fratre Ulricus subscripsit dipl. Frider. II. Imp. Teutonicis Græcii dato, uti & an. 1240. obiit an. 1249. Idibus Aprilis Viennæ, sepultus tamen in Stanzensi Canonia In Necrol. Seccov. inscripta est ejus mors 18. *Kal. Maji*, unde ex reg. critices, uno horum dierum mors, nempe Idibus Aprilis depositio altero contigisse debuisset, nisi translatio emortualis corporis Vienna in Stainz majus & amplius spatium requireret; citatur quidem Leutoldus de Wildonia an. 1261. in dipl. Göss. 48. sed Leutoldo II. ea sunt applicanda. De filia ejusd. schemate ipso dictum.

Stanz Canonia an. 1C29, fund. Gerold I. Præp. antea Seccov.

Leutol. de Wild. in Stanz sepult.

H. Ulricus I. de Wildonia, tertius filiorum Herrandi fuerit, Hertnidum enim primogenitum censeo; pluribus jam lit. G. de eo actum. Ulricus hic an. 1256. testem egit Göss. diplom. 37. & 39. jam anno 1232. testis etiam adducitur in cod. dipl. Admont. num. 58. v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 334. an. 1262. dum Ottocarus Rex Bohem. *Henrici de Liechtenstein* privilegia confirmaret, & augeret, inter testes Styriæ notatus legitur *Ulricus de Wildonia & filii sui*, v. Wurmbrand. fol. 193. dein in dipl. Göss. 61. ad an. 1282. testis subscriptus est præcipue, ut præsens testamento *Heinrici ab Ebrnvels.* Item an. 1286. in dipl. Seccov. 116. an. 1260. testatur sibi aviam fuisse *Elis. de Guetenberg* dipl. Run. 14.

Ulr. I. de Wildo.

Henricus de Liechtenstein.

Henr. d. Ebrenv. Elis. de Guetenb.

I. Hertnidus I. de Wildonia, frater Ulrici I. & Leutoldi I. non diu superstes fuit, etenim ex dipl. Seccov. 42. ad an. 1223. testantur *Luitoldus & Ulricus de Wildonia*, & Patrem suum Herrandum, & fratrem Hertnidum jam fuisse defunctum, v. lit. G. in dipl. Seiz. 14. ad annum 1207. testis legitur.

Hertnidus I. de Wildonia.

K. Jam sub littera *H.* insinuavi ex dipl. Ottoc. Bohemiæ Regis Ulrico fuisse filios, quinam vero fuerint, ex hisce patebit: binos varia documenta statuunt, *Herrandum II.* nempe, & *Hertnidum II.* De Herrando II. hic agendum: primo eum annotatum censeo in dipl. Seccov. 67. anno dein 1255. damna Seccovienſibus illata compensavit dando 2. marcas reddituum in villa inferiore *Auerspach*, & quidem, ut ait dipl. Seccov. 67. *præsente patre suo Domino Ulrico de Wildonia*, anno 1270. ex dipl. Seccov. Ep. 69. patefit, Herrandum II. & Hertnidum II. fratres fuisse, & jura quædam Seccovienſi Episc. Bernardo cessisse. Lazius vero cit. docet, Herrandum II. an. 1228. cum *Chalocho ab Hymberg* castri Weissenstain *in Styria* possessionem & hæreditatem adiisse, anno 1255. Rex Hungariæ Hertnido Comiti Petovienſi bellum movebat, *Petoviumque*, tunc *urbem Juvavensem* obsidebat, sed cum Ulricus Archiep. Salzb. intercessisset, & Regi Hungariæ Petovium oppignorasset, Ulricus ea temporum tempestate salisburgum impetere statuit. Hos inter unitos erat *Herrandus II. Wildonius* tanquam Ecclesiæ Salisb. nobilior benficiarius, quem tamen ab expeditione hac infelici, morbus coegit redire, ut v. auth. Germ. Sacr. fusius tom. 1. fol. 355. &c.

Herrand. II. & Hertnid. II. de Wildonia filii, Udalrici filii. Herrandus II. Wildonia.

Chaloch. ab Hymberg. Castr. Weissenst. in Styria. Petov. urbs Salisb. obsidetur 1255.

an.

an. dein 1260. dipl. Run. 24. ab Ottoc. Boh. dato ſubſcripſit, ac anno 1261. in dipl. Run. 26. cum *Gotefrido de Marchburg*, *Ulrico de Liechtenſtein* ſub jurejurando proteſtatus eſt Dominum Fridericum Auſtriæ & Styriæ quondam Ducem, montem, in quo caſtrum *Helfenſtein* conſtructum erat, cum prædiis & attinentiis Monaſterio Runenſi donaſſe. Obiit anno incerto, 4. Kal. vel 4. Non. Decembr. v. lit. *A.*

Godefridus de Marchburg, Ulr. de Liechtenſtein. Helfenſtain ca. Styriæ.

L. Hartnidus II. frater Herrandi II. ut dictum, ſatis inclaruit; nam an. 1277. Rudolphus I. Habſpurg. Imp. uti Auſtriam *Stephano de Meiſſau* Carinthiam *Conrado de Auffenſtain*, ita Styriam *Hertnido de Wildonia* concredit, eosque Mareſchallorum elogio condecoravit; teſtatum hoc facit diploma Seccov. 104. eodem anno 1277. 3. Id. Decembr. datum, in quo *Hertnidus* hic *Mareſchallus Styriæ* exhibitis ſibi ab Ortolfo Præp. & Capit. Seccov. 20. marcis argenti ſuper bonis in *Eiſengore* & *Erzvvald* ceſſionem omnimodam inſtituit, atque quæſtionem nullam amplius de iis ſibi fore affirmat: varia circa Wildoniorum genealogiam hoc ex diplomate diſcimus, & primo quidem teſtatur, filium ſibi fuiſſe *Richerum*, cujus conſenſu hæc etiam ceſſio facta fuit 2. teſtatur Herrandum ſibi fratrem fuiſſe, & huic etiam hæredes, 3. *Leutoldum de Thirenſtein* fratrem ſuum *piæ memoriæ* nominat, quod, qua ratione conciliari poſſit? vix eruendum. Dixi in annot. dipl. 7. in *Diernſteinii Leutoldum de Tyrenſtein*, Abberonis IV. filium, & *Hademari III. Chunringii* nepotem fuiſſe, hosque Diernſteinios dictos, non ob familiam cum Chunringii fuerint, ſed ob poſſeſſionem caſtri *Dirnſtein.* Jam vero teſte Lazio ſub lit. g. cit. *Luitoldi I. de Wildonia* uxor erat *filia Alberonis de Chunring*, proin *Leutoldi de Dirnſtein* ſoror, quare forſitan Hertnidus II. Leutoldum hunc Chunringium ſeu Dirnſteinium, fratrem uxoris Leutoldi I. de Wildonia, fratris Ulrici I. patris ſui eo titulo fratrem vocavit, vel ſi hæc non placent, mater Hertnidi poſt obitum Ulrici I. de Wildonia mariti ſui nupſit cuidam Dirnſteinio, ſicque Leutoldus Dirnſteinius frater uterinus Hertnidi II. fuiſſet. 4. *Ulricum Pincernam de Ramenſtein*, inter alios cohæredes ſuos recenſet, de his Pincernis egi quæpiam annot. dipl. 8. ſed pauca hactenus videre de iis licuit, unde quo titulo inter cohæredes Wildonior. referatur? ignotum.

Hertnidi II. de Wildonia. Steph. de Meiſſau Conr. de Auſenſt. Hertnidus de Wildonia.

Eiſengore & Erzwald in Styr.

Richerus de Wildonia.

Leutboldus de Tyenſtain. Albero IV. de Tirnſtein. Hademar. III. Tirnſtein caſtr.

Ulricus Pincer. de Ramenſtein.

An. 1275. inter legatos Styriæ ad Comitia Auguſtana miſſum teſtatur author Germ. Sacræ tom. 2. fol. 381. an. 1278. liberalis fuit Epiſcopio Seccovienſi, nam in Leibnitz exiſtens eidem Epiſcopatui donavit domum in *Seebach* a ſe muniri cæptam; & proprietates in villis *Svvarza*, *Weitersfeld* &c. v. dipl. Epiſc. Seccov. 55. an. 1290. compoſuit litem inter ſe, & Epiſc. Seccovienſ. Leopoldum exortam, ſuper quosdam homines & bona a *patruo* ſuo (corrigit Frælich *avunculo* vel *conſobrino*) *Leutoldo de Chunrige* Eccleſiæ ſeu Epiſcopio Seccov. donata. *Leutoldus de Chunringe* omnino *patruus*, ſeu frater Patris Ulrici eſſe non potuit; cenſeo enim, Leutoldum hunc Chunringium eundem, cum *Leutoldo Tyrenſteinio* ſupra memorato fuiſſe, ac fratrem uxoris Leutoldi Wildonii, patrui Hertnidi hujus, vel *Agnetem* uxorem Hertnidi fuiſſe e familia Chunringiorum. Ex eodem hoc diplomate innoteſcit uxor *Hertnidi II. Agnes*, & proles quatuor, *Richerus*, *Hertnidus III. Ulricus II.* ac filia *Eliſabeth.* Idem docet dipl. Epiſc. Seccov.

Schwarza & Weitersfeld villæ Styriæ.

Leutoldus de Chunring.

Leutoldus de Tyrenſtein.

Agnes de Wild.

61. *Agnes de Wildonia* defuncta legitur in Necrol. Run. 15. *Kal. Aug.* Idem a Frider. Petov. rebellionis in Ottocarum Regem Boh. reus delatus, caſtra Eppenſtein Gleichenberg & Premersburg an. 1268. amiſit, ut eo anno uberius dicetur.

An. 1292. famam nominis ſui obſcuravit Hartnidus II. de Wildonia, dum ſeditioſis Provincialibus, *Ulrico Pfanbergio*, aliisque nomen daret & *Ulrico Hainburgico*, jactato novo Styrorum Duci contra Albertum Auſtr. adhæreret, reconciliatus deinde Alberto anno ſequenti, ſuæ etiam dignitati reſtitutus eſt, nam an. 1299. in dipl. Epiſcopii Seccov. 61. ac an. 1301. in dipl. Epiſc. Seccov. 62. ſe denuo *Mareſchallum Styriæ*, ut antea ſcripſit, uti & anno 1302. in dipl. Seccov. 133. *Hertnid. II. de Wildon. cum ſedit. Styr. Ulrico Pfanberg. conſpirat. Ulric. de Hainb. Dux Styriæ jactatur.*

Hertnidus hic, ut plurima alia diplomata non memorem, etiam Hertnidus *junior* eſt dictus, nam an. 1305. in dipl. Epiſc. Seccov. 65 teſtatur Ulricus II. Epiſc. Seccov. quod ab *Hertnido juniore Wildonio*, *Styriæ Mareſchallo* obtinuerit facultatem in *Savathal* prope *Eibiſwald*, ædificandi & perficiendi caſtrum *Biſchofseck*, itaque junior dictus fuerit ad diſtinctionem Hartnidi I. patrui ſui. Wurmbrandius fol. 292. eidem Mareſchalli hæreditarii Styriæ munus an. 1324. ademptum, atque *Dominis de Petau* datum aſſerit, in quo hæreo, quia poſt an. 1307 in actis publicis non amplius occurrit. Annus itaque mortis incertus, dies notatur ex Necrol. Runenſi ad 4. *Id. April.* & 4. *Idus Julii*, quorum unus Hertnido I. alter vero huic II. competet, præter hos duos Hertnidos, ſtatuit idem Necrol. Runenſe ad 4. *Id. Jan.* & ad 17. *Kal. Febr. Hertnidum de Wildonia* defunctum, ut adeo 4. huj. nominis fuerint. *Hertn. II. etiam junior de Wildonia dictus. Biſchofseck caſtrum Styriæ ædificatur. An Hertnido II. de Wild. munus Mareſch. Styriæ ablatum, & fuerit conceſſum Petovits.*

M. Inter Hertnidi II. filios primus refertur *Richerus*, ex diplom. Seccov. 104. ad an. 1277. quo, cum in donationem patris conſenſerit, jam pubertatem aſſecutus videtur; ejusdem Richeri mentionem facit dipl. Göſſ. 22. ad an. 1300. quo ab Hertnido II. patre vocatur germanice Richer, vel ut an. 1302. Reicher in dipl. Seccov. Epiſc. 64. deinceps de eo nil amplius occurrit; vel cœlibem, vel ſine prole defunctum cenſeo. *Richerus de Wildonia.*

N. Hertnidus III. filius Hertnidi II. a patre ſuo in cit. dipl. Seccov. Epiſc. 64. *Hertlin* vocatur: hic anno 1282. ex *plebano in Pels Epiſcopus Gurcenſis* factus eſt, teſte auth. germ. Sacr. tom. 2. fol. 392. & 431. *Hertn. III. de Wild. Ep. Gurc. ante plebanus in Pels.*

O. Ulricus II., Ullein a patre ſuo Hertnido II. in cit. dipl. Germ. Epiſc. Seccov. 64. an. 1302. vocatur, in quo tandem emarcuit familia Wildoniorum initio ſæc. 14. eum an. 1305. vixiſſe, teſtatur Lazius. *Ulricus II. de Wildonia.*

P. Eliſabetha, Hartnidi II. filia, quæ fata ſubierit? ignoro; id ex dipl. cit. certum, fuiſſe Hartnidi II. filiam; in Necrol. Run. 2. *Id. Febr.* legitur *Eliſabeth de Wildonia* defuncta. *Eliſ. de Wildon.*

Q. Præter hos Wildonios deteguntur alii etiam, ex Necrol. Run. uti *Hertnidus IV.* v. lit. *L.* dein 8. *Kal. April. Leo de Wildonia*, quos tamen acta omnia retinent. *Hertnid. IV. de Wildonia. Leo de Wild. Werlo de Wildonia.*

2. Teſtis hujus diplomatis erat *Richerus de Marchburg*, v. annot. diplom. 46.

3. *Ortolfus de Gunevitz*, v. annot. dipl. 34.

4. *Otacher de Grez*, v. annot. dipl. 7.

Erkinger I. de Landeſar. 5. *Erckingerusde de Landiſer*, idem ad an. 1129. occurrit in dipl. Göſſ. 13. & 15. ut adeo hic *Erchingerus de Lantſer*, ob temporis circumſtantias diverſus cenſeri debeat; *Erchingerus I. de Landiſer* refertur etiam in dipl. Garſt. inter mea num. 54. ad an. 1181. in dipl. Admont. 67. *Erchingerus de Landis*, & *frater ejus Gotſcalcus*, Garſtenſi ad annum 1158. Cremiſanenſi an. 1169. apud Wurmbr. f. 155. & 70. *Erchengerus* vero *II.* in dipl. Ottoc. Regis anno 1262. inter Styros ita ſubſcriptus eſt *Erchengerus de Landeſſer Dapifer*, v. Wurmbr. fol. 193. ſed in eod. Wurmbrandio cap. 9. de Dapiferis Styriæ fol. 313. &c. nullus unquam Landeſer occurrit, inter Styriæ Dapiferos, niſi dicamus, eos, ante Emmerbergios jam id muneris geſſiſſe, in dipl. Seccov. 107. an. 1278. Erchengerus teſtatur ſe a Rudolfo Imp. poſſeſſiones & jura *Ulrici quondam Pincernæ de Haugsbach* obtinuiſſe in perpetuum.

Gotſcalcus de Landiſcer.

Erchenger II. de Landiſer dapif.

Ulric. Pincerna de Hausbach.

Q. Otto de Leibenitz, v. annot. dipl. 8.

7. *Ditmarus de Liechtenſtein*, v. dipl. 47.

Alii denuo teſtes citantur in ipſa litis determinatione & abdicatione præſentes:

Liutoldus de Melnich. 1. *Liutoldus de Melnich*, ignotus teſtis, cui fors a loco ſolum nomen erat.

2. *Mogay de Geſtnich*, ignotus etiam, niſi legendum Geſting; v. annot. dipl. 8.

Nogay de Pesn. 3. *Nogay de Peſnich*, *Ztoyze* & frater ejus *Ztoin*, & tertius frater eorum, ignoti.

4. *Ulricus de Marberch*, fors *Marburch*, v. annot. dipl. 46.

Engilbertus & Otto de Järing. Dynaſt. & Par. 5. *Engilbertus de Järingen*, & filius ejus *Otto. Järingen Dynaſtia* cum Parochia infer. Styriæ in collibus Sclavonicis, quo in loco decimationem habuiſſe Canonicos Seccovienſes patet, ex diplom. Seccov. 18. in quo Alex. III. eam Seccovienſibus confirmat, & dein Adalbertus Archiep. Salzb. manſum unum in *Jaringen*, quo decimationes poſſent conduci, eisdem donavit. Erat autem *duplex Jeringen*, *inferius* & *ſuperius*, prædium *inferius Jeringen* ex charta Conradi Archiep. Salzb. de anno 1129. cum Eccleſia, & omnibus attinentiis, nobis (Admontenſibus nempe) *Rudolphus de Wittenwald* frater *Weriandi* tradidit. De quibus plura ad an. 1139. dicta ſunt. Domini itaque hi *de Järingen* prædii hujus ſuperioris poſſeſſores, & Dynaſtæ fuerint, ſed de his nemo, niſi Engilbertus hic, & Otto ex actis noſtris innotuit.

Jaringen dupl. Inſe.. & ſuper.

Rud. de Witten.

Diplomati ſeu notitiæ huic deeſt annus, dies, Indictio, locus conjicitur *Marchburg*, in quo datum fuit.

Ad Diplom. 54.

Ad Diploma 54.

Diploma hoc Frælichius recenſet in diplomatario ſuo Garſtenſi num. 15. conferebat nempe Ottocarus VI. Dux Garſtenſibus, 2. manſus cum nemore juxta fluvium *Gavelenz*, unum manſum in *Uchſenberg*, & quidem, ut ait ipſe, præcipue *ob animæ matris noſtræ redemptionem*, quæ proin circa hoc tempus 1181. &c. jam defuncta eſſe debuit, ut jam in Cronologia obſervavi. Deeſt quidem diplomati huic locus, & tempus, ſed quoniam Ottocarus VI. anno 1180. Dux Styriæ eſt renunciatus, & quoniam Leopoldus Dux Auſtriæ huic diplomati ſigil-

Fluv. Gavelenz. Uchſenberg præ. Chuneg. Styriæ March. an. 1181 jam defuncta.

lum

lum appoſuit, hic vero Leopoldus Virtuoſus an. 1182. in Palæſtinam movit, ab hoc tempore removeri diploma non poteſt; unde Ludewigius tom. 4. pag. 196. num. 13. diplomati huic infeliciter annum 1150. adjecit, quo Chunegundes nondum mortua, & Ottocarus VI. nondum natus erat.

Præter hæc conceſſit Ottocarus, ut manſus alius vel *area* (cenſeo enim pro *aliam* legendum eſſe *aream*) a nobili fœmina *Gisla de Euſſar* juxta Eccleſiam *Hus*, fors *Haus*, ſuperioris Styriæ tranſcripta, penes Garſtenſes maneat, atque ne advocatia ulli inbeneficietur: vetat, proque majori robore, ſigillum, ut Leopoldus Auſtr. apponeret, rogavit. *Gisla de Euſſar. Haus Eccl. ſuper. Styriæ.*

Fecit hoc Ottocarus, ut Garſtenſes, iter ſuum Jeroſolymitanum, quod propoſitum quidem exequi non poterat, quotidie Domino Deo offerrent, cum una miſſa de B. V. M. per anni unius ſpatium; poſt mortem vero ejus miſſam unam quotidie pro defunctis, & ſalute animæ ſuæ celebrarent Garſtenſes in perpetuum.

Teſtes diplomatis erant nobiliſſimi ex Auſtria & Styria petiti, & quidem:

1mus: *Erchingerus de Haginove*, Comites hi de *Hagenave* ſeu *Hagen* nobiliſſimi & antiquiſſimi erant in Auſtria, *Hartvvicus de Hagenovv*, frater *Reginberti* ſeu *Reinberti Epiſc.* 26. *Patav.* ex Chron. Reicherſperg. etiam *Comes de Hagen* dictus, ſubſcripſit litteris Conradi an. 1143. eidem Garſtenſi Monaſt. datis. Ex hiſtoria Seittenſtett. apud Hieron. Pez tom. 2. col. 307. legimus *Reinbertum Comitem de Hagenovve & Hayde* ex *Helena Udalrici Pat. Ep. ſorore*, ac nata *Comite de Höfft* procreaſſe *Reinbertum Patav. Ep. Hartvvicum*, & S. *Richardum*, de quibus Pezius pluribus; Erat vero triplex Hagenorum, ſeu de Hagen familia, una ad Rhenum anno 969. in Thuringia orta, altera in infer. Saxonia, in Miſnia & Thuringia diffuſa, ab *Aſſeburg* deſcendens, tertia antiquiſſima & nobiliſſima in Auſtria, quam Lazius deſcribit, & Bucelinus, ſed hic neglectis primis a medio primum ſæc. 15. Wurmbrand. fol. 93. a ſæculo 14. orditur. *Hagen* arx ſuper. Auſtr. trans Danubium, & Lincium, olim *Com. de Schaumburg*, inde permutatione ad DD. de *Chronpichel*, emptione ad DD. de *Salburg* pervenit; cum autem anno 1723. Ferdin. Joannes Comes ſine hærede maſculo obiret, per nuptias filiæ Mariæ Franc. ad Joan. Leopoldum Bar. *de & ad Clam* venit, teſte Hocheneckio tom. 2. in ſupplem. parte 5. Hæc proin familia Auſtriaca apud cit. authores curioſo lectori inquirenda erit. *Erchinger de Haginove, Hagenau v. Hagen. Hartwicts & Regimbert. Ep. Pat. Co de Hag. S. Richard de Hagenove. Triplex famil. Hagenorum. Hagen arx Auſt. Ferd. Comes de Salburg filia Maria Franc. Leopold. Baro de & ad Clam.*

2. *Fridericus de Perge*, v. annot. dipl. 4.

3. *Herrand de Wildonia*, v. annot. dipl. 53.

4. *Richer de Marchburg*, v. annot. dipl. 46.

5. *Dietricus de Hochenſtaufe*, v. annot. dipl. 32.

6. *Arnold de Wartenberg*, v. annot. dipl. 47. & 6.

7. *Erneſt de Trun*, v. annot. dipl. 35.

8. *Dietricus de Polenhaim*, familia hæc digniſſima eſt & nobiliſſima Auſtriæ ac Styriæ noſtræ, bene tamen ab illa de *Pelhaim* in Auſtria etiam exiſtente diſtinquenda, teſte Lexico univerſali Baſileenſi. *Arcem* ejus nominis, unde ortum ducunt Polheimii, in Styria ad Muram ſitam, hodie Epiſopi Seccovienſis eſſe docet Lexicon idem, ego ar- *Dietricus de Polhaim. Famil. deſcript. Polheim arx.*

cem Polheim nec in Styria, inter prædia Seccovienſis Epiſcopi hactenus inveni, bene tamen in Auſtriæ circulo Hauſruggenſi ſupra urbem *Grizkirchen*, a qua proin familiam hanc deducendam arbitror. Origo familiæ, ut antiqua, ita perobſcura eſt, Prevenhueberus in Geneal. Polheim. fol. 452. Dominum *Joannem de Polhaim* maritum *Margarethæ*, *Godefridi Ducis Britanniæ filiæ* jam ad annum 1030. adducit, conſentiente Lexico Baſileenſi, atque ad an. 1066. *Rudolphum Polheimium*, maritum *Margarethæ Hugonis Lupi Comitis de Rohr* ex Anna filia memorat. Sed anteriorem eſſe Polheimiorum originem, antiquiſſimum urbarium Polheimiorum docet, ad an. nempe 909. jam extitiſſe.

Joan. Polh. ux. Marg. fil. Godef. Ducis Britann. Rudolf. de Polh. Marg. & Hugo Lupus Com. de Rohr.

Ne inclytæ Genealogiæ hujus enarratione finem operis mei nimium morer, adducam ſolum Genealogiam Polheimio-Leibnizenſem in Styria quondam noſtra celeberrima, reliquas lineas noſſe cupidum, ad Prevenhueberum, Excellentiſſimum Wurmbrandium, Hübnerum, ac Bucelinum ablego, qui fuſiſſime eas pertractarunt.

Genealogia Polheimiorum.

ex linea Leibnizenſi in Styria cum deductione ejus familiæ a ſæc. II.

§. I.

Deductio Polheimiorum a ſæc. II. ad lineam Leibnizenſem Styriæ ortam circa 1340.

Pilgrinus an. 1073. 1075. &c. uxor N.

Weiccardus I. anno 1087. † 1099. uxor N.

Henricus I. in *Seuſſenberg*, anno 1120. & 1134. uxor *Adelheid.*

Weiccardus II. anno 1143. 1180. uxor *Geuta de Recbberg.*

Theodericus II. vel *Dietericus* hoc in diplom. citatus.

Albero II. anno 1168. & 1180. uxor *Aagatha de Capellen.*

Ita Prevenhueberus, & Wurmbrandius fol. 156. ubi Ulricum II. filium hujus Alberonis II. ex document. variis oſtendit, Hübnerus vero tab. 741. Arnoldum II. propagatorem lineæ ſtatuit.

Ulricus II. anno 1180. † 1229. uxor *Euphemia de Meſſenbach.*

Albara III. eques, & Capitan. ſupra Anaſum 1236. † 1253. uxor *Chunegund de Rohr.*

Philippus in Scharnſtein eques 1260. uxor Margaretha de *Truchſen.*

Gotefredus anno 1307. & 1330. uxor Brigitta de *Maxbach.*

Wernerus II. in *Stainbaus* anno 1333. uxor 1. Adelhais de *Weiſſeneckh* 2. Eliſabetha de *Harthaimb.*

Wiccardus X. eques *Leibnitii*, de quo mox.

§. II.

§. II.

Genealogia Polheimio - Leibnizenſis in Styria.

A. Weiccardus X. Leibnitii eques 1340. † 1366. ux. 2. *Catharina de Leibniz* primam ei Prevenhueb. tribuit *Margaretham*, Hübnerus vero unicam, *Margaretham de Leibniz*, filiam Friderici, a cujus obitu Dynaſtia Leibnizenſis hiſce Polheimiis obvenit. Annot. lit. *A.*

Sidonia 1378. mar. Philip. de *Tozenbach.*

Pilgrinus IV. anno 1358.

B. Weiccardus 13. 1363. 1379.* ux. Wandula *de Pernegg* filia Wilhel. vidua Wolgang. de *Winden.*

C. Georg. 1367. † 1383. uxor Clara *Heislerin de Wildenſtein.*

Cath. mar. Georgius *Schenck* de *Oſtervvitz* an. 1393.

Seifrid. anno 1363.

D. Agnes 1396. † 1418. mar. *Caſp. de Stahrenberg.*

E. Frid. III. 1458. ux. Hel. *de Oſtervviz.* 2. Cath. *de Neitberg.*

Weiccardus 16. an. 1397. uxor Barba. de *Zinzendorff.*

FF. Ulric. VI. anno 1436.

F. Weicc. XVIII. an. 1430. ux. Wandula *de Pernegg.*

G. Wilhelmus anno 1430.

H. Sifrid. II. 1489. uxor Barbara de *Baumkirchen.*

Roſa v. *Roſin.* 1471. 1537. mar. Wilh. de *Eckartſov* ultim. familiæ.

I. Eberhard. II. 1538. ux. Cath. de *Metſch* & *Kirchberg.*

Veron. mar. Wolfg. de *Stubenberg*, 1518.

Wandula anno 1493.

Gaudent. I. natus 1504.

Wiccard. XX. an. 1520. ux. 1. Marthad. *Zelking*, 2. Helena *Hochenfeld*,

Hypolita 1500. marit. 1. Caſp. *de Stubenberg*, 1520. 2. Balth. *de Gleiniz* 1531.

K. Joannes V. † 1571. ux. 1. An. *de Hochenfeld* 2. Jul. *de Stubenberg*, 3. Roſina de *Saurau*, 4. An. *de Scherfenberg*, 5. Eſther *Pöglin*, 6. Amalia *Hagnin.*

Hypolita II. Wilh. *de Zelking*, 2. Stenno Leo *de Roſenthal*, 3. Daniel B. *de Kuen.*

Judith v. Juſtina, marit. 1. Wilh. *de Zelking*, 2. Stenno Leo *de Roſenthal*, 3. Daniel B. *de Kuen.*

Wandula III. mar. Wolfgan. Wilh. de 1568.

Victor natus 1529. † 1564.

Georg. *Erhard.* 1524. † 1570. ux. Magdal. *de Stahremberg.*

Gaudent. II. 1538. ult. fam. *Leibnizenſ.*

Cath. 1524. mar. Marq. *de Chunring.*

Baltaſar.

Ladislaus de Chunring, hæres *Gaudentii II.*

Quosdam notis illuſtro, qui præter ea, quæ Prevenhueberus, Bucelinus, & Hübnerus adferunt, ſpecialius ſibi nomen fecerunt.

A. Weiccardus X. jam in annot. dipl. 8. quædam dicta ſunt, ubi de familia Leibnizenſi in Styria egimus. Errat vero Hübnerus tab. 744. dum *Margaretham Friderici Leibnicenſis filiam*, & Weiccardi hujus uxorem putat, cum *Friderici ultimi Leibnizenſium ex Agnete de Kranichberg*, filia non *Margaretha*, ſed *Catharina* fuerit dicta. Prevenhueb. fol. 470. errorem corrigit docens, primam Weiccardi hujus uxorem fuiſſe Margaretham, ſecundam vero Catharinam Leibnizenſem, quibus nuptiis

Weiccard X. de Polheim. Frid. de Leibn. Agnes de Kranichberg, Cath. de Leibniz.

Leibniz Dynastia quomodo ad Polheimios venerit.

dein *Dynastia Leibnizensis* Polheimiis obvenit. Quidquid sit de uxore 1. Margaretha, illud certum, Polheimios, Dominos inde Dynastiæ Leibnizensis fuisse factos.

Oppidum Leibn. & arx Seccov. fuit Arch. Salzb.

Dico Dynastiæ Leibnizensis, non vero oppidi, & arcis adjectæ Seccovienſis, etenim hæc illibata penes Salzburg. Archi-Episcopos mansisse testantur complura, nam *1mo*: ut ad an. 1126. dixi, a Conrado I. Salzburg. Archiep. Leibnizium a fundamentis erectum est ad vim Hungarorum propulsandam. 2. Anno 1393. quo Polheimii jam Dynastæ Leibnizensis erant, Albertus Dux Austriæ, oppidum Leibniz in contemptum Pilgrini II. Archiep. cujus id castrum & oppidum erat, jussit expugnari & spoliari. 3. An. 1479. Leibnizense oppidum cum gemino castro tum Archiep. Salzburg. tum Episc. Seccovienſis Hungaris per pacta cessit, sed mox an. 1494. a Maximiliano Imp. castrum Leibniz, demumque Præfecturæ ibidem una cum oppido, ditione, omnibusque ad eam pertinentibus recepit Frider. V. Archiep. Salzb. & Leonardus Archiep. illud seu oppidum Leibniz reparare cœpit. 4. Tandem ex privilegio Episcopii Seccov. num. 84. apparet, a Mathia Rege Rom. Christophoro Episc. Seccov. an. 1479. Budæ confirmatum fuisse castrum Seccauberg supra Leibnizium situm. Idem v. in dipl. Episc. Seccov. 85.

Leibnizii oppidi origo.

An. 1393. expugnatur, & spoliatur.

An. 1479. Hungaris per pacta datum.

An. 1494. restitutum Salisburgensibus.

Dein reparatum Arx Seccov. vel Seccauberg datur Episc. Secc.

Dynastia Leibn. & Præt. Leibn. distinctæ.

Ex his jam concludo, *Dynastiam Leibnizensem* distinctam fuisse a *Prætura Leibnizensi*, hæc Archi-Episcopi Salzb. & Episc. Seccov. ex parte erat, illa Polheimiorum, hæc continebat oppidum & castrum Leibniz, Petovium, Rainam & omnia ad limitem Pannonicum sita, cum teloniis, pedagiis, & vectigalibus, cum jure sanguinis, ex Cæsareo in Arnfels & Wildon extracto, ut v. diploma Frider. Imp. an. 1458. datum apud auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 507. illa seu Dynastia Polheimiorum Leibnizensis continebat ditiones in Styria magis sitas, non ad Hungariam accedentes.

Seccau aux habet Jus gladii.

Weiccardus X. de Polheim, itaque Leibnizensis in Styria Polheimiorum lineæ author erat, qui dein Polheimii de Leibniz sunt dicti, reliquit ex Catharina proles quinque.

Weiccard. 13. de Polheim.

Wilb. d. Perneg.

Wand. de Pern.

Wolfgangus de Winden.

B. Weiccardus XIII. filius Weiccardi X. qui circa an. 1363. & 1379. floruit, uxor erat *Wandula*, filia *Wilhelmi de Pernegg*, & vidua *Wolfgangi de Winden*, quo ex matrimonio quatuor proles prodiere, v. plura lit. *D.* & *F.* de uxore ejus.

Georg. de Polh.

Clara Heislerin de Wildenstein.

Georgius II. de Polheim, Otto de Ehrnvels, Joan. de Ehruv.

C. *Georgius de Polheim*, alter Weiccardi X. filius, uxorem habuit *Claram Heislerin de Wildenstein*, quæ circa an. 1393. obiit, marito suo jam ante 10. annos, seu 1383. defuncto. Hic *Georgius de Polheim* jam an. 1383. defunctus distinquendus est a *Georgio* altero marito *filiæ Ottonis de Ehrenfels*, qui anno 1411. cum *Joanne de Ehrnvels*, fratre *Ottonis*, transegit nomine uxoris suæ, v. Wurmbrand. fol. 12., an vero hic Georgius, vel Georgius Claræ de Wildenstein maritus, filium Casparum reliquerit? quæri potest; de quo ita habet codex antiq. cœnobii FFr. Minorum Viennæ ad S. Crucem fol. 34. *anno Dom.* 1383. *Caspar Domicellus, filius Domini Georgii de Polheim, sepultus in Capella S. Catharinæ.* Prevenhueberus tab. 2. Polheimiorum fol. 457. Georgium hunc Caspari Patrem, nomine secundum statuit, & an. 1337. Capitaneum

Casp. de Polheim.

in *Ranaridl* fuiſſe docet, ac *Dorotheam de Nidberg* uxorem, ac Caſparum filium an. 1387. Viennæ apud Minoritas ſepultum. Idem habet Hübnerus tab. 742. adjungens *Martinum Abbatem Cremifan.* ejusdem Georgii filium fuiſſe. Sed hæc ad lineam Styriacam non attinent. *Doroth. de Nidberg. Martin. de Polheim Abb. Crem.*

D. Agnes de Polheim, deſponſata eſt *Caſpari Domino de Stahremberg*, obiitque anno 1418. ita Prevenhueb. & Hübnerus citat. qui tab. 729. docet primam *Caſparis de Stahremberg* uxorem fuiſſe *Barbaram*, *Hartnidi de Loſenſtain filiam*, v. tab. 735. Wurmbrandius citat. fol. 12. docet, Weiccardum Patrem, cum Agnete filia, dediſſe *Caſpari de Stahremberg* 800. libras denariorum an. 1395. Idem tamen Wurmbrandius Weiccardi uxorem, & Agnetis hujus matrem docet fuiſſe *Catharinam de Eberſtorf*: aſt Weiccardi XII. non XIII. Polheimii uxor Catharina de Eberſtorf invenitur apud Prevenhueber. & Hübnerum circa anno 1397. qui *Weiccardus XII. in Wartenberg & Rechberg eques*, ſecundam ſuis laribus uxorem induxit Catharinam dictam, hujus vero filia nulla Agnes, nec Caſparis Stahrembergii uxor erat, v. Prevenhueb. tab. 6. fol. 474. & Hübner. tab. 745. *Agnes de Polh. Caſpar. de Stahrenberg. Hartnid. de Loſenſtein. Barb. filia. Cath. de Eberſt. Weiccard. XII.*

E. Friderici III. memoria crebrior occurrit, claruit anno 1458. duasque habuit uxores *Helenam de Oſtervvitz* an. 1398. dein *Catharinam Gothardi de Neidberg ex Margaretha Starnbergica filiam* an. 1406. an. 1454. Regis Ladislai Conſiliarius fuiſſe refertur a Wurmbrandio fol. 180. poſt quem annum paulo poſt defunctus videtur. *Fraunburgi* in Styria ſepultus eſt, arce circuli Judenburgenſis. *Frider. III. de Polheim. Hel. de Oſtervvitz. Goth. de Neidb. Marg. de Stahremb. Cath. filia. Fraunburg. arx Styriæ.*

F. Weiccardus XVIII. Friderici filius 3. claruit anno 1430. exequiis Alberti II. an. 1439. interfuit, in iisque enſem regni Hungarici portavit, vixit adhuc an. 1470. Wurmbr. fol. 179. eundem Ladislai Regis Hungariæ Conſiliarium fuiſſe ſcribit. De uxore tamen Weiccardi hujus, & 13. controverſia occurrit, utriusque enim uxor dicitur *Wandula* filia *Wilhelmi de Perneck*, & vidua *Wolfgangi de Winden*, unde error uno in loco admittendus eſt, tempus tamen ſuadet Wandulam Wolfgangi de Winden filiam, uxorem Weiccardi XVIII. fuiſſe, non vero Weiccardi XIII. *Weiccard. 18. de Polheim. Wandula de Pernegg.*

FF. Ulrici VI. ejusdem Friderici III. filius an. 1436. dum Fridericus Dux Auſtriæ, dein vero Rom. Imper. expeditionem ſacram in Palæſtinam adornaret, cum eodem in terram ſanctam abiit. Operæ pretium erit Comites hujus ſancti itineris hic adferre, uti Tergeſti in aula ducali depicti ſunt, & deſcripti his verbis: *Ulricus VI. de Polheim.*

Vermerkt die Herrn Ritter und Knecht, die mit unſern Herrn Kayſer, die Zeit Herzog Friderich von Oeſterreich den dritten, über Meer gefahren ſeynd, aufgeſeſſen zu Trieſt am St. Lorenzen-Tag anno 1436. *Nob. Auſtr. & Styr. an. 1436. in terram ſanct. abeuntes.*

Herr
- Graf Eberhart von Kirgberg.
- Albrecht von Neidtberg.
- Sigmund von Eberſtorf.
- Paul von Pottendorf.
- Berthold von Loſenſtain.
- Haintich Zebinger.
- Wilhelm Reisberger.

Herr
- Graf von Schaumberg.
- Georg von Buchaimb.
- Leopold von Stubenberg.
- Hans von Starnberg.
- Ulrich von Polheim.
- Hans Ungnad.
- Ernkhard von Edlerbach.

Hain-

Herr
- Hainrich Enzerſtorfer.
- Georg Fuchs.
- Antoni Holnecker.
- Chriſtian der Teiffenbeckh.
- Leopold Dämer.
- Leonhart Harracher.
- Bernhart Tochenſteiner.
- Hans Wolfftanner.
- Hans Saurer.
- Pongrâz Rindſchâd.
- Wilhelm von Alm.
- Andere Polnecker.
- Wilhelm Pernecker.
- Ludwig von Eckartsau.

Herr
- Wolfhart von Winden.
- Wolfart der Fuchs.
- Hainrich Silberberger.
- Ulrich Saurer.
- Ludwig von Rathenſtein.
- Nicolaus von Polenz.
- Veit der Wolkenſteiner.
- Georg Aphalterer.
- Fridrich Tauner.
- Ulrich Fledniger.
- Georg Tſchernembl.
- Hans von Puechhaimb.
- Wernhart Fuchsberger.

Wilhelmus de Polheim.

G. *Wilhelmus*, Frider. III. filius an. 1430. floruit, fors idem videtur, qui an. 1402. cum *Henrico* agnato ſuo de *Polheim*, jus decimandi inter nobiles quosdam in controverſiam deductum arbitrio ſuo diremit, ut oſtendit Wurmbrandius fol. 12. ex archivo ſtat. ſuper. Auſtriæ.

Seifridus II. de Polheim.
Barbara de Baumkirchen.
Hedwiges de Perneck.

H. Seifridus II. de Polheim, filius Weiccardi XVIII. maritus *Barbaræ de Baumkirchen* an. 1489. innotuit; huic Wurmbrandius fol. 13. *Hedvvigen a Pernegg* uxorem tribuit an. 1499. ex archivo ſtat. Auſtriæ num. 3449. quæ, ſi ita, cum *Hedvviges de Perneck* Sigefrido I. de Polheim medio ſæc. 14. florenti tribui non poſſit, duoque ſolum inter Polheimios exſtiterint Seifridi, dicendum, Sigefridum II. ſorte poſt Barbaram de Baumkirchen, duxiſſe alteram conjugem Hedwigem nempe de Perneck, maleque adjeciſſe Prevenhueberum fol. 471. inito primo cum Barbara Baumkirchia matrimonio annum 1502. Eodem teſte Seifridus hic cum Frider. Imp. Comitiis Francofurti anno 1489. interfuiſſe dicitur.

Erhard. de Polheim.
Leo a Schneckenreuth.

I. Erhardus II. filius Weiccardi XVIII. geſtis pluribus memoriam ſui poſteris reliquit; etenim an. 1499. Imperiali munificentia feuda quædam vacantia conſecutus eſt, quæ ille an. 1501. *Leoni a Schneckenreuth*, præſentibus *Sigefrido*, & *Sigiſmundo Polheimiis* plenario jure tradidit, ut v. Wurmbrand. fol. 13. ex archivo ſtat. Auſtr. num. 3447. & 3475. Erhardus idem an. 1498. Maximil. I. Imp. a cubiculis ſervivit, anno dein 1512. excelſi regiminis Auſtriæ Conſiliarius, *Capitaneus Petovienſis*, & Ferdinandi I. an. 1527. locumtenens in Auſtria factus eſt; uxorem habuit *Catharinam Gaudentii* ultimi Com. *de Metſch & Kirchberg* ex *Hypolita de Simonetis* filiam, unde Maximilianus I. Imp. occaſionem, eidem ſoceri ſui, bona, titulos, & inſignia conferendi nactus eſt; diploma Maximiliani, v. apud cit. Wurmbrand. fol. 167.

Gaudentius Co. de Metſch & Kirchberg.
Cathar. filia.
Hypolita de Simonetis.

Cum vero Erhardus hic, Maximiliano imprimis charus eſſet, aliis etiam Principibus in pretio fuit, e quibus *Wilhelmus Marchio montis Ferrati* legato ſuo ad Cæſarem miſſo commendatitias ſimul ad Erhardum litteras commiſit, quibus Erhardo titulum hunc inſcripſit: *Magnifice Domine frater honorande!* literas integras refert cit. Wurmbrand. inſcriptio epiſtolæ erat: *Magnifico Domino Erhardo de Polheim tanquam fratri honorando.*

Quam

Quam charus vero Maximiliano I. fuerit Erhardus, ex eo liquet, quod, dum exſtincta Ducum Juliacenſium, & Bergenſium ſtirpe, Maximilianus ſpem haberet conſequendi primi nobilis feudi in his ducatibus aperti, per litteras an. 1512. id feudum ex antiqua conſuetudine Romano Imperatori obventurum Erhardo reſignaverit. Similiter an. 1507. cum mortuo Georgio Bavariæ Duce ſucceſſio ad Ruperti Ducis filios impuberes delata fuiſſet, inveſtituram Tutoribus eorum Maximilianus Imp. ita contulit, ut feudum primum in Bavaria vacans Erhardo Polheimio cederetur. An. 1519. eundem Maximilianus executorem teſtamenti ſui conſtituit: an. 1530. Erhardum hunc miſerunt Provinciæ Auſtriacæ legatum cum aliis ad Comitia Auguſtana, auxilia contra ingruentem Turcarum vim poſtulatum, qua legatione finita ad ſuos in Styriam rediit, & an. 1538. die 8. Octobris vivere deſiit, *Franburgi* in Styria ſepultus, uxore ſua an. 1511. die 14. Martii ante eum mortua.

Legatus ad Comitia Auguſtana.

K. Joannes V. filius Erhardi II. digniſſimus, a Maximiliano II. bona *Kranichergiæ & Eckartſaviæ* familiarum emortuarum, feudali lege nactus eſt, adjecto pacto, ut ea etiam in alios jure Vaſallagii transferre poſſit, Wurmbr. fol. 168. Præfectos feudorum habuit in Auſtria *Andream Baron. de Pögl*, & *Onuphrium Wernhards*, Judicem vero feudorum *Georgium de Wolfenreith*, Vaſallum vero ſeu Beneficiarium, *Chriſtophorum de Wolfenreith*, ita Prevenhueb. fol. 472. qui etiam refert *Eliſabetham Comitem de Blaggei*, juvenculam habuiſſe 35. nobiles, qui eam ad matrimonium expetebant, unde a ſingulis effigiem pictam depoſcebat, quas inter effigies Joannis hujus hodie adhuc aſſervata proſtat.

Joannes V. de Polheim,

Andreas Baro de Pögl.

Georgius de Wolfenreith, & Chriſtoph. Eliſ. Co. de Blag.

Uxores ſenas habuit Joannes, quarum prima *Anna, Rudolphi de Hochenfeld* ex *Hedvvige de Einzing* filia. 2da *Juliana, Caſpari de Stubenberg* ex *Pamphin* nata an. 1526. 3tia *Roſina, Franciſci de Saurau*, & *Marthæ de Guetenſtein* filia. 4ta *Anna* ex *Wolfgango Gothardo de Stahremberg*, & *Catharina de Scherffenberg* genita an. 1549. 5ta *Eſther Sebaldi Pögl*, & *Cordulæ de Herberſtein* filia. 6ta *Amalia Joannis de Hagen*, & *Annæ Welzerin* filia.

Rudolph. & An. de Hochenfeld Hedwig. de Eiz. Caſp. & Jul. de Stubenb. Barb. Pamphin, Franc. & Roſin. de Saurau, Martha de Guetenſt. Wolfg Gothar. & Anna de Stareub. Cath. de Scherfenberg. Sebald & Eſth. de Pögl, Cordula de Herberſt. Jo. & Amal. d Hag. Ann. Walzerin. Balth. de Polh. Georg Erhar. & Gaudent. d. Polh. ult. ex Leibniz. Ladisl. d. Chunr. Cath. de Polheim. Marq. de Chunr. Reinp. d. Gleiniz

Ex his 6. uxoribus reliquit tres filios, & unam filiam: de *Balthaſare* nil conſtat. *Georgius Erhardus* natus 1524. an. 1570. Oct. 20. obiit, *Fürſtenfeldæ in Styria* ſepultus. *Gaudentius II.* & ultimus familiæ, in aula Ferdinandi I. expiravit, lineæque Polheimiorum in Leibniz metam poſuit, bona vero Dynaſtiæ Leibnizenſis tranſcripta ſunt, *Ladiſlao* Domino *de Chunring*, *Catharinæ Polheimiæ*, & ſororis Gaudentii II. ex *Marquardo de Chunring* filio, uti & *Reinperto Domino de Gleiniz*, ut docet Prevenhueb. fol. 473.

Ex reliquis Polheimiorum lineis, eos etiam adducam, qui in Styria noſtra inclaruerunt ordine ſæculorum.

Pilgrinus I. nominis hujus, & forte etiam caput totius familiæ, inter Miniſteriales primus ſubſripſit diplomati Lambac. & Cremifanenſ. Monaſterii an. 1073. v. Wurmbr. fol. 10. Prevenhueb. fol. 452.

Pilgrinus I. de Polheim.

Theoderic. I. de Polheim.

Theodericus I. Miniſterialis Ottocari IV. Styriæ Merchionis, ſubſcripſiſſe dicitur litteris Garſtenſibus an. 1108. ordine 3tius, reliſtis poſt ſe circiter 40. aliis teſtibus, v. cit. Wurmbr & Prevenhueb.

Arnold. I. de Polheim, & Wartenburg.

Arnoldus I. Dynaſta *de Polheim & Wartemberg*, Miniſterialis Marchionum Styriæ, & Advocatus Monaſterii Traunkirchen, ſub Ottocaro VI. de quo pl. ad dipl. 77. quamvis potius credam *Arroldum II.* an. 1193. viventem, Advocatum illum Traunkirchenſem fuiſſe, de quo amare queritur Ottoc. VI. diplomate citat. *Albero I.* circa an. 1120. inter teſtes litt. Garſtenſium occurrit.

Arnold. II. de Polb. & Wartenburg advocat. Traunkirchenſ.

Albero I. & Henr. I. de Polh. in Seuſenburg.

Henricus I. in Seuſenburg. ad an. 1120. 1129. & 1134. citatur in dipl. Garſtenſi & Cremifan. de eo monum. Garſtenſia ita referunt: *Ottocarus Marchio Styriæ infeudat bonis in Seiſenburg Henricum nobilem virum ac Miniſterialem ſuum de Polheim, quæ olim Pater ejus Dominus Weiccardus poſſederat* anno 1126.

Weiccard. I. de

During. de Polh. Paroch.

Duringus Weiccardi II. filius, *plebanus de Abbenſteten, frater Alberonis de Polheim* (ita antiquiſſimus codex traditionum Garſtenſ.) *tradit Monaſterio noſtro cum manu Domini ſui Ottochari Marchionis de Styra, per manum Dom. Berchtoldi Abbatis in audientia Luipoldi Marchionis Auſtriæ quosdam vineas apud Thallen, teſtes &c.* annus quidem adjectus non eſt, ſed ex Genealogia Polheimia, & ob adjectum Leopoldum Marchionem Auſtriæ, ac Bertholdum Abbatem Garſtenſem, cenſeo donationem hanc factam ante annum 1142. quo Bertholdus II. Abbas Garſtenſis obiit, & poſt an. 1125. quo Bertholdus II. factus videtur Abbas in Garſten, v. excerpta ex vet. Chron. Garſt. apud Hieronymum Pez tom. 2. col. 145.

Bertholdus II. Abb. Garſtenſ.

Theodericus II. de Polheim.

Theodericus II. qui in dipl. quod explano citatur, etiam in litteris Garſtenſibus an. 1148. adducitur, & quidem primus poſt Ottocarum, quoniam vero in dipl. Garſtenſi Ottocarus Dux vocatur (v. Prevenh. fol. 453.) vel error in nomine Ducis, vel in anno contigerit, ita ut ſcribendus fors ſit annus 1185. ob Leopoldum Auſtriæ Ducem etiam inſertum.

Theoderic. III. de Polheim.

Theodericus III. dum circa an. 1217. Andreas Rex Hungariæ, & Leopoldus Dux Auſtriæ expeditionem ſacram ſuſciperent, cum iisdem in terram ſanctam abiit, non amplius inde reverſus, vel violenta in certamine, vel naturali morbi morte ibidem defunctus, Prevenhueb. fol. 454.

Weiccard. V. de Polheim. Arch. Salzburg.

Weiccardus V. an. 1262. natus an. 1302. Canonicus Salzburg. an. 1307. Decanus, tandemque an. 1312. Archiep. Salzb. eſt factus, maturo nimis fato, huic mundo an. 1315. ereptus, huic tribuitur fragmentum Chronici ſeu ſupplementum, Hermanni contracti ab an. 1279. ad 1310. res potiſſimum Auſtriæ continens, ita Chronogr. Salisb. Pantaleon vero in libro Heroum teſtatur, eundem etiam Chronicon Auſtriæ compoſuiſſe, v. Prevenhub. fol. 455. &c. Wurmbr. fol. 157. &c.

Weiccard. VII. de Polheim.

Weiccardus VII. Henrici II. filius, Alberonis III. nepos, natus eſt an. 1237. die 25. Febr. an. 1278. Canonicus, tandem an. 1280. Epiſcopus Paſſav. electus; ſcripſiſſe fertur Chronicon de gente Auſtriaca, quod Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis inter MSS. ſua numerat;

plura

plura in auth. Germ. Sacræ tom. 1. Hundio Metrop. Salisburg. Bruſchio ac Wurmbrandio fol. 159. 160.

Andreas II. circa an. 1493. Cæſareus Conſiliarius, & *Capitaneus in Rackerſpurg* fuit. Hübnerus tab. 743. Wurmbr. fol. 180. *Andreas II. de Polheim. &c.*

Sigiſmundus III. anno 1473. *Capitaneus in Rackerſpurg*, an. 1475. in prælio infelici a *Georgio Pincerna de Oſtervviz* Duce, cum Turcis in finibus Styriæ & Croatiæ, prope urbeculam *Rain*, commiſſo in captivitatem eſt deductus, ſuorum poſtmodum beneficio liberatus. Capti ſunt cum eodem *Georgius Pincerna de Oſtervviz* Dux prælii, *Ludovicus Koſſiack*, *Hainricus Prueſchenck*, *Martinus de Dietrichſtein*, *Ludovicus Mordax*, *Andreas Guetenſteiner*, *Georgius de Himmelberg*, *Rappelſperger*, *Mathias Mündorfer*, *Joannes Galienz*, *Kappenſteiner*, & alii; refert eorum literas ad amicos Megiſerus in annal. Carinth. quibus petunt liberari a captivitate, ajunt 100. fl. quos *Petrus de Weiſſenkirchen* nondum ſolverat, ſibi multum damni adferre, petunt itaque, ut hi 100. floreni primum, dein lytrum pro eorum liberatione poſtulatum, quantocyus confletur. V. Prevenhueber. fol. 468. *Sigiſmundus* hic, & *Henricus de Prueſchenck* liberati ſunt, *Gutenſteinerus* vero, & *Himmelbergerus* in captivitate Turcica mortui, reliqui vero, cum eorum liberatio moras haberet, Conſtantinopolim ducti, ibidem miſere perierunt, teſte Megiſer. *Sigiſm. III.* *Georgius III. Pinc. de Oſterw.* *Chriſtiani a turcis ad Rain an. 1475. caſi.* *Ludov. Koſſiak.* *Henr. d. Pruſch.* *Mart. d. Dietric.* *Lud. Mordax.* *Andr. Guetenſt.* *Georgius de Himmelbeyg.* *Math. Mündorf.* *Joan. Galienz.* *Petr. de Weiſſenkirchen.*

Sigiſmundus ſic liberatus, non ſolum *Capitaneus Rackerſpurgenſis*, ſed etiam Capitaneus ad S. Hyppolitum in Auſtria, ac Maximiliani I. Camerarius, & Conſiliarius ad an. 1493. exſtitit: an. 1499. Rector civ. Vien. an. 1500. *Capitaneus in Lembach* eſt factus. Obiit an. 1505. Welſii in Monaſterio FFr. Minorum ſepultus. Alii eum Sigiſmundum II. vocant.

Martinus an. 1498. Burggravius *Prov. Styriæ* ab Hübnero appellatur tab. 743. ſed ſine fide aliorum, qui plurima quidem de hoc Martino, nihil tamen de Burggraviatu Styriæ referunt. *Mart. de Polhei.*

Tandem adjungo ſeriem Eccleſiaſticorum ex familia Polheimior.

Weiccardus V. Archiep. Solzburg. an. 1310. *Eccleſiaſtici ex fam. de Polheim.*

Weiccardus VII. Epiſc. Patav. an. 1280.

Bernardus I. Dr. Jur. Can. Paſſav. Præpoſ. Temeſwarinenſ. an. 1493. ac an. 1499. Præpoſ. albæ regalis fuit: Parochiæ in Traunkirchen Paſtor an. 1493. admotus: an. dein 1500. Adminiſtrator Vien. Epiſc. factus, obiit an. 1504.

Henricus III. Canon. Friſing. an. 1282.

Gundaccar II. Canon. Paſſav. an. 1286.

Henricus VI. Canon. Friſing. & Parochus in Auſſee an. 1333.

Weiccardus XI. Can. Salzburg. an. 1345.

Paulus II. Præpoſ. cathedr. Paſſav. an. 1400.

Weiccardus XIV. Can. Salzburg. an. 1370.

Arnoldus III. Can. Reg. ad S. Florianum an. 1471.

Martinus Abbas Cremifan. an. 1376.

Ortolfus Monachus Cremiſan. an. 1150.

Duringus Parochus in Abeſtetten an. 1140.

Petrus II. Parochus in Waldkirchen, an. 1417.

Adelheid Abbatiſſ. Trunenſanenſ. an. 1225.

Frideruna vel *Fridena* Prof. ibidem, eodem anno.

Diemudis Abbat. Monaſt. Erla an. 1304. & an. 1323. Nunbergenſ.

Euphemia Abbat. Trunefan. an. 1370.

Margaretha, dein *Joanna* dicta, Monaſt. Nunbergenſ. an. 1512.

9. Teſtis dipl. hujus erat *Fridericus de Miriſtorff*, v. annot. dipl. 7.

10. *Fridericus de Huffove*, ignotum in rebus noſtris nomen, nec alibi videndum, fors legendum de Hove, de quibus v. annot. dipl. 35.

11. *Albert de Icbuſe*, ignotus itidem, & hoc ſolum in dipl. citatus.

12. *Ditmarus Dapifer & frater ejus Ulricus de Putenovve*, v. annot. diplom. 4.

13. *Walcher* (fors *Walther*) *de Perneck & frater ejus Ortolfus*, v. annot. dipl. 4.

14. *Wulfingus Camerarius*, nomen additum non eſt.

15. *Dietericus Enenckeln*, v. annot. dipl. 12.

16. *Ulricus Præco*, forte aulicus Ottocari VI. Germ. Herold.

17. *Gerunc de Stutarn*, v. annot. dipl. 21.

Frid. de Statve. 18. *Fridericus de Statove*, ignotus, nec alio in diplomate occurrit, fors eadem eſt familia *Stadaverorum*, de qua alibi.

Frid. de Petoe. 19. *Fridericus de Petove.* De *Petovio* urbe, ejusque antiquis prærogativis, jam plura Diſſertat. 1. dicta ſunt, recentiora ejus fata utcunque ibidem, & per decurſum annotata, uti & quæ de Capitaneatu Cæſareo ibidem occurrebant. Petovium urbem ſæc. 9. ſub Theodmaro, Salisburg. ſedi acceſſiſſe, atque ſæc. 10. fine Friderico Archiep. Salisb. duas partes civitatis confirmatas fuiſſe ibidem dixi. Anno 1258. eadem urbs ſub *Hertnido Comite de Petau* (quæ tamen omnia ab aliis Friderico ſolum Com. Petov. adſcribuntur) acriter impugnata eſt a Rege Hungariæ, etenim cum *Stephanus Dux Zagrabienſis*, Styriæ pro Stephano Belæ Hung. Regis filio, & Styriæ Duce, Procurator, *Sigefridum de Merenberg* ubique inſequeretur, huicque ſuppetias ferret Hartnidus Comes Petovienſis, aç prope Stephanum caperet, hic fuga elapſus, effecit a Bela Rege & Stephano filio, ut in Hartnidum tanquam mali incentorem, tota belli procella deſæviret, obſeſſum itaque Petovium, fruſtra reclamante Hartnido, Petovienſem urbem eſſe Imperii Juvavenſis, ſeque ejusdem Eccleſiæ clientem. Adveniente tandem Ulrico Archiep. oppidum Petov. Regi Hungariæ oppignorari debuit pro 3000. marcis.

Petovium urbs Salzb.

Petau an. 1258. impugnatur.

Steph. Dux Zagrab. Styriæ Procurator.

Steph. Belæ filio Styriæ Dux.

Sigefridus de Mehrenberg.

Petau oppignoratur ab Hung.

Reſtituitur Salz. ſedi.

Petau an. 1479. denuo Hungaris cedet.

Sigiſm. Andreas Ulric. de Weisbriach, & Burcard. Arch. Salz.

Petau an. 1491. Cæſari datum ab Hungaris.

Gmunda, Rain, & Petau penes Cæſarem manent

Expulſis e Styria Hungaris, etiam Petovium Salisburgenſi ſedi reſtitutum arbitror, quo in ſtatu manſit deinceps, etenim an. 1479. Hungaris ſub Mathia Rege denuo Styriam ſubeuntibus, caſtrum cum oppido Petov. dari debuit, quamvis acriter repugnaret *Sigiſm. de Weisbriach* vidua, nata *de Schveinbeck*, cujus marito binisque filiis *Andreæ* & *Ulrico*, *Burchardus de Weisbriach* Archiep. Salzb. oppidum id, cum 800. libris monetæ nigræ, quoad vita ſuppeteret, poſſidendum dedit, hæſit in manibus Hungarorum oppidum hoc an. 1482. imo ad an. 1491. quo Petovium cum reliquis Styriæ infer. locis tradi debuit Cæſari ab Hungaris, a quo, licet multum inſtante Frider. V. Archiep. Salzburg. oppidum Petov. redditum non amplius ſuit, imo Maximilianus I. Imp. quamvis an. 1494. plurima loca reſtitueret ſedi Salisburgenſi, *Gmun-*

dam

dam tamen, *Petovium*, & *Rainam* ſibi reſervavit, donec *Leonardus de Keutſchach* ex Can. Reg. Oberndorff. Archiep. Salzburg. factus Petovium, cum reliquis Eccleſiæ Salisburg. ditionibus e manu Cæſaris redimeret. Nunc demum Cæſarea urbs eſt, quo vero pacto a Salisburgenſi ſede abierit? ignoro. *Leonardus de Keutſchach Arch. Salzb.*

Ex antiquiſſima itaque urbe ac caſtro Petau, ortam, ac cognominatam reor, illuſtriſſimam ac vetuſtiſſimam familiam Dominorum de Petau, quorum primi, qui occurrunt, Miniſteriales erant Eccleſiæ Salisburgenſis. Lazius de migr. gent. lib. 6. fol. 190. veroſimile cenſet, proſapiam hanc *a Stubenbergiis* deſcendere, iis præſertim, qui *Wurmberg* caſtrum in ſuis ditionibus numerabant: Prædia eorum quondam, & caſtra, *Petovienſe* (oppidum enim Salisburgenſis Jurisdictionis erat) *intra urbem*, **Wurmberg, Ehrnhauſen, Fridau, Weiterfeld, Fraunhaym, Schwamberg, Weyneck, Hollenburg, Weynberg, Gleichenberg, & Ankenſtein.** Inſigne album eorum, referebat tria militaria vexilla equeſtria, rubro, luteoque coloribus diſtincta, ac totidem clavis viridibus infixa, quibus dein adjecta eſt anchora cum dracone, fors poſt poſt obtentum per nuptias caſtrum **Wurmberg.** Mareſchalli Styriæ officium, exſtinctis Wildonenſibus conſecuti ſunt Petovienſes Dynaſtæ cira an. 1324. quo Streunio teſte in tractatu **der Lands Handfeſt: Herzog Albrecht und und Heinrich** (fors Otto) **zu Oeſterreich und Steyer, haben das Marſchallamt in Steyer von Hertneid von Wildon aufgenommen, und Herdegen** (forte **Hertniden**) **und Friderichen vnn Pettau verliehen.** Ex archivo ſtat. Auſtr. num. 1639. conſtat, Petovios an. 1404. adhuc Mareſchalli Styriæ munere fuiſſe gaviſos. *Petov. DD. an. a Stubenbergiis orti.* *Eorum bona.* *Inſigne.* *Mareſchalli exeunt Styriæ an. 1324.*

Dominorum de Petau Genealogiam ſic breviter illuſtro:

Genealogia Dynaſtarum Petovienſium.

N. de Petau, v. dipl. Teut. in Groſſontag num. 3.

A. Fridericus I. de Petau an. 1160. ad 1222. uxor Mechtildes.

* *Bernardus I.* anno 1230. benef. Prædic. Petovii.

B. Frider. II. an. 1222. ad 1254.

D. Hertnidus I. an. 1236. 1258.

C. * *Herman.* miles 1235. 1247.

E. * *Frid. III.* an. 1255. Styr. Mareſch. ex mand. Reg. Hungar. ad 1277.

F. Hertn. II. hæred. Mareſch. Styr. an. 1301. ad 1335. &c. ux. *Chuneg. de Liechtenſtein.*

H. Chunradus & *I. Bernardus II.* de Petovia circa an. 1304. 1324.

G. Herdegus fors idem cum Hartelio Lazii an. 1309. 1344. Mareſch. *Hæred. Styriæ.*

K. Frid. IV. Mareſch. Styr. 1360. 1363.

L. Hertn. III. de Pet. an. 1360.

M. Bern. III. de Petov. ſæc. 15. initio.

P. Frid. V. Bern. II. fr. vel fil. an. 1432. *Styr. Capit.* ex Chron. Vor.

Q. Nicol. incerti temp. ex Necr. Run.

R. Clara incer. temp. ex Seiz. Necr.

S. Mechtildes incerti temporis ex Necrol. Runenſi.

T. Chuneg. de Petovia incerti temporis ex Necrol. Runenſi.

N. Anna mar. Joa. Co. *a Schaumburg*, unde hic an. 1442. Styriæ Mareſchallus hæreditar. factus.

O. Agnes mar. Luitoldus Co. de *Stubenberg* an. 1441.

Frid. I. de Pet. *A. Fridericus I. de Petau*, ejus memoria mihi primum obvenit ad an. 1160. quo diplomati Admontenſi a S. Eberhardo I. Salzburg. Arch. dato, ſecundus loco ſubſcripſit *inter Miniſteriales Salzburg. Fridericus de Petovve*, v. auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 261. apud eundem fol. 272. exſtant Geiſſæ Regis Hungariæ ad Eberhardum I. Salzb. litteræ, quibus Eberhardum amicitiæ ſuæ ſecurum reddit, ſimul tamen adjicit: *Si amicitiam noſtram nolueritis tepeſcere, Fridericum de Pettove, & quemlibet alium, terram noſtram perturbantem, graviter corripere non differatis.* Ex quibus verbis patet, 1. Fridericum hunc Petovienſem fuiſſe Miniſterialem, ac beneficiarium Salisburg. cum ejus correptio Archi-Epiſcopum attinuerit. 2. Eundem Fridericum ſtrenuum, plures in Hungariam expeditiones & certamina ſuſcepiſſe, ea vero prælia & expeditiones exponit dipl. 1. Teuton. ad S. Dominicam apud Frælichium dipl. Duc. Styr. p. 2. fol. 207. in quo filius ejus Fridericus II. de Patre ſuo Frid. I. ait: *quod contulerit ordini Teutonico proprietatem ſuam in Dominico, cum medietate decimæ ejusdem terræ, cum prædictam terram memorandus Pater noſter de manibus Hungarorum eripiens, licet vacuam adhuc & inhabitatam, primo ſuæ ſubjugavit poteſtati*, proin terram in Dominica ſeu Großontag, Hungaris eripuit Fridericus I. de Petau. Idem vero Fridericus de Petove an. 1184. teſtis occurrit in charta Ottocari VI. Canoniæ voravienſi data, qua ei optimas villas in Lavenz & Mülldorff liberaliter aſſignat. V. dipl. num. 61. uti & dipl. 69. & 70. in quibus idem teſtis citatur ad an. 1186. an. dein 1197. Adalbertus II. Archiep. Salzb. in Styriam progreſſus in caſtro *Libniz* 2. Kal. Mart. compoſuit litem, Admontenſes inter & hunc Fridericum hærentem; teſte auth. German. Sacr. tom. 2. fol. 307.

Groſſontag territ. Hungaris eripit Frid. I. de Petov.

Anno dein 1203. ſubſcripſit diplomati Göſſenſi 14. ac 1209. dipl. Gyrienſi 2. ac an. 1219. diplom. Seccov. 39. ex quo etiam filius ejus Frider. II. innoteſcit; ita enim legitur: *Fridericus de Petovve, & filius ejus Fridericus*, ac ad eundem annum ex dipl. Seccov. 40. legimus, *turrim antiquam in caſtro Leybniz*, olim hujus Friderici I. de Petove fuiſſe, etenim turrim eam a Friderico hoc redemptam, Eberhardus II. Salzb. Archiep. Carolo Proto-Epiſc. Seccov. una cum aliis fundis eo diplomate donaverat.

Turris Leibniz antiqua.

Poſt hunc annum non diu ſuperfuiſſe videtur Fridericus I. Petov. etenim an. 1222. ejusdem, ut jam defuncti memoria occurit in dipl. 1. Teutonicorum ad S. Dominicam apud Frælich. part. 2. fol. 207. in quo Frider. II. ejus filius de Patre ſuo, ut jam mortuo loqui videtur his verbis: *quod Fridericus Pater noſter recolendæ memoriæ &c.* uxor ejus *Mechtildes*, & ſors frater *Bernardus I.* inſignes erant benefact. Prædic. Petov. v. an. 1230.

Frid. II. de Petove. *B. Fridericus II. de Petove*, filius Frider. I. ex dipl. Seccov. 39. & 1. Teutonic. mox cit. fuiſſe convincitur, namque hoc an. 1222. confirmat donationem defuncti patris ſui equitibus Teuton. ad S. Dominicam factam tanquam hæres, & primogenitus Patris ſui. Idem dein an. 1227. ſubſcripſit dipl. Gyrienſi 5. a Leopoldo glorioſo Auſtriæ & Styriæ Duce dato: an. 1233. primus ordine ſubnotatus eſt dipl. Friderici bellicoſi Ducis Auſtriæ & Styriæ dato Teutonicis Græcenſis

com-

commendæ: an. 1235. Idem Fridericus jus patronatus ſibi in Eccleſiam in Groß-Sontag competens, cum uxore ſua cedit equitibus Teutonicis, v. dipl. Teuton. 2. fol. 208. p. 2. diplom. P. Frælich anno ſeq. 1236. cum fratre ſuo Hartnido ſubſcripſit diplomati Frider. II. Imp. his verbis: *Fridericus & Hartnidus de Betovve.* Ambo hi fratres Viennæ exſtiterant an. 1140. ibique diplomati Frider. bellicoſi Ducis ſubſignati ſunt his verbis: coram teſtibus ſubnotatis - - - nobilibus viris - - - *Friderico & Hertnido fratribus de Petove &c.* v. Frælich. part. 2. fol. 184. anno dein 1247. Fridericus de Petovia equitibus Teuton. ad S. Dominicam donat villam Hermanſtorff, quam *Hermannus de Betovia de caſtro minori* fidelis ſuus, titulo feudi poſſeſſam reſignaverat ideo, ut iisdem equitibus obveniret: acta ſunt hæc Petoviæ 5. Kal. Nov. v. Frælich. part. 2. dipl. fol. 210.

Groſſontag Eccl. jus patronatus.

Hermanſtorff villa.

Hermannus de Petovia.

C. *Hermannus* hic an a loco vel familia cognomen *de Betovia* traxerit? difficulter eruitur, de familia tamen Dynaſtarum Petovienſium non fuerit, cum Friderici fidelis & feudatarius dicatur an. 1235. vocatur *Hermannus miles de Petovia*, ibique in caſtro *D. Hermanni* quæpiam ſunt acta. V. Frælich. part. 2. fol. 209. an. 1249. Philippus Archiep. Salzburg. donationem hanc confirmavit, in eoque clare Fridericum de Petovia Eccleſiæ ſuæ, ſeu Salisburgenſis Miniſterialem vocat. Reynæ exſtiterit Fridericus, quo loco diploma datum, v. Frælich. cit. fol. 211. uti & an. præced. Petoviæ, ubi præſente eodem Friderico Philippus Salzb. Ulrico I. Ep. Seccov. donavit 12. Kal. Oct. Eccleſiam S. Georgii in Stiven, v. dipl. Epiſc. Seccov. 25. an. 1255. non amplius vixiſſe videtur, ut in Hertnido I. oſtendam.

Eccl. S. Georg. in Stiven donatur Epiſc. Secc.

D. *Hertnidum I.* ſuiſſe fratrem Friderici II. proin filium Friderici I. oſtendunt adducta hactenus documenta in Friderico II. & clariſſime diploma Ebrhardi II. Salisburg. Archiep. quo fundationem Teutonicorum in Groſſontag an. 1236. Petoviæ confirmat, etenim in eo clare dicitur, *quod nobiles viri Fridericus & Hertnidus fratres de Petovia, recognoſcentes pie, quod pater ipſorum contra juſtitiam abſtulit Eccleſiam ad S. Dominicam Hoſpitali S. Mariæ domus Teutonicorum, quam avus eorum legitime donaverat eidem - - eandem denuo reſtituerint.* Avus eorum mihi nondum innotuit, quod vero Pater Fridericus Eccleſiam illam in Groſſontag abſtulerit Equitibus Teutonicis, ægre conciliatur cum diplom. Teuton. 1. apud Frælich. part. 2. fol. 207. in quo Fridericus de Petovia an. 1222. teſtatur patrem ſuum proprietatem ſuam in Dominico Teutonicis contuliſſe, unde non videtur, quomodo idem Eccleſiam in Groſſontag Teutonicis abſtulerit? hæc ut conciliemus, dicendum Fridericum Patrem forte pœnitentia ductum, ob Eccleſiam illam ablatam, ut compenſationem faceret, de ſuo dediſſe Teutonicis proprietatem terræ dictæ, atque impoſuiſſe filiis, ut mox a morte ipſius reſtituerent eandem Eccleſiam Equitibus dictis. Hertnidus hic anno 1239. Viennæ exſtitit, nomenque ſuum dedit diplomati 12. Epiſcopii Seccov. cum Frider. Dux 4. Kal. Jan. privilegia Seccov. confirmaret. an. 1246. in Schwanenberg, fors Schwamberg egit teſtem Eberhardo II. Salzburg. Archiep. dum Ulrico I. electo Seccov. decimas compenſatet. V. dipl. Seccov. Epiſc. 23. Quæ vero ab Hungaris perpeſſus fue-

Hertn. I. de Pet.

Frid. I. de Pet. an Eccl. in Groſſontag abſtraxerit a Teutonicis.

rit

rit circa an. 1258. ab initio Genealogiæ hujus, ubi de urbe Petov. actum, explanatum est.

Hertnidi I. de Petovia bellum cum Hungaris.

Ast cur an. 1255. Bellum id Hungaris cum Hertnido secundo genito Friderici I. filio, cur non cum Frid. II. primogenito fuit? Dicam, quod censeo, suspicor, Fridericum II. ante annum 1255. defunctum, sicque ditiones Petovienſium fuisse in Hertnidum translatas. Rationem suspicionis meæ suppedito ex dipl. Teuton. 5. apud Frælich. diplom. Styr. part. 2. fol. 184. subjungo: in eo legitur *Fridericus junior de Petove regio mandato Mareſchallus Styriæ.* Jam quæro, si hæc de Friderico II. intelligenda forent, cur is se juniorem patre suo jam circa an. 1220. defuncto scripserit? etenim nemo ex Petovienſibus hoc tempore Fridericus dictus, præter Fridericum II. si vixisset, & forte ejus filium Frider. III. cui proin æquius hoc adjunctum *Junioris* competeret. Censeo itaque, cum Fridericus ad an. 1255. Mareschallus Styriæ, Juniorem se dixerit, cumque Hertnidus frater Friderici II. summas ditionum Petovienſium gesserit, Frider. II. ante anno 1255. defunctum, & Fridericum III. juniorem antea, vivente adhuc Friderico II. rite dictum, id nominis servasse. Sane, cum Fridericus II. an. 1235. in dipl. 2. Teuton. apud Frælich. part. 2. fol. 208. jam meminerit uxoris suæ, Fridericus III. an. 1255. jam 20. annos transgressus gerendis muniis aptus fuisse videtur. Cæterum de anno mortis Hertnidi I. & Friderici II. non constat.

Fridericus III. de Petovia. Mareſch. Styr. non tamen hæreditarius.

E. Fridericus III. de Petove, ad an. 1255. *regio mandato* nempe Belæ Hung. Regis, & filii Stephani Ducis, *Styriæ Mareſchallus* fuit, ut mox dictum; quo non obstante hæreditarii Mareschalli Styriæ munus an. primum 1324. in Petovios translatum, idque munus hæreditarium adhuc Wildonios gessisse arbitror, quibus, turbatis hoc tempore Styriæ rebus ab Hungaris Fridericus hic superpositus fuit. Dein anno 1260. dum Ottocarus Bohemiæ summas Styriæ teneret, Fridericus hic Viennæ 6. Id. Martii, & Græcii 25. Dec. adfuit, ejusque diplomatibus Run. 23. & 24. subscripsit. An. 1262. Fridericus, *primus inter Styros* legitur in dipl. Ottoc. Bohemi dato *Henrico de Liechtenſtein* ut v. Wurmbr. fol. 195. an. 1265. Fridericus dipl. Seccov. 85. Græcii dato, atque an. 1270. dipl. Seccov. 96. Mahrburgi, anno tandem 1273. Petovii dipl. Teuton. subscripsit, v. Frælich. cit. p. 2. fol. 213. de conspiratione a Friderico hoc Ottocaro Regi detecta, v. ad annum 1268. an. 1277. Seizenſibus duæ partes telonei Petovienſis, ac tertiam partem cum consensu fratris sui (Hertnidi II. opinor) contulit, ut v. dipl. Seiz. 28. quo eodem anno a Rudolpho Imp. *Judex* cum aliis decretus est querelas Seccovienſium auditurus, v. dipl. Seccov. 108. Fridericum hunc an. 1288. Styriæ Præfectum fuisse, Lazius tradit, cui tamen asserto catal. Prætorum Styriæ, & alia documenta contradicunt.

Henricus de Liechtenſtein.

Frider. III. de Petov. an Præfect. Styriæ.

Hertnidus II. de Petovia.

F. Hertnidus II. de Petovia, ad an. 1311. ex dipl. Seccov. 152. innotescit, hoc enim anno, ni centenarium quis credat, Hertnidus I. vivere non potuit, hoc vero e diplomate Seccov. plura de hoc Hertnido II. occurrunt. 1mo enim dicitur *gener Ottonis de Liechtenſtein*, seu filiæ hujus maritus; in expositione Genealogiæ Liechtensteiniæ ad dipl. 53. dixi lit. *A.* & *E. Chunegundem* Hertnido II. de Petovia uxorem

Otto de Liechtenſtein.

Chun. de Liecht. an ux. Hert. II.

rem fuiſſe, atque *Ottonis I. de Liechtenſtein* filiam, ſententiam hanc, licet ex Necrol. Seccov. perantiquo ibique cit. deſumptam mutavi tamen, dum diploma hoc occurreret, etenim cum *Otto* ille *de Liechtenſtein* generum ſuum diceret Hertnidum, qui duos filios Ottonem & Rudolphum ſe habuiſſe in eodem Seccov. diplomate teſtatur, non Otto I. ſed Otto II. dicendus erit, ac Chunegundis filia ejusdem Ottonis II. magis enim diplomati huic, quam Necrologiis non raro fallentibus confidendum cenſeo. 2*do* Detegitur Hertnidi hujus filius *Herdegus*, de quo mox: plura de Hertnido II. hactenus non occurrebant. An. 1301. ſigillum ſuum appreſſit, Göſſ. dipl. 73. *An filia Ottonis I. de Liechtenſt.*

Ex additionibus P. Antonii Steyrer ad hiſtoriam Alberti II. p. 89. *Hartnidum* hunc (quem ibidem *Hartvvigum* dicit) jam *Mareſchallum Styriæ* fuiſſe lego, qui inter arbitros ducales cum *Rudolpho de Liechtenſtain* Camerario, *Ulrico de Waltſee* Capitaneo deputatus eſt ad conventum Salisburgenſem an. 1335. quæ, ſi conſiſtant, dicendum Hartnidum antea vivæ vocis oraculo Mareſchallum factum, atque id adducto Streunii documento, Herdegi loco Hartnidum collocandum eſſe. Cæterum an P. Antonius Steyrer in nomine Hardwigi, an Streunius in nomine Herdegi erraverit, melius pateſcet, ubi Chronologia eorum temporum referetur. Id certum, *Herdegum* anno 1341. *Styriæ Mareſchallum* fuiſſe, quo etiam anno Hertnidum ejus Patrem jam defunctum ominor, cum ante eum annum Herdegus Mareſchallus dictus non fuerit. *Hertnid. II. an Mareſch. Styr. Hartwigus de Petovia. Rudolphus de Liechtenſtein, Ulric. de Waltſ. Herdegus de Petovia Styr. Mareſchallus.*

G. *Herdegus de Petovia*, filius Hertnidi II. ex *Chunegunda Liechtenſtinia* fuiſſe ex eodem dipl. Seccov. 152. convincitur, in quo ita legitur: *Hertnidus gener meus* (nempe *Ottonis II. Liechtenſteinii*) *de Petovia, Herdegus filius ſuus.* An. 1309. in dipl. Seccov. 146. idem, adhuc ſtudens inter teſtes refertur hiſce verbis: *Herdegus de Petovia, & Chunradus de Liechtenſtein ambo ſtudentes.* Wurmbr. fol. fol. 4. Herdegi ad an. 1344. meminit, quo nempe *Herdegus de Petovia, & Chunradus de Liechtenſtein in Mubrau* ſupremus Styriæ Camerarius, bona quædam *in Göllerſtorff, Alberoni de Puchaimb* vendidere. Ex archivo Wurmbrand. num. 92. atque in hunc Herdegum, verius Hertnidum, & Fridericum IV. de Petau Duces noſtri Albertus & Henricus fors Otto an. 1324. *hæreditarii Marechalli Styriæ munus*, Wildoniis ablatum transtulere, ut ſupra obſervatum; de quo anno tamen utcunque hæreo, ut ex ſequentibus tomis patebit; anno certe 1341. in dipl. 16. Teuton. Groſſontag. *Herdegus* hic jam *Mareſchallus Styriæ* dicitur, idem an. 1341. Lazio teſte avitam ſuorum domum auxit acceſſione caſtrorum Igg & Weineck, quæ ab Auſtriæ Ducibus, ac Ortenburgi Comitibus comparavit; teſte Necrol. Seizenſi apud Frælich. dipl. Styr. p. 2. fol. 329. obiit 23. *Jan. D. Herdegen de Petovia*) *pro quo adhuc redditur Seizii anniv. in menſe Auguſto*) in Necrol. vero Runæ ibidem fol. 336. refertur 21. *Jan.* ſeu 12. *Kal. Febr. def. D. Herdegen Pettauer.* *Conradus de* *Albero de Puchaimb.* *Hertn. & Frid. IV. de Petovia haredit. Mareſchall. Styriæ.* *Caſtra Igg & Weineck fiunt Petovienſ.*

H. Chunradus & *I. Bernardus I.* *de Petovia*, teſte Lazio in cœnobio Minoritarum Viennæ ſepulti cernuntur circa an. 1303. & 1324. in Necrologio tamen eorum edito apud P. Hieron. Pez tom. 2. nullus eorum invenitur. *Chunr. & Bernard. I. de Petovia.*

Fridericus IV. de Petovia.

K. Fridericus IV. vix Friderici III. filius ad an. 1360. ſubſcripſit dipl. Teuton. 25. Græcii, & quidem ita *Fridericus de Petovia Mareſchallus*, v. dipl. P. Frælich. parte 2. fol. 198. item diplomati Runenſi 50. ac Gyrienſi 28. ab eodem Rudolpho IV. dato, & quidem eodem ſub titulo Mareſchalli, quæ proin Friderico III. medio ſæc. 13. florenti convenire non poſſunt; atque in hunc Fridericum cum Hertnido hæreditarii Mareſchalli munus a Ducibus noſtris translatum opinor, & quoniam Hertnido poſtpoſitus eſt, Hertnidum ætate ſeniorem, Friderico hoc æquum eſt judicare, qui tamen ætate ſenior non fuiſſet Friderico III. ut ex dictis patet. Idem Fridericus IV. anno 1362. inter Styros primus hoc titulo *Fridericus de Petovia ſummus Mareſchallus* ſubnotatus legitur inſtrumento confœderationis, Rudolphi, Friderici, Alberti, & Leopoldi Auſtriæ & Poloniæ Regum, Poſonii ult. Dec. confecto, ut v. Wurmbr. fol. 265. teſte Lazio cit. prædia aliquot Dominii *Ernbauſen* cœnobio S. Pauli an. 1363. eſt teſtatus.

Ernbauſen in Styria.

Hartelius de Petovia.

G. Hartelius eodem Lazio teſte cœnobium S. Pauli in Lavathall locupletaſſe dicitur an. 1363. forſitan hic idem cum Herdego erit cenſendus.

Hertnidus III. Petovia.

L. Hartnidus de Petovia, cum cit. mox Friderico nomen ſuum dedit diplomati Teuton. Græcenſium 25. Gyrienſi 28. & Runenſi 50. ſed ſolo nominis & familiæ ſuæ titulo addito.

Bernard. II. de Petov. ult. fam.

M. Bernardus II. ſæc. 15. floruit, ultimusque hujus lineæ fuiſſe videtur, etenim Lazio teſte.

Anna de Petov. uxor Joan. Com. de Schaumberg.

Agnes de Petov. uxor Leutoldi de Stubenberg.

Schaumb. inde Mareſch. Styr. facti.

Weitersfeld caſtrum.

Fraunheim caſtr. Styriæ.

N. Annam filiam, *Joanni Comiti a Schaumburg*, & alteram *Agnetem Leutoldo de Stubenberg* nuptui dedit an. 1441. unde dein titulum Mareſchalli hæreditarii in Styria *Joannes Comes de Schaumburg* ob Annam uxorem ſibi comparavit, ac ad poſteros una cum caſtro Weyterfeld transmiſit, idipſum teſtatur Wurmbrand. fol. 292. docens ex archivo ſtat. Auſtr. an. 1442. Joannem Schaumburgium titulo ſupr. Styriæ Mareſchalli ornatum: tempus mutationis hujus factæ refert archivum feudale Styriæ his verbis: (in der Steyriſchen Lehens-Regiſtratur zu Grätz) das obriſt Landmarſchall-Amt zu Steyer, ſamt der veſten Fraunheim in Viertl Cylly und den Amt in der klein Selk in Ennsthall iſt zu Mannslehen, *cum onere recognoſcendi toties quoties &c.* verliehen worden Herrn Hanſen Grafen von Schaumburg *an.* 1428.

O. Agnetis porro & Annæ Petovienſi ex familia mentio fit etiam in dipl. Teuton. Groſſontag. 20. apud Frælich. part. 2. dipl. fol. 220. in quo refertur charta Dominæ *Annæ Comitis de Schaumberg natæ de Petavv*, quam an. 1441. ſorori ſuæ *Agneti de Stubenberg* dedit, quo proin anno ambæ vixerunt. 1439. ut refert Wurmbrand. fol. 3. ex archiv. ſtat. Auſtr. num. 2456. Albertus II. Imp. *Joannem ab Eberſtorff* ex cauſa *Dynaſtiæ Ankelſteiniæ in Styria*, qui *Joannem Com. de Schaumberg*, & *Leutoldum de Stubenberg*, poſſeſſores ejus caſtri ob duas ſorores conjuges actione petebat, in jus admiſit; Agnes vero hæc Petovienſis, & Comes de Stubenberg acceptis 3000. librarum denariorum, reliquæ hæreditati paternæ renunciavit an. 1443. ibid. num. 2539. & ab hac Agnete, *Dynaſtia Wurmberg* in Stubenbergios eſt translata denuo, cum antea arx *Wurmberg* avita familiæ Wurmbergicæ, dein de Wurm-

Joan. ab Eberſt. Anckelſtein dyn. Styriæ.

Wurmberg dyn. Styriæ.

Marg. d. Wurm.

brand

brand dictæ, per nuptias *Margarethæ de Wurmberg* in familiam dynastarum de Petovia abiret, Conradi enim Wurmbergici posteritas in nepote *Nicolao II.* circa an. 1381. defecit teste Wurmbrand. fol. 41. & Hübnero tab. 634. qui tamen Margarethæ hujus non meminit. *Conr. de Wurmberg & Nic. II.*

P. Fridericum V. de Petovia ex fide Lazii adjungo, qui eum quidem III. solum appellat, atque a Friderico nobis IV. distinquit, cum vero eum post Bernardum adstruat, hoc posterior fuerit, & forsitan ejus filius. Refert de eo Lazius cit. quod ditionem avitam auxerit castris *Gleichenbergi*, *Weynbergi*, *Maydbergi*, ac *Fraunheimii:* cum vero ex dictis superius Fraunheimium an. 1428. collatum fuerit Comiti *Schaumbergico Joanni*, Fridericus hic filius Bernardi fuisse videtur, an. 1432. Capitaneus Styriæ fuit ex Chron. Vorav. Tumulum ejus apud Petovionem in Minorum cœnobio Lazius se vidisse testatur, cum insignibus anchoræ cum dracone junctæ; sed mirum, si in Epitaphio hoc *Friderici III. & ultimi* nomen legatur, cum ex adductis hactenus documentis Fridericos quinque fuisse certo pateſcat. *Frid. V. de Pet.* *Castr. Petovien.* *Frid. V. Styr. Capitaneus.*

Alios de familia Petovienſium varia Necrologia manifestant incerto temporis intervallo: sic C. *Hermannus miles de Petovia*, cujus memini sub lit. C. refertur in Necrol. Runensi defunctus *Kal. Augusti.* apud Frælich. diplomat. part. 2. fol. 345. *Hermannus miles de Petovia.*

Q. Nicolaus de Petovia, in Necrol. Run. 9. *Octob.* seu 7. *Id. Octob.* defunctus dicitur. *Nic. de Petov.*

R. D. Clara de Petovia 3. *Nov.* vitam clausit ex Necrol. Seizens. in quo additur, *de qua v. in Kalendario domus, ubi ita scribitur, in die animarum post vesperas dicitur agenda in choro pro D. Clara de Petovia, cujus officium sequenti die redditur in Conventu ex ordinatione D. Stephani Senensis Prioris Cartusiæ.* *Clara de Petov.*

S. *Mechtildes de Petovia* defuncta refertur 3. *Kal. Nov.* in Necrol. Runensi, & *Mechtil. de Pet.*

T. Chunegund de Petovia ibidem 8. *Id. Decembris.* *Chuneg. de Pet.*

Hisce explanatis pergo in expeditione testium diplomatis nostri 54. in quo 20. testis *Eberhardus de Pernove* legitur. Bina existunt in Austria castra *Bernau* antiquitus *Pernove* dicta, primum in Austria super. ad Trunam, veterum *Dominorum de Pernove* exstinctorum domus avita, ex quibus teste Hocheneckio tom. 2. pag. 474. & in supplem. p. 11. *Joachimus* fors ultimus hujus familiæ id vendidit, an. 1406. *Wolfgango Archanger ad Roith*, ab his ad *Jergeros*, mox ad *Sigism. Jagenreitern*, tandem anno 1629. ad *Splindleros de & ad Hofeck* devenit, ac an. 1730. *Leopoldo de Eyselsberg* est venditum. Arx altera *Bernau*, jus gladii habens in Austria super. prope Welsium exstitit dicta Bernau auf der Haid, quæ post varios possessores an. 1730. *Josepho Sim. Com. de Seeau* obvenit, teste eodem Hocheneckio cit. pag. 414. Ex arce prima Dominos de Pernove, seu Bernau ortos credibile est, ex quibus unicus hic Eberhardus se hactenus manifestavit. *Eberh. d. Pernov.* *Bernau duo cast. Austriæ.* *Joach. de Pern.*

21. *Erchengerus de Landesere*, v. annot. dipl. 53.

22. *Henricus de Traisen*, v. annot. dipl. 4. & 6.

Ad Diplom. 55. *Ad Diploma* 55.

Hoc fragmentum produxit Ludewigius pag. 200. tom. 4. num. 18. in quo etiam legitur *Luipoldus Dux orientis* loco *Auſtriæ*, attamen mox ſubjungitur: *Ego Luipoldus Dei gratia vocatus Dux in Auſtria*, quæ verba in apographo Puſchiano, ſeu Patri Sigiſm. Puſch transmiſſo deſunt. Cætera concordant cum dipl. Garſt. 16. apud Frælich diplomat. Garſtenſ.

Luipoldus igitur hoc in diplomate, Garſtenſes ab omni exactione tributi vel telonei in aſſenſu vel deſcenſu Danubii, perpetuo liberos declarat, & quidem duplici ex cauſa, 1. ob amorem SS. Sepulchri, ad quod inviſendum anno 1182. Leopoldus Auſtriacus primo abierat. 2. *Ob familiarem amicitiam dulciſſimi amici, & cognati ſui Styrenſis Ducis Otager &c.* nilque pro his repoſcit Luipoldus, quam ut Garſtenſes ei ſingulis annis talentum darent.

Ottocar. VI. cognatus Leopoldi Auſtr.

Quo ſenſu Ottocari cognatus Leopoldus ſit dicendus, expoſui Differt. IV. cap. 2. annus diplomatis eſt 1181. vel ſeq. in cujus fine 10. Kal. Nov. *Chunradus Abbas Garſtenſis* hic adductus obierat, ut habent excerpta veter. Chron. Garſtenſ. apud Hier. Pez tom. 2. pag. 145.

Chunrad. Abb. Garſtenſ.

Ad Diplom. 56. *Ad Diploma* 56.

Annum dati diplomatis hujus eruo, tum ex denominatione Ottocari Ducis, tum ex ejusdem in Admont præſentia, eo quod forte *cum Iſenrico Abbate* de expeditione Jeroſolymitana egerit, qui Abbas dein etiam in acie ad ſepulchrum Domini obiit; Dux autem noſter infirmitate detentus, eo abire non potuit.

Ottocar. VI. in Adm. agit cum Iſenrico Abb. de intim. Jeroſ.

Continet diploma hoc delegationem prædiorum Admontenſibus factam *a Bernardo de Putine* Miniſteriali Ottocari VI. Ducis, etenim hic manſus duos apud *Harde*, quorum unum hæreditario jure poſſederat, alterum *a Catilocho de Schratinberch* coemerat, Admontenſibus delegavit una cum filio ſuo Ortolpho, & filia, cujus nomen expreſſum non eſt. De Bernardo de Putine egi jam in annot. diplom. 4.

Bern. de Puteue

Catilochus de Schratinberch. Ortolf filius.

Quis vero Catiloch de Schratinberch fuerit? inquirendum, *Schrotenbergios* Styris noſtris accenſeo, tanquam dynaſtas veteris arcis *Schrottenberch* in circulo Judenburgenſi, nunc Princ. de Schwarzenburg ſubjectæ. Catilochus hic aliis etiam diplomatibus occurrit, præter eum *Cadilochus de Schrattenſtein* in dipl. Seccov. 58. occurrit: an alicubi error intercurrerit? ignoro, anno tamen 1209. in docum. Vorav. ſubſcriptum lego *Ortolphum de Schrattenſtein*, author vero Germ. Sacræ tom. 2. fol. 448. inter nobiles Salisburgenſes an. 1489. in prælio Mülldorfenſi captos adducit etiam *Fridericum de Schratenberch*, forſitan ab his Illuſtriſſima Comitum de Schrattenbach familia eſt deducenda. In Necrol. Admont. lego defunctum 12. *Kal. April. Oſwaldum Abbatem in Novo-monte de Schratenſtein*, ſed catal. Abbat. Novomontan. in origine Thaumaturgæ Hoſpitalenſ. fol. 35. inter Abbates hunc Schrattenſteinium omittit, & 16. Abbatem ſtatuit Oſwaldum Steindl de Pirkfeldt ſæculo 16.

Schrotenperc arx Styriæ.

Catilochus de Schratenſtein.

Ortolfus de Schratenſtein.

Fridericus de Schratenperch.

Inter

Inter teſtes poſt Ottocarum Ducem ſubſcriptos occurrit:

1. *Diepoldus Marchio de Vochburg*, v. Diſſ. 4. cap. 6. in Ottocaro V.
2. *Rapoto de Putin*, v. annot. dipl. 4.
3. *Ulricus de Chranichberg*, v. annot. dipl. 32.
4. *Heinricus & Albero fratres de Dunchinſtein*, 3. v. annot. dipl. 7.
5. *Gerardus de Putine*, v. annot dipl. 4.
6. *Luipoldus, Heinricus, & Otto fratres ejus*, ſeu Gerardi de Putine, v. annot. dipl. 4.
7. *Ditmarus de Putinovve*, v. annot. dipl. 4.
8. *Marchvvardus de Starckinberch*, v. annot. dipl. 14.
9. *Wieland*, de quo dicetur in annot. dipl. 60.

Reliqui teſtes vel priores, vel attentionem non merentur.

Ad Diploma 57.

Ad Diplom. 57.

Otto de Stein Admont. benef.

Otto *de Stein*, Miniſterialis Ottocari Ducis de Styre, Admontenſibus beneficus fuit, cum enim corpus uxoris defunctæ ſepulturæ Admontenſis Monaſterii mandatum fuiſſet, illico cum conſenſu Ottocari Ducis (proin poſt an. 1180.) Monaſterio eidem delegavit manſum unum ad *Perchach*, ab eo die in perpetuum, duos vero manſus apud *Chiebelvvanch* (hodie *Kalvvang*, ubi nunc ſacram D. Oſwaldo Parochiam Admontenſes procurant) qui poſt mortem ſuam eidem Monaſterio Admontenſi perpetuo ſervirent; adjecit eam conditionem Otto hic, quod ſi conſenſum Ottocari hac ſuper delegatione non evinceret, ipſe Admontenſibus debitor fieret 10. marcarum, quapropter etiam conſtituit, ut de duobus manſibus in Kalwang, ſingulis annis dum viveret 20. denarii ſolverentur.

Perchach locus Styriæ. Kalwang item.

Ottonis de Stein, ſeu *de Lapide* Genealogia expoſita eſt in annot. diplom. 4. Teſtes

1. *Wigandus de Maſſenberg*, v. dipl. 41.
2. *Meginhart, Otto, & Hartvvicus germani de Arnoltſperge.* Familia hæc extra Patriam noſtram quærenda eſt.
3. *Engelmarus de Perchach* in annot. dipl. 9. cenſebam, Engelmarum hunc inter Dominos de Peccah referendum, erroremque in deſcriptione contigiſſe: quidcunque hac ſuper re ſentiatur, illud certum ex dipl. Göſſ. 46. exſtitiſſe Dominos de Perchach, ac dipl. Göſſ. cit. an. 1260. *Rudgerum & Wulfingum de Perchach* ſubnotatos fuiſſe. Reliqua me hactenus latent.

Perchach de Engelmar.

Rudgerus & Wulfing de Perchach.

4. *Svvithard, Wecilo, & frater ejus Heinricus de Stein*, v. annot. dipl 4.
5. *Alrich de Pergerſperge*, ignotus, nec alibi reperitur.

Pergerſperge de Alrich.

Ad Diploma 58.

Ad Diplom. 58.

Ottoc. an. 1182. conventum hab.

Græcii exiſtebat Ottocarus VI. Dux an. 1182. atque conventum ſuorum habebat, hunc, ne ſine ſpeciali in Religioſos benevolentia concluderet, in vigilia S. Andreæ ante Eccleſiam S. Ægidii, nunc aulicam, & Soc. Jesu hora diei tertia Seccovienſibus benefecit: adducit omnia ordine pulcherrimo hoc in diplomate Ottocarus, etenim cum *Adelramus fundator Seccovienſis*, ibidemque converſus (unde eum *fratrem & virum religioſum* vocat) dum ſæcularis eſſet; multum a Patre Otto-

caro V. æſtimaretur, prædiumque ſuum, nempe montem *Starchenberg*, & villam *Trabſteten* cum omnibus militibus ſuis, ante ingreſſum Seccov. Monaſterii, Ottocaro V. donaret, viciſſim vero Ottocar. V. ad preces Adelrami fundatoris, & Wernheri Præp. Seccov. munus Advocati Seccov. in ſe ſuſcipiens, Monaſterio Seccov. libertatem ab omni exactione, ſeu vulgo jure advocati concederet, aliaque privilegia adjiceret, Ottoc. VI. filius eadem hoc dipl. confirmavit, & renovavit, & quidem 1. libertatem ab omni exactione, ſeu vulgo jure advocati. 2. Si quis de rebus ſuis Monaſterio Seccovienſi aliquid tradere, vel delegare vellet, id ei liberum foret. 3. De novo adjecit Ottocarus, quod ſi Seccovienſes per fundum omnem Eccleſiæ ſuæ, venas ſalis, vel metalli invenirent, eas libere excolere, & in uſus ſuos redigere poſſent. Teſtes quamplurimos inter

Seccov. datur jur fodiendi metalla & Salem.

Otto de Chungesberch. & Chraffto.

1. *Otto de Chunisperch* citatur, ſeu *de Chunigesberch*. Diſtincta hæc eſt ab Hunneſperchiis familia, Genealogiam Königspergiorum refert Bucel. tom. 4. fol. 102. omiſſis tamen *Ottone* & *Chrafftone*, ea in Franconia orta fuiſſe, atque linea ejus forſitan in terras has noſtras perveniſſe videtur, etenim exiſtit, in Franconia oppidum, vel civitas *Kunigsberg*, non procul ab Hasfurda, quam *Udalricus Com. de Lavand & Sponheim* ædificarat, teſte Lazio de migr. gent. lib. 6. fol. 168. 188. præterea in circulo Cellej. Styriæ noſtræ exiſtit arx Königsberg ad fluvium Satlam. De his innotuerunt in Provincia noſtra, *Otto* nempe hic ad an. 1219. etiam in dipl. Seccov. 39. & *Chrafto* ad an. 1230. in dipl. Seccov. 48. invenitur, in quo refertur, quod Gotefridus Præp. & Capitulum Seccov. ob nimium, quem habebant defectum, *Chrafftoni de Chunenberch* pro 20. marcis prædium *in Wagrain* contulerint. *Ebrnricus a Chünigsberg Margarethan* filiam ſuam an. 1463. *Baltbaſari a Teuffenbach* uxorem dedit, qui dein cum *Joanne a Chünigsberg*, domum & hortum communem Crembſii Henrico Früchter Parocho in Polan an 1471. vendidere, ita Würmbrand. ex arch. ſtat. Auſtr. num. 2945. & 3105. cæterum in Styria eos bona habuiſſe, doceor ex docum. Vorav. in quo *DD. de Saurau* nobis vendentes alpes in Wechſel ajunt, welche auf aller Höhe raint an des Herrn von Königsberg Alben &c. ne longior ſim, eorum ſeriem ex Bucelino, adferam in annot. dipl. tom. 2. ad dipl. 4.

Kunigsberg oppidum vel civit. Udalr. Com. de Sponheim & Lavand.

Wagrain præd. Ebrnrico a Chunigsberch, Margar. filia uxor, Balth. a Teuffenbach. Jo. a Chunigsb. Wexel alpes emunt Vorav. a DD. de Saurau

2. *Heinrich de Scharpfenberg*, v. dicta ſæc. 11. an. 1015.

3 *Amelbrect de Lochuſe*, fors *Lochuſe*, v. annot. dipl. 6.

Albecke de Popp.

4. *Poppo de Albecke*, unicus hic præter Berngerum occurrit, familia vero hæc inter Carinthos quærenda videtur.

5. *Rudolph de Flaze*, v. annot. dipl. 14.

6. *Heinrich de Truchſen*, v. annot. dipl. 4.

7. *Herrant*, *Reicher* (videtur deeſſe ly &) *de Wildonia*, v. annot. diplom. 53.

8. *Albertus*, *Heinrich*, (denuo deerit &) *de Dunckenſtein*, v. annot. diplom. 7.

9. *Wilfing de Stübenberg*, v. annot. dipl. 4.

10. *Otto*, & *Ortolf de Greze*, v. annot. dipl. 7.

11. *Chunrad*, & *Rudolf de Chindeberch*, v. annot. dipl. 47.

12. *Silburg de Varin*, hoc uno in diplomate notatur, nec inter Styros reponendus.

13. *Dietmar & Ulricb de Puttinove*, v. annot. dipl. 4.

14. *Lantfrid de Eppenſtein*, v. annot. dipl. 37.

15. *Rapoto de Putine*, v. annot. dipl. 4.

16. *Heinrich de Schvvarzach*, v. annot. dipl. 22.

17. *B. Gerhart de Krumbach*, pauca de his Dynaſtis mihi ſuppeterent, niſi domeſticæ chartæ Voravienſes ſubſidio eſſent: nomen ſuum ab arce in circulo infra ſylvam Vien. ſita, adjectoque nunc oppido ad fines Styriæ & Hungariæ, ſortiti videntur, pluraque in vicinia Collegii Vorav. poſſederunt olim, ad *S. Jacobum, in Waldbach*, imo ipſum caſtrum Thalberg. Arcta his Dominis, cum *Rambergiis* & D. de *Hertenfels* connexio fuerat, ita, ut fere credere liceat, Dominos de *Ramberg*, & *de Hertenfels* fuiſſe ex familia Krumbachiorum, hotque ſolum ex poſſeſſionibus ſuis, modo *de Thalberg*, *de Hertenfels*, *de Ramberg* appellatos fuiſſe: ut rei huic diutius non immorer, ex dicendis patebit, familias de Krumbach & Rainberg ſanguine permixtas fuiſſe.

Krumbach de Gerhard. *Arx & oppid.* *Thalberg caſtr. olim Krumbach.* *DD. Ramberg.* *DD. de Hertenfels.*

B. *Gerhardus* hic an. 1227. diplomati Leopoldi Auſtr. & Styr. Ducis dato Gyrienſibus ſubnotatus fuit, anno vero 1209. Gerhardus hic & C. *Henricus I.* probabilius frater ejus, cum Leutoldo Præp. Vorav. transegit de Capella *S. Jacobi in ſylvis*, nunc Parochia Voravienſium; etenim hi Domini de Krumpach Capellam hanc, multo tempore a matrice Voravienſ. alienatam detinebant aſſerentes eam jure fundi ad ſe pertinere, cum itaque inſtaret Præp. Vorav. Leutoldus, ambo hi Domini eam Voravio reſtituebant, ea tamen ſub conditione, ut Vorav Præp. in Capella S. Jacobi ſacerdotem jugiter ibi cum domo permanentem ordinaret, qui & in Capella S. Jacobi, & in alia S. Margarithæ in cella (ſeu Wenigzell) Divina celebraret: firmior, ut eſſet transactio, appreſſit ſigillum D. Eberhard. II. Archiep. Salisb. Leopold. Dux Auſtriæ & Styriæ, teſtesque nobiles plures acceſſerant, *actum in Thallberg an.* 1209. *Indict.* 12. 8. *Kal. Jun.* v. tom. 2. MSS. diplom. Vorav. Cancell. ibid. fol. 79. & Chron. Vorav. circa an. 1246. &c. refert *a D. Henrico de Krumbach apud Tuchnam in Pinkka, & in prædio ubique ſito in Fridberg homines fuiſſe deſolatos, & Monaſterio Vorav. damnum illatum ad* 114. *libras denariorum, dum caſtrum Thallberg erat in poteſtate Domini Gerhardi de Krumbach, ab eodem quoque ad* 168. *talent. denar. damnum ſuſtulit*, Monaſterium Vorav. teſte Chron. circa eundem annum 1246. & deinceps teſte Chron. Vorav. *E. Rudolphus ex Thallberg pro illatis damnis, quibus Eccleſiam Vorav. graviter damnificavit, cupiensque ſatisfacere eidem Eccleſiæ, una cum fratrum ſuorum conſenſu Gebhardi & Heinrici, tria curtibula* 70. *denar. annuatim perſolventia, ſita inter S. Jacobum, & villam Walbach manu poteſtativa in ſatisfactionem damnorum Eccleſiæ Vorav.* (deerit ly *dedit*) *maxime ne ſuper eisdem damnis deinceps ab eodem Conventu, contra eum nulla & ſuos hæredes, & fratres ſuos in poſterum exurgeret querela, ſuo id ſigillo roboravit.* Ex his conjicio, *Gerhardum, Henricum I.* & *Rudolphum de Krumbach* fratres fuiſſe, Gerhardum natu maximum, & jam provectæ ætatis, Rudolphum minimum, Henricum I. ætate medium. In diplomate Gyrienſi 3. *Gerhardus de Crumbach, & frater ſuus Heinricus de Wilt-*

Henr. & Gerardus de Krumb. Tranſigunt cum Vorav. de Cap. bod. Paroch. S. Paroch. S. Jac. in ſylvis. *An.* 1209. *Eccl. S. Jac. in ſylv. jam ſuum habuit ſacerd. ſub quo etiam Wenigz. Capel. procurab.* *Henr. de Krumbach. Fridberg. & in Pinck. Vocav. ſubditos vexat.* *Gerhardus de Krumbach. Do. de Thallberg.* *Rudolph. de Krumbach Do. de Thallb. dat Vor. bona inter S. Jacob. & Waldbach.* *Gerhard. Henr. I. Rudol. fratr. de Krumbach. & Ulricus I.*

de Wilthauſen ad an. 1209. citatur, unde mater Gerhardi hujus cuidam Dom. de Wilthauſen nupſiſſe debuit.

Præter hos *D.* Ulricus I. frater eorum fuiſſe videtur ex diplom. Vorav. an. 1314. Anno dein 1252. circiter teſte eod. Chron. Vorav.

Gertrud. vidua de Thallberg. Donat Vorav. curiam in Erzb. Gerhard. II. filio occiſ. Vorav.

E. Gertrudes relicta de Thallberg, proin uxor procul dubio *Rudolphi de Krumbach*, quandam *curiam in Erzberg* ſitam donavit, Monaſterio Vorav. unde dein Gebbinus Præp. Vorav. *Gerhardum II.* filium ſuum necatum, & 6. annis Eccleſiaſtica ſepultura privatum (cauſa necis latet) in Eccleſia Vorav. ſepeliri admiſit.

Henr. II. de Krumbach benef. Vorav.

Qui ſæculi 14. decurſu ex docum. Vorav. conſtant Krumpachii, ii ex *Ulrico I.* deſcendiſſe videntur, *F. Henricus* nempe *II. Udalricus II.* & *Henricus III.* ſeu *junior de Krumpach* cum tribus ſororibus *Margaretha*, *Chunegunde*, & *Gertrude*. V. tom. ſeq. an. 1314.

K. Henricus II. inſignis erat benefactor Voravienſium, etenim ab eo ſibi an. 1208. comparârunt curiam in *Lengenbach*, dedit etiam *privilegium in* Pillungsfreudt *ad infirmitorium*, ut ait Chroniſta noſter. An. 1310. curiam in Mayrhof, *duas curias in Celle*, ſeu in Wenigzell prope Eccleſiam, advocatiam 7. curiarum in Lengenbach, & plura alia alibi exponenda dedit, de eo ad an. 1319. plura refert Chron. Vorav.

Udalr. de Krumbach Can. Vor.

H. Udalricus de Krumbach, frater Henrici II. an. 1318. habitum religionis Voravii aſſumens, attulit hæreditarie quatuor manſus in *Weiſſenbach* cum omni jurisdictione & advocatia.

Henr. III. ſeu jun. de Krumb.

I. Henricus III. de Krumbach, ad diſtinctionem *Henrici II.* fratris ſui, a Chroniſta Vorav. ſemper *junior* vocatur, hic plurima beneficia Voravio præſtitit, de quibus ſuo loco. Ejus memoria ab anno 1322. ad 1345. in Chron. Vorav. exſtat: *Henricum II. Udalricum*, & *Henricum III. ſeu juniorem* fuiſſe *fratres* docet docum. Vorav. ad an. 1309. quo *Henricus* nempe *II. de Krumbach* cum *Henrico III.* & *Ulrico*, dein Can. Reg. Vorav. fratribus ac hæredibus donant Vorav. Collegio curiam in Mäſſenberg pro anniverſ. cum miſſa & vigilia celebranda, cum tot miſſis, quot tunc ſacerdotes exſtiterint

Fundatio eorum Vorav.

Rudolph. II. de Krumbach. Ramberg de Heidenricus N. filia uxor unius de Krumbach.

M. Ex eo documento eruitur etiam 1. *Rudolphus II. de Krumbach*, patruelis, inter teſtes ſubſcriptus, quem, quia an. 1309. ſubſcriptus erat teſtis, Rudolphi I. filium cenſeo, etenim ſi Gerhardi I. filius fuiſſet, in bona Krumpachiana præ aliis ſucceſſiſſet. 2. Ex eodem documento habemus, ſors tres fratres Henricum II. Udalr. & Henr. III. ex *avia de Ramberg*, *A. Heiderici de Ramberg*, filia fuiſſe progenitos.

Emerberch de Amelricus. Anna & Giburgis de Krumbach.

Uxor Henrici II. *Anna* pateſcit, ex alio docum. Vorav. ad annum 1352. in quo *Amelric de Emerberch* inter alia, pro *Henrico III.* ſeu *juniore* & *Anna* uxore, & hæredibus anniverſ. fundat. Voravii.

G. Giburgis Henr. II. de Krumbach uxor, ex Chron. Vorav. conſtat etenim an. 1349. Udalricus 18. Præp. Vorav. a Giburge hac relicta D. *Heinrici de Krumbach*, comparavit bona varia in *Wagendorf*. Unde Henricus II. ante eum an. obiiſſe debuit.

Deſcendentes reliquos ignorare interim cogor, donec domeſticis familiæ hujus, licet jam emortuæ documentis inſtruar, quorum plura in arce Krumbach deliteſcent. Ex his proin ſequens ſchema Genealogicum conflari poſſet.

N. de

N. de Krumbach, sæc. 12. initio floruit.
A. N. filia *Haidenrici de Ramberg.*

B. Gerhardus I. an. 1182. ad 1246. Do. de Thalberg.

C. Henricus I. uxor N. an. 1209. 1246.

D. Ulricus I. uxor *Anna* obiit ante 1314.

E. Rudolphus I. D. de Thalb. 1250. ux. *Gertrudes* 1242. vid. 1251.

F. Henr. II. a. 1309. ad 1319. ux. 2. *G. Giburgis* vid. a. 1349

H. Udalr. Vorav. a. 1318.

I. Henr. III. jun. 1309. uxor *Anna* 1309.

K. 3. sorores Marg. Cun. & Gertr. an. 1314.

L. Gerhard. *II.* occis. a. 1252. Vorav. sepult.

M. Rudolf. *II.* a. 1309 citatur.

ux. 1. *Chuneg.* an. 1314.

Ttalbergæ & Rambergæ arcis, & Dynastarum crebrior hic mentio facta est, hæ quoniam in Styria sitæ, & Voravio utcunque vicinæ sunt, commemorationem sui facile merentur; arcis *Ramberg* infra Voravium rudera etiamnum hodie videntur, existitque ibi in vico valde tenui *Capella S. Nicolai*, filia Parochiæ Vorav. Ex docum. Vorav. ad annum 1390. habetur a quodam *Friderico Weniger*, fundationem factam, vi cujus se capitulum Vorav. obligabat singulis feriis quartis, missam unam in Ranberg celebrare, *in Capella ante domum, ubi S. Nicolaus jejunabat*, ex quo vel traditio fuerit eo loci quondam S. Nicolaum fuisse, vel verius pictura id exhibens inibi exstiterit. Dynastas Ranbergenses quod attinet, *Henricum II.* circa an. 1246. invenio (*Henricus I. de Ranberg* ille fuit, cujus filia avia erat trium fratrum de Krumbach eodem hoc tempore florentium, proin jam dudum defunctus) sat molestum etiam collegio Vorav fuisse teste Chronista nostro: frater ejus erat *Gerhardus de Rainberg*, horumque frater uterinus *D. Rudolphus de Hertenfels*, an. 1250. morti proximus damna omnia Ecclesiæ Vorav. illata ad S. *Jacobum in sylvis* sincere compensavit, dein Voravii sepultus, ita Chron. Vorav. addit idem: *cum corpus ejus esset in cryptam sepultum, fratres sui Geobardus & Henricus de Reinberg, pluresque nobiles* (inter quos denuo alius *Heidenricus de Reinberg* refertur) *convenerunt* Præp. & Capit. Vorav. ut satisfactionem & compensationem dicti Rudolphi de Hertenfels benigne reciperet; hæc fusius suo loco ad an. 1250. suspicor enim mendum irrepsisse Chron. asserenti, *Gerhardum & Henricum de Reinberg* fratres fuisse *Rudolphi de Hertenfels.*

Ramberg arx infra Voravium.
Ibid. Capella S. Nicol. filia Paroch. Vorav.
Henr. I. & Hen. II. de Ramberg.
Gerhardus de Rainberg.
Rudolphus de Hertenfels.
Resarcit damna Vorav. ib. sep.
Heidenricus II. de Ranberg.

Anno 1252. *Heidenricus de Reinberg* in extremis positus, pro damnis illatis dedit Eccl. Vorav. mansum unum in *Ranberg*, curtim unam in *Lavenz*, & vineam ibidem v. Chron. Vorav. An. 1305. *Gertrudes de Reinberg*, curiam *Bischofhoff* Monasterio Vorav. delegavit. Exstincta Rainbergensium familia, cum Domini de Krumpach nepotes, & proximi hæredes essent, Ranberg prædium cum arce Thallberg fuit unitum, penes quam hodie adhuc existit.

Heidenricus de Ranberg resarcit damna Vor. Gertr. de Ranb.

De Thalberga castro vetustissimo, ejusque Dynastis jam sæc. 11. florentibus quæpiam in Chronologia sunt dicta: originem, & primos arcis possessores fuisse dictos *Dominos de Thalberg*, constat aliunde, id tamen castrum sæc. 13. medio penes Krumpachios fuisse, mox ostendi; ast eodem tempore, an. nempe 1250. in charta antiqua Vorav.

Thalberg castr. & Dynastæ.
Sæc. 13. medio erat Krumbach.

Eberhardus. Gotſcalcus & Gerhardus de Thalberg. occurrunt inter teſtes: *Eberhardus de Thalberg*, eademque Voravienſis charta ſigillo *Domini Gotſcalci*, atque *Gerhardi de Thalberg* munitur. V. archiv. Vorav. Cancell. tom. 1. fol. 81. &c. quinam hi Domini fuerint, an ex familia Krumpachiana? an ex alia? valde obſcurum: ſi ex familia DD. de Krumpach non fuere, cenſerem ex familia DD. *de Neitberg* fuiſſe, etenim *1mo* ex hac familia *Gotſcalcus* an. 1250. &c. floruit, 2. ex docum. Vorav. imo ex teſtamento ipſius *Joannis Baronis de Neuberg* an. 1482. facto clare conſtat, Dominium *Thalberg* cum *Pölla, Neidberg*, & *Neudau* ejusdem Joannis Neupergii fuiſſe, huncque, cum Dominium Pöllenſe fundationi Canoniæ reſervaret, proximis ſuis caſtra ſua *Thalberg*, *Neidberg*, & *Neudau* delegaſſe, Thalberga itaque a Neubergiis ad Rottalios abiit, quorum *Wiblelmus* ſe ſæculi 16. medio *Dominum in Neudau* ſcripſit, & *Chriſtophorus de Rothall* caſtrum *Thalberg* an. 1487. 1488. jam poſſedit, ut mox dicetur.

Neitbergii poſſ. caſtri Thalberg. Gotſc. de Neitb. Joa. B. de Neitberg an. 1482. teſtem de Thalberga facit.

Sæc. 15. med. Thalberga ſub Rottaliis. Wilh. & Chriſtoph de Rottal.

Caſtrum itaque Thalbergenſe, varios hactenus Dominos eſt ſortitum: primi erant Dynaſtæ de *Thalberg* dicti, ab his ad *Krumbachios* abiit, dein ad *Nitbergios* ac ſæc. 15. fine ad *Rothalios*, poſt hos ad DD. de *Dietrichſtein* per nuptias *Barbaræ de Rottal* cum *Sigiſm. de Dietrichſtein* perveniſſe videtur, quo vero tempore *DD. de Rauber* id poſſederint? determinare nequeo, id conſtat ex chartis Vorav. an. 1607. Dominam *Luciam Wilhalmin de Clafenau* ſe natam *Rauberin de Thalberg* ſcripſiſſe. Sæc. 17. initio jam Principis terræ erat, etenim Benedictus Præp. Vorav. an. 1601. ſupplicat Ferdinando, ut colonos in *Schwaighof* cum decimis ab Oſwaldo Præp. Vorav. olim Thalbergenſi Dominio, cum jure reluitionis venditos, recuperare liceat, ſic vero ait Benedictus in iis litteris **Indeme die Herrſchaft Thalberg euer Frſtl. Durchlaucht der Scheutteriſchen Verbrechung halber anjetzo heimgefallen, auch** *judicialiter* **zuerkennet worden.** &c. a Ferdinando dein Collegio Soc. Jesu Græcii venditum eſt caſtrum, penes quod adhuc hodie perſeverat.

Barb. de Rottal ux. Sigiſm. de Dietrichſtein. Thalberg ſub Dietrichſteiniis. Sub DD. de Luc. Wilh. de Clafenau nata Rauberin de Thalberg. Thalberg ſæc. 17. initio Cæſar. a DD. de Scheid rebell. devolut. ad Cæſarem.

Thalberg datur Coll. S. J. Græc.

Thalb. Cap. filia Par. Dechantsk. Conſecratur an. 1488.

Tandem Capellæ Thalbergenſis, quæ filia eſt Eccleſiæ Parochialis in Dechantskirchen meminiſſe oportet, de ea ita habet Chron. Vorav. *Anno Domini* 1488. *Dominica 2. poſt Paſcha, ſub dicto Præpoſito Leonhardo dedicata eſt Capella in caſtro Thalberg in honor. S. Nicolai Epiſc. & Confeſſoris conſecratum eſt* (hæc verba ſuperabundare videntur) *una cum tribus altaribus, quorum ſummum in honorem præfatæ Capellæ patroni Beatiſſimi videlicet Nicolai & Epiſcopi* (deeſt *Confeſſoris*) *conſecratum eſt: altare vero in dextero latere Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, S. Annæ matris ejus, Eliſabeth viduæ, nec non SS. Virginum ac Martyrum, Catharinæ, Margarethæ ac Barbaræ dedicatum eſt, tertium autem altare in ſiniſtro latere poſitum in honorem* 14. *SS ſuffragatorum, videlicet Chriſtophori, Achatii, Pantaleonis, Viti, Sebaſtiani, Georgii. Euſtachii, & Quirini Martyrum, Eraſmi Mart. & Pontificis, BB. quoque Confeſſorum, atque Pontificium Ægydii, & Leonhardi, ſimiliter de prænotato conſecratum eſt, una cum prætactis altaribus, & Capella per Rev. in Chriſto Patrem, Dominum Petrum ex conceſſione Domini Joannis Archiep. Salzburg. hæc acta ſunt. Hæc Capella a ſtrenuo D. Chriſtophoro Rattaler in caſtrum translata eſt, quæ olim foris caſtrum ſita erat.* Ita Chron. Vorav. Petrus Conſecrator, qualis Epiſcopus fuerit, non expri-

Olim 3. altaria habuit.

Capella Thalb. transf. in caſtr.

primitur, ſitus Capellæ hujus extra caſtrum Thalberg vix diſpicitur hodie: plura dixi in annot. diplom. 29.

18. *Chalchoch de Schratenſtein*, v. annot. dipl. 56.

19. *Otto Sun de Vuſtrize*, v. annot. dipl. 6. & 82.

20. *Hartnid de Rabe*, ignotum in rebus Styriæ nomen. *Rabe de Hartn.*

21. *Albert de Grimenſtein*, extra Provinciam probabilius in Carinthia hæc olim familia floruerit, nec præter Albertum hunc, qui Albero in dipl. cod. Admont. num. 90. vocatur, alius mihi hactenus comparuit. *Albert de Grimenſtain.*

22. *Ludevvich de Schlierbach*, v. annot. dipl. 4.

23. *Sifrid Chranichberg*, v. annot. dipl. 32.

24. *Dietrich de Giſcovve*, unicus & ſolus hic invenitur, nec inter Styros reponendus eſt. *Dietricus de Giſcowe.*

25. *Heinric de Pranic*, ſeu ut opinor *Pranck*, v. annot. dipl. 47. *Henr. de Pranck*

26. *Wigant de Maſſenberch*, v. annot. dipl. 41.

27. *Pabo de Hochenſtoufe*, v. annot. dipl. 32.

28. *Chunrad de Pranck*, v. annot. dipl. 47.

29. *Durinc de Vuſtrize*, v. annot. dipl. 6. & 82.

30. *Durinc de Emmerberg*, Styriæ Ducatus vetuſtiſſimi Dapiſeri (vulgo Druchſeß) & Archimagiri, ſeu Coquinæ Palatinæ præfecti fuere Dynaſtæ de Emmerberg: horum originem ſequentibus refert Lazius lib. 6. fol. 194. *In monte, ubi nunc caſtrum Emerberg* (hodie Com. *ab Heiſſenſtein* in circulo infra ſylvam Viennenſem) *in finibus Auſtriæ, ſacellum quondam fuerat, ubi ædituus filium eximiæ formæ progenuerat, qui cum urnas forte e civitate, quam novam vocant (ubi tum Dux regiam tenuerat) ut puteus perficeretur, ad patrem deferret, eo in itinere a Duce, & in amorem raptus, detentus denique liberaliter in aula tam diu educatur, donec poſtremo & prædiis & inſignibus auctus, arcem illam poſſet extruere, ubi pater ædituus ſacelli curam geſſerat; hic non ſine invidia nobilitatis, cum ſedem vixiſſet, a Duce præterea ſuffragante Imperatore Dapiferi munus per Styriam, & nova ab eventu picta inſignia comparavit, auream videlicet urnam in cœleſtino clypeo.* Ita Lazius, cujus narratio multum fabulam olet, nominatim ob novam civitatem ſeu Neuſtadt, quæ an. 1182. quo Duringus citatur, nondum ſtetit, nec veterum quisquam hujus originis meminit. Relicta aliis de fide Lazianæ narrationis deciſione, Emmerbergios expendo Styriæ noſtræ Proceres. *Durincus* hic omnium primus ſubſcripſit etiam ad an. 1182. dipl. cod. Admont. 63. 66. inter mea 69. & 70. *Durinc de Emmerberg.* *Dapiferi eraut & Archimagiri.* *Origo eorum.* *Em. berg arx.* *Inſigne.*

Bertoldus I. Dapifer de Emmerberg, ex dipl. cod. Admont. 90. circa an. 1201. videtur primum: an. 1209. primus teſtis nomen ſuum dedit transactioni Domini Leutoldi Præp. Vorav. cum Dominis Gerhardo & Henrico *de Krumbach* circa Capellam, nunc Parochiam Voravienſium S. Jacobi in ſylvis, & quidem Thalbergæ præſens: ex docum. Vorav. an. 1211. idem ſubſcripſit dipl. Runenſi 16. a Leopoldo Duce Styriæ dato, ex quo, cum *eorum tantum nomina intitulata ſint*, verba ſunt dipl. hujus, *qui inter cæteros digniores fuerunt*, patet Beatholdum hunc ſummæ intet Styros dignitatis fuiſſe. An. 1224. Bertholdus idem dipl. Gyrienſi 4. Mahrburgi dato a Leopoldo Duce noſtro, *Bertholdus I. Dapifer de Emmerberg.*

& anno 1235. denuò diplomati Seiz. 16. a Friderico Duce, Petovii dato ſubſcripſit; plura alia diplomata, quibus inſertus legitur, prætereo.

Berth. II. Dap. de Emmerberg. Bertold. III.

Bertholdus II. filius ejus ex dipl. Teuton. Græc. 14. ad an. 1301. pateſcit, in eo enim legitur: **Ich Bertold der alte Druchſaetz von Emberberg und min Sunn Bertold** &c. (erat proin etiam Bertholdus III. de quo ſecus nil exſtat) teſtantur avum ſuum, uti & ſe dediſſe Teutonicis Græcii **an dem Le** prædia, & manſus **in Halberz-dorf zu Oberdorf.** Litteræ datæ Græcii die Exalt. S. Cruc. an. 1301. cum vero Bertholdus II. an. 1301. ſe jam ſenem dixerit, filiumque habuerit eodem anno donationi faciendæ idoneum, cenſeo Bertholdo huic II. ea applicanda eſſe, quæ Lazius cit. in Emerbergiis in Bertholdo (quem unum hujus nominis ſolum adfert) commemorat, eum nempe a Rudolpho Cæſare in bello adverſus Ottocarum Ducem electum, tam ſtrenue rem geſſiſſe, ut ab Alberto I. Duce Auſtriæ contra *Henricum & Ibanum Comites in Güſſing* miſſus eos compeſcuerit, eorum caſtra ac oppida everterit, Auſtriæque de Hungaria adjecerit loca *Martersdorf*, *Kobelsdorf*, & *Eckendorf*, *Kobelsdorfium* dein ab Alberto conceſſum eſt Bertholdo huic: de quibus plura tom. ſeq. ubi Bertholdi I. egregie geſta ſub Rudolpho & Alberto Auſtriacis exponentur fuſius.

Ejus geſta bellic.

Henric. & Iban. Com. de Güſſing.

Obtinuit Kobelsdorff in Hung.

Cæterum an *Bertholdus I.* an *II. de Emberberch* 3. Non. Nov. obierit, ut notat Necrol. Runenſe, ignoratur, annus enim adjectus non eſt.

Albertus I. de Emmerberg.

Albertus I. teſte Lazio, Alberto I. Auſtriaco, adverſus Comites *Haymburgenſes*, in Carinthia an. 1250. circ. auxilio fuit.

Albero.

Albero de Emmerberg, teſte eod. Lazio floruit circa an. 1314.

Et Frid. I. ac Amelr. de Emmer. Dietegus II. de Emmerberg. Halbenr. Perchtelſtein caſtra. Frid. II. Emerb. Arch. Salzb. Cat. uxor Laurent. de Wurmbr.

Fridericus I. & *Amelricus fratres* medio ſæc. 14. etenim an. 1349. hi duo fratres Græcii fidejuſſorias litteras dederunt Teutonicis Græcii, in quibus apertis verbis *fratres* dicuntur, teſte Lazio Fridericus hic an. 1408. poſſedit cum *Dietego II.* caſtra infer. Styriæ *Halbenrain*, & *Perchtelſtain.* Friderici hujus proles erant *Frider, II. Archiep. Salzburg.* & *Catharina Laurentio de Wurmbrand nupta*, de quibus paulo infra dicam.

Amelr. de Emerb. Cath. uxor. Frid. I. ej. frat. Albert. II. Diet. I. de Emmerb. Klech arx Styr. De Emmerberg Frid. II. Salzb. Archiep. 4. nom. Vorav. benefic.

Amelricus Druchſes de Emberberg cum *Catharina* uxore & hæredibus an. 1353. fundationes varias, *Voravii* eo anno ſer. S. vigil. S. Andreæ exiſtentes, fecerunt, quibus ibidem *Fridericus I. frater* præſens ſubſcripſit, ut ex docum. Vorav. & Chronico eodem ſuo loco dicetur.

Albertus II. Lazio teſte, & *Dietegus I.* an. 1320. Dominium *Klech* in Styria infer. poſſederunt. *Fridericus II. Emmerbergius* anno 1441. Archiep. Salzb. 40. & nomine *Frider. IV.* ibidem evaſit, obiit anno 1452. confirmavit Voravienſium fundos, eisque dedit Parochias *Fridberg* & *S. Laurentii*, ac privilegium Canonicos ſuos in Parochiis ſuis exponendi, v. an. 1161. & 1168.

Dietegus III. de Emmerberg. Caſp. a Lymb. Laut. a Stubenb. Emerberg caſtr. Georg. a Wolfenreut. Eliſ. filia Eraſm. D. de Scherffenb. ux. Leut. a Stubenb. ux. 1. Agnes de Petov. 2. Urſ. de Emmerberg.

Dietegus III. & ut cenſet Lazius, familiæ ſuæ poſtremus ex uxore *a Limberg*, filiam ſuſcepit, quam Luitoldus a *Stubenberg* conjugem duxit, ſicque caſtra ac ditiones Emerbergiorum in Styria obtinuit, arcem vero *Emmerberg* pone novam civitatem Duces Auſtriæ contulerunt nobili cuidam equeſtris ordinis *Wolfenreuter* dicto, hodieque tenet caſtrum id (ait Lazius cit.) *Georgii Wolfenreuter* filia, *Eraſmo D. de Scherpfenberg* juncta, ita Lazius; narrationi huic quoad omnia vix aſſentior, nam licet *Leutoldus a Stubenberg* an. 1453. Styriæ Capitaneus

neus teſte Hübnero tab. 716. poſt uxorem 1. *Agnetem Petovienſem* def. induxerit *Urſulam*, *Dietegi*, ſeu *Dietvigi* filiam, ſicque aliquot Emerbergiorum prædia obtinuerit; quamvis etiam Emmerberg arx Auſtriæ per nuptias *Eliſabethæ* Wolſenreuterin *Eraſmo de Scherffenberg* locatæ (v. Hübner. tab. 904.) huic obvenerit, cenſeo tamen titulos præſertim officiorum hæreditariorum in Wurmbrandios fuiſſe translatos; ita certo docet Wurmbrandius fol. 320. teſtis hac in re omni exceptione major. *dum enim*, ait ille, *ſub ſæc. 15. finem maſcula Emmerbergiorum progenies deficeret, Archimagyri Styriæ munus uti & Dapiferi, ad fœminas gentis Emmerbergiæ eſt devolutum, ac per matrimonium Catharinæ ab Emmerberg Frider. I. filiæ, ac Fridelici Archiep. Salzburg. ſororis, cum Laurentio Wurmbrandio de Stuppach contractum, in familiam Wurmbrandiam abiit munus Archimagyri; Fridericus Wurmbrandius horum filius eundem titulum geſſit, Archimagyri Styriæ, Melchior dein nepos cum turbis Auſtriæ & Styriæ a Walthero de Zebing & Ulrico de Peſniz cœptis involutus fuiſſet, bonorum omnium jactura punitus, per plures dein annos Archimagyri Styriæ nomen omiſit*, forſitan eo munere cum bonis ſuis privatus, donec *Carolus* filius an. 1578. eo munere a Carolo Archid. denuo confirmaretur. Ex quibus proin conciliandus eſt author Excell. Wurmbrand. cit. fol. 213. &c. docens, poſt *Dynaſtas ab Emmerberg*, *Dominos de Waltſee id muneris obtinuiſſe*, ut dicatur officium Archidapiferi Styriæ in Waltſejos, Archimagyri vero munus in Wurmbrandios tranſiiſſe.

Wurmbrandii ſiunt Styriæ Archimagyri ob Catharin. ab Emmeberg nuptam Laurentio a Wurmbrand. Frid d. Wurmb. Melchior de Wurmbrand, Walther. Zeb. Ulricus de Peſn. Carolus de Wurmbrand.

DD. de Waltſee Dapiferi Styriæ.

Theodericum & *Dietingum* an. 1420. floruiſſe Lazius cit. docet; quænam vero fuerit *Margaretha ab Emmerberg*, quæ in Necrol. Runenſi 8. Kal. Octobr. defuncta refertur, non conſtat.

Theodericus & Dietingus de Emmerberg.

31. Et ultimus hujus diplomatis teſtis eſt *Albert de Lochuſe*, v. annot. dipl. 6. cætera omnia concordant.

Ad Diploma 59.

Ad Diplom. 59.

Seizenſium fundator Ottocarus V. & idem erat, qui Canonicorum Voravienſium. Pyſſimus hic Princeps auxilio Alexandri Papæ Cartuſienſes fratres adduxit in *Marchiam*, ſeu *Styriam inferiorem*, ditionis ſuæ, eosque in loco, qui tunc *vallis S. Joannis* dicebatur, collocavit. Quoniam autem fratres Cartuſiani primi peregrini eſſent, ex alienis terris advecti, nec morem gentis noſſent, nec terram, utrum fæcunda, multo minus acceperunt, quam Ottocarus V. ejus dare voluerat, rigidi nempe paupertatis votivæ cultores. Mortuus eſt interea Ottocarus V. & poſt mortem ejus Cartuſiani Seizenſes in tantam devenerunt penuriam, quod locus pene fuerit deſtructus.

Marchia, ſeu Styria inferior.

Ottocarus VI. dignus tam benefici Patris filius, illico medelam attulit, atque ad eorum reſtitutionem citius manum porrexit, *ad 12. modios ſalis in Grauſchar ad 20. maſſas ferri in Leoben, & unam Saumam olei ibidem, ad 19. menſuras melis in Tyver*, aliaque quamplurima ab Ottocaro V. donationi addidit, *cutes & pelles omnes, quorum carnes cum ſuis conſumpſerit in 3. Præpoſituris Marchpurg Rackerſpurg & Tyver, exceptis ſolis Dominicis diebus, & tribus diebus in natali Domini & Paſcha, ac Pentec.* Adjecit præterea *villam Sitz*, contiguam Monaſterio cum omnibus ſervis & ancillis (ſeu ſubditis) item omnia, quæ Principis erant in villa

Ottocari VI. beneficentia in Seizenſes.

Eleemosinæ ab Ottoc. V. constitutæ.

Rogotz cum uno manſu in *Oplonitz*. Præterea voluit eisdem fratribus ſingulis annis dari 8. marcas de eleemoſynis Patris ſui nempe *Gretz unam*, *Rackerſpurg unam*, *Marchburg unam*, *Rogotz unam*, *Tyver unam*, *Dirnſtein unam*, *Leſcenech dimidiam*, *in Judenburg dimidiam*, *in Leuben dimidiam*, *uti & in Saxenfelde*. Idem donec perficiatur integra Monaſterii ſtructura, ſingulis annis eisdem providit de 15. marcis.

Præterea his contentus non erat, addidit *1mo* paſcua per terram omnem ſuam tam in alpibus, quam in campis planioribus. *2do* conceſſit Miniſterialibus ſuis, ut libere eisdem donare & prædia conferre poſſent. *3tio* Confirmavit, & inſeri voluit huic diplomati donationem piſcationis per totam aquam *Oplonitz* & *Treunam* factam a tribus fratribus *Ortolpho*, *Ottocaro*, *ac Leopoldo de Gonowitz*. *4to* Tulit præceptum, ne quis terminos horum Eremitarum venationibus, piſcationibus, paſcendis pecoribus, lignis cædendis, vel aliis tumultibus ingredi, ac eorum quietem perturbare præſumeret, transgreſſores vero præcepti hujus vult, ut advocato Seizenſi, ſi liber & Miniſterialis ſit, 10. libras, ſi vero de ordine plebejo ſit, 30. ſolidos perſolvant. *5to* Statuit, ut loci hujus advocatia ſemper penes ſe, & Principem terræ maneat. *6to* Tandem concedit, ſi ſuis in fundis, argentum vel ſimile metallum invenirent, id libere poſſidere, & fodere valerent. Ita ſanxit Ottocaris VI. ante Eccleſiam in Rackerſpurg, ibidemque diploma hoc multis præſentibus coram ipſo Ottocaro VI. eſt lectum.

Oplonitz & Treunaſt. Styr. Ortolph. Ottoc. & Leap. fratr. de Gonowitz.

Marchia id ac Styria inſer.

Grauſchar locus idem ac Gruſch.

Leobii ferrum olim excoctum.

Tyver loc. Styr.

Wildenſtein de Com. Juliana nata de Vötter.

Seiznom. an lepone a villa Sitz deſumptum.

Rogotz villa eadem cum Rochitſ. ſeu Rugandone.

Oplonitz vicus Styriæ.

Ottoc. V. eleem. conſtitutæ.

Varia occurrunt hoc in diplomate conſideratione digna, & 1. jam Diſſert. 1. dictum eſt Marchiæ nomine Styriam inferiorem venire, quod hocce diplomate denuo convincitur. 2. *Grauſchar* locus, ex quo 12. modii ſalis Seizenſibus aſſignati ſunt, videtur eſſe idem cum caſtro *Gruſcarn*, in quo circa an. 1162. Ottoc. V. donavit Admontenſibus alpes Scobern in Styria ſuper. non procul a Judenburgo & Eppenſtein, v. annot. dipl. 21. 3. *Leobii* olim excoctum & conflatum ferrum optimum dixi Diſſert. 1. *Tyver* eſt Styriæ inferioris oppidum cum bina arce, in qua olim Præfectura Principum noſtrorum erat, infra Celejam ad fluvium Saanam adjacet, cui ibi pons incumbit. Sæc. prioris fine erat Illuſtriſſimæ DD. *Julianæ Comitis de Wildenſtein* ex familia de Vötter nata. 4. Villam *Sitz*, unde hodie probabilius Seizio nomen additum, cum antea ex hoc dipl. ſemper *vallis S. Joannis* fuerit dictum, eundem cum Monaſterio fere ſitum habet, hinc jam in Chronologia hæſi, an Monaſterium Seizenſe a lepuſculo in ſinum dormientis Ottocari fugitivo, Vindis Seiz dicto, an a villa Sitz eis anno 1182. ab Ottocaro VI. donata obtinuerit; illud ex diplomatibus Seizenſ. conſtat, Monaſterium hoc ante an. 1185. nunquam *Seizium*, ſed *vallem S. Joannis* fuiſſe dictum. 5. Villam Rogotz eandem fors cenſeo cum Rochitſch, ſeu antiqua Ragandone, de quo dictum diſſert. 1. oppidum eſt, cum arce cognomine monti adſito inſidente. *Oplonitz* vicus non procul diſſitus cum fluviolo ejusdem nominis, in quo uti & in *Treuna* piſcatio Seizenſibus eſt collata. *6to* Eleemoſynas, quas Ottocarus V. in remedium animæ ſuæ, etiam poſt mortem ſibi conſtituit, dandæ erant ex 8. locis tum Principi terræ propriis, nempe ex Grätz, Rackerſpurg, Marchburg, Rogotz, ſeu ut ſuſpicor Rochitz, Tiver, Dirn-

Dirnſtein, (arce circuli Judenburgenſis nunc Epiſcopi Gurcenſis, v. annot. dipl. 7.) *Leſcenech* (qui locus me hactenus latet) Judenburg, Leuben, & Sachſenfeld, de quibus Diſſert. 1. dictum, his itaque ex eleemoſynis in pauperum uſus ab Ottocaro Patre deſtinatis, aſſignavit filius Ottocarus VI. marcas 8. ſingulis annis, atque de ſuo adjecit ſingulis annis 15. marcas pro ædificii perfectione: reliqua difficultatem non habent. De Ortolfo, Ottocaro, ac Leopoldo de Gonovitz, v. annot. dipl. 34. Teſtes jam allegati ſunt explanandi; horum

1. *Otto de Chuneſperch*, v. annot. dipl. 58.

2. *Henricus de Trus*, ignotus, niſi fors legendus ſit *Henricus de Brüs*, de quo egi in dipl. 34. annot. *Henr. de Trus.*

3. *Leutvving de Sunenberg*, v. annot. dipl. 6.

4. *Henricus de Buten*, v. annot. dipl. 4.

5. *Leopoldus frater Ducis*, v. annot. Diſſert. 4. cap. 6. §. 9. ubi oſtendi Ottocaro V. nullum filium Leopoldum, nec fratrem hujus nominis Ottocaro VI. fuiſſe.

6. *Dietmarus*, & *Ulricus frater ejus de Putinovve*, v. annot. dipl. 4.

7. *Arnolphus de Ruſtorff*, ignotus & hoc unico in diplomate hactenus viſus. *Arnolph. de Ruſtorff.*

8. *Arnolphus de Wartenberg*, v. annot dipl. 6. & 47.

9. *Otto Sun* & *filii ejus Duringus*, *Otto*, *Henricus*, & *Hergungerus*, v. annot. dipl. 6. in DD. de Feiſtriz.

10. *Poppo de Clam*, v. annot. dipl. 4. & 6.

11. *Bertholdus de Stegne*, v. annot. dipl. 36.

12. *Rudolphus de Quindeberc*, lege *de Chindeberch*, v. annot. dipl. 47.

In fine diplomatis, quia Seizenſe Monaſterium in diœceſi Patriarchæ Aquilej. nunc Goritienſis Archi-Epiſcopi ſitum erat, adducitur *Gödefredus Patr. Aquilej.*

Ad Diploma 60. *Ad Dipl. 60.*

Deſumptum eſt hoc diploma ex cod. Admont. dipl. num. 86., refertque fatalem caſum de *Wielando proprio*, ſeu *ſubdito*, ac *fideli Ottocari Ducis*, etenim hic Wielandus a malignis quibusdam excœcatus, cum uxore ſua Juditha habitum religionis in Admunt petiit, ac obtinuit, ut parem beneficio gratiam referret, Monaſterio Admontenſi ambo conjuges 5. *manſus in Chravvat*, ſeu *Crauvvath* ſuperioris Styriæ, quorum duo in curtem redacti ſunt, & in Auſtria apud *Wurvela* curtim unam cum dimidio manſu donarunt: adjecerunt etiam in Auſtria duas vineas & vini amphoras (quas vulgari lingua *Stechaimper* vocant) 4. quæ ſibi antea inibi perſolvebantur: *Stechaimper* nomine venire cenſeo jus illud, certam vini menſuram ſeu decimas quaſi a cauponibus exigendi, quod modo Weintätz vocare ſolemus, unde adhuc hodie dicitur den Wein beſtechen. Præter hæc donarunt Monaſterio Admontenſi ibidem, ſeu in Auſtria ſylvam ad *Eichberge* dictam, & vendicationem prædii pro 16. marcis ſibi a quodam Henrico depoſiti, & impignorati. *Aichperga* arx eſt ſuper. Auſtriæ non procul *a Weſne-Urſar*, in amœna plamitie ab an. 1548. Comitum de Salburg. De Aichberga Styriæ arce alibi erit ſermo. Idem Wielandus cum uxore ſua Juditha dede- *Wieland fidelis Ottoc. VI. excæcatus ſit Monachus Admont.* *Stechaimper ſeu Weintätz.* *Aichberg locus Auſtriæ.*

dederunt Admontenſibus vineam unam bonam ad *Gumboldiskirchen* in Auſtria, vini præſtantia celeberrimum, & 8. mancipia.

Dubitabam olim ad dipl. 19. an non Wielandus hic e familia Dominorum Leobienſium fuerit, aſt cum *Wielandus de Liuben* anno 1210. adhuc teſtem diplomatibus variis ſe dederit, hic vero Wielandus hoc tempore jam Monachus Admontenſis fuerit, omnino diſtinquendi erunt. An vero hoc ei nomen proprium, an cognomen fuerit, omnino ignorare cogor. Inter teſtes occurrit.

Pillunger de Kirchaim. *Godefr. de Polh.* *Brig. de Marſp.* *Haug ſeu Hugo de Marſpach.* *Henr. & Godof. de Marſpach.*

1. *Pillungerus de Chirchaim: Kirchaim* villa eſt Auſtriæ, quam *Gotefridus de Polheim* an. 1330. dum *Brigittam de Marspach* uxorem duceret, dotis nomine ab *Haugio*, Brigittæ Patre, & Henr. & Gotofredo fratribus pro 20. libris denariorum poſſidendam pignoris jure nactus eſt, teſte Wurmbr. fol. 160. an hac ex villa ſe Domini hi Chirchamios ſcripſerint, oppido eſt controverſum; idem hic Pillungerus in dipl. inter mea 75. ad annum 1191. occurrit. Cæterorum nemo mihi notus.

Odalr. de Holzh.

2. *Odalricus de Holzhuſen, Miniſterialis Ducis Styriæ.* Exſtincta jam dudum hæc familia Styriæ, atque minus nota videtur fuiſſe, nam præter *Odalricum hunc Etich* etiam *de Holzhuſen* in quibusdam diplomatibus citatur.

Etich de Holzh.

Otto de Hartmarſtorff.

3. *Otto de Hadmarſtorff*, ſubinde etiam citatus, nullius nobilitatis, quia ſubditus Ducis.

Reinh. Vullaer.

4. *Reinbart Vullaer*, nullus etiam nobilitatis, quia proprius ſeu ſubditus Ducis.

Hartmann de Guetenberg. Caſtrum. Ottoc. VI. in eo ſæpius moratur.

5. *Hartmann de Guetenberch*, caſtrum Styriæ *Guetenberch* in circulo Voravienſi, nunc Græcenſi, ſubeſt modo Comitibus de Stubenberg, olimque celeberrimum fuiſſe convincitur, cum ipſe Ottocarus VI. comitantibus plurimis nobilium diverſa in eo præſens pertractaverit an. 1187. ut v. ex dipl. Göſſ. 11. 16. inter mea num. 71. 72. & 74.

Guetenb. caſtr. Carn. olim Glanz item in Francon.

Eſt & aliud caſtrum *Guetenberg* in Carniolia, olim *Glanz* dictum, nunc fere rudera ſolum exhibens, & Comitibus de Lamberg ſubjectum. In Franconia pariter exiſtere Baronum de *Guetenberg* familiam cum arce docet Lexicon univerſ. Baſileenſe.

Sermo mihi ſolum eſt de caſtro Styriæ Guetenberg dicto, ex quo ortam nobiliſſimam Guetenbergiorum familiam arbitror, non tamen ultra ſæc. 13. perdurantem, quos inveni hujus familiæ ſurculos, hic breviter ſubjungo.

A. Hartmannus de Guetenberg an. 1184.

B. Leutoldus 1187. ad 1205.

C. Ux. *Eliſabetha* 1187. † 1213. circ.

D. Ottilia Abb. Göſſ. an. 1188. ad 1230. &c.

E. Chunegund. mar. Wilh. III. Com. de *Hunnenberch* ante an. 1187. † circa

F. Gertrudes mar. Herrandus I. de *Wildonia* ante an. 1187.

G. Rudig. & Otto 1223. 1240.

Hartman. de Gutenberg.

A. Hartmannus hic nullo cæteroquin in diplomate mihi viſus eſt, præterquam hoc; frater fuiſſe videtur Leutoldi, cætera omnia latent.

Leutolduts de Guetenberg.

B. Leutoldus hic cum uxore ſua pluribus ſe locis manifeſtat, etenim Leutoldus hic, ut explanabitur in dipl. Göſſ. 11. & 16. inter mea num. 71. 72. 74. Göſſenſi Eccleſiæ, jus patronatus in *Eccleſiam S. Dionyſii*

nysii Martyris infra *Murænpontum* & *Leobium* ſitam, pleno jure donavit, cum jure patronatus *Eccleſiæ S. Viti in Prelep.* de quibus inferius dipl. cit. fuſius agetur. Id unum obſervo, anſam ſors donationi huic dediſſe filiam ſuam, Ottiliam Abbatiſſam Göſſenſem, ante annum 1206. defunctus videtur ex dipl. Run. 14. mox adducendo. *S. Diony. Eccl. inter inter Murænpon. & Leob. Monaſt. Göſſ. uti & Eccleſ. S. Viti in Prelep. Ottil. d. Guetenb. Abbat Göſſ. Eliſ. de Guetenb.*

C. *Eliſabetha nobilis matrona*, Leutoldi uxor ex citatis dipl. apparet. ſupervixiſſe viro ſuo probabile videtur ex dipl. Runenſi 14. an. 1206. a Leopoldo Duce dato, in quo idem Dux fatetur, *nobilem matronam Eliſabeth* de Guetenberg, pium viri ſui Leutoldi votum ſecutam, *alpes Neciſtl* dictas, Runenſibus recognoviſſe, & teſtamento confirmaſſe, quo proin anno Leutoldus maritus jam defunctus erat, ſimilem beneficentiam exhibuit Admontenſibus *Eliſabetha Guetenbergica*, dum eis prædium in *Feuſtritz*, ſeu quinque manſus cum molendino donavit, quam donationem an. 1206. idem Leopoldus Dux confirmavit, teſte annal. Campililienſi fol. 526. Quo anno vitam concluſerit, non conſtat an. 1260. jam defunctam, certum eſt ex teſtimonio *Ulrici de Wildonia*, quo teſtatur, aviam ſuam quondam, Eliſabetham de Guetenberg alpes Neciſtl donaſſe Runenſibus, v. dipl. Run. 14. in fine. Obiit ante an. 1214. ex dipl. Göſſ. 17. *donat alpes Neciſtl Runenſibus. Admontenſib. dat præd. Feuſtritz. Ulr. de Wild.*

D. *Ottilia de Guetenberg Comitiſſa*, I. hujus nom. Abbatiſſa Göſſenſis ordine IX. ex catal. Göſſenſ. Abbatiſſ. floruit circa an. 1188. filia prima Leutoldi, & Eliſabethæ, quam anno 1203. jam Abbatiſſam Göſſenſem fuiſſe oſtendit dipl. Göſſ. 14. in quo Eberhardus Salzb. Archiep. Leopoldus Dux Auſtr. & Styr. teſtantur, Ottiliam Abbatiſſam in eorum præſentia querelas contra *Udalricum de Stubenberg* militem, Advocatiam Göſſenſem uſurpantem depoſuiſſe. Erant autem ambo Eberhardus Archiep. & Leopoldus Dux eo anno Friſaci, quo ſe proin contulit Ottilia Abbatiſſa, ex dipl. Göſſ. 17. de quo infra pluribus, eadem Ottilia Abbatiſſa Göſſenſis, & filia Eliſabethæ de Guetenberg in placito ad *Feldkirchen*, & *Græcii* adfuiſſe videtur, v. dipl. id ad an. 1214. An eadem Ottilia I. præfuerit adhuc an. 1230. (quo Frider. II. Imp. Göſſenſia privilegia confirmans ait, Ottiliam privilegium aliquod ſibi exhibuiſſe, v. dipl. Göſſ. 12. & eodem an. 1230. Gregorius IX. P. *Ottiliæ Abbatiſſæ*, & ſororibus in Göß, bona omnia confirmat, v. dipl. Göſſ. 83.) incertum eſt, nam catalogus Göſſenſ. Abbat. apud Frælichium dipl. S. Duc. Styr. part. 1. fol. 133. inſertus, Ottiliam II. annis 1203. 1230. præfuiſſe in Göß, atque inter Ottiliam I. de Guetenberg, & Ottiliam II. ponit *Catharinam Truvavverin* Abbatiſſam X. ſed ne ordinem Abbatiſſarum, & ſeriem impugnem, cenſeo ex dipl. Göſſ. 17. ad an. 1214. dato, dicendum, Ottiliam Abbatiſſam, quæ filia dicitur Eliſabethæ Guetenberg., quæque proin Ottilia I. non II. dicenda eſt, ad annum uſque 1214. præfuiſſe, cui deinceps defunctæ, Catharina X. Abbatiſſa, ac huic Ottillia II. ordine 11. Abbatiſſa ſucceſſit, de qua privilegium Frider. II. Imp. & Gregorii IX. Papæ intelligendum venit. *Ottil. I. de Guetenb. Abbat. Göſſ. Friſaci an. 1103 conquerit. contra Udalr. de Stuben. Uti & Græc. & in Feldkirchen. Cath. Truvawerin Abb. X. Göſſ.*

E. *Chunegundes* filia altera Leutoldi & Eliſabethæ de Guetenberg uxor fuit *Wilhelmi III. Comitis de Hunnenburch*, de quo v. annot. dipl. 4. & 6. & quidem non circa annum 1210. ut ſentit Frælichius ſpecim. *Chun. de Gutenb. ux Wilhel. III. Co. de Hunnenb.*

Geneal. Souneck. fol. 36. ſed jam ante an. 1187. nupta. Diploma enim Göſſenſ. 11. jam meminit maritorum Cunegundis & Gertrudis, nempe Wilhelmi Hunnenbergici, & Herrandi Wildonii, ad an. 1187.

Obiit circ. 1240 de ea etiam loquitur dipl. Göſſ. 14. quo anno obierit? incertum, illud ex repertorio Auſtriaco MS. part. 3. fol. 963. certum Wilhelmum III. de Hunnenberg an. 1241. ſine uxore fuiſſe, quo ſponſam ſuam novam

Poppo de Peckah Hermannus Co. de Ortenburch. Mainhardus ac Kainach. *Popponis de Peckah* filiam, cedit filio *Hermanni Comitis de Ortenburch.* Lazius lib. 6. de migrat. gent. pag. 182. docens Wilhelmo huic uxorem fuiſſe, N. filiam *Mainhardi de Kainach*, intelligi ita debet, ut hæc ſecunda Wilhelmi hujus uxor fuerit, ac poſt an. 1241. quo ſponſam ſuam de Peckah ceſſit, in uxorem aſſumpta.

Gertr. de Guten. *F. Gertrudes* uxor Herrandi I. de Wildonia, & quidem ante annum 1187. ut mox in Chunegunde oſtenſum; reliqua de ea ex ſupradictis conſtant.

Rudiger & Otto *G. Rudiger* & *Otto* an ex hac familia fuerint? ægre conjicio inter teſtes dipl. Seccov. 42. ad an. 1223. reperiuntur.

Miniſteriales III. Eccleſiæ Salisburg. omitto, res enim noſtras non concernunt; locus datæ notitiæ, uti & dies deeſt.

Ad Diplom. 61.

Ad Diploma 61.

Diploma hoc ex archivo Voravienſi tranſumptum eſt, refertque id etiam Frælichius dipl. ſacr. Duc. Styr. part. 2. fol. 312. varia ex

Ottoc. VI. vol. quon. Styr. vend. eodem deteguntur: 1*mo* inſinuat Ottocarus VI. propoſitum ſuum olim conceptum, de vendenda Leopoldo Auſtriaco Styria, exceptis ſolum 300. manſibus pro ſalute ſua ad cœnobia a patre ſuo fundata, nempe Vorau, Seitz, ac *hoſpitale in Cerevvald*; 2*do* declarat ſe jam valde hoc

Ottoc. VI. an. 1184. grav. infir. anno 1184. infirmatum fuiſſe, ait enim *ex nimiâ noſtri corporis infirmitate* ſe Styriam vendere voluiſſe, ſed de his jam ad eos annos abunde actum eſt. 3*tio* demonſtrat inſignem ſuum erga Canoniam Voravienſem affectum, & quidem eo præcipue titulo, quod ea a patre ſuo piæ memoriæ fundata eſſet; comprobat proin affectum erga Vorarienſes ſuum,

Villæ Lavenz & Mülldorf donantur Vorav. dum optimas villas in marchia, ſeu Styriæ infer. ſitas *Laventz*, & *Mülldorff*, quæ nempe ad Ottocari VI. Dominicale ſpectabant, eisdem libere & in perpetuum tradidit; hæ tamen optimæ villæ ob expenſas

Nunc alienatæ. & ſubſidium Turcici belli ſub Ferdinando I. abalienatæ, hactenus pe-

Vorav. advocat. Principis terræ, nes collegium non exiſtunt. 4*to* Advocatiam Collegii Voravienſis voluit poſt ſe a nemine, niſi a Principe terræ, & absque exactione exerceri. 5. Concedit facultatem emendi & vendendi neceſſaria Monaſterii, atque ut nullus de Voravienſibus teloneum exigere præſumat. Ita diploma citatum, cui annexum eſt ſigillum Ottocari adhuc Marchionis Styriæ, nomina ſubſcriptorum teſtium in ipſo diplomate melius expreſſa ſunt, quam in litteris fundationis Vorav. quod proin diploma ad correctionem alterius deſerviet. Sunt vero hi teſtes ſubnotati:

1. *Herrandus de Wilonia*, v. annot. 53.
2. *Fridericus de Petovia*, v. annot dipl. 54.
3. *Liutoldus de Hochenſtouf*, v. annot. dipl. 32.
4. *Henricus de Steinberge*, v. annot. dipl. 32.
5. *Gundackar de Steinbach*, v. annot. dipl. 32.

6. *Rapo-*

6. *Rato de Puten*, v. annot. dipl. 4.
7. *Heinricus de Schvvarzach*, v. annot. dipl. 22.
8. *Gotſcalcus de Schirlinck*, & *frater ſuus Otto*, v. annot. dipl. 32.
9. *Duringus de Starchenberch*, v. annot. dipl. 14.
10. *Wilhelmus de Weigerberch*, v. annot. dipl. 32. in Wagingerberg.
11. *Udalricus ac Sigefridus fratres de Kranichberch*, v. annot dipl. 32.
12. *Carolus Pincerna*, ignotus.

Ad Diploma 62.

Ad Diplom. 62.

Ottocarum VI. hoc anno apud *Viſcha* egiſſe docet notitia hæc Admontenſis, etenim ibidem *Hartnidus de Orte* (v. annot. dipl. 13.) litem illam, quam ipſe & ejus Pater cum Admontenſibus habuerat de prædio Lampachowe, abdicavit, agente ibidem Monacho Admontenſi *D. Henrico Tockilær*, ut abdicatio litis firmior eſſet, Ottocarus ipſe teſtem egit, & ab illo

Ottoc. VI. Viſcha exſtit. *Hartn. de Orte.*

1. *Amilbertus de Lochuſen*, v. annot. dipl. 6.
2. *Luitoldus de Waltſtein*, v. annot. dipl. 7.
3. *Gundaccar de Liechtenſtain*, v. annot. dipl. 47.
4. *Herrandus de Wildonia*, & *frater ejus Richerus*, v. annot. dipl. 53.
5. *Henricus Bohemus*, hunc nobis vividioribus coloribus depingit diploma Admontenſe 121. inter mea num. 74. in quo *Mareſchallus Ottoc. Ducis Styriæ* vocatur. Herwici Boemi nec Bucelinus, nec Hübnerus aliusve meminit, ſolusque Herwicus hic ex Boemorum familia viſitur: an cognomen hoc ei a Bohemia, unde vel ortum traxit, vel in terras noſtras advenit, datum fuerit? ignoro, id ſolum ex dipl. Admont. 121. inter mea num. 74. conſtat, Herwicum hunc anno 1188. antequam Jeroſolymam abiret, munificum fuiſſe Admontenſibus, delegando poſt obitum ſuum cum licentia Ottocari Ducis prædium ſuum totum ad Weltwenbach cum Eccleſia adjacente. Certum vero eſt ex dipl. inter mea num. 74. Herwicum hunc Bohemum Mareſchallum Ottocari Ducis fuiſſe. Cum vero ſæpius dictum ſit, Wildonios ab Ottocarorum tempore Mareſchallos Styriæ fuiſſe, ut hæc rite concilientur, dicendum erit, Herwicum Bohemum fors aulæ Mareſchallum Ducis noſtri vel pro itinere & expeditione Jeroſolymitana delectum fuiſſe, Wildonios vero hæreditarios ſolum Styriæ Mareſchallos egiſſe, plura ad an. 1188. ex dipl. 74.

Herwic. Boem. Mareſch. Ottoc. VI. Styr. Duc. *An. 1188. abit Jeroſol.* *Benefic. Adm.* *Dynaſtæ de Wildonia an a temp. Ott. Mar.*

6. *Poppo de Clame*, & *frater ejus Wigandus*, v. annot. dipl. 4. & 6.
7. *Dietmarus de Pittinovve*, & *frater ejus Udalricus*, v. annot. dipl. 4.

Locus adjectus non eſt; colligitur tamen in Viſcha hæc geſta fuiſſe.

Ad Diploma 63.

Ad Diplom. 63.

Eodem circiter tempore Ottocarus VI. apud *Chrungilſee* poſitus, ad preces Admontenſium annuum exactionis debitum *apud Ennsthall* hominibus, ſeu Admontenſium ſubditis ad tempus vitæ ſuæ remiſit. *Chrungilſee*, nunc Grundlſee ſupra Außee in extremis ſuper. Styriæ partibus invenitur, cujus rei cauſa Ottocarus eo abierit? non conſtat. Teſtes erant

Ottoc. VI. in loc. *Chrungilſ. Adm. benefic.* *Chrungilſee hod. Grundlſee.*

1. *Adilbertus de Eppenſtain*, v. annot dipl. 37.

2. *Richerus de Wildonia*, v. annot. dipl. 32.
3. *Ortolfus de Gonvitz* seu *Gonovitz*, v. annot. dipl. 34.
4. *Lantfridus de Ramenſtain*, v. annot. dipl. 8.
5. *Liupoldus frater Ducis*, v. annot. dipl. 59.
6. *Ulricus de Putinovve*, v. annot. dipl. 4.
7. *Hervvicus Boemus*, v. annot. dipl. 62.
8. *Fridericus de Mirſtorf*, v. annot. dipl. 7.
9. *Ottakir de Stange*, v. annot. dipl. 14.
10. *Marquardus de Linte*, v. annot. dipl. 44.

Siboto & Richerus Bawarq.

11. *Siboto Bavvarus*, præter hunc etiam Richerus Bawarus, in quibusdam dipl. invenitur, cognomen ei a Provincia Bavariæ obvenerit, cætera ignotus eſt.

Dietmarus de Wizinkirchen ſeu Weiskirch.

12. *Dietmarus de Wizinkirchen*, ſeu *Weiskirchen*, veteres enim ly *Weiſs* per *Wizi* exprimebant, uti videre eſt ex plur. dipl. præſertim fundat. Vorav. ubi pro *Weiſs-Lafniz* ponitur *Wizilafniz*, & pro *Waiſenbach*, *Wizenbach*, ut v. dipl. 69. anno 1300. ex dipl. Göſſ. 22. jam *Dietmarus II. de Weiſſenkirchen* invenitur. Dynaſtæ hi, ſi exſtitere, obſcuræ ſunt originis, etenim licet Domini de *Weiſſeneck*, *Weiſſenbach*, *Weiſſenberg*, *Weitzenſtain* ſeſe ſæpius inſinuent, nullum tamen hactenus Dominum de Weiſſenkirchen reperire poteram; ſunt quidem trina loca hujus nominis in Auſtria, ſed vilia admodum; in Styria noſtra ſuperiore etiam invenitur *Weiſskirchen S. Viti Parochia*, Monaſterio Lambertino unita, ſed nulla Dynaſtia, vel adjectum ejusdem nominis Dominium: ut adeo ſuſpicer, & Ditmarum hunc & illum de anno 1300. ex dipl. Göſſ. 22. nomen *Weiskirchen*, a loco unde citatus eſt, non a dignitate, vel familia fuiſſe ſortitum.

Weiskirchen locaxaria Auſtriæ & Styriæ.

Wolfgangus de Gruſchkarn. Caſtrum. Hiltegrinus & Otto de Gruſc.

13. *Wolfgang de Gruſchkarn*, jam in annot. dipl. 21. & 59. dictum eſt, exſtitiſſe in Styria caſtrum *Gruſcarn*, a quo Domini hi derivandi videntur, plures eorum exſtitere, etenim *Hiltegrinus & Otto de Gruſcharn* in dipl. Admont. cod. num. 115. ad an. 1191. circiter invenitur. *M. Ulricus de Gruſcharn* an. 1248. teſtis fuit dipl. 3. Admont. apud Frælich. p. 2. dipl. fol. 226.

14. *Ulricus*, civis Hallenſis.

Ad Diplom. 64.

Ad Diploma 64.

Ottocar. VI. in Rackerſp. exiſt. Seizenſibus benefacit.

Ottocarus VI. 5. Kal. Octobr. in *Rackerſpug* conſtitutus, denuo Seizenſibus munificum ſe præbuit; etenim non ſolum vetera a ſe & patre ſuo donata firmavit, ſed nova etiam adjecit, & 1. quidem voluit, ne quis contractus, donatio, ſeu injuriæ remiſſio, vel compoſitio circa invaſores hujus fundationis Seizenſis, teneat ſine communi conſenſu Prioris, & fratrum Seizenſium. 2. Ne quis hominem ca-

Seizenſe hoſpit.

pere, occidere, ignem apponere, *intra clauſtrum ipſorum & hoſpitale* (quod forſitan a fundatione adjectum erat pro peregrinis tum copioſe in terram ſanctam abeuntibus) temere præſumat, vel fratres aut homines ſeu ſubditos eorum ad aliquas præſtationes vel operas in muris foſſatis, calce coquenda, vecturis vel aliis operibus compellere ad publica ſervitia præſumat. 3. interdicit ſeveriſſime, ne quis officialium vel judicum ſuorum, exercendis judiciis contra homines ſeu ſubditos

Sei-

Seizenſes, ſe immiſceat, niſi rogatus, exceptis tamen civitatibus, oppidis, & aliis locis Principalibus, ubi de more vel a Principe vel ab hujus officialibus cauſæ ſolent agitari. 4. Si in cauſis huj. modi effuſio ſanguinis cum morte contingat; & cauſa ad publicum judicium deducatur per querelam (niſi præmiſſo legitimo examine conſtiterit, utrum livore malitiæ, ſeu animo ulciſcendi, vel cauſa propulſandæ injuriæ, delictum factum fuerit) contra reum non procedatur, præſertim, ſi reus bonis cedat, nec unquam officiales Principis reum expetant, niſi publicus latro vel fur fuerit, vel alio damnato crimine maculatus. 5. Concedit Seizenſibus ſubditis in ſylvis, paſcuis, aquis, piſcationibus cum ſubditis ſuis, ubique plenam communionem habitam ex antiqua conſuetudine, vel alias jam præſcriptam. 6. Inhibet, ne quis homines eorum, ſeu ſubditos Seizenſes, exactione, ſteura, vel tributis perſolvendis de rebus ſuis, quas conſervandas vel vendendas ad publica fora inferunt, ſeu emptas deferunt, aliqualiter audeat perturbare. Hæc eſt ſumma diplomatis. Teſtes erant

1. *Otto de Kunegsberg*, v. annot. dipl. 58.
2. *Dietmarus de Butenovve, & Ulricus frater ejus*, v. annot. dipl. 4.
3. *Rudolfus de Chienenberg*, v. annot. dipl. 47.
4. *Arnoldus de Wartenberg*, v. annot. dipl. 6. & 47.
5. *Leutvnicus de Sumenberg*, v. annot. dipl. 6.

Ad Diploma 65.

Ad Diplom. 55.

Diploma hoc in originali Voravii exſtans, excerptum videtur, ex illa univerſali traditione Ottocari in Leopoldum Auſtriacum collata; deſignat itaque, mutata de Styria venditione, mente ſua, hæredes ſibi in Ducatu Styriæ ſucceſſuros, Ducem Auſtriæ Liupoldum conſanguineum ſuum, ejusque filium Fridericum, ſi ſibi ſupervixerint, deſignat Miniſterialesque more Miniſterialium proprios, jure proprio rum donat; excipit tamen 500. manſus pro ſalute ſua donandos, item petitiones, & advocatias Monaſteriorum a prædeceſſoribus, & parentibus ſuis fundatorum, vultque, ut ea Dux ipſe in defenſione clementi ſine ſubadvocatis manuteneat, atque ut jura Miniſterialium ſuorum ac comprovincialium, uti ſcripto comprehenſa ſunt, illibata maneat. Inſinuat tandem ſe diſpoſitum ad remittendum ea, quæ vel a ſe, vel patre ſuo Monaſteriis aut Miniſterialibus per violentiam magis, quam per juſtitiam ablata fuerant vel retenta.

Ottoc. VI. mutat ment. de vendenda Styria, Leop. Auſtr. hæredem deſignat. 502. manſos Monaſt. legat.

Actum hoc dicitur apud *Aneſim forum* in monte S. Georgii 1186. die 16. Kal. Sept. proin eodem anno, loco, die, quo donatio ſeu traditio Styriæ facta eſt, in Leopoldum Auſtriæ Ducem, de qua v. dipl. ſeq. ut adeo omnino excerptum hoc diploma videatur, ex illa traditione & donatione univerſali Styriæ; etenim Ottocarus VI. Dux ſpeciales etiam chartas miſit Monaſteriis, quibus hæredis ſui deſignationem, & ſuam in ſacra loca propenſionem ſatis manifeſtavit. Diploma hoc vidimatum eſt an. 1501. die 25. Jan. a Colomanno Abbate Novimont. ſub Virgilio Præpoſito noſtro, vidimus deſuper, exſtat in archivo Prælaturæ Vorav.

Ad Diplom. 66. *Ad Diploma 66.*

Ottoc. VI. Styr. donat Leop. Auſt. Sequitur tandem diploma donationis Styriæ ab Ottocaro VI. Leopoldo Auſtriaco factæ, quam Puſchius & Prevenhueberus, aliique adferunt. Ottocarus etenim videns, ſe hærede privatum, ut ſuis provinciis conſuleret, ſolenni traditione, ſolenni in loco monte S. Georgii nempe, penes *Anaſim forum* facta, ubi omnes ſui Miniſteriales convenerant, Ducatum Styriæ in Auſtriacos Leopoldum, & Fridericum transtulit, ſi ipſe ſine hærede decederet; ex quibus Ottocari jamjam infirmi verbis Diſſert. 4. in Ottoc. VI. collegi, non omnem ſpem Ottocaro fuiſſe ademptam hæredis obtinendi, proindeque eum deſponſatum ſaltem fuiſſe, ac matrimonium certius conſummaturum, ſi morbus remiſiſſet.

Cauſæ cur Ottoc. VI. Styr. Auſtriacis donaver. Cauſa donationis Styriæ Auſtriacis factæ erat: 1. Quod *Provincia ejus* Liupoldi ſeu Auſtriæ, *noſtræ* ſeu Styriæ *ſit contigua, ſicque ſub unius Principis juſtitia facilius valeat utraque*, Styria nempe & Auſtria *moderari.* 2. Quia Leopoldum ſibi crediderat *amiciſſimum*, confidatque eum *nil mali in nos & noſtros moliri.*

Cavet privilegiis ſuorum Miniſterialium. *Primo* vero omnium præcavet Miniſterialibus & Comprovincialibus ſuis, quorum proin jura ſcripto hoc comprehendit, ac privilegio ſuo muniit, quæ paulo infra declarabuntur. *2do* Statuit, ut Leo-

Vult Ducatum Styriæ ab eo regi, qui Auſtriæ præerit. poldus Auſtriacus, ejusque filius Fridericus Ducatum Styriæ non amittant, etiamſi regni gratiam amiſerint, hæredesque eorum, qui Auſtriæ Ducatum obtinuerint, etiam Styrenſem Ducatum teneant, cæterique fratres eorum de hoc litigare non poſſint. *3tio* Advocatias Monaſteriorum a parentibus ſuis fundatorum ſine ſubadvocatis manuteneant.

Advocatiæ Monaſt. liberæſtnt. *Jura Miniſter. ſuorum.* *4to* Munitiones, terram & Miniſterialibus a ſe relictos integre poſſideant, niſi fors petitione parentum, ex multis Miniſterialis cujusdam filiis, unum contingat alio transferri, majoris emolumenti cauſa, quod tamen benigna Ducis permiſſione fieri oportet. *5to* Styri & Auſtriaci invicem matrimonia contrahentes, ejus Provinciæ jus habeant, in qua habitant. 6. Si unus de Styria obiret ab inteſtato, & de jure hæredis, ſanguine proximi, lis exorta fuerit, ea inter Styros credibili probabilium & certarum perſonarum dirimatur judicio ac teſtimonio. Idem eſt de alia querimonia eodem modo coram judicibus ſuis dirimenda. 7. In beneficiis nullam moleſtiam ſuſtinere cogantur. 8. Beneficia ab aliis Dominis acquiſita, ſi dein a Duce emantur in proprietatem, ei non auferantur, qui jure beneficii eadem poſſidet. 9. De prædiis Duci Auſtriæ poſt obitum Ottocari deſignatis, ſi interim quodpiam horum Ottocarus, uni ſuorum Miniſterialium dederit, illud eidem ratum eſſe decernit. 10. Miniſteriales Styriæ facultatem habeant prædia ſua, alteri vendendi, vel etiam gratis tribuendi. 11. Iidem Miniſteriales Styriæ licentiam habeant prædia ſua alteri vendendi, donandi, vel converſionis habitum ſuſcipiendi in Monaſteriis Traunkirchen, Gärſten, Glunick, Admont, Seccau, Vitring, St. Paul, Oßiach, Runæ, Seiz, Vorau, Cerewald, Lambach, Vornbach, S. Lamberti. 12. Cujus lis coram ſe Ottocaro nondum finita fuit, eam terminare poterit coram Duce Auſtriæ. 13. Dapiferi, Pincernæ, Camerarii Mareſchalli de partibus

tibus terræ Styriæ, intranti Styriam Duci Auſtriæ ſinguli cum ſuis ſubditis ſerviant per officia ſua, quo Ottocaris antea, petenti vero curiam Imperatoris Duci Auſtriæ, vel in expeditionem eunti, dicti officiarii paribus hebdomadibus, paribusque diebus, & ſumptibus ſerviant, ſicut Auſtriaci. 14. Ab infeſtationibus & exactionibus per Præcones Auſtriæ fieri ſolitas, Styria ſit exempta. 15. Si quis Ducum, ſucceſſorem ſuorum, clauſtrales ſeu Regulares, & Miniſteriales, ac Comprovinciales ſuos dure habere, eos affligere, & tyrannum in eos agere præſumpſerit, illi jus habeant Imperatorem adeundi, & juſtitiam ibi per hoc privilegium petendi. 16. Qui Eccleſiam conſtruere in fundo ſuo, vel Parochiæ aliquid conferre voluerit, id libere poterit. 17. Capellani & Clerici Ducis Styriæ ſeſſionem ei proximam in menſa, ſicut a Patre Ottoc. V. habuerunt, poſthac habeant, & de hoſpitiis ſuis per Mareſchallum non expellantur.

Atque hæc eſt donatio, atque translatio illa ſolemnis Ducatus Styriæ, ab Ottocaro Duce in Auſtriacos Babenbergicæ lineæ facta, qua Comitatus etiam Styriæ, Puttinenſis, aliæque terræ in Auſtriacas manus devenerunt, non tamen adhuc Auſtriæ inſertæ ſunt. Datum eſt diploma an. 1186. die 16. Kal. Septembr. *in monte S. Georgii apud Aneſum forum.*

Teſtes porro aliter a Puſchio, atque aliter a Prevenhuebeeo fol. 17. & 400. adferuntur, ſingulos exponam, & quidem primo ex Puſchio parte 2. fol. 29. &c.

1. *Conradus Comes de Peilſtein*, Comites hi ex Bajoaria in Auſtriam deveniſſe videntur, Sundheimius in Genealogia S. Leopoldi Auſtr. ait, quartam hujus Leopoldi filiam a Patre nuptui traditam cuidam Comiti Bavariæ, *Conrado* cognom. *Hirſuto*, teſte Lazio, germanice Rauch, & Comiti Ratisbonenſi, cui dein pro dote datus eſt Comitatus Peilſtein cum attinentibus, Conradus hic a Conrado, in diplom. hoc citato diſtinctus eſſe debuit, utpote prope ſæculo anterior, conjugis, ſeu filiæ S. Leopoldi nomen conſtat ex Necrol. Campilil. ubi 16. Kal. legitur: *Eufemia Comitiſſa de Peilſtein ſoror ſundatoris S. Crucis*, teſte Sundheimio, at, quoniam torus fæcundus non erat, Cumitatus de Peilſtein ad Auſtriacos iterum rediit, an. 1136. ſubſcripſit dipl. fund. Clauſtroneob. apud Hieron. Pez tom. 1. fol. 617. Idem Advocatus erat Salisburg. & Reicherſpergenſis Eccleſiæ, imo Comites hi Aquilejenſes etiam Advocati erant, Conradum itaque hoc in diplomate ſubſcriptum, arbitror, fuiſſe hujus nominis II. ne ætas unius nimis extendatur, præter Conradum *Sigefridus de Pilſteine* circa an. 1153. in dipl. cod. Admont legitur num. 25. uti & in diplom. Eberhardi Archiep. Salzburg. dato in quadam querela Gerhardi Præpoſ. Reicherſperg. eodem an. & *filius Conradi II.* hic citati dicitur in diplom. Eberhardi Salzb. dato Abbati Admont. *Bernardus de Peilſtein* circa an. 1170. & 1184. legitur in dipl. Admont. 4. & 7. *Hermannus de Pilſteine* ad an. 1241. ex dipl. Seiz. 30. Porro *Sophia Comitiſſa de Pilſteine*, quæ teſte Chron. Mellic. apud Hieron. Pez tom. 1. fol. 234. obiit an. 1176. uxor fuiſſe conjicitur *Conradi II.* & mater *Sigefridi*, an vero etiam Regin-

Conrad. I. Com. de Peilſtein.

Peilſtein Comit.

Eupbemia Auſtr. Ducisſa & Com. de Peilſtein

Conrad. II. Com. de Peilſtein.

Sigefr. de Pilſt.

Bern. de Peilſt.

Herm. de Pilſt.

Soph. de Pilſtein.

ginberti Episcopi Patav. vix constat, hic enim non ex familia Com. de Peilstein, sed de Hagenowe ortus fuerat.

Quampsurima de Peilsteiniis Lazius, sed imperfecte refert lib. 7. de migr. gent. fol. 317. &c.

2. *Sigefridus Com. de Hagenowe*, v. annot. dipl. 54.

3. *Henricus & Sighardus Comites de Scallach*, v. annot. dipl. 52.

Sigefr. & Otmarus Com. de Liubenowe an iidem cum Hochenwardiis.

4. *Sigefridus de Othmarus de Leubenowe*, Comites hos Bavaros, eosdemque cum Hochenwardiis docet Lazius lib. 6. de migr. gent. fol. 179. Lexicon universale Basileense, antiquam Misniæ familiam ex Helvetia oriundam tradit. Eam familiam, cum extra Patriam sit, referre opus non censeo; Sifridus hujus Pater fors fuerit, qui in Chron. Salzburg. apud Hieron. Pez tom. 1. fol. 340. ita refertur anno 1164.

Luitold. d. Plain Sophia Com. de Luibenowe.

Sifridus de Liubenowe, Liutoldus de Plain milites obiere. Sophia Comitissa de Liubenowe, in Necrol. Admont. 12. Kal. Nov. defuncta refertur. Existit etiam arx quædam Liebenau infra Græcium, a quo tamen familiam hanc profectam non opinor, cum arx hæc, antea Watterstorf, novissimis vero temporibus ob amænitatem loci dicta fuerit Liebenau.

5. *Luipoldus de Plejen*, v. annot dipl. 29.

6. *Chunradus de Dornberg*, v. annot. dipl. 48.

Albert. & Alram de Cham, iidem cum Vohburgensibus.

7. *Albertus & Alramus de Cham*, Prevenhueb. fol. 400. *de Chamke* & fol. 17. *de Clame* eos vocat: Genealogia DD. *de Clame* exposita est in annot. dipl. 4. & 6. DD. *de Cham* iidem, cum Marchionibus de *Vochburg* fuere, qui Dissert. 4. §. 6. in Ottocaro V. fuerunt deducti.

8. *Wernherus de Hagenowe*, v. annot. dipl. 54.

Wernhardus de Schaumburg. Arx Austriæ.

9. *Wernhardus de Schaumberg*, arx Austriæ *Schaumberga*, vel Schaumburg, in circulo Husrüggensi existens, sua vetustate multo celeberrima, mœnibus, quaternis turribus, ponte subductitio triplici, & triplici fossa est obvallata. Surgit in prærupto scopulo, ex sinistra Danubium aspectans, & tribus milliaribus Lincio occidentem versus declinans: familiæ Schaumbergicæ inter Austriacos & Styros etiam nomen suum contulisse videtur, quamvis teste Hübnero tab. 213. &c. & Lexico univers. Basileensi, familia ejus nominis Comitum in Westphalia, Franconia, Suevia exstiterit, de qua mihi sermo non erit. Prope arcem hanc existit urbs Austriæ *Efferdinga*, quam alibi exposui, ex hac arce Lexicon univers. Basileense Comites gentis Julbacensis derivat, qui eam an. 1367. ab Alberto Episc. Passav. pretio 4000. fl. emisse, & hæreditariam, ac avitam feciss dicuntur, sed teste authore Germ. Sacr. tom. 1. fol. 467. non arx Schaumburg, sed oppidum seu urbs Eberdingen Schaumburgicis Comitibus vendita est, hærebitque error in voce Julbach a Lexico univers. Basileensi assumpta, nam teste Hochenechio tom. 2. pag. 592. etiam Comites de Schaumburg, nomen Dominorum de Ilebach (non Julbach) tulerunt ab arce veteri Bavariæ ejusdem nominis, & dein diruta.

DD. de Ilebach iid. cum Schaumburgiis.

Antequam de illustrissima hac familia agam, arcis Schaumbergicæ fata breviter sunt commemoranda: anno 1380. & seq. Albertus Austriacus eam arcem obsedit, & contra *F. Henricum Comitem Schaumburgicum* bellum gessit, qui jurisdictioni Austriacorum se subtrahere nitebatur: de hac obsidione Chronicon Zwetlense recentius apud Hieron.

Schaumberg. arcis fata.

Pez

Pez tom. 1. col. 544. ita loquitur: *Anno Dom.* 1375. *idem Albertus obſedit caſtrum* Schaumberch, *in quo fuit Heinricus Comes in idem caſtrum injecta in parvulis vaſis multa ſtercora hominum de machinis, id eſt* Aurbe-rich, *ſed prædictus Dux nihil profecit; nam aliqui Barones ſui fuerunt proditores, id eſt,* Holbanger, *ſcilicet D.* Haidenreich *de Meiſſau, & quamplures Domini receperunt florenos in flaſculis a prædicto Comite, & ſalvaverunt ſibi caſtrum, & ſic prædictus Albertus Dux confuſe receſſit ab obſidione caſtri, & repatriavit, unde valde offenſus aliquos illorum Dominorum, qui fuerunt proditores, interemit; nam (ut dicitur a quibusdam) iſtum* Heidenreich *de Meiſſau truſit ad unum ſaccum, & ſubmerſit eum in aquis, & alios ſpoliavit bonis ſuis, præcipue Joannem de Liechtenſtain, qui fuit eodem tempore Magiſter curiæ, captivavit in civitate Gamunden juxta locum, & vinculavit eum, & poſuit eum captivum in caſtro, quod dicitur Pernſtain prope Kirchdorff, & abſtulit ei omne aurum & argentum, & omnia caſtra & villas, & Wiennæ in curia, quæ dicitur* Saumark, *& ſcutellas argenteas, & ſcyphos, & flaſcones, qui fuerunt inventi in ciſta magnæ æſtimationis, & nihil ſibi dimiſit, & dicitur a quibusdam, quod eum tandem in aquis ſubmerſerit.* Aliter tamen rem hanc narrat Haſelbachius Chron. Auſtriaco apud Hieron. Pez tom. 2. fol. 812. loquens enim de Alberto, ejusque ira concitatiore ita ſcribit: *Quod & Henricus Comes de Schaumberg medullitus ſenſit pro eo, quod a ſuis prædiis in Auſtria ſe non cohiberet, per ipſum in caſtro Schaumberg obſidione cingitur, & tamdiu concluſus obſidetur, ut tandem caſtro concuſſo, & ſtercoribus humanis undique per machinarum jactus in vaſculis uſque ad eos referto & infecto, prout ipſe talia jaciendo de caſtro, in papilionem Principis viam aperuerat, cogeretur caſtrum relinquere præ fœtore, & gratiam Principis quærere, quam & multis caſtris & poſſeſſionibus reſignatis tandem per mediatores pacis invenit.* Prevenhueberus etiam bellum & obſidionem hanc per Duces Bavariæ & Burggravium Norimbergæ conciliatam ſcribit, de de quibus alibi loquendi erit occaſio.

Heidenricus de Meiſſau.

Heidenr. de Meiſſau.

Joan. de Liechtenſtein captus in caſtro Pernſt.

Familiæ Schaumburgicæ originem plures a Babone Comite de Abenſperg & Scheiren deducunt, floruit vero ea adeo, ut ejus imperio totus fere circulus, ſeu quadrans, Hauſruck ſupra Onaſum Princeps ſubjaceret, primus familiæ Abenſpergicæ *Henricus* circa an. 1108. nomen ab arce Schaumberg aſſumpſit: plures dein poſſeſſiones in Auſtria nacti ſunt, præſertim caſtra, & oppida Comitum de *Peilſtein de Machland*: Genealogiam eorum adſero, & corrigo, ex Bucelino tom. 4. parte 2. fol. 70. quosdam eorum commemoro.

Schaumberg origo.

Henricus de Schaumberg.

GENEALOGIA

Comit. de Schaumberg Auſtr. & Styr. Mareſchallorum.

Ex Bucelino.

N. *de Julbach* ſeu *Ilebach* clar. an. 1030. uxor N.

Eberhardus Com. de *Ilebach* an. 1070. — *A. Henr. I.* Com. de *Schaumberg* an. 1108. ux. N. — N. filia Wolframi de *Dobrenge.*

Ratpoldus I. vel *Raſſoldus I. de Schaumberg* anno 1143. uxor N. — *Bernardus I.* Com. de *Schaumberg.*

Bernardus II. 1206. ex dipl. Run. 14. — *Adolphus* 1160. — *Henricus II.* uxor N. — *Henricus.*

Henr. III. Rudolf. I. Wilh. I. & Leop. I. & Otto improles. — *Hatmar & Holbolt.* — *Henr. IV.* ux. Hedwig Co. de *Plaven.* — *Leop. II. & Ratpold. II.* — *Ulric. II. & Bern. III. B.*

Bernard. IV. an. 1310. — *Henr. V.* ux. Mechtild. Com. de *Trubedingen.* — C. *Conrad. II.* * quos Bucel. negle- xit, an. 1353. 1356.

D. Frid. a. 1325. — *Leop. III. & Leop. IV* Ep. Friſ. — *D. Bern. V.* 1325. — *D. Henr. VI.* ux. Anna de *Trubedingen.* — *D. Rud. II.* 1325. — *D. Wilh.* a Bucelino omiſſi. — *Imagina II.* 1325. — M. Leop. Co. ab *Oeding.*

Adelheid. ux. 1. Herm. *Ortenburg* 2. Henr. *d. Roſenb.* — *E. Udalr. II.* ux. n. Burggr. Nori. 1362. † 1373. — *F. Henric. VII.* 1373. 1385. ux. Urſ. Co. *Gorit.* — *Rudolfus* Canon. Argent. — *Dorothea* M. Hadm. de *Laber.*

G. *Joan. I.* 1417. ad 1451. uxor Anna de *Polheimb*, — Mareſch. Styr. an. 1428. melius Anna *de Petau.* — *H. Georgius I.* Epiſc. Bambergenſ.

I. Sigiſm. 1465. ux. Barb. de *Walſee.* — *K. Bern. VI.* 1447. ux. Anna de *Walſee.* — *L. Albert.* 1454. — *Ludo- vicus* 1455. 1466. cœlebs. — *L. Wolfg.* 1462. & uxor N. 1473. — *G. Udalric. III.* ux. 1. Barb. de Udal. C. *Petau*, 2. Mar- gar. de *Kreig.* — *Eliſ.* m. ab *Oe- tingen.*

M. Frider. II. Arch. Salzburg. 1489. — *Eliſ.* m. Phil. de *Kirchh.* — *N. Geor. II.* ux. Marg. de *Stab- remberg* 1462. ad 1508. — *Barb.* Mon. 1500. — *O. Georg. III.* ux. Genove- va Com. de Arch. Mareſch. Auſtr. — *S. Euphem.* al. *Genoveva* mar. Wolfgang. *de Liechtenſtein.* — *Sigiſm. II.* & *Bern. VII.* cœlebs

N. Comitiſſa ux. Joan. Com. ab *Hardeck.* — Plurimor. lib. nom. ignota.

Magdal. ux. Caſp. *Pfluog.* Barb. de *Ra- denſtein.* — *P. Anna* m. Eraſ. *de Stab- remberg* an. 1559. — *Q. Wolfg. II.* & ult. ux. An- Co. ab *Ortenb.* † 1559. — *Joa. II.* ux. An. *de Polh.* an. 1537. 1572. — *Eliſ.* & *T. Marg.* m. *Suſann.* Joa. I. Com. cœlebs. *de Harteck* & *Machland* † 1527.

A. Henricus I. de quo mox dictum, quem tamen inter deſcenden-

Eberhard. Com. de Ilebach. tes Abenſpergicos non reperio, frater ejus, teſte Bucelino, *Eberhar- dus* fuit Comes Julbacenſis, ſeu *Ilebacenſis* circa an. 1070.

B. Ber-

B. Bernardus III. hujus nominis, & *Ulricus I.* fratres fuiſſe videntur, & circa an. 1244. belli geſtis clariſſimi, cum enim a Friderico Duce Auſtriæ, caſtrum *Eberſperg* deſtrueretur, ac multa alia Eccleſiæ Patav. imminerent pericula, eo quod Rudigerus Epiſc. Patav. prædonibus de Waldeck faviſſe conjiceretur, *Bernardus*, & *Ulricus Comites de Schaumberg*, arcem Patav. Obernberg, quam Fridericus Auſtriacus traditione præfecti arcis *Henrici de Waldeck* receperat, armis ac commeatu inſtructam obtinuerunt, ut ex ea Ottonem Bav. Ducem oppugnarent, & Alberto Archidiac. Patav. a Friderico in gratiam ſuſcepto refugium præſtarent, quamvis vero arx Obernberg ſeſquimeſtri ab Ottone Bav. oppugnaretur, defenſa tamen eſt ita ab his Comitibus de Schaumberg, ut expugnari non valuerit. Idem vero Bernardus, Rudolpho Habſpurgico tam charus fuit, ut Alberto filio ſuo vicario Auſtriæ & Styriæ an. 1281. Bernardum hunc conſiliarium addiderit ordine primum, ut v. Prevenhueb. fol. 417. & annal. Campilienſ. fol. 1135.

Bern. III. & Ulric. I. Com. de Schaumberg.

Henr. de Wald.

Obernberg arc. Patav. fata.

C. *Conrados duos Schaumbergicos* omiſit Bucelinus, qui tamen ad hæc tempora pertinere videntur; quamvis vero evincere nolim, eos Henrici IV. filios fuiſſe, exſtitiſſe tamen ex ſequentibus oſtendo: *Conradus I.* ante an. 1353. claruit, & eo anno obiit; ita enim habet Necrolog. Minoritarum Viennæ apud P. Hieron. Pez tom. 2. fol. 487. 7. *Id. Junii an. Dom.* 1353. *obiit generoſus Dom. & Comes Dom. Conradus de Schaumberg de Orte, hic ſepultus ante altare trium Regum, & habet ibi perpetuam miſſam, & perpetuum lumen &c.* de quo plura ibidem. Conradus II. Præpoſitus Ardacenſis fuit circa an. 1356. vetus & percelebris eſt in Auſtria Canon. ſæc. Præpoſitura, fundata in ruderibus vetuſti oppidi Aradatæ, ut ſcribit Lazius, non integro lapide ab Auſtrali Danubii ripa inter Iſium & Anaſum fluvios, 17. milliaribus ſupra Viennam, fundatorem ea habuit Henricum III. Imp. aliis II. an. 1049. Præpoſitorum Ardacenſium catalogum edidit Raymundus Duellius in miſcellaneis. Subortæ erant ſæc. 14. lites inter Præpoſitum & Capitulum Ardacenſe, anno dein 1356. *Conradus Com. de Schaumberg locique Præpoſitus* 39. edidit ſtatuta, conſentiente Alblerto Epiſc. Friſ. & toto Capitulo Ardacenſi, quæ dein an. 1362. a Godefrido II. Ep. Patav. fuerunt confirmata.

Conr. Com. de Schaumberg.

Conr. II. Com. Schaumberg Præp. Ardac. Ardagger Præp. Præp. Auſtr.

D. Aliquos horum omiſit Bucelinus, quos ex aliis documentis ſuppleo: etenim cum *Rudolfus Schifferus* an. 1325. hoſpitale erigeret Efferdingæ, quinque hi fratres Schaumbergenſes ei integram facultatem contulerunt; diploma datum ſchaumbergæ refert Wurmbrand. fol. 130. cujus initium ita habet: **Wir Heinrich, Bernard Rudolph, Wilhelm, und Fridrich Gebrüdere, Graffen zu Schaumberg** ꝛc. Fridericus ex his an. 1349. arbiter electus invenitur in cauſa quadam Hochenfeldiana, ut v. Wurmbr. fol. 86.

Rudolf. de Schiffer. Efferding hoſp.

Frid. de Schaumberg.

E. Udalricus II. Comes de Schaumberg nigris valde coloribus depingitur in Chronico Salisburg. apud P. Hier. Pez tom. 1. col. 418. etenim ad an. 1365. deſcribens mortem Rudofi IV. Archid. Auſtriæ & Cleri perſecutoris ita proſequitur: *relinquens ſuum pædagogum ſeu tyrannum Ulricum Com. de Schavvnberch in diœceſi Patavienſi &c.* mox anno

Udalr. II. Com. de Schaumberg.

Antyrannus & perſecutor Eccl

1366. ita pergit: *Fuit idem Comes Ulricus de Schaumberch, qui tunc temporis reputabatur pro maximo tyranno &c.* referuntur dein ejus exactiones, contemptus cleri, hæreticæ opiniones, mox pœnæ a Deo inflictæ, uti peſtis equorum, partus monſtri ex uxore ſua Comitiſſa de Nürnberch, tandem obitus ſine Sacramentis Eccleſiæ an. 1373. fer. 5. poſt diem cinerum &c. ſed vereor vehementer, ne compillator hiſtoriæ Salisburgenſis, uti in Rudolfo IV. Archiduce, ita in Ulrico hoc calumniis multum exceſſerit, aliter ſane & de Rudolfo IV. & de Ulrico Com. Schaumburgico alii loquuntur hiſtorici: an. 1363. Duces Bavariæ contra Salzb. Archiep. & Ulricum Com. de Schaumburg litigabant, uti & *Eberhardum de Walſee*, quia hic Neunburg, ille Scherdingam poſſedit, quod bellum enarrat idem Chronolog. Salzburg. cit. fol. 415. de quo alibi an. 1362. ſubſcripſit inſtrumento confœderationis inter fratres Auſtriacos Principes, & Ludov. ac Caſimirum Hungariæ & Poloniæ Reges. Ab an. 1369. ad 1373. Capitaneum Anaſi egit, teſte Prevenhueb. fol. 417. tandem an. 1373. obiiſſe videtur ſine prole, ſepultus in Monaſterio Hilarienſi, Chronogr. Salzburg. cit. ita ait: *Obiit - - an. Dom. fer. 5. poſt diem cinerum, cui ſucceſſit in Comecia Heinricus Comes de Schaumberch frater ſuus.*

Eberh. d. Walſee

Henr. VII. Co. de Schaumberg.

F. Heinricus VII. Comes de Schaumberch, ut mox dictum, fratri ſuo improli in Comitatu Schaumbergenſi ſucceſſit: huic per concordata cum Alberto Auſtriaco facta an. 1383. judicium proprium, ſeu ut dicimus banni confirmatum fuit, eo modo, quo anteceſſores ejus habuerant, v. plura in expoſ. arcis Schaumberg.

Joan. I. Com. de Schaumberg. Sigiſ. de Schiffer.

G. Joannes I. hujus nom. Comes de Schaumberg in Auſtria & Styria clariſſimus erat an. 1417. Joannes hic Sigiſmundo Schiffero veniam dedit per ultimam voluntatem de feudis Schaumbergicis diſponendi, ut teſtatur Wurmbrand. fol. 136. an. 1428. eundem Mareſchallum Styriæ factum idem Wurmbr. fol. 292. docet, cum enim emortua eſſet Petovienſium Styriæ Comitum familia, Mareſchallatus Styriæ ad Schaumbergios delatus eſt: ita enim legitur in archivo feudali Græcii: **Das Obriſt Landmarſchall-Amt in Steyer, ſamt der Veſten Fraunheim in Viertl Cylli und dem Amt in der klein Selk in Ennsthall iſt zu Mannslehen** *cum onere recognoſcendi toties quoties &c.* **verliehen worden Herrn Hanſen Grafen von Schaumberg** *an.* 1428. Rationem translati ſic in Schaumbergios Mareſchallatus dat Wurmbrand. cit. docens *Joanni* huic *Schaumbergico* uxorem fuiſſe *Annam Bernardi de Pettau* filiam, unde ſub dubio *Annæ Polheimiæ* ſubſtitui, & adjunxi in ſchemate *Annam de Petau*, in Genealogia certe Polheimiorum nulla occurrit Anna, cuidam de Schaumbergiis nupta. Joannes idem anno 1441. cum *Rudigero VI. de Stahremberg* a Friderico IV. Imp. datus eſt arbiter litibus inter Epiſcopum & urbem Pat. componendis, quas etiam felici fine terminavit; ab anno 1424. ad 1428. & ab anno 1428. ad 1431. Mareſchallum Provincialium Auſtriæ egit ex catal. D. de Quarient apud Wurmbrand. fol. 287. anno 1433. dum Albertus Auſtriacus, conjugi ſuæ Eliſabethæ, Sigiſmundi Imp. filiæ, dominium & urbem *Styram* cum caſtris *Weitenegg* & *Trautmanſtorf* pignoris loco daret, atque poſt ſuam mortem eidem, dum viveret poſſidendam tranſcribe-

Joan. Schamb. Mareſch. Styr.

Fraunheim caſt. Styr.

Bernard. Annæ de Pettau.

Rudiger VI. de Stahremberg.

Styra donatur Eliſabethæ Alb. Auſtr. uxori cum caſtr. Weiteneg & Trautmanſt.

ret,

ret, Joannes hic ad cives Styrenſes deſuper cunctantes, & homagium Eliſabethæ renuentes miſſus eſt legatus, eosque ad Ducis petita promovit. Prevenhub. fol. 88. an. 1439. Albertus II. Dux ac Imperator Romanus *Joannem ab Eberſtorf*, ob Dynaſtiam *Ankenſtein in Styria* ſitam, poſſeſſores ejus *Joannem Comitem Schaumbergium*, & *Leopoldum de Stubenberg*, actione petiturum in jus admiſit, ut v. Wurmbrand. fol. 3. ex archiv. ſtat. Auſtr. num. 1456. ex quibus duo elicio: *1mo Joannem Schaumbergicum*, & *Leopoldum de Stubenberg* communi jure Dynaſtiam *Ankenſtain* poſſediſſe in Styria, & vel hoc ipſo *2do* Joanni huic Schaumbergio, uti Leopoldo Stubenbergio uxorem ex gente Petovienſium fuiſſe, cum eo titulo eam Dynaſtiam poſſederint, uti in annot. diplom. 54. dixi. Anno 1451. def. *Reinperto de Walſee* cum inter Fridericum Imp. & Provinciales ſupra & infra Anaſum controverſia vigeret, ob amiſſam Ladislai Archiduc. Auſtriæ tutelam, idem *Joannes de Schaumberg* Prætor Auſtriæ cum aliis, nominatim cum *filio ſuo Ulrico* eſt deputatus, quibus tamen ſtatus Auſtriaci alios oppoſuerunt, v. Prevenhueber. fol. 420. ex quibus proin Joannis filius Udalricus III. nobis innoteſcit.

Joan. ab Eberſt. *Ankenſtein caſtr. Styriæ.* *Joan. Com. de Schaumberg.* *Leopold. de Stubenberg.* *Reinpertus de Walſee.* *Ulricus III. de Schaumberg.*

H. Georgius de Schaumberg Comes, Epiſcopus Bamberg. teſte auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 540. patruus erat Friderici Archiep. Salisb.

I. Sigiſmundus I. filius Joannis Pater Friderici Archiep. maritus *Barbaræ de Walſee*, cui Imperator tantam gratiam habuit, ut Fridericum filium e ſacro fonte levaret; Imperatorem Fridericum, Romam pro corona Imperiali abiturum comitatus eſt anno 1451. v. Wurmbr. fol. 66. an. 1466. Idem Sigiſmundus cum fratribus ſuis, in turbis illis, quæ Styram urbem cum aliis nobilibus collidebant, pro pace communi agebat, ex quibus proin reliqui fratres Sigiſmundi hujus eruuntur, v. Prevenhueb. fol. 117. &c.

Georgius de Schaumberg Ep. Bamberg. *Sigiſmundus I. de Schaumberg.* *Barb. de Walſee*

K. Bernardus VI. Comes de Schaumberg an. 1454. Mareſchallus Provincialis Auſtriæ, *Fridericum Wurmbrandium* ad preces *D. Georgii equitis de Rohr* ad Judicium Provinciale citavit, v. Wurmbr. fol. 54. & 287.

L. Albertus & Wolfgangus I. an. 1466. cum fratribus reliquis pro pace urbis Styræ egit, uti ex Prevenhueb. fol. 117. cit. legi poteſt; nam inibi *Bernardus*, *Ulricus*, *Sigiſmundus*, *Albertus*, & *Wolfgangus* fratres & *Com. de Schaumberg* inveniuntur omnia pro quiete reducenda Auſtriæ egiſſe, imo eodem teſte *Wolfgangus I.* cum Erneſto Duce Saxoniæ, aliisque ac 400. equitibus miſſus eſt in urbem Styram, ut eandem occuparent, de quibus fuſiſſime cit. Prevenhueb. agit. Idem an. 1462. Friderico Imp. Viennæ obſeſſo cum *Georgio Com. de Schaumberg* ſub Duce Alberto, ſubſidio venit, ut v. Prevenhueb. fol. 421. anno 1467. Idem denuo cum aliis Styram miſſus eſt, homagium ut a civibus reciperet, v. Prevenhueb. fol. 422. de quibus alibi. An. dein 1473. idem Wolfgangus, *Georgium de Hochenfeld* hoſtili impetu invaſit, & occupato caſtro *Aiſtersheim* gravia damna intulit, Wurmbr. fol. 85.

Bernard. VI. de Schaumberg. *Frid. d. Wurmb.* *Georgius Eq. de Rohr.* *Alb. & Wolfg. I. de Schaumb.* *Georg. Com. de Schaumberg.* *Georgius de Hochenfeld.*

Udalrici III. jam lit. G. memini, Prevenhueb. fol. 100. eundem an. 1452. in Comitiis Viennenſ. a Prætura depoſitum cum aliis a Friderico Imp. conſtitutis docet.

Udalr. III. de Schaumberg.

Frid. de Schaumberg Archiepisc. Salzb. 45.

M. Fridericus II. hujus nominis inter Schaumbergios Archiepisc. vero Salisburg. 45. hujus nominis V. cujus acta & res fuse exhibet auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 539. &c. anno 1488. adhuc Canon. aderat Conventui Styræ celebrato, Prevenhueb. fol. 374.

Georg. II. de Schaumberg.

N. Georgius II. Com. de Schaumberg, an. 1462. Viennæ obsesso Friderico Imper. subsidio venit, ut sub lit. *L.* insinuatum, auth. Germ. Sacræ loc. cit. eum Friderici Archiep. Salisburg. patruelem vocat, atque an. 1478. Lavantinæ valli a Georgio I. Bamberg. Episc. præfectum, Turcas Carinthiam populantes insigni clade prostravisse docet: anno 1474. adfuit obsidioni arcis Hirschlag, in qua per pacta conclusum, ut *a Dom. de Rosenthall*, suisque complicibus id castrum Georgio huic, & *Henrico Dom. de Rosenthall* traderetur, donec lis illa finiretur. V. Prevenhueb. fol. 129. an. 1488. in suspicionem venit, vis ab Hochenfeldero illatæ cuidam Domino *de Cravvath*, v. Prevenhueb. fol. 145. an. 1508. Georgius hic vel certe Georgius III. in circulo Husruggensi milites delegit contra præpotentes venetorum incursus, Prevenhueb. fol. 188.

Henricus D. de Rosenthall.

Georg. III. de Schaumberg.

O. Georgius III. de Schaumberg ab an. 1519. floruisse videtur, quo legatis Austriæ in Hispaniam missis, cum Michaele Abb. Lambacensi, Leonardo Hilariensi, aliisque cavebant de damnis resarciendis, quæ in itinere fors perferenda essent. Prevenhueb. fol. 211. anno 1525. Waldseis extinctis, Georgio huic a Ferdinando I. tum Archiduce Austriæ, nova investitura Mareschallatus hæreditarii Austriæ collata est, ut v. Wurmbrand. fol. 289. 1534. quemdam suorum subditorum incendiarium capitali sententia feriri ac exuri jussit, Prevenhueb. fol. 254. quæ in favorem Annæ filiæ suæ destinaverit Georgius, mox dicitur

An. de Schaumb. Erasm. Com. de Stahremberg.

P. Anna itaque Georgii hujus III. filia, *Erasmo Comiti de Stahremberg* nupsit, hæc cum ultima esset suæ gentis, Georgius Pater in favorem filiæ suæ hanc sanctionem fecit, quod, si filius suus Wolfgangus sine hærede masculo obiret, Wolfgangus filius bona Schaumbergica non alteri, nisi DD. de Stahrenberg, & aliis suis consanguineis legaret, v. fragmentum german. hujus sanctionis in Wurmbrand. fol. 226.

Wolfgang. II. & ult. Schaumb. Capitul. Salzb. 1550. in caus. Card. Madruzii. Schaumberg Dynastiæ cedunt Erasm. de Stahremberg, & Wolfgangus de Liechtenstein. Genofeva de Schaumberg.

Q. Wolfgangus II. & ultimus e Comitibus de Schaumberg, hic an. 1550. nomine Austriæ superioris legatus missus est ad Capitulum Salisburgi celebratum in causa Madruzii Cardinalis Archi-Episcopatum Prensantis, v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 618. & 973. obiit anno 1559. sine prole mascula, sicque Comitatus *Schaumbergius*, & *Dynastiæ Efferdingen, Stauff, Mauth, Aschа, Peurbach, Erlach &c.* ad *Erasmum de Stahrenberg*, & *Wolfg. de Liechtenstein* maritum *Genofevæ* Georgii III. fororis sunt devoluta, qui etiam an. 1583. a Rudolpho II. investituram receperunt; insignia autem Schaumbergica soli *Erasmo Stahrembergico* sunt collata.

Joannes II. de Schaumberg. Sig. Ludov. de Polheim. Reg. de Schaumb.

R. Joannes II. an. 1537. electus est Capitaneus Austriacorum supra Anasum in subsidium Turcarum destinatorum, ut v. Prevenhueb. fol. 257. cui etiam 19. armatos equites Comites adjunxit *Sigismundus Ludov.*

Ludov. Dominus de Polheim, teſte Wurmbr. fol. 165. uxor ejus *Regina* anno 1572. ſepulta eſt Efferdingæ, v. cit. Wurmbr. fol. 181.

S. *Euphemiam Georgii* ſororem, & *Wolfgangi de Liechtenſtein* uxorem Genofevam vocat Wurmbr. ſupra cit. fol. 226. *Euphemia ſeu Genofeva.*

T. Margaretham Georgii Com. de Schaumberg filiam mihi detexit Wurmbr. fol. 253. dum eam *Joanni II. Com. de Hardeck & Machland* nuptam ait, qua def. an. 1527. *Barbaram de Krayg* uxorem duxit. *Et Margar. & de Schaumberg. Joan. I. Com. de Hardeck & Machland. Barb. de Krayg.*

10. Inter teſtes diplomatis hujus legitur *Engilbertus de Planckenſtein* & *Planckenvart* quondam Styriæ noſtræ Dynaſtas fuiſſe, ſuo loco oſtendam. Plankenbergii itaque in Auſtria poſſeſſores arcis cognominis in circulo ſuper Viennenſem ſylvam ſitæ fuiſſe videntur, de quibus tamen fere nihil conſtat. *Engilbertus de Plankenberg. Arx ejus nom.*

11. *Hadmarus de Kuffarn*, locus eſt tenuis Auſtriæ, ita dictus in circulo ſupra ſylvam Viennenſem ſitus, an ab hoc ſe Domini hi ſcripſerint? ignotum, ut & reliqua hujus familiæ. *Hadmarus de Kuffarn.*

12. *Wernardus de Griezbach. Griesbach* Bavariæ oppidum eſt cum arce diruta in Epiſcopatu Patav. ex hoc probabilius loco Dynaſtæ hi derivandi, quorum præter Wernardum hic citatum, & *Walchunum* de *Griesbach* circa an. 1201. in dipl. Admont. 90. nemo cæteroquin apparet. *Wernardus de Griezbech, & Walchunus.*

14. *Fridericus de Perge*, v. annot. dipl. 4. & 6.

14. *Albertus de Pernecke*, v. annot. dipl. 6.

15. *Ottokarus de Klam*, v. annot. dipl. 6. & 4.

16. *Ottokerus de Lengenbach.* Prevenhueberus eundem Ottonem vocat, & concordant plura, etenim in dipl. Admont. 152. circa an. 1188. atque in dipl. Cremifan. 1189. apud Wurmbrand. fol. 156. non Ottocarus, ſed *Otto de Lengenbach* nominatur. Dynaſtæ hi & *Dapiferi*, de Lengenbach, deinceps de *Lembach* nomen tulerint, quorum fragmentum Genealogicum Bucelinus adfert tom. 4. fol. 120. ab Alberto de an. 1317. ſed ii jam diu antea exſtitere: varia hujus nominis loca occurrunt in Auſtria, oppidum *Lembach* in circulo Mühl-Viertl dicto: arces 2. & Alt-Neu-Lembach, olim Baronum de Bartholoti in circulo ſupra ſylvam Viennenſem ſitæ, hodie Princip. de Lubomirski, qui omnia bona Baron. de Bertholdi in Auſtria emptione obtinuit. Taudem etiam arx Lembach in circulo montis ſup. Mainharti. Unde vero hi Dynaſtæ prodierint, vel ubinam Capitaneatus ille Lembacenſis erectus ſit? mihi ignotum eſt. Dapiferos fuiſſe hos Dominos, plura docent, quamvis enim Otto hic ad an. 1188. &c. ſine adjecto alio, ſolum de Lengenbach; & ad annum 1217. in diplom. Cremifan. apud Wurmbrand. fol. 213. *Otto advocatus de Lengenbach* adnotetur, ſucceſſores tamen ejus jam Dapiferos ſe ſcripſere. In dipl. Ottoc. Regis Bohem. an. 1262. dato ad *Henricum Liechtenſteinium* (v. Wurmbrand. fol. 192.) inter teſtes de Auſtria ultimo loco legitur: *Henricus Dapifer de Lengenbach.* Atque ad an. 1281. inter conſiliarios Alberto Auſtriaco, a Patre Rudolpho adjunctos etiam invenitur: Friderich der Drugſatz von Lengebach. *Conradus de Lembach* in Necrolog. Run. 5. Sept. defunctus legitur. Exſtinctam hanc familiam, ſuſpicor, circa an. 1500. quo Sigiſm. de Polheim Capitaneus in Lembach eſt factus, ut v. Wurmbr. *Otto vel Ottoc. de Lengenbach vel de Lembach Dapifer. Lembach oppid. Alt- & Neu-Lembach. Lembacenſis Capitaneatus. Henricus de Liechtenſtein. Henr. Dapifer de Lengenbach. Frid. Dapifer de Lengenbach, Conradus. Sigiſm. de Polh.*

Wurmbr. fol. 162. nec fragmentum Genealogicum Bucelini ultra id tempus hanc familiam extendere videtur.

17. *Henricus Preiſs*, hunc Prevenhueb. inter teſtes omittit, cenſeo vero pro *Preiſs* legendum eſſe Henricum *Pryſs*, ſeu *Prueſchenk*, de quo v. annot. dipl. 34.

Henr. de Winchelberg vel Wichſelberch. Arx Winkelb.

18. *Alertus de Winchelberch*, hujus loco Prevenhueb. fol. 400. ponit *Henricum de Wichſelberch*, fol. 17. vero utrumque omittit: arx eſt Auſtriæ in circulo infra Mainharti montem ſita, & dicta *Winkelberch*, an ab hac arce vel aliunde Domini hi ſint repetendi? ignoro, præter Albertum nullum hactenus reperi.

19. *Luitoldus de Guetenberg*, v. annot. dipl. 60.

20. *Chunradus & Rudolphus de Chindberch*, v. annot. dipl. 47.

21. *Rudolphus de Flaze*, v. annot. dipl. 14.

22. *Eberhardus de Erlach*, v. annot. dipl. 14. & alii quamplures.

Prevenhueberus fol. 400. in hoc diplomate variat in teſtium enumeratione:

1. Quem refert, eſt *Conradus Com. de Peilſtein*, v. ſupra dicta.

Sigefr. Com. de Morlen.

2. *Sigfridus Comes de Morlen*, hunc omiſit Puſchius, ejusque loco attullit *Sigefridum Comitem de Hagenovve*. Comitem hunc Sigefridum de Morlen lego etiam in dipl. Cremifan. an. 1189. apud Wurmbrand. fol. 156. præter hunc alius hujus familiæ non videtur, extra Styriam quærenda erit hæc familia.

3. *Henricus & Sigbardus Comites de Chaloch*, lege *Schalach*, v. annot. diplom. 52.

4. *Sigefrid, & Otto Comites de Leubenovve*, v. ſuperius dicta.

5. *Luipoldus & Henricus Comites de Plejen*, v. annot. dipl. 29.

6. *Cunradus Comes de Dornberch*, v. ſuperius dicta.

7. *Albertus & Adalramus de Chambe*, v. ſuperius dicta.

8. *Wernerus de Hagenovve*, v. annot. dipl. 54.

9. *Wernardus Comes de Schovvenberg*, ſeu *Schaumburg*, v. dicta ſuper.

10. *Engelbertus de Plankenberg.*
11. *Hademarus de Kuffarn.* } V. mox dicta.
12. *Wernerus de Geizbach*, fors *Griesbach.*

13. *Fridericos de Perge*, v. annot. dipl. 4. & 6.

14. *Eckbrechtus de Pernecke*, v. annot. 4.

15. *Otto de Clame*, v. annot. dipl. 6. & 4.

16. *Otto de Lengenbach*, v. mox dicta.

17. *Henricus de Wichſelberg*, Puſchius ejus loco *Albertum de Winkelberg* adducit in dipl. Seccov. 26. ad an. 1192. *Albrecht de Wichſelberg* inter teſtes ſecundus adducitur, cætera nil de hac familia mihi patuit.

Albertus de Wichſelberg.

18. *Lyfold de Guetenberch*, fors *Luitold*, ut ſupra v. annot. dipl. 60.

19. *Conrad & Rudolf de Chymenberch*, melius *Chindberch*, v. annot. diplom. 47.

Weichard de Carlsperg. Varia loc. hujus no.

20. *Weichard de Carlsperg*, hunc Puſchius omiſit. Varia hujus nominis loca reperio 1. montem Bohemiæ cum arce diruta Carlsperg, ac celebri auri, & argenti fodina, 2. Sueciæ hortum ſeu tempe. 3. Carlspurg fortalitum inſigne in tranſylvania a Car. VI. ita dictum, quod etiam Caroloburgum, vel *Alba Carolina* appellatur. *Nob. de Carlsberg* ex Carinthia fuiſſe

do-

docet Megiſerus lib. 8. Chron. ad an. 1280. fol. 909. probant vero etiam plura diplomata Göſſenſia, præcipue Göſſenſe 31. datum an. 1231. in quo Bernardus Dux Carinthiæ *Hemmam* filiam, filiæ *Liebhardi de Carelsperg* Eccleſiæ Göſſenſi donat, & huic donationi ſubſcripſit etiam *Wichardus de Charlsperg* ad S. Vitum; Præterea dipl. Göſſenſi 14. ab Eberhardo II. Salzburg. & Leopoldo Auſtr. & Styriæ Duce an. 1203. dato ſubſcripſit etiam *Wichard de Karlisperch*, & dipl. 17. Göſſ. an. 1214. Subnotatus eſt *Wichardus junior Karlisperch*, & Leo miles ipſius, unde *Wichardus*, qui diplomati huic de traditione Styriæ an. 1188. nomen dedit, vel jam defunctus fuit, vel ætatis jam granævæ, ut adeo *Wichardus* alter *junior* dictus fuerit.

Liebholdus & Hemma de Carlſperg.

Wichard. I. de Carlsperg.

Wichard. jun. de Carlsperg.

Præter Liebhardum & Wichardum I. ac II. ſeu juniorem, exſtitere etiam Charlispergii Henricus & Offo, fors Otto, fratres, ut videre eſt dipl. Göſſ. 66. ad an. 1282. cum vero in dipl. Göſſ. 35. ad an. 1239. *Henricus de Karlsperch, & Wickardus frater ejus* legantur, vel Wichardus II. Henrici & Ottonis frater fuit ante an. 1283. defunctus, vel Wichardus etiam III. exſtitit.

Henr. & Otto frater de Karlſperg.

Wichard de Karlsperg.

Wulfingus de Charlsperch an. 1245. ſubſcripſit Cremſii diplomati Rudigeri Patav. Epiſc. v. Wurmbr. fol. 236. in addit. plura de his Carinthiæ ſcriptores.

Et Wulfingus.

21. *Rudolph de Fluze*, lege *Flaze*, v. annot. dipl. 14.

22. *Eberhard de Erlach*, v. annot. dipl. 14.

Idem Prevenhueb. fol. 17. teſtes hos alio modo enumerat, nempe

1. *Conradus Comes de Peilſtein.*
2. *Heinricus & Sighardus Com. de Scalach.*
3. *Leopoldus & Henricus Com. de Plejen.*
4. *Albertus & Adelramus de Clamme.*
5. *Wernardus Comes de Schaumberg.*
6. *Hadmar de Kuffarn.*
7. *Fridericus de Berge.*
8. *Otto Comes de Clame.*
9. *Henricus de Wichſenburg.*
10. *Cunrad. Rudolf. de Chimelberg*, lege *Chindberg.*
11. *Eberhardus de Erlach.*
12. *Seifrid Comes de Morlen.*
13. *Sigfridus & Ott. de Liebenau.*
14. *Conradus Com. de Dornberch.*
15. *Wernerus de Hagenau.*
16. *Engilbertus de Planckenberg.*
17. *Wernerus de Griesbach.*
18. *Ecbertus de Bernecce.*
19. *Otto de Lengenbach.*
20. *Luitold de Guettberg*, ſeu *Guetenberg.*
21. *Wiccard de Karlsperg.*
22. *Rudolph de Flurze*, & alii quamplures.

De quibus omnibus jam in decurſu hujus dipl. eſt actum.

Ad Diplom. 67.

Ad Diploma 67.

Chartam hanc ſuppeditat archivum Voravienſe, & Frælichius in diplomat. Ducat. Styriæ part. 2. fol. 310. *Richerus* nempe *de Hagenfeld*, & *filius ejus*, Miniſterialis Ottocari, *Eccleſiæ Vorav.* cum authoritate Marchionis ſui, prædia & allodia ſua delegavit, ſi filius ejus hæredem ex ſe genitum non relinqueret; idem refert MS. Chron. Vorav. ut oſtendi ad an. 1186. Quæ vero prædia illa & allodia fuerint, & an Eccleſiæ noſtræ Vorav. obvenerint? reperire nuſquam potui: *Hagenfeldios* in Styria vel Auſtria fuiſſe, ex eo conjicio, quod Miniſteriales fuerint Ottocari, ac bona ſua Voravienſi Canoniæ delegaverint, eorum tamen Genealogia & prædia mihi hactenus incognita ſunt.

Rich. de Hagenf. Can. Vor.

Nec moveat lectorem privilegio huic adjectus annus 1186. & ſimul, quod *Ottocari Marchionis* fiat mentio, nec affixum fundatoris noſtri Ottoc. V. ſigillum, conceptum enim privilegium hoc fuerit, antequam Ottocarus VI. Dux fieret, ac dein primo ab illo confirmatum, vel forte ſub patre adhuc conceptum, & ſub filio Ottocaro confirmatum, qui primis etiam regiminis ſui annis, antequam Dux fuerit, patris ſigillo uſus videtur; nam licet diplomati huic annus & dies deſit, Chronicon tamen MS. Vorav. id ad an. 1186. refert. Teſtes aliter aliquantum refert originale, aliter Frælichius.

1. *Gotſchalcus de Titſchperg*, lege *Nitkberg*, ſeu *Neitberg*, & *filius ejus Luitoldus de Potengruebe*, lege *Rotengruebe*, v. annot. dipl. 36. & 37.

2. *Luitpold de Chrempach*, Frælich *Chrevvepach*, ignoti ambo, niſi fors legendum ſit *Krevvſpach*, ſeu Creusbach, de quibus alibi.

Luitp. de Crempach v. Crewechbach, fors Krewsbach.

3. *Pilgrinus de Steinfeld*, ignotus pariter, & in Auſtria, ut videtur, quærendus; ſunt enim in Auſtria loca quæpiam hujus nominis, quorum unus celeberrimus infra Viennam, in quo an. 1532. *Georgius de Loſenſtein* virtutis ſuæ militaris ſpecimina edidit in prælio illo, quo 15000. Turcarum ſunt cæſa; ex hoc loco, & forte adjecto olim caſtro cognomine prodierint hi Domini *de Steinveld*, quorum alibi cæteroquin nulla fit mentio.

Pilgr. de Steinf. loca in Auſt. ejus no. Geor. d. Loſenſt.

4. *Henricus de Hapfovve, & frater ejus otto.* Frælich. legit. *Hopfovve*, ſors *Hoffav.* v. annot. dipl. 54.

5. *Henricus de Gumplacha*, incognitus.

Gumblacha de Henric.

6. *Henricus Wilibalmſpurg*, v. annot. dipl. 9.

7. *Reinhardus* (Frælich) *Meinhardus Camerarius* probabilius Ottocari Ducis.

8. *Adalbertus Benibagil* (Frælich.) *Genshagil*, uterque ignotus.

Benibagil vel Genshagil Adal.

9. *Adalbertus de Potenſtaine*, oppidum eſt Auſtriæ in circ. ſupra ſylvam Vien. ſitum, ex quo & Dynaſtia ejus hi Domini deſcendiſſe videntur, pauciſſimos horum reperio, *Wernerus nobilis de Potenſteine* an. 1243. ſubjcripſit diplomati Friderici Auſtriaci, quo *DD. de Hyndberg* Camerarios hæreditarios Auſtriæ fecit, v. Wurmbrand. fol. 277. &c. & *Joannes de Bodenſtein* teſte eodem Wurmbr. 300. an. 1632. feudum hæreditarii equilium Præfecti nomine filiorum *Joannis Georgii de Lamberg* in curia Græcenſi requiſivit.

Potenſt. de Adalb. loca ejus d. nom. Wer. de Potenſtein & Joan.

Joan. Georg. de Lamberg.

10. *Wel-*

10. *Welcho de Titbberg*, lege Frælich. *Wecheland de Nitbberg*, v. annot. diplom. 36.

Ad Diploma 68.

Ad Diplom. 68.

Chartæ hæ Voravienſes expoſitæ ſunt in Chronologia ad an. 1185. Ruzo ille diſpenſator Ottocari quis fuerit? ignotum eſt, nec magis eruo, ubinam locus ille Quuntarum fuerit, ac quale illud beneficium Ruzzonis juxta urbem Græcenſem, quod Eccleſiæ Voravienſ. contulit.

Ad Diploma 69.

Ad Diplom. 69.

Fuſiſſimum eſt hoc Ottocari VI. diploma, quo omnes Admontenſium poſſeſſiones in ſuam tutelam recipit, aliaque addit. Datum eſt diploma ad Iſenricum Abbat. totumque Conventum Admont. eorumque poſſeſſiones in *Ennsthall circa Mubram*, *in Marchia* ac *in Auſtria* ſitas confirmat: *Marchiæ* nomine Styriam infer. intelligi, ſatis ſuperque dixi: enumerat dein donationes varias Admontenſibus factas.

1. *Alpes Scobern* ſeu *Lavende* cum ſylva adjacente, a ſe ſeu Ottoc. Duce datos, de his dictum eſt diplomate 21.

2. *Sylvam inter Volkir & Kamniz & Loſniz uſque ad alpes.* *Chuneg. Maseh. dat Adm. Mirtſcarn prædium.*

3. Prædium ad *Mirtskaren*, quod mater Ottocari VI. ſeu Chunegundes Marchioniſſa in teſtamento Admontenſibus tradidit.

4. *Prædium ad Mutarn & Gruebe* a Domina *Giſela* nobili fœmina per manum Ottocari V. traditum, *Mutarn* nomine oppidum eſt Mautern in Styria ſuper. ſitum, in quo Parochiam S. Nicolao ſacram curant Admontenſes, & quam crucifixi imago inviolata in mediis flammis, in dies celebriorem reddit. Grueb prædium inter Muram & Dravum, nunc Monaſt. S. Lamberti, *Giſela* hæc nobilis matrona fors eadem erit *de Oſſiach* dicta, quæ Can. Seccov. Eccleſiam Schönberg contulit. *Mutarn ſeu Mautern oppid.* *Grueb præd. St.* *Giſela de Oſſiach*

Ex dono Miniſterialium ſuorum tradita Admontenſibus ſequentia ait Ottocarus

1. In Ennsthall ad Lichenperge manſus, uti & in variis locis plures manſus.

2. In Bavaria ad Geroldsberg tria beneficia in Hetzmanſtorf, &c.

3. Juxta fluvium *Chremſe* varia.

4. In valle Palthe ſeu Paltenthall, varia etiam hic adducta loca.

5. In *Marchia* ſeu Styria infer. (Styria enim ſuperior hic ſub nomine *vallis Palthæ*, Ennsthall, &c. commemoratur) varia prædia Hitzendorf, vicus Græcio non duabus horis diſtans, etiam inter loca Marchiæ refertur. *Marchia id. ac Styria infer.* *Hitzendorf prope Gratz.*

6. Tandem enumerantur variæ in Auſtria Admontenſium poſſeſſiones. Adjicit vero Ottocarus Dux, & concedit omnibus Miniſterialibus ſuis, eorumque hæredibus licentiam donandi, quidquid vellent, eidem cœnobio, renovat libertatem telonei a patre conceſſam, a Frid. Imp. confirmatam, eximit Monaſterium ab omni Miniſterialium & Judicum ſuorum gravamine, quocunque demum modo hoc extorqueri poſſit. Tandem piſcationem in *Palta fluv.* ac de Zedelſee in Anaſum, ac inſecutionem liberam Canum ſuorum in venationibus poſt feras de

Admontenſium ſaltibus in ſuos aberrantes. Teſtes vero ampliſſimo huic diplomati copioſiſſimi ſunt ſubſcripti.

1. *Rudolfus de Chindeberg homo liber & nobilis*, v. annot. dipl. 47.
2. *Gundaker de Styre*, v. annot. dipl. 6.
3. *Abertus de Eppinſtain, & filius ejus Lantfrancus*, v. annot. dipl. 37.
4. *Herrandus de Wildonia*, v. annot. dipl. 53.
5. *Ditmarus de Liechtenſtain*, v. annot. dipl. 47.
6. *Gerungus de Strechovve*, v. annot. dipl. 4.
7. *Gerungus de Stutarn*, v. annot. dipl. 21.
8. *Lantfridus de Ramenſtain*, v. annot. dipl. 8.
9. *Fridericus de Petove*, v. annot. dipl. 54.
10. *Ludvicus de Schlierbach*, v. annot. dipl. 4.
11. *Arnoldus de Wartinburch*, v. annot. dipl. 47. & 6.
12. *Luipoldus frater Ducis*, v. annot. dipl. 59.
13. *Heinricus de S. Margaretha, & filius ejus Ulricus puer de Marchburg*, v. annot. dipl. 46.
14. *Duringus de Emmerberge*, v. annot. dipl. 58.
15. *Dietmarus de Putinove & frater ejus Ulricus*, v. annot. dipl. 4.
16. *Gotfridus de Lint*, v. annot. dipl. 44.
17. *Hervvicus Boemus*, v. annot. dipl. 62.
18. *Marquardus de Starchinperch*, v. annot. dipl. 14.

Marquardus de Poſenwanch.

19. *Marquardus de Poſenvvanch*, ad an. 1073. ex dipl. Lambacenſi Wurmbr. fol. 10. & 70. exhibet *Marquardum de Buſſuvans*, quod ſi etiam eadem hæc familia fuiſſet, Marquardus tamen hic ob ætatem alius a priore eſſe debuit. Nihil de hiſce conſtat.

Engilſcalcus Hucinger.

20. *Engilſcalcus Hucinger*, cum in duobus ſolum diplomat. Admontenſ. hoc & ſeq. occurrat, videtur officialis ejus Eccleſiæ fuiſſe.

Eberhardus I. Ternberg. Loca ejus nom.

21. *Eberhard de Ternberge*, Dernberg arx eſt Auſtriæ in circulo ſupra ſylvam Vienn. ſita ſupra Edliz, nunc DD. de Menſchengen, ex qua nobiles hos prodiiſſe reor, *Chunegundes de Ternberg* ſoror erat Dominæ *Albaidis de Polheim*, quæ ambæ anno 1300. obierunt, ut v. Necrolog. Minor. Viennæ 494. & 511. Wurmbr. 13. *Dietricus de Ternberg*, in dipl. Admont. 141. circa ſæc. 12. finem floruiſſe invenitur. *Cunradi de Ternberg*, ſacrilegum facinus v. ad an. 1205. tom. ſeq.

Chunegundes de Ternberg. Albaid. de Polhei. Dietr. de Ternb.

22. *Fridericus de Mirſtorf*, v. annot. dipl. 7.
23. *Ulricus de Holzbuſen, & frater ejus Etich*, v. annot. dipl. 60.

Helmwich & Guntherus (de Wenge. Cunr. de Wenge. Weng vicus.

24. *Helmvvich de Wenge:* præter hunc *Guntherus* dipl. Admont. 11. ad an. 1139. & *Chunradus* dipl. Admont. 86. an. 1184. reperitur, ignoti cæteroquin & forte inter Miniſteriales Eccleſiæ Admont. referendi. Vicus *Weng* prope Admunt exiſtit.

25. *Hartnidus de Ovvenſtain frater Hartnidi de Ort*; v. annot. dipl. 47.
26. *Bernardus de Ruckkerſpurg*, v. annot. dipl. 4. & 7.

Mannegoldus de Henneberch. Ducal. Comit. Henneberg.

27. *Mannegoldus de Henneberch*, Comites erant, & Duces antiquæ Saxoniæ de Henneberg dicti, exiſtitque hodie adhuc Comitatus Ducalis Hennebergius. Horum Genealogiam refert Lazius, aliique, ſed de his mihi ſermo non eſt. Hennebergios vero in noſtris terris ſedem fixiſſe nullibi reperio, unde Mannegoldus hic vel aliunde adveniens

teſtis

teſtis adhibitus eſt, vel error in nomine Henneberch latet. *Ulricum de Henneberch* pro Rudolpho Auſtr. pugnaſſe ad an. 1280. dicam, ubi plura.

28. *Henricus de Trabſtetin*, v. annot. dipl. 36.

29. *Henricus de Tann.* *Dann* arx venuſta eſt Styriæ in circulo Judenburg. nunc Comitum de Saurau, ab hac forte arce Domini de Tann orti videntur, quorum aliquot documenta Admont. nobis tranſcripſere. *Eckardus I. de Tann* ex dipl. Admont. 29. 34. 44. 46. & 47. ad annos 1163. &c. ad 1202. eruitur. *Wito*, *Bernhardus & Witmarus* ad an. 1197 ex dipl. Admont. 44. *Rainberus* ex dipl. 90. Admont. ad an. 1201. & *Henricus* ex hoc & ſeq. Salisburgenſes Mminiſteriales dein fuiſſe, docet catalogus nobilium Salisburg. in prælio Mühldorfenſi anno 1322. captorum apud auth. Germ. Sacr. tom. 2. 448. in quo recenſetur *Eckartus II. a Tann.* Unus horum vel Eckartus I. vel II obiit 7. *Id. Mart.* & *Petriſſa de Tanne* obiit 5. Kal. Jun. ex Necrol. Admont. *Heinr. de Tann. Dann arx Styr. Eckartus, Wito, Bern. Witmar. Reinherus, Henr. de Tann.*

30. *Almarus de Pubenhoven*, hoc ſolum ſeq. diplomate viſitur, ignotus, & fors Miniſterialis Eccleſiæ Admont. *Almarus de Pubenhoven.*

31. *Wormunt de Enſe*, ignotus etiam, & hoc ſolo in dipl. & ſeq. citatus. *Wolfkerus de Emſe converſus*, obiit 7. Kal. Jun. ex Necrol. Adm. *Worm. de Enſe.*

32. *Richerus de Uverſes*, ignotus, & inter Styros non referendus. *Richerus de Uverſes.*

33. *Imbrich de Loſenſtain*, fuſior familiæ hujus celeberrimæ occurreret narratio, ſi de ea hic agendum eſſet, etenim Loſenſteinios a Marchionibus noſtris deſcendere, oſtendi Diſſert. 4. & in annot. dipl. 6. ubi DD. de Styra expoſui. Aſt cum nomen Loſenſtein aſſumptum fuerit primo a Dietmaro, qui an. 1252. caſtr. *Steyr* ſuper. Auſtriæ, retento tamen Burggraviatu loci ceſſit Ottocaro Moraviæ Marchioni, ſeu commutavit cum arce Loſtein, indeque cum deſcendentibus, nomen Loſenſteinii deinceps adhibuerit, patet clare, Imbrichium hunc de Loſenſtein vel erronee adduci, vel eum non ex hac familia fuiſſe, cum ſæc. 12. fine Loſenſteinii nondum exſtiterint, ſed nomen hoc poſt an. 1252. primo aſſumpſerint, ut mox oſtendi. Erant *Lobenſteinii* in Auſtria, quorum arx ejus nominis jam diruta, in circulo dicto Mühlviertl exiſtens Stahrembergiis ſubeſt, forte Imbricus ex horum ſerie petendus. Jus gladii arx ea etiamnum habet. Inter omnes etiam, quos inveni, Loſenſteinios, nullus unquam Imbrich reperitur, de Loſenſteiniis itaque ſuo loco. *Loſenſtein de Imbrich. Ditmarus de Loſenſtein. Imbr. de Loſenſt.*

34. *Dietmarus de Witzenkirchen*, v. annot. dipl. 63.

35. *Volcholdus de Eppenſtein*, v. annot. dipl. 37.

36. *Meinhardus de Wildonie*, v. annot. dipl. 53.

37. *Richerus Bavarus*, v. annot. dipl. 63.

38. *Chunradus Schüre*, ignotus, nec alio niſi hoc & ſeq. diplom. mihi viſus. *Chunrad. Schüre.*

39. *Otaker Schieke*, ignotus etiam, niſi quod ex Wurmbr. fol. 26. legam, an. 1413. Albertum Auſtriæ Ducem, dimidiam partem caſtri Waſen a *Georgio Scheck* refutatam, Wolfhardo Georgio, Eberlino filiis *Joannis de Sinzendorf* in feudum contuliſſe. *Otaker Schieke. Et Albertus, Georgius.*

40. *Rudigerus Meiſe*, hoc & ſeq. dipl. ſolum citatur, fors legendum *Mirſe*, v. annot. dipl. 26. *Rudiger Meiſe.*

Eckebertus de Steveninge. 41. *Eckebertus de Steveninge*, de quo mihi in rebus Styriæ nil innotuit, Domini *de Stephaning* Comites erant Ratisbonenſes, ex quibus *Henr. I. & II. de Steveninge. Richardes filia Leop. III. puleb. Auſtr. Bertha S. Leop. Auſt. filia.* *Henricus* unus erat maritus *Richardis* filiæ *Leopoldi III.* pulchri Auſtriæ Marchionis, ejusque nepos *Henricus maritus Berthæ S. Leopoldi* filiæ, mira ſanctitate & multis fundationibus illuſtris, ſed de his agere aliis relinquo, in dipl. Seccov. 25. legitur *Otto Landgrave de Stepheninge.*

Otto de Steven. 42. *Reinherus & frater ejus Otaker de Taene*, eosdem cum DD. de Tann ſuſpicor.

Ortolf de Cherſp 43. *Ortolfus de Cherſperg*, ignotus denuo teſtis.

44. *Eckardus de Græce*, v. annot. dipl. 7.

Eckart. de Laſnick, & Junior item Guntherus. 45. *Eckardus de Laſnich*, *Eckardus Junior*, *Guntherus frater ejus*, v. annot. dipl. 25.

Egilolfus de Mitterdorf. 46. *Egilolfus de Mitterdorf*, fors idem cum Dominis *de Muntesdorf*, de quibus actum in dipl. 14. ſecus eum nuſpiam legi.

47. *Ortvvinus* ſervus Ducis.

Oſcalc. de Salzb. 48. *Olſcalcus de Salzburch*, credo teſtem hunc nomen non a familia, ſed a caſtellania ſeu Burggraviatu Salisburg. cui præfuit, traxiſſe, plures enim caſtellani de Salzburg occurrunt tom. ſeq. in annot. dipl. 20. 28.

49. *Svvibardus de Haginberge*, v. annot. dipl. 21.

Cæterum in numerum anni in cod. dipl. Admont. error irrepſit, non annus 76. ſed 86. ponendus eſt, cui ſoli reſpondet Indictio 4. annus regni Frider. 35. & Imperii 32. ut notum eſt hiſtoricis, anno vero 1176. currebat Indictio 9. annus regni Frider. 25. Imperii 22.

Ad Diplom. 70.

Ad Diploma 70.

Ottoc. an. 1186. in Admunt agit. Diploma hoc denuo de rebus Admontenſium agit, etenim cum Ottocarus VI. an. 1186. nativitatem Domini in Admunt ageret, ſuis Miniſterialibus licentiam iterum dedit, Admontenſibus prædia donandi, & quidem ſine porrectione ſuæ manus, ſeu ſine ſpeciali deinceps de novo petita licentia.

Ut vero non verbo ſolum, ſed exemplo ſuis etiam præluceret, eodem die prædium in *Marchia ſeu Styria infer.* ſylvam nempe inter *Vockir*, *Kamniz*, & *Loſniz* mox prædium *Mirtſcaren* in Ennsthall a matre ſua per teſtamentum legatum; denique prædium ad *Mutarn & Grube in Ennstball* a Domina Giſela donatum, S. Blaſio obtulit, quod prædium Ottocarus Dux a morte matris ſui detinuerat: Admontenſes liberalitate Ducis ſui animati, pacti ſunt eidem 40. marcas, utque eas ex parte ſolverent, dederunt ei aureum calicem, tres marcas auri, uno ſertone (vox barbara idem ac Vierting) minus habentem, quem tamen Dux benigniſſimus iterum S. Blaſio donavit, & cætera pari modo remiſit.

Hervandus de Wild. Adm. ben. Ortolf. de Grätze Min. mon. Adm. Inter Miniſteriales primus Ducis ſui exemplum æmulatus eſt *Hervandus de Wildonia*, qui 20. manſus ab Ortolfo D. de Gräz e Miniſteriali Ducis, Monacho Admontenſi delegatos, Monaſterio S. Blaſii in Admont tradidit, prædia hic enumerantur.

Marq. de Stahremberg. Alter erat *Marquardus de Starchenberg* (quem in Geneal. Stahremberg. dipl. 14. aſteriſco notavi utpote dubium, an ad eam lineam pri-

mo

mo circa an. 1180. &c. cœptam pertineat, cum potius a caſtro illo Stahremberg, quod a fundatore Seccov. Adelramo de Waldeck donatum eſt Ottocaro V. derivandus videatur) vineam ſuam ad Mutinſdorf pro filia ſua moniali Admont. delegavit. Teſtes harum actionum erat fere omnes illi, quos in dipl. ſuper. adnotavi. Unus & alter hic notandus eſt.

3. *Adilbertus de Eppinſtein, & filius ejus Landfridus*, antea hic dictus eſt *Lanfrancus.*

10. *Hermannus de Nurnberg*, ſuperiori in diplomate omiſſus eſt, hic ex linea Burggraviorum Norimbergenſium, inter Styriæ Proceres recenſendus non eſt; reliqui teſtes iidem ſunt cum illis in dipl. præced. recenſitis. *Herm. d. Nurnb.*

Tertia die *Herrandus de Wildonia*, prædium *Mainhardi* proprii militis ſui, 6. manſus nempe in *Marchia ſeu Styria infer.* apud *Olſiniz*, & vineam *Averram* pro duabus filiabus Mainhardi in Admont monialibus, ſuper altare S. Blaſii delegavit. *Herrandus de Wildonia.*

Teſtes hic quidam novi occurrunt.

8. *Otto de Vitis*, } ambo ignoti. *Otto de Vitis.*
9. *Heinricus Gir*, } *Henr. Gir.*

12. *Carolus de Haginperge*, & *filius ejus Svvithardus* priori dipl. ſolus filius Svvihardus, huic vero etiam pater Carolus ſubſcripſit. *Carolus de Haginperge.*

13. *Wernherus de Wizinbach*, ſeu *Wizenbach. Wizenbach* locum Styriæ ſuperior. in Ennsthall indigitavit diploma præcedens, ex illo forſitan loco, & adſito quodam prædio Domini hi deſcenderint, quorum præter *Wernerum* hunc *Adelgerus* in dipl. Admont. 131. circa an. 1188. reperitur. *Wernherus de Wizenbach ſeu Weiſſenbach.*

14. *Dietmarus de Haus ſeu Haus*, exſtitit in ſuperiore Styria prope Schlamingam adhuc vicus duplex, Ober- & Unter-Haus, a quorum uno hic *Dietmarus*, vel ejusdem Dominus ſe ſcripſit, vel ex eo loco teſtis petitus fuit. *Dietmarus de Hus vel Haus.* Ober- & Unter-Haus.

Wernerus de Haus an. 1274. ſubſcripſit dipl. Göſſenſi 56. inter milites Styriæ, & alios nobiles Dominos ſecundo loco: ac contra eundem an. 1255. ſententia confiſcationis lata eſt a Judice Prov. Styriæ apud Frælich. dipl. part. 2. fol. 184. his verbis: *Bona tua Wernarde de Haus in Buchevv pro M.* C. aſſignantur, nempe Eccleſiæ Teutonicorum Græcenſium, quibus antea injurius erat. Ex quibus proin Dynaſtas hujus nominis exſtitiſſe colligo.

15. *Alker de Engilbartisdorf*, exiſtit in Auſtria locus *Englpoltſtorf*, & oppidum in circulo Husruggenſi dictum Engilhartszell, quod forte, antequam oppidum fieret, dictum eſt Engilhartisdorf. Incertum tamen, an ab hoc loco Alkerus ille vel vocatus ſolum fuerit, vel nomen tulerit, nullibi enim alias legitur. *Alker de Engilbartisdorf.* *Loca varia.*

De noſtris ſeu Eccleſiæ Admontenſ. Miniſterialibus citatur.

1. *Durinch de Halle*, v annot. dipl. 43.

2. *Eppo de Rute*, fors *de Rota*, v. annot. dipl. 9. ſecus incognitus Rute locus juxta fluv. Chremſee.

3. *Marquardus*, *Rudigerus* ſervi noſtri.

Ad

Ad Diplom. 71.

Ad Diploma 71.

Ottocar. VI. in Guetenberch caſtro Styriæ agit. Leut. de Gutenb. Wilh. de Hunnenberch. Herrandus de Wildonia. S. Dionyſ. Par. intra Leob. & Muræpontum.

Privilegium hoc Göſſenſem Parthenonem reſpicit, etenim Ottocarus VI. in Styriæ caſtro **Guetenberg** ſupra Græcium, ad montem Geſaccum, Kalendis Octobris exiſtens Diplomate dato inſinuavit, quod nob. quidam *Luitoldus de Guetenberg* partem ſui prædii filiabus *Chunegundi & Gertudi*, præſentibus earum maritis *Wilhelmo de Hunnenberg*, & *Herrando de Wildonia*, aliisque plurimis amicis & fidelibus tradens, hanc tamen fecerit exceptionem, ut jus patronatus in *Eccleſia S. Dionyſii Martyris infra Muræpontum & Leobium ſita*, quod ad Luitoldum Guetenbergicum tanquam fundatorem & prædii collatorem ſpectabat, cum omnibus ad id jus pertinentibus, & 50. huebis ſui prædii valeat, cuicunque vellet, perſonæ conferre.

Aſſenſere illico filiæ duæ, earumque mariti patris voluntati, utque hoc firmum ratumque eſſet, Ottocarus diplomate, ſuo ſigillo munito, teſtibusque ſubſcriptis roboravit. Huebæ vero, quas ſibi Luitoldus reſervavit, ita enumerantur. Ad fluvium *Illenz* (forte nunc *Ilz*) in villa *Pircha* dicta, 10. huebæ, quod ſi vero *Pircha* in ſuper. Styria ad montem **Grôming** intelligatur, inibi etiam fluvius *Illenz* exiſtere deberet. In villa *Enpsdorf* in eadem forte vicinia non procul ab *Enspruck* ſita, 9. huebas, in villa *Ratensdorf* 2. huebas, item in villa *Pircha* 5. huebas, ad fluv. *Stulbenich* 1. huebam, ad *S. Dionyſium* 1. huebam in *Oberdorf*, uti & curtim *ad S. Dionyſium*, in *Palthall* in villa *Perndorf* 12. huebas, & quidquid ejusdem prædii in Palthall eſſet &c.

Ilz fluvius. Pircha villa. Enpsdorf, Enspruck. Ratensdorf.

1. *Chunradus & Rudolfus frater ejus, nobiles de Chindenberch*, v. annot. diplom. 47.

2. *Ottaker de Gratz*, v. annot. dipl. 7.

3. *Otto de Gratz*, ibidem.

4. *Albertus, & frater ejus* (deerit *Henricus*) *de Dunkenſtein*, v. annot. dipl. 7.

5. *Rudolph de Raſe*, v. annot. dipl. 48.

Hawart de Jun

6. *Havvart de Jun*, idem occurrit in dipl. ſeq. & in dipl. Göſſ. 17. ad an. 1214. legitur *Hartvvicus der Jung, & filii ejus*, & anno 1263. in fundat. dipl. Parthenon. Studenizenſis apud Frælich. part. 2. dipl. fol. 301. legitur *Gundackerus de Juna*, & in dipl. cod. Admont. num. 43. circa an. 1187. ſubſcripti ſunt *Pabo & Chunradus de Jun*; unde vero hi Domini de Jun derivandi ſunt, an ex Styria, an e Carinthia & valle Jaunenſi ibidem ſita? hactenus eruere non poteram.

Gundakar, Pabo & Chunr. de Jun.

Haidenric. de Griffen Henr. Ulric. & Agnes de Heunburg. Griffen arx cum oppido. Heunburg de Frid. & Udalr. ultimi.

7. *Haidenreich de Griffen*, idem occurrit in dipl. ſeq. atque anno 1278. *Henr. de Griven* apud Voitſperg diplomati *Ulrici & Agnetis Heunburg.* teſtem egit, v. dipl. Ducatus Styr. part. 2. fol. 141. Domini hi ad Carinthiam ſunt referendi, etenim in Carinthia exiſtit *Griffen arx* vetus & diruta, olim Epiſcopi Bambergenſis, hodie aulæ Cæſareæ, & oppidum etiam Griffen cum Canonia Præmonſtratenſi ab *Udalrico ultimi Comit. de Hainburg* fundata: ab arce illa Griffen altiſſimæ rupi impoſitæ, Dominos de Griffen deducendos opinor, qui tamen, forte cum Henrico ſupra nominato interierint, cum an. 1307. & 1313. caſtrum illud *Hermannus & Nicolaus fratres* dicti *de Falbenhaupt* poſſederint,

Falbenhaupt de Herm. & Nic.

teſte

teſte Wurmbr. fol. 81. ex MS. Rainachiano, ubi ſimul ait, caſtrum hoc hodie Archiep. Salzburg. ſubeſſe; ſed Megiſerus & Topographi docent: Bambergenſi ſedi adſcriptum eſſe. Plura de his Carinthi agunt.

8. *Schilbung de Haylesberg*, ignotus, neque alio quam hoc & ſeq. diplom. invenitur. *Haylesberg de Schilbung.*

9. *Lantfrid de Eppenſtein*, v. annot. dipl. 37.

10. *Otto de Chremeſe*, v. annot. dipl. 36.

11. *Ulrich de Stubenberg*, v. annot. dipl. 4.

12. *Otto de Liuben*, v. annot. dipl. 19.

13. *Heinrich de Walterberg*, iignotus, & hoc ſolum ac ſeq. dipl. cit. *Walderperch de Heinr.*

14. *Leutold*, *Ruedolph*, *Gotſchalch fratres de Hyntberg*, hos corrigit ſequens diploma, ubi eosdem *fratres de Nytberg* vocat, de quibus dictum annot. diplomat. 36. in quo hos tres fratres fuiſſe oſtendi.

15. *Albertus de Lochauſen*, *Otto filius*, *& ejus filius Otto Saxo*, v. annot. dipl. 6. *per Ottonem Saxo* puto intelligi *Ottonem de Stein*, forte privignum Alberti, qui viduam quandam de Stein uxorem habuerit. *Saxo de Otto.*

16. *Wichard de Waltſtein*, & *Walter frater ejus*, v. annot. dipl. 7.

17. *Conradus Durinch*, *& frater ejus*, ſeq. dipl. citatur *Durnich*, de Dominis *de Duringerſtarff* egi annot. dipl. 25. ignoti denuo teſtes. *Durinch de Conrad.*

18. *Hartvvic*, *Hartman*, *Hermann*, *Bernhard*, *Gundacker*, *Gotſchalch*, milites proprii Domini Luitoldi *de Guetenberg*.

Ad Diploma 72. *Ad Diplom. 72.*

Eod. an. 1187. die Kal. Octob. dum nempe, ut dictum eſt, Ottocarus in caſtro *Guetenberg*, cum plurimis Miniſterialium, & nobilium ſuorum verſaretur, confirmavit exceptionem nobilis matronæ *Eliſabethæ de Guetenberg*, quæ præſente marito ſuo D. Luitoldo, præſentibus etiam filiabus ſuis *Chunegunde* & *Gertrude*, eorumque maritis *Wilhelmo* & *Herrando*, aliisque amicis & ſubditis ſuis adſtantibus, de omnibus prædiis ſuis excepit ſibi licentiam donandi, cui vellet ſequentia: 1. Jus patronatus Eccleſiæ S. Viti in Prelep cum univerſis terminis ſuis, quod ad ipſam velut fundatricem & collatricem prædiorum ſpectabant. 2. Univerſum prædium in *Prelep* cum villicationibus, areis, vinetis &c. 3. Univerſum prædium in *Chocech* cum attinentibus, & villicatione in *Mel*. 4. Univerſum prædium *Heunsdorff* in Auſtria cum vinetis & aliis attinentibus, quod prædium præcipue ſuæ ſepulturæ aſſignavit. *Ottocar. VI. in caſtro Gutenberch agit. Eliſ. Guetenb. excipit ſibi licentiam quædam donandi cui vellet. S. Viti in Prelep Eccleſia. Præd. ibid.*

Plures Eccleſiæ *S. Viti in Prelep* plebanos ex veterum documentis habemus. *Surinchus plebanus*, ſeu der Pfarrer zu Priſepp ſubſcripſit Göſſenſenſi 22. an. 1300. poſt hunc forte an. 1326. *Hartnidus* Parochus in Prilep invenitur in dipl. Göſſ. 29. ante hoc tempus diſſenſio aliqua inter Abbatiſſas Göſſenſes & Parochos de Prilepp orta fuerit, etenim dipl. Göſſ. 69. an. 1293. dato, teſtatur *Offenna Abbat.* & Conventus in Göß, quod inter ſe & *Iſingum plebanum S. Viti* in Prelep ſuper quorundam terminorum juribus quæſtio fuerit exorta, hanc ut finirent, arbitros utrinque elegerunt, qui litem terminarent, quæ etiam feliciter terminata eſt, ut ſuo loco plura. Idem *Iringus* plebanus in Prelep an. 1298. litteram impignorationis curiæ in Sperchenwinkl *Plebani varii in Prelep. Controverſia eorum cum Göſſ. Monaſt.*

Collatio Paroch. eſt Monaſt. Göſſ.

edit, in qua etiam *Heradem Abbat. Göſſ.* Dominam ſuam vocat; ax quibus proin patet, Eccleſiæ hujus parochialis collationem ad Göſſenſe Monaſterium pertinere. 1325. *Hartnidus plebanus in mante S. Viti in Prelep* fatetur in dipl. Göſſ. 80. ſibi a Dom. ſua *Perchta Abbat.* ac Conventu Göſſenſi, ob proprietatem boni in monte Gumpoltzberg 7. ſolidos denar. Græcenſ. donatos fuiſſe, unde promittit annuatim ipſi Dominæ & Eccleſiæ Göſſenſi jus Dominii, cujus uſusfructus ad unam libram denariorum ſe extendit, reemere, ac donare; an. 1338. *Ulricus Plebanus in Prelep* ſubſcripſit diplomati Göſſ. 81. plura de his tom. 2. & reliq. occurrent.

Eliſ. de Guetenberch. Ulr. de Peccab.

Aliud etiam prædium *Eliſabetha de Guetenberg* in manu cujusdam nobilis viri *Ulrici de Peccab* tradendum deſignavit: deſignatorum horum prædiorum, ubi abrenunciaverunt parentes, fines & termini ſunt adnotati, quæ omnia dein Dux Ottocarus diplomate & ſigillo ſuo muniit, teſtesque ſuos adhiberi juſſit, qui tamen iidem fere, qui diplomatis præcedentis, niſi quod hic Salbung, in priore vero *Schilbung de Hallesberg* legatur, & apud *Alberonem de Lochuſen, Otto filius, & ejus filius Otto Saxo* omittatur.

Ad Diplom. 73.

Ad Diploma 73.

Ottocarus Dux, Adalberto Salzburg. Archiep. ſcribens inſinuat, ſe ad preces Adalberti hujus capellas duas, ſuæ ditionis ac proprietatis (quas a plebeſano ſeu parochiali jure abſolutas, præter jus, conventum *in placito Chriſtianitatis* ſeu *Synodo* convocandi, ſibi progenitores ſui liberas transmiſerant, quasque interdum per proprios Sacerdotes, interdum per plebanos in *Lieſnich* procurari ſinebat) nempe *Eccleſias S. Petri & S. Jacobi apud Leoben* Monaſterio Admont. integre tradidiſſe ita quidem, ut ſi poſthac Eccleſia plebeſana, ſeu parochialis in *Lieſnich*, per Salisburgenſes ab Admontentenſi Monaſterio auferretur, hæ tamen capellæ ſemper penes Admontenſes manerent.

Placitum Chriſtianitatis ſeu Synodus.

Eccl. S. Petri, & S. Jacobi in Leub. Admont. datur.

Lieſnich Paroch. Chrungilſee, ſeu Grundlſee.

Donatio hæc Ottocari VI. facta eſt apud *Chrungilſee*, hodie fors *Grundlſee*, ſupra Auſſeam, & poſſedit hoc tempore capellas has Sifridus Capellanus Ottocari Ducis, qui eas etiam ob gratiam Ottocari & Admontenſium reſignavit.

Inter Parochias modernas Admontenſium invenio *Parochiam S. Michael in Lieſnich*, ſeu ad fluv. Lieſnich, & ad Muram, cujus an hodie filiales adhuc ſint, *Capellæ S. Jacobi, & S. Petri Leobii?* nondum certo reperi. Teſtes rerum harum geſtarum

1. *Albero Plebanus de Ruckerſpurg.*
2. *Sifridus Capellanus Ottocari Ducis*, qui eas 2. Capellas reſignavit.
3. *Albero de Werſes* ſeu *Uverſes*, v. annot. dipl. 69.

De Miniſterialibus Ottocari Ducis teſtes erant.

1. *Richerus de Marchburch, & filius ejus Richerus*, v. annot. dipl. 46.
2. *Gerrandus (Herrandus) de Wildonie*, v. annot. dipl. 53.
3. *Erchingerus de Landis*, aliis *Landeſer*, & frater ejus *Gotſcalcus*, v. dipl. 53.
4. *Ulricus de Stubenberg*, v. annot. dipl. 4.
5. *Otto de Crembs*, v. annot. dipl. 36.

6. *Otta-*

6. *Ottacher de Grez*, v. annot. dipl. 7.

7. *Gundakar Junior de Steyer*, v. annot. dipl. 6.

8. *Ulricus de Wolchinſtain*, v. annot. dipl. 9.

9. *Otto de Sibeneck*, & frater ejus *Thomas*. Inter Styros non inveniendi. Carnioli erant, ubi arcem ejusdem nominis exſtruxerunt, v. Valvaſ. lib. 11. fol. 527. *Sibeneck de Otto & Thomas.*

10. *Marquard de Starkenberg*, v. annot. dipl. 14. 70.

Ad Diploma 74. *Ad Diplom. 74.*

Traditio hæc eſt *Hervvici Boemi* Mareſchalli Ducis Styriæ, qui iturus Jeruſalem anno 1188. antea ſuper altare S. Blaſii delegavit, cum licentia Ducis ſui Ottocari, prædium ſuum ad *Velvvinbach*, cum Eccleſia adjacente, uti a Duce prænotato illud in proprietatem ſuſceperat, nempe 27. manſus, quorum 8. ad Eccleſiam pertinent, quæ etiam excepta erat a jure parochiali. *Herwic. Boemus Mareſch. Duc. Styr. Velwinbach. prædium & Ecc.*

Jam ad an. 1188. dixi, plures nobilium Styriæ bello ſacro nomen dediſſe, hosque inter Herwicum Boemum, Mareſchallum Ducis Styriæ: quæpiam de Herwico hoc dicta jam ſunt in annot. diplom. 62. prædium *Velvvinbach*, ſi non idem cum moderno prædio & oppido Feldbach, nunc Cæſareo, inter Styriæ loca non invenio. Teſtes traditionis hujus erant *Styr. nob. 1188. adeunt Palæſt. Feldbach oppid. Styriæ.*

1. *Gerungus de Stutarn*, *Rapoto* miles ejus, v. annot. dipl. 21.

2. *Chunradus miles de Pichele*, *Dietricus miles* frater ejus. *Pübel* vel *Pichel* arx eſt circuli Judenburg. DD. Baronum de Gabelkoven propria; arx præterea Pichlern prope Rottenmannum olim Dominorum *de Pichel*, quæ familia tamen jam ſepulta eſt. *Waltherus* in dipl. 11. Admont. ad an. circiter 1139. occurrit, cæteri ſatis incogniti. *Volkmarus de Pichel* famulus Friderici Stubenbergii, an. 1191. a Lankenbergio capti eo anno exponetur. *Pichel arx Styr. de Chunrad. & Dietric. Walth. Pichlern arx St.*

3. *Herbard de Ode*, fors *de Orte*, de quibus actum annot. dipl. 13. inter captos Salzburg. in prælio Mühldorf an. 1322. legitur *Henricus Oeder* miles ejus, ſeu famulus *Nicolai* nempe *de Traun*, uti vide auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 448. cui tamen non aſſentior; ex plurimis enim veter. dipl. nomine *militum* intelligi *Equites* ſeu *ordinis equeſtris* viros ſatis clare patet. Unde fors ex familia Salisb. fuerit; vereor enim ab his deducere Comites *de Oetb*, quorum memoria jam an. 1246. inſignis erat; ut Hier. Pez tom. 1. col. 1071. *Herbard de Ode. Oeder Henric. Nicol. de Traun. Miles idem ac Eques ſeu equ. ord. vir.*

4. *Engilbertus miles de Chapfinberg*, v. annot. dipl. 14.

5. *Dietricus Oeconomus de Rottenmann*, œconomi nomine hic Præfectum opinor intelligi urbis Rottenmann, de qua plura Diſſert. 1. dixi. *Henricus Rottenmannius* an. 1258. Ulricum Salzburg. captum arci Wolkenſtein incluſit. *Rotenmann de Dietricus.*

6. *Guntherus de - - Eckibartus frater ejus*, ignotus.

7. *Henricus miles de Tiurvvanch*, ignotus. *Tiurwanch de Henric.*

8. *Otacher de Privbaven*, antiquiſſima Equitum Styrenſium familia, cujus inſignia & Genealogiam quandam depingit Prevenh. fol. 23. &c. *Ditmarus* jam an. 1126. teſtem egit diplomati Cremifanenſi, *Ottocarus* hic an. 1213. in litteris Garſtenſibus invenitur, hujus frater *Rudolphus*, *Privbaven de Otacar. Ditmarus, Rudolph.*

Albero. & *Ottocarus* cum *Alberone* an. 1202. 1205. *Bertholdus* & *Henricus* an. 1186. plures horum refert cit. Prevenhueb. uſque ad an. 1422. quo exſtincti ſunt, aliqui eorum in Monaſterio Garſtenſi ſepulti ſunt.

Prurndorf. Albert. & Chunradus. 9. *Albertus & Chunradus de Prurndorff*, ignoti.

Irnpurch de Wernhard. 10. *Wernhardus miles de Irnpurch*, ignotus.

11. *Egilolfus de Pichele*, ex fam. de Pichel, de quibus ſupra dictum.

12. *Sifridus de Wulfingin*, fratruelis Herwici, denuo ignotus.

Wulfingin de Sigfrid. 13. *Dietricus de Sulzbach*, ſervus Conradi &c. proin nullius nobilitatis, & de loco ſors ſolum nomen trahens, interim obſcure in hoc diplomate teſtes recenſeri obſervo.

Ad Diplom. 75.

Ad Diploma 75.

Corrigit errorem ſuum Ottocarus VI. quem ut juvenis ſub malis pædagogis conſtitutus (ut dipl. 77. dicetur) ſe commiſiſſe fatetur, etenim cum Pater ſuus Ottocarus V. Monaſterium Runenſe, a Leopoldo forti inibi ſepulto conſtructum, cum aſſenſu benevolo conjugis Chunegundis Marchioniſſæ ampliaſſet variis fundis, uti 2. patellis ſalis apud *Aborn* in *Ennsthall*, & aliis, quæ in dipl. meo 13. retuli, Ottocarus VI. hæres mox ab obitu patris ſui, ad ſuum detinuit ſervitium tres villas, nempe, Retz, Straßindl, & Judendorf. Jam vero Dei nutu admonitus, & ſuam injuſtitiam recognoſcens, easdem villas ex toto abdicatas Monaſterio Runenſi reſtituit Græcii in civitate agens in die S. Laurentii. Teſtes Græcii præſentes

Ottoc. VI. reddit Runenſibus ablata nempe villas Rez, Straſſindl, & de Ju-

Ortlieb. Archi-Presb. Viſchach. 1. *Ortliebus Archi-Presbyter Capellanus meus de Viſchach.*

Henr. Paroch. Græc. 2. *Henricus plebanus de Græce.*

Conrad. Paroch. Marchburg. 3. *Conradus Plebanus de Marchburg.*

Wernard. S. Ruperti ad Rabam. 4. *Wernardus Plebanus S. Rudberti ad Rabam.*

5. *Conradus de Chindenberg*, v. annot. dipl. 47.

6. *Otto de Volkinſtorff*, v. annot. dipl. 25.

7. *Ottocher de Grätz*, v. annot. dipl. 7.

Gleichenberg arx de Herman. 8. *Hermann de Glichenberg*, Gleichenberg arx eſt Styriæ in circulo Voravienſi, nunc Comitum de Trautmanſtorff, hujus arcis inter poſſeſſores, & Dynaſtas Hermannus hic numerandus erit; aſt, quod doleo, præter Hermannum hunc, nullus ex GleichenbergiisDynaſtis hactenus mihi innotuit, ut adeo documenta domeſtica ex arce hac exſpectem, e quibus dein plures detegi poterunt.

Ad Diplom. 76.

Ad Diploma 76.

Anno 1191. Ottocarus Dux, cum hœreditales ſucceſſores ad gubernandum Principatum ſuum ſibi abeſſe ſumme doleret (quod cœlebs, & non deſponſatus ſaltem dolere prudenter vix poterat, ut Diſſert. 4. dictum) B. V. M. ſibi ex parte hæredem elegit, atque ea de cauſa Seccovienſi B. V. M. Monaſterio 1. Prædia in Waltensdorf cum omni poſſibili utilitate donavit, & quidem uſque ad fluvium *Pelſe.* 2. Adjunxit *alpem ſuam ſupra Judenburg*, alias etiam Sealb dictam, ut nimirum in ea Seccovienſes poſſint *Formadias*, vulgo Schwaigas inſtituere. Diploma hoc deſuper confectum, ejusque ſigillo munitum eſt.

Ottoc. VI. dat Seccov. Eccl. Præd. in Waltensdorf ad fluv. Pels.

Alpem ſupra Judenb. ſeu Sealb.

Formadia id ad Schwaiga.

Diplo-

Diplomati huic per errorem annexus eſt an. 1172. reponendus vero erit annus 1191. vel ſequens, cujus rationes duas aſſigno: 1. quia in fine dipl. dicitur imperante D. Henrico VI. Imper. qui anno 1191. die 14. Aprilis primum Imperator eſt appellatus. 2. Quia Ottocarus dolet ſe hæredem non habere, ſed hoc an. 1177. quo Ottocarus primo 14. erat annorum, dolere non poterat, cum ſpes adhuc omnis hæredis obtinendi ſuperfuiſſet. Teſtes erant donationis hujus apud Judenburg factæ:

1. *Wilhelmus Comes de Haynburch*, v. annot. dipl. 4. & 6.

2. *Rudolphus de Treinſtain* (fors *Traunſtein*) Dominos ac Dynaſtas hos e Styria noſtra fuiſſe declarant donationes, quas Epiſcopio Seccovienſi, aliisque Styriæ ſacris locis fecere, dolendum ſolum, quod paucos admodum reperire licuerit, *Rudolphus* hic ſæc. 12. ac ſæc. ſeq. floruit, & Monaſterio Vorav. multa damna intulit, ut v. Chron. Vor. *Wulfingus I.* & *Ortolphus fratres*, *Wulfingus de Trevenſtain*, an. 1257. ſubſcripſit ceſſioni litis cum monialibus Admontenſibus, ſigillumque ſuum appreſſit, ut v. diplom. Styr. part. 2. fol. 226. anno 1271. Epiſcopatui Seccov. munificus fuit, uti enim habet diploma 50. ejus Epiſcopatus, mediante *Diemude conjuge Wulfingo* filio proin *II.* & *Margareta* filia conſentiente, 10. marcarum redditus in *Vogan* fors Vogau penes *Leibnizium* donavit Epiſcopatui S. Mariæ in Seccovia an. 1247. in dipl. Göſſ. 56. inter 13. Miniſteriales quarto loco recenſentur *Wulfingus & Ortolphus fratres de Trevvenſtain*, & dipl. Göſſ. 65. iidem duo, fratres ſe dicunt, & donationem quandam ab *Henrico de Ebrnfels* factam teſtantur, reliqua progenies eorum latet. *Tramſtein vel Treunſtain de Rudolph.* *Wulfing. I. Ortolphus.* *Wulfingus II.* *Henr. de Ebrnv.*

3. *Wulfingus de Capfinberg*, v. annot. dipl. 14.

4. *Ulricus de Stubenberg*, v. annot. dipl. 4.

5. *Hertnidus de Ort*, v. annot. dipl. 13.

6. *Herrandus de Wildonia*, v. annot. dipl. 53.

7. *Offo de Offenberch*, hi Domini in Styria morati videntur, etenim *Ditmarus de Offenberch* Græcii an. 1262. cum aliis nobilibus Styriæ ſubſcripſit diplomati Brunonis Epiſcopi Olomuc. Judicio in Graz pro Seccovienſibus litem decidentis, ut v. dipl. 75. Seccov. an. 1275. *Gundaccarus* frater an. 1158. Miniſt. Salisb. erat. Dietricus *de Fulm Burggravius in Offenberch*, cum aliis Caſtellanis & officialibus defendere Seccovienſium immunitates jubetur. V. Seccov. 99. cum vero *Burcardus* hic *in Offenberch* dicatur, loci Caſtellanus fuiſſe videtur; qualem an. 1286. lego in dipl. Seccov. 116. nimirum D. *Chunradum de valle*, tunc *Caſtellanum in Offenberch*. Cæterum *Offenberch* Dynaſtia eſt Styriæ ſuper. in circulo Judenburg. Principis de Schwarzenburg. *Offenberch de Offo.* *Ditmarus.* *Chunr. de valle.* *Offenberch arx.*

8. *Ditmarus de Liechtenſtain*, v. annot. dipl. 42.

9. *Rudolphus de Raſe*, v. annot. dipl. 48.

Ad Diploma 77. *Ad Diplom. 77.*

Diploma hoc referunt Puſchius parte 2. fol. 61. & Ludewigius tom. 4. reliquiarum MSS. In eo Trunenſi fano ſuam reſtituit immunitatem Ottocarus, etenim cum Cœnobium illud vi privilegii a quodam proavorum ſuorum Ottocaro Comite, dato ab omni advocati exa- *Trunkirch.* *Monaſt. immunitas reſtituitur.*

ctione immune hactenus exſtitiſſet, Ottocarus VI. ut ipſe fatetur, adhuc ſub prædagogo poſitus, & ab iniquis conſiliariis ſeductus Monaſterio Traunkirchenſi *Arnoldum II.* nempe (ut v. annot. dipl. 47. & 6.) *de Wartenberg* Miniſterialem ſuum præpoſuit, qui dein abuſus libere juſtitia loci, diverſas exactiones exercebat: ubi vero hoc anno vel antea a *Diemude Abbatiſſa* loci, & Capellano ſuo *Eberhardo* deſuper monitus eſt Ottocarus Dux, illico eundem Arnoldum ab Advocatia hac amovit, & priora jura veteris privilegii confirmavit, quæ acta ſunt *apud Aneſum in interiore domo Rivvini, qui tunc temporis monetam tenebat*, ſeu, ut judico, qui tum monetarum excuſſor erat.

Arnoldus II. de Warteuberg injurius ei Monaſt.

Eiemud Abbat. Traunkirch.

Eberhard. Capel. Ottoc. VI.

De Traunkirchenſi Monaſterio, reparatione, fundatione, ac Abbatiſſis plura dixi Diſſert. 4. Teſtes qui jura Traunkirchenſia jurejurando firmarunt, ſunt

1. *Gundaccar de Styra*, v. annot. dipl. 6.
2. *Otto de Volkerſtorf*, v. annot. dipl. 25.
3. *Pillungus de Kirchheim*, v. annot. dipl. 60.
4. *Richerus de Marchburg*, v. annot. dipl. 46.
5. *Hertnidus de Orte*, v. annot. dipl. 13.
6. *Heinricus de Glunich*, v. annot. dipl. 6.
7. *Eberhardus Plebanus de Trunkirchen*, fors Ottocari Ducis Capellanus, cujus in hoc dipl. meminit.

Eberhar. pleban. Traunkirch.

8. *Gerlach de Thalheim*, arx Auſtriæ in circulo Husruggenſi *Talheim* dicta, hodie Comitibus de Seeau parens, ſæculo 13. Polheimiorum fuit, etenim *Alberonis de Polheim* an. 1253. defuncti filii, *Albero Philippus Henricus & Weiccardus* inter alia, Dominii directi jus in dimidio prædio Talheim, pro anniverſario patris ſui dimiſerunt, ut v. Wurmbr. fol. 157. imo eo in prædio *Talheim prope Wartenberg*, ſeu ad S. Annæ in *Wartenburg* ex familia Polheimiana plures ſepulti ſunt, ut v. Wurmbrand. cit. fol. 182. defecerint itaque Domini *de Talheim* ſæc. 13. initio, atque ab iis per nuptias, vel alio quocunque contractu dominium Talheim in Polheimios eſt translatum.

Talheim arx de Gerlach.

Albero de Polh. Albeo, Philipp. Henr. Weicc.

9. *Engilſcalcus & Hartungus de Pullicheim*, } ignoti omnes.
10. *Henricus de Rullisheim*, }

Pullicheim de Engilſcalc.

Rullisheim de Henr.

Ad Diploma 78.

Ad Diplom. 78.

Diploma hoc ad an. 1142. pertinet quidem, ſed cum tardius e celeberrima Cathedrali Seccovienſi acceperim, in fine cum aliis inſerui; fragmentum ejus diplomatis habet Frælichius in dipl. Ducatus Styriæ in dipl. Seccov. 4. agit id de translatione Canoniæ ex loco primario fundationis *Feuſtrize* in locum *Seccau*, de qua hactenus fuſius jam egi, id ſolum ex hoc diplomate notandum: Conradum Archiep. Salzb. non ſolum hanc translationem approbaſſe, ſed etiam indulſiſſe, ut in ſignum veteris fundationis in Feuſtritz factæ, inibi a Præpoſito & Capitulo Seccovienſi unus ex confratribus Monaſterii jugiter manſurus inſtituatur, qui tam *Capellæ Feuſtrizenſis*, quam *S. Joannis Evangeliſtæ* curam habeat, & Divina obſequia in utraque Capella pro viribus expleat. &c.

Feuſtriz Eccl. primar. fund. Sec. fit Parochia.

Actum

Actum est hoc Friesach anno Incarn. Dom. 1142. *Indict.* 5. *præsentibus & adstipulantibus vener. fratribus Altmanno Trident. Romano Gurcensi Episcopis;* Indictio anno exacte congruit.

Facta est itaque S. Mariæ in Feustriz Capella a Conrado Archiep. Salzb. Parochia, atque Capitulo Seccovienſi est incorporata, v. dicta anno 1142. Testes erant:

1. *Udalricus Dux Carinthiæ*, qui ab anno 1135. ad 1143. circiter præfuit primus hujus nominis

2. *Ottocharus Marchio Styriæ*, nempe *V.* seu fundator Vorav. & Advocatus Seccovienſis.

3. *Adalbero de Olsniz.* *Olseniz*, locum Styriæ infer. fuisse ex dipl. 69. & 70. patet, ubi inter loca Marchiæ numeratur; ast puto legendum de *Oesniz*, cum in dipl. Seccov. 3. eodem tempore & loco, iisdemque sub testibus dato *Adalbertus* hic *de Oesniz* legatur. Cætera latent. De Elsnitziis v. tom. 2. in annot. dipl. 38. *Adalbero de Olsniz v. Oesniz loc.*

4. *Adalaricus Dapifer*, denuo descriptoris manu intercurrerit error, cum in dipl. Seccov. 3. *Adalbero Dapifer* inveniatur, quis vero fuerit; non exprimitur.

5. *Herrandus de Herrantsteine*, ignotum in rebus Styriæ nomen. *Herrantsteine de Herrand.*

6. *Engelscalcus de Peccab*, v. annot. dipl. 9.

7. *Godefridus de Wittingen*, v. annot. dipl. 8.

8. *Godepoldus de Osterwize*, arx *Osterwiz* una Styriæ in circulo Celejenſi, nunc Comitum de *Schratenbach*, altera Carinthiæ, fortalitium insigne & avitum Illustriss. gentis de Khevenhüller, utraque Dynastas suos veteres habuerit, ex quanam vero serie hic Godepoldus fuerit? ignoratur, Lazius qui lib. 6. de migr. gent. fol. 193. eorum seriem, qui Carinthiæ Pincernæ erant, texit, Godepoldi hujus non meminit, ut adeo Godepoldus hic ex serie Osterwizenſium in Styria videatur. Breviter eorum catalogum adfero: *Osterwiz de Genealo. Godepold. locus.*

Hermannus I. a Lazio cit. ad an. 1158. reponitur ex fundatione Monasterii Scotorum Viennæ, Megiserus ad an. 1199. Pincernam Carinthiæ fuisse docet, quem sequitur auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 465. *Hermannus I. de Osterwiz.*

Ortolphus de Osterwiz an. 1255. in dipl. Göſſenſi 41. sine tit. Pincernæ legitur, ubi inter defensores Ecclesiæ Göss. & fundorum ejus recensetur, hunc neglexit Lazius referre, forte hic ex linea Osterwizenſi in Styria fuit. *Ortolphus.*

Reinberus I. Pincerna, seu *Schenck de Osterwiz*, ex actis & docum. publicis mihi visus est, ita enim lego in dipl. Göss. 31. dato a Bernardo Duce Carinthiæ an. 1236. cui inter testes subscripsit *Reinberus Pincerna de Osterwiz*, Lazius eum solum memorat, qui sæc. seq. circa an. 1330. floruit, & *Reinberus II.* fuit, hunc vero primum ignoravit. *Reinberus I.* *Reinberus II. de Osterwiz.*

Hermannus II. etiam a Lazio prætermissus an. 1280. & 1283. in dipl. Göss. 63. & 66. inter testes visitur, sed sine adjuncto Pincernæ nomine, forte & hic ex castro Styriæ oriundus. *Hermannus II.*

Reinberus II. Pincerna de Osterwiz circa an. 1330. &c. floruit, hic arcem *Osterwiz* in Carinthia contra Margarethan Tyrolenſem, vulgo Maultaschiam strenue defendit, quod fuse referunt Valvas. lib. 15. Chron. Carn. fol. 316. &c. Megiserus, aliique. *Reinberus II.* *Osterwiz arc. in Carinth. ret.*

Her-

Hermannus III. *Hermannus III.* Pincerna de Oſterwiz reperitur ſubſcriptus ad an. 1360. in dipl. Run. 50. & Teutonicorum Græcenſium 25. dato a Rudolpho IV. Archid. Auſtriæ. Idem an. 1362. præſens, & ſubſcriptus *ſummus Pincerna Carinthiæ* inſtrumento confœderationis Archiducum Auſtriæ, cum Ludovico & Caſimiro Hungariæ & Poloniæ Regibus Poſonii 31. Dec. facto, ut v. Wurmbrand. fol. 265.

Nicol. & Joa. de Oſterwiz. *Nicolaus* & *Joannes* cum Hermanno mox dicto circa an. 1362. a Patriarchis Aquilej. & Artenburgi Comitibus in in feudum *Wipach*, & *Mosburch* caſtra accepiſſe traduntur a Lazio cit. & Nicolaus an. 1390. caſtrum *Mosburch* a Com. Gurcenſi Joanne in beneficium accepit, ut rurſus Lazius.

Mosburch caſtr. Carinth.

Greg. de Oſterw. Arch. Selzb. *Gregorius Pincerna de Oſtervviz*, an. 1370. Archiep. Salzb. fuit, de quo v. auth. Germ. Sacr. tom. 2. fol. 465. &c.

Udalricus. *Udalricus*, teſte Lazio an. 1428. egit Præfectum Carnioliæ, idem teſtatur Megiſerus, Wurmbrandius vero ſol. 92. id muneris ad eundem annum defert *Joanni de Oſtervviz.*

Joannes.

Jodoc. Wilb. *Jodocus* an. 1459. floruit, & *Wilhelmus* Monaſterio Victorienſi villam Landſchach an. 1469. vendidit, an. 1473. Prætor Carinthiæ fuit teſte auth. Germ. Sacr. cit.

Georgius I. de Oſterwiz. Rain urbs Styr. Polh. de Sigiſm. Georgius II. de Oſterwiz. Balbinus. Dietrichſteinii Pincern. Carint. Caſtra Finkenſt. Hollenburg. *Georgius I.* Pincerna an. 1475. infelix ille bellidux fuit, quo cum Turcis in Croatia prope *Rain urbem* commiſſo, noſtri cæſi ſunt, & *Sigiſmundus de Polheim* inter alios in captivitatem turcicam eſt abductus. Wurmbr. fol. 162. ejusdem filius *Georgius II.* ultimus familiæ cenſetur, quamvis alii *Balbinum* obtrudant, poſt quorum defectum *Dietrichſteinii* an. jam 1514. ut oſtendit Wurmbr. fol. 309. munus Pincernarum Carinthiæ obtinuerunt, cum Dominiis *Vinkenſtain* & *Hollenburg*, v. Laz. cit. plura de his Carinthiæ ſcriptoribus relinquo.

Choſtelwanch de Engelbero. Ulricus. Teuſſenbheh de Offo. 9. *Engelbero de Hoſtelvvach*, (lege *Choſtelvvanch*) præter hunc *Ulricus de Chuſtelvvanch* dipl. 86. videtur, hic *Offonis de Teuffenbach* frater dicitur an. 1198. in dipl. Admont. 112. v. tom. 2. annot. dipl. 12. uterini itaque fratres videntur, ſi mater Offonis defuncto marito Teuffenbachio, cuidam D. de Chuſtelwanch nupſit.

10. *Wilſingus de Steine*, v. annot. dipl. 4.

11. *Lantfridus de Eppenſteine*, v. annot. dipl. 37.

12. *Hernidus de Rogerſpurg*, v. annot. dipl. 4. & 7.

Willare de Winther. 13. *Winther de Willare*, ignotus teſtis.

Ad Diplom. 79.

Ad Diploma 79.

Notitia hæc Seccovienſis, nuperrime mihi communicata, & nondum Juris publici facta, Werneri I. Præp. Seccov. Illuſtriſſimæ familiæ Gallerianæ ideam nobis proponit: ait vero in hoc collector Seccovienſis, anno 1144. a die 11. Kal. Junii, incepiſſe annum quartum regiminis Werneri Præp. quem catalogus Præpoſitorum in hypocauſto aulico *Galler* indigitat. Idem ex MS. Kainach. docet Wurmbrand. fol. 149. in cap. 60. de Comitibus Galleris. Catalogus ſupra citatus ait, etiam Wernerum Præpoſitum anno 1240. regimen inchoaſſe, & præſuiſſe annis 19. quod etiam ponit Leonardus Arnberger Præpoſ. Seccov. in ſuo catalogo Præpoſ. ſed obſervat Collector Seccov. erro-

Wernerus I. Præp. Seccov. e famil. de Galler.

rem

rem manifeſtum, nam Wernerus electus eſt in Præp. Seccov. anno 1141. die 11. Kal. Jun. ut v. dipl. Seccov. 2. (in quo tamen de die electionis nil exprimitur) & lib. privileg. Seccov. fol. 51. pag. 1. ſubjicit Collector Seccov. Wernerum fuiſſe ad an. Chriſti 1142. mortuum 4. Kal. Octobr. incertum tamen, quo anno; ex quibus proin Wernerus non 19. annis, ſed ultra 50. præfuiſſet Seccovio; Wernerum I. Seccov. Præp. adhuc an. 1192. vixiſſe manifeſtat diploma Seccov. 26. datum a Leopoldo Auſtr. Ottocari ſucceſſore eodem anno 1192. dies adjecta non eſt, eo in diplomate Wernerus adhuc Præp. & Geroldus ejus dein ſucceſſor adhuc Decanus memoratur. An. 1197. in dipl. Seccov. 27. jam Geroldus Præpoſ. 2. Seccov. nominatur, ex quibus colligit Frælichius in notis ad hoc diploma, Wernerum I. Seccov. Præp. ſub annum 1196. obiiſſe, & quidem 4. Kal. Octobr. ut ex Necrol. Seccov. patet.

Werneri I. Præp. Seccov. regimen longum.

Wernerus I. Præp. Seccov. quando obierit.

Genealogiam Werneri I. Præp. Seccov. ita ſtatuit hæc notitia: *Geneal. Wern.*

Pater Henricus † 12. Kal. Junii.

Mater Albaidis, dein converſa ſanctimon. Seccov. † 4. Kal. Octobr.

Frater Perngerus Laicus † 8. Id. April.

Fratruelis Perngerus Presbyter † 13. Kal. Maji.

Hos omnes neglexit Wurmbrandius, & Bucelinus, operæ pretium erit integram illuſtriſſimæ hujus familiæ ſeriem attexere; antiquiſſima enim eſt Styriæ Comitum hæc familia, quæ idem inſigne cum *DD. Gall de Gallenſtein* gerit, teſte Lexico univerſ. Baſileenſi, earum geneſim neglexit Hübnerus, Lazius, pauciſſima Wurmbrandius ſolum refert, ex Bucelino itaque ſeriem formo, notis illuſtro, ac ex veterum documentis corrigo.

Galler antiquiſſ. Styr. familia. eorum inſigne.

Genealogia antiqua Com. de Galler.

A. Henricus Galler † 12. Kal. Jun.
B. Albeides N. uxor dein converſa in Seccove † 4. Octobr.
N. frater Henrici ex not. Seccov. v. littera *E.* ux. N.

C. Wernher. I. Præp. Secc. an. 1141. † circ. 1196. † 4. Kal. Oct. æt. circ. a. 86.
D. Perng. Laic. † 8. Id. Ap. ux. N.
E. Pernger. Presb. † 13. Kal. Maji.

F. Ditmarus I. an. 1279. ad 1296. † 5. Id. Jun.
G. ux. *Albaides* filia *Caſp. de Sauer.*
H. Otto I. an. 1287. ad 1296. benef. Seccov. ux. *Leukardes* neptis Henr. II. Epiſc. Seccov.

I. Ditm. II. 1299. 1311. † 8. Kal. Nov. ux. N.
K. Otto II. 1296. 1307. ux. N.
E. Eberlinus 1296.
M. N. filia mar. Rudolf. de *Holneck.*
N. Ottoc. I. ſeu ſen. 1309. 1317. ux. Eliſ. n. 2. fors Cunegund. de *Kainach.*
O. Dionyſ. I. 1317.
P. Ortlin an. 1317. uxor Eliſ. N. † 3. Id. Aug.

Q. Conr. 1313.

R. Dionyſ. II. 1317.
S. Erchinger. * vel Aicherl 1301. 1345. uxor Adelheis *Ottonis de Graben* filia.
T. Chunegund. m. Chriſtoph. † *de Teiffenbach.*

V. Ottocarus II. ſeu *Jun.*

W. Erbardus 1377. de uxore n. conſtat.
X. Joannes I. 1377. ux. Catharina de *Pernegg*, filia Offonis & N. de *Oſtervviz.*

Y. *Nicolaus* 1383. 1351. ux. Agnes de *Raming* filia Joan. & N. de *Knitlfeldt.* — Z. *Fridericus* frater Nicolai, floruit 1357.

I. Joannes II. floruit 1420 & 1430. ux. Gertrud. *de Lembach* filia Sixti. — *II. Andreas I.* 1432. 1469. ux. *Cath. Welzerin de Spiegelfeldt* filia Mauritii & *Elisab. de Herberstein.*

Wolfg. 1446. ux. N. — *IV. Joan. III.* a. 1440. 1461. ux. dubia. fors Can. Seccov. — *III. Andreas II.* 1458. 1504. ux. 1. Dorot. *de Pambkirchen*, 2. Anna de *Zobelsperg*, 3. Margaretha *de Geymann*, — *Barbara* ux. Georg. jun. *de Weisseneck.* — Pl. juv. ob.

1. *V. Christophorus* Præpos. Gurcen. — 1. *Wilhblm.* 1513. ux. Barb. de *Weideck*, Leon. filia. — 1. *VI. Sigismun.* 1505. ux. N. — Plures alii. — 2. *VII. Georg. de Schvvamberg* ux. Marg. *Geymann*, filia Christoph. & Barb. *Meyrlin.* — 2. *Marg.* m. 1. *Wolfg. Rindscheid*, 2. Frid. B. *Herberstein.* — 2. *Barbar.* mar. Wolfg. *Sackl.*

Henr. Galler. Wern. v. Bern. Præp. Seccov.

A. Henricum Gallerum, *Wernheri*, aliis *Bernardi* Præp. Seccov. patrem manifestat hæc notitia Seccovienſis, miror tamen, eundem in Necrol. Seccov. (ex quo nobis plures Domini de Galler innotuere) fuisse omissum.

Albaides dem conversa in Secc.

B. Albaides Werneri mater ex eadem notitia exhibetur, & quidem obiisse tanquam conversa sanctimonialis in Seccowe, de qua tamen Necrolog. Seccov. nihil habet.

Wernherus I. Præp. Seccov.

C. *Wernherus* filius eorum, Præpos. I. Seccov. de quo hactenus plura, Bucelinus & Wurmbrandius eum Bernardum vocant, claruit an. 1136. teste Bucelino imo longe antea, cum an. 1141. jam Præp. I. Seccov. fuerit, annorum tum, ut judico, certe 30., cumque circa an. 1196. obierit, patet eum venerabili senectute annorum circiter 86. obiisse, 4. Kal. Octobr. ut habet Necrol. Seccov.

Perngerus de Gall.

D. Perngerus Laicus, ut habet hæc notitia Seccov. Wernheri frater, proin Henrici nominati filius fuit, etiam hic in Necrologio omissus fuit. Interim, cum Bucelinus a Dietmaro I. reliquos hujus familiæ deducat, censeo sat probabiliter, Perngerum hunc Dietmari patrem fuisse, sicque series hæc suo ordine optime continuatur.

Pernger. Presb.

E. Perngerus Presbyter hic adductus clare exhibet, Henrico Wernheri Præp. Seccov. Patri fratrem alium fuisse, cujus tamen nomen ignoramus; cum enim Perngerus hic Presbyter, Wernheri fratruelis dicatur, filius fratris Henrici fuit, deest tamen etiam in Necrologio Seccovienſi Perngerus hic, ex hac proin charta supplendus.

Ditm. I. de Gall. Casp. de Sauer.

F. Ditmarus I. teste Bucelino, claruit an. 1280. uxor illi N. filia *Caspari Saueri.* De uxore non dubito, cum enim Wurmbrandio teste fol. 149. *Dietmarus II.* seu frater Ottonis, Ottocari, Conradi, & Ortelini circa an. 1313. Caspari Saueri cognatus dicatur, mater Ditmari II. nata ex familia de Sauer fuisse videtur, de nomine ejusdem Ditmari I. uxoris dicam lit. G. Ditmari hujus I. jam crebrior memoria occurrit; etenim ad an. 1279. *Ditmarus de Galla* inter testes dipl. Gösſenſis 61. occurrit. An. 1286. idem ab Henrico Abbate Admont. & Capitaneo Styriæ, arbiter cum aliis est electus ad litem quandam Seccovien-

covienſium terminandam, pro quorum jure etiam juramentum depoſuit, v. dipl. Seccov. 116. an. 1287. diplomati Epiſc. Seccov. 59. teſtis ſubſcripſit Ditmarus idem Græcii die 12. Kal. Sept. an. 1295. idem in Dipl. Seccov. 122. germanice exarato ita ſubnotatus legitur: Herr Dietmar aus der Geul, qui dein Galleri ſunt dicti, Dominiumque ſuum eo in diſtrictu ſupra Seccovium habuere, quod hodie adhuc in der Gail appellatur. 1296. annus Ditmari I. filios nobis exhibet; etenim eo anno ex dipl. Seccov. 125. fatetur, Ditmarus I. fratrem ſuum Ottonem donationem quandam Seccovienſibus feciſſe, ut v. in Ottone I. ſubſcriptum vero ita legimus: *Teſtibus Ditmaro, Ottone, Ercherlino filiis meis, Rudolpho genero meo &c.* de quibus inferius. Quo anno obierit, non conſtat, diem vero manifeſtat Necrologium Seccov. ad 5. Id. Junii dicens: *Obiit Ditmarus miles, pater Domini Dietmari de Geula.* Unde hoc tempore ex equeſtri ordine erant Domini de Geula. *Domini de Geula eorum domin.*

G. Uxorem Dietmari I. fuiſſe filiam *Caſparis de Sauer*, ex docum. Wurmbrand. & Bucelini mox oſtendi, nomen Alhaides detexit Necrolog. Seccov. *ad Kal. Martii* ſcribens: *Obiit Alhaidis, & mater Domini Ditmari de Geula*, quod vero mater Ditmari II. non primi fuerit, eruo ex eo, quod Ditmarus I. in Necrol. Seccov. cum addito militis, ſeu equitis referatur, non item ſecundus. *Alhaides de Galler nata d. Sauer.*

H. Ottonem I. de Geula a Bucelino, Wurmbrandio, aliisque omiſſum, exhibeo ex documentis Seccov. etenim an. 1296. in dipl. Seccov. 127. inter teſtes clare legitur *D. Dietmarus de Geul, Otto frater ejusd.* ad eundem an. in dipl. Seccov. 125. teſtatur *Ditmarus*, & quidem I. *miles de Geula*, & pater Ditmari II. Ottonis II. & Echerlini, fratrem ſuum Ottonem proin I. hujus nominis, Eccleſiæ Seccov. mortis cauſa donaſſe feudum ſuum, ſub Kreuzberg dictum in der Hueb 300. magnos caſeos annuatim perſolvens. Idem an. 1287. dipl. Ep. Seccov. num. 58. ſubnotatus videtur: annus obitus latet, diem probabilius eruo ex Necrol. Seccov. ad 17. *Kal. Febr. Otto Haulfo de Gæula, ob cujus remedium &c.* unde cum beneſactor Seccov. fuerit, loco hoc eundem notari opinor, uxorem ei fuiſſe declarat dipl. Seccov. 123. ad an. 1296. in quo Henricus Epiſc. Seccov. *Ottoni de Geula*, ejusque uxori, ac *nepti ſuæ Leukardi* fundos & agros circa Knutlfeld ſitos confert, cum vero Henricus Epiſc. in dipl. hoc dicat nepti ſuæ Leukardi, patet, uxorem Ottonis Leukardim fuiſſe hujus Henrici Epi. Seccov. neptem, an ex fratre vel ſorore? ignotum. Henricus hujus nominis II. Epiſc. Seccov. an. 1292. ex Præp. Salzburg. factus, qua ex familia fuerit? nondum comperi. *Otto I. de Galler.*

I. Ditmarus II. filius Ditmari I. ex Dipl. Seccov. 125. cit. quem Bucelinus juniorem vocat, ſed cui per errorem tribuit filios, qui ſolum fratres erant. Claruiſſe eum vult Bucelinus circa annum 1300. & uxorem habuiſſe familiæ incognitæ, præter dipl. Seccov. num. 125. & 127. ſupra cit. exhibent eum varia alia documenta, uti diploma Ep. Seccov. num. 61. ad an. 1299 Seccov. 146. ad an. 1309. Seccov. 152. ad an. 1311. in quo inter teſtes leguntur *Ditmarus & Otacherus fratres de Geula*, qui in dipl. Seccov. 141. apertis verbis vocatur *Ottocharus Geuller*, v. etiam lit. *F.* & *G.* in Necrol. Seccov. ad 8. *Kal. Nov.* legitur *Ditmarus II. de Galler.* *Otacher. de Geula ſeu Geuller.*

gitur *Dietmarus miles de Geula* &c. quod de Dietmaro II. intelligendum erit, cum Ditmar. I. 5. Id. Junii obiiſſe legatur.

Otto II. *K. Otto II.* in cit. hactenus variis diplomatibus Ditmari I. filius, & II. frater fuiſſe dignoſcitur, ut v. lit. *F. H. I.* ubi ad an. 1399. & 1296. inter teſtes varios adſertur, & ipſe ad an. 1307. in dipl. 139. occurrit cum Dithmaro fratre, cætera mihi incomperta. De uxore ejus nil conſtare ait Bucelinus. In variis tamen aliis locis cum ſuis fratribus ſæpius memoratur.

Echerlinus. *L. Echerlinus*, hunc Bucelinus *Erckerl* vocat, ſed male Ottocari filium ac Ditmari II. nepotem, etenim ex dipl. Seccov. 125. in lit. *F.* citato Erchælinus hic ab ipſo Ditmaro I. inter filios refertur, anno 1296. jam inter teſtes comparuit, ut in *F.* dictum. Wurmbrandius hunc etiam inter fratres Ditmari II. neglexit.

M. Filiæ cujusdam ſuæ, cujus tamen nomen non conſtat, meminit Ditmarus I. in dipl. cit. Seccov. 125. ad an. 1296. quæ proin Ditmari II. Ottonis II. & Echerlini foror fuit; meminit enim Ditmarus eo in diplomate etiam Rudolfi generi ſui ſeu mariti filiæ ſuæ, ſed nec, quis Rudolfus gener fuerit, ſatis eruitur; floruit circa hæc tempora, & in dipl. Seccov. 123. ad eundem annum citatur *Rudolfus de Holneck*, quem proin generum Ditmari I. auguror, donec alius manifeſtetur, v. lit. *Z.*

Holneck de Rud.

Ottocarus I. de Galler. *N. Ottocarus I. & ſenior de Geula*, ſeu *Geuler* an. 1309. in diplom. Seccov. 146. inter teſtes citatur, & in dipl. Seccov. 141. ad an. 1308. ſubſcriptus eſt *Ottocharus Geuler*, cur vero eum inter fratres Ditmari II. recenſeam, ratio eſt ex dipl. 152. Seccov. ad an. 1311. in quo diſertis verbis: *Ditmarus & Ottocarus fratres de Geula* recenſentur. Anno 1312. electus litis arbiter erat inter Canon. Seccov. & *fratres de Maſſenberg* agitatæ de ſylva Feuſtrizenſi, v. dipl. Seccov. 154. an. 1317. ex dipl. Göſſ. 75. plura de eo panduntur, etenim in eo cum uxore ſua Eliſabetha, & conſenſu filii ſui Dionyſii quosdam fundos & prata cum Göſſenſibus permutavit, inter teſtes Dionyſius & Ortlinus fratres ac Dionyſius filius apparet. Unde errat Bucelinus *1mo*: dum Ottocarum hunc Ditmari II. filium ſtatuit, cum frater fuerit. *2do*: Dum ei *Kunegundem de Kainach* filiam *Chunzelii*, fors *Conradi* ſtatuit, niſi fors duas habuiſſet uxores Ottocarus I. Annus obitus non conſtat, dies ex Necrol. Seccov. panditur ad 5. *Kal. Octobr.* cui inſcripta *anniverſaria D. Ottocari ſenioris de Geula*; unde præter hunc etiam *Ottocarus II. & Junior* fuit. Wurmbrandius Ottocarum hunc Ditmari & Ottonis fratrem probat.

Kainach de Chunegund. & Conr.

Ottocarus II. de Geula.

Dionyſius. *O. Dionyſius I.* quia Ottocari hujus ex dipl. Göſſ. 75. frater, Ottocarus vero Ditmari II. frater fuit, neceſſario inter filios Ditmari I. erit recenſendus. Cætera omnia de eo incomperta ſunt: hujus nec Bucelinus, nec Wurmbrandius meminit.

Ortlinus. *P. Ortlinus*, quem quem Bucelinus *Oertl* vocat, & Wurmbrandius etiam inter fratres Ditmari II. recenſet, ex eod. dipl. Göſſ. 75. reperitur frater fuiſſe Dionyſii I. Necrolog. Seccov. ejusdem uti & uxoris meminit dicens ad 3. *Id. Aug. D. Eliſabeth uxor Ortlini de Gæula, ob cujus &c.*

Q. Conradum inter fratres Ditmari II. ad an. 1313. recenſet Wurmbrand. fol. 149. Bucelinus vero inter filios Ditmari II. qui tamen per errorem eidem Ditmaro II. filios attribuit Othonem II. Ottocarum I. & Ortlinum; ſecus de Conrado hoc nil mihi compertum, unde eidem velut dubio aſteriſcum oppoſui. *Conrad. de Geula.*

R. Dionyſius II. filius Ottocari I. ex dipl. Göſſ. 75. fuiſſe aperte convincitur. Cætera latent. *Dionyſ. II.*

S. Erchingerus germanice Aicherl, a Bucelino inter filios Ottocari recenſetur, qui tamen Erchingerum hunc cum Echerlino confundere videtur; *Ecberlinus* enim, ſeu, ut ait Bucelinus, Erkerl Ditmari I. filius erat, ut ſupra oſtendi, Erchingerus vero ſeu Aicherl de Geula dipl. 62. Ep. Seccov. ad an. 1301. ſubſcripſit, hinc an Ottocari filius fuerit? ſatis dubium videtur, de uxore nihil conſtat ex documentis vet. & dipl. Bucelinus ei *Adelheidem Ottonis de Graben* filiam tribuit uxorem. *Erchingerus.*

T. Chunegundam hanc *Chriſtophori de Teuffenbach* uxorem unde erurit Bucelinus? ignoro. *Graben de Otto & Albaides.*

V. Ottocarum II. ſeu *Juniorem*, quamvis omnes omiſerint, inſinuant tamen diplomata ſub lit. *N.* citata, quibus Ottocarus I. & ſenior adducitur, ut proin alius & junior etiam fuiſſe debuerit: nullibi eum, niſi in Necrolog. invenio, in quo ad 2. *Non. Nov.* legitur: *Otachrus miles de Geula, qui obiit in civitate Lucana*, Ottocarus vero I. obiit 5. *Kal. Octobr.* ut ſupra dictum. *Cuneg. de Galler. Teuffenbach de Chriſtoph. Ottocar. II. de Galler.*

W. Erhardum hunc ex fide Buceliñi & Lazii lib. 6. de migr. gent. fol. 218. ſtatuo, cætera omnia incognita, Lazius cit. Erhardum hunc & Joannem, primos omnium adduxit. *Erhardus.*

X. Joannes I. de Galler a cit. Lazio & Bucelino adducitur, Bucelinus ei uxorem tribuit *Catharinam Offonis de Perneck* filiam, uti & Lazius, qui tamen nomen uxoris ignoraſſe videtur. *Joannes I. Perneck de Offo & Catharina.*

Y. Micolaum cum uxore ſtatuit Bucelinus, neglexit Lazius, & Wurmbrand. ex dipl. vero 75. Epiſc. Seccov. habemus *Nicolaum Geuler* vendidiſſe bona quædam, & jura piſcandi in fluv. *Umdrima* (Undring) circa an. 1351. *Rübmaro Epiſcopo Seccov.* in Necrol. Seccov. ad 11. *Kal. Jan.* lego: *Nicolaus dictus Gevvler converſus hujus loci.* Unde vel hic, ut ſuſpicor, conſentiente vel defuncta uxore ſua converſionis habitum in Seccowe ſuſcepit, vel alius hujus nominis exſtitit. *Nicolaus. Converſ. Seccov.*

Z. Fridericum a Bucelino, Wurmbrandio, ac Lazio detectum eruo ex dipl. 76. Epiſc. Seccov. in quo Fridericus hic an. 1357. Ulrico III. Epiſc. Seccov. bona & jus piſcandi in Undring vendidit, appreſſum eſt ſigillum fratris Nicolai, & *affinis ſui Eberhardi ab Hollenegg*, ex quibus 1. concludo, Fridericum & Nicolaum fratres fuiſſe. 2. Quod littera *M.* docebam, filiæ Ditmari I. maritum fuiſſe *Rudolphum ab Hollneck*, ſic enim Eberhardus hic de Hollenegg, & Fridericus de Gewler inter ſe affines fuiſſe noſcuntur. *Frid. de Galler. Holleu. de Eber. Et Rudolfus.*

I. Joannes II. a Lazio ad an. 1400. & a Bucelino pluribus adjunctis nobis deſcribitur; teſte vero Wurmbr. Joannes hic an. 1457. libras 70. denariorum *Sigiſ. Stockarner* mutuas dedit, & ab *Alberto de Eberſtorf*, præ-dium *in Rechendorf* feudali lege an. 1466. ac an. 1469. a *Vito de Eberſtorf* de villa *Jo. II. de Galler. Stockarner de Sigiſ. Eberſtorf de Albertus, & Vitus.*

villa in Reinerſtorf, intercedente Wolfg. Kirchenknopf inveſtituram eſt conſecutus. Ita Wurmbr. ex archiv. ſtat. Auſtriæ.

Andreas I. de Galler.

II. De Andrea I. præter ea, quæ ex Bucelino adduxi, nihil notatu dignum occurrit.

Andreas II. Geyman de Ort. Barb. & Marg. Pambkirchen de Joan. & Dorot. Zobelſp. de Cath. Amna, Frider.

III. Andreas II. de quo Wurmbrand. fol. 61. habet, quod anno 1504. uxorem habuerit *Margaretham de Geyman* filiam *Ortolphi ex Barbara Meurlin de Leubenbach;* ſed Bucelinus duas alias Andreæ huic jungit uxores 1. *Dorotheam de Pambkirchen Joannis* filiam. 2. *Annam*, aliis *Catharinam de Zobelſperg*, *Friderici* & *N. de Halleg* filiam, forſitan Margaretha tertia ejus uxor fuerit.

Joan. III. de Galler Can. Secc.

IV. Joannes III. a Bucelino detegitur an. 1461. & 1440. deque ejus uxore nil conſtare ait, forſitan hic Canon. Regularis in Seccov. fuit, de quo Necr. Secc. ita habet: 12. *Kal. Mart. Joannes Galler Canon. hujus loci.*

Chriſtoph. Gurc. Præp.

V. Chriſtophorum hunc Cathedr. Eccleſiæ Gurcenſis Canon. Reg. & Præpoſitum inſinuat, etiam Lexicon Baſil. ad an. 1542.

Sigiſmundus.

VI. Sigiſmundi hujus meminit etiam Lazius cit. aitque ejus patruum fuiſſe Chriſtophorum Præp. idque ſua ſeu Lazii memoria, idem habet Lexicon univerſale Baſileenſe: errare videtur Bucelinus, dum Sigiſmundum fratrem Chriſtophori ponit. Sigismundus itaque hic vel Andreæ II. frater ponendus, vel ſi etiam inter Andreæ II. liberos Sigiſmundus fuit, alius ab hoc Andreæ II. frater conſtituendus erit.

Georg. de Galler. Geymann. Marg.

VII. Uxorem *Georgii* hujus *Margaritham de Geymann* Andreæ II. uxorem tertiam ex documentis Wurmbrandii ſtatui, alicubi error latebit, quem oſtendam, dum partem alteram recentioris Gallerianæ familiæ adducam tom. ſeq. Hæc interim de illuſtr. hac familia dicta ſunto, quæ inter Styros hodiedum viget.

Ad Diplom. 80.

Ad Diploma 80.

Ottoc. V. donat. Monaſt. S. Lam. Eccl. S. Mar. & S. Mich. in Gras. Eccl. S. Mar. in Graslupa, hod. B. V. M. in Hof Eccl. S. Mich. in Graslupa jam ab Henr. Duc. Car. an. 1102. Monaſt. S. Lamb. data. dein alienata, ab Ottocaro V. reſtituta.

Idem hoc diploma ad an. 1148. ſpectans, tardius ſubmiſſum, tardius etiam a me exponendum eſt, continet id donationem Ottocari V. quo *Eccleſiam S. Mariæ, & S. Michaelis in Grasluppa* celeberrimo Monaſterio S. Lamberti donavit. Jam per decurſum operis dixi *Eccleſiam S. Mariæ in Grasluppa*, hodie *B. Virg. Mar. in Hof*, huic Monaſterio datam fuiſſe ab Ottocaro V. fundatore Vorav. præterea ad an. 1102. oſtendi *Eccleſiam S. Michaelis in Grasluppa*, jam ab Henrico Duce Carinthiæ datam eſſe Monaſterio ſub Hartmanno Abbate; unde cum hoc anno denuo ab Ottocaro V. donetur, abalienata fuiſſe convincitur, nec enim confirmationem præcedentis alicujus donationis continet hæc notitia, ſed veram donationem ab Ottocaro V. factam *pro remiſſione peccatorum ſuorum, pro ſalute Chunegundis uxoris ſuæ &c. maximeque pro redemptione animæ patris ſui Luipoldi Marchionis, & matris ſuæ Sophiæ &c.* Teſtes erant

Spillberg arx de Dietmar.

1. *Ditmar de Spilleberg. Spillberg* arx una eſt Auſtriæ in circulo Trunenſi, hodie Com. de Weiſſenwolf, altera ſuperioris Styriæ in circulo Judenburgenſi infra Seccovium, olim *Comitum de Heinrichſperg*, pulcherrima, & armatura inſigniter inſtructa per Perill. D. de Lokawiz Conſiliarium & Referendarium conſilii aulico-bellici Viennæ; cujus arcis veteris quosdam Dynaſtas invenio: & quidem *Ditmarus hic de*

Spill-

Spillberg anno 1159. obiiſſe videtur; ita enim Chronicon Mellicenſe apud Hier. Pez tom. 1. col. 233. ad an. 1159. *Expeditio italica ab Imperatore Friderico facta eſt, & famoſiſſima Italiæ civitas Mediolanum, datis* 300. *obſidibus capta eſt, ubi & Eckbertus Comes* (Püten nempe) *& Dietmar de Spillberch occiſus eſt.*

Puteu de Eckbertus cæſus.

Henricus I. de Spillberch, an Dietmari frater, vel filius fuerit? ignoro, ad an. 1171. in cod. dipl. Admont. num. 108. occurrit.

Henr. I. de Spilb.

Henricus II. de Spillberg, in dipl. Seccov. 49. ad an. 1230. reperitur inter teſtes traditionis curiæ in *Pajerdorff* Seccovienſibus factæ in Pels a *Gertrude vidua Wolfgangi de Kapfenberg*, eundemque Henricum puto fuiſſe, qui an. 1254. ſubſcripſit obligationi cuidam per *D. Wolfg. de Stubenberg* Göſſenſibus factæ, ut v. dipl. Göſſ. 36. in quo ſubſcribitur *Heinricus de Spiegelvverch*, ſeu de *Spillberg*. Cætera latent. In annot. dipl. 7. in Waldeckiis dictum eſt, Comitatum *Spillberg* quondam fuiſſe *Hertnidi de Waldeck* fratris Adalrami, qui fundavit Canoniam Seccovienſem.

Henr. II. Pajerdorf curia. Kapfenberg de Gertrud. vidua Wolfg. Stubenberg de Wolfgang. Spilberg Comit. Waldeck de Hertnid.

2. *Conrath de Fuſtrize*, de quibus v. annot. dipl. 6. plura in dipl. 82. ex docum. Seccov. neo-ſubmiſſis de hac familia.

3. *Odalrich de Gräze, & frater ejus Reginhart*, v. annot. dipl. 7.

4. *Landfrid de Eppenſteine*, v. annot. dipl. 37.

5. *Richer de Everdingen*, v. annot dipl. 13.

6. *Luipold & Werinhart de Willehalmeſperch*, v. annot. dipl. 9.

7. *Engilger & frater ejus Sigehart de Willehalmeſpurch*, v. annot. dipl. 9.

8. *Wolfchanc & Wolvinc de Heimpurch*, v. annot. dipl. 4. & 6.

9. *Rapoto de Rirecheim*, fors *Kirchheim*, v. annot. dipl. 60.

10. *Conrad de Buocha*, fors *de Poche*, ignotus, de quibus jam dipl. 45. dictum. In dipl. cod. Admont. num. 9. 32. 143. occurrit *Otto de Bouch* ad an. 1163. & 1189. circiter, unde ex ſuper. Styria, vel Carinthia fuerit. *Henricus* dipl. 1. Seccov. 1140. ſubſcripſit.

Buoch de Conr. Otto.

11. *Friderich de Mireſtorf*, v. annot. dipl. 7.

12. *Marquard Caſſe*, fors *Chätſche*, nunc *Kätſch*, quæ arx Styriæ ad Muraviam in circulo Judenburg. nunc Principum de Schwarzenburg, ex Dominis de Chatſche in dipl. Göſſ. 36. ad an. 1254. & Göſſ. 37. ad an. 1255. legitur Dominus *Svvikardus de Chätſche*, & in Necrol. Run. ad 3. Id. Jan. *Cunegundis de Catze*, cætera latent.

Caſſe, Katſe v. Kätſch de Marq. arx Styr. Chatſe de Swikard & Cuneg.

13. *Heinrich Joculator*, agnomen erit, fors Scherzer.

Scherzer Heur.

Pagina hæc Ottocari Græcii data eſt an. 1148. die 9. Kal. Mart. Indict. 10. (pone 11.) ſigillum appenſum eſt valde magnum & craſſum ex cera, in parte ſuperiore nonnihil accuminatum, & integerrimum, refert equitem dexteram verſus; inſcriptio litteris minoribus hujus tenoris eſt ✝ OTACHARVS. MARCHIO. Monogramatis hujus expreſſio accurata, cum ex adverſo aliqualiter transpareat, duas voces difficilius legibiles habet, ſuperior *devotam*, inferior *paginam*.

Ottoc. V. ſigill.

Ad Diploma 81.

Ad Diplom. 81.

Ex Seccov. celeberrimo archivo hæc mihi charta ſubmiſſa eſt, quam Frælichius in dipl. Ducatus Styriæ obiter ſolum attingit. Anno circiter 1146. data fuerit ab Adalramo & uxore ſua, nam anno 1147. die

die 5. Kal. Martii Adalramus inter converſos Seccovienſes eſt receptus.

Adalramus itaque fundator Seccov. cum uxore ſua manſum unum, de prædiis ſuis juxta caſtrum *Waldecke*, & locum, in quo fundaretur Eccleſia, atque in quo Presbyter jugiter manſurus habitaret, tradidit Eccleſiæ Salisburgenſi per manum Chunradi Archiep. ibidem adjecit etiam omnem donationem prædiorum in partibus illis ſitorum, cum 5. mancipiis ea ſub conditione, ut in Eccleſia ibidem fundata Adalramus cum poſteris ſuis haberet ſervitium Dei, & prædicta prædia ſua, uti & finitima cujusdam nobilis Botonis ea prædia inhabitantis eidem Eccleſiæ perpetuo ſubjicerentur, ſicque ob Sacramenta Baptiſmi & ſepulturæ eo in loco adminiſtranda, decimatio omnis ejusdem Eccleſiæ eſſet.

Obſcura eſt utcunque hæc notitia Seccovienſis, videtur enim hæc fundatio fuiſſe Eccleſiæ non ſtricte plebeſanæ, ſed baptiſmalis cum ſepultura, & quidem penes caſtrum Adalrami Waldeck dictum, ut ſic in Eccleſia ſibi vicina officio Divino adeſſe poſſet Adalramus, *Waldeck caſtr.* & poſteri ejus. Exiſtit caſtrum *Waldeck* dictum in circulo Celejenſi, ſed hoc Adalrami fuiſſe non videtur, imo caſtrum *Waldecke*, cujus hic fit mentio in Bavaria (cujus tum nomine adhuc Styria venit) exſtitiſſe ex hiſce oſtendo; nam dipl. Seccov. 7. inter prædia Seccovienſibus ab Adalramo tradita nominatur: *caſtrum Waldecke cum omnibus ſibi attinentibus, Tragebottenſtetten, Strelz, Opfingen, & alterum Strelz, Willindorf, & prædium Geroltſtorf*; ſitum caſtri hujus cum attinentibus denotat diploma Seccov. 18. datum ab Alexandro III. an. 1171. in quo inter Seccov. poſſeſſiones refertur fuiſſe, & quidem in Bavaria, *Waltenſtein cum prædiis ſuis, & familia videlicet Strelz, Willendorf, & Geroltſtorf &c.* unde licet caſtrum Waldeck non memoretur, & ſors pro eo poſitum ſit *Waltenſtein*, cum tamen attinentia caſtri *Waldeck, Strelz, Willendorf, & Geroltſtorf* in Bavavia fuerint, etiam caſtrum ipſum inibi fuiſſe convincitur.

Styria ſæc. 12. adhuc Bavar. nomine venit.

Sed an Bavariæ nomine ea ſolum hic Provincia veniat, quæ nunc Bavaria dicitur; utcunque hæreo, etenim in dipl. Seccov. 27. ita lego: *Adalramus - - ea, quæ inter Pirdin, Cervvald, & Hartberg habuit, tres ſcilicet villas, Willendorf unam, Strelz duas, & Geroltſtorf cum vineis &c. tradidit*; unde ſi villæ hæ attinentes ad caſtrum Waldeck, *infra Pirdin, Cervvald, & Hartberg* montem ſitum habuere; ad Auſtriam modernam, olim Styriam pertinebant, tum forte adhuc veteri vocabulo Bavariæ comprehenſam, ob incolas primos Styriæ, quemadmodum *Græcium metropolis* Styriæ ea de cauſa *Bavaricum* diu dictum eſt. Teſtes fundationis hujus erant

1. *Waltherus de Waltenſteine*, v. annot. dipl. 7.
2. *Sigbard de Flaze*, v. annot. dipl. 14.
3. *Bertholdus de Rotengruebe, & frater ſuus Geroldus*, v. annot. dipl. 36. & 37.
4. *Goteſchalcus de Hunnesberch*, v. annot. dipl. 4. & 6.
5. *Rudolphus de Willehelmsburch*, v. annot. dipl. 9.
6. *Hiltegrin de Mutenesdorf*, v. annot. dipl. 14.

7. *Rat-*

7. *Ratbodo de Treiſeme*, v. annot. dipl. 4. & 6.

8. *Adalbero de Strazgange*, Strazgang vicus eſt hora Græcio diſtans cum Parochia, cujus Parochus Archidiaconi dignitate floret, an hic unquam Dynaſtia fuerit? vel an per Adalberonem hunc plebanus ſolum hujus loci indigitetur? mihi obſcurum eſt. Ad an. 1274. in dipl. Göſſ. 56. *Ulricus Plebanus de Strazgang* inter teſtes viſitur; unde ſuſpicor, forte ly Plebanus in deſcriptione hujus notitiæ fuiſſe omiſſum. *Strazgang de Adalbero, locus.*

9. *Conrad & frater ſuus Reginbertus de Sechvichen*, ſors *Seevviſen*, locus eſt Styriæ ſuper. tranſitum ad ædes B. V. M. Cellenſis e Græcio tendentibus præbens; ſecus nihil compertum, an familia quædam exiterit, de ſeewiſen, vel Sechvichen dicta? *Sechvichen ſors Seewiſen, locus.*

10. *Adalbero de Guntramingen, & filius ſuus Durinc*, ignota his in terris familia. *Guntraming de Adalbero.*

11. *Engelſchal, Aribo de Cheinckove*, ignoti denuo. *Cheinkove de Engelſchal & Aribo.*

12. *Eckehart filius Eckihardi de Montigulo.*
13. *Otto filius Heinrici Hoſeckelz.*
14. *Luipoldus de Ratte, & filius ſuus Volfremarus.*

} Obſcura & ignota nomina.

Notitiæ huic nec annus, nec dies vel locus ſubjungitur.

Ad Diploma 82. *Ad Diplom. 82.*

Ex eadem celeberrima Canonia Seccov. hæc mihi charta ſubmiſſa eſt, nondum edita, continens diploma Eberhardi Salzburg. circa an. 1156. ad Præpoſ. I. Seccovienſem Wernherum datum.

Compoſuit nempe feliciter Eberhardus Archiep. litem, quæ Wernerum Seccov. Præpoſ. cum duabus ſororibus divexavit, ſorores hæ erant *Hildegardes uxor Rudolfi de Taunſperch*, & *Froumor vidua de Sibidat*. Pater harum binarum ſororum erat Benno, qui jam antea cum *Adalberone viro nobili de Feuſtritz* litem eandem egiſſe videtur. Primæ & ſecundæ liti aderat Romanus Epiſc. Gurcenſis, qui & litem primam ita terminavit, ut Bennoni ſupradicto, prædium apud *Striganz* in poſſeſſionem traderetur. *Taunſperch de Rudolf & Hildegard. Froumour vid. D. de Sibidat. Feuſtritz de Adalbero.*

Ubi vero vita exceſſiſſet Benno, uti & Adalbero de Feuſtritz, filii hujus *Chunradus cognomento Gallina*, & *Adelramus ejus frater*; hæreditatem Patris defuncti inquiete poſſederunt: cum dein ſucceſſu temporis hi duo fratres gladio fuiſſent mulctati, reſiduus frater eorum *Udalricus* nomine, proin cognom. etiam Gallina, qui tunc temporis in Seccov. clauſtro inter Canon. Reg. educatus, jam in adoleſcentem creverat, quia ſuperſtes, hæreditatem fraternam ſibi debitam, totumque patrimonium, Seccovienſi loco, in hon. B. V. M. a nepote ſuo Adelramo fundato, poteſtativa manu tradidit, aſt dominæ duæ, ſorores nempe Hildegardes & Froumour, mox Seccovienſes de eodem impetere cæperunt, lisque ſecunda exorta, denuo a Romano Epiſc. Gurcenſi ita eſt compoſita, ut prædictis 2. Dominabus 22. marcæ, cum 2. manſis traderentur, ſicque liti huic finis fieret. *Henna vel Gallina de Chunrad. & Adelram. fr. de Feuſtriz. & Udalricus.*

Ut vero hæc reſuſcitari non amplius poſſet, ejus deciſionem roboravit Eberhardus Archiep. ac ſigillum ſuum appoſuit, teſtesque rei huic adhibuit Friſaci.

Oedipo opus erit, qui rite hoc diploma explanare, ejusque genealogias deducere voluerit, difficultatem jam præsensi in exposit. dipl. 6. ubi de Feustriziis egi; neque enim ibidem *Adalbero de Feustritz* mihi innotuit, nec enodare poteram, quinam citati in dipl. Secc. 8. *Cunradus Henna seu Gallina & Adelramus frater ejus de Füstrize* fuerint; ut pro posse aliquid hoc super diplomate differam, ordine res ejus persequor, & quidem 1. quisnam Benno ille fuerit, pater duarum Dominarum Hildegardis & Froumour, quarum hæc cujusdam de Sibidat vidua, altera Rudolphi de Taunsperg uxor erat, eruere non possum; nihil enim dicitur, de quo prædio lis illa fuerit, nec ubi prædium Striganz situm obtinuerit: ex dipl. Seccov. 27. lis ea *de prædio S. Stephani prope Frisacum* fuisset, cui fors vicinum & innexum prædium *Striganz* videtur, cum eadem in Carinthia situm. Si aliquid de familia Taunsperch, & Sibidat constaret, forte illinc erui Benno posset, sed & hæc omnia ignota sunt.

Adelramus de Feustrize.

Striganz præd.

Adalbero de Feustriz.

Altera hic ignota quæstio est *de Adalberone viro nobili de Feustritz*, quisnam & e qua familia ortum traxerit? major quæstio, quomodo unus filiorum suorum *Chunradus Henna seu Gallina*, alter vero *Adelramus de Feustrize* dici potuerit? 3tia demum eaque graviſſima, quomodo *Adelramus fundator Seccov. nepos* appellatur intuitu *Udalrici de Feustrize* Canonici, ut videtur Seccovienſis facti?

Feustriz varia loca in Austr. & Styr.

Ad primam quæstionem responderi potest, Adalberonem hunc e familia Feustriziorum fuisse, & quemadmodum loca sunt varia hujus nominis in Austria & Styria, ita quoque diversas fuisse Feustriziorum lineas, quas quidem, nisi in scriniis domesticis variorum castrorum lateant, vix omnes comperiri poterimus. *Alothus de Feustriz* in Styr. infer. ad an. 1286. claruit.

Ad 2. quæstionem dicendum videtur, Adalberonem hunc de Feustriz habuisse uxorem quandam *Dominam de Henna seu Gallina* viduam, unde Chunradus de Henna ex alio patre genitus, Adalberonis hujus privignus fuit, Adelramus vero Adalberonis verus filius, atque ideo de Feustrize dictus fuerit, ut adeo Chunradus, Adelramus, & Udalricus fratres solum uterini fuerint. Quale vero delictum fuerit Chunradi Gallina seu de Henna, & Adelrami fratris de Feustrize, ut gladio dein multarentur, nulla mihi documenta prostant, quæ id edicant.

Udalricus de Feustriz Canon. Seccov.

Ad tertium de *Udalrico de Feustrize* (qui inter Seccovienſis educatus, eorundem habitum religiosum suscepisse videtur) respondeo: vix satis constare, quomodo fundator Seccov. Adelramus de Waldeck ejus nepos dici queat, nisi supponamus, sororem forte uterinam Udalrici hujus, Domicellam de Henna uxorem fuisse Hartnidi de Waldeck patris Adelrami; sic enim Adelramus fundator Seccov. Udalrici hujus ex sorore nepos fuisset.

Diplomati huic Frisaci 5. Non. Maji an. 1156. Indict. 4. dato subscripsere testes

1. *Romanus Gurcenſ. Eccl. Epiſc.* de quo plura in opere ipso.

2. *Engilramus Archi-Diaconus*, locus non additur.

Kreiburg vel Kreinburg Marcb. Engilb.

3. *Engilbertus Marchio de Treiburch*, lege *Creiburch* vel *Crainburg*, hoc enim territorium ad savum situm, Marchionem olim habebat, dein

dein vero inter Carnioliæ Marchiones & Celejæ Comites eſt diviſum. *Craiburg* vero teſte Megiſero Palatinatus ad ænum, Bavariam verſus dein Comitatui Ortenburgico eſt attributus, de hoc vero dubitat P. Frælichius in Archontol. Ducat. Carinth. parte 2. fol. 100. &c. ubi ait Engelbertum Marchionem de Kreiburg non Crainburg, ad annum 1170. floruiſſe, ſed locum Kreiburg in Bajoaria ſitum, ad Crainburgenſes in Carniolia nil attinere. Aventinus ſæc. 13. Engelbertum Craiburgi in Bajoaria Marchionem facit, & genus ejus enarrat, qui obiit ſine liberis.

4. *Henricus Comes de Ortenburg*, v. annot. dipl. 33.

5. *Eberhardus de Trache*, ignota familia & locus. *Trache de Eber.*

6. *Egeno de Slippes*, itidem ignotus. *Slippes de Egen.*

7. *Rudolphus de Tunsberc, & filii ejus Henricus & Rudolphus*, hos eosdem cum Taunſpergiis judico, de quibus hoc ſolum in diplomate mentio occurit. *Tunſperg de Rudolph. Henr. Rudolph.*

8. *Conradus Hovekelz*, ex dipl. præced.

9. *Hartnidus de Viſca*, v. annot. dipl. 36.

10. *Wiſento de Wongovve ſeu Pongovve*, v. annot. dipl. 35.

11. *Sigefridus Caſtellanus de Friſaco & filius ejus Sigefridus.* Caſtellanus idem eſt ac Præfectus caſtri, Friſacum caſtrum & urbs Archi-Epiſcopi Salisburg. eſt, qui ibidem nunc Vicedominum habet, in arce Geyerſperg reſidentem.

12. *Gotſcalcus de Dirnſtein*, v. annot. dipl. 7.

13. *Adelbertus Judex de Friſaco*, nullius ut puto nobilitatis.

14. *Bernhardus Camerarius*, ignotus, & cæteri quamplures.

Ad Diploma 83. *Ad Diplom. 83.*

Continet hoc confœderationem quandam ſacram, quam, quia Seccovio mihi communicata eſt, putabam Canonicorum Seccovienſium cum Monachis Admontenſibus fuiſſe, ſed ex variis conjicio eam a Canonicis tunc Regularibus Salisburgi cum Admontenſibus factam, atque a Monachis iisdem transmiſſam fuiſſe; etenim 1. in ea dicitur *a Canonicis S. Ruperti apud Juvavium matricis Eccleſiæ ſedis Metropolitanæ eam confœderationem primitus factam Domino Sigebaldo Decano piæ memoriæ mediante.* 2. Eandem fuiſſe *collaudatam, ac ſtabilitam authoritate Domini Wolvoldi Abbatis piæ memoriæ & venerabilis Præpoſiti Hermanni.* 3. Eandem *partim ex ignorantia, partim ex ignavia fuiſſe oblitteratam.* 4. *Nuper habita diſcuſſione a Domino & Patre Gotfrido Abbate, & Venerab. Præpoſito Hugone denuo reformatam, & utriusque congregationis aſſenſu receptam, & confirmatam.* *Can. Reg. Salzb. cum Admon. confœd.*

Ex his itaque patet 1*mo*: hanc confœderationem Canonicorum Salisburg. cum Monachis Admont. factam fuiſſe ſub *Sigebaldo Decano Salisburgenſi* eoque mediatore, Sigebaldus Decanus II. inter Regulares Canon. Salisburgi fuit ab anno 1129. ad 1147. ut oſtendi ad an. 1158. contra auth. Germ. Sacræ tom. 2. fol. 1045. qui Sigebaldum omiſit. *Sigeb. Dec. II. inter C.R. Salz.*

2*do*: Eandem confœderationem collaudatam fuiſſe *ſub Wolvoldo Abbate & Hermanno Præp.* Wolvoldus Abbas Admont. præfuit, ab an. 1115. ad 1137. Hermannus Præp. Salzb. fuit ab an. 1122. ad 1137. quorum *Herman. Præp. Salzb. dein Her. Dec. Salzb. dein Præp. Chiem.*

itaque tempore Sigebaldus poſt Hartmannum Decanum I. ex Regul. Canon. Salzb. an. 1129. Præpoſitum in Chimſee factum, Salisburgi Decanus fuit, authorque exſtitit hujusce confœderationis. 3*tio:* Hæc confœderatio ſopita videtur uſque ad tempora Gotfridi Abbatis Adm. qui ab an. 1137. ad 1165. præſuit, ac Hugonis Præp. Salisb. qui ab. an. 1157. ad 1167. regebat; unde cum Hugonis tempore ea renovata fuerit, ea inter an. 1157. ac 1167. quo Hugo & Gotfridus præfuere, reponenda eſt.

Hugo Præp. Sal.

Confœder. ſum. Confœderatio vero in hiſce conſiſtebat, 1. in obitu unius, ſeu *in* Salzburg, ſeu Admunt officium & vigilia cum miſſa in Conventu ſolenniter celebretur. 2. Nomen defuncti in Martyrologio regulæ, & in libro vitæ notetur. 3. Septennarius & vigilia cum miſſa priore, ſeu ſeptimus dies in Conventu agatur & trecenarius, ſeu miſſa, & verba - - - (omiſſum erit 6. Pſalmi ſeu: Verba mea, Domine ne, Dilexi, Credidi, De profundis, Domine exaudi) per 30. dies continuetur- 4. Præbenda & flagella in hoc tantum variantur, quod pro Canonico a Monachis, pro fratre a fratribus pro ſorore a ſororibus accipiantur. 5. Unusquisque Presbyter tres miſſas privatim cantabit, Pſalmos ſcientes ex toto Pſalterium, reliqui ad numerum Pſalmorum orationem Dominicam recitabunt. 6. Singulis hebdomadibus, duæ in Conventu miſſæ celebrentur, una pro ſalute vivorum, alia pro requie defunctorum.

Verba ſeu 6. Pſ. pro def.

Flagell. apud Salisb. Can.

Tandem omnibus plenam fraternitatem non habentibus, ſub noſtri tamen, id eſt Hirſaugenſis vel Cluniacenſis ordinis profeſſione degentibus, fratribus & ſororibus cum ſolemni omnium ſignorum pulſatione, & trium luminum accenſione, vigiliæ def. & miſſæ in Conventu & ſeptenarium, inſuper & ſinguli Sacerdotes ſingulas miſſas, reliqui autem, qui 50. Pſalmos ignorant, toties Pater noſter decantent.

Reliquis autem tam Canonicæ, quam Monaſticæ profeſſionis ordinibus, pulſatis omnibus ſignis 6. Pſamos ſupra memoratos, cum orat. Domin. & verſiculo: A porta inferi, & orat. Abſolve Domine, claudimus, & eosdem ſeptem diebus continuis denuo repetimus, & reliqua ut ſupra, excepto ſeptenario, & vigiliæ officio ſimiliter eis impendimus.

Hæc in Necrologio fraternitatis contenta mihi noviſſime ſunt communicata, ex quibus proin colligo, eam confœderationem forte etiam a Seccovienſibus fuiſſe expetitam, quam Canonici primi Seccovii exiſtentes, & antea Salisburgi profeſſi, ſecum Seccovium detulerint. Confœderatio porro hæc ab initio ſpecialis ac ſolos Canonicos Salzburg. ac Monachos Admontenſes contingens, deinde incepit fieri generalis, non ſolum ad omnes Monaſt. ordinis, ſed etiam ad Canon. Regulares: confœderationem ſimilem cum Canon. Salisb. non tamen ita exactam ac rigidam inierunt Voravienſes an. 1333. ut ſuo loco dicetur; nemo vero miretur, rigorem Canonicæ vitæ, etiam ad diſciplinas corporales extenſæ, nam jam ſæc. 9. inter Canon. Cathedr. Renenſes ſimilis erat rigor; *Præpoſitus* enim *omnes negligentias omnium publice deprehenſas in Capitulo omnium fratrum judicio puniebat, his tribus modis, id eſt, aut carcere, aut ſeparatione, ſive in omnium verberum diverſitate.* Ut v. indiculum

Vorav. Can. cum Salisb. Adm. &c. confœderatio.

Can. vitæ rigor.

diculum Ebbonis ad calcem Flodoardi relatum de Miniſtris Eccleſ. Remenſ.

Ad Diploma 84. *Ad Diplom. 84.*

Diploma hoc eſt Eberhardi Salzburg. Archiep. poſt annum 1160. quo Meingotus Decanus Salisb. factus eſt, & ante an. 1164. quo Eberhard. Archiep. Salzb. obiit, datum: teſtatur in eo Eberhardus gravem ſibi fuiſſe laborem e Provincia exeundi, pro neceſſitate matris ſuæ Eccleſiæ Salisburgenſis, cum vero opes ſibi huic itineri ſubeundo non fuiſſent, curtim ſuam decimalem in villa Hunderſtorf *apud undecim* oppignoravit Seccovienſibus fratribus pro 30. marcis argenti montani, uſufructu hujus curtis eisdem fratribus in ſuſtentationem collato, quouſque præfato pondere argenti redimatur; cavet autem, ut in redemptione hujus curtis, tantum Soccovienſibus detur, quantum ipſe pro pignore accepit, nec pro uſufructu aliqua iisdem fiat computatio. Actum id eſt in Eccleſia S. Rudberti variis teſtibus & confratribus præſentibus, quos inferius exponam. *Meingotus Dec. Salzb. 1160.*

Varia in hoc diplomate excutienda occurrunt, & primum quidem quod fuerit iter illud neceſſarium ab Eberhardo Salzburg. faciendum pro Eccleſia ſua. Jam ad an. 1158. & 1162. dicebam, iter hoc Eberhardi fuiſſe an. 1162. ſuſceptum ad caſtra Imperatoris, ac exinde pſeudoſynodum Papienſem, ad quam an. 1160. convocatam abiit quidem Eberhardus, ſed infirmitate compulſus ſub via redire debuit, an. ſeq. 1161. denuo Eberhardum evocavit Fridericus Imp. abiit ſecundo an. 1162. Eberhardus ad caſtra Imperatoris, a quibus, licet Antipapam non reciperet, dimiſſus eſt tamen cum gratia Imperatoris, quæ omnia ſuo loco fuſius digeſſi. *Eberh. II. Salz. pro itin. ad caſtr. Imp. mutuas ſumit a Seccov. Capit. peccuntas*

2. Quæ fuerit curtes illa *Hundeſtorf apud undecim* non ita pronum eſt dicere, fors *oppidum* hodie Hundsmark dictum, antea dum vicus eſſet Huntesdorf appellatum, quid vero ſignificent illa verba *ad undecim?* penitus ignoro, fors error calami irrepſit, cæterum miror, hujus totius rei actæ nullam fieri mentionem in dipl. Seccov. 27. an. 1197. ab Adalberto II. Salzb. dato, quod plenam rerum omnium Seccovienſium ad ſua uſque tempora notitiam adminiſtrat. Inter conſultores & teſtes diplomatis hujus referuntur: *Huntersdorf & Hundsmarkt loc.*

1. *Hugo Præp. Salzb.* quem ab an. 1157. ad 1167. Præpoſituræ munere functum in ſuperiore dipl. oſtendi. *Hugo Præp. Sal.*

2. *Meingotus Decan. Salzb.* qui an. 1160. poſt 8. Junii Henrico Decano ſucceſſit, ut ad an. 1160. contra auth. Germ. Sacr. oſtendi. *Meing. Dec. Sal.*

3. *Omne Capitulum Salisb.* unde ſolennis videtur oppignoratio fuiſſe.

4. *Heinricus Abbas de S. Petro*, qui teſte Chron. Salisburg. apud Hier. Pez tom. 1. fol. 344. anno 1147. Baldrico ſucceſſit, & præfuit ad an. 1167. quo Epiſcopus Gurcenſ. factus eſt. *Heinr. Abb. S. Petri an. 1167. Ep. Gurc.*

5. *Gerhohus Præp. de Richerſperge*, ſeu Reicherſperg, de quo plura dicta ſunt, & qui etiam cum Hartmanno Ep. Brixin. Comes Eberhardo fuit in itinere Italico an. 1166. ſuſcepto, v. ibid. *Gerhohus Præp. Reicherſp.*

6. *Marchwardus Præp. de Nevvenpurch*, hodie Clauſtroneoburgo, qui obiit anno 1166. v. Chron. Clauſtroneob. *Marchwardus Præp. de Nevvenpurch.*

Romanus Præp. Gurc. an. 1174. Epiſc.

7. *Romanus Præp. de Gurke*, qui an. 1174. poſt Henricum Epiſc. Gurcenſis factus eſt ejus nominis II.

Heinr. Præp. Garſ.

8. *Hainricus Præp. de Garſe*, Gars Præpoſitura eſt Canon. Reg. in Bavaria.

Gotſcalc. Præp. Baumburg.

9. *Gotſcalcus Præp. de Pamburch*, Paumburch Præpoſitura Can. Reg. in Bavaria.

10. *Engilbertus Marchio de Kreiburg*, v. annot. dipl. 82.

Et complures Miniſteriales ejusdem Eccleſiæ uti.

Calcheim d. Cunr. Chalcheimii prædones.

11. *Chunradus de Calcheim*, non inter Styros referendus, ſed inter Salzburgenſes, neſcio vero, an ex hac familia illi fuerint *prædones Calcheimii*, qui territorio Salzburgenſi, noctu furtis, de die rapinis inſtabant, contumaces Archiep. ſuo Friderico II., unde hic teſte Honorio

Caſtrum.

an. 1275. eos fugavit, *caſtrumque* eorum *Calheim* captum funditus evertit.

12. *Hartnidus de Salzburch*, v. annot. dipl. 69.

13. *Chuno de Puelobe*, hujus nomen vix legi potuit, fors *de Buoche*, v. annot. dipl. 45. 50. vel de *Pucbele*, v. annot. dipl. 73.

Merenbach de Tagino.

14. *Tagino de Merenbach*, ignotus, & Miniſter. Eccl. Salzburg.

Eicheim d. Leut.

15. *Leutoldus de Eicheim*, e Salisburg. territorio, quia ejusdem Eccleſiæ Miniſterialis.

Lungowe de Adelgold. Lungau vallis Salisburg.

16. *Adelgoldus de Lungouwe*, Salisburgenſes erant Dynaſtæ, exiſtit enim in territorio Salzburg. *vallis Lungau*, quæ an. 1480. a *Wulfenſtorfio* Cæſaris belliduce, & Comite de *Liechtenſtein*, quem vicini Salisburgenſes gravibus damnis urgebant, peſſime habita eſt, agris & villis undique exuſtis. Familiæ hujus originem Hundius in libro ſtemmatum a Dietmaro Com. Biburgenſi deducit, & *Comites de Lungau*, ſed *ditione Carinthiæ* dictos opinatur, quorum tamen Megiſerus nec verbo meminit.

Marchia de Heribert.

17. *Heribertus de Marchia*, an ex Styria infer. vel ditione Salisburg. inibi præfectus? ignoro, id conſtat Miniſterialem Salisburg. fuiſſe, in dipl. 20. Seizenſi ad an. 1202. idem occurrit teſtis.

Ac Diplom. 85.

Ad Diploma 85.

Recenſetur quædam commutatio vivente adhuc Ottocaro V. anno 1160. facta inter Wernerum Præp. Seccovienſes Canonicos, & Reginwerdum ejusdem Ottocari cubicularium, tradiderunt nempe Seccovienſes 4. manſus *in villa Tramesdorf* juxta Græce, & Reginbertus pro

Hauzempiehl arx Seccov. quomodo obtenta.

his dedit alia bona in *Hucempichel* (*Hauzenbichl* hodie adhuc Seccov. prædio) & *Sachendorf* poſita. Interpoſuit commutationi huic ex officio Advocati authoritatem ſuam Ottocarus V. & inſertum hic diploma deſuper edidit, quo commutationem hanc magis explanavit, ait enim

Sclavonici manſus qui.

1mo quatuor *manſus Sclavonicos* (nomen id hæſerit ab incolis Styriæ Vindis ſeu Sclavonibus) in villa *Tramesdorf juxta Græce*, quos olim nobilis quidam *Urtle* dictus poſſederat, dein vero uxor Juditha Seccovienſibus delegaverat, a Seccovienſibus datas eſſe cubiculario ſuo Reginwerdo. 2. Viciſſim Reginwerdum dediſſe Seccovienſibus quosdam agros in *Hucembichele* ſitos, item manſus duos in *Sachendorf*. 3. Agros in *Hucembichele* ait, Reginwerdum obtinuiſſe a Wolfliezo, manſum unum a Richero, & alterum ab ipſo Ottocaro, quem antea Sebaldo cuidam

fideli

fideli ſuo in beneficium dederat Marchio. Concambio ſeu huic commutationi authoritatem tandem ſuam adjecit, teſtesque qui erant

1. *Chunrat de Muorce*, v. annot. dipl. 19.

2. *Gotto, Hartvvich, Marchvvart, Tiemo de Leuben*, v. annot dipl. 19.

Actum *Leuben* ſeu *Leobii* Indict. 8. 16. Kal. Maji Sabbatho Imper. Friderico Aug. Eberhardo autem Salzb. Archiep. ex quibus proin erui poteſt fuiſſe annus 1160. quo Indictio 8. currebat, & Fridericus cum Eberhardo ſimul vivebat. Nam Fridericus imperio præeſſe cœpit an. 1152. quo eodem anno Ottocarus V. Advocatus Seccov. factus eſt. Eberhardus anno 1164. obiit, jam inter annos 1152. & 1164. ſolus annus 1160. eſt, in quem 8. Indictio indicat, ut proin an. 1160. diploma hoc datum legitime concludatur.

Ad Diploma 86.

Ad Diplom. 86.

Dum Dux Ottocarus an. 1182. cum *Alberto Vener. Epiſc. Friſing.* Friſaci exſtaret, *Perngerus Abbas S. Lamberti*, & *Dietmarus de Liechtenſtain* Miniſterialis ejusdem Ottocari advenere, petentes, ut contractum ab ipſis viciſſim celebratum coroborare dignaretur: contractus vero hujus modi erat; Dietmarus Liechtenſteinius poſſidebat prædia & fundos quosdam in pheudo, ab Eccleſia Friſingenſi, fundi vero hi infra terminos Eccleſiæ S. Lamberti ſiti erant, viciſſim Monaſterium S. Lamberti poſſeſſiones quasdam vicinas *caſtro Liechtenſtein* habebat, unde convenerunt Abbas S. Lamberti, & Dietmarus de Liechtenſtein de ratione concambii propter commoditatem viciniæ; itaque ubi ex parte Dietmari, ad feudi commutationem conſenſiſſet etiam *Albertus Epiſc. Friſing.* mox concambium præſente Ottocaro concluſum eſt, ita ut Ditmarus ab Eccleſia S. Lamberti reciperet *Metvveſtorf*, & molendinum ibidem, aliaque prædia hic memorata, viciſſim vero tradidit eidem Eccleſiæ alia prædia, quæ hic enumerantur: appreſſit concambio finito ſigillum ſuum, authoritatemque ſuam appoſuit Ottocarus, cum bona hæc de jurisdictione ejus eſſent.

Perngerus Abb. S. Lamb. *Dietm. de Liech.* *Liechtenſt. caſtr.* *Styr. ſuper.* *Albertus Epiſc. Friſing.*

De *Dietmaro de Liechtenſtein*, ac caſtro ejus nominis prope Judenburgum ſito, dixi jam in annot. diplomatis 47. ſoli itaque teſtes adjecti ſunt inquirendi.

1. *Dietricus Epiſc. Gurcenſ.* qui nempe anno 1179. Romano II. def. ſubſtitutus a Conrado Archiep. Salisburg. contra Hermannum Ortenburgicum, ut v. an. 1179.

Dietricus Ep. Gurc. an. 1179.

2. *Rudolphus Abbas de Admunt*, teſtis hic dubiam redderet epocham dipl. hujus, niſi alia omnia rite concordarent, quæ tamen huic Rudolpho hic adſcripto opponi poſſunt, jam ad annum 1182. diſcuſſi.

Rudolph. Abb. Admont.

3. *Wernherus Præp. de Sekovve*, aliunde notus.

4. *Wulfingus de Kapfenberg*, v. annot. dipl. 14.

5. *Otto de Stubenberch*, v. annot. dipl. 4.

6. *Svvickerus de Geſtnich*, v. annot. dipl. 8.

7. *Otto de Chremes*, v. annot. dipl. 36.

8. *Herrandus de Wildonia*, v. annot. dipl. 53.

9. *Landfridus de Dirnſtein*, v. annot. dipl. 7.

10. *Otto de Saxo*, puto *de Lapide*, ſeu *de Stein*, v. annot. dipl. 4.

11. *Opho*

Teiffenbachior. Genealogia.

11. *Opho de Theuffenbach*, vel *Tiuffenbach*, fraterque ejus, antiquissima est, & celeberrima Styriæ nostræ familiæ, in Styria orta, & exin, ut vult Lexicon Basileense, etiam in Austriam propagata; nomen suum ab arce cognomine duabus milliaribus ab urbe Muhrau super. Styriæ dissita habet: cujus Genealogiæ expositio, utpote ad sæc. 11. usque protensa, utcunque obscura est & ardua. Prædia eorum ac castra in Styria erant arx *Tieffenbach* in circulo Judenburg sita, nunc Comitum de Putterer, de qua jam dictum; præterea *Mayrhoffen*, nunc in *superius* & *inferius* divisum (quorum hoc hæredibus *Julii Wilhelmi Com. de Rottall* illud ad *Purchstallios*, *Kollonitschios* pervenit, hodie vero Comit. *de Herberstain* subest) quod *Hartmannus de Teiffenbach a Conrado Mayrhoffer* an. 1377. emit, ac gentilitium fecit familiæ suæ. Varii hujus familiæ Burggravii in *Vestenberg*, *Fürstenfeld* fuere, & *Hermannus* an. 1246. in Austria prædium *Heydersdorf* obtinuit.

Arx Styriæ.

Mayrhoffen sup. & inf. cast. Styr. Rottall de Com. Julius Wilhel. Teiffenbach de Hartmann. Conradus de Mayrhoffen. Fürstenfeld Vestenberg. Teuffenbach de Hermannus. Heydersdorf.

Genealogiam hujus familiæ pertractaverunt Bucelinus, Lazius, & Wurmbrandius, Bucelinus tarde nimis ab Hermanno & Ernesto orditur, Wurmbrandius plures invenit, Lazius detexit plurimos, non tamen omnes, ego ex antiquis monumentis plures producam, atque utinam omnes; ut vero debito ordine Genealogiam hanc proferam, triplicem de ea efformo tabulam, 1*ma* dabit Patres primos hujus familiæ, 2*da* descendentes Ernesti 3*tia* successionem Hermanni, singulos debitis notis illustro.

Teiffenbachiorum veteris Genealogiæ

TABULA I.

Continens Patres primos, aliosque ignotæ descendentiæ Teuffenbachios.

A. Ortolphus I. de Tiuffenbach an. 1080.

B. Perchtolf. an. 1140. *D. Opho I.* 1182. 1193. 1204. 1238. *Otto I.* 1191. 1197.

E. Hartvvicus an. 1202. *F.* & *Ernestus* ejusd. Hartwici frater v. tab. 3. N. 4. 5. uxor *Margar.* N. descendentes v. tab. 3.

G. Eberhardus an. 1235.

H. &, *Hermannus I. Dom. de Mayrhoffen*,

P. uxor N. v. tab. 2. descendentes v. tab. 2.

I. Richpoldus anno 1271. ex docum. Vorav.

K. Conradus vel Chuno, an. 1292. 1309. 1328. 1339. uxor *Elisabetha de Mosheim*, Jacobi filia, ad an. 1328. 1339.

L. Opho vel Otto II. an. 1295. 1316. 1337.

M. Jelle vel *Yele*, an. 1305.

N. Henricus, anno 1311.

O. Rupertus, anno 1308.

TA-

TABULA II.

Continens Teiffenbachios ab Hermanno Domino in Mayrhoffen descendentes.

P. & H. Hermannus Teiffenbach de Mayrhoffen, claruit anno 1245. uxor N.

Q. Leutoldus I. an. 1277. uxor N. *R. Rudolphus I.* vixit adhuc an. 1283.

Ursula I. m. Steinwald de *Fladniz.* — *Catharin.* mar. Nicolaus de *Wolfen.* — *Agnes* m. N. *Perner de Perneck.* — *Demutha* mar. N. *de Löfeldorf.* — *Theoderic I.* ux. Anna ab *Eberstein.* — *S. Hartmanus I.* a. 1370. v. Hartman. II. — *Luitold. II.* seu Jun. — *T. Martinus* 1365. — *V. Herm. v. Rud. II.*

Aliæ etiam filiæ juvenes obiere.

Susanna I. mar. Erasmus de *Pfuntan.* — *Ursula II.* mar. Henricus de *Fladniz.* — *Barbara I.* marit. N. de *Wolfsthall.* — *Melchior*, uxor Benigna *Dastlerin.* — *S. Hartm. II.* ux. Elisabet. de *Fladniz.* — *Harth.* ux. N. — *Fodoc.* 1426. — *Luitold. III.* — *Joannes I.*

Helena mar. Joannes de *Wolfenreith.* — *Ursula III.* m. Henr. de *Fladniz*, sors ead. cum sup. — *W. Leutold. IV.* a. 1463. uxor N. — *X. Walthas. I.* ux. Marg. *d. Königsb.* fil. Ernr. & *Modest. de Dörr* 1471 — *Rudolf. II.* vel *III.* a. 1460. — *Theoder. II.* — *Conr. II.* 1457.

Y. Bernardus an. 1507. ux. Dorothea *de Stadel.*

Joan. II. ux. Mart. filia Seifridi de *Windischgraz.* — *Magdal.* m. 1. Tho. *de Rottal*, 2. Joann. *de Rapach.* — *Balthas. II.* cœl. † — *Andreas* an. 1571. uxor Susanna de *Seissenegg.* — *Ursula IV* mar. Sigismund. *Drachsler.* — *Servatius* uxor 1. Juditha Bar. *de Rauber*, 2. Cath. *de Herberstein.* — *Margareth* marit. N. *Retzer.*

Dorothea m. *Con. de Thonhausen.* — *Martha* m. *Georg. de Gera.* — *Leonora* † cœlebs. — Georgius *Hartmann* † 1602. ætatis an. 24.

Sara m. Helfrid. de *Kainach.* — *Jacob.* ux. Margaret de *Purgstall.* — *Maria* m. Alban de *Ratmanst.* — *Christoph. II.* gener. ux. 1. Maria ab *Harrach*, 2. Susanna de *Scherfenb.* 3. Justina *de Breiner*, † 1698. — *N.* 1. *Gabriel* uxor Ursula de *Scherfenb.* sine prole. — *David* uxor 1. Salome *Wisin* 2. Maria ab *Enzerstorf.*

Balth. III. ux. *Eva de Pranck.* — Plures in juvent. †

Anna Maria m. N. ab *Althan*, v. Buc. f. 441.

Maximiliana, maritus Ehrnricus a *Sinzendorf.*

Barbara II. m. Bern. de *Fünfkirchen.* — *N.* 2. Rudolf III. v. *IV.* B. Colon. ux. 1 Cat. *Radkain*, 2. Eva de *Sternb.* — *Sigis.* ux. N. *de Meriz* & *Lomniz.* — *Fridericus* Mathiæ Camerar. — *Maria II.* m. *Hinko Borzita.* — *Susan. II* m. Vitus Henric. C. *Turian.*

TABULA III.

Continens Teiffenbachios ab Erneſto deſcendentes.

Ex Buuelino cum notis Lazii.

F. & num. 4 Erneſtus de Teuffenbach, ad an. 1227. 1232. † nonis April. ux. *Margaretha* N. † 12. Kal. Jan. anno incerto.

N. 6. *Chriſtoph. I.* ux. Chun. Gallerin vel a *Gallen.*

N. 7. *Ortolph. II.* an. 1337. 1367. ux. Eliſ. Henrici de *Weisbriach* filia.

N. 8 *Chuneg.* m. Wilhelmus ab *dem Wildrieſs.*

N. 9. *Urſula** m. Conr. de *Windiſchgraz.*

N. 10. *Joan. II.* vel *III.* uxor Barbara *Kervveckin.*

N. 11. *Dorothea* marit. N, *Payrhoffer.*

Urſula m. Andreas de *Herberſtein*, 2. Vigilius ab *Erolzheim*, ita Buc.

Triſtannus 1427. ux. Dorot. *de Fraunhofen* filia Theſari & N. de *Taufkirchen.*

Anna hanc Laz. & alii Vigilio de *Erolzheim* uxorem tribuunt.

N. 12. *Georgius I.* ux. 1. Doroth. Co. de *Schermperg* & *Raſtat*, 2. Afra *de Holneck.*

Andreas ux. Cat. *de Ratmanſtorf* fil. *Ottonis.*

Num. 13. *Acbatius* an. 1496.

Morgar. m. Hen. *de Himmelberg.*

Agnes m. Siſm. *Mordax.*

N. 14. *N.* filia m. N. *Harvvacher.*

Plur. † juv.

Barb. mar. Chriſtoph *Trakenberg.*

Polyarp. † cœl.

Jacobus uxor Cord. *de Windiſchgr.* Jac. fil.

Regina marit. Chriſtoph. *d. Gradneck.*

Georgius II. uxor 1. Catharina de *Honyngen*, 2. Catharina, Mauritii de *Dietrichſtein* filia.

Joannes II. uxor 1. Waldburga de *Liechtenberg*, filia Bernard. 2. N. de *Dietrichſtein.*

Ita Bucelinus.

Filii a Bucelino ſtatuti: Franc. I. eq. & B. ux. Beat. *Schrotin de Kintberg*, quâ Laz. dic. vid. Joa. Leyſer. n. 17. & 18. v. filios & deſcendes Franc. I.

Eraſmus ux. Hem. *Winklerin*, *And. III. Martin. Wilhelm. Joachim.* Urſula Barones. *Farberin* 2. N. de *Pranck.* n. 19. & 20. v. ej. poſt.

Joannes Seifrid. Baltbaſ. Sigiſ. † *Bern. B.* uxor 1. Urſula *Farberin* 2. N. de *Pranck.*

N. 15. *Andreas II.* ux. 1. N. de *Reiſach*, 2. Anna *Gallin*, ambæ ſteriles 3. Urſula de *Mötniz.*

N. 16. *Malch.* uxor Catharina ab *Herberſtorf.* Hujus fratres n. filii Bucel. teſte erant: *Cyriacus*, *Florentinus*, & *Franciſcus II.* uxor Poyxena de *Racknitz*, Chriſtoph. & Magdalena de *Perneck* filia 1550

Filius unicus Victor.

Filiæ Catharina, maritus Adam *Holneck.*

Ottilia, maritus Paulus *Aygl.*

Sophia, maritus Wolfgangus de *Stubenberg.*

Lazius addit:

Anaſtaſiam II. uxorem Joannis de *Perſchyn.*

Lazius his addit *Chriſtophorum*, omittit vero *Eraſmum*, *Sigiſmund. Wilhelm.* & *Joach.* *Jacobi filiæ ex mente Bucelini* *Sabina* ux. Achatii Farber, *Regina* ux. Cyr. *de Teifenbach.*

* *Urſula* vid. num. 9. *Maria* cœlebs obiit.

Ex Bucelino, quos tamen Lazius omit. *Georgius III.* uxor N. ab *Horneck Gallus*, uxor 1. Eva de *Idungsberg*, 2. Maria Baron. *Zachin*, filia Friderici.

Otho, uxor Sophia *Gallerin.*

Georgius Sigiſmundus, vid. Bucelinum fol. 440.

Ex mente Lazii: * *Urſula* vid. num. 9. *Chunegunda.* v. num. 8. N. ux. *Payrdorfer* mat. Conrad.

Primæ

Primæ tabulæ Dominos de Teuffenbach nulla alia, niſi ætatis ſuæ, qua vixerant, ſerie profero, quoniam, quo nexu invicem conjuncti fuerint? non conſtat; refero huc etiam eos, qui in duabus tabulis ſubſequis a Bucelino vel Lazio &c. omiſſi ſunt.

A. Ortolphus I. de Tiuffenbach, hujus meminit Lazius lib. 6. de migr. gent. fol. 216. ex quibusdam litteris de anno 1080. *Ortolphus I. de Tiuffenbach.*

B. Berchtolf de Tuiffenbach, notitiæ primæ Seccovienſi in fundatione hujus Eccleſiæ an. 1140. ſubſcriptus legitur; an Ortolphi filius fuerit? non conſtat, nullus enim inter primos hujus familiæ patres nexus ordinis vel deſcendentiæ obſervari poteſt. *Berchtoldus.*

C. *Engilbertus* in dipl. cod. Admont. num. 62. inter teſtes refertur anno 1170. *Engilbert.*

D. Offo I. hunc inſinuat diploma adductum, uti & dipl. Admont. 59. & 112. ad annum 1191. & 1197. fors etiam ad an. 1238. dipl. Admont. 84. quod ſi hic idem fuerit, ad magnam ſenectutem pervenit; fors tamen Offonis & Ottonis nomen olim idem, cum, qui in dipl. hoc ad an. 1182. & Admont. 59. & 112. vocatur *Opho*, in ſubſeq. Admont. 43. 116. dipl. ad an. 1193. & 1204. legatur *Otto*, ſecus vero Otto ad an. 1238. adductus, Ottonis hujus frater junior cenſendus foret, v. tom. 2. ſeq. annot. dipl. 10. *Offo I.*

E. Hartvvicus, hic teſte Lexico univ. Baſileenſi in litteris Leopoldi Ducis Auſtriæ & Styriæ an. 1202. Monaſterio S. Lamberti datis invenitur; Lazius eum in ejusdem Monaſterii S. Lamberti litteris ad an. 1262. citari docet, dubito vero, an non error intercurrerit in numero anni, non enim adducit Lazius, a quonam eæ litteræ datæ fuerint. Wurmbrandius ejusd. ſolum ad an. 1202. meminit, v. c. 65. f. 161. *Hartwicus de Teiffenbach.*

F. & *num.* 4. *Arneſtus* vel *Erneſtus* de Tuiffenbach, frater Hartwici, teſte Wurmbrand. cit. de quo v. tab. 3. *Ernaſt. de Teiſenbach.*

G. Eberhardus, ex dipl. Admont. 58. ad an. 1235. manifeſtatur. *Eberhard.*

H. Hermannus I. de Mayrhoffen, dictus an. 1246. de hoc. tab. 2. *Herman. I. Teiſenbach d. Mayrhofen.*

I. Richpoldus de Teuffenbach, de quo in Chron. Vorav. ad annum 1271. ita lego: *Inter eundem* (Bernardum nempe Præpoſ. Vorav.) *& Richpoldum de Teuffenbach quidam contractus pro quadam vinea in* Sockenberg *factus eſt, quod idem Dominus Richpoldus & hæredes ſui quinque quartalia Vindemii tempore & 4. denarii* (lege denarios) *vecturæ Monaſterio Vorau in villa Teuffenbach perſolvere non retardent.* Richpoldus hic omnibus ignotus fuit. *Richpold.*

K. Chonradus vel *Chuno*, refertur a Wurmbrandio ad annum 1292. Anno 1309. idem *Chuno de Teuffenbach* teſtem egit *Ottoni Liechtenſteinio Styriæ Camerario*, dum hic augeret Cappellæ Seccovienſis fundationem v. diplom. Seccov. 146. in quo primus inter teſtes Chuno hic legitur. Wurmbrandius cit. ei uxorem tribuit *Eliſabetham Jacobi de Mosheim filiam* ad an. 1339. aitque ejus pacta dotalitia ſuis ſigillis firmaſſe *Jacobum de Mosheim*, & *Ulricum de Weisbriach*, ex MS. Kainach. *Chunr. v. Chuno. Liechtenſtein de Otto. Mosheim Jac. & Eliſab. Weisbriach de Ulric.*

L. Otto vel *Offo II.* ex cit. Wurmbrand. ad an. 1295. 1316. 1337. *Otto II. v. Offo de Teiſenbach.*

M. Jelle vel *Telle* an. 1305. claruit Wurmbrandio teſte. *Jelle. Henr.*

N. Henricus, eodem Wurmbr. teſte ex MS. Kainach. ad an. 1311. adducitur

Rupert. Pranck de Periger. *O. Rupertus de Teiffenbach, Peringero de Pranck* teſtem egit, dum an. 1308. liberalis in Can. Seccov. eſſet, v. dipl. Seccov. 143.

Herman. Teifenbach d. Mayrhofen. *P. H. Hermannus de Tuiffenbach*, primus *Dominus de Mayrhoffen* dictus, qui teſte Bucelino & Wurmbrand. an. 1245. duos filios *Leutoldum* & *Rudolphum* genuit. Lazius hunc cum tota linea ſua omiſit, Lexicon vero Baſileenſe, ait eum ex Styria in Auſtriam digreſſum, ibidemque Dominium *Heydersdorf* fuiſſe adeptum. Inde fors factum, ut Hermannus hic caſtrum Mayrhoffen venderet, quod dein an. 1377. *Hartmannus a Conrado Mayrhoffer* denuo emit, uxor ejus ignota eſt.

Mayrhofen cuſt. Conr. de Mayrhofs Hartman. de Teifenbach.

Leutoldus I. *Q. Leutoldus I.* primogenitus Hermanni filius claruit an. 1277. uxor ejus ignota, ita Bucelinus & Wurmbrandius.

Rudolphus I. *R. Rudolphus I.* teſte Bucelino ad an. 1283. vixit. Idem ex vetuſto MS. Kainach oſtendit Wurmbrandius.

Deſcendentes reliquos nulla nota a me inſignitos, ex Bucelini authoritate adduco.

Hartmannus I. *S. Hartmannus I.* aliis Härtl a Bucelino ad an. 1370. ſtatuitur, hic teſte Wurmbrandio cit. Leutoldi illius filius, qui an. 1277. floruit, proin Leutoldi I. natus, & *Burggravius in* Fürſtenfeld, caſtrum familiæ gentilitium *Mayrhoffen* dictum, *a Conrado Mayrhoffer* an. 1377. compa-

Früet Thomas, Waltſee de Rudolph, Herberſtein de Georg. ravit. Teſtes erant *Thomas Früet, Rudolphus de Waltſee Capitan. Provinc. Styriæ*, & *Georgius de Hervveigſtein* ſeu *Herberſtein* ex archiv. ſtat. Auſtr. quamvis de inſtrumento hoc nolim dubitare, hæreo tamen, an hæc Hartmanno I. vel II. ſint tribuenda; nam 1. cum Leutoldus I. circa an. 1277. floruerit, filii Hartmanni I. ætas ad an. 1377. nimium extendi videtur. 2. Ex catalogo Prætorum ſeu Capit. Styriæ *Rudolphus de Waldſee* ab an. 1337. ad 1349. ſolum Prætor Styriæ fuit, unde forſitan pro anno 1377. anterior aſſignandus erit. 3. Hartmanno II. competeret quidem annus 1377. ſed hic nec Luitoldi I. nec II. filius fuit, ſed Theoderici.

Mart. de Teifenbach. *T. Martinum*, Wurmbrandius an. 1365. celebratum fuiſſe docet.

Rudolphus II. *V. Rudolphum II.* neglexit Bucelinus, quem tamen Wurmbrand. cit. an. 1366. & 1311. *Burggravium in Veſtenberg* fuiſſe docet ex MS. Kainachiano.

Leutold IV. *W. Leutoldus IV.* Balthaſaris frater *Margarethan de Königsberg* uxorem habuit, teſte Wurmbrand. ad an. 1463. hujus vero Leutoldi IV.

Balthaſar-Königsberg de Joan. *X. Balthaſar* frater cum *Joanne a Königsberg* domum & hortum communem Crembſii Henrico Feuchter Parocho in Polan anno 1471. vendidit. Wurmbr. cit. ejusdem Balthaſaris mentio fit ad an. 1488. in inſtrum. quodam Vorav. fundationis cujusdam Voravii factæ a Georgio Gråbl, cui Voravii præſens die Martis ante SS. Philippi & Jacobi ſubſcripſit Balthauſer von Teifenbach.

Bern. de Teuf. Pfintau de Chriſtoph. Rottal de B. Georgius. *Y. Bernardus de Teuffenbach* an. 1507. a *Chriſtophoro Pfuntam* ultimo, nobilis in Styria familiæ, omnia bona donatione mortis cauſa obtinuit, quod inſtrumentum donationis *Georgius Baro de Rottal* ſigillo ſuo munivit, ita Wurmbr. ex MS. Kainach.

Chriſtophorus de Teiffenbach. *Z. Chriſtophorus II.* Cæſareus contra Turcas bellidux celeberrimus an. 1598. obiit, teſte Lexico univ. Baſileenſi.

Num. 1. *Gabriel de Teifenbach*, quamvis Bucelinus Rudolphum III. hujus nominis Baronem primum ſtatuat, tamen jam Baro legitur ad an. 1604. in inſtrumento quodam compoſitionis inter Bened. Præpoſ. Vorav. & *Juditham Dominam de Trautmanſtorf natam de Scheit*, & viduam Georgii Adami, etenim inter arbitros ab utraque parte electos primus recenſetur, *Dominus Gabriel Baro de Teuffenbach ad Mayrhofen, Unter-Mayrhoffen, Neuberg, Archiduc. Conſiliarius &c.* quapropter etiam Gabriel jam Baro fuit, cum vero Rudolphus III. ut mox dicam an. 1603. jam Baronem ſe ſcripſerit, cenſeo & Chriſtophori fratrem Gabrielem, & filios ob merita Patris in ſortem Baronum fuiſſe adlectos. *Gabriel.* *Trautmanſtorf de Juditha Adam.*

Num. 2. *Rudolphus III. Baro* ſubſcripſit venditioni illi, qua ſtatus Provinciæ Styriæ aulam olim Rauber- nunc Seccauer - Hof dictam Græcii, 15. Jan. an. 1603. vendiderunt Sebaſtiano Præpoſ. & Archidiac. Seccov. ac Benedicto Præp. Vorav. ut v. archiv. Vorav. *Rudolphus III. de Teuffenbach.* Rauber - Hof zu Grätz.

Num. 3. *Fridericus* infelix Chriſtophori filius fuit, etenim an. 1618. in Hungariam abiit, hos contra Cæſarem ſollicitaturus, dein Cæſareum Belliducem Dampier profligavit & Niclaspurgum in Moravia cœpit, ægrotus dein in balneo Pfafers captus, ſed ope proteſtantium liberatus, in itinere tamen ac fuga comprehenſus æniponti an. 1621. capite plexus eſt, ita Lexic. Baſil. *Frider.*

F. & Num. 4. *Arneſtus* vel *Erneſtus de Teuffenbach*, an. 1227. in dipl. Seccov. 45. refertur teſtis compoſitionis Wildoniorum & Seccovienſium eo anno factæ *in Eccleſia S. Chunegundis, nunc in Lee dictæ*; an. 1235. nomen ſuum dedit dipl. Admont. 58. Hunc Hartwici fratrem ſtatuit Wurmbrandius, & congruit ætas, unde erravit Bucelinus, dum Erneſtum hunc ad an. 1350. detruſit. *Erneſtus de Teifenbach.*

